





AUGENIO
EPISTOLA
1597

















HORATII AVGENII A MONTE SANCTO, MEDICI ET PHILOSOPHI PRAESTANTISSIMI; NEC NON IN ACADEMIA TAVRINENSI MEDICINÆ PROFESSORIS PRIMARII; Epistolarum & consultationum Medicinalium Libri XXIIII. in duos Tomos distributi.

Opus quidem ob doctrinæ varietatem, difficilium morborum curationem, & maximarum difficultatum dilucidationem, non modo Medicis ac Philosophis, sed etiam omnibus bonarum Artium studiosis apprimè necessarium.

Cum INDICE gemino: Vno Epistolarum; altero rerum & verborum copiosissimo.

Quibus accessere eiusdem Authoris, de hominis partu, Libri II.

Nunc primùm in GERMANIA ab innumeris mendis repurgati, ac in lucem emissi.



FRANCOFVRTI,
Apud heredes Andreæ Wecheli,
Claudium Marnium, & Ioan. Aubrium.
M. D. XCVII.



SERENISSIMAE CATHARINAE AVSTRIACAE, HISPANIARVM INFANTI, SABAVDIÆ DVCISSÆ,

Horatius Augenius.



X eo tempore, quo ceu nouus Heſperus hic illuxiſti, Princeps Sereniſſima, miro quodam deſiderio ſignificandi meam in te obſeruantiam ac pietatem, flagraui. Sed cùm mea teneritas nihil dignum tua Maieſtate promerere poſſe videretur, delituit in hanc vſque diem in pectoris penetralibus, coercitus huius meæ voluntatis feruor, qui nunc tandem vi erumpens, hanc ſcintillam excutit, quæ certe ibit protinus in tanto tuæ Celſitudinis Sole interſtincta; ſed vita potior erit interitus. Solem dico eum, quo præfulges, pręcellentium omnium virtutum concurſum: quique acceſſione ſtemmatum maiorum tuorum huius & prægreſſi omnis æui, Reginarum omnium ſplendorem obſcurat, & extinguit, quantum apprimè diuina humanis præſtant. Siue enim, quæ tuæ ſunt propriæ laudes, ſiue maiorum tuorum gloria ſpectentur, vbique diuini plus, quam humani eſſe animaduertitur. Patrem quidem tuum Philippum, cui Chriſtianæ omnis Reipublicæ ceu tutiſſimo præſidio innititur, qui non veneratur, ac ſuſpicit, is Catholici nominis hoſtis habetur impuriſſimus. De Auo tuo Carolo Imperatore Auguſtiſſimo veriſſime illud:

Carole mortales dubitant homo ſisné, Deusné,
Sunt tua ſceptra hominis, ſunt tua facta Dei.

Quid memorem Sereniſſimum coniugem tuum, quem nunc totum Dii eſſe iubent, immortali ſua cum gloria, in debellandis Orthodoxæ fidei oppugnatoribus? De te autem, quid dici ita magnificum poteſt & excelſum, quod longe non ſit tuis meritis inferius? Quæ vnquam eloquentiæ vis, regii tui animi, iuſtitiæ, prudentiæ, pudicitiæ, ſanctitatis, & reliquarum, quæ in te ſunt innumeræ, at-

que vnicæ, virtutum, vel minimam partem assequi queat? Vt demens quidem sim, si infantiæ meæ riuulos in tantum, tamque vastum Oceanum deducere, & vt Psaltes regii verbis vtar, os in cœlum ponere ausim; vno te affabor Virgiliano carmine:

Nec tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat, ô Dea certè.

Quando igitur mihi Dea es, hanc ceu humilem hostiam tibi ante tuam aram cadere iubeo, nomenque tuum & mihi, quem in Mineruæ campo, & filiis meis, quos in Martis studiis Tibi, ac Serenissimo Duci deuoui, supplex amicum exposco. Taurini, 25. Decembris. 1591.



MICHAEL

EPIGRAMMATA

MICHAELIS COLVMBI,

AD PRÆCEPTOREM OBSERVANDISS. AVGENIVM.



Eternum Augeni viuent dignißima cedro,
Quæ promis, tineasq; prius monumenta Galeni,
Serpentes paſcent carie conſumpta voraci,
Hæc tua quam pereant. Namq; os hæc ipſa parentis
Effudit Phœbi, tuaq; inſtillauit in ora.
Sed quid ego id memorem? decet haud, tam grandia paruo
O Muſa, & tenui nimium deducere verſu.

AD STVDIOSVM LECTOREM

DE OPERE HORATII AVGENII MEDICI PERITISSIMI:

Titus Proſper Martinengius, Monachus Caſinenſis.

MOrborum cauſas ſi quis vel ſcire laborat,
Vel præſens ipſis ferre leuamen auet,
Huncce legat librum, relegatq; attentius omnem,
Atq; huius compos nobilis artis erit.
Quippe Auctor ſollers pulchre collegit in vnum,
In veterum ſcriptis vtile quidquid erat.
Quæcunq; Hippocrates nobis monumenta reliquit,
Corpora curandi, feſſaq; membra virum.
Et quæ Phyllirides, & Iamblicus, atq; Galenus,
Et quæ Nicandri docta camœna canit.
Tum quæ Pauſanias docuit medicamina mitis,
Doctus Oreibaſius, Prothagorasq; pius.
Multaq; præterea memoranda, ac digna notatu,
Addidit ingenio rite reperta ſuo,
Vix numeranda; ergo ſi vis ſtatuiſſe trophæa
Morborum, his armis vtere, victor eris.

De eodem.

Pro multis aliis Medicum pollere peritum
Mæonidæ magni Musa diserta refert:
Quod mors innumeros, quos immatura domaret,
Seruet, & à mortis limine restituat.
Unde Asclepiadas veteres dixere salubres,
Siue etiam Graio nomine ἀλεξικάκους.
Ac veluti quædam cœlestia numina habebant,
Qui miseris possent ferre salutis opem.
Ergo qui tradunt rationem, vsumq; medendi,
Sint itidem nobis tali in honore viri.
Ac veluti Patres proprios veneremur, Auosq;,
Corpore ab humano qui mala dira fugant.
Insanisq; animis morbos, furiasq; repellunt,
Atq; illos sanos reddere sæpe solent.
Augenius tali cum noster Horatius arte
Præstet, eum amplecti nos decet, & colere.

εἰς αὐτόν.

εἴ τις ἀνάβλησιν θανάτου κρυεροῖο δαμῶσαι,
πολλά τ' ἀπὸ χρωτὸς νοῦσον ἄκικυν ἐλαῦ,
ἠθ' ὑγίειαν ἄγειν ὀδυνήφατον ἄλγεσιν ἀνδρῶν,
τειρομένοις ποθέῃ κήδεσιν, ἠδὲ δύαις,
τῆς δ' τέχνης ἀρχηγὸν Ὁράτιον ἀκροσόφοιο
Αὐγένιον μετίῃ, καὶ πόθου ἀσπάσῃ.
καὶ βίβλον κτήσαιτο, κάμεν τὴν ἄκρος ἀκέστωρ
πολυτόποις σοφίης ἄνθεα δρεψάμενος,
οἷα μέλισσα φιλεργὸς ἀριστοπόνοισι μερίμναις.
λειμῶνας προτέρων πολύζας ἐπερχόμενος,
ὅσσα γὰρ ἐν πτηνοῖς μέγας αἰετὸς ἀγκυλοχείλης,
τόσσον ἐν ἰητροῖς οὗτος ἀνὴρ προφέρει.

AD HO-

AD HORATIVM AVGENIVM,

Danielis Alsuorti Angli Carmen.

INter mortales est controuersia magna,
Arma togæ an cedant, an cedat Laurea linguæ.
Maxima res quippe est, res summo dignaq; honore
Tutari patriamq;, focosq; altaria & ipsa,
Vxores, natosq; hostis defendere ab ense,
Rebus & æternum gestis sibi quærere nomen.
Contra pax bello potior, toga temperat iras,
Et fluctus sedat motos moderamine ciues
Continet æquali, tribuens sua iura quibusuis.
Lingua docet, suadet, celebrat laudesq; perenni
Heroum calamo, sine quo moreretur in omne
Tempus bellator quiuis celeberrimus orbe.
Est immortalis calamus, pertransit in oras
Extremas terræ, vires non terminat eius
Aut locus, aut tempus, præsentibus atq; futuris
Vtilis, internæ penetrans præcordia mentis.
Hoc tuus AVGENI, liber hic demonstrat abunde
Ter prælo excusus, votis precibusque petitus,
Quod noua, quod iucunda, quod ardua, commoda tractet,
Ornate, docte, clare, subtiliter, apte,
Perpetuo qui te moriturum viuere coget.
Desinat hinc calamo sæuus contendere cuspis,
Damna ferens mortemque nigram crudelibus armis.

AD LECTOREM.

Danielis Alſuorti Carmen.

Τήνδε δέχεσθε βίβλον, μάλα περίφρονι θυμῷ ἰατροί,
ἣ συνέχει βραχέως καὶ ἐναργῶς πουλὺ ὄνειαρ,
θαῦσαι ὡς εἰς τόνδ' ἀνὰ σύμπας δέδρομε κόσμος,
τοῦ περιθεὶς χαλεπὰ ζητήματα καλὰ, ὅδ' ἔμπης
ῥεῖα λύει, ἴκελος γ' Ἱπποκράτει ἠδὲ Γαληνῷ.
τοὔνεκα ἀσπασίως ἀνὰ ταῦτα ἰατρὲ γίνωσκε,
τερπνὰ γὰρ εὑρήσεις καὶ χρήσιμα πολλὰ ἐν αὐτοῖς.

INDEX OMNIVM EPISTOLARVM ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, QVÆ IN I. Tomo continentur.

LIB. I.

I. Epist. Ad Ludouicum patrem. Agitur de ptisana & eius vsu, nonnullaque maxime obscura ex Hippocratis lib. 1. de rat. vict. in morb. acut. atque Galeni libello de ptisana explicantur: eorumq; opinio refellitur, qui ptisanæ administrationem damnabant. 1

II. Eidem. In qua ostenditur, quod non turgẽte materia aliquãdo à morborum principiis tuto vti possũmus medicamento purgante. 13

LIB. II.

I. Epist. Ad Hieronymum Capiuaccium. Cinica subuertitur Apologia, in qua dicuntur quam plura de natura calculi, eiusq; causis: De plano vlcere an compositus sit morbus: De indicationibus ad calculum extirpandum: De vsu lactis asinini, & balnei aquæ dulcis pro eorum cõfirmatione, quę ab Augenio scripta sunt libro de medendis calculosis, & vlceratis renibus. 32

II. Archangeli Mercenarii ad Augenium. In qua proponuntur à Mercenario quędam problemata philosophica, & medica, ab Augenio discutienda. 48

III. Archangelo Mercenario. Respondetur sigillatim, ad problemata superioribus literis Augenio proposita. 49

LIB. III.

I. Epist. Ioanni Baptistæ Cucinæ. Qua disseritur de doloris natura, & de proximis eiusdem causis. 53

II. Eidem. Agitur de odore, an habeat vim nutriendi. 67

III. Iulio Pichino. Qua agitur an purgare in plenitudine, & an mittere sanguinem in cacochymiam cõueniat: De bonis quadrupedum carnibus, & pane siligineo, & ciborum ordine. 76

LIB. IIII.

I. Epist. Hieronymo Cordellæ. Explanantur quędam ab Augenio conscripta in primo libro de ratione pręseruandi à peste: De medendis calculosis & vlceratis renibus: Quę videbantur quibusdã plurimum controuersa. 82

II. Duranti Scaccho. Agitur de generatione lapidis in vesica: De vrinæ difficultate: De medicamentis accõmodatis ad eiuscemodi affectus: atq; de recta eorundem componendi ratione. 94

LIB. V.

I. Epist. Hieronymo Ardizono Placentino. Vtero gerentibus acuto morbo oppressis venę sectionem conuenire: & quando in febribus malignis, in quibus maculæ apparent similes morsibus pulicum, idem remedium tuto administrari possit. 99

II. Eidem. Quod nulla propemodum febris fieri possit, quin calor innatus subito ac vehementer vniatur cordi & fomiti putredinis pro expellendis noxiis humani corporis: Quodq; præsente causa febris longe melius sit febrire, quã non febrire. 104

III. Eidem. Respondetur rationibus recentiorum Medicorum contra Galeni sententiam de morbi calidi causa. 109

IIII. Eidem. De cancro exulcerato in mammilla cum cordis palpitatione, & metu futuræ melancholiæ. 112

V. Ludouico Pichino. Rationibus respondetur Mercenarii, nullum ordinem in cibis obseruandum esse contendentis. 114

VI. Federico Seuerino. De tussi antiqua ab humoribus salsis, & crassis & anhelitus difficultate cum gracilitate corporis pro Anconitano Patritio. 119

VII. Medicis Genesinis. Pro Domino Angelo Roncono Genesino ad vigiliarum instantiam. 120

LIB. VI.

I. Epist. Iulio Cino Collensi Medico. Qua disseritur, an inchoante accessione, vrgenteque cardialgia valida conueniant enemata. Qui sudores boni, qui mali, ac neutri in acutis morbis debẽt iudicari. Qui scopi indicent missionem sanguinis: & de febre pestilenti quędam pro controuersia inter Cinum & Vincentium Cibum Fulginatem conscripta. 124

II. Plinio Melo I. C. Agitur de ratione curandi febrem in habitu primi ordinis, motus quosdam conuulsionis: & alia quædam sæuissima symptomata. 146

III. Dominico Borio. Componitur quædam discordia inter illũ, & Hieronymum Landeum de affectu æsophagi. 154

LIB. VII.

I. Epist. Iulio Pichino. An febris hectica incipiendo fiat: an serum caprinum pro curatione icteri citrini conueniat: ac postremo quale sit seri temperamentum explicatur. 151

II. Eidem. De Fare, Halica, Condro, Trago. An Medicus prædicere mortem ægrotis debeat. 154

III. Eidem. A Bile flaua & pallida non fieri obstructionem: reubarbarũ exhibitum in substantia magis vacuare, quã maceratione. 157

IIII. Eidem. An mellicratum conueniat acutis febribus: De conficiendi ratione ex antiquorum & recentiorum sententia: Quid dilutum, quid coctum, quid crudum, quid meracum sit mellicratum. De anno austrino à ventis silente: De constitutione hyemis pluuiosa & tranquilla. 160

V. Eidem. Soluitur contradictio in Galeno de farina hordeacea. 165

VI. Eidem. De cataplasmate ex hordeacea farina: corrigitur Galeni textus, interpretum lapsus detegitur. 166

VII. Eidem. Agitur de causa Albedinis in pure, & de computatione dierum in enixis: De dysenteria quędam: & de remedio quodam præstantissimo ad obstructiones iecinoris. 167

VIII. Eidem. Agitur de remedio ad obstructionem hepatis: De absinthii vsu in tertianis febribus: De Halica, suum pedibus, cerebellis, & carne liquefacta, & de remedio ad pellendas secundas. 171

LIB. VIII.

I. Epist. Aloysio Gratioso. Quod deplorati nõ sint solis prognosticis relinquendi. 174

II. Valterio de Valteriis. De anno bisextili quędam, & quomodo cœlum agat in hæc inferiora, & quod secũdum decreta Medicorum influentię admittendæ sunt. 183

III. Iulio Bossello Aretino. Defenditur epistola secunda libri sexti, quam Bossellus sigillatim euertere suis literis ad Plinium Melum conatus est. 190

IIII. Manenti Costæ. Breuiter explicantur scopi in sanguinis missione seruandi: Quod vacuatio ob mala imminentia fieri debeat: De sectione venæ, quam saluatellam vocant, explanatio quorundam verborum Galeni & Hippocratis. 199

LIB. IX.

I. Epist. Francisco Cirocho. De Arsenico cryʃtallino pro arcenda peste: De lapide Bezaar nonnulla: De libro quodam cinico. 204

II. Eidem. Quomodo caliditas & frigiditas

ditas sint actiuæ qualitates: humiditas, & siccitas passiuę ex Aristotelis doctrina. De apologia Iulii Cini Collensis Medici contra Vincentium Cibum Fulginatem Medicum tum genere illustrem, tum artis vsu, ac scientia excellentissimum. 206

III. R. D. Alexandro Iacobino Vicario Generali Episcopatus Auximi. Vulnus in capite cuidam Siluestro inflictum non fuisse lethale. Quot modis vulnera dicantur lethalia: ac mori homines posse tam ex magnis, quam ex paruis vulneribus. 217

IIII. R. P. Franscifcano Conuentuali Pennensi Theologo insigni, & amico optimo. Agitur de ratione curandi salsam & acrem destillationem à capite in pulmones procumbente ob intemperiem calidam & siccam hepatis in corporis habitu admodum gracili, & ex quauis leuissima causa resolubili, & ad tabem paratissimo. 223

LIB. X.

I. Epist. Curatio Scipioni Pennensi Medico. De curatione Icteritiæ citrinæ. 227

II. Eidem. An primæ qualitates ex Galeni doctrina ita sese habeant inter se, vt duæ duntaxat actiuæ, caliditas, & frigiditas: duæ vero passiuæ sint, humor & siccitas. 235

III. Eidem. Agitur de curatione dysenteriæ. 236

IIII. Eid. Explicatur an liceat in menstruorum fluxu vti diureticis, & de vreticis medicamentis quædam. 243

V. Eidem. Agitur de signis exulceratorum renum & vesicæ: ac de natura & causis vertiginis. 249

VI. Herculi Brancuto Sermogaliensi Medico. De vrinarum sedimento pertractatur. 253

LIB. XI.

I. Epist. Herculi Cozzio Firmano Medico. Agitur de Garo, & albo iure, & de potu hydrargiri. 263

II. Duranti Scaccho Chirurgo præstantissimo. Explicatur causa propter quam Augenius non diuulget responsionem ad quandam apologiam cinicam, & de vlceris definitione quædam. 267

III. Aloysio Gratioso. Explicatur quid spōtanea sanguinis vacuatio conferat in morbis. 270

IIII. Eidem. Explicantur quędam propositiones de ratione curandi, & de deploratis morbis quædam. 272

V. Petro Pollastro. Agitur de bile æruginosa, de duplici cruditate, de febre acuta, an semper in pleuritide dolor sit necessarius: De theriacæ vsu in morbis acutis: De missione sanguine in morbo Gallico. 274

VI. Eidem. Explanatur sententia Hippocratis de missione sanguinis sub lingua pro Anginę curatione. Damnatur venæ sectio euentatiua: De sanguinis corruptione quædam. 279

LIB. XII.

I. Epist. Fabritio Augenio Fratri I.C. Ratio explicatur, ne arenulæ in calculum transmutentur: & de aqua tyberis quædam. 281

II. Eidem. Describitur quidam syrupus ad frangendum calculum renalem, & agitur de apozemate quodam ex ernigio & stellaria. 284

III. Bernardino Montirono. Agitur breuiter de Diabete, & vrinæ ardore, horumque curatione. 285

IIII. Bernardino Aloyso. Agitur de natura & vsu diureticorum. 286

V. Bartholomæo Cæsareo. De ratione pręseruandi à doloribus articularibus. 293

VI. Lucio Bellespicæ. Exponitur curatio fistulæ ani, cū tumore duri sphinteri. 296

VII. Hieronymo Landeo. Quid sit Histericus affectus, siue vteri suffocatio, quæ illius differentiæ, quibus de causis fiat, quę curandi ratio, quæ materia medica, ac postremo, quam ob causam odorata naribus admota obesse credātur, suffita vero prodesse. 299.

Finis Indicis Epistolarum Tomi I.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM MEDICINALIVM, LIBER PRIMVS;

LVDOVICO AVGENIO PATRI, ET MEDICO CLARISSIMO;

EPISTOLA PRIMA.

Agitur de Ptiſſana & eius vſu, explicantúrque nonnulla maxime obſcura ex Hippocratis libro Primo de ratione victus, in morbis acutis, atque Galeni libello de Ptiſſana, corúmque opinio refellitur, qui Ptiſſanæ adminiſtrationem damnabant.



VM tu ſæpe aliàs, præſertim verò proximis diebus, me de ptiſſana differentem cum Medico clariſſimo audiuiſſes, tibi rem gratiſſimam facturum dixiſti, ſi argumentum hoc litteris mandaſſem: ego cum maximè deteſtandum putem, me non obedire tibi, cui poſt Deum Optimum Maximum, omnia debeo, nunc accepto calamo in tui gratiam, Ludouice Pater, ad materiam ipſam aggreſſus, dicam primum, vnde Ptiſſanæ nomen deductum putem, ex quibus rebus ea potiſſimum fiat, qua vti conſueuimus; rurſus verò quotuplex ea ſit, quomodo præparetur; & quibus conueniat, vel non conueniat: tandem verò explicabitur, quid in ipſa tractatione ab aliis benè, aut non benè dictum fuerit. Atque ne deſit aliquid de aqua hordei, poſtremò tranſigam ſanè, ſi hæc, iudicio tuo, quod exquiſitiſſimum eſſe ſcio, digna videbuntur, vt album calculum addas: Ariſtarchos de cætero non timebo, qui frequentes admodum ſunt noſtris temporibus. Sed, quia ſatis præfatus videor, ad rei explanationem venio. Ptiſſanæ nomen, ſi vocis notionem contempleris, latiſſimè quidem patet: nam deductum eſt ἀπὸ τῦ πτισσεῖν: quod ſignificat decorticare, cõtundere, & purgare pinſendo. Quamobrem quodcunque à cortice purgari poterit pinſendo, id vocabitur ptiſſana, poſtquam fuerit extimo cortice purgatum. Quoniam verò cerealia ferè omnia, omniaque legumina id habere poſſunt, fit, eſſe hoc nomẽ omnibus commune; hinc apud bonos authores frequentiſſimum audies ptiſſanæ vocabulum ad hordeaceam, ad triticeam, & ad orizaceam, atque accommodari ad alias eiuſdem generis. Plinius libro decimooctauo ſic inquit: Italici quidem maximè oriza gaudent: ex qua ptiſſanam conficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo.] Verum quod aſſeruerit, omnes mortales ex hordeo facere ptiſſanam, mihi diſplicet: nam Hippocrates libro de morbis meminit triticeæ ptiſſanæ, de qua etiam locutus eſt Ariſtoteles in problematis, & Galenus primo libro de facultatibus alimentorum, ex condro compoſitam ptiſſanam ſignificauit: quemadmodum primo libro de ratione victus in morbis acutis commentario XVII. alterius ptiſſanæ, quàm hordeaceæ meminit his verbis: Et quibus nam ptiſſana ſola exhibenda in acutis morbis ſit, & quibus hordeacea, & quibus nullo pacto id faciendum ſit.

Margin: 10, 20, 30, 40 (line numbers); Ptiſſana vnde dicta (manuscript note); Cap. 7.; 5. Prob. 37.

Verùm quamuis in hunc modum res habeat, tamen inualuit consuetudo, nomine ptisſanæ audiri duntaxat hordeaceam; & hanc pro curandis morbis desiderari, præ cæterisque laudari ab Hippocrate, dum inquit: Ptisſana igitur frumentaceis gustamentis, rectè præferri mihi videtur in acutis morbis, eosque, qui eam prætulerunt laudo.] hac de causa nos etiam prætermissis aliis, de sola hordeacea loquemur: atque, vt omnis tollatur æquiuocatio, expendamus, quid cruda quid cocta, quid rursus tota ptisſana, & quid cremor eiusdem sit: quādoquidem non modo Galenus, & Hippocrates, sed passim omnes Medici hisce vocibus vtuntur: sed quia hoc fieri non potest, nisi prius docuerimus, quomodo ex ipso hordeo ptisſana præparari debeat; de præparatione dicendum est in primis, de qua differentes, quæ præposuimus aliqua ex parte, fient lucidissima.

Tex. 18.

Primum igitur statuendum est, optimum esse hordeum debere, & quod nihil ascititiæ putredinis, aut superuacuæ humiditatis obtineat, & quod neque nimium recens sit, neque omnino vetustum: etenim quod recens est, superflua humiditate redundat, quam à regione contraxit, ita vt & madore, & flatu distentum sit: quod verò vetustum est, tempore exolescens, tandem imbecillum euadit propriis viribus destitutum. Indicio autem esse potest corrugatio, quæ in ipso apparet, atque ipsius magnitudinis diminutio, & quod dum frangitur, velut puluis quidam decidit. Plenum igitur esse hordeum conueniet, quod ad ptisſanam conficiendam eligimus, neque admodum recens, neque antiquum valde, & omnis ascititiæ qualitatis expers. Verum, ne hoc quidē solum sufficiet, sed experimēto etiam id exactius exquirendum est: nempe si præter ea, quæ enumerata sunt, dum coquitur, etiam in tumorem ingentem attollitur, illud sanè ad ptisſanę coctionem est assumendum, si modo eam debeat quis ratione, & sicuti par est, conficere. Hordeum eiusmodi in aqua optima primum maceratо: mox autem, cum tibi satis videbitur maceratum, vt possit à cortice purgari, illud in mortario iniectum manibus tandiu pinsere, contundere, ac conterere conuenit, vt aristis omnibus depositis, atque crassioribus partibus, tenuis illa membrana deglubatur, propterea eo vsque terendum, dum præpositus, ac qui in superficie est cortex, sit abiectus: is enim, quo vestitur ceu tenui tunica, nunquam totus inter pinsendum abiicitur: quapropter & præmaceratur, & in mortario tunditur: quod si, non quicquid est acris, deciderit, elixa ptisſana magis quidem deterget; nullam autem aliam noxam accipit. Quo autem purgari à cortice possit commodius, iubet Galenus, vt manibus fiat, quæ in se habeant aliquid asperum, cuiusmodi est, quod vocant spartum, ex quo iumentis soleæ nectuntur: ego quidem aspero linteolo id facere soleo, diligenter enim quicquid paleaceum inest in hordeo expurgat. Sunt qui putant macerationem in aqua calida faciundam: sed hoc non esse necessarium vsus docebit: quocirca qui hoc imponunt Galeno, igne scilicet tundendam (sic enim illi scripserunt) aberrant, cum de hac re nullibi, quod sciam, meminerit: qui etiam aberrare mihi videntur à scopo dicentes, illum in mortario contundendam & pinsendam pistillo ligneo: quia satisfaciunt manus rem asperam continentes: Quandoquidem nullam Galenus mentionem fecit pistillo vtendum esse ligneo; & certe si pistillo fieret huiusmodi pinsendi ratio, periculum esset, ne integra hordei grana confringerentur; quod malum esset, vt post hæc explicabo. Hæc verò manibus ipsis pinsatio bis, ac etiam ter fieri debet, semper, vt Galenus admonuit, præmacerando hordeum: mox pinsentes manibus, ipsoque rursus pinsito, maceratio noua facienda, & cōterendum eo vsque, donec omnis cortex (si ita in rem præsentem iudicabis opportunum) sit expurgatus: quādoquidem, qui volunt illam magis detergentem interiorem corticem relinquunt. Obseruabis quicquid ex hordeo deciderit, in eum vsum, quem iam dicam. Hordeū hoc modo præparatum propriè crudam dixeris ptisſanam; quia iam pinsitum est, & à corticibus redditum est, pinsendo expurgatum: Galenus tamē crudam vocauit ptisſanam, hordeum anteaquā pinsatur, cōtundaturq́;. Verba illius sic habēt. Crudam ptisſanā aliquādiu in aqua præmaceratam; deinde in mortarium iniectam manibus conterere

Electio hordei pro ptisſana cōficiēda ex Hipoc. 1. de rat. vic. acu. 28. Gal. com. 28. & libro de ptisſana cap. 3. & libro de fac. alim. ca. de hordeo.

Gal. lib. 1. de aliment. & lib. de ptisſana. cap. 4.

Ref[ell]itur brassauolus.

Ptisſanæ præparatio.

Nota.

Ptisſana cruda quae.

terere

terere conuenit, asperam quampiam rem in se habētibus.] Animaduertendum est, si quis voluerit paratum hordeum cōseruare, vt possit, cum libuerit, coquere, debet asseruare omnē decisum corticem, & permiscere simul cum hordeo: quam rem Constantinus Cæsar, vel (vt alij dicunt) Dionysius Cassius author admodum antiquus ex Dydimi obseruatione scriptum reliquit his verbis: Hordeum purgatum, & decorticatum in sole siccato: vbi autem reponere ipsum voles, id quod ex ipso tenue in pinsendo decessit, ei aspergito; hoc enim ipsum cōseruat: Quia verò diximus, manibus pinsendum hordeum, nō pistillo, quo hordeum ipsum in minutas partes frangi solet.]

Constantinus Cæsar Dionysius Cassius Dydimus lib. 2. cap. 52.

10 Controuersa res videtur, an integrum hordeum, an autem confractum, vel in farinam tenuissimam redactum, coquendum sit: nam quidam agriculturæ scriptores dixerunt; Ptissanam ex farina hordeacea cōfectam habere maximam vim nutriendi: neque defuerunt ex Medicis Arabibus, qui hoc idem tradiderunt. At Galenus hunc præparandi modum vitio vertit cocis Romæ degentibus, dum ait: Video autem à cocis omnibus ptissanam pessimè præparari. In mortario namq; crudam ipsam tundentes, non ad ignem coquentes dissoluūt. Sunt, qui amylum etiam iniiciant, vt per coctionem in chylum copiosum videatur esse redacta. Talis certè ptissana meritò maximè est flatulenta, & concoctu admodum difficilis] & alibi quidem farinam humidam excrementosam, atque 20 flatuosam esse docuit. Oribasiū Medicum clarissimum integrum hordeum eligere, eius verba manifestum faciunt, quæ sic habent: Coquitur ergo donec hordeum crepet.] sed neque farinę, neque frustulis hordei id conuenire potest. Galeno subscripsit Auerroes, & Auenzoar inter Medicos Arabes minimè contemnendi. Dionysius Cassius Apher Vticensis eundem præparandi modum admisisse eius verba superius dicta ex Dydimi sententia manifestissimum faciunt, quamobrem constans sit opinio, nec farinam hordeaceam, nec contusum hordeum, sed integrum illud quidem eligendum pro ptissana.

Columella Isaach Az, arauius Alhabac. Galenus li. 1. de alim. cap. 9.

Lib. de attenuante victus ratione, & de cib. boni & ma. succi. Orib. lib. 3. ad Iulianum An. 5. col. 21. Aue. 1. thes. t. 16. cap. 6. Diony. Cass. lib. 2. cap. 32.

Iam verò præparatum hordeum coquendum est: Modus autem coctionis non planè constat. Plinii tempore diuulgata ratio erat coctionis huius, quam id-30 circo fuisse à Medicis prætermissam antiquioribus arbitror: ego tamen enitar, coctionis modum admodum dilucidè, nisi fallor, ex illorum decretis elicere. Imprimis autem, vel me tacente, illud cōstat, oportere aquam ipsam in qua fieri coctio debet, optimam esse, puram, lucidam, sinceram, leuem, quę facilius potata hypochondria penetret, atque facilè ad calidum, ac frigidum alteretur. Hæ conditiones optimæ sunt aquæ. Quæstio est non contemnenda, an fontana magis præstet, an autem pluuialis, cum quidam hanc, alii verò illam præferāt. Quia verò hic disputandi locus nō est, dicam duntaxat admodum breuiter quid sentiam. Pluuialem præ cæteris omnibus eligerem, quoniam tenuior est, magis agitata, celeriter calefit, atq; refrigeratur; & leguminum genus omne multò con-40 coquitur in hac ipsa citius, quàm in fontana: quam rem quotidiana experientia clarum facit: præsertim verò, quod pertinet ad ptissanæ coctionem, hoc vnum testari possum, in pluuiali optima maxima celeritate vidisse, me perfectè concoctam intumuisse penitus, & in cremorem haud absimilem chylo redactam: factoque postea periculo circa fontanam, id longiori tempore contigisse obseruaui. Quamobrem si optimæ pluuialis copiam habebimus, hanc operi destinabimus: sin minus, fontanam eligemus. Me non fugit de hoc argumento in Pontificatu Pauli Farnesii Tertii P. M. fuisse disputatum, Pontificiosque Medicos quosdam prætulisse fontanam; tamen quoniam rem aliter habere scio, eorum opinionibus prætermissis, opinionem dixi meam, quam fortasse aliquando per-50 suadere validioribus rationibus conabor. Interim nollem, Ludouice Pater admirari te, quod dixerim oportere aquam sinceram esse; quasi quod simplicem illam quidem, & ab omni permistione sēmotam collaudem in hominis vsum: hacq; de causa puram esse, atque perlucidam statuam. Ego enim minimè sic sentio: quemadmodum neque etiam sensere probatissimi quique Authores; cum çertè, quod simplex est atque impermistum, nutrire non valeat, & nullum

Plin. lib. 18. cap. 7.

Pluuialem aquā font. meliorem.

Andreas Turnius Pisciensis.

Galenus li. de ptissana. cap. 2. Hipp. lib. aer. loc. & aquis.

humanæ vitæ vsum afferre possit: aqua verò ipsa, quo fuerit minus permista, eo deterior est, vt ostendunt aquæ in montanis locis nascẽtes gelidissimæ ac limpidissimæ, sed sinceram vocaui citra permistionem rei cuiuspiam labefactantis naturam propriam, vt sine limo, sine aliquo inquinamento. Nomen à melle deductum videtur mihi quod sincerum dicitur, sine cera existens, quæ mellis naturam cõtaminat. Audi quid Galenus in proposito dicat. Ad hæc perlucida sit, & pura operæ pretium est, & nequaquam limosa, sed veluti exactè collata, nullis ramentis obsita, quę ipsam solent immutare. Porrò eiusmodi aqua, quo ad vsum quidẽ satis erit accõmoda: natura autẽ ipsa, neq; hoc pacto prorsus sincera fuerit, sicuti nec vllũ aliud sensilium elementorũ.] hæc satisfacient de aqua dixisse. 10

Gal. ibid.

Coquenda modo est cruda ptissana in vsum duplicem: vnus est propter sanos, alius propter ægros: coctio ptissanæ sanis conueniens est, vt eatenus concoquatur, donec plurimum intumuerit, ac inter coquendum, oleum, quod satis videbitur, adiicies, quod etiam si in fine addideris, coctioni nihil oberit: vbi fuerit in tumorem redacta, igem diminuito: amplius enim per ocium coquenda, donec videris ipsam in speciem cuiusdam chyli transmutatam: cum verò ignem diminues, acetum admisceto ea portione, qua gustui sapiat: & post exactam coctionem sub edẽdi tempus salem tenuem imponito. Hæc tota ptissana est cocta, cui aliud non addas, nisi velis aneti, aut porri quippiam, idq; initio statim immiscere. Pessima autem est ptissanæ præparatio, cui post leuem cocturam sireon iniiciunt: quidam etiam cum his mel quoque & ciminum imponunt, cinnum quendam verius, quàm ptissanam comparantes. Mel certè ptissanæ immiscere non est opus, nisi quis ea, quæ thorace & pectore continẽtur, studeat expectorare: in hepatis verò ac lineis affectibus ipsum admiscere non conuenit, nam horum viscerum tumores à sorbitionibus ipsis solis ex alica adaugentur; ac multo magis si cum melle eas paraueris. hanc autem ptissanæ præparationem potissimum sanis corporibus accommodatam esse Galeni verba significant, cum ait: Hæc autem nobis in præsentia de ptissanæ facultate suffecerint, non medendi rationem tradentibus, sed alimentorum duntaxat vires explicantibus; quamquam in sermonis transcursu ipsorum vsum quoque attigimus. 30

Gal. lib. 1. de aliment. fac. ca. 9.
Ptissanæ pro sanis præparatio.
Gal. ibidem.
Galenus li. de attenuãte victus ratione. cap. 6. Primo de facul. alimẽtorum. cap. 9.

Tota hæc ptissana, quod pertinet ad ægrotos, eodem modo concoquenda est: quin eodem etiam modo paranda est aceto, sale, & oleo: atque hactenus sanè non differunt: in eo duntaxat in esse discrimen videtur mihi, quod pro affectuum conditione nonnunquam alia quædam permiscemus. Addit Galenus piper, dum rationem docet curandi tertianam notham: mellis permistio non displicet illi, si viscidi humores expectorandi sunt ex pulmonibus, aut ex aliis thoracis partibus: at verò non satisfacit in hepatis, ac lineis affectib. Anetum, & porrum desideratur in ptissana, qua vtuntur ægroti: cuius hoc signũ est euidẽtissimũ, quod fastidientib. ptissanam, ius albũ admittit, in cuius cõditura addebat ille porrum, anetũ, sal, oleum, acetum, vt alio loco diligenter scripsisse memini. 40 Vbi verò de sanis loquitur, haud necessariò vtrunq; permiscet: nã inquit, Aliud tamen nihil miscendũ, nisi velis aneti, aut porri quippiam, idq; initio statim miscere.] Paulus Æginеta maximus alioquin imitator Galeni, sine porro, & aneto conditurã docet. Sunt qui amygdalas tritas dissoluunt, vt Alexander Trallianus, & Plinius, qui præterea, vt expectoratio fiat melior, hyssopo etiã vtitur cum ptissana. Alii verò simplicissimã fuisse ab Hippocrate descriptã, & ea semper pro acutorum morborũ curatione vtendã. Verùm enimuerò si petieris, quæ nã ratio conditura sit melior: inquam ego, prout variæ indicationes exequendæ sunt, sic profectò variorũ permistio vtilis esse potest: patauerim tamẽ communẽ illam à Galeno frequenter descriptam, nunquã esse prætermittendã, quæ constat oleo, 50 aceto, sale, aneto, & porro: queadmodum etiam ius albũ componitur: q; Galenus (vt dixi) pro ptissana substituit. Adest locus in hoc authore, qui omnẽ litẽ remouet, explanãs diligenter, quę cõueniat ptissana in ęgrotis, petito exẽplo ab iis, qui patiuntur febres in habitu: sunt eius verba referenda vt plurimũ vtilia. Sequi prædicta videtur, vt de nutrimenti facultate præcipiam: Sanè humidum esse ac

1. ad Glauc. 11.
Lib. de attẽ. vic. 6.
1. de vic. acu. 27.
1. de alimẽt. c. 9.
Lib. 1. ca. 78. Alexan. lib. 2. cap. 1. Plin. Lib. 5. cap. 13.
1. acutor. 27.

frigidum,

frigidum, quod hecticis febribus sit conducturum, nemo nescit. Eiusmodi verò sunt tum ptissanæ cremor, quum frigidus sumitur: tum alica similiter ptissanę cremori condita. Id verò est ex aqua, & exiguo porri, anetho; tum sale, oleo, & aceto] hæc ille. Veniret hoc loco explicanda caussa huius conditura, ne quid nostræ huic tractationi deesset, quod facere difficultatem posset: de qua cum alibi scripserim, hic, ne bis idem pertractem, silentio inuoluenda est: maximè verò cum quædam sic cogente tractatione sim infra dicturus. Nunc verò postquàm de tota ptissana pertractauimus, agamus de illius cremore: hũc sanè quidpiam diuersum esse à tota ptissana, non eius modo nomen ostendit, sed etiam vsus: etenim quando magis nutrire volumus, totam damus: at quando parum, & tenuem instituere victus rationem cupimus, illius cremore vtimur: Idcirco opus est, vt statuamus cremorem substãtiam quãdam esse tenuiorem; totam verò crassiorem esse. Hæc hordei grana optimè tumefacta, ac veluti in chylũ redacta continet: cremor verò, quod ex huius corpore linteo percolatur. Duplex autem fieri potest eiuscemodi percolatio: vna quidem, vt id recipiatur, quod ex linteo colatur per se: alia verò, quæ coletur addita expressione: illam verius ptissanæ cremorem, quam hanc vocarẽm: quia expressio illa adeò valida fieri potest, vt nihil ferè ex tota ptissana relinquatur, sed defluat omnis ex linteo, potissimum si latissimorum foraminum fuerit. Quamobrem dabitur gradus cremoris, quum alter magis, alter minus enutriat. Meminit Hippocrates ptissanæ colatæ his verbis: Cur in acutis morbis Medici quidam ptissanas non colatas perpetuò exhibeant, & rectè curare se existiment. Alii omnino contendant hordeum, vt nullum æger voret, subsecuturam inde, quæ insignis sit offensam veriti, sed cremorem linteo colatum porrigant. Alii verò neque crassam ptissanam, neque cremorem exhibeant.] Hactenus docuimus, tum quid sit cremor, tum quomodo paretur. Sed anteaquam ad aliorũ explanationem accedamus, sciendum est nostra ætate præparari ptissanam alio modo ab antiquorum præparatione satis diuerso: neque enim sal, neque oleum, neque alia id genus miscent, sed semina frigida maiora, cum amygdalarum dulcium succum, zucatum, cinamomum, penidia, piper, ac alia id genus miscent, pro varia morbi curandi indicatione. Nonnunquam etiam solemus cum hordeo incoquere radices graminis, & glycirizæ, agrimonium, & cicoreum, si iecinori, aut renibus opitulari voluerimus. sit igitur in medicorum arbitrio vtraque præparatio.

Lib. 11. methodi. ca. 11.

De cremore ptissana.

Cremorem colari posse dupliciter.

Cremoris gradus.

Hippo. 1. de rat. vic. acu. 13. t. ex Gal. in eodẽ cõ.

Verùm quoniam ptissana longam cocturam postulat, expendamus hoc loco, quantam hordei quantitatem, & quantam aquę adhibere debeamus: in qua re video authores non conuenire. Dionysii Cassii extat sententia, qua admonet aquam decuplam ad hordei partem vnam: vt si libram hordei ad coctionem assumamus, aquæ lib. decem pro coctione sufficiant. Huic adstipulatur Oribasius ad heminam vnam hordei decem infundens aquæ heminas. Paulus Ægineta dissentit ab vtroque: nam primo libro suæ medicinæ, dum agit de præparatione orizæ, quindecim partes aquæ, pro vna hordei parte assumit, suspicor eandem mensuram pro ptissana adhibendam, cum inuicem orizæ, ptissanæque præparatio, meo iudicio, non differant. Recentiores quidam putarunt neminem ex illis scopum ob rerum inexperientiam fuisse consecutum: idcirco dixerunt pro libra hordei aquæ libras 30. vel 35. assumendas, hacque ratione coctionem optimè succedere, cum nequeat in minori quantitate coctio fieri. Ego verò putauerim, non posse nos præfinitam quantitatem determinare: quandoquidem, quod accidit in ipsis leguminibus, idem in hordeo contingere compertum est. Nam illa quidem aliquando tardius, aliquando citius decoquuntur. Plurimum etiam facit aquæ conditio, in qua coctio fit. In pluuiali, minori spacio res optimè elixantur: in fontanis vero aquis longiori: & adhuc magis longo in fluuiorum, aut puteorum aquis. Eligẽdum est igitur hordeum coctile, quod tum soli ratione, tum maximè ipsa cognosces experientia, mox macerato hordeo, decorticatoq;, & coctione facta in pluuiali optima videbis libras decem, aut duodecim aquæ pro hordei libra sufficere; donec perfectè

De aqua & hordei portione in præparanda ptissana.

Dion. Cas. 3. cap. 9. Ori. ad Iulianũ lib. 3. Paul. Ægi. li. 1. cap. 78.

Brasauoli opinio refellitur.

Augenii opinio de quantitate aquæ pro ptissana cõficienda.

intumeſcat: quam rem hactenus pluries obſeruaui: quod ſi talem non fueris nactus aquam, nec hordeum, maiori quantitate indigebis.

Sic præparata ptiſana ſiue tota, ſiue eius cremor, optima eſt, cæterisque alimentis frumentaceis præponenda. nempè quia viſcoſitas eius, leuis continua, iucunda, lubrica, & mediocriter tumens, ſitim minimè infert, & ſi quid ablui eget, probè abluit: Non aſtringit, non malè turbat, neque in ventre tumeſcit, quia inter coquẽdum, quo ad maximè potuit, intumuit. Eſt autẽ in primis conſideratione dignum, cur condimentis omnibus frumentaceis ptiſſanam cenſuerit præponendam. Id quidem factum fuiſſe nonnulli contendunt, quia non eſt abſolutè omnibus melior alimentis, ſed quia inter alimẽta frumentacea primum locum habet. Hordeacea enim ptiſſana longè præſtantior eſt pro acutarum febrium vſu, quàm triticea, aut ex alio legumine præparata. Alia ſunt proinde alimentorum genera non deteriora, vt ius gallinæ, aut bulli, in quo licet etiam pro febre incoquere lactucam, boraginem, aut cucurbitulam; aut ſi morbus aliqua diuretica deſideret, radices, ſemina aut cicera, aut alia eiuſmodi facultate prædita: immo etiam neque deterius fuerit exhibere oua ſorbilia, ſaxatiles piſces. Addunt præterea antiquiſſimos, & quos à primis hominibus non longè abfuiſſe conſtat, magis ſolitos fuiſſe veſci leguminibus, fructibus, & oleribus, quàm carnibus: propterea medici quoque ptiſſanis per acutos morbos, magis quàm carnibus vtebantur. Ego vero non putàuerim id ea fuiſſe de cauſa factum. Proponit Hippocrates ptiſſanam abſolutè omnibus alimentis acutè febricitantibus idoneis: non quidem comparando aliis frumentaceis ptiſſanis. Quod hoc potiſſimum argumento poteſt, niſi fallor, perſuaderi; ſi maximè cõuenit hordeacea ptiſſana, ergo conueniet triticea, aut ex aliis leguminibus facta ſed minus. at verò quis aliquando propoſuit illa pro ſanatione acutarum febrium; obſtruunt illæ ptiſſanæ, aluum conſtipant, maxime flatuoſæ ſunt, nimis quàm par eſt, nutriunt: quam igitur vtilitatem præbebũt. lõgè melius quæſtioni ſatis fiet, ſi dixerimus, eam ſolam inter ptiſſanas conuenire: quia verò ptiſſanæ fiunt ex frumentaceis, ea propter horum meminiſſe: neque. n. fiunt alia alimenta pinſendo. Ergo ſola inter frumentaceas ptiſſanas, & præcipua inter omnia alimenta acutè febricitantium, hordeacea ſit in vſu. Neq; placet, quod gallinarum iura, pullorumque, licet alterata febricitantibus exhibeant: nam licet aliquo fortaſſis tempore cõcedenda, cum paulò pleniorem inſtituere viuẽdi rationem volumus, in principio ſanè, & augmento, & ſtatu non conueniunt: atque ſi comparatio fiat horum cum ptiſſana, huius commoda multa plura videbuntur. Poſtremo in omni ætate fuit ptiſſana vſitatiſſima, præſertim apud Romanos Galeni tempore; at ridiculum eſt, putare illos magis leguminibus, quàm carnibus fuiſſe aſſuetos.

Gal. l. de aliment. cap. 9. Hip. 1. de ra. vic. ac. text. 18. & Gal. in commentario.

pulli.

Hac de cauſſa nullum quidem inueniri poteſt alimentorum genus, quod morbis acutis æqualiter conueniat: nam cum febrem habeant annexam, & continuã, quæ conuerſio eſt natiuæ caliditatis ad igneum; ptiſſana refrigerans & humectans multum prodeſt. Deinde verò cum hæc ex humorum putredine oriatur, non paruam diligentiam adhibere oportet, vt quicquid ex ipſis concoqui poſſit, concoquatur, & quod iam exuſtum eſt, nec amplius concoqui poſſit, euacuetur. Quod ſi febrientibus ipſis cibi vſus ſit, qui hæc efficere queat, ſi etiã facilè tum concoquitur, tum diſtribuitur, iam omnia hæc, quibus opus eſt, habuerit. Quæ ſanè res ptiſſanæ conuenit, quæ admodum facilis eſt concoctu, & lubrica eſt, atque detergens, Thoracem pertranſiẽs, & nihil relinquens in partibus ipſis, dum tranſit: quod aliis rebus viſcidis rarò admodum in eſſe conſpicitur; quin ipſos ouorum vitellos ſi excipias, vix profectò aliud tale alimẽtũ inuenies: accidit hoc ptiſſanæ, quia viſcoſitas eius leuis eſt & cõtinua: porrò leuis eſt tũ ratione tactus, tũ potentiæ, vt Galen. ait, hoc eſt ꝙ ſi digitis tractetur, ſentitur leuis, & hauſta, aut admota cuique parti lenitatem affert, ac blandum ſenſum, non vt oleum, quod tactu leue eſt, verùm quaſdem partes exaſperat, vt oculos, & laringem: lentor igitur ptiſſanæ vtraque ratione leuis eſt. adiuuaturque

Gal. 1. de ra. vic. ac. 18. & 1. aph. 16.

Ptisana vires:

Explicatur ſententia Hippocratis.

que leuitas eiusdem ex oleo, quod eius præparationem ingreditur, siue sit onfacinum, quale in Agri Piceni maritimis oris fieri solet præstantissimum, siue magis emolliẽs, vti est oleum amygdalarum dulciũ, vt multis placere scio. Detergit etiam optimè, hac de caussa medici ad expurgandũ eum, qui in ventre infarctus est, humorem, vomitibus; exhibito ptissanæ cremore, veluti aqua mulsa, vtuntur: crudam quoq; conterunt ptissanam puerorum mangones: faciesq; illinunt, vt vitiosos cutis colores detergant. Est etiam ad deiectionem idonea ac distributionẽ, præsertim vbi ex sima hæpatis ac gibba transmeare debeat, quæ distribuitur alimonia. Ad hæc autem humiditatem habet temperatã tum sua na-
10 tura, tum ob sal ipsum, quod inspergitur: quæ humiditas multò maior est in ouo sorbili, & in melicrato, idcirco hoc aliquãdo languidum stomachũ facit, & supinum, quod nunquam contingere ptissanæ docet experientia. Est etiã gustui iucunda, tum quoniam sorberi potest, siue tota exhibeatur, siue cremor duntaxat: (masticatio enim & alimentorũ contritio, quæ fit dentib. ingerere solet ægrotis laborem (& quandam iniucunditatem) tum etiam quia sal alimentum condit suauiter. Si viscidi humores adsint circa naturales partes, aut spiritales, vel si vitiosi humores continentur, illos sanè optimè detergit, penetratq; vndiq;, adiuuante aceto, & porro, & aneto, aut aliis, quæ ex recentiorũ præparatione supra admonuimus. Ex his colligas velim quanto in errore versentur quidã Medici
20 nostri temporis, qui in ægrotorum cibatione adeò austeri sunt, vt nunquã illis concedant quicquam, quod sapiat palato, omnẽque prorsus varietatem ciborum deuitent: quinimo inuenies quosdam adeò morosos, ac seueros, qui salis in ferculis febricitãtium acutè, ne minimam partem permisceri volũt. Multò quidem secus antiquiores Medici pręceperunt, quorũ studium ferè fuit maximum gustui ægrotantium inseruire, in iis tamen rebus, quæ detrimentum aliquid piã inferre no poterant; aut certè, si inferent, illud sanè leue foret, & sine labore emẽdabile. Sic vides, Ludouice Pater, in acutis febrib. exhibere illos pisces saxatiles ex albo iure, q. constabat ex eisdem rebus, ex quib. ptissanã confici hucusque demõstrauimus. Simulq; hoc alimenti genus tanti fecisse veteres, vt vicis-
30 sim pro ptissana illud substituerent: at in vtraq; alimenti specie sal ingreditur, oleum, porrũ, anetum; quæ nõ modo valent pro alimenti iucunditate cõparanda, sed etiam morbificis caussis prodesse nõ mediocriter possunt. Hippocrates, qui iecit nostrę artis fundamẽta, posuitq; semina, hanc rẽ animaduertens in Aphorismis hęc dicit: Parũ deterior cibus, aut potus, suauior autẽ meliorib. quidem, sed minus suauibus est pręferendus.] Galenus verò ait: Non ob id solum hoc est faciendum, vt ægro gratificemur, sed etiam quia vtilius ipsi existit. Nam quæcunq; cum voluptate assumuntur, ista ventriculus amplexatur, & magis cõcoquit: sicuti illa quæ displent, refugit, vnde & nauseæ, & flatus, & fluctuationes subsequuntur: quod igitur in plurib. cibis bonos succos habentibus fit, quando
40 cum voluptate assumitur cibus, qui paulo deterior, nõ modo non manet deterior, sed quandoq; redditur melior] Neque huic opinioni contradicunt Galeni verba primo de ratione victus acutorum cõmentario decimo octauo, in quo sic ait: Quo fit, vt qui de concoctione scripserunt, ciborũ varietatem, præsertimque vbi variis constent facultatibus, nocentissimã dixerint, vtpotè quæ ingesta ipsa cõcoqui prohiberet.] Quia vbi simplex inueniri nequit alimentũ, aut medicamentum, quomodo satisfaciat variis indicationib. à morbi natura sumptis, opus est alia, velimus, nolimus permiscere: sicq; saluberrima est harũ rerum permistio. Quamobrem non est abstinendũ omnino à sale in febricitantium victu, quemadmodum neq; ab aliis, quæ gustu sapiant, si tamen morbũ non augeant.
50 Duo sunt errores in cibandis ægrotis maximè detestabiles: vnus est, quem diximus: alter verò huic contrarius, eorum scilicet Medicorum, qui nimium indulgent ægris: quos Galenus seruis emptitiis haud immerito comparat. Quamobrem illi laude sunt digni, qui sanè mediam quãdam cibandi rationem obseruant: sed de eiuscemodi erroribus dixi aliquando copiosius. Interim, vt eò reuertatur vnde digressa est oratio, concludimus cum Galeno, & Hippocrate nul-

Ptissanæ vires

Gal. ibid.

Rationes Ius albi ingredientium. v. pag: 5. D 4.

Aduersus medicos nimium seueros in ægrotorum cibatione. Nota

1. de ration. vic. acut. 27.

Hippocrates & Galenus lib. 2. aph 38. t. com.

displicent

Nota

Com. 18.

1. meth. medendi. cap. 1.

Primo de ratione victus in morbis à t.18 vsque ad finem.

uertatur vnde digressa est oratio, concludimus cum Galeno, & Hippocrate nullum excogitari posse præstantius auxilium pro curatione acutorum morborum ipsa ptissana, de quibus etsi vniuersaliter locutus fuerit Hippocrates, pro exemplo tamen proponit pleuritidem acutum morbum, volens, vt eadem de aliis omnibus intelligantur: in his vero quoniam quædam sunt difficilia, expedit diligentius narrare sententiam admirandi senis.

1. de ra. vic. acut. t. c. 42. 12. 43.

Sciendum est itaque, quod quamuis acutis morbis conueniat ptissana, tamen iis indiscriminatim exhibenda non est, cum pro accomodato illius vsu adhibere quasdam conueniat distinctiones maximè necessarias: harum vna est, si quis aluum habuerit nimium astrictam, diebusq; multis non reddiderit excrementa, inutilis huic est ptissana, donec cibũ ad infernas partes descendisse compertum fuerit, sed neque hoc suffecerit, nisi etiam si natura eiuscemodi excrementa non reddat, aut clystere, aut balano, aut purganti pharmaco subduxeris. non enim sarcinam addere oportet naturæ onere fæcum, aliorumque excrementorum præpeditæ. est hoc præceptum cõmune, quo admonemur ægrotos nunquàm fore nutriendos, nisi prius excrementa deposuerint alui, atque nisi fuerint expurgatę viæ communes, aut clysteriis, aut balanis, aut pharmacis, quæ lenientia debent detergentiaque in casu eligi, præsertim in morbis acutis, vt alio loco memini docuisse, & nunc etiam expono. propterea considerandum est, an æger venæ sectione, aut purgatione indigeat: quandoquidem plenitudo omnis vacuanda est, anteaquam adiicere alimentum conueniat ægrotis, quale ptissana est; tunc vigere nõ potest indicatio restaurationis facultatum corporis, sed potius exonerare illud oportet, aut à multitudine, aut à cacochimia: quam rem significauit his verbis Hippocrates. Præterea si lateris dolor assiduus est, calidisque fomentis non remittitur, sputumque non procedit, sed καταγλισχραινόμενον ἀσαπίσι, id est summe citra coctibilitatem glutinosum sit, nisi quid dolorem, vel alui subductione, vel secta vena pro vtriusuis exigentia soluerit: ptissanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem.] Hoc ipso contextu admonere mihi præcipuè videtur Hippocrates, quod dum morbus acutus viget, ac in extremo consistit, tunc victu tenuissimo vtendum est: quod accidit pleuritidi, quę non remittitur fomentis, doloreque continuo existente, citra sputum, hæc enim signa sunt in statu esse morbum, in quo tempore, vt idem author admonuit, abstinere oportet ab alimentis omnibus, potissimum verò nutrientibus, vt ptissana existit non colata: quin etiam abstinendum à cremore, modo tamen vires valeant: quarum conditio in exhibendis escis à Medico etiam, atque etiam venit perpendenda, imò multò magis videtur mihi indicare, in principio acutorum omnium morborum ex inflammatione fluxioneq; proficiscentium victu vtendum tenuissimo, donec fuerit expurgata, vacuataque materia generosis præsidiis. hæ diuersa, & repugnantia non sunt: quia alius est vigor morbi ratione fluxionis: alius ratione cõcoctionis humorum. Aliud etiam innuit hisce verbis Hippocrates, nempè, vt abstineamus à ptissana in lethali morbo, in quo scilicet nulla sit spes salutis. Hæc namque verba. Sed summè citra coctibilitatem glutinosum sit pleuritidis quidem signum non est, sed malæ, morosæ, ac lethalis: in qua cum vires ad extremum sint imbecillæ, opus est, vt etiam idem author in Aphorismis testatus est, ab alimentorum generibus omnibus abstinere. Non modo Galenus sic explanat sententiam in commentario, sed in libro de ptissana, dum ait: Neque enim eis, qui in discrimine sunt, porrigere cõuenit.] Quamobrem prius expediet sanguinem mittere, aut purgare morbo postulante, viribusq; admittentibus, anteaquam ptissanam propinemus. Sed quid agendum, si neque phlebotomia, neque purgatio cõueniet, quia multæ pleuritides indigere neutro videntur auxilio. Tunc inquam nihil impediente, audacter tum eius tota substantia, tum cremor propinandus, hoc modo, vt prius à sorbitione exordiamur, mox autem ad totam accedamus, cum ratio medendi inflammationibus pręsertim in principio existentibus, postulet, à tenui ad crassius procedendũ esse. Hic alia quædam perlustremus. In morbis siccis, cum indigeamus maiori hume-

Galenus lib. de ptissana cap. vltimo.

Ex primo Aphorismorum.

Ptissana sola in morbis siccis (i. superfluitatum nihil excernentibus) dari non debet sed cum melicrato aut vino permista.

humectatione, quàm à ptissana præstari possit, nõ vtemur sola, sed quemadmodum præcepit Hippocrates, mulsam prius dabimus, mox autẽ aliquot interpositis horis ptissanæ sorbitionem: decet enim proportionari morborum viribus, facultates medicamentorum: hic audiendus est Hippocrates, qui de tota re sic ait: Nempè, si morbus siccior, quam vt quispiam existimet, fuerit, non multum dare oportet, sed ante sorbitionem, vel mulsam, vel vinũ, vtrum magis auxiliaturum putaueris, propinari cõuenit.] Cæterùm morbus siccior variis dignoscitur modis, quamquam vniuersalem, cõmunemq; rationem habeant eandem: Peripneumonia enim, & pleuritis, atq; in summa, qui tum pulmonẽ, tum asperam arteriam infestant morbi, cum nihil ab affectis expuitur partibus. Iecinoris verò vel mæseræi, vel ventris, vel ieiuni, vel intestinorum, vel lienis, vbi aluus prorsus cohibita sit, aut pro necessitate excernat tum sicca, tum aridiora, & in sese conuoluta, spirasq; referentia excrementa. Morbi, tum arteriarum, tum venarum dignoscũtur linguæ siccitate, & ea, quæ totum corpus occupat ariditate. Phlegmones pari modo fiunt duræ in his, quę tum foris, tum cõspicuè apparent visceribus, vbi scilicet nulla ex his sanies effluat. Sępius & in oculis phlegmones etiam oriuntur nihil excernentes. Cerebri præterea ægritudines, quæ neque per nares, neque per palatum expurgantur, iure optimo siccæ dicuntur: & sanè superfluitatum nihil excernere, siccorum omnium morborum notam esse non ignoras. Igitur in eiuscemodi corporibus solam sorbitionem non dabimus, sed cum melicrato, aut vino, vt scilicet vtrisque perficiamus, quod cupimus, nempè corpus ipsum eatenus humectare, quatenus fuerit expediens pro conditione affectus curandi, idcirco Hippocrates haud negauit simpliciter sorbitionem: sed solius vsum interdixit, quantitatemque metiuit: nam ait, verum dandæ sorbitionis quantitas hoc obseruabitur pacto,] & infra pertractans de modo incrementi dicebat: At si os madescat, & quæ à pulmone expuuntur, talia sint, qualia esse oportet, sorbitionis quantitatem (vt dicam) summatim augere conuenit.] & Galenus libro de ptissana inquit: Cæterùm auctionem, & adiectionem sorbitionis in siccissimis quidem morbis fieri non conuenit, quod nimirum valentioribus indigent potionibus, quàm sit ptissana, vt scilicet magis humectentur.

1. de rat. vic. acut. 22. tex. & com.

Ex Galeni com. 22. ex libro de ptisana c. vltimo.

Morbi sicci qui dicendi? scilicet a quibus nihil debitè excernitur.

Nota.

Tex. 22. 1. acut.

Tex. 23.

Cap. vlti. & com. 23. 1. ratio. vic. acut.

Ratio.

Verum particulare tempus sorbitioni opportunum (neque enim hoc prætermittendum est) tunc fuerit, quando æqualiter dispositum corpus redditum est: ita vt haud quaquam hæc illius pars calidior, illa vero frigidior existat: hoc autem eo tempore erit, quo morbi declinatio (particularis scilicet) aduenit, non autem in principio, augmento, aut statu. Nam post ista quicquid est in corpore caloris, æqualiter in quacunque parte distribuitur. Plenitudo autem plurima non adest, neque multa humorum crassities: periculo enim & apud Hippocratem non vacat, multum & confestim repleri, paulatim igitur est adiiciendum,] hæc quidem in primo Aphorismorum sigillatim exposita sunt. Ad hæc autem meminisse consuetudinis debemus: etenim quemadmodum illud verissimum est, inter initia, neque multam, neq; admodum crassam dare oportere: sic pariter verum, tantum exhibendum, quantum consuetudo indicauerit. Proinde, qui bis die cibari consueuerunt, bis ptissanam dare oportet, qui semel, semel quidem primo die detur: deinde ἐκ περιουσίης, idest sensim, paulatimque si fieri potest, bis quoque detur, si quid putas adiiciendum. Sensim fiet res hoc pacto: semel quidem dabis, quod satis sit, sed minimum sit, quod secundo exhibeas: deinde paulatim augebis, idque efficies, donec ambas ęquari alimonias contigerit.] Cæterùm humida existente pleuritide (idem iudicium de aliis acutis morbis efficio) sorbitionis quantitatem augeto, & quanto maior fuerit expurgatio, tanto magis ad iudicationem vsque dare oportet: nam hæc celeritatem sanationis adiuuat. Qui hæc, quæ à nobis hactenus dicta sunt, obseruabit, recordatusque vniuersalium præceptionum fuerit, quæ scripta sunt in libro Aphorismorum, hic quidem in præparanda ptissana, atq; exhibenda, nunquam aberrabit.

Ex Hippocr. 1. Aphor. & 1. de ratione victus. acut. tex. 47. & Gal. libro de ptissana, com. 47. eod. 1. de ra. vic. acut. 21.

Tempus ptissanæ exhibendæ oportunum.

Quantum ptissanæ dandum?

t. 22.

Com. 22. 1. acut.

t. 23.

t. 25.

Ioannis Manardi opinio de ptiſſana libro 5. epiſtol. 2. 1 ratio. 54. pag. 20. 1. de alim. cap. 9.

Verùm, quia non deſunt Medici, & magni quidem nominis, qui à ptiſſanæ vſu abſtinent: opus eſt, vt hoc loco illorum ſententiam examinemus. Putant eos potius aberrare, qui plerunque, quàm qui nunquã ægrotis hodie ptiſſanam exhibent: primum, quia inſuetum eſt alimentum, & iniucundum noſtro ſeculo, & regione: inſuauem eſſe eiuſcemodi cremorem ſupponunt, tanquam manifeſtum, cum non deſint alimenta, quæ minus ægris diſpliceant. Inſuetum autem exiſtere non videtur controuerſum, quia antiquiores vtebantur ptiſana tanquam ſanorum alimento, vt ex Galeni monumentis colligere poſſumus: idcirco multò melius eſſe docent, vti aſſuetis alimentis, quæ à natura facilius concoquuntur: abſtinendum ab inſuetis, quæ abhorrentur. *2. Ratio.* Deinde verò, quod morbi magna ex parte nunc contingant, quibus neque iudicio Hippocratis danda eſt: hi quidem in vniuerſum ſicci ſunt, vt pleuritis, peripneumonia, & in totum thoracis morbi, in quibus nihil expuitur: *Cap. Vltim.* vt etiam in aliarum partium affectibus, in his omnibus, vel nequaquam, vt Galenus libro ſuo de ptiſſana, vel non ſola eſt danda, vt Hippocrates ipſe primo libro de victu acutorum morborum teſtatus eſt. *3. Ratio.* Nõ omnibus etiam morbis acutis, & non ſiccis, etiam aſſuetis eiuſcemodi ſorbitione vtendum eſt, quoniam non iis, in quorum ventriculo aceſcit, vel qui, ea guſtata, ſtatim nauſeabundi fiunt, vt libro ſeptimo artis curatiuæ docuit Galenus, *ſſ. 20.* & iterum primo libro artis curatiuæ, ad Glauconem, vbi & panem ex aqua commendauit, & accurate eius verba perſcrutantibus arbitrandum Medico reliquit, quis cibus in continuis, & acutis febribus exhibendus. *4. Ratio.* ait enim: Et panis ex aqua, & quæcunque alia eandem, & ſimilem vim habent.] *ſſ. 30.* Mox autem, & quibus dãda maximè eſſet, vix hoc tempore dari poſſet: quandoquidem nec hordeum habemus ad eam conficiendam idoneum, nec coquos, qui parare rectè nouerint. De hoc enim & ipſe Galenus conqueritur, cuius tamen temporibus in nobilium quoque cœnas veniebat: quanto minus noſtri ſcient, qui & nomen ipſum ignorant, pauciſque inuenias Medicos, qui eos docere ſciant. *Ibi. pag. 40. 5. ratio.* Addunt nunquam potuiſſe tantum docendo laborare, vt rectè paratam videre potuerint: in qua ſcilicet hordei diſcreta inuicem grana, contra ipſius Hippocratis præſcriptum, maſticationem non deſiderarent. Quod non ſolum ignoratione artificum, ſed & malignitate hordei euenire credendum eſſe profitentur. *6. Ratio.* Apud nos enim, non ad hominum (aiunt) ſed ad brutorum potius eſcam hordea ſeminantur. Vnde fit, vt non ſeligantur magnopere grana ad ſementem, incuriosius verò ager, vel terrenũ & eligatur, & præparetur, natumque à malis herbis non emundetur, nec in area ſatis cuſtodiatur, nec in horreo benè conſeruetur, atque (vt benè ſequens eſt) à boni hordei conditionibus longè abſit: *Fol. 56. 10.* quod etiam anteaquam coquatur, cognoſci poteſt. Videmus enim eius grana ſordida, leuia, rara, rugoſa, exigua, & ſi magna quædam reperiantur, laxa eſſe, & mollia, & ſuperfluò humida, à multiſq; dum franguntur, puluiſculus quidam inſtar calcis euolat, & fuſcedo potius quædam, quàm albedo intrinſecus apparet, tetrioris odoris, ſaporeq; quando cocta fuerit, iniucundo. Quantum verò ptiſſanæ deeſt ſuauitatis, tantum & bonitatis. Adhibent etiam experientiam, vt bono hordeo nos carere oſtendant, his verbis: Sed experientia quoque nos bono hordeo carere oſtendit, quando & ſero, & vix aqua madefactum in tumorem attollitur, neque vnquam totum in ſuccum conuertitur: vnde fit, vt ptiſſana ex eo parata laudes Hippocratis amittat, & meritò: quoniam inſuauis, maſticatione egens, non lubrica, durior, & propterea concoctu non facilis, inflanſq;, ex hordei malignitate, & coquorum ignorantia fit. *7. Ratio.* Sed eſto bonus coquus, bonum & hordeum, tanto tamen tempore eger, ſi bene coqui debet, vt cibãdi hora, quæ præceps in acutis eſt, ante plerunque tranſeat, quàm parata ſit,] hæc illi quidem de ptiſſana ſummatim tradiderunt.

Augenii opinio contra Manardũ. Ptiſſanæ vſus multiplex.

Ego verò quamuis plurimum debeam eorum doctrinæ, & mecum certè omnes debeant, coactus tamen ipſa veritate, ab illis diſſentio. Quandoquidem ſum opinionis huius, vt putem ptiſſanam non modo acutis omnibus morbis, iis obſeruatis diſtinctionibus, quas noſti, conuenire, ſed etiã diuturnis quibuſdã morbis pro corrigenda ſiccitate corporis, pro abluendo ab vl-

ab vlceribus pure, atque pro detergenda pituita à ventriculo, aliisq; partibus, ad quas peruenire eius facultas valeat, medicamentum esse nemini secundum. Hæc possem sigillatim explanare diligentius, sed tamen prætermittẽdum est, ne quod prouerbio dici solet, noctuas Athenas. Tu, qui certè artis vsu præstas, hæc habes in propatulo. At prætermittere non possum, & si possem nõ debeo, sic postulante tractationis propositæ dignitate, responsionem ad omnes difficultates hominis huiusce clarissimi, quibus etiam Medicus disputans mecum niti videbatur; sic enim ipso in negotio nihil erit, quod faciat cõtrouersiam.

Rationum Manardi solutio.

Dicamus itaque, ptissanam non esse insuetum alimenti genus, atque si esset, 10 propterea non rectè concludi, pro morborum curatione adhibendam nõ esse, quia hordeo multos vti pro legumine testari possum, qui viderim Patauii frequentem illius vsum esse, quo tempore sub Montano Veronensi, & Francisco Frizimelico Medicis clarissimis medicinæ studio incumbebam: Audiuimque apud alias nationes eandem consuetudinem inoleuisse, si quidem facilè persuaderi potest, vt antiquis esset etiam alimentum, eodem modo nostra ætate familiare existens, morbis aduenientibus tuto vsurpari posse. Sed pone sanitatis tẽpore nostro æuo insuetum cibum extitisse, an ob hanc causam rectè concludemus ægrotis cibum accommodatum non esse? Quot enim alimenta dãtur ægris, 20 quorum nullus erat per sanitatem vsus? quot ciborum præparationes docentur, quæ per sanitatem vitantur? An sani vtuntur oximelite? an decoctis detergentibus, alterantibusque, quos ægris quotidiè magno commodo propinamus? an alimentum hoc tempore assuetum est ius album? quod videtur admittere ille quidem, cum interim non obseruauerit (quod miror plurimum) ex rebus eisdem ptissanam, & ius album præparari in eo duntaxat existẽte differentia, quod illud hordeum, hoc autem pisces saxatiles habeat pro materia? Quis contusam carnem admittit pro cibo sanorum? aut panem ex aqua lotum? Alimentorum (dicet) fit mentio, non medicamentorum. At vide primum, quod ptissana alimentum existit, & medicamentum simul: quatenus alimentum nutrit: vt medicamentum detergit, abluitque, ac alias commoditates exhibet dictas: Pone autẽ 30 solum esse alimẽtum: quæstio sit an alimentis vtẽdum solis, quibus per sanitatẽ assueti sumus: an autem insuetis. Dicerem, si æqualis vtilitas amborum est, expedire tunc magis consuetudinẽ obseruare: at si inæqualis, illi præcipuè incumbendum, à quo maius expectatur commodum. In qua re etiam, atque etiam obseruandum ne insueta alimenta habeant adeò ingentem insuauitatem gustui, vt assumi non possint: hoc enim magnum est malum, quo vẽtriculus læditur, appetitioque prosternitur. Si hæc vera sunt, quod nam quæso inuenies alimẽtorum genus, quod tantam afferre possit in acutis morbis vtilitatem, quantam afferre solet ptissana; Nullum certè (nisi decipior) inuenies huic conferendum. Rursus admiror plurimum, quod dixerit non esse alimentum iucundũ: nam si experiri 40 voluisse aliquando ptissanam aceto, oleo, sale, aneto, porroque præparatam, sciuisset, suauissimum esse alimentum, quod ego testor, qui, vt scis, te præsente, & gustante haud semel periculũ feci, ac etiã facere possunt, qui volent: tunc enim benè præparatam, scient totam ipsam ptissanam non indigere masticatione aliqua, sed deglutiri illam citra laborem, quamuis in nostra situm sit potestate pro varia coquendi ratione parare illam magis, ac minus sorbilem.

Manard. pag. 54. lin. 40.

Alimentis insuetis, an assuetis vtẽdum magis.

De ptissana iucũditate.

Responsio ad secundã rationem.

Quod in siccissimis morbis adhibere distinctionem oporteat, qualem ex Hippocrate demonstrauimus, id vtique veritatem habet: atque hac de causa, qui passim vtũtur citra præmeditationem, plurimum aberrãt: hic tamen obiter admoneo, Hippocratem non negasse ptissanam in sicco morbo: sed voluit me-50 licrati potum præcedere ad maiorem humectationem faciendã. Galenusq; libro huic tractationi dicato, senis mentem explicans dixit, in eiuscemodi morbis ptissanæ incrementum, auctionemque non esse faciendam: hæc enim sunt eius verba: Cæterum adiectionem, & auctionem sorbitionis in siccissimis quidem morbis fieri non conuenit: quod nimirum valentioribus indigeant potionibus, quàm sit ptissana, vt scilicet magis humectentur.) Diceret hoc loco fortasse ali-

Lib. de ptissana capite vltimo. Contradicitur Galeno.

quis, Galenum ſibiipſi opponi, nam parum infra dicebat: Igitur in eiuſcemodi morbis ptiſſanam haud quaquàm conficere cōueniet: quippe quæ eos ſatis humectare non valeat. Immo cum eos vehementiori humectandi qualitate egentes parum humectet, adhuc etiam repletionis noxam corporibus inferat.] hæc ille: quæ manifeſtum faciunt non modo ſibi ipſi contradicere Galenum, ſed etiā Hippocrati, qui, vt clariſſimè patuit ex dictis, de ptiſſanæ quantitate locutus eſt.

Augenii ſolutio ad difficultatem propoſitam.

Putauerim in hunc modum ſatisfaciendum difficultati. In morbo admodum ſicco dari poteſt ptiſſana cum melicrato: dari etiam poteſt ſolum melicratum. Quamobrem facere ptiſſanam non debemus eo conſilio, atque indicatione, vt ſolam exhibeamus: quia citra ptiſſanam in acuto morbo ſicco poſſumus melicrato ventes tantam humectationem facere, quantam volumus, ptiſſana ſola non conducit, quia non humectet, vt poſtulat morbus, qui indicat maiorem humectationem & deterſionem, qualis fit ab aqua mulſa, aut vino: adde quod cū nutriat, morbo ſicco exiſtente, nutrimento non indigemus, ſed eo quod naturā grauatam exoneret: quod facit melicratum adiuuando celerem diſtributionē exiguæ illius ſorbitionis: difficultatis ſolutio in hunc modum explicata; Galeni ſententiā ab omni vindicat contradictionis labe. Poſtremò ſi admittatur, licere omnibus morbis ſicciſſimis abſtinentiam ptiſſanæ: non videtur mihi eius vſum debere ab operibus medicis eliminari: quia, ſi in his haud expediet, aliis opem ferre poterit quampluribus. Duo ſunt extrema, Ludouice Pater, in hac re conſideranda: quorum vtrunq;, ſi benè conſidero, vitioſum eſt: vnum eorū, qui ſemper & citra diſtinctionem in omnibus vtuntur morbis: alterum eorum, qui nunquam: illi quidem iudicio carere videntur mihi: hi verò malè imponentes antiquitati ægrotos plurimis vtilitatib. priuant: idcirco optimū eſt in quibuſdam exhibere ptiſſanam, & in quibuſdam abſtinere, prout neceſſariū eſſe prudens Medicus iudicauerit.

Solutio 3. rationis.

Conſimilis eſt ſolutio (vt ad tertiam rationē veniam) cum ſuſpectum eſſe medicamentoſum hoc alimentum putant iis, quorum in ventriculo aceſcit, aut cū nauſeabundi fiunt poſt ſorbitionē. Nam ego id admitto admodū libenter, cum ſciam, hoc non infringere opinionem meam, quinimo ſententiam omniū veterum ſcriptorū confirmare. Dementes eſſent, qui ſanè cum hiſce circumſtantiis admitterent ptiſſanam, cum id non mederi eſſet, ſed occidere. Sed videre non poſſum, quid ſequatur incommodi ex eiuſcemodi poſitione cōceſſa iis, qui ptiſſanam exhibent ægris cum oportuerit.

Solutio 4. rationis, & quinta.

Ptiſſanam coqui Galeni tempore malè pręparabant, fateor. Sed maximæ habendę ſunt gratiæ Galeno docenti ea, in quibus erraſſe illos deprehendit: nunc cum illius ſtudio, ac diligētia omnia dilucida contingāt nobis, coqui & fęmellæ ferè omnes illam præparare ſcient: & ſi quę difficultates occurrant, nō deerunt Medici (quemadmodum neq; defuerunt aliis temporibus) qui edocere poſſint: admirationeq; non mediocri dignum eſt, quod dixerint ſe non vidiſſe aliquando benè paratum alimentum: nam ſi diligentiam adhibuiſſent, vidiſſent quidē, vt obſeruarunt, qui ſtudium ac operam adhibere voluerunt.

Solutio 6. rationis Manardi.

Neq; rurſus concludunt, quæ ab eiſdem de hordeo, ſexto loco propoſita ſunt: nam in regionib. noſtris optimū habemus hordeum, plenum, graue, albiſſimū, magnum, farinæ plenum: quale fortaſſe Ariſtophani, & Hippocrati Achileium dicitur, vt Galenus interpretari ſimul cum Theophraſto videtur. Neq; hoc rarum eſt, ſed admodum frequens, potiſſimum in regionib. montanis, in quibus obſeruaui hordeū ſummæ bonitatis, atq; perfectionis: quæ verò de negligentia in ſerendo, & in horreis reponendo, ac etiam in ſolo præparando, eiuſq; bonitate eligenda, dicunt, quàm longè diſtent à vero, aut parum ad rem faciant apud omnes in confeſſo eſt, qui rem contemplari æquo animo voluerint.

In Ranis. Hip. lib. 3. de morb. Theo. 8. de hiſtor. plant. 4. 3. de com. plant. 17. & Gal. in expoſitione linguar.

Solutio ad 7. rationem Manardi.

Quod poſtremo loco de ipſa exhibendi occaſione dicunt, mihi haud placet: nam ſupponere oportet Medicū natura prudentē, ac doctū: q̄ talis extiterit, morbi conſtitutionē cognoſcens, victum inſtituet opportunū, quo cū poſſit vſq; ad vigorē perdurare: Hic ſi prima die præparatam habere ptiſſanam non poterit,

habe-

habebit saltem secunda, atque aliis deinceps diebus subsequentibus: idcirco videre nõ possũ, quomodo occasio sit adeo præceps, vt hæc citius prætereat, quàm quod detur alimentum. Et hæc de ptissana sufficiant.

De aqua hordei. Quorum inuentum. Relinquitur modo, vt de aqua hordei dicamus. Græci authores (quod ego sciam) aquæ hordei nunquam meminerunt: inuentum fuit Arabum: quamuis suspicari iuuat, sub nomine aquæ hordei ptissanam etiam illos inclusisse. Id mihi persuadet, quod apud Auicennam inuenio, aquam hordei, in qua de illius corpore nihil ingreditur: & in qua corpus hordei continetur. Hæc certe fuerit ptissana. Sed vtcunque res habeat, sciendum est, Arabes non vno, simplicíq; modo 10 eiuscemodi præparasse decoctum: cum quidam hordei quantitatem, alii vero aquæ augeant, ac diminuant. Caussam huius varietatis putauerim fuisse scopos, & intentiones diuersas, quas proposuerunt sibi. Nam si magis in animo fuerit refrigerare, minuendum hordeum, augenda est aqua: si cõtra nutrire potius volumus, quàm refrigerare, augendum hordeum fuerit: eodem etiam modo componere discordam possumus authorum de varietate coctionis. Nam Auicenna ad quintam partẽ decoquit: Mesues ad medietatem, vel ad partes duas: Isaac vnam ex tribus relinquit. Etenim qui plurimum concoquunt, nutrientẽ illã quidem facere desiderant: qui verò parum refrigerantem duntaxat, ac detergentem: qui mediocrem cocturam efficiunt, vtrunque scopum in animo ha- 20 bent. Modus communis est ab Auicenna descriptus, vt in libra hordei sint aquæ lib. viginti, coquatur donec ex quinque partibus remaneãt quatuor. In ipsa verò coctione aduertẽdũ, ne fiat igne valido, & in vase æneo, aut stanneo, aut quo plumbo participet: phialam vitream eligito. Vsus huius aquæ multiplex, nempe refrigerare, humectare, sitim arcere, sudorem prouocare, tepidam vomitum ciere creditur, adhæc autem nutrire. Obest plurimum refrigeratis corporibus scirro hepatis, lienisque, & flatu abundantibus immoderatus eius vsus lienem plurimum adauget. Aliud etiam obseruandum, singulo quoque die præparandam, aut, quod summum erit, tertio: nam quamuis diligentiam adhibeas, vt pura conseruetur, tamen putrescit facilè, ac diu perdurare non potest.

30 Hæc habui, quæ de proposito argumento, Ludouice Pater, conscriberem, vt tuis præceptis obtemperarem, tu hæc (qualiacunque sint, exigua enim esse non dubito) ea fronte accipias velim, qua me præsentem soles recipere: tibíq; persuadeto, me tuum iudicium, (quod præstantissimum cognosco) plurimum desiderare. Cura, vt valeas, & meo nomine cũ primis matri, mox verò fratribus carissimis salutem plurimam dicito. Vale, ex Vrbe Roma die 28. Ianuarii 1558.

EIDEM.

EPISTOLA SECVNDA.

IN QVA OSTENDITVR, QVOD NON TVRGENS materia aliquando à morborum principiis expurganda sit. 40



IAM ego mihi ab ineunte ætate, tua potissimum institutione, Ludouice Pater, studiorum meorum rationem elegi, vt prætermissis omnino sectis, nihil prius, & antiquius haberim veritate: qui enim nimium addictus magistro, tueri semel conceptam opinionem mordicus voluerit, hic perpetuò litigans, nihil verè sciet: at verò qui duce ratione ipsa, atque methodo (pro more maiorum) non curans propriam cognitionem, & scientiam ambitiosè ostentare, veritatis studio fuerit addictus, hic verè sciens, inuenit ipsis in artibus multa vulgo prorsus incognita. Mihi quidem in- 50 uenire aliquid eorum, quę nõdum inuenta sunt, quod ipsum notum, quã occultum esse præstet, scientiæ votum, ac opus esse videtur: similiterq; & semiperfecta ad finem perducere, & absoluere. *Hippocrat. lib. de artẽ in princ.* Hac de caussa factum est, vt dieb. præteritis laborauerim plurimũ, vt eã difficultatẽ, quę latinos omnes exercuit, an medicamentis purgantib. materia nõ turgens à morborũ principiis ducenda sit, quantũ in me esset, dilucidarẽ, & absoluerem: Videbam.n. varias esse de hoc argumento

qua:
vsus } Aquæ
noxa } hordei.

Medicorum sententias, illos huc & illuc Euripi more agitari, certis rerũ principiis minimè obseruatis, in tantã plerunq; confusionẽ peruenire, vt quiduis aliud potius, quàm veritatem cognouerint. Ego igitur, primũ, vt mihi prodessem, artem facturo: mox autem, vt aliis (si tu iudicabis dignam lucubrationem, quæ in aliorum manus perueniat) perbreuem hanc tractationem cõscripsi, qua doceo, quando conueniat à morborum principiis, & quando minus, purgare humores minimè turgentes. Legito hanc libenter eo potissimũ animo, vt corrigas, emendesq; pro tuo arbitratu, queçunque reprehensione digna videbuntur. Quandoquidem tuum est prorsus quicquid ex meis laboribus adueniet, siue laudis, siue dedecoris, cum te parente optimo institutore, perfectissimoq; duce conscripta sint. Quod si feceris præter quàm quòd id efficies quod ad te pertinet, erit mihi adeò gratum, quàm quod gratissimum. Sed ne te pluribus negotiis occupatissimum amplius detineam, iam iam ad quod sum pollicitus, aggredior.

Hanc eandem materiam examinat Manard. lib. 13. epist. 1.

Primum omniũ necesse est, vt de quorundam nominum significatione trãsigamus in quibus opus est conuenire omnes de proposita materia disputantes. Dicamus priori loco, quid purgantium medicamentorũ nomine audiendum, quid principium significet morborum, quid turgens, & non turgens materia: Mox autem disputationem dilucidabimus: Postremò dubitationibus omnibus satisfiet, quę contra nostram opinionem in medium afferri solent. Hac incedentes via, obseruabimus ordinem, pro quæstionis dissolutione accommodatum.

Quemadmodum triticum ab hordeo, ab auena, ab infęlici lolio, aliisq; id genus inquinamentis, quorũ permistione reddebatur impurũ, segregãtes id ipsum purgare dicuntur. Sic profectò sanguis, quorundã excremẽtorũ præsentia coinquinatus, dũ eiuscemodi excremẽta, & coinquinamenta educũtur, dicitur purgari, idest purior reddi, atq; sincerior. Quęcunq; igitur medicamẽta id opus perficiunt in sanguine, purgantia nuncupantur. In ore habent omnes purgatoriam facultatẽ, haud tamen omnes perinde intelligũt, vocabulum duas habere significationes. Aliam communem omnium, quæ quouis modo animalis excremẽta purgant: aliam, quæ per excellentiam, de iis tantummodo dicitur, quæ aut per vomitum, aut per ventris deiectionem purgant. hæc verè purgantia dici solent: nam quæ crassis, lentisq; humoribus extenuandis, aut vrinam ciere possunt, aut ex pectore, pulmoneq; eiiciendis excrementis auxiliari, purgant sanè & ea quidem, quodammodo, verum antedictis nõ similiter nuncupãtur, sed alia vocantur vretica, alia betica, alia menses mouẽtia, hac re à superioribus diuersa, quod non habent vim familiarium excrementorum attractricem, vt illa, quę vnum, aut duos, aut etiam (si contingit) tres humores vi propria attrahentes ducunt. Nos itaque purgantibus aliis medicamentis prætermissis, duntaxat de iis loquemur, quæ verè talia sunt, neque solum de purgantibus per inferiorem sedem, sed etiam de iis, quæ per vomitum ducũt, instituta tractatio est. Obseruatione tamẽ dignum, antiquiores plerunque fuisse validioribus medicamentis vsos, quã nostris temporibus consueuimus, & fortassis Arabes vterentur: nam peplium, scamoneum, helleborum album, atque nigrũ, colloquintidem, ac id genus alia maximè calida, & sicca adhibebant, quæ hodie passim deuitantur. Idcircò mirum non est, si igneæ naturæ cum fuerint, rarò conuenire dixerint, & ex longis interuallis, atque cũ premeditatione: habemus enim purgãtia pharmaca admodum mitia tam simplicia, quam composita: atque in vtroque genere quædã frigida, quędam calida, sed tamen frigidorum permistione adeò diligenter correcta, vt nullum fere ex illorum vsu aduenire possit incõmodum: horum quædam prodiderunt nobis Arabes, quædam Latini, quædam Græci, à quibus vera semina deprompta sunt, veraque componendi methodus. Præstat autem hoc loco, quædam dicere de medicamentorum purgantium differentiis, non omnibus quidem illis, nam in immensum prodiret tractatio, sed de potioribus, quæ proposito nostro conueniant. Quamobrem sciendum est, differentias nostro accommodatas proposito à tribus potissimum desumi: A viis videlicet, ex quibus fit purgatio: Secundò ab ipsa materia expurganda: Tertiò à medicinis purgantibus.

Hip. 2. de ratione Vic. 2. de morb. & 3. ac passim.

1. Aphor. 23. & 3. Aphor. 15.

Medicamẽtorum purgantium differentia, à quibus fontibus petũtur.

1. 2. 3.

tibus. A viis quidem in hunc modum: Viæ, ex quibus deducitur humor, vel sunt communes latè patentes à ventriculo ad sphintera: vel distantissimæ sunt partes, vt articuli, & corporis superficies, vel medio quodam ordine continentur. Hinc purgãs pharmacum aliud primas vias expurgat, aliud à partibus distantibus ducit peccantes humores; aliud verò à partibus intermediis attrahit. De priori hac differentia, Galenum fuisse locutum non ambigo, dum ait: Reliquum igitur est, vt exponamus, quemadmodum curari succus vitiosus debeat, qui in ventriculi tunicis est receptus; sint porrò ad eiuscemodi affectus idonea pharmaca, genere quidem ea, quæ modicè purgant, sic, vt eorum vis supra ventriculum, & intestinorum loca non ascendat: aut si quid vltra vasa tantùm in mesenterio contangant.] ac rursus. Euacuatio igitur affligentis humoris per solam aloem contingit, quæ purgatoriam vim non fortem habet: sed, vt ea, quæ circa aluum sunt, quæ etiam contingit, purgare possit: & si aliquando maiori pondere exhibeatur, vsque ad locos secundum hepar conscendit, non tamen totius corporis purgatoria aloe existit.

Septimo meth. cap. 11.

8. de cõ. medicam. loc. cap. 2.

At verò si humorem purgandũ contemplemur, tres similiter differentiæ consurgunt: quandoquidem hic aut labilis est, atq; fluxibilis, vel contra purgationi renitens; vel mediocriter habet. Idcirco medicamentum aliud ad fluxibiles, aliud ad contumaces, ac rebelles, ac tandem aliud ad mediocres adhibetur. Audias in horum confirmationem Galenum. Quod autem scopus illi sit (inquit) nõ solum alimenti excrementa subducere, verum quoq; locum passim expurgare, palam est.] vides exhiberi pharmacum ad materias labiles vacuãdas, qualia sunt alimenti excrementa. Et alibi. Vt igitur (ait) hæc citius eueniant, melius est circa principia vacuare, quo minorem iam factam materiam facilius possit natura cõcoquere.] vbi sanè, vt constans est, omnium opinio de cõmunibus excrementis loqui non potest.

2. differẽtia.

4. de ra. vic. acut. 20.

2. aphor. 29. com.

Postremò differentiæ desumptæ à pharmacorum substantia tres pariter existunt: nam hæc vel habent facultatem aluum duntaxat leniendi, non autem peculiarem aliquempiam succum attrahendi: Vel cõtra facultatem possidet attrahendi vnum, aut duos, aut tres si cõtingit, humores, vel partim virtutem habet attrahendi, partim leniendi. Has differẽtias ex Galeno, & Hippocrate obseruaui. Paritur fluxibilitas iis (inquit Galenus) quæ per sedem excerni habent, mulsa, & cibis his, quæ ventrem liquant; & pharmacis iis, quæ modicè protitare possunt: quæ.n. acriora sunt, vitare oportet, quoniam phlegmonem accersunt] ac rursus. Verùm si murmurauerit venter, fuerintq; excrementa biliosa, scamonio mediocriter purgato.] Hippocrates alibi sic ait: Cum verò reposueris molle, ac lene veratrum propinato] quid autem per molle, ac lene veratrum intelligat, quamuis Galenus se nescire fateatur in eius loci commentario, alibi tamen videtur mihi ab eodem fuisse declaratum, dum ait: Nam de quibuslibet fortib. ad mediocritatem redactis medicamentis in hunc modum loquitur: quam vtendi rationem de prædictis pharmacis dixero, ea ad alia omnia, quæcũque, fortem vim habent transferre oportet, nõ. n. statim à principio efficacissima adhibere conuenit, sed à debilioribus auspicari: quin & ipsa fortia pharmaca mitigatoriorũ admistione lenita, moderata fiunt] idem à Galeno passim declaratum inuenies in cõsilio de puero epileptico: quarto de ratione vic. acutorũ, & de ratione curandi ad Glauconem: singulos locos non prosequor, ne ambitiosè nimis rem explicare videar. Concludamus itaq; dari medicamentum aliquod purgans, quod tantummodo vias cões expurgat, lenientemq; facultatẽ habens excrementa ducit cõia. Aliud quod vacuat à distantissimis partibus, humores cõtumaces, propria vi attrahẽte particularia excrementa: Rursus tertium concedatur genus medicamẽtorum, quod à mediis regionibus humores, nec plurimum rebelles, nec plurimũ labiles ducit, facultate præditum partim leniendi, partim attrahẽdi. Si quis hoc loco petierit, quomodo nuncupentur hæc medicamenta ab Hippocrate & Galeno, ingenuè sanè fatear, me nondum inuenisse nomen aliquod à Græcis fuisse inditum: at Latini videtur imposuisse nomina, vt Lenitiuum, Eradicatiuũ, & Mino-

3. differentia.

11. meth. capit. 19.

4. de ratione vic. acut. 73. 1. de fracturis 48. Galen. 2. de comp. medi. loc. cap. 1.

Coment. 18. ca. de 4. terna

Lib. de sim. fac. 4.

ratiuum. Ego parum curo, quo nomine quis vtatur, modo hic rerum naturã habeat, quia nunquam, vt Galenus ait, artis finem attingunt, quicunq; totã vitam in litigãdo de nominibus conterunt. Quemadmodum præcipuè faciunt, qui de eradicantibus medicamentis litigant vsq; ad satietatem, ignorantes, quod de solis nominibus disputãt. Nam si rem ipsam fuissent, vt par erat, in tanta re diligẽter cõtemplati, cognouissent equidem nihil adesse quod negociũ faceret: quoniam eradicantis medicamẽti nomine haud intelligunt, quod vsquequaq; purgando penitus extirpet omnem excrementorum colluuiem: non enim quippiã eiuscemodi fuisse ab illis aliquãdo excogitatum inueniẽt. Cum eo nomine non quod penitus, at quod maiori ex parte, purget humores peccantes, quantum tamen liceat artifici, eo modo, quem iam docuimus, intelligant. Verùm vtcunque audiant, non curo, teneant rem ipsam, differentias ex veteribus Medicis propositas mihi non denegent, conueniant in rebus, ac in nominibus semel impositis consistant, quæcunq; illa sint, quæ perlibenter in eorum gratiam admittam.

Aduersus Fuscium, & Curtium, ac alios recentiores.

Principii significationes tres.

Iam verò principium tres habet significationes: aliquando enim pro primo insultu morborum sumitur: aliquando pro spatio trium dierum; interdum autem pro eo tempore, in quo materia morbum efficiens cruda est. Ex hisce tribus significationibus prior nullius vsus est: frequentissima est apud Hippocratem secunda: tertia verò maximè artificialis est, de qua in proposita disputatione loquimur: quandoquidem instituta quæstio est, an liceat vti medicamẽtis purgantibus inchoantibus morbis, cùm adhuc expurganda materia concocta non est. Ex hac thesi alia etiam deducitur, nempe sermonem esse de materialibus morbis, in iis enim attenditur humorum concoctio, & iis purgatio conuenit, cum aliis adhibere solam alterationem expediat. Contemplari autem oportet materiales morbos habere triplicem differentiam, (quantum pertinet ad nostram disputationem) Quidam enim sunt salubres, quidam sunt lethales, atq; rursus quidam inueniuntur ordine medio constituti. Inquiremus sigillatim, quid in salubri affectu, & quid in lethali, ac postremo quid in morbo ancipiti faciendum sit.

Principij significationes sex vide in lib: 2°: Laurentij de Crisibus capitulo sexto.

Verùm, quia disputatio instituta est, an humor ante coctionem expurgari debeat, breuiter dicamus, quid nomine coctionis intelligẽdum sit: nam plura huius argumenti docuimus (vt scis) tum in tractatione de corporum præparatione ad purgationem, tum in vniuersali methodo, quo loci sumus ea prosequuti, quæ ad purgationẽ pertinent. Nomen coctionis vnam habere significationem mihi non videtur: nam aliquando significat transmutationem alimenti in propriam substantiam corporis, quam sic definit Galenus: Concoctio nihil est aliud quam alteratio in propriam eius, quod nutritur, qualitatem,] & alibi dilucidius. Concoctio (inquit) est alteratio quædam, ac nutrientis in propriam qualitatem eius, quod nutritur, mutatio.

De concoctione. 3. de facult. nat. cap. 7. 2. de na. fac. ca. 4.

Alia est significatio, qua dici solet, humores semimalos, & semiputrescentes à natura concoqui solere, de qua Galenus ait: Concoctio est, quæ cessare facit putredinem manente substantia.] nam exigua existente putredine possunt humores per concoctionẽ ad priorem bonitatem reuerti, ad huc equidem corpus nutrire, vt Galenus in Aphorismis vini acescentis exemplo significauit.

In arte medica. c. 89.

2. Aphoris. 17. com.

Concoctio humorum quid: v. 39. 257. & 34. 26. 614. et deinceps.

Tertia significatio cõcoctionis.

Ad hæc verò, cum humores adeò mali sint, vt amplius in substantiã nutriendi corporis conuerti non valeant, à natura superantur, vincuntur, & domantur, redacti ad quandam cõsistentiam probiorem, non pro facienda nutritione, quã esse impossibilem diximus, sed quia sic mitificati amplius non incomodant naturæ, atque facilius pareat vacuationi aut à natura, aut ab arte constituenda, hãc si diceremus esse quandam naturæ victoriam supra caussas morbificas, minime aberraremus. Adest fortassis alia concoctionis significatio, sed hæ præcipue conueniunt institutæ tractationi.

Ex hisce tribus significationibus, neque prima, neque secunda conuenit nostro proposito. Non quidem prima, quoniam alimenta nunquam purgationem indicant, quam nos vt scopum huius tractationis in præsentiarum cõsideramus: Retinendum enim in corpore, nõ purgandum, quod nutrit. Neq; etiam secun-

da ob

da ob eaſdem cauſſas: quandoquidem hic non conſideramus humores ſemimalos, qui alteratione facta à natura poſſunt amplius nutrire, ſed quatenus naturæ limites omninò excedentes mouendi ſunt. Et quamuis horũ etiam quædã portio nutrire aliquando valeat, quia vix excogitari poteſt humor tam malus in humano corpore, quin aliquid habeat boni, nõ tamen ſub hac ratione cõſiderantur, at quatenus purgationem indicant.

Contra Manardum lib. 16. Epiſ. 1.

Relinquitur igitur tertiã ſolũ vſum afferre noſtrę huic tractationi, de qua audire oportet quid Galen. ſcriptũ reliquerit, cum ait: Tunc. n. & naturã ipſam habemus vacuationi adminiculantem; videtur ſiquidẽ & ipſa poſt coctiones humores diſcernere, & ſuperfluitates expellere, quo tempore fiunt iudicationes] ac alibi. Si quidem oportet coctiones præire, ſubſequi verò diſcretionem. Et poſtea vacuationem, vt bona fiat criſis, ſiue iudicium.] Quoties igitur cumq; natura ipſa cauſſas morbificas euincit, ſuperatq;, dicimus adeſſe concoctionem in humoribus, vt Galenus in epidemiis teſtatur. Hac ratione dicimus, vtranq; bilem, & icores, quorum tamen neutrum in ſubſtantiam ſanguinis redire poteſt, quamuis putredinem experta ſint, à natura concoqui: eiuſdẽ conditionis eſt pituita ſalſa, vt idem autor docuit libro de conſtitutione artis Medicæ. Eadẽ ratione ductus ſcripſit olim, puris generationem eſſe concoctionem quandã, cum tamen conſtet omnium iudicio à pure fieri nutritionem non poſſe. Vrinam quoq;, ſputum ex thorace proficiſcentẽ, lippitudines concoctas vocamus: quæ nutrire corporis partes nõ poſſe certius eſt, quàm ꝙ hoc loco demonſtrari poſſit. Hactenus quidem ſummatim dictũ eſt à nobis, quomodo nomen coctionis intelligendum ſit: ex quibus manifeſtum eſt, quid nomine cruditatis audiendũ. Si. n. cõcoctus humor dicitur, qui à natura iam euictus eſt atq; ſuperatus, edomitusq;; qui naturæ actionem nondum expertus fuerit, is profectò crudus nuncupabitur.

1. Aph. c. 22.
4. Aph. c. 22.
6. epid. ſec. 2. com. 45.
1. acu. 30.
Cap. 19.
1. prognoſt. Vlti. & 1 de diff. febri. 6.
Lib. de totius morb. temp. cap. 3.


Doceamus modo quis dicatur humor turgens, in qua materia me non fugit, Ludouice Pater, varias adeſſe clariſſimorum hominum ſententias, quas aliquãdo diligenter expendemus: interim prætermiſſis iis, explicare in animo eſt, quid Galen. de humorũ turgentia conſcripſerit. Duas itaq; humoris turgentis inuenio ſignificationes: vna, ꝙ ii dicantur turgere, qui mouentur indifferẽter per vniuerſum corpus, nũc ad vnã, nunc ad aliam particulã, de qua Galenus ait. Sic & humores plerunq; in motu vehemẽtiore, atque transfluxu ab vna parte ad aliam in morbi principio hominem infeſtant mouentes, faſtidientes, quiſcere non permittentes, cum & ipſi pariter moueãtur, & transfluant, & tanto motu de loco ad locum ægrum moleſtent.] Paulò autem ſuprà, vnde nomen turgentiæ deductũ ſit, explicauit, dum ait: Verbum autem turgere translatum eſt ab animalibus ad humores: nam ſicut illa ſtare loco non poſſunt quodammodo titilantia, & impulſa, concitataq; à paſſione, ſic & humores.] Prima ſignificatio turgẽtię in hunc modum habet. Secunda verò ſignificatio eſt, cùm humores mouentur ad aliquampiam particulam ex præcipuis, vt eſt cerebrum, cor, hepar, teſte eodẽ Galeno ſic dicente. Dictum eſt, & à me prius, quòd verbũ turget Hippocrates trãſtulit ab animalibus, quæ ad coitum properant, cùm naturali cõcupiſcentia mouentur ad ſeminis excretionem] paulo poſt. Quando igitur in toto corpore ſimilis huic fuerit naturæ impetus ad excretionem ſuperfluitatum] his verbis primã ſignificationem notauit. Vel, ſi non in toto corpore, ſaltem in partibus principalioribus, tale quid conſueuit Hippocrates ſignificare per verbum turgere.] Poſtremis hiſce verbis aliam ſignificationem notauit. De his profectò qui hoc modo turgent, diſputatio inſtituta eſt.

De humorum turgẽtia.
1. aphor. 22.
4. aphor. 1. 1. de criſib. 9.
8. de comp. phar. 5. lib. 3. li. cum quibus. 9. ca. Vl. Gal. li. 4. aphor. cõ. 10.

His in hunc modum expoſitis, accedamus ad propoſitæ quęſtionis diſſolutionem: Me operæpretium facturum arbitror, prius dicere ſummatim, quid ſentiam: deinde verò ſigillatim vnumquodque caput diligentius expendere. Humor itaque purgandus vel turget, vel non turget. Turgens purgandus eſt illico, quum cõtinget humorem turgere ſiue in principio, ſiue in augmento, ſiue in vigore, aut declinatione fuerit. Non turgens humor diſtinctionem poſtulat multiplicem: nam vel mouetur ad aliquampiam determinatam partem, quæ ex

Summa opinionis Augenii de quæſtione propoſita.

numero principalium non sit: vel in aliqua parte coercitus conquiescit. Qui mouetur, sic indicante motu reuellendus est, purganti pharmaco. Quiescens humor, vel in primis venis continetur, vt in ventriculo, mesenterio, intestinis, partibusque vicinis: hic dum crudus est, purgari potest. Vel continetur extra primas venas. Hic amplius diuidere debemus: nam opus est contemplari, qualis sit conditio morborum, quorum caussa purgationem instituimus: Qui enim salubris est, non postulat vacuationem, nisi materia sit penitus concocta. Qui omninò lethalis est, nec purgationem, nec id genus aliud postulat generosum auxilium, aut certè non sine prædictione exercendum; at qui lethalis est, vt plurimum, potest ferre medicamentum expurgans, adhibita præsensione, ac prædictione. Qui neutro modo sese habet, ancipitis exitus, ac naturæ, purgantia pharmaca exigit, iis adhuc existentibus crudis; quoniam cum prauitas humorum sit magna, cum perniciem habeat, qualem aut venenati, aut pestilentes humores habẽt, statim purgandi sunt. Hæc meæ opinionis summa est. Quã sequenti schemate figurare in iuniorum gratiam placuit.



Iam verò, vt ab explanatione ordiamur sectionis prioris membri, sciendum est, quinimò vt quoddam axioma perpetuò tenendum, materiam turgentem quocunque turgeat tempore, quamuis in principiis morborum maiori ex parte turgere consueuerit, statim expurgandam esse: de qua re extat Hippocratis decretum, his verbis: Concocta medicari & mouere non cruda, nisi materia turgeat, plurima verò non turget,] ac alibi. Medicari in acutis eadem die si materia turgeat, tardare enim in talibus malum est] ac passim alibi tum Galenus, tum Hippocrates huiusce sententiæ meminerunt. Inquirenda est hoc loco caussa, propter quam id ipsum expediat. Hanc ego putauerim esse triplicem. Harum vna est quod vereri oportet, ne humores agitati, ac in motu perpetuo existentes, inuadant partes præcipuas, aut omnes, aut aliquas in quibus cum vigor facultatum gubernantium humanum corpus contineatur, malũ crearetur maximum: sunt autem facultates præcipuæ animalis, vitalis, naturalis: inter quas etsi maior sit vitalis dignitas, tamen vbi aliæ labefactantur, corde iam consentiente, ægro moriundum est. Secunda caussa est incrementum febrilis caliditatis, cuius ratione naturalis calor dissolui posset. Equidem ex immoderato corporis motu & ex interna humorum agitatione generatur caliditas præter naturam in musculis, & in articulis, qui motum primo excipiunt. Verùm, si non vltra

1. aphor. 22. 4. aphor. 10.

Turgẽs materia cur à principio expurgãda.

Gale. lib. de caus. mor. 2. & 1. de febr. diffe. cap. 3.

10 20 30 40 50

tra progrediatur calor, & cum solui cõtigerit, anteaquam totum animalis corpus contigerit, sola fiet lassitudo, & nihil vltra consequitur: at si in totum extendatur corpus: & hinc cõtinuatim caliditas ad cor ascenderit, necessariò in febrem homo incidet: idem quoque de motionibus internis humorum dicendum est. Itaque, si motus febrem generare potest, quid accidere putabimus eodẽ adueniente febricitante homine acutissima febre, qualis ferè est vbi humores turgent? Ne igitur maximum hoc adueniat incommodum, opus est, quanto citius fieri poterit, purgare humores turgentes, ac naturæ iam stimulatæ manum porrigere. Tertia verò est causa, atque potissima, quæ semper in indicationibus acutarum 10 febrium habet magnam dignitatem, ne vires dissoluantur: ob quas veremur etiã vtrunque periculum iam dictum. Hæ sanè ex febris incendio dissoluuntur, ex motu continuo imbecilliores fiunt, additisque caussis dissoluentibus imminere maximũ periculum creditur. Hasce caussas Galenus exposuit, his verbis: Et statim per medicamenta euacuationem faciendam iudicat, prius quàm vel robur corporis dissoluatur, vel febris caliditas augeatur, vel ad aliquod membrũ principale decumbant ii, qui per corpus vagãtur humores.] At si quis mihi Galenum obiiciat, dicentem: quo tempore natura à caussis morbum facientibus grauatur, adest autem humorum cruditas, tunc aliquid benè vacuari est impossibile] atq; alibi. Cum in morbi principio semper adsint signa cruditatis, mala erit talium 20 humorum vacuatio.] Huic ego obiiciam eundem, dicentem: Tales itaq; humores vacuare conuenit, hoc est qui agitantur, & de loco ad locum mouentur, ac transfluunt: eos verò, qui sunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio auxilio mouere oportet, neque medicari ante coctionem: tunc enim & naturam ipsam habemus euacuationi adminiculantem: Videtur siquidem & ipsa post coctiones humores discernere, & superfluitates expellere, quo in tempore fiunt iudicationes, ex quibus cõstat locutum illum fuisse de humoribus in particula aliquapiam confirmatis, & non de iis, qui mouentur, agitanturque. Adde quòd curatio duplex est: nam alia est ordinaria, & methodica; alia verò extra methodũ, & ordinem. Vtimur illa quidẽ, vbi nihil impediat: hac autem si quid obest ma- 30 gni momenti rectum vsum interpellans, fitq; propter melius. Haud ambigendũ est humores crudos purganti Medico, fieri naturę aliquam iacturam, sed tamen exiguũ illud est malum, si cum subsequenti vtilitate comparetur. Esset profectò satius humores turgentes concoquere: sed dum huic actioni operam damus, ægrum necesse est mori. Quid nam igitur magis optandum, an sanari cum damno reparabili ægrotum, an verò mori? constans est, ei quod magis vrget incumbendum esse; magis autem, quinimò maximè vrget purgare statim turgẽtes humores, quam concoctionem expectare, idcirco nulla penitus adhibita cunctatione statim mouendi sunt, modo tamen conueniens præcedat corporis præparatio. Cogor hoc loco quædam de præparandi ratione breuiter dicere, vt quæ dicta 40 sunt, & quæ post hac dicentur, lucidiora euadãt: de quibus, etsi alibi copiosè dixerimus, hic tamen rem solũ attingemus, quantum instituto conueniat. Sit autẽ tractationis principium nostri Senis diuulgata sententia, qua admonuit, oportere cum quis purgare voluerit, corpus fluidum facere. fit corpus fluidum cum aptius redditur pro purgatione obeunda. Debetur duobus eiuscemodi præparatio; viis, per quas humor transmittendus est, & humoribus expurgandis. Viæ sunt communes latè patentes ab ore ad intestina: sunt etiam angusti meatus venarũ, aliarumque cauitatum corporis. Hæ vię obstructæ cũ sint, & humori purgando exitũ impediant, aperiendę sunt, atque deobstruendæ: enematis quidẽ, ac iis quæ deobstruunt, ac tandem aliis alibi expositis. Humores expurgãdi sunt 50 quatuor, pituita, melancholia, bilis genus omne, icores. Horum duo manifestã exigunt præparationem, pituita, & melãcholia: illa quidem detergentia, hæc incidentia postulat: quia incisio, atque detersio præparant humores crassos, & viscidos. Verũ icores omnium iudicio præparandi rationem renuunt. an bilis aliquam postulet præparationem ambiguum est: quidam enim nunquã expurgãt, nisi primum incrassantibus parauerint: quidam verò hoc nõ esse necessariũ di-

4.aph.cõ.10.

4.apho.22.

Infi.cõ. 22.

1.aph.cõ. 22.

Ex Galenõ 10.meth.c.11. passim.

Præparatio corporum ad purgationẽ 2.apho.9.

Bilem omnẽ præparandã contra Ioan. Manardum li.16.epist.

cunt. Ego prioribus non adhæreo, quia si scopus est purgare, quo fuerit humor tenuior, eo magis erit præparatus, vt ex Hippocrate, & Galeno colligitur secundo aph. nono: nam præparatio est duntaxat incisio, & detersio, quibus biliosi humores dum suam tenuitatem seruant, non indigent: atque ob hanc caussam in excremento turgente non conuenit incidere, nec abstergere: quia cum non sit crassum, ac viscidum, sed contra tenue, ac fluxibile, eam præparandi rationẽ non postulat. Nunquam enim obseruatum est, aut veterum proditũ memoria, pituitam aut melãcholiã turgere. Itaque cum turgens materia biliosa sit, & affectus non det inducias, nullum habemus tempus idoneum ad pręparationem faciendam; idcirco pręteruittentes statim ad purgatiouem accedimus. Postulat hæc (dicebat admirabilis Galenus) aliquo manum porrigente, quo facilius ad aluum deducãtur. Sed si humor præparationem nõ vult, an propterea viæ præparandæ non sunt? non sic se res habet: quoniã certè in omni purgatione faciunda necessaria est, si tamen idoneum tempus nacti fuerimus: Galenus de hac re sic locutus est. Verùm in acutis morbis circa principia statim, vel circa primum diẽ vel non vltra secundum, si sumus vsuri purgantibus medicamentis, quando turgent, nõ datur facultas ista præparandi: nisi quis fortè accipiat occasionẽ propinãdi melicratũ, in quo decoctũ sit aliquid hyssopi, vel origani, vel tragorigani, vel thymi, vel pulegii, siue quid eiusmodi vim habens humores extenuandi.]

4. apho. 1. 1. aphor. & 4. apho. 10 1. apho. 9 1. apho. 24

Postquam admodum apertè docuimus turgentes humores purgandos, agè nunc doceamus à principio morborum humores minimè turgentes ducendos esse initio desumpto ab iis, qui mouentur ad aliquam determinatam particulam, quæ non sit ex numero principalium. Fluentibus itaque humoribus opus est reuulsionem adhibere. Est autem reuulsio potissimum excogitata pro iis humoribus qui mouentur, eaque de caussa sic definitur (vt in alio opere docuimus) reuulsio est humorũ ad contrarium retractio. Hoc igitur supponamus, quod certè nullam difficultatem habet: addamusque Thesim alteram haud minus conspicuam: nempe reuulsionem fieri in morborum principiis: cùm enim sint reumaticorum morborũ quatuor tempora, principium, incrementum status, declinatio; in principio humores prorsus confluunt: in augmento partim confluxere, partim fluxuri sunt: sed pro maiori parte fluunt: vigente morbo æqualis videtur fluxorum, & confluentium conditio: at declinante morbo omninò fluxi sunt. Quamobrem, si reuulsio debetur tunc, cum humores cõfluunt, quis ambiget esse hanc necessariam morbis inchoantibus? Verum quoniã præsidia reuulsiua multa sunt, nos pręteruissis aliis, de venę sectione, & de purganti pharmaco loquemur: quum aliquando vno, interdum alio, & nõnunquam vtroque indigeamus auxilio. Proinde quæri solet hoc loco, an confluentibus humoribus ad aliquam particulã, debeatur reuulsio per purgationem, an per sanguinis missionem. Ego, quicquid alii in hoc dixerint negocio, putauerim secundum Galeni principia, à quibus ne digito quidem discedendum reor, in hunc modum quæstioni satisfaciendum esse. Humores peccantes, vel qualitate lędunt, vel quãtitate. Qualitate dicimus facere negocium succum malum, quem græci κακοχυμίαν vocant, à sanguinis natura plurimum diffidentẽ. Quantitate autem plenitudinem ipsam, aut multitudinem à græcis πλῆθος nuncupatam: quæ duplex est: alia enim vires, & facultates respicit: alia autem vasorum capacitatem, quam vocant κατὰ τὸ ἔγχυμα quasi affusionem dixeris. Distinctionis author primus omnium fuit Hippocrates, mox autem Galenus: quos passim imitati sunt omnes. Quando igitur humores qualitate peccant, purgans medicamentum conuenit, cum autem quantitate, venarum sectionem adhibere conuenit: at si tum qualitate, tum quantitate peccauerint, vtrumque generosum præsidium exercebimus: & hęc sanè constans est primum admirabilis Hippocratis, & Galeni, mox Medicorum omnium hypothesis.

Humores non turgentes esse aliquado crudos expurgandos, reuulsionis caussa.

Reuulsionẽ inchoante morbo deberi.

Reuulsio humorum an fiat Venæ sectione an purgatione.

1. apho. 2. & 3. Gal. de mi. san. c. 6. Ibi. & 2. aph. 17. 6. aph. 27. 13. nux. 9. 5. & 6. c. & passim alibi.

Supponatur modo his sic constitutis, cõfluere humores vitiatos citra sanguinis multitudinem: huic reuulsio debetur per primam Thesim. Sed non debetur sanguinis missio per secundam: oportet igitur adhibere purgationem. Sunt qui conten-

contendũt in omni reuulſione venæ ſectionem conuenire: ſed quantum aberrent, ea manifeſtum faciunt, quæ docuimus libro ſecũdo de miſſione ſanguinis, & quæ ſcripſimus in explanationibus in Galeni librum, de hoc ipſo argumento conſcriptum. Verum vt omnem ego his arripiam fugam, volo concedere (quod nunquam eſt admittendum) vacuationem ſanguine miſſo conuenire, hoc mihi tamen minimè denegabunt ii, poſtea in principio dandum eſſe medicamẽtum purgans: quã rem Galenus his verbis videtur diligenter explanaſſe. Meritò igitur his curandis ſcopus eſt, non vacuatio, ſed corporis totius roboratio: quãquã tamen curationis initium illis à miſſo oriatur ſanguine: at ſi excrementa prauam etiam habuerint qualitatem, vnà adhibeatur purgatio] itaque ſi in plenitudine ſimul cum cacochymia, neceſſaria eſt inchoãtibus morbis purgatio, ſimul cum venarum ſectione (hoc enim ſupponit Galenus) quid, quęſo, accidet, vbi reumatici affectus aduenient à ſolis excrementis prauam qualitatem habentibus? in quibus quantum ſit ratione ſui, neceſſaria non eſt venæ ſectio. Audias quàm aperte id ipſum confirmet Galenus. In maximis verò doloribus, nullum maius inueni remedium, quàm vſque ad animi defectionem vacuare, adhibita diſtinctione, an mittere ſanguinem, an purgare oporteat vſq; ad animi defectionem, quemadmodũ in libro de venæ ſectione demoſtrauimus.] ſed quorſum admonuit adhibendam eſſe diſtinctionem, ſi omnes affectus reumatici venæ ſectionem pro reuulſione poſtulãt? An dices, non eſſe reumaticum, atq; defluxorium morbum, vbi dolores maximi ſunt? Manifeſtum eſt, nihil æquè attrahere, quàm dolores. Præterea, ſi turgente materia, ob ea, quæ diximus pericula, conuenit purgatio, inchoante morbo, fluentibus humoribus ad aliquam particulam eiſdem malis imminentibus, idem exercere expediet remedium. Nam febris aſſumere poteſt maximum incremẽtum, virium robur diſſolui: atque tandem periculum imminet, ne concitata materia ad nobiliſſimas partes raptum habeat. Cùm igitur non adſit cauſſa diuerſitatis, videre neſcio cur ibi expurgandum ſit, hic autem minime. Cęterum ne quid deſit, particularius doceamus vſum medicamentorum purgantium in humorum fluxione ad particulam determinatam. Primum in angina ſanguinis miſſionem, & purgantia medicamenta adhibere cõuenit, vt Hippocrates admonuit, dum ait: Sanguinem ergo ex brachiis detrahes: mox venas, quæ ſub lingua ſunt, ſecabis: deinde medicamentis quibuſdam attractoriis, vteris.] per attractoria intelligit purgãtia, quæ habent vim propriam, & peculiarem, attrahendi peculiarem ſibiq; ſimilem humorem, ſi Galeno credimus. Dein verò in pleuritide, cùm deſcendit dolor, purgandum conſuluit libro de ratione victus in morbis acutis ſecundo. Sed memoriæ commendanda eſt eius ſententia, quarto eiuſdem tractationis libro, dum inquit: Si dolor ſub thorace fuerit, valdeq; infeſtauerit pleuritico ventrem ſubpurgabis, nihilq; dum purgabitur, dabis: à purgatione autem oximeli. Veruntamen purgans medicamentum quarto die miniſtrabis,] in cuius loci explanatione, Galenus ait: Sed quod Hippocrates recenſuit, eſt exequendũ: nam vel ſtatim ab initio prius, quam in partem aliquam confirmentur humores, vel poſtea cùm ad maturitatem perducti fuerint, quamobrem & prima interdum die, & ſecunda, & quarta, & interdum quinta dedimus, & non in quarta ſola, quemadmodum is dixit.] Ad hæc Galenus libro de ratione curandi per ſanguinis miſſionem agens de curãdis affectionibus reumaticis, voluit reuulſionis cauſſa principium curationis, vel à ſanguinis detractione, vel à purgatione ſumendum, & aliquando vtrunq; fore neceſſarium, prout humores, aut ſola qualitate, aut ſola quantitate redundauerint. Verba in medium afferamus. Vnum ſupra locum retulimus: alium audias eodem capite ſcriptum. Eadem ratione, & in iis, quibus pars quæpiam grauiter icta eſt, aut vtcunq; incipiẽtem habet phlegmonem, eam ſi magnam fore ſuſpicamur, curationẽ ab inanitione auſpicamur, aut purgatorio medicamine exhibito, aut vena inciſa, prout nimirũ alterũ altero magis cõuenire iudicamus.]

Duo hi loci omnem difficultatem remouent: quoniam in primo aphoriſmorum Galenus refert ſe ad ea, quę libro de ratione curãdi per ſanguinis detractio-

1. de miſſio. ſang. 8.

1. apho. commen. 23.

4. apho. c. 10.

4. de ra. vic. acut. t. 30.

1. de purgãtium medicamẽtorum facultatibus. tex. 76.

Cap. 7.

Cap. 8.

Cap. 8.

Com. 23.

nem edocuit. Præterea in methodo medendi curationem erisipelatis docens, anteaquam ad refrigerationem accedat, vult primùm totum corpus ab humoribus biliosis purgare: at omnium iudicio refrigeratio in erisipelate conuenit, statim inchoante morbo: idcircò opus est purgationem flauæ bilis fieri in morbi principio, quo tempore humores crudi sunt. Sic enim Galenus inquit: At quoniam erisipelas non quantitate modo affligit, sed etiam ex vehementi scilicet inflammatione qualitate ipsa cruciat, ampliorem refrigerationẽ, quàm phlegmone ipsa requirit: nec tamen non periculosa toti corpori existit eiuscemodi curatio, propterea quod bilis interim ad aliquod princeps membrum fertur: quippe cum si vel sanguis ipse abũdat, haud tutum sit ex minoris notæ membris fluxionem eius repellere. Tanquam igitur in illa post totius corporis vacuationem repellentibus auxiliis vsi sumus, ita nunc quoque faciemus, sed pro sanguinis missione medicamentum, quod bilem trahat purgantes, ipsam verò afflictam partem refrigerantes] hæc illæ. Ex quibus obiter adnotandi sunt duo errores Medicorum quorundam nostri temporis: Vnus est, quod putent in erisipelate conuenire missionem sanguinis: quam Galenus hoc loco manifestissimè redarguit: Alter est, quod putent biliosis febribus intermittentibus, quales exquisitæ sunt tertianæ, ac etiam notæ phlebotomiam vtilem esse: quandoquidem bilis sua natura cum à sanguine absit longissimè, vacuationem non admittit (sui tamen ratione) sanguine misso: sed purganti medicamento gaudet: haud perperam addidimus (sui ratione) quia potest aliquid complicari, cuius caussa tundere veram debeamus, vt scriptũ est à nobis libro tertio de ratione vacuandi per missionem sanguinis. Hæc παρεργόν. Ad institutum reuertamur, Galenus sexto de cõpositione medicamentorum localium admonuit reuellendum esse aliquando sanguine misso, aliquando medicamento purgante, dum inquit: Didicimus etiã quod hunc ipsum influxum in principio quidẽ reprimere, ac repellere oporteat, præterquàm si ad partem aliquam principalem recursurus sit, aut grauius aliquod malum effecturus.] & parum post edocet, cũ quibus inhiberi eiuscemodi confluxus debeat, his verbis: Etenim venæ sectione vtimur, & purgatione, & clisteribus, & inedia, vbi totum corpus apparuerit, aut multitudine humorum refertum, aut eorumdem malitia vitiatum.] deinde eodem libro agens de inflammatione columellæ, idem confirmauit dicens: At verò venam secare iis, qui suffocantur, & eluere forti, atque acri clisteri, & purgatoria exhibere euacuandi gratia vniuersum corpus: & transferendi infra humorum momentum, qui ad affectas partes feruntur, rationabile est, & multa experientia probatum, atque cognitum.] Ac alibi. Cogimur itaque aliàs sanguinem mittere, idque aut vena incisa, aut membris iis, quæ læsa non sunt scarificatis: manu enim laborante scarificabis crura, altero crure malè habente reliquum: hæc namq; vacuationes indicat ipsa copia, sicuti etiam succorum vitium redundantis succi purgationem,] & rursus. Ergo plectora (inquit) tum sanguinis missione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione, præterea digerentibus medicamentis, & præter hæc omnia inedia: de quibus in iis, quæ de sanitate tuenda sunt prodita dictum abundè est: succorum vitium purgatione, quæ cuique superandi succo sit accommoda, corrigitur.] hæc ille. Quibus edocet rationem curandi phlegmonem, quæ in generatione adhuc est, assumpta indicatione à caussa efficiente, siue sit plectorica affectio, siue succus vitiosus. Et apertius eodem libro. Non enim ratio solum, (inquit) verùm etiam vsus ipse indicat aliam aliæ parti vacuationem congruere: si quidem ex iis, quibus oculi tentari phlegmone cœperunt, nonnullos sola purgatione per aluum sanatos vidisti.] ac parum infra. At si vomitu vti pudibundis laborantibus, in diuersa reuellere auxilium est, Græci ἀντισπαστικόν vocant, eadem ratione in omnibus, quæ accidunt circa caput purgatio ad contrarium auertit.] Plura quidem, quam constitueram, scripsi de hoc argumento, haud alia de caussa, nisi vt primum satisfacerem iis, qui, vt nosti, multis olim mecum contenderunt, pro reuulsione exercenda semper sanguinem mittendum esse, mox, vt conuincerem eosdem Galeni, & Hippocratis testimonio,

Marginal notes: *Recentiorũ medicorum errores.* — *Cap. 1.* — *Cap. 13.* — *13. meth. 5.* — *13. methodi cap. 6* — *Cap. 11.* — *Eodem capite.*

Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50

stimonio, cũ opinionem meã ab illorum placitis dissidere manifestissimè profiteantur: recordaris quàm pertinaciter mecum disputarunt, quodque ita malè in peruerso dogmate insenuerunt, vt neque rationes, neq; auctoritates illustrium Medicorum, atque etiã artis vsus in cognitionẽ veritatis ducere illos potuerint. Sed hæc sufficiant de humoribus, qui mouẽtur dixisse: agamus nunc de iis, qui neque turgent, neque mouentur, sed quiescunt.

In ceruicosos quosdam medicos.

vide dis[?] medicine pag: 18: sub hac nota.

Hæc longè difficilior est disputatio: quam tamen dilucidabimus principio, in hunc modum desumpto. Humores, qui in aliqua parte quiescunt, quamuis ante maturationẽ melius sit non mouere, vbi tamen ancipitẽ exitũ videmus morborum, atque plurimũ timemus, ne aut à multitudine obruatur natura, aut à malignitate dissoluatur, haud fuerit ab re inchoãte morbo vti medicinis purgãtibus: vtrunque explicabimus diligenter, primũ rationibus adhibitis, mox verò Hippocratis, & Galeni testimonio. Inter omnes indicationes, quæ in morbis curandis obseruãdæ sunt, nulla est dignior indicatione ab ipsis viribus desũpta. Porrò metiendæ sunt vires ab eo, quod in statu futurum est: quoniam coniectari oportet (dicit Senex noster) an æger cum tali victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat, & nunquid illæ prius deficiant, nec possint cum victu perdurare, vel morbus antea deficiat, aut habetescat.] hinc rectè admodũ decimo methodi medendi diligentiam adhibendam esse in custodiendis viribus: & indicationem ab his desumptam esse præcipuam, & ex numero vitalium: huicque primo incumbendum (si postulauerit affectus,) aliis indicationibus minimè neglectis asserit. Ex hoc supposito veritatem deduco pronunciati mei. Nam vbi sese nobis offerat aliquispiã morbus à multitudine, aut malignitate humorũ procreatus, vel ab vtraque factus caussa, certe coniectari oportet ancipitem habere exitum: neque enim certò sanitatem prædicere, neque mortẽ possumus: atque hac ipsa ratione debemus, inchoante eiuscemodi morbo purgãs medicamẽtum dare: quia si volumus expectare concoctionẽ, ancepsque sit, an natura id possit efficere, interim vires acquirit morbus, & natura vel suffocatur à multitudine, vel à malignitate dissoluitur. At verò aliquã humoris peccãtis portionẽ purgando, natura fiet potentior supra residuum, & concoquet postea, quod concoquendum est, ac excernet, quod expelli debet.

1. aphor. 22.

1. apho. 9.

10. meth. ca. 10. & 11. & capit. 1.

2. aph. 29. co.

Est autem hoc loco illud in memoriam reuocandũ, quod etiam supra admonuimus, nempe quod in eiuscemodi purgationibus aliquod damnũ fit naturæ, quoniam est omninò impossibile, quin bonorum humorum aliquipiam vacuetur simul cum prauis: sed tamen hoc incommodum in dubiis morbis multi faciendum non est; quia cũ vereamur multitudinẽ humoris imminentem virtuti suffocationẽ, vbi minor fuerit illius quantitas, periculum hoc deuitamus. Certè videtur mihi maximè impium in magnis morbis cũ intensa humorum corruptione, aut cum abundantia mali succi, cum sanguinem mittere non liceat, relinquere totum negocium naturæ, quæ fortasse breuissimè succumbet. Perquiramus modo quid Hippocrates dixerit.

9. meth. c. 9. & 10.

Legitur primo aphorismorum: Raro in acutis vtendum esse medicamentis purgantibus, idque in principio, & cũ præmeditatione faciendum.] His verbis (meo quidem iudicio) nos admonet, ne in exhibendis purgãtibus medicamentis simus temerarii, potissimum verò in morbis acutis: in quibus est necessarium aliquando in principiis purgare: aliquando autem concocta materia. In principio purgamus cum turgent, de quibus locutus fuit in superiori aphorismo. Purgamus etiam cum non turgent: meditari autem oportebit, quando non turgentibus conueniat purgatio, id sanè solum contingit humoribus nimia quantitate, aut malignitate insignitis: quod autem hæc sententia sit Hippocratis, duo manifestum faciunt: primum est, quia dicit, cum præmeditatione faciendum] quandoquidem humoribus turgentibus nullã oportet adhibere præmeditationem, sed statim accedendũ ad opus: Aliud est, quia non est probabile, Hippocratem breuitatis amatorem bis idem dixisse in duobus ferè continuatis aphorismis: in vigesimo enim secundo statuit præceptum de excremẽtis turgentibus: cur igi-

23. apho.

Nota.

22. apho.

tur in vigeſimoquarto volumus idem docuiſſe? Me certè quidem non fugit Galenum de hac materia turgẽte, quemadmodũ alios omnes aphoriſmorũ explanatores locum interpretari: à quibus ſi ego veritatis ergo diſcedo, vitio vertendum nõ eſt. Accedamus modo ad explanationem alterius aphoriſmi, in quo ſic inquit: Cùm morbi incohant, ſi quid videtur mouendum, moue,] vbi admonet multam materiam eſſe à morborum principiis expurgandam. Notabis hæc. Si quid, [græci τι,] quæ ſemper paucitatem ſignificat, vt Galenus teſtatur his verbis: Mediocri autem participare ipſum facultate huiuſmodi oſtendit, adiiciens vocabulo huic σμικκαδόδις, vocabulum hoc τι nempe, quibuſuis adiiciatur paucitatem indicans.] Galenus explicans Aphoriſmum ſic ſcribit: Circa initia verò illorum morborũ, in quibus ſperatur ægrotũ conualiturũ, tentandũ maiora afferre remedia? de quibus dicebat Hippocrates, ſi quid videtur mouendũ, moue: ſunt enim hæc maximè venæ ſectio : nõnunquam verò & purgatio: quorum nihil oportet morbo iam conſiſtente adhibere, vt enim in libro de criſibus manifeſtauimus, coctiones tunc maximè fiunt; vt igitur hæc citius eueniãt, melius eſt circa principia vacuare, quo minorem iam factã materiam, facilius poſſit natura concoquere, morbo autem iam conſiſtente, cum iam natura concoquit, ſuperfluum eſt vacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis eo tempore eſt fatigata, licet aliæ duæ vitalis, & naturalis fortes perſiſtant.] Immorari cogor hic, Ludouice Pater, quia clariſſimi quidam medici ſententiam hanc aliter exponunt, dicentes horum quoſdam, de materia turgente audiendam eſſe: alios verò magis de ſanguinis miſſione, quàm depurgatione intelligendam: in qua re quãtum aberrent à via, quę dicemus, manifeſtum facient. Iam igitur quod ſermo illi non ſit de materia turgente, multa ſunt, quæ perſuadent. Primum, quia dicit: Si quid mouendum videtur moue.] quæ verba dubitationis ſenſum includunt: qua loquendi forma nunquam vſus eſt Hippocrates, dum ſermonem habet de materia turgente: nam ait, concocta medicari, & mouere nõ cruda, niſi materia turgeat, plurima verò non turgent] & alibi. Eadem die medicari oportet: tardare. n. in talibus malum eſt,] ſic in propoſito dixiſſe, moueto ſtatim turgidã materiam,] & non. Si quid videtur.] Adde, quod ſemper purganda eſt turgens materia: hic autem intelligit, quod aliquando purgandum. Ad hæc materia turgẽs nõ debet paulatim purgari, ſed ſi fieri poſſit, omnis ſemel educi, cùm hic paucitatẽ indicet, dicẽs, ſi quid.] Præterea ſi conſideramus rationem Hippocratis, & Galeni, videbimus eas tam de turgente materia, quam de nõ turgente intelligendã eſſe: quia dicit purgandum tunc, cùm nõdum natura pugnam iniuit cũ morbo, idcircò dicebat. Circa principia, & fines omnia imbecilliora, cùm verò cõſiſtũt, melius eſt quietem habere.] Quamobrem cùm vniuerſalis ratio ſit, haud expedit audire illam perinde, atque particularis eſſet. Diceret fortaſſe quiſpiam, Galenum in comentario ſuffragari, dicentibus loquutum fuiſſe Hippocratem de materia turgente: nonnunqumam verò & purgatio, & vt in plurimum venæ ſectio:] nam illa videntur conſona admodum eſſe ſupra dictis. Raro quidem dicebat, purgantibus medicamentis vtendum,] & plurima non turgent,] & hic nonnunquam purgatio:] dicam ego hunc aphoriſmum non eſſe ita intelligendum: nam Galeni verba non intelliguntur, niſi habita relatione ad præcedẽtia, in quibus dicebat: Maiora tentare remedia,] & explicans vero, quæ ſint hæc maiora remedia, ſubdit: Sunt autem hęc maximè venæ ſectio, nonunquã verò & purgatio,] quibus notantur remedia magna, in quorũ numero venæ ſectio ſemper eſt magnum auxilium: at purgatio quælibet non ſemper magnum. Sed ea duntaxat, quæ fit validis medicamẽtis, & attrahentibus: hic oportet meminiſſe eorũ quæ nos diximus in principio tractationis huius de nomine purgantium medicamentorum. Quod autem præcipuè de purgatione intelligendus ſit ſermo Senis noſtri, declarat hoc verbũ, mouere,] quo is vtitur ferè, cùm vult notare purgans medicamentum exhibendum eſſe: haud tamen renuo expoſitionẽ, quod. ſ. ſermo includat miſſionem ſanguinis: quia tam hac ipſa, quam purgatione vtimur inchoãtibus morbis. adhibita diſtinctione, an purgare, an vacuare conueniat.

2. aph. 29.

1. aphor. 22. 4. aph. 10. & 1. aphor.

Mouere quid Hippocrati.

niat. Addito his, quod Hippocrates, quum de phlebotomia præcipuè loquitur, nomine vtitur vacuationis, vt colligere est in 1. aphorism. vbi de athletarum habitu tractat, & Galenus in eius loci commentario manifestissimũ facit. Quamobrem, vt concludamus propositum, dicimus apud Hippocratis doctrinam hoc admodum cõstans existere, materiam nõ turgentem, quæ multitudine oblædit, purgantibus medicamentis esse minorandã, nunc idem ex Galeno ostendamus.

Statuit Galenus nono methodi medendi in humorũ corruptionem cum imbecillitate virium, paulatim esse vacuandum, dicens: Ergo quod corruptum est, id alienum à natura est: quod tale est, id se auferendum natura dictat: si igitur cũ viribus imbecillis coruptela incidat, vtique quod affectus remedium est, id cum virtutis custodia pugnat. Si quidem affectus vacuandum esse præcipit, idq; vel vena incisa, vel purgatione: Harum autẽ neutrum ferent imbecillæ vires: quoniam igitur in omnibus eiusçemodi repugnantiis incerta succurẽdi ratio est: aliàs insanabilis omninò affectus relinquetur, aliàs serò & ægrè, idque si magnum nactus fuerit Medicum sanari poterit. Oportet nãque vbi medicationes ita sibi aduersantur, & paulatim, quod vitiosum est vacuare, & paulatim inuicem, quod salubre est reponere: vocant Medici eiusçemodi vitiosi succi curationem, græcè ἐπίκρασιν, ex quibus colligendum videtur in principiis morborũ posse minorari materiam, si vereamur virtutem non esse ferendo illius multitudinem vsq; ad statum: quo in casu paulatim vacuandum, & paulatim, quod salubre est, reponendum fuerit. Amplius obseruamus naturam ipsam ante statutum tempus fetum expellere, cum contigerit illum corruptum esse: cur ad illius imitationem non licebit nobis humores nondum concoctos, maturatos, aut euictos, multitudine, & copia ingenti oblædentes purgare? Videtur mihi hic author similitudine confirmasse negotium, dum ait: Ita nimirum ventriculus mordente subinde acrimonia irritatus, ante legitimum tempus adhuc cibum abiicit: rursus multitudine grauatus aliquãdo, aut etiam ambabus coeuntibus malè affectus diarrhæis infestatur.] Eandem ego corruptorum humorum in venis copiam adesse supponens, maxima ratione confirmatum putauerim, si quis, vt fiat validior natura supra residuum humoris, anticipauerit purgationem. Certè videretur mihi maximè absurdum totius rei summam committere in ipsius naturæ potestate, quæ fortasse morbi vehementia succumbet: idcircò nõ vult Galenus expectandam esse crisim in morbo pernitioso, & ancipiti. Præterea, si dum humores confluunt, reuulsionis caussa, licet vti medicamento purgante, eosdem etiam educere possumus, anteaquam confluant iis caussis præsentibus, quæ motum incitant. Prudentis. n. Medici munus præcauere, ne confluant abscindẽdo eas caussas, à quibus admotum concitantur: hæ duæ sunt potissimæ, multitudo. s. humoris, & praua eiusdem qualitas acris, aut venenosa vim expulsiuam irritans, vt Galenus ait his verbis: Ostensum à nobis est in commentariis de potentiis naturalibus, quod singulis partibus, sicuti aliæ potentiæ, ita & illa inest, quæ materias infestat, excernit: infestant autem aliqua sua multitudine aggrauantes, alia verò extranea qualitate.] Quæ ratio confirmatur, quoniam eisdem præsidiis presentes morbos curamus, atque futuros arcemus, quod ab omnibus Medicis traditum, hucusque sine aliqua dissensione confirmatum est. Adde, quod si habitus athletarum cofestim soluere expedit: neque. n. possunt in melius proficisci, idcircò reliquum est, vt decidant in deterius: sic profectò, vbi vitiosorum humorum magna sit in ipso corpore abundantia, quæ facilè aut putrescat, aut tumores procreet, ac alia id genus inferre possit pericula, eam celeriter vacuare tentandum est, priusquam magnum aliquod malum in homine producat, vt Galenus ait libro de ratione curandi per missionem sanguinis: & decimotertio methodi medendi. Et idcirco addebat alio in opere, quod sunt admodum vtiles purgationes iis, qui humorum abundant copia. Hic offerenda sunt quædam huius authoris verba magni (ni fallor) momenti ad eorum confirmationem, quæ hic dicta sunt. Quamobrem protinus vacuandi sunt (inquit) qui ab his, qui temperandi naturam habent, irritantur, atque aspernantur: vtpote qui multa neç

Cap. 10.

Epicrasis.

Lib. 2. de sympto. caussis.

Lib. 3. de natural. fac.

1. ad Glauconem.

6. aphor. 55
2. ad Glauconem. 2. li. de miss. sanguin. cap. 8.
Lib. de rat. cur. per sanguin. miss. 23.

1. aphor. 3.

De rat. cur. per san. missio. 8.
Cap. 6.
6. epidem. sectio. 2.

facile mobili corruptione sunt repleti.] notes hoc loco quod inquit: Protinus vacuandi sunt:] nam innuit non esse immorandum, quin statim corruptos humores euacuemus. Supponit Galenus duas adesse proprietates in eiuscemodi humoribus: vna, quod multi sint: altera, quod corruptio non sit facilè mobilis, in his statim purgandum iubet: sed quid putabimus dicturum fuisse, vbi cū multitudine, & copia adsit mobilitas, quæ ferè comitari solet omnes biliosos humores? in his certè (si benè iudico) mala foret omnis cūctatio. Postremò dolores vehementes, qui fiūt ab humorum multitudine, vel à mala ipsorum qualitate purgationes indicant statim faciendas: maximum enim periculum esse procrastinationem in eiusmodi casu, nemo est, qui ambigat: in his doloribus non turgent humores, quamuis fortasse moueri possent: de quibus cum infixi sunt in aliqua parte, dicebat. Ad hæc autem infixi in parte quapiam dolores, idq; aut ob humorum copiam confestim irruentes, aut propter spiritum flatuosum vacuationes indicant, sicut qui ab acri humore partem exedente, corroboranteq; perueniunt.] Et propterea vsque ad animi deliquium, aut purgādum, aut vacuandum esse in vehementissimis doloribus admonuit, vt prædiximus.

2. de simpl. medi. fac.

Lib. de miss. sang. 10.

Legito lib. nost. de pestilenti febre, de præseruatione à peste. ca. 4. & passim.

Venio nunc tandem ad humores corruptos: hi sunt, à quibus pestiferæ febres concitantur, quarūm species in hoc vno mihi videtur consistere, quod fiant à corruptione humorum, potissimum quidem sanguinis, ac aliorum humorū, qui sunt excrementitij, aliquando verò etiam spirituum, & solidarum partium corporis. Corruptionis nomine nō intelligo communem, vulgatamq; putredinem, qualis in putridis febribus visitur; sed multò grauiorem affectum, terminum scilicet atque finem putrefactionis. hæc vbi inuaserit corruptio cordis substātiam, aut humores, aut spiritus, aut aliunde incipiēs substantiis eiuscemodi læsionem intulerit, pestilentem febrem fieri puto: de qua re dicam fortasse, aliàs quod in animo est, copiosius, atq; subtilius: sed siue ab hac ipsa caussa, siue à quadam proprietate mala, & occulta nostris sensibus (vt recentiores omnes contendunt) originem duxerit hæc febris, in præsentiarum non curemus: hoc duntaxat supponentes inter omnes affectus nullum æquè lethalem, & perniciosum reperiri febre pestifera, quam aliquando immanem beluam vocauit Galenus. In hac igitur febre nullum præstantius auxilium excogitatum fuit, ipsa ratione, ac experientia comprobante, quam statim à principio morbi vniuersum corpus purgare, quam rem iam doceo.

pestilenti:

Concoctio est, quæ facit cessare putredinem, substātia manente, dicebat Galenus: quandoquidem sunt in putredine duo consideranda: vnum est principium, & via mutationis huius: aliud verò terminus, dum putrefactio incipit, neque adhuc consummata est, regressus datur à statu præternaturali ad statum naturalem, tum ab artis operibus adiuta natura, tum etiam aliquando sola opificiū faciente. At verò cum iam ad terminum ipsum accessit, iam quidem regressus eiuscemodi impossibilis est, neque ars potest corruptum penitus emēdare ita, vt priorē bonitatē acquirat, neque etiam natura, aut ex se ipsa, aut artis beneficio id vnquam efficiet. Velim imagineris idem in sanguine contingere, quod in vinis acescentibus: nam vel in aceti naturam transmutari incipiunt, vel exuta vini forma propriam aceti naturam adempta sunt: Quæ in via sunt ad hanc mutationem, haud rarò ad priorem bonitatem reuersa esse, nemo est, qui non obseruauerit; at in iis, quæ iam in acetum transmutata sunt, idem contigisse nullus huc usque cognouit, & quia est reuera impossibile cognoscet nemo: sic rem habere in sanguine Galenus profitetur, & nos in alio opere declarabimus. Itaque concoctio ipsa emendat putredinem, illam scilicet mutationem leuem, atque principium substantialis corruptionis: at ita quidem emendat, vt cessante putredine remaneat substantia: haud equidē, vt postea debeat expelli: hoc enim non contingit in humoribus salubribus, & bonis; sed, vt vel possit nutrire, vel eos vsus præstare corpori, quos præstabat ante mutationis illius exordium: huic igitur debetur concoctio. At verò ei humori, qui prorsus computruit, quíve omninò corruptus est, nō debetur eiuscemodi concoctio, sed expurgatio: Quoniam verò hæc

[ ]artis medicinalis, c. 8[ ]. 8[ ] v. 40. 16. & 39. 257. 614. & deinceps.

v. p. 422. l. 46. *2. aphor. 17.*

Simile.

Refellitur Argēterius 409.

rò hæc pestilentialium febrium natura est, quod humores ad pristinā suę naturæ bonitatem reuerti non possunt, idcirco hac ipsa ratione statim non expectata coctione expurgandi Hic autem obiter studiosi adnotabunt, quod concoctio quæcunque ea sit instituta pro purgationis vsu, nō debetur nisi humoribus putrescentibus, vt diximus: Humoribus autē, aut excrementis non putridis, nulla concoctio ex arte accommodanda est. Quamobrem neque pituita, neque bilis flaua, aut atra propriè concoquenda, cum nō sunt putredinem experta: sed certè præparationem postulent: quæ actiones longissimo inter sese distant interuallo: vt libro de præparatione docuimus: scio hoc paradoxum quoddam esse, tamen quia verissimum est, vt alibi subtilius demonstrabo, libėter explico. Sed non immeritò quispiam dicet, humoribus omninò corruptis deberi concoctionem, qua natura illos euincit, mitificat, superat, vt postea facilius expurgare possit. Respondeo, id vtique necessarium esse, modo tempus accommodatum suppetat: nequit enim huiuscemodi actio fieri, nisi in conuenienti tempore: sed vbi tanta humorum adest corruptio, expectari non potest: quia dubio omni procul in cunctatione maxima imminent damna: atque, vt summatim dicam, omnia imminere pericula vidētur, quæ supra de humoribus turgentibus diximus: etenim partes præcipuæ, nobilissimæque afficiūtur ita, vt breuissimo temporis spacio, & modo quodam admirando prorsus corruant: in talibus igitur tardare malum fuerit. Adde, quod humores venenati: tales enim creduntur pestilentes, quamuis non sint propriè venenati; sed per quandam similitudinem ad venena septica hoc nomine nuncupentur (nisi tamen fallor) quātò citius purgantur, tantò melius in hunc modum venena per vomitum, per secessumque illico ducimus celeritate maxima.

11. meth.

Contra Altimarum, & omnes Medicos.

Nota

Galenus videtur mihi admodum apertè hoc haud semel docuisse. Extant hęc eius verba, dum præseruandi rationem à pestilentia edocet. Erat autem eorum summa, vt ostendit Hippocrates ipsa putrefactio, quod cùm nos præuidissemus, statim ab initio quęcunque corpora humida videbantur, omni via exiccare conabamur: quæ verò sicciora, in his antiquum habitum seruabamus: at in quibus superfluitates redundabant, hęc purgationibus sanabamus.] Vides igitur, quòd statim ab initio Galenus corpora omni via exiccabat, nulla expectata cōcoctione. Alibi verò retulit quosdam superstites ex pestilētia fuisse, quippe quia & vomuerint ex iis nonnulli, omnibus venter profluxerit, repurgatumque totum corpus fuerit. Et multò apertius rem confirmauit alibi, dicens. Ego namque cacoethes omninò id dico, & ob id qualis fuerit totius corporis affectus, statim considerabo: inueniam autem tum ex vlceris ipsius symptomatis, tum ex notis, quas totum corpus præsefert: cuius maximè generis sit is, qui redundat succus, atque hūc medicamento protinus (notes hæc verba) educam: nec protraham, donec totus hominis cubitus affectum quendam contumacem, rebellemq; curationi contrahat.] Atq; rursus, nam quod alienum (inquit) à natura est, vt amplius ad primam humoris bonitatem redire non possit, educere id quāprimùm est tentandum.] Quam rem Aetius etiam, & Paulus Aegineta confirmarunt.

1. de febriū diff. 4.

5. meth. 11.

4. meth. c. 4.

4. de sanitat. tuenda. c. 4. Lib. 5. 95. Lib. 3. 35.

Sed prętermissis rationibus, ad experientiam veniamus. Testantur Germani quidam scriptores, haud infimæ notę homines, ferè omnes à pestilentia fuisse liberatos, qui purgantia medicamenta in principiis desumpserunt: qui sanè confirmasse mihi videntur opinionem Fulginatis illius subtilissimi Medicorum suæ ætatis omnium. Alii verò non modo in hanc manibus, pedibusque, quod dici solet prouerbio, iuerunt sententiam: sed etiam profitentur inchoantibus eiuscemodi morbis, statim exhibendum esse antimonium pręparatum, de cuius laudibus, atque præstantia in pestilentib. febribus multa scripserunt: quamuis ego (vt ingenuè fatear) cùm illis conueniens, quod à principio non concoctam materiam vacuare conueniat; antimonii tamen huius medicamenti (vt reor) perniciosi vsum in pestilentibus febribus non admitto, nisi inassuetis corporibus, & fortasse regionibus frigidissimis: cùm facultatem habeamus hisce temporibus aliorum, quæ maiori securitate id præstant, qualia à me aliàs explicabuntur.

Theophrast. Paracelsus. Andreas Matteolus. Opinio Gentilis.

Antimonium an in principio febris exhibendum?

Quæ nos hucusque diximus, de iis potissimum intelligenda sunt morbis, qui ancipitem naturam habẽt, atque etiam de lethalibus, vt proixmè declarauimus: relinquitur modo, vt edisserã, quid agendũ sit in morbo prorsus salubri, tũ verò demum, qualem sese præstare debeat Medicus in expurganda materia, quæ in viis ductuum continetur: Quæ duo capita pro totius tractationis absolutione desiderantur.

Dicamus itaque, in morbo salubri humores à Medico non esse purgandos, nisi fuerint cõcocti, vt Senex ille noster venerandus in Aphorismis docuit. Nam tunc naturam auxiliantem habemus, quæ anteaquam euacuet, concoquit primum, secundò digerit, tertiò expellit: ad huius imitationem cũ instituta sit purgatio artificialis, opus est concoctionem præcedere, nisi aliquid vrgeat, cuius indicatio aliis õnibus præponi debeat, vt prædiximus: in qua re video adesse cõem omnium consensum. Sed quo tempore fieri debeat purgatio in salubri morbo, controuersum videtur: an. s. in incremẽto, an in statu, & declinatione, in quibus materiam esse concoctam liquet. Alius .n. aliud sentit. Ego autem sic esse arbitor distinguendum. Perpendenda est in primis morbi natura, ac diligẽter contemplandum, an crisi iudicandus, an citra crisim paulatim soluẽdus. In illis aliquando à purgatione abstinẽdum, aliquando minimè. Iudicante natura, ac morbum non paulatim expellente, inspiciundum, an perfectum sit iudicium, an imperfectum. Si perfecte moueat, omnino abstinendum: quia quæ iudicantur, & iudicata sunt intergè, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando: sed sinere oportet omne negotium naturæ. Sed si non purgauerit perfectè, supplere debet ars idipsum, quod in actione naturæ deficit. Nam quæ relinquuntur in morbis post iudicium recidiuam facere consueuerunt.] & hic opus est naturæ propensionem inspicere, per eam enim regionem vacuandum, per quã naturam incepisse iudicium nouerimus, aut per sudorem, aut vrinas, aut vomitum, aut per aluum: quia vt idem alibi admonuit: Quæ ducere oportet per loca conferentia, eo ducere oportet, quo maximè natura vergit.] Verum si concocta materia, atque digesta natura non moueat, neque adsint aliqua signa, quibus illam iudicaturam esse morbum artificiosè coniectari valeamus, tunc moueat Medicus hora motus eius, vt Auicenna docuit. Hora motus naturæ est vigoris pars vltima, vt plurimum: aliquando prima pars declinationis vniuersalis. At verò si morbus exiterit ex eorum numero, qui iudicari à natura non valeat, medicinis purgantibus vti in augumento, in vigore, & in declinatione licebit. Quod in hoc postremo morbi tempore purgari possit, nemo est qui dubitet: at in augumento, & in statu an conueniat, multis controuersum videtur. Tamen apparet in his etiam sic postulante vsu moueri posse: quia tunc humores concocti sunt, & concocta medicari oportet. Hic notent iuniores Medici, ac diligenter obseruent senis verba. Quoniam dixit, concocta medicari.] & nunquam dixit: Perfectè concocta,] aut plenè.] aut, omnino concocta.] iis enim verbis posse purgationem adhiberi in humoribus concoctis docuit, quomodocunque fuerint concocti, siue multum, siue parum. Quamobrem pro modo concoctionis, purgationes exercendæ sunt, vt alibi dicemus diligentius. velim etiã aliud notari hoc loco, in eiuscemodi morbis dierũ numerum obseruandum non esse, vt temerè admodum quidam faciunt, obseruantes quartam, septimam, vndecimam, decimamquartam, aliosque dies crisimos, & indicatiuos, putantes illi quidem committi errorem maximum, si hisce diebus expurgatum fuerit: cum certè ipsi in hac re pueriliter aberrent: id enim confiteri oportet, illorum dierum obseruationem esse admodum necessariam in morbis naturæ iudicio terminandis: vel saltem in iis, qui terminari possunt hocmodo: sed vbi nihil eiuscemodi apparet, perperam adhibetur eiuscemodi obseruatio.

Cæterùm quod attinet ad humores, qui in primis venis continentur, putauerim non expectata concoctione purgari posse, adhibita prius ea præparatione, quam requirunt: sic videmus ex ventriculo concitato vomitu pituitam & bilem

Marginal notes: 1. aphor. 20. — 2. aphor. 12. — 1. aphor. 21. — Line numbers: 10, 20, 30, 40, 50.

Manuscript marginalia: In salubri morbo quo tempore fieri debet purgatio. — Nota. — Nota 1a. — Nota 2a.

vtramque expurgari: atque etiam ex mesenterio ac intestinis tũ per superiorem partem, tum per inferiorem, sine aliquo incommodo quotidiè moueri humores crudos obseruatum est: hæc res tanquam clarissima non postulat vberiorem explicationem.

Relinquitur tandem, vt satis fiat iis difficultatibus, quæ opinionem nostram maxime controuersam facere videntur. Sed quoniam nimis operosum esset afferre in mediũ ab aliis sigillatim dicta, & necessaria prætermittere imperfectionem tractationis argueret: hic summam duntaxat explicabo eorum, quæ magis vrgent, ex quorum explanatione vnusquisque poterit alias difficultates omnes persoluere. Quamobrem sciendum est, quod qui nunquam à morborum principiis purgare volunt, Galeni, & Hippocratis authoritatibus vtuntur, quibus persuadent malas esse vacuationes factas cruda materia existente: cum sit impossibile aliquid benè vacuari inchoantibus morbis. Acidcirco concocta medicari, & mouere, non cruda iusserit Hippocrates. Ad hæc verò proferunt quasdã rationes, quarum vis in hisce consistit fundamentis: primum quod ars naturam imitari debet, quæ quoniã nunquam expurgat benè in principiis morborum, debet ars etiam ab eiuscemodi purgationibus abstinere. Alterum verò est, quod non est impedienda concoctio, quæ fit à natura potissimum in statu: videtur. n. distrahi natura ab opere instituto, quæ res fieri non posset sine maximo ægrotorum detrimento. Tertium verò, quod purgatio fieri non potest, nisi mali humores à bonis segregati fuerint, quæ segregatio digestio dicitur à Galeno, at hoc ipsum fieri non potest, nisi concoctione intercedente, vt passim admonuimus in iis, quæ supra diximus: Alia quidem addunt, sed hæc potiora sunt: quorum explicatio habere mihi in hũc modum videtur, vt sigillatim satis faciamus hisce difficultatibus, Ludouice Pater, dicimus, duplicem esse curandi modum: alium quidem ordinarium, & ipsa methodo innixum: alium autem extraordinarium.

In Fucsium libr. 2. paradoxorum.

4. aphor. 24. 1. aphor. 22.

Ordinariam curationem adhibemus, vbi nihil impedit remoraturque, quin exequantur indicationes à morbo, eiusque natura desumptæ. At verò extraordinaria est, cum aliquid interpellat, impeditque propter melius: nam vrgente aliquapiam caussa, illi operam dare debemus, vt puta vrgentiori: quod nisi fieret, de ægri salute omnino esset conclamatum. Deinde vero obseruandum est aliud, nempè quod aliquid bonum, vel malum dicitur, aut simpliciter, aut in relatione ad aliud: sic purgationes dicuntur quædam bonæ absoluto sermone: quædam in comparatione ad aliud: quæ fit concocto morbo, dicitur bona simpliciter: quæ fit cruda materia, dicitur mala: at vero hæc mala existens, bona dici potest in comparatione ad malum aliquodpiam maius ex illius intermissione subsecuturum. His in hunc modum constitutis, dicimus ordinaria curatione concocta medicari oportere, & mouere non cruda: sed curatione coacta & extraordinaria, de qua minimè locutum fuisse Hippocratem affirmamus, crudi humores mouendi sunt. Mox autem non incommodè dici posset, materiæ turgentis nomine tam vocari eam, quæ turget actu, quàm eam, quæ turgere potest, caussis scilicet præsentibus, propter quas humores dicuntur turgere. porrò accidit in humoribus turgentia à multitudine, à malignitate, à motu, & ab acrimonia, quibus præsentibus vtilem esse purgationem statuimus. Scio hãc distinctionem Galeno placuisse, qui haud semel magnitudinem morbi interpretatur, non pro præsenti solum affectu, sed etiam pro futuro: atque vtrunque pro sua natura indicare missionem sanguinis. Itaque, si hæc sunt vera, statuamus in Aphorismi illius sententiam, quæ dicit, inchoantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue: vt rursus concocta medicari, & mouere non cruda, contineri veritatem eorum, quæ diximus. Galeni autem sententiæ ferè omnes intelliguntur de bonis purgationibus simpliciter, ac absoluto sermone prolatis: etenim admittimus malas esse vacuationes omnes factas materia existente cruda: quæ tamen, quẽadmodum diximus, bonæ possunt nuncupari, habito respectu ad maius malũ, damnumq; subsequẽdum: cuius caussa ordinẽ cogimur subuer-

Curatio duplex ordinaria, & extraordinaria.

Contra Fucsium lib. 2. paradox.

Nota.

Argumenta: 1. 2. 3.

Curatio: ordinaria / extraordinaria

Bona: 1. simpliciter / 2. relative.

Lib. de medic. purg. fa. 4. de rati. vic. 76.

tere. Quòd si aliquando Hippocrates ante decimum quartum non vult in febribus exhibenda esse medicamenta expurgantia, intelligendus est de iis febribus, quæ omnino sunt salubres; alioquin haud rectè conclusisset, in Pleuritide quarta die expurgandum: maleque locum fuisset interpretatus Doctor admirabilis, quod non modo quarta, sed prima, secunda, tertia, & quinta aliquando id faciundum sit: in hunc modum interpretati illustrium Medicorum loci, nullam habere difficultatem mihi videntur.

Omnia contra Fucsiũ ibidem.

4. aphor. 20.

Quantum verò ad rationes attinet, haud est difficile illis respondere. Artem enim imitari naturam penes quinq; contingit: quantitatem, qualitatem, locum, modum, & tempus. In primis quattuor ferè semper imitatur natura: in tempore non est necessarium: nam dicebat senex ille diuinus: Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre fuerint, pessimæ. Et quantò colores plures, fuerint praui, peius: cum medicamento verò melius, & quantò colores plures, non praui,] Ad hæc verò dicimus, quod natura, posito, & non concesso, etsi à principiis morborum nunquam expurgat, quòd tamen ars id faciens, illius imitatione duci videtur. Etenim ars tum in iis, quæ facit natura, tum in iis, quę non facit, illam imitatur: quoniam si natura id efficere posset, sic operaretur: nunquam enim ossa laxata reposuit natura, nunquam venam secauit, hoc facit ars, quæ culpanda non est, quia natura si posset, idem operaretur: sic ab arte fit domus, quam non fabricat natura, cum non possit: atque si posset, idem opus efficeret. Rursus non videtur mihi verum, naturam nunquam expurgare ante statutum tempus: dedimus in superioribus testimoniũ ex Galeni verbis de fætu mortuo, de ventriculi expurgatione per vomitum: nunc verò duo addenda sunt. Vnum quod materia turgens cruda mouetur: hanc sanè ipsa nequit natura propter multitudinem expellere, idcirco natura motum tentante, & ob imbecillitatem nequeunte expulsionem efficere, indiguit artis adminiculo, veluti manus porrigente: ex hoc potest colligi naturam tentasse purgationem crudorum humorum, sed si hanc perfecisset, nullum fuisset incommodum subsecutum: at quoniam non potuit, illius imitatione ars supplebit. Aliud verò, quod in pestilentibus morbis ante statutum tempus fit expulsio per cutem, in qua efflorescunt papulæ illæ, siue exanthemata, siue ectimata, (aut quomodocunque nuncupare volueris) qui motus, etsi maiori ex parte sint symptomatici, tamen cum salubritate haud infrequenter contingere obseruatum est à nobis: eadem ratio est de bubonibus pestilentibus, de carbunculisque: nam crudo morbo apparere, vt plurimum nemo est, qui nesciat: Quamobrem concludendum est, naturam regulariter non purgare, nisi concoctam materiam, coactè tamen aliquando etiam crudam, nec sine ægrotorum commodo educere.

4. aphor. 22.

Hic façere dubitationem videtur Hippocratis verba, quæ in hunc modum habent: Inchoantibus morbis si atra bilis supra, vel infra exierit, lethale,] hãc vacuationem esse malam, dicit Galenus, per viã signi, non autem caussæ. Hic dicimus, tres fieri solere ex hoc aphorismo illationes: quarum prima est, Lethalis est vacuatio atræ bilis inchoãtibus morbis: igitur lethalis vacuatio vniuscuiusq; humoris. Secũda, lethalis est vacuatio bilis atræ crudo existente morbo, facta a natura: Igitur cuiussuis humoris vacuatio artificialis in principio morborũ est mortalis. Tertia: Lethale vacuatio atræ bilis spontanea, igitur, lethale est eiusdem vacuatio non spontanea, sed artificialis. Harum illationum nulla est vera. Non equidem prima, quia à particulari ad vniuersale illatio non valet, vt sciunt Dialectici: nam si huius vacuatio humoris lethale signum est, bonum poterit esse signum vacuatio bilis. Caussa est, quia bilis atra humor est admodum crassus, qui semper cum difficultate expellitur: flaua autem bilis, & aliæ contrario modo sese habent, vt etiã pituita aquea: qui humores ob tenuitatem, & fluxibilitatẽ facilè ducuntur quocunque velis: Nostram hanc sententiam veram esse, quotidie ostendit Diarrhea, quæ à principio non parum iuuat, nec debet à Medico adstringi. Secunda verò non valet; quia turgentẽ materiã à principiis morborum

fœliciter expurgamus: & adhuc in aliis morbis, si quid videtur mouēdum, mouemus; bonæque sunt vacuationes eiuscemodi, tanquam caussa, & tanquam signum: cūm tamen sit malum signū vacuatio atræbilis non mala caussa. Tertię illationis falsitatem declarauit Hippocrates in eodem libro. Comparans euacuationem artificialem humorum, qui nigri sunt, ad euacuationem naturalem, cum dicebat: Cum medicamento verò melius, & quanto colores plures fuerint, non praui.] 4. apho. 21.

Ea verò parte, qua dicunt impediri coctiones ab eiuscemodi vacuationibus, toto quidem, vt dici solet prouerbio, aberrant cœlo, quoniā promouentur magis & fęliciores fiunt: nam si multitudo ingens adest humorum, quos natura vix poterit concoquere, quis dubitaret vacuationes factas, anteaquam illa aggrediatur concoctionis opus, minorata materia plurimum conducere: Audiant Galenum his verbis, quæ diximus confirmantem: Vt coctiones citius eueniant, melius est circa principia vacuare, quo minorem iam factam materiam, facilius possit natura concoquere: morbo autem consistente, cum iam natura concoquit, superfluum est vacuare.] 2. apho. 29.

Quòd si quis obiiciat sententiam Hippocratis, dicentem: Ventrem ab initio clistere duces, sed medicamenta purgantia non admouebis. Nempè si ventrem mouens vrina non maturabitur, febrisq; citra tum sudorem, tum iudicationem in longiori protrahetur tempore.] Cui concordat illud Galeni in Commētario, his verbis. Quòd si hæc concoctioni humorum conferant, purgationes contrariæ iis existunt: nempè corpus vehementer mouentes frangunt. Tali si quidem virtute prædita sunt omnia, quæ purgant medicamenta: hæc est ergo caussa cur purgationes coctionibus aduersantur.] Respondebo quidem dupliciter: vno modo locutum fuisse illum de medicamentis, quibus vtebatur: quæ validissima fuerunt, & nunc in vsu quotidiano non sunt: cum nos passim adhibeamus medicamenta admodum benigna nullum incommodum afferentia. Alio deinde satis faciemus modo, contextum intelligendum esse in iis morbis, in quib. certa speratur salus per naturæ iudicium ventura: quam rem declarant ea verba, tum citra sudorem, tum citra iudicationem.] Nos verò idem affirmamus: cum verò purgationem consulimus cruda existente materia, id non facimus, nisi quando incertum est, an debeat natura cōcoquere, vt in morbis magnis, acutisque. Possemus etiam satis facere, dicentes, fuisse locutum nostrum Senem de curatione ordinaria, non coacta, quæ etsi aliquid officiat coctioni, haud tamen officit, si maximam vtilitatem contemplemur ex purgatione prouenientem. Atque idcirco fateamur nos fieri, purgationem cum aliqua iactura naturæ, euacuando humores bonos simul cū malis: (neque enim adhuc discreti, digestique sunt,) sed hoc malum est tolerabile, potestque facilè emendari. 4. de ra. vic. vens. 44. & c.

Hæc sunt, Ludouice Pater, quæ de proposito argumento dixisse volui: in quib. iudicium tuum exactissimum desidero. Vale. Ex vrbe, die 24. Martii 1558.

LIBRI PRIMI FINIS.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM MEDICINALIVM, LIBER SECVNDVS;

HIERONYMO CAPIVACCIO MEDICO CLARISSIMO;

Cynica subuertitur Apologia, in quâ dicuntur quamplura de natura calculi, eiusque caussis; De plano vlcere, an compositus sit morbus: De indicationibus ad calculum extirpandum: De vsu lactis asinini, & balnei aquæ dulcis, pro eorum confirmatione, quæ ab Augenio scripta sunt libro de calculosis, & vlceratis renibus.

CAP. I.

Occasio scribendi, & de quibus tractandum.



ITTERÆ tuæ, quas dedisti Hieronymo Cordellæ, Alexandri Farnesii. S.R.E. Cardinalis amplissimi, medico, non illi duntaxat, sed aliis certe multis, atque cum primis fuerunt mihi iucundissimæ. Siquidem, cùm librum de medendis calculosis, & vlceratis renibus priuatæ cuiusdam disputationis occasione ex tempore, vt is, & Antoninus Chyrurgus testantur, conscripsissem, neque meo plurimum tribuens iudicio, illius copiam optimis Medicis, ac tibi potissimum fecissem, vt percepto, quid sentirent alii, iudicassem, an palinodiam recantare, an autem in concepta, promulgataq; opinione confirmari debuissem. Ac mihi tandem cum aliis omnibus non modo Italiæ, sed etiam totius ferè Europæ clarissimis Medicis, quorum extant apud me litteræ, ex voto successisset negotium; relinquebatur, vt audirem, quid tu nemini secundus, de hoc argumento sentires, cuius rei erat apud me inexplebile desiderium. Hoc liberauit amicissimus Cordella, dum tuas humanitatis erga me, & omni doctrinarum genere plenissimas, legendas obtulit. Vix dici potest, quàm ego ex illarum fuerim lectione oblectatus. Primum quidem iucundissimum fuit mihi, atque gratissimum, quod de me tam benè sentires: Nihil enim potest hac vita contingere iucundius, quàm laudari à viro laudatissimo: Ego certè ita sum affectus Hieronyme, vt quamuis nihil mihi temerè tribuam, maximo tamē gaudio semper afficior, cùm homines grauissimos bonam de me opinionem habere percipio. Mox autem, quia non modo doctrinam illam recognoui magnam, quam de te vno ore omnes prędicant, & ego profiteor: sed cum iis, quæ à me scripta sunt, adeò consentientem, vt nihil magis. Quandoquidem paucis, admodum exceptis, quæ ex falsa (vt reor) aliorum relatione magis, quam ex rei veritate pendent: illæ tuæ non Capiuaccii, sed Augenii litteræ videbuntur. Hinc factum est, vt putauerim esse me operæpretium facturum, si te redderem hac de re certiorem, vt aliorum cognitis erroribus, atque fucis, candidum Augenii animum perciperes: ac etiam, vt manifestissimum facerem dicacissimos quosdam Cynicos inaniter admodum gloriari, confirmasse te illorum sententiam, quam certè apertissimè reprobasti: tum etiam, vt ostendam

Scribendi occasio.

10 20 30 40 50

dam illos libello admodum infami, atque certè, vt authorem decebat, cymæriis tenebris dignissimo, nihil penitus tradidisse, quod ad Medicos etiam mediocres pertinere iudicari posset. Postremum decebat tuum me desiderare iudicium, quod non in hac modo, sed in omnibus, quæ post hac ex mea prodire poterunt officina, lucubrationibus, plurimi facturum polliceor. Nunc ad rem ipsam satis præfatus, veniens, scito, eorum summam, de quibus instituta fuit olim disputatio, in hunc modum habere.

1 Primum, qualem esse putem calculi naturam, & à quibus caussis fiat.

2 Mox, an vlcus planum, quatenus vlcus morbus existat compositus.

3 Ad hæc, quæ indicationes ipso in casu vigebant.

4 Postremum, an lac asininum, & dulcis aquæ balneum pro indicationibus exequendis potuerint esse remediorum materia.

De quibus differendum.

In his igitur audito, quid sigillatim sentiat Augenius, hac tamen lege, atque conditione, vt tuo iudicio, quod exquisitissimum esse profiteor, emendentur, & corrigantur.

CAP. II.

Renum calculus quid sit, & quomodo fiat.

QVOD itaque ad primum attinet, quamuis in multis partibus humani corporis contingat generari calculum, ego hic trãsigam de calculo renali primum: dein verò de altero, quem in vesica oriri perhibent, sed prius generatim quædam explicabuntur vtrique communia. Supponamus calculum affectum esse præter naturam: triaque horum esse genera, caussam scilicet, morbum, & symptoma: quæritur sub quo genere veniat reponendus. Certè morbus non fuerit (quicquid alii dixerint) quoniam omnis morbus διάθεσις est, atque constitutio partium corporis actionibus proximè, & sensibiliter incommodans. Hic διάθεσις nomen, constitutionem significabit corporis ea notione, quam docuimus alibi. Itaque dicitur morbus mala corporis constitutio, vt bona sanitas est, ac dicitur, ab his malæ, aut bonæ actiones proficiscuntur. Caussam dicimus morbificam, ipsam contentorũ constitutionem. Si vera hæc sunt, vt putantur, quis renum, aut vesicæ calculos, aut sanguinis grumum esse morbum dicet? quis intestinorum lumbricos, ascaridesque, & si toto sint genere præter naturã? Adde, quod neque caussæ sunt: quia non semper actiones lædunt, cumq; id faciunt, morbus interuenit. Quin neq; si humores in venis putrescant, inferũt morbum, nisi effectrices partes contagione prius attingant, atq; labefactent. Iam verò calculus, dum gignitur, molestiam nunquã profert (nec me fugit admirabilem Galenum contrarium scripsisse) at verò, cùm genitus est, læsionem infert aliquando, & aliquando non infert. Cùm is non lædit, siue fiat, siue factus sit, morbi caussa non est, sed symptoma affectus insequens corporis. Sed cùm lædit (quæ res iam genito contingit) affectum præit, ac insequitur. Intemperies præit semper ortum calculi, subsequitur autẽ semper diuisio vnitatis, ac interdum aliquispiam morbus in compositione. Hinc ratio symptomatis prius inest illi, quàm caussæ. Hoc ipsum symptoma statuatur in genere excrementorum consistere, quod cùm triplicem habeat differentiã, vel in substantia, vel qualitate, vel quantitate. Calculus est excrementum vitiatæ substantiæ toto genere præter naturam: non quidem ratione excretionis, sed ratione eius substantiæ, quæ excernitur, aut iam genitæ retinetur citra manifestam, sensibusq; conspicuam lęsionem corporis. At siue retentum, siue expulsum, semper eiuscemodi excremẽtum est, quale diximus, ac id sanè durum, non molle. Expulsionis caussa facultas expultrix valida, viarum latitudo, calculi paruitas, lenitas, rotunditas. Retentionis contrarię his ferè omnes. Generationem facit constitutio renum calidior, & siccior per se, vel per accidens: quæ morbus est in partis intemperie, à qua actiones fiunt. Hæ sanè quamuis ab anima proficiscãtur, eiusq; facultatibus, Medicos ta-

Ordo dicendorum.

Galen. 1. de morb. diff. & 1. meth.

Gal. ibid.

Arist. in prædicamentis.

Morbus quid.

Fern. lib. 2. pathol.

Causa quid.

Gal. lib. 6. epidem.

Symptoma

Calculus quod excrementum.

Causa efficiens

Fernelius ibid.

men immitati, dicimus, partes ipsas existere principales, proximasq; actionum caussas, siue quod recondita sit animæ facultatumque substantia, siue, quod ad agendum necessariæ sint instrumentorum vires, siue, vt præstantissimi sentiunt philosophi, quòd animę, & virium substantia immutabilis, nulla vi, nullo morbo labefactari, atteriq; possit, quamquam plerunque instrumenti vitio interpellatur. Quamobrem nimium excalefacti renes in præparatam agentes materiam pro generatione calculi edunt actionem deprauatam: à qua fit opus pręter naturam tota substantia: quod opus calculus est. Igitur intemperies facit actionem corruptam: actio deprauatum opus procreat: Non oportet admittere calculosam, petrificam, aut arenosam constitutionem: quandoquidem dum medemur omne dirigitur consilium, studiumque nostrum ad materiam ex qua, & ad intemperiem à qua fit calculus, & ad ipsum opus iam factum, atque etiam ad vias, per quas calculus integer, vel fractus debet exturbari, minimè verò ad constitutionem ipsam, (si fortè admittenda fuerit) quam artis industria corrigere non potest. Porrò calculus nascitur ex omni materia viscida, itaque omnes succi, omnes humores, omnia denique excrementa ad illius ortum idonea sunt, (exceptis icoribus) quia habent lentorem quendam, cuius causa diuisæ partes inuicem vniri possunt. Non tamen æqualis est omnium vis: nam quæ maximè viscida sunt, plurimum conducunt; quia verò pituita lentorem habet insignem, accidit, vt hanc solam, aut etiam permistam facere calculum credamus, denominatione desumpta ab eo, quod frequentius contingit: Hæc statuitur proxima materia, & subiectum: remotior caussa est alimentum viscidum cuiuscunque generis in præparato corpore, in eo quod magis ac minus latitudinem habēs conspicuam. Conuenit vtrunque ad generandum calculum, subiectum, & efficiens: aliquando subiectum magis, aliquando efficiens: in hepatis chisti ex bile fit calculus magis equidē concurrente cōtinua ignei caloris actione, quàm dispositione subiecti. Sic in vesica oriri tradit Galenus magis ob materiam dispositam, quàm ob vim agentis, vt post hac dicam: hunc eundem posse in renibus casum inueniri, non dubito. Subiectum ex quo fit calculus, non est toto genere præter naturam, sed opus ex subiecto iam genitum. idcircò non rectè quis dixerit, calculum esse excrementum viscidum, crassum, terreum: quamuis rectè senserit, si statuat fieri ex tali materia, & calculum toto genere excrementum existere præter naturam: differunt enim hęc inuicē, nam hoc formam, illud materiam respicit. Quis enim calculum esse viscidum diceret excrementum, cùm omnino crassum sit, atque durum; calculus caussa fit morbi, tum quando retinetur, tum quando propellitur. Violenter enim subito, & affatim impulsus arte, aut natura, soluit vnitatem, meatus obstruit, naturalem partis magnitudinem auget: retentus autem tum infarcit cauitates ipsas, tum etiam aliquando tumorem inuehit præter naturam. Horum affectuum relatione dici potest formalis caussa, & efficiens: potest etiam dici duntaxat efficiens. Formæ gerit vicem quo ad obstructionem, quia remoto lapide ars iudicat cauitatem liberam, sed relatione habita ad solutionem continui, ad tumores effectricem caussam dicemus: quādoquidem potest consistere vterque affectus citra calculum. Sic igitur erit morbi caussa, & aliquando symptoma. Sed cum caussa est, symptoma esse definit: cum nihil queat vtriusque naturam ad idem possidere, quia idem certè nequit lædere, & non lædere actiones. Galenū verò libro de morborum differentiis non dixisse calculum esse morbum in numero, quæ in alio opere dicta sunt à nobis, manifestum faciunt: ac etiam in Annotationibus in decimumquartū methodi explanauimus ibidē per similitudinē dici morbum in numero curatiuis indicationibus, cū veris morbis in numero conspirātibus. Nec inueniri certè potest apud hunc authorem lapidem nonnunquam, vt morbum in numero: nonnunquā vt morbum in situ: quandoque vt affectū in figura, ac interdum vt caussam, & symptoma fuisse definitum. Neque rursus conuenit arbitrari, esse propterea morbum in numero: quia res quæpiam sit grauis, opprimensque, vt quidam aiunt. Quia humores tumores opprimunt citra morbum in numero: & quia sextus digitus

Cōtra Ferne. lib. 5. patologir.

De materia calculi.

Materia calculi proxima & remota.

Cynicus refell. in Consult.

Calculus quomodo fit caussa morbi.

Calculus caussæ efficiens à formali quomodo.

Explanatio authoritatis Galeni. Anno. 648.

gitus haud grauat, opprimítve, & tamen dicitur affectus in numero. Mox autem constitutionem in numero partium adauctã dicimus morbum. Qui putat calculum obstructionem esse, aberrat ille quidem plurimum: cum id veritatẽ habere nusquam appareat. Sic pariter aberrat, cum putat non pertinere ad Medicum agere de lapide renum, ac vesicæ, sed ad naturalẽ Philosophum: Vide peruersum dogma. Ex his ego hanc calculi perfectam esse definitionem putauerim. Calculus est corpus durum excrementosum, toto genere præter naturam ex viscidis substantiis ab igneo renum calore procreatum. Dixi perfectam esse definitionem, quia vtroque examine, & quid sit, & propter quid, explicat. Hinc apparet grauis alioquin error quorundam dicentium, in medicina non inueniri definitiones perfectas: neque per caussam formalem, ac lapidem verè definiri non posse, quæ res explicaretur à nobis, si tecum institutus non esset sermo, qui horum falsitatem optimè cognouisti. Neque sum arguendus Hieronyme, quod in opere de medendis renibus, videor excrementum prętermisisse, atque essentialem differentiam, nempe, toto genere præter naturam. Nam superiori, vt scis, examine admittens excrementum pro genere: corporis nomine in subsequenti excrementosum intelligebam, ac rursus aliud omisi, vt omnibus notum, cõtentus ostendisse materiam, ex qua non esse toto genere præter naturam, vt quidam contendebant: quorum certè peruersum fuit non modo in hac re iudicium, sed in eo, quod scripserint negare me lapidem esse excrementum: cum hoc nunquam nedum scripserim, sed neque somniauerim.

Cynicus refel. in Consult.

Cynicus Fol. 29.

Calculi definitio.

Occupatio.

CAP. III.

De vesicæ calculo, ex qua fiat materia, & an in vesica possit generari, defensio Fernelii contra Cynicum.

SVPEREST modo, vt de calculo vesicæ differentes tria perquiramus: Primum an in ea sede generetur, vt communis omnium opinio videtur. Alterum à quo generetur calore. Postremum, an discrimen sit aliquodpiam inter Galenum, & Alexandrum Trallianum: namque de hisce tribus orta discordia est. Quod pertinet ad primum, vetus quidem increbuit opinio non in renibus modo, sed etiam in vesica procreari calculum: hanc admisere Græci omnes, & Arabes, & Latini vnanimi consensu: Ioannes Fernelius vir quidem cum antiquitate cõparandus primus, & quod sciam, solus opinionem reiecit. Quoniam quid viscidam illam materiam tandiu remorari possit in vesica, nõ videt, cũ & sanguinis grumus, & pus, mucosa lentaq; pituita, aliaq; multo crassiora facilè illinc profluant cum vrina: idcirco putauit omnem in vesica conclusum lapidem rudimentum quoddam è renibus traxisse, è quibus per nephriticum dolorem excidens, si grandiusculus est, in vesica aliquandiu hæret, ac plerumque consistit: illicq; allaturum sordium coagmentatus copia, verus confirmatur calculus. Neminemq; hactenus offendisse testatur calculum habere in vesica, qui à nephriticis doloribus diuexatus antea non fuisset: Et quoscunque exemptos vesicæ calculos obtriuit (obtriuit autem experiundi gratia permultos) in eorum medio quasi nucleum reperiri, verum rudimentum exturbatum ex renibus, diuersi, quàm reliquum integumentum, ac inuolucrum, & coloris, & substantiæ. Reprobauit Fernelium homo quidam, at haud rectè assecutus est scopum, nec illius mentem percepit. Namque imponit illi, quod velit ex omni humore in vesica procreari posse calculũ, & ab illo præcipuè, qui magis, & felicius lapidis formam possit suscipere: & huiusmodi sanguinis grumum esse, qui crassissimus est, tamen eo modo quo vesicam ingreditur, à natura expellitur: ergo tanto magis humores reliqui. Hic certè somnium enarrat: neq; enim sic Fernelius: cuius ratio hanc habet hypothesim. Quod si in vesica ab humoribus exustis generatur calculus, opus est illos diu in vesica contineri, vt possint in illius naturã transmutari: at non video (inquit) quid illic eos tamdiu remorari possit, cum sanguinis grumus, pus, viscida lentaq; pituita, ac alia crassiora sponte effluant simul cum

Lib. 6. cap. 13. patologia.

allatax

Cynici calumnia, fol. 59. & 60.

vrina. Adhæc satisfaciens rationi aberrat, cum vult sanguinem carere visciditate, cum sero caret, quasi quod serum sit propria ratio visciditatis, ac adhærentiæ in sanguine, non autem vt omnium consensu patet, fluxibilitatis, tenuitatisq;. Aberrat etiam, cum dicit sanguinem in puris naturam conuerti in vesica conclusum: at Fernelius grumescentem supponit: mox autem si pus admitteret, ex illo lapidem creari non semel testata est antiquitas. Dum verò ad obseruationem de nephritico cruciatu respondet, displicet mihi, quia magis confirmat, quàm reprobet Fernelium, Mouetur lapis per periodum, Fateor, quamuis non semper cōtingat, nā qui semel perfectè sanatus est, eius affectus periodos nō habet. Vide quæso quid inferat. Sicq; ait, qui laborāt calculo, necessariò plures calculos habebūt in vesica. Id inquam ego haud est omnino necessariū, quia vt recipiuntur in vesica, sic possunt ex vesica expelli: mox si fuerit necessarium, haud fuerit absurdum: quoniam in pueris, in adultis, in senibus quinque & sex lapides ex vesica vidi extractos. Quæ de nucleo affert, quàm absurda sint, & extra propositum, nemo est qui nesciat. Homūtione igitur prętermisso, quid sentiendum? Primum quidem inquam, inanem, ac prorsus inutilem eiuscemodi quęstionem esse: quia siue rudimentum lapidis in renibus, siue in vesica constiterit, curatiuæ indicationes non variant. Theoremata verò de rebus medicis instituta, reducantur omnia fermè ad artis vsum, idcirco veteres, quorum admiramur ingenium, subtilem hanc disputationē omisisse puto: contenti duntaxat inuestigasse indicationes vtiles, id quod iudice sensu (quæ res alioquin est peculiaris apud Medicos) verum esse putarunt, admisere. Deinde verò inquam, adhærere me Fernelio maiori ex parte: dixi maiori ex parte, quandoquidem eius decretum (nisi fallor) non est vsquequaque verum. Namque obseruaui pueros citra cruciatus nephriticos fuisse calculo obsessos, & quosdā, præsertim ab incunabulis, hunc affectum habuisse, siue quod à calculosis parentibus malam hæreditatem acquisierint, siue alia de caussa. Nec non in adultis idem scio contigisse, in quibus haud semel vidi exulcerato vesicæ ostio ex pure calculum sensim concreuisse. Integumentum autem, & inuolucrum haud semper à nucleo diuersum est: cum pariter obseruauerim albos lapides citra nucleum, aliquando maximè friabiles. Ratio Fernelii, quæ magnam habet probabilitatem, ipsius etiam testimonio, haud est in omnibus vera. Nam qui adstrictum habent ostium vesicæ, tenuesq; vrinas emittunt, quales potissimum sunt qui carunculam patiuntur, aut prædurum aliquodpiam in ea parte tuberculum, retinent in eius capacitate sordes viscidas, quæ tractu temporis possunt à calore incrassari, in calculumque mutari. Quamobrem opinio Fernelii, vt plurimum vera, & hæc satis de prima quæstione.

Fol. 60. — *Hippocrates 6. epid.* — *Fol. 59.* — *Augenii suspicio.* — *Augenii opinio quomodo in vesica generetur calculus pro Galeno, & opinione communi.*

10 — 20 — 30

Cap. IV.

Calculus in vesica à quo fiat calore.

40

AN autem in pueris fiat lapis in vesica, nec ne à calore naturali, vel igneo, Galenus optimè (nisi meum me fallit iudicium) expressit. Hippocrates quærit cur in pueris post mictum concrescant calculi. Respondet. An quia calidiores? Explanator asserit pueros insito calore adultis existere calidiores, & adultos acquisitio esse calidiores pueris. Calculos verò generari in puerorum vesica à calido innato. Rem verò distinctius explicans, sic tandem inquit: Veritas autem est calculos pueris in vesica ob vrinæ crassitudinem procreari: porrò vrinas crassissimas à pueris reddi, & ab omnibus ante nos Medicis concessum est, sed cur tales reddantur, ipsum quidem per se speculatione dignum est: ad rem autem propositam nihil facit. Crassas enim vrinas excerni, & euidenter apparet, & rerum testimonium declararum est. Huiusmodi namque crassitudo multa collecta, & in vnum coiens, cum semel aliquando non apto tempore excreta intus diutius remanserit, coagmentandi, concrescendiq; initium capit. Eo verò principio facto, facile (quod iam superest) quicquid iterum crassi in vesicam delabitur

acquisititio

Galen. lib. 6. de morbis vulg. com. 2. text. 15. fol. 165. F. G. H. & 166. A. B.

50

tur, priori adglutinatur, maiorq; inde tophosus calculus redditur, quẽadmodũ extra in calidis aquis spontè nascentibus, & in vasis vbi calefit aqua quotidie lapis coalescere cernitur. Igitur vrinarum crassitudo creandorum calculorum prima potissimaque caussa est: caliditas verò etiã mediocris ad huiusmodi materiam spissandam satis est: Nempè & in sponte calidis aquis, & si mediocribus tepidiores sint, tophi concrescentes apparent: Hac igitur ratione Hippocrates eam vocem: Num,] adiecisse mihi videtur, quoniam & tanta caliditas, quam ingenitam pueri habent ad coagmentandum aliquid facit: verùm non ipsa præcipuè, sed materia, ex qua fit lapis, qualitas ipsius compactionis caussa existit,] hæc ille. Ex quibus deducuntur efficacissimæ quædam rationes à natiuo, insitoque calore in pueris procreari calculos: quarum vna est; Quod pueri lactantes, & non lactantes citra febrem generant in vesica calculum, quæsierim, quis calor sit opifex generationis huius? Acquisitium dicere non possumus, quia talem non habent: igitur erit natiuus. Adhæc verò si fieret à caliditate ignea, ipsa quidem ad hunc effectum producendum concurreret præcipuè, aut saltem æqualiter. At non ipsa caliditas puerorum præcipuè concurrit. Amplius non dixisset Galenus, nempè & in sponte calidis aquis, etsi mediocribus tepidiores sint.] Præterea idem indicat loci conditio, vesica scilicet frigida, quippe quæ neruosa sit, & pauci sanguinis. Si vera hęc sunt, admiror plurimum, quod quidam in pueris ab igneo calore calculos fieri dicant, quod hanc Galeni commentationem non legerint? quod non notauerint hæc verba. Quocirca par erat ab eo potius calido in vesica lapidẽ concrescere,] & calidis aquis etsi mediocribus tepidiores sint,] rursus. Quoniam & tanta caliditas, quam ingenitam pueri habent,] ac postremo. Quin etiam hanc crassam materiam in pueris tenaciorem esse, quoniam magis ab insito calido elaborata est, rationi congruit,] sed, vt opinio careat omni controuersia, animaduertendum est, quod ab agente naturali potest fieri effectus aliquispiam præter naturam, non ratione agentis, qua agens est, sed ratione passi, & modi agendi. Iam quidem viscida illa materia, quæ pro subiecto substernitur calculo: (absurdum enim est affirmare subiectum lapidis esse in extremo siccitatis constitutum) præter naturam inhæret vesicæ, diuque ibidem commorata actionem diuturniorem caloris patitur, quam deberet secundum naturam: duo itaque præter naturę institutum insunt, materia diutius in hærens, & actio caloris longior, vt Galenus hisce verbis edocet: Huiusmodi nãque crassitudo multa collecta, & in vnum coiens, cum semel aliquando non apto tẽpore excreta, intus diutius remanserit,] quod non excernatur suo tempore viscida materia: quodque diutius remaneat, inest præter naturam & parũ infra. Initium huius conspissationis accipiens, quando in vesica diutius commoratur, materia illa crassa elaborata a calore insito naturali puerorum temporis processu acquirit lentorem quendam, etsi ab initio nullum habuerint: quocirca planè magis in vnum coeunt, densantur, atque coagmentantur: nam inter ęquè crassa, quod tenacius est ad vnionem, spissitatem, & concretionem aptius habetur. Caliditas verò etiam mediocris ad humõi materiam spissandam satis est. Nequeunt hæc, quæ ex Galeno diximus, explicari de calore vesicæ miti in relatione ad calorem renum, vt quidam dicunt, quoniam intelliguntur de calore natiuo puerorum, quo dicuntur calidiores iuuenibus: hunc verò igneum, & siccum, & acquisitium apellare non decet: vt alibi dictum est à nobis.

Gal. ibidem. 166. A.

Solutio Cynicarum rationum fol. 48. & 49.

Gale. s. ibid. 165. G.

566. A.

Ibid. 266. A.

165. G.

CAP. V.

Inter Alexandrum Trallinanum, & Galenum nullam esse differentiam de caussa generationis calculi in vesica.

SED nullam esse in hac re controuersiã inter Galenum, & Alexandrum Trallianum, huius Authoris verba manifestum faciunt. Eodem modo calculi in vesica nascentes, quo etiam ii, qui in renibus proueniunt, per circuitus infestant. Veruntamen vesicæ calculi pueris magis quam viris generantur, neque à tanta

Cyn. fol. 49.

calíditate, sed materia potius crassiore, & ad gigendos calculos prompteque ab insita caliditate (notent, quod non dicit ab ignea caliditate) concrescendos idonea,] hæc ille. Ex quibus colligitur consensus cum Galeno manifestissimus. Nec videre possum, quod fuerit aliquando dictum ab Alexandro, ab igneo calore fieri calculum in uesica. Quod verò glorientur hanc opinionem contradicere Hippocrati, Galeno, Auicennæ, atque aliis, id adeò falsum, quàm quod falsissimum esse constat. Quid inquies ad Galenum, qui à calore adurenti fieri aliquando testatus est? Nempe dici naturalem calorem adurentem per accidens, quando scilicet actione diuturna passum ad vstionem præparat: quam rem non facit, qua natiuus, sed qua diutius agit materiam, vrinę acrimonia haud paruum exhibente incrementum, quæ continuò materiam contingit, tum cum transit, tum cum in vesica retinetur: & hæc de prima difficultate sufficiat dixisse.

Cyn. ibid. In 2. aphor. com.

Cap. VI.

Quomodo vlcus, vt vlcus morbus existat compositus, vbi passim ostenditur aliorum ignoratia.

QVOD pertinet ad vlceris naturam, ego facilè admiserim vlcus omne, quod propriè vlcus est, quatenus à vulnere distinguitur, morbũ existere cõpositũ cum à duabus caussis contentiuis dependeat: à soluta vnitate, atq; à magnitudine diminuta: sic ego in alio, si recordaris opere, dixi, confundi apud Græcos aliquando nomen vlceris, & vulneris: vlcus verò proprium fieri ex vulneribus, quæ putredinis quandam speciem, (sic voco generationem puris) acquisiuerunt, & ex ruptis abscessibus, at fieri neutrum potest, nisi carne erosa, sinuque facto. Hæc igitur supponãtur: & ad historiam reuertamur. Suprà demonstratum fuerat, in vnum conuenisse nos omnes, nempè vlcus in vesicę ostio planũ fuisse; ex hac Hypothesi deducebam duo: alterum non oportuisse hominem dilatare fimbriam ex tuis principiis, vlceris definitionem explicans: alterum, quod si necessaria fuit eiuscemodi contemplatio, tamen nõ fuit ad propositum negotium applicata. Haud grauabor hic vtrunque ostendere. Ad curationem vlceris plani, quid confert definitio vlceris propriè dicti? in hoc non deest caro, non adest erosio, non putredo? quorsum ea definitio proponetur, quæ rei de qua agitur minimè conueniat? siccine definitio erit sine definito? Dicet fortasse, quod omne vlcus planum adhuc postulat vnitionem diuisarum partium, & generationem cutis & cuticulæ: & duplicem affectum esse, vt Galenus docet. Hic error multiplex: primus, quia vlcus in parte carnosa consistit, non in cute: vlcus planum ponit, nullum amplius affectum adesse in genere carnoso, qui præfuit cauo vlcere. Alter, quod vbi ad hunç statum redigitur, erosio nulla subest, non humor acris, & mordax. Tertius, quod hunc locum Galeni intelligunt de vlcere simplici: quod illi prorsus refragatur, cum loquatur de plano vlcere, quatenus à simplici distinctam habet naturam; sic enim ait: Verùm ad ipsam vlceris quod solum consistit curationem transire, nunc tempestiuum videtur: fuerit autem solum, si nec affectus vllus simul adsit, nec symptoma. Esto igitur, quæ exulcerata est particula, nec fluxione vexata, nec malo succo vitiosa, nec omninò extra naturalem temperiem, sed nec vlla cauitas adsit, nec vlla cutis admissio. Nam id quoque bona pars Medicorum præterit, non intelligens postquam cauum vlcus carne iam impletum, ac planum effectum, nihilominus tamen hiat, duplicem adhuc particulæ affectum superesse, alterum substantiæ cutis amissionem, alterum continui solutionem. Ergo quoties vnum id habetur, nempè continui solutio, siue ea summæ est cuticulæ (quam epidermida vocant) siue cutis totius, siue etiam pariter subiectæ carnis, vitiũ, quod vlcus dicitur, ita existit, postulatque tantum glutinari.] Quartus, quod putant compositum esse morbum vlcus ipsum ex iis ipsis verbis Galeni, cum id sit nusquam conspicuum: haud sermo est de vlcere propriè dicto, sed de plano, quod ab illius natura non parum deflectit, quia quod planum est, planum simpliciter, ac propriè vlcus non est. Postremus quod

Cap. 17. lib. de calc. & vlcer. renib.

Cap. 1.

Refellitur Cynicus fol. 65.

Gal. libro 3. meth.

Nota

Calor naturalis qd̃o dici possit adurens.

status quæstionis.

amissio

Error

quod neque ad rombum facit sententia: etenim affectus duplex in plano vlcere, sed non est certè morbus duplex: nam constituit morbi essentiam constitutio partium præter naturam, à qua manifestò, sensibiliterque actiones læduntur. Qualem putabimus actionem adesse læsam cuticulæ portione aliquapiam detracta? qualem ex leuissima solutione continui? Quæsiuerit autem quispiam hoc loco, si omne vlcus, quod propriè tale fit à materia erodente, à qua in abscessu, aut in vulnere fit sinus aliquis, quomodo discrepabunt ab vlcere exedenti? Hic inquam ego materiam, ex qua fit vlcus proprium, non esse simpliciter exedentem, sed ratione quadam, quoniam exedit locũ vlceris, sed non pascitur, neque 10 inuadit vicinas partes, idcirco acris est materia: non eius tamen conditionis, qua vlcus exedens dicitur, sed qua à naturalibus humoribus discrepat: idcirco non est generatio puris simpliciter putredo, sed quædam scilicet proficiscens à calore misto, naturali, & extraneo: hancque propterea quandam speciem concoctionis fuisse à veteribus Medicis nuncupatam commentariis meis in libros Galeni de febrium differentiis explanaui. Vide igitur, quam benè dixerim libro de calculosis & vlceratis renibus, quod in omni vlcere haud est exesio necessaria: primum quia vlcera sunt multa, quæ corrodentia non sunt, nec etiam ab acri materia proficiscuntur. Deinde quia, quod proprie dicitur vlcus, etsi habeat erosionem, ac putredinem in carnosa substantia, certè non dicitur hac de caussa 20 exedens, neque in conseruari, neque in fieri assumpto nomine vlceris exedentis, secundum propriam significationem. Tandem verò accedant ad vlcus planum, videantque quomodo hęc illi conuenire possit definitio, de quo in consultatione disputabamus.

Lib.1.de feb. diff. & lib.2. commen. Augenii. Cap.170.censura 25.

Morbus quid

In oi vlcere non est exesio

Cap. VII.

De indicationibus curatiuis omnibus, in proposita materia contingentibus.

IAM verò lapis indicat expulsionem: aut si hæc fieri nõ potest, incisione facta, extractionem: est enim res quæpiam toto genere præter naturam, quã expel- 30 lere semper expedit. Locus verò per quem fieri debeat expulsio, sunt meatus vrinarii Itaque ducendus per vrinã. Impedit hoc opus lapidis magnitudo, hanc exterere, frangere, in minimasq; partes deducere primum conueniet: de extractione non loquemur, cum tanquam vltimum remedium sit relinquendum: ergo prima indicatio erit lapidis fractio, ac diminutio, secunda expulsio: Vlcus planum, quod cicatrice induci postulat omnino cuticulam desiderat: hanc tum gignere, tum sibi vnire oportet: duoque tibi hoc loco existunt, ad quæ, sicut in cauo vlcere consilium dirigitur: propterea, quod affectus ipse geminus in ambobus est, sed ratione diuersa, quàm in cauo, hic gignitur quod deest: quando illic sanguis, hic caro pro materia sit: impletur quod cauum est ex gignenda car- 40 ne, quæ ipsa ex sanguine primordium habet. At ad cicatricem perducitur, quod iam impletum est ex gignenda cute, quæ ex subiecta creatur carne. Caro eadem specie cum ea, quæ periit, gigni in cauo potest vlcere: cutis talis omnino, qualis erat, quæ periit, non potest. Simile quiddam cuti, quod eius officium suppleat potest, non tamen planè cutis, idcirco summa caro cuti similis efficienda, quæ res fiet alteratione: quippe, vt carnis pars quæpiam non amplius caro permaneat, sed veluti cutis euadat postulamus. Quia cutis carne siccior est, ac densior, si carnem siccabimus, & adstringemus, cuti etiam persimilem reddemus: sed hæc materia non satisfacit. Nam & glutinatoria tum siccabãt, tum etiam adstringebant: ergo quo hæc ab illis distent, id si ipsam rerum substantiam inspi- 50 cias, inuenies. Nam quoniam in glutinatione vlcerum, siccandum, quod confluit, est, quo videlicet affecta pars superuacuis vacet: in cicatrice verò ducenda non modo quod influit, verumetiam humor, qui in ipsa carne continetur, est consumendus, multo profectò siccius, quod cicatricem inducat, quàm quod adglutinet, esse cõueniet. Quando glutinaturo vnum id propositum est, vt eius, quod secundum naturam est, redundantiam consumat. Qui cicatricem in-

Gale. verba lib.3. meth. cap.

Galenus eodem lib. cap.

Caro vt fiat cuti similis.

ducet, non hoc modo, verumetiam vt ei, quod secundum naturam se habet, aliquid deradat. Iā igitur inuenimus, quod opus est adhibere ea remedia, quæ calculum frangunt, diminuunt, expurgant, siccant valide, atque adstringunt. Nihil hoc loco dicam de vitali indicatione, quæ sumitur à dolore: quia hic nunquam fuit vehementissimus: idcirco vim habere indicantis vitalis non potuit. Hactenus inuenimus remedia, nempè calculum frangentia, minuentia, expurgantia, valide siccantia, & adstringentia. Quamobrem hac ipsa Thesi posita perquiramus, an lac asininum sit conueniens horum remediorum materia: mox agemus de vsu balnei aquæ dulcis.

Remediorū Epilogus. Materia medic.

Cap. VIII.

Lac asininum non conuenire pro curatione calculi, neque vlceris plani, aut ferè plani. Cynicorum errores multi adnotantur.

Explicatio 4. problematis de lacte asinino.

QVOD igitur ad lac asininum pertinet, explicabo primum quid ego sentiam, dein quid alii: tum postea quid bene, aut non bene ab illis dictum sit, examinabo.

Ego itaque si vera sunt, vt creduntur verissima, quæ supra posuimus principia dico, quod lac asininum non potest esse materia horum remediorum accōmodata: Nam calculum non frangit, non minuit, non expurgat, non siccat, non incidit, non astringit. explanemus hæc sigillatim in eorum gratiam, qui non credunt, breuissimis. Quæ calculum frangunt, aut minuunt, habent multiplicem facultatem: horum quædam attenuant, & incidunt nullo calore, nullaque siccitate insigni, quoniam nimius calor concretum calculum magis excoquit, & obdurat, obiterque quæcunque mediis viis obhærescunt, superuacanea, secum in renes deducit: vnde vrina aliàs supprimitur, aliàs lucida, tenuisque præterfluit: in hoc genere continetur succus limonum, radix oxalidis, rubi, asparagi, graminis, personatæ, adianthi genus omne, betonica, asplenum. Alia verò sunt, quæ asperitate sua calculi summam faciem abstergunt, attritu comminuūt, vt vitrum combustum, ouorum testæ, milium solis: Atque rursus inueniuntur quædam auxilia, quæ totius substantiæ proprietate id efficiunt, vt lapis lincis, spongiæ, ac id genus alia. Porrò lac asininum in horum numero collocari non posse, quæ tota substantia lapidi aduersentur, certissimum est. Nec minus certum, haud habere hoc facultatem asperam, & abradētem, aut incidentem, desiccantemque, quoniā omnium iudicio lenit, & humectat. In horum, quæ dixi, cōfirmationem Galenus sic ait: Quæ calculosis auxiliantur vna facultate indigent, puta, quæ incidere, & abstergere cū manifesta caliditate possint: sunt autē huiusmodi ferè omnia amara. Et in alio opere. Porrò quæ callosas (inquit) siue tophaceas consistentias, incidere sunt idonea, & ipsa vtiq; admodū incidūt, sed minimum caloris possident: quippe caliditas porū, callumve ipsa contrahit, ac procreat, non incidit, neq; diuidit. At quæ minus sunt calida, cū hoc, quod incidere valeant, meliora quoq; sunt, veluti radices regiorum asparagorū, & rubi, & betonicæ, & polium, tum ocra, & vitrum vstū, & ex scilla cōfectum acetū, & quæ sunt huius generis. Hæcq; nō Græcorū modo cōmunis est opinio, sed Arabū, omniūq; Medicorum. Adhęc, quæ generant calculum, genitumq; adaugent, frangere illū, atq; diminuere non possunt. Eiuscemodi lac talem habere facultatē hinc colligere est, quod caseum habet: à quo fit calculus, factusq; adaugetur. Expedit hoc loco citatis grauissimorū authorum sententiis id explanare. Auicenna quidē sic ait: Generat lapidem in renibus, & vesica, caseus propriè humidus. Et alibi. Materia vero materiæ sunt cibi grossi ex generibus lactis, & propriè ipsis: & caseus, & propriè humidus. [Paulus Ægineta. Tuetur (inquit) à calculo ne fiat, casei abstinētia, lactis, & quæ ex ipso præparantur.] Alexander Trallianus. Vitabuntur (ait) quæ ex lacte parātur, ipsumq; lac, & caseus.] Galenus verò sexto libro de morbis vulgaribus idem inquit: Tum alibi. maior enim noxa ex succi ipsius prauitate, & ardenti calore accidit, quàm crassorum tenuatione conferre queat, quando ad calcu-

Fernelius. li. 5. terapeutice de nephriticis præsidiis.

Lib. de cōp. medi. per loc. nono. c. vlt. Lib. 5. de sim plic. me. fac. cap. 15.

Auic. lib. 3. fen. 18. tract. 2. cap. 18. Lib. 2. c. 126. G. lib. 3. fen. 18. t. 2. c. 16. E. Pau. lib. 3.

Alex. lib. 9. c. 4. Ga. 6. epid. sec. 3. cō. 15. 3. de ali. fac. de caseo.

Calculu frang:

Calc: atterentia

Acetu scyllit:

Caseus.

Lac, & lacticinia.

calculorum in renibus procreationem hic ſuccus non minus eſt noxius. Oſtendimus enim calculos in illis corporibus naſci, in quibus ſuccorum craſsities cum ardenti calore eſt coniuncta. Hæc Galenus.

Sit igitur Axioma: à caſeo generari calculũ, in præparatis corporibus (quod etſi non exprimatur, ſemper audiendum eſt.) huic adnectamus alterum: nempè quod quæcunque participant caſeo, eiuſdem facultatem retinent magis, ac minus, prout multum, aut parum in illis caſeoſa abundat ſubſtantia. Conſequatur tertium, quod lac omne ex tribus ſubſtantiis (ſi Medicis credimus) compoſitum eſt: ex caſeo, ſero, & butyro. diximus, ſi Medicis credimus, quia hoc nullã apud illos difficultatem habet: ſed apud Peripateticos habere aliquam videtur. Nam Ariſtoteles in omni lacte duas cognouit eſſentiales partes, ſerum, & caſeum: non tamen in omnibus butyroſam ſubſtantiam admittit: nec ab re, meo iudicio, quia camelarum lac, & equarum, vt potè maximè ſeorſum butyro videtur carere; aut certè ſi habet, adeò exiguum eſt, vt ſenſibus noſtris ferè ſit imperceptibile: niſi.n. hoc modo interpretemur Philoſophum, vix poterit à contradictionis nota vindicari. Sed vtcunque habeat, non eſt controuerſum negocium omne lac habere caſeum: hincque ſequitur, quod ea ratione qua continet caſeum, calculum procreat. Verum enimuerò adnotandum eſt, haud habere portionem caſei eandem animalia ſingula, etenim plurimum habent boues, potiſſimum bubulæ: minimum camelæ: bubulis proximæ ſunt vaccæ, camelis, equæ: Caprinum mediocrem conſiſtentiam habet: humanum verò, & aſininũ ferè ſimilẽ continent ſubſtantiam: aſininum tamẽ videtur ex aliqua parte tenuius. Sic itaque ordo habet lactis in tenuitate, & craſſitie lac ſeroſum camelarum, equarum, aſinarum, humanum. lac caſeoſum, & craſſum bubulum, vaccinum, ouinum. Caprinum conſiſtentiæ mediocris. Quæ ſe res cum ſic habeat, perſuadet nobis à lacte craſſiſſimo calculũ maximè generari: ab eo, quod maximè ſeroſum eſt minimum: ab iis quæ caſeo mediocriter participant, medio quodammodo fieri. Hinc eſt, quod datis duob. extremis in lactis genere, craſſiſſimo & ſeroſiſſimo: hoc minimum, illud plurimum obeſſe credatur, cum tamen caſeoſa ſubſtantia obeſſe continuò poſſit. Et rurſus animaduertendum, quod lac plurimi ſeri aliquando viſceribus prodeſt magis ob icoroſam ſubſtantiam, qua detergit: quàm obſit ob caſeoſam, qua deberet obſtruere: cauſſa eſt, quia hæc ſimul cum humoribus qui detergũtur, ex viſceribus expurgatur, nec retinetur, id circo obſtruere non poteſt: quinimo obſtructionibus medetur: quemadmodum accidit in lacte camelarum, recenter fœtarum, quod cõfert valde hydropi, potiſſimum quando bibitur cum vrina camelarum nouiter fætarum Arabicarum. Idcirco cum omne lac obſtruat, noceat viſceribus, ſpleneticis, hepaticis, & indigentibus regimine ſubtiliatiuo. Lac duntaxat camelarum fœtarum ab hac regula diſiungitur, cũ deobſtruat, & conferat multis affectionibus ſplenis, & hepatis, quod ẽt impinguat. Cæterùm hoc lacti accidere camelarum, non autem aliis obſeruatũ eſt ratione paſcui, cum veſcantur ex titimalis, camelea, & ſimilibus, à quibus lac vim ſolutiuam acquiſiuit, & ob ſerum maximè detergens. Quoniam lac aſininum, & humanum maximam habent ſimilitudinem; ſitque vtrumque media quadam ratione particeps caſei, fit, vt pro curando calculo neutrum conueniat. Quod humanum lac procreet calculum, tum, quæ ſupra de caſei participatione diximus, tum, quæ à Galeno, & ab Auicenna ſcripta ſunt, manifeſtum faciunt. Nam ille ſic ait: De vrinæ pręterea puerorum craſſitudine cauſſam adiciiam. eſt autem cum ipſorum edacitas, tum quod à cibo ludentes, proſilienteſque mouentur. lactentibus verò ex materia ipſa occaſionẽ præbet: lac enim natura craſſum eſt, & ad calculos creandos aptiſſimum. porro & in adultis caſeo frequentius veſcentibus lapillos in renibus crebro ſuboriri cognouimus.] Vult docere Galenus hoc loco, ob quam cauſam pueri omnes vrinam habeant craſſam: quoniam dixerat ſupra, in veſica oriri calculum magis ob vrinarum craſſitiem, quàm ob calorem deurentẽ: affertque duplicem cauſſam, vnã in pueris non lactantibus, quę continetur his verbis: Cum ipſorum edacitas, tum quod à cibo luden-

Gal. 10. ſim. cap. de lacte. Auic. lib. 2. cap. 442. 4. ſimp. 170. Tertio de nat. anim. cap. 20.

Galen. 5. lib. de ſim. med. fac. capit. de lacte. Auic. lib. 2. c. 442. & libr. 3. de alimen. fac. cap. de lacte.

Auic. libr. 2. ca. 442. Ra. 32. cont.

Auic. ibid. Dioſ. libr. 2. capit. 62. & Auic. libr. 1. fen. 14. can. 13. t. 4. Gal. H. 322. & 323. A.

Lib. 6. apud ſec. 3. comẽt. 15.

Eodem comment.

Explicatio verborum Gal.

Lac omne calculum generat.

tes, prosilientesq; mouentur.] aliam in lactantibus, quæ est vsus lactis, quod sanè natura crassum est, quoniam omne lac natura habet caseum, cuius crassa substantia est: & ob hanc substantiam caseosam, ad calculorum generationem aptissimum est. Huiusce rei signum in adultis affert, qui caseo vescuntur. Sunt qui obaudiunt Galeni sententiam, dicentes locutum fuisse Galenum de lacte vitioso, & culpato, nempe de crasso, & caseoso, non autem de bono, ac laudabili, cuius signa alibi scripsit. Sed certè decipiuntur, haud enim ego negauerim, quin à crassiori, & caseoso lacte calculus promptius generetur, quia euidētissimum est. Verùm est à lacte bono generari eius verba demonstrant: supponit Galenus in omnibus pueris vrinas crassas emitti, dum ait: Porrò vrinas crassissimas à pueris reddi, & ab omnibus ante nos Medicis concessum est; sed cur tales reddantur, ipsum quidem per se speculatione dignū est:] igitur vrinarū crassitudinē omnes emittunt pueri: quærit caussam in fine commentationis, cur hoc omnibus accidat pueris: & diuisis pueris in lactantes, & non lactantes, inquit: lactantes vrinas habere crassas propter lactis potum. Vide effectui vniuersali causam vniuersalē reddidisse: alioquin quæstionē haud explicasset, quæ in omnibus pueris quærebat caussam effectus: sed in iis duntaxat, qui vitiato lacte vtuntur: in aliis verò, qui probum sugebant, adhuc relinquebatur locus quęstioni. Et cōfirmatur, quia in pueris non lactantibus vniuersalē caussam tradidit: deinde, quia ratio desumpta à caseo est cōis omni lacti, vt prædiximus. Adde his, quod lac vitiatum, corruptūq; non est natura tale; sed ex accidenti. porrò agens Galenus de lacte, quatenus generat calculū, dixit hoc contingere, quia lac natura est crassum: at quod natura tale est, nō est tale ex accidēti: sed certè, quod vitiosum est in hoc genere, illi nō inest natura, nō essentia, sed ex accidenti. Deinde verò omnes boni codices Græci, ac Latini contextū sic legunt, vt protulimus. Audiant Auicennā ea sigillatim, quæ scripsit Galenus, confirmantē. Et quod plurimū generatur lapis in infantibus, est propter ingluuiem eorū, & motum ipsorum super repletionē, & quia potant lac.] esset autem explanandi ratio admodū absurda, si nos intelligere vellemus, pueros omnes potare lac corruptum. Sed adhuc idem author ait: ex generib. lactis, & propriè spissis,] quæ verba omne genus lactis includere videntur, magis tamen caseosum. Neque hic excipio lac ipsarum camelarū: quia etsi deobstruat, maximè detergat, ac insito quodam priuilegio epar impinguat, si fortè fortuna non expellatur per inferiores sedes, tunc sanè minimè detergebit, sed calculoso homini obesse posset propter caseum: quāuis multò minus, quàm alia lactis genera. Hoc igitur tenuissimum retentū in corpore semper obest. Nescio quid hoc loco ineptè admodum nonnulli comminiscuntur nostri temporis Medici. Dicunt, Auicennā intelligendum esse hoc modo. Materia verò materiæ sunt cibi grossi,] scilicet caseus confectus ex generibus lactis propriè spissis. Sed certè, vt in superioribus, sic in præsenti contextu obaudiunt eius sensum. Etenim addit Auicenna: Et caseus, & propriè humidus,] quæ verba ostendunt, caseum non fuisse inclusum in iis verbis, & cibi grossi,] nisi generaliter quatenus omnes complectitur. Mox duplex caseus, humidus, & siccus, hic propriè & magis procreat calculū: ille verò minus efficaciter. Sic lactis genera quædam sunt serosa, quædā crassa, hæc per se, & propriè calculum faciunt: illa verò non propriè, nec admodū frequenter; sed tunc cū in corpore retentus per sedes infernas, potissimū per vrinarios meatus nō expurgantur. caussa huius opinionis est: Quia si calculū faciet lac tenuius, vt humanum: quòd multò magis eundem faciet crassius, vt caprinū. Igitur concludentes propositum dicimus, si humanum lac generat calculū, quod etiam asininum in præparato corpore procreabit: Hacq; de caussa haud esse propinandū, vbi frangere calculū volumus. Adhæc, Tertiò lac asininum fractū calculū non expurgat. Etenim quæ fractum calculum detergunt, purgantq; diuretica sunt, habentq; facultatē illicò penetrantem: vt maximus omniū Arabum significauit his verbis: Et cū componuntur ex medicinis ad lapidē medicinæ, oportet, vt adiungantur eis species medicinarum, quæ eas adiuuēt ad operandū, quod efficiunt, de quibus sunt medicinæ fortis prouocationis, quæ

Cynicus fol. 36.37.

1. de sanit. tuen. c. 9. 6. epid. sec. 3. c. 15. Auic. lib. 3. fen. 18. tra. 2. c. 16. H.

Impug. Cynici plurib. renibus.

Lib. 3. fen. 18. tra. 2. c. 16.

Lib. 3. fen. 14. tract. 4. c. 13. 323. A. Cynicus fol. 35.

Impugnatio

contra Cynicum fol. 29.

Fen. 18. 3. 2. trac. 2. c. 18.

☿. p. 47: Ammadverte, an vox humidus hoc loco, et verbū recens in pag: 47: idem significent necne.

10 20 30 40 50

extra-

extrahant vrinā groſſam, vt extrahatur illud quod eradicatur de lapide, & comminuitur,] & parum poſtea: & de illis ſunt medicinæ velocis penetrationis, & mundificationis, ſicut piper & alia,] atque ſanè hæc regula eſt cōis in affectionibus renum, vt Galenus docuit libris de compoſitione medicamentorum localium: Eiuſcemodi autem lac non habere facultatem verè diureticam, valdè penetrantem calidam ſcilicet & ſiccam, adeo notum eſt, quàm quod notiſſimum. Quinimò neque etiam ſimpliciter calidam habere maior pars probatiſſimorum authorū contendunt. Præterea quod eſſe nequeat materia remedii plurimum deſiccantis, & adſtringentis: quale id eſſe perhibetur, quod cicatricem inducit: exponere mihi quidē videtur abſurdiſſimum, cùm omnibus conſtet humidam, ac lenientem facultatem poſſidere: itaque plano vlceri, aut ferè plano non conueniet: neque vim habebit frangendi, minuendi, ac expurgandi calculum. Quid igitur ſi hęc vera ſunt, Hieronyme, in mentem illis venit, qui ſcripſerunt, lac aſininum calculum frangere, ac minuere; quique profitentur ſolo ferè huius vſu libras vigintiquinque calculorum perfractas ex veſica prorupiſſe ſimul cum vrina? Quis hęc admittet; lapidis tot libras in veſica geſtabit viuens; aut in vreterib.? aut in renibus? neque pondere, aut, mole cōtinentes locos corrumpent? ſed quod maximè admirandum eſt; quomodo in humano corpore tot lapidum diſcrimina generari poſſunt? vniuerſas ſpecies lapidum, quorum apud pharmacopolas vſus eſt, conſpicuas vidi: iudaicum, ſpongiæ, lincis, arenicum, chryſtallinum, lapidem etiam piritem: miror quod etiam non admiſcuerint marmoreum, molarem, & pretioſa omnia lapidum genera. Sed qui impoſturā fecit, admiſcere noluit, quia nimis cari venduntur. Dicet fortaſſe aliquis, tu ne ſuſpectam fidem habes eius, qui id iureiurando affirmauit? ſi ſuſpectam habere dixerim, cum de re agatur impoſſibili, quid tum poſtea? niſi ipſis oculis viderim non credam, & meritò non credam: primum, quia nemo vidit magnum hoc, vt ſic loquar, miraculum, Pharmacopolam ſcilicet illum eminxiſſe tot libras lapidum omnis generis, licet Medici quidam inſtiterint, vt viderent, quo poſſent fidem facere rariſſimi caſus. Tandem nemo actu mingentem tanta facilitate calculos vidit. Deinde, quia is affirmauit iurans, lactis aſinini virtute, molem illā ſaxeam fractam, & purgatam eſſe. O peruerſum iudicium hominis? effectum quidem rudis cognoſcere potuit pharmacopola. at cauſſam quomodo cognouit? cur temerè id pronunciat miſer in animę ſuæ præiudicium? Gaudeat hoc teſtimonio Cynicus egregius, quo ſolo victor in agone conſtitutus inuenit lac aſininum frangere calculum. Sed certè fieri poteſt arbitratum illum fuiſſe ſeſe libras vigintiquinque calculorum perfractorum eminxiſſe: quia dum maximis premeretur doloribus impoſtor fortaſſe aliquiſpiam cauilloſus clam eiuſcemodi fragmēta permiſcuerit cum vrina, ægro neſciente: ego nunquam admiſerim factum. Sed eſto admittatur: quis credet ex lactis aſinini potu montem hunc ſaxeum fuiſſe ex veſica expurgatum? cur non magis à valida natura? aut cur non Dei Opt. Max. quadam facultate admiranda? Amplius manifeſto horum hominum ignorātiam; arguit quoq; Gilius ille Franceſchinus, quem tu noſti, illorū iudicio, calculum patiebatur, & fortaſſe adhuc patitur in veſica, eo tempore, quo habui conſultationem cum Cynico, exiguum, vt omnes ſentiebant, ſaltem non adeò magnum, vt libras vigintiquinque penderet, hunc tamen exiguum ex potu lactis aſinini frangere, nunquam potuit ille, qui montem ſaxeum fregit in Pharmacopola. Tu quidem, & clariſſimus Mercurialis quale ſit, quod de hoc dico Gilio, diligenter cognouiſtis. Poſtremò videant quæſo, quàm à Galeni aberrent mente, putātes lac aſininum frangere calculum veſicæ: quod hic ſexto epidem. Sec. 5. com. 26. dicit lapillus in veſica procreatus manuum duntaxat operatione curatur,] & in arte medicinali integræ ſanitatis cauſſa inciſionem, & extractionem conſuluit, quod ſi alicubi laudauit remedia ad frangendum lapidem veſicæ, putauerim intelligendum eſſe de friabili, & non de confirmato. Dixi quid ipſo in caſu ſentiam liberè: Videamus modo quid alii.

Lib. 9. ca. de nephriticis.

Gal. 5. li. 10. de ſimpl. me di. fac.

In Cinicum fol. 38.

In Cynicum fol. 34.

Incredibile.

Cap. IX.

Cynicorum opinio de lacte asinino.

Cyn. fol. 34.

SVNT qui putant asininũ lac conuenire calculosis, quòd omnia lactis genera Galeni, (vt aiunt) testimonio subtilitate, & serositate superãs, uim potius aperientem, quàm obstruentem possidet: Hoc ipsum carere caseo, quia pastores ex hoc, vt ex aliis caseum non conficiunt. Ad hæc verò calculum ex lacte fieri admittunt quidem, sed nõ ex omni lacte, verùm ab eo tantum quod culpatum est, atque vitiosum Hippocratis opinione libro de aere, locis, & aquis. Distinguunt etiam lac inculpatum, & exquisitum: hoc non facere calculum dicunt, quoniam caret substantia subuiscida excrementitia: in quo reponũt camelinũ, equinum, asininum, humanum, asininumq; vacare omninò subuiscida excremẽtitia materia: (sic enim illi obloquũtur) dupliciter persuadent, tum quia sale, ac melle paratum, ac statim ex vberibus desumptũ in ventriculo coagulari non potest: tum quia Galenum sic scriptum reliquisse significant libro sexto de tuenda sanitate: quo loco asserit exhibuisse lac asininũ vnà cũ Archigene, & Filagrio in homine actu calculum patiente. Huius opinionis esse Philumenum, Aetium, Simeonem Aotiochenũ, Vgonem Senensem, & Hispanum. Pręterea loqui Paulum Aeginetam, & Dioscoridem putant, de lacte, quo tanquam alimento vtimur: non de aliis quæ pro medicamento suppetunt nobis. Hæc summa est eorum, quæ à recentioribus in hac materia conscripta sunt.

Cyn. fol. 29. Cyn. fol. 28. Cyn. fol. 29. Cap. 11. Cynicus 38. Cynicus 40. Cyni. fo. 34. 35.

Cap. X.

Reprobatio opinionis huius multis rationibus.

Impugnatio opinionis Cynicæ pluribus rationibus. Lib. 2. c. 442.

SED aberrant hi quidem toto cœlo. Siquidem lac asininum in tenuitate substantiæ simile admodum humano existens, superatur à lacte camelarum, & equarum: si non credunt mihi, adhibeant fidẽ Auicennæ, & Galeno: Nam ille in hunc modum scribit: Lac camelarum partui vicinarum minus habet butyrositatis, & caseitatis, & est subtile valde. & lac asinarum etiãminus existens butyrosum est subtile.] parum postea. Caseitas in lacte camelino est pauca, postea in lacte equino, deinde asinino, & propter hoc raro caseatur in stomacho & in superioribus ventris.] Hic verò ait. Si quidem bouinũ lac crassissimũ est, & pinguissimum: liquidissimũ autem, ac minimum pingue camelarum, mox equarum, deinde asinarum: mediæ autem consistentiæ lac caprarũ, hoc crassius ouium.] Videant igitur, quàm malè imponant Galeno. Rursus verò neque constat quod eiuscedmodi lac affirment carere caseo. Etenim lac non esset, si caseum non haberet: quia lac nihil aliud est, quàm substantia composita ex sero, caseo, & butyro, vt sentiunt Medici: licet Philosophi dixerint, butyrum haud esse necessariam in omni lacte substantiam, caseum tamen omnes includunt, vt ex Aristotele supra commonefecimus. Deinde verò, si caret caseo eiuscemodi lac, cur Galenus edocuit modum extrahendi caseum à sero lactis asinini? locus est libro quarto de ratione victus acutorum septimo commẽtario. Cur ex equino lacte, atque asinino tenuiori fit caseus? quis est caseus ille Hyppaces, cuius meminerunt Hippocrates, & Plinius. Huius vires æquales esse bubulo caseo, tradidit Sextius. Cur itaque ex asinino fieri non poterit? Cur antiquitas lacte asinino vsa est pro coagulo? quomodo Phryges suum caseũ conficiunt ex lacte bubulo, equino, & asinino? Non fit arte caseus ex asinino? fateor. neque etiam fit ex humano: carebit igitur propterea humanum caseo? Volui facere periculum, & ex eiuscemodi lacte caseum ex coagulo, non Galeni institutione, paraui: quod etiam ab aliis fieri potest. Videamus interim, quem habere possint exitum, reliqua horum hominum figmenta. In eo primum error ingens, quod asserant à lacte culpato (liceat mihi verbis illorum vti) duntaxat fieri calculum. Nam culpatum est maximè tenue: hoc si non retinetur, inferre noxam aliquam nequit. mox verò ab eo, quod habet secundum naturam, vt diximus, qua ratione caseo participat

Tertio de aliment. fac. 15.

Auic. lib. 2. c. 442. Gal. de bon. & mal. suc. c. 4. & 4. de sim. c. 17. Hippocr. lib. de aquis.

Galen. 4. de rat. vic. 7.

Lac valde calidum et biliosum calculum generat tum ut materia tum ut efficiens. &c.

participat, calculus fit: idcirco haud conuenit asserere à vitioso solum lacte (scilicet crasso, sic volo interpretari horum ambiguitates) lapidem creari. Neque huic opinioni refragatur Hippocrates: cum nusquam dixerit à lacte eiusdem conditionis fieri calculum ita, vt nequeat à lacte fieri alterius naturæ: perlustremus quæso Senis nostri sententiã. Scribit hæc verba libro de aere, locis, & aquis. Fit autem pueris etiam ex lacte, si non salubre id fuerit, sed valde calidum, & biliosum: ventrem enim percalefacit, & vesicam. quare vrina dum aduritur, hæc patitur, & quæ sequuntur.] Primum apparet Hippocrati falsum imponere cùm dicant ex lacte tantum vitioso, & culpato creari lapidem, cùm illud tantum,] in oratione nusquam addiderit, neque addere etiam potuit: quando quidem duplicẽ affert modum generationis calculi: alterum verbis proximè declaratis, alterum superioribus, dum ait: Quod verò crassissimũ, ac turbidissimum est, coaceruatur, & concrescit, primũ quidem parũ, deinde maius fit: dũ enim voluitur ab vrina, quicquid crassum cõpactũ fuerit, ad seipsum adaptat, atq; sic augescit, & in totũ concrescit.] cum igitur duo sint modi generationis calculi, videre nequeo, qua ducti temeritate putauerint à lacte tantũ insalubri generari, quod manifeste eiusdẽ authoris verba insinuant, cũ ait: Fit autẽ pueris etiam ex lacte:] nã hæc dictio etiã] alium generationis modũ supponit. Sed adhuc quæso instemus diligentius: lac humanũ in pueris pro generando calculo aliquãdo solã exhibet materiã, aliquando materiã & efficiens simul. materiam quidem, cùm fuerit salubre propter crassam, & caseosam substantiam, quæ illi inest secundum naturam: vtrunq; autẽ, cùm illi acciderit permutatio à proprio temperamẽto, quod ferè eucraton, & æquale creditur ea proportione, qua cõueniat vnicuique speciei. nã, si valde calidum redditur, ac biliosum ventrem percalefaciens, & vesicam caseosam substantiam torret, atque lapidem conuertit; agente scilicet igneo calore lactis in præparatam materiam: Hoc itaque si biliosum est, & valde calidum (vt inquit Hippocrates) tenuius redditur multo naturali lacte, prout bilis omnium est humorũ tenuissima, & calidissima: verum quia caseum continet, fit postea agẽte calido violento crassissimũ, dissolutis partibus tenuioribus. Sic etiam dicebat Galenus ex acrimonia casei fieri calculum in renibus concurrente caseo tanquam materia, & acri calore tanquam efficiente. Hinc interim perlustremus reliqua. Lac æquiuocum esse dicunt. Sed quomodo (quæso te) ęquiuocum erit, quod nomen habet commune, & secundum illud nomen eandem habet rationem substantiæ? neque enim magis, ac minus variat speciem. Diuisio lactis in exquisitum, & culpatum, non satis facit: quia inuicem coincidunt, potest quidpiam exquisitum esse secundum naturam, & culpatum, seu vitiosum existere. Hoc modo flaua bilis sincera putredine inquinata exquisita est, & culpata, (vt illorum loquar verbis) at verò docent Peripatetici, quod membra diuisionis bonæ inuicem coincidere non debent. Lactis culpati nomine intelligũt illud, quod habet substantiã subuiscidã, excrementitiã. Duplicem enim videntur mihi in lacte substantiam caseosam constituere alimentalem vnam, alteram excrementitiam. Sed certè perperam. Statuatur primum, loqui nos de lacte sanorum corporum: hoc sanè alimentum est corporis, non propter icorosam (hæc enim inseruit pro vehiculo) sed ob caseosam substantiam, atque hæc rursus haud esse potest ita quidem alimentum, quin portio eius quępiam in excrementum transmutetur. Alioquin cur lactantibus omnis generis excremẽta adsunt? vnde quæso, nisi à lactis substantia? Paratum sale, ac melle in ventriculo coagulari nõ potest asininum lac? non igitur poterit attractum ad renes caseosa illius substantia præsente calculo quicquam officere? non poterit præterea concoqui? dũ verò sic transmutabitur, non acquiret caseosa illa substantia visciditatem, quæ calculi propria materia est? Galenum sic statuisse, vt putant, nusquam verum: tum quia sexto de tuenda sanitate id nunquàm affirmasse aut etiam annuisse videtur mihi: quæ res fiet manifesta, collectis inuicem verbis vtriusque auctoris. Galenus sic inquit: Lac verò sic affectis reliquorum quidẽ animalium est prohibendum: vnum verò asininum concedendum, propterea quod cęteris omnibus est tenuius,] illi verò sic. Patet autem hoc ex sexto de sanitate tuenda,

Explicatio verborum Hippoc. 24.

23. sectione. fol. 30.

Hipp. lib. de aere, locis. 24. sect.

Lib. 3. de alıment. c. 15.

Cynic. f. Arist. in prædicamentis.

vbi Galenus expressè fatetur, lac asininum omnino vacare materia subuiscida excrementitia.] Toto hæc distant cœlo. Lac asininum cæteris est tenuius,] & omnino vacat materia subuiscida excrementitia.] Quoniam, cum eo lacte substantiæ tenuis, inest caseosa materia, quę pro alimēto sufficit animantibus, haud ita tamen quin aliqua eius pars in excrementum vertatur. Faciunt autem dubitationem postrema Galeni verba, quibus profitetur, tenuius esse cæteris. Nam certè ingens adest repugnantia, cùm alibi, vt prædiximus, camelarum, & equarum esse longè quidem tenuius affirmauerit: hæcque cùm sit cōmunis quædam omnium Medicorum assertio, admiror, quod alii non viderint difficultatem, quod sciam. Solutio tamen est quæstionis, quod illud cæteris,] non refertur ad omnia lactis genera simpliciter prolata, sed duntaxat ad ea, quorum vsus in rem pręsentem accomodatus esse potuit. Camelinum quidem, & equinū, humectabant, sed minimè nutriebant, quo opere indigebat propositus casus. Bubulum, quia crassius, vt ouinum, vaccinum, & caprinum ob corporis præparationem ad generationem calculi, haud erat vtile: asininum neque tenuissimum, neq; crassissimum, opē ferre poterat: quatenus humidum, tenue, detergens siccam illam intemperiem corrigebat, renum vlcus detergebat, arenulas exiguas ingenti sumptuū quantitate, expurgare poterat. qua verò caseū cōtinebat, nutrire corporis habitum poterat. Cæteris igitur tenuius, quæ in rem præsentem adhiberi poterant: cùm certè, vt diximus, camelinum, & equarum lac adhibere minimè decebat in eo corpore, quod nutriri postulabat: alia verò aliqua ex parte erant suspecta ob ingentem casei copiam.

6. de san. tuen c. 11. Cynic. 29.

CAP. XI.

Galenum nunquam dedisse lac asininum homini actu patienti calculum, neque etiam alios veteres, aut recentiores Medicos.

EX omnibus authoribus Græcis nullum inuenies, qui lac asininum tam frequenter calculosis hominibus exhibeat, si vnū Aetium excipias, qui de hoc lacte ter egit ex opinione potissimum Archigenis, & Philagri: cuius si fuisset Cynicus doctrinam assecutus, nunquam in hūc errorem manifestissimum incidisset: legant studiosi per otium caput quintum, octauum, & decimumquintum eius authoris in libro vndecimo: inueniet lac asininum admittere illos post factam sectionem in collo vesicæ, extractumque lapidem: & nunquam admisisse illud, anteaquam lapis ex vesica fuerit extractus. Sed quid inquies ad Galenum, qui in libro sexto de sanitate tuenda lac asininū calculosis admittit? Nempe intelligendam esse illius sententiam, non de curatione, de qua nos ipsi agebamus, sed de præseruatione, atque de remouendis iis incommodis, quæ lapis in ipso corpore, dum expellitur, solet relinquere: duo sunt hæc, alterum in omni ferè corpore, alterum in gracili habitu, nempe vlcus in instrumentis, quæ vrinæ expulsioni famulantur, & sicca intemperies: illud fit, quia in transitu exulcerantur partes propter asperam calculorum substantiam, aut magnitudinem, hæc introducitur propter extenuantem victum, vigilias, vacuationes, dolores nephriticos: hanc asininum lac corrigit, quoniam humectat, refrigerat, nutrit: vlcus emendat, quia abstergit, dolorem mitigat, glutinat: Quamobrem vbi dictis iam caussis magna fuerit cum vlcere introducta siccitas, quæ operationes lædat, aut eiuscemodi etiam sit, vt de facili possit lædere, iam quidem conueniet: præsupponit igitur exactum lapidem, nos verò præsentem in renibus, intemperiem siccam genitam, qualis nunquam fuit, cùm neque motus, neque sensus læderetur, gracilem habitum corporis: huius tamen ægroti corpus, quamuis tale fortasse iudicari posset, non debuit tamen in horum, de quibus Galenus loquitur, numero collocari: tum quia parum gracilis est habitus, tum quia neque admodum extenuatoria præcessit victus ratio, ac aliæ caussæ, quæ colliquare habitum potuerunt: addās huic, quòd carne nigra, densaque præditus est, & laboribus diu noctuque ferēdis patientissimus: qui sicco sunt tēperamento, carnemq; albam, mollem,

Lib. de calculo, & vlcerat. renibus cap.

mollem, teneram, algæ modo diflabilem habent, facilè in hæc ipsa perueniunt incommoda: sic locum interpretari debere, præterquam quod Galeni verba in eo capite indicant, & scopus libri, qui est de sanitate tuenda, & præcipuè sexti, qui est de iis, qui morbis subiecti sunt, Aetius clarissimè docuit, qui lac asininum, vbi lapis per vrinam prodierit, melle mistum exhibet, & diætam præscribens, ne renascantur calculi, ex Philagro remedium admittit, vsus eisdem verbis quibus vtitur Galenus, & infra ex Archigene de hoc disputaturus argumento titulum capiti indidit. Diæta post exactos lapides, adseruans ne alii renascantur; scopumque de lacte asinino concludens, ne quis putaret dandum esse pro curatione calculi, clarè admodum inquit, atque id adseruandi à lapidis generatione præ omnibus fiat.

Quid nos de aliorum auctorum opinionibus statuemus? de Philumeno, & Simione, nihil affirmabimus, cùm ad manus non sint. Illius quidem lucubrationes, aut Latinè, aut Græcè conscriptæ non extant: hic igitur aperte admodum somniat, Aetius non nihil transcripsit, in quibus adest nihil quod pertineat ad rem. Simeonis adest liber publicè venalis, in quo nihil prorsus adest, quod possit huic proposito cōuenire. At de Aetio, Philagro, & Archigene, quam malè sentiant, ea manifestissimum faciunt, quæ proximè diximus. Quid de Hispano dicant, ii viderint. De Vgone profiteor in consiliis medicinabilis haud quicquam inueniri, quod dicto fidem faciat, vtitur quidem ille lacte asinino ad vlceratos renes, ardoremque vrinæ mitigandum cum arenulis. Sed quid hoc ad rem? an propterea exhibebit ille pro frangendo lapide renum? aut vesicæ? vt in casu illo contingebat? Cęterùm lac, de quo meminit Paulus, esculentum est (hoc illis do quidem ego admodum libenter,) sed non qua esculentū est prohibetur, sed qua naturam habet aliquam ad calculorum generationem idoneā, quæ sierim qualis hæc sit: si caseosam excipias, aliam admitttere non possunt: nam omnis caseus potissimum recens creat calculum. Idcirco substantia caseosa in lacte consistēs, caussa est, quod præceperit abstinendum à lacte. Addant quæso huic prōuciato, quod omne lac, quale idcunque sit, habet caseum: idcirco includitur omne lac in Pauli Aeginetæ sententia. Hoc sanè contingit in ipso negocio, quod etsi obsit omne, quod caseū habet, quod tamen habet eius substantiæ minimam, seri autem portionem maximam, obesse non dicatur: tum quia exigua illa nocens substantia facile admodum contemnitur præsētia eius, quod prodest maximè: tum quia vix sanè potest retineri, sic impediente serositate ipsa copiosissima, quę non modo abluit quicquid facit incommodum, sed etiam deducit secum caseosam naturam. Sic pariter constans est propositio, quod omne lac quatenus caseum habet, obstructionem facit: Dixi quatenus habet caseum, non qua lac est, quoniam hoc tres substātias complectitur simul, atque ideo aquosæ substantię caussa, vbi plurimum abundauerit, potest aliquando felici successu detergere: Hac ratione obstructis visceribus ob caseum obest, obest etiā nephriticis: de quibus etsi Dioscorides non meminit sigillatim, potentia tamen meminit, nisi meum me fallit iudicium.

Aetius. li. 11. ca. 5. 8. 18.

Paul. lib. 3.

v: pag: 42.

Legito nostrum lib. de Calcul. ca. 7.

CAP. XII.

An tabido actu calculoso possit dari lac asininum & an conueniat in arenularum copia.

HIc duo sunt, quæ facere dubitationem videntur. Vnum, an lac asininū conueniat tabido actu, vel potentia, qui tamen calculum patiatur. Alterum an vbi adsint arenulæ, paruique lapilli, possit pro illorum expurgatione propinari. Quod pertinet ad primum dico, quod tabido ægro existente, si indicatio adsit rumpendi, aut minuendi lapidem, quod conuenire nequit, quia nō frangit, neque minuit lapidem: at si hæc non vigeat indicatio, sed prætermittere Medicus constituat, vigente altera de humectando corpore, refrigerandoque, opus est hanc sanè lacte humano, aut asinino corrigere. Sed nequeunt in vnum conue-

Quod lac asininum nō cōueniat in tabe cum calculi præsentia.

nire in hac medica materia calculi extirpatio, & tabidi corporis curatio. Postulat enim tabes, vt in corpore diu admodum contineatur lac ipsum, vt solidas omnes partes humectet, foueat, refrigeret, recreet: sed calculus exigit (posito & nō concesso Medicum ob tabem imminentem, aut præsentem ad illius vsum venisse) vt quanto citius per meatus vrinarios expellatur, quia detentum grauissima inferret incommoda. Quòd verò ad secundum attinet, dico, quòd per se non potest lac asininum detergere, expurgareq; arenulas, ac lapillos: quoniam serum non expurgat renes & vesicam ratione propria, cum hoc munus duntaxat ad vretica transferatur medicamenta, vt supra commone fecimus. Ex accidenti autem potest, ingenti scilicet quantitate exhibitum, qua per vrinæ vias effluens ducat secum excrementa vniuscuiusq; generis, quæ inuenerit. Gaudeoque plurimum, quod tu ipse tam benè mecum conuenias: nam posse quidem detergere arenulas, & lapillos arte administratum, significasti: mox verò ne lateret quemquam quid animo conciperes, doctè admodum addidisti: modo egrediatur per vias vrinę, & in corpore non retineatur. Ponamus igitur arenulas, & lapillos posse hoc modo detergeri, si epotum lac retinetur, nec expurgatur per vrinarios meatus, vtilitatem aliquam afferre non poterit. Alius etiam esset modus exhibendi permistum cum vreticis antiquorum consuetudine, vt memini apud Auicennam legisse. Sed cur bonus Cynicus, & generosus in curatione illa exhibens lac asininum hasce Medicorum regulas non seruauit? Ex his, quæ hactenus cōscripta sunt, colligo, lac asininum haud frangere, aut diminuere calculos duros, magnos, non exiccare, nō conuenire vlceri plano, non detergere arenulas, & lapillos propria virtute: sed vel quantitate, vel serositate, vel admistione vreticorum: quodque pro expurgatione eiuscemodi exhiberi nunquam debet, nisi effluxerit per vrinæ vias: in complicato affectu cum tabe dari non posse, quin summopere obsit calculo: aut ipso statim effluente cum lotio dari citra commodum febris in habitu, quæ postulat moram illius, & circa totum corpus distributionem. hæc mea est in controuerso hoc negotio sententia.

Lac asininū non esse purgare vesicā, & renes.

10

20

Cap. XIII.

30

De vsu balnei aquæ dulcis.

Cap. 8.

DE balneo autem aquæ dulcis nihil est, quod plura expectes, cum libro de medendis calculosis, & vlceratis renibus in hunc modum scripserim. Vrgente tamen necessitate, tam rigente hyeme, quàm ardente sirio commodum esse illius vsum. Sic vides, quod mea sententia, minus potest aer in prohibendo, quàm dolor in indicando. Hæc propter eas, quas dixi caussas volui scripsisse. Tu interim pro summa humanitate tua, Augenium, qui te non amat modo, sed etiam obseruat, in amicorum tuorum numerum recipias. Vale, ex Tolentino 20. Maii. 1576.

Nota.

40

EXCELLENTISS. HORATIO AVGENIO, ARCHANGELVS MERCENARIVS. S.

EPISTOLA SECVNDA.

IN QVA A MERCENARIO PROPONVNTVR AVGENIO quædam problemata philosophica, & medica, discutienda.

QVONIAM de his problematibus, quæ tibi propositurus sum, tum Patauii, alibique, tum voce, tum litteris doctissimorum virorum iudicium expertus sum: nec hactenus aliquem adinueni (absit verbo inuidia) qui veritatem attigerit, ea propter hoc tempore eisdem de rebus audire tuam sententiam decreui: Hæc autem duo potissima sunt.

50

Habet Galenus ad extremum tertii libri de Temperamentis, morbis remedia secundum gradum æqualia adhibenda esse, quæ sententia mihi semper de

veritate suspecta fuit. Si quidem eueniet, nunquam morbum euictum iri, cum inter paria actio exerceri minimè possit. Nescio, an dixeris in morbis nō totam latitudinem profligandam esse, sed exuberantias tantum, & excessus reprimi, & refrenari debere: eiusmodi autem à contrario, quod pari distet graduum interuallo, superari posse: Sed huius solutio non consistit. Nosti enim patientes qualitates, vt humorē, & siccitatē, ita sese habere, vt siccitas inter primas qualitates minimæ actionis, maximæ autem resistentiæ sit inter agentes, vt calorem, & frigus: id licet minorem agendi vim habeat, quàm calor, maiorem tamen habet vim resistendi. Si itaque fuerit morbus in intemperie sicca, eique 10 pari graduum numero humor adhibeatur, non profligabitur morbus, neque siccitatis exuberantia auferetur, cum humor minoris sit actionis, quàm sit resistentia sicci: Nec huius resistentiam, in quo morbus consistit, superare queat. Similis arguendi modus fieri potest, si morbus in intemperie frigidiori cōstiterit. Arbitror enim te nouisse, in actione semper actiuam agentis potētiam ad patientis resistentiam comparari.

His fortè manum dabis. Sed dicito, non vna sed pluribus vicibus contrarium pari gradu supra modum victoriam habiturum.

Porrò si id enuncies, Galeni sentētia statim conuellitur: si enim remedia pluribus vicibus morbum depellere possunt, & debēt: itaque remedia morbis non 20 pari, sed inæquali, atque inferiori gradu adhiberi possunt: quæ singula quaque vice aliquem aduersæ qualitatis gradum auferendo morbum repellant: quinimo congruenter magis remedia superiora gradu morbis adhiberi debent, quæ secūdum agendi potētiam aduersæ qualitatis resistentiam iuuent: quamobrem hoc Galeni dogma non satis mihi animum explet, nec ita facilè ab iniuria vindicari potest.

Sed posteaquā hac in re incidit oratio de resistentia, cupio abs te intelligere, quid resistentia sit, cum Philosophi, & Medici ancipites, perplexique videātur.

Secundum problema est, qua via & methodo sapientes omnes cognouerūt in igne præter calorem, siccitatē adinueniri: qua in re multos consului, & audi-30 ui: quorum sententias, nisi plus iusto longior hæc nostra esset oratio, in medium afferrem: quod si tibi illas audire animo sit, alias recensere non grauabor.

Dices fortasse, vt plerique, facilem esse solutionem methodumque cognoscendi siccitatem in igne esse, ab opere, & ab effectu, quia desiccat.

Sed ex hac methodo inferri non potest, quia cum calor vim habeat, & calefaciendi, & exiccandi; inferri minimè potest, ignis exiccat, igitur in igne præter calorem siccitas inest: itaque cum & ipse veterum sapientum sententiam recipias, qua via id cognouerint ipsi, qua ve ratione illorum sententiam probes, audire desidero.

Cuius problematis veritatem si fueris assecutus, vt arbitror, cōsiderabis, qua 40 ratione à natura singulis elimentis geminæ qualitates fuerint accomodatæ: quod à nemine hactenus animaduersum fuisse video. Vale.

HORATIVS AVGENIVS ARCHANGELO MERCENARIO PHILOSOPHO EGREGIO.

EPISTOLA TERTIA.

RESPONDETVR SIGILLATIM AD PROBLEMATA superioribus litteris Augenio proposita.

50



I hactenus non inuenisti aliquem ex doctissimis viris, quorum tibi iudicium experiri placuit, qui propositorum problematum assecutus fuerit veritatem, quî fieri potest, Mercenari, vt in animum induxeris tuum, Augenium assecuturum? vtpotè qui doctrina, & iudicio minimè sit cum illis conferendus, homo vix inter proprios

lares cognitus, & nullius æstimationis apud suos, quemadmodum à quodam Philosopho optime morigerato, vt eius actiones testantur, nobili Pedemontano scriptum fuisse scio, potissimum verò qui 27. annis continuis medicinæ factitandæ incumbens ab eiuscemodi cõtemplationum genere maximè videatur alienus? & qui hodie multis curis, familiaribusq; negociis impeditus vix quicquam potest cogitare de literario negocio? An fortasse, vt experiaris ingenium? certo tibi persuadens, me, quàm doctissimos illos Patauinos & exterarum nationum, tum Philosophos, tum Medicos, multò minus veritatẽ cogniturũ, vt hinc occasionem cõsequaris, eam patefaciendi atque dilucidãdi pro more alioquin tuo nostris hisce temporibus incognitam? id equidẽ credo: norunt enim omnes quàm sis acuto præditus ingenio, & quàm de tua doctrina, candidissimisq; moribus modestè sentias, de aliis verò semper egregiè. Ego cum hoc vnum sciam, quod nihil sciam, in solutione illorum problematum vix cõfido, quicquam scripturum, quod tibi posit (quamuis fortasse non item aliis) pro negotii dignitate, proque tua doctrina, satisfacere, & tamẽ volo experiri (vt tuo verbo loquar) duplici de caussa libẽter. Primũ, quia tibi conciui meo, amicissimo, & affinitate arctissima cũ filiis meis coniũctissimo, deesse nec possum, nec volo: Deinde verò vt consequar quid ipse præter aliorum opinionem in ipsa re fueris meditatus.

Itaque Galeni sententiã, quam non modo in fine libri tertii de temperamentis, sed passim, vt Medicum quoddam ἀξίωμα profert. (vt à prioris problematis dissolutione exordiar) quinimò cõmune omnium Medicorũ decretum de adhibendis remediis contrariis in æquali gradu adeò verum est, quam quod verissimum: quam rem sum tibi breuissimis ostensurus. Primum supponere oportet, Mercenari, Naturam nostri corporis eam esse quæ morbos propulsat: Medicũ verò, & medicamenta, aliaq; in vsum pro morborũ curatione venientia, instrumenta & existere, quibus adiuuatur Natura, vt facilius morbos propellat. Propterea rectè admodum dictum est à sene, à quo philosophiæ principia tuus desumpsit Aristoteles.

ΝΟΥΣΩΝ φύσιος ἰητροί

Quibus ille perspicuum fecit, non esse ex illorum cœtu, qui naturã arte carere arbitrantur, sed eam esse artificem, animalibusq; consulere. Hæc prima præsentem sanitatem conseruat: Hæc prima languoribus medetur suis vsa viribus vt quando euidenter hominem sanans sudorem copiosum profundit, aut per lotiũ, aut per deiectiones, aut per vomitus infestos humores eiicit. Ad huius imitationem cõstituta est medicina, cuius leges Naturæ legibus maximè sunt consentaneæ. Naturam igitur morbo, verũ & intrinsecum, atque primarium contrarium esse statuamus: Medicas verò materias omnes secundaria dici debere contraria, quibus illa, & Medicus vt instrumentis vtuntur. Adhæc verò supponendum propositum Medici in curationibus morborum aliud non esse, quàm propulsato morbo eãdem introducere sanitatem, quæ prius inerat: nam quamuis magnam habeat latitudinem, qua dicitur sanũ simpliciter, vt plurimũ, & vt nunc: licet in cõseruatione, cum detur ocium, idoneumq; ad eiuscemodi actionem tempus lapsus corrigendo meliorem sanitatem introducere: in curatione certè non licet, negocium faciente nobis morborum impetu, idcirco optimè consultum videtur ægrotis, cum talem introducimus, qualiter antea præfuit, sanitatem: sit quispiam calidus, & siccus ordine secundo, & aduenıẽtibus duobus caliditatis gradibus, intemperiem patiatur calidam & siccam duplici gradu præternaturalem: Medicus duos illos duntaxat gradus remouebit, & non plures. Alioquin cõtrarium introducet morbum. Eadem sit ratio de humorum vacuatione. Si libra vna sanguinis inest secũdum naturam: additio fiat duarum librarum hæ præter naturam cum sint solæ, vacuandæ sunt, vna in venis relicta: quia quod secundum naturam conseruandum: quod autem præter naturam remouendum est.

Ex quibus patet solutio ad primum problema: cum enim ais, si quidem si æqualia in gradu adhibenda sunt, eueniet nunquam morbum eiectuum iri, cum

inter

Natura medica

Medici ppositũ.

Suppositũ duplex

Axioma

inter paria actio exerceri minimè possit] Dicimus primum nũquam actionem inter paria fieri: quia natura ex se sola longè superior est morbis, cum sponte illos discutit: cum vero adiuuatur arte pariter superat morborum vehementiam: Ab æquali in gradu in corpore non viuente actio non fit, vt aiunt. In viuente fit, non quatenus æquale, sed quatenus cum natura principaliter agente connectitur. Quamobrem duo contraria conspirant in vnum: Natura vt præcipuum agens: auxilium vt agens secundarium, quod alioquin solum nihil prorsus efficeret corrumpendo. In hunc modum actionem hanc fieri dicemus à maioris inequalitatis proportione. An etiam fortassis cum Aristotele sentiendum, actionem esse 10 duplicem: vnam, qua contrarium omnino corrumpitur: aliam, qua contemperatur? an non breuissimis omnis esset dissoluta dubitatio? nã temperatione non erit amplius morbus: cuius natura in excessu consistit, introductam verò à temperatione dispositionem mediam natura facilè superabit?

Status problematis primi

Solutio 2a. ex Arte.

Cum dicis, nescire te an dixerim, non esse totam latitudinem profligandam, sed exuberãtias tantum, & excessus] respondeo, quod hac de re ambigit nemo. Etenim id quod lædit profligandum, aut quod lædere aptum est: quod secundum naturam inest conseruandum semper in ægrotis, etiamsi in sanis id vitiosum, & culpatum dicatur. Quamobrem quod inest corporibus supra naturalem sanitatem, quæcunque antea præfuerit, id corrigendum à natura, emendandũq; 20 pari contrariorũ excessu vtente, nec maiori, ne, vt præmonui, cõtrarius affectus introducatur.

Hęc solutio semper consistit, nec quicquam inuenies, Mercenari, acutissimo quo præditus es ingenio, quod hanc labefactet solutionem, nisi decipiat.

Nam quamuis siccitas maioris sit resistentiæ, quàm humiditas, & hæc maioris actiuitatis: tamen humidum vt duo, applicatum sicco vt duo, habebit perpetuò victoriam, natura ipsa agente cum humido. Adde quod læsio sit actionũ à sicco excedente, at vbi contemperatum est cum humido, amplius non lædet: quãuis humidum statim siccum haud perdat (satis est quod misceatur) cum tamen natura posthac validior reddita, non læsis amplius actionibus, omnem superabit 30 excessum: (vt admittam non fieri actionem) Hinc sequetur, quod non agente sicco vt duo, neque humido vt duo, ob mutuum impedimentum, quod ipso in corpore nihil inerit præter naturam: cui nam igitur tunc actio tribuetur? Soli constitutioni secundum naturam, sanitati videlicet, & naturæ gubernatrici humani corporis. Vides, quomodo excessus siccitatis auferri potest per contemperamentum contrarii.

Medio est intepie equalibus Natura victrix.

Cum verò infers, resistentiam sicci maiorem esse, quàm actiuitatem humidi: duo inquam, primum, quod si tibi concedemus, non erit propterea quicquam detractum de veritate axiomatis Medicorum, quia quantumuis magna sit resistentia, minor erit semper, quàm sit actio naturæ cum suis omnibus instrumẽtis. 40 Aliud verò est, quod si idipsum nõ admittemus, quid quęso te absurdi sequetur? resistentia maior in sicco: actiuitas maior in humido inest. Aequales igitur gradus vtriusque impedient vtriusque actionem: quoniam tantum poterit resistentia ad impediendam actionem humidi, & impressionem formæ ipsius in sicco, quantum poterit actiuitas maior humidi ad impediendam actionem sicci, & ad suam formam introducendam: ideo neuter excessus aget: quia contemperatus est. & quomodo actiones læduntur? si non lædet siccum, quomodo statuetur morbus? & quid aliud sanitas est, nisi contemperamentum? Non admiserim igitur facilè, humorem minoris esse actionis, quàm sit resistentia sicci. Arbitror enim te nouisse, quod calidum & frigidum æquali gradu permista neq; calefa- 50 ciũt, neque refrigerãt introducta tepiditate. Et licet caloris quàm frigoris maior sit efficacitas, illi tamen patientis corporis repugnantia magis obsistit: agenti frigori vt minus efficaci, ita & repugnantia minor occurrit, quo fit vt pari illa tempore suas efficientias exerceant, effectusq; compleant.

vbi nõ est excessus contrarior ibi est temperamentum: vbi temperamentum ibi non morbus.

Putauerim te his manum daturum: vtpotè iis, quę secundũ Philosophorum, & Medicorum decreta optima ratione stabilita sunt.

Quinimò nō solum hæc consequūtur, sed etiam aliud, quod tibi videtur impossibile, mihi verò, & aliis, qui cum ratione mederi voluerint, apprimè necessarium: nempè quod aliquando etiam pluribus vicibus (si vna fieri non possit) contrarium pari gradu victoriam habiturum est: sed etiam & illud addo, quod aliquando contrarium infirmis adhibendum est, sæpè artis præscripto repetitum: quinimo hanc esse tutissimam rationem medendi.

Cæterùm quando pari gradu, quando impari, quando repetitis vicibus id facere expediat, non explicandum hoc loco, cum id non quæratur, sed duntaxat soluendæ sunt dubitationes, quibus vsus es contra Medicos.

Ais enim sequi, quòd contraria pariter etiam in æquali, & inferiori gradu adhiberi possent: quæ singula quaque vice aliquem aduersæ qualitatis gradum auferēdo morbū repellant. Id vltro, in tui & veritatis gratiam admitto: quia quantumuis impar morbo, redditur tamen superior adiutum contrarium actione naturæ. Sed si dixeris esse id contra Galenum, qui parem admittit gradum morbis applicandum: respondeo Galenum dixisse parem, vt omnino neget, superiorem gradum, non autem inferiorem, licet æquali, licet inferiori, nunquam licet superiori gradu vti. Quamobrem hoc Galeni dogma satis explet animū eorum, qui contradicendi studio non scribunt, & qui Philosophari volunt, non vt appareant scientes, sed vt vere sciant. Et facilè ab omni iniuria vindicari potest.

Ex propositorum occasione subinde quæris. Mercenari, quid sit resistentia: Respondeo prætermissis aliorum sententiis: quod cum in aliquo prædicamēto reponi non possit, quàm in categoria qualitatis, Resistentiam esse Qualitatem quandam, naturalem videlicet potentiam, secundum quam aliquid non patitur ab agente etiam implicito: nam omne resistens habet potētiam, vt non patiatur: durum quidem dicitur, quod habet potentiā, vt non facile secetur. salubre quod habet potentiam, ut nō facile à quibuslibet accidentibus patiatur: horū vtrunq; reponitur, vt arbitror te scire, sub qualitate. Adhæc verò resistens, & cedens prædicantur in quali, nec in alio prædicamento reponūtur, Est autem resistentia imperfecta, qua aliquid ęgrè patitur ab agente. quod verò in alio genere qualitatis reponenda non sit, hinc patet, quia non est forma, vel figura: nulla enim existēte forma, vel figura determinata, sequitur resistentia in corporibus inanimatis. non est passio, aut passibilis qualitas: nullo enim existente sensu, aut animo posset esse resistentia. Nec habitus, quia nullo existente habitu ex actibus acquisito, erit aliquid resistens.

Quod autem non sit substantia, aut quantitas, aut relatio, aut aliud quodpiam ex aliis categoriis, cum tibi manifestissimum esse arbitrer, non probo: sed supponens, ad secundi problematis explanationem aggredior.

Quærebas qua via sapientes cognouerint in igne siccitatem adesse, in qua re dicis, non placere tibi aliorum Philosophorum sententias.

Respondeo, quòd formæ ex operationibus patent: quia igitur ignis exiccat, proprerea habere siccitatem concludimus.

Dicis calorem habere duas virtutes calefaciendi, & exiccandi: igitur ex his effectibus non concludimus duplicem qualitatem inesse, sed vnam duntaxat, scilicet calorem.

Dico, calorem dupliciter considerari: nam alius est calor humectans: alius est calor exiccās. calor aeris, tepentium aquarum humectat: calor ignis desiccat: neutra igitur propria est caloris vis, sed hæc agit ex coherētibus illis qualitatibus: proprium enim eius est calefacere. igitur calor ex accidenti exiccat. Subinde hęc est, Mercenari, formalis: ignis caliditate calefacit, & consimiles, hęc itaque pariter erit formalis. Ignis siccitate desiccat.

Postremo loco inquirebatur, vnde nam elementis datæ sint duæ qualitates: hic mihi videris naturam agentem quærere: cum non habeant materiam, aut formam proptię accidentia, de quibus institutus est sermo. Idcirco dicerē, quòd eas habent à generante, & producente forma: tribuens enim formam, tribuit etiam consequentia formam, quamuis id ipsū contingat ipsius formę beneficio.

Quod

Nota.

Resistentia quid

Resistentia imperfecta.

problema 2.um

Solutio

Problema 3.um

Solutio

Quod si hoc supposito, caussam inquiris ex me, cur duas natura qualitates dederit. An respondendum cum clarissimo illo Hermeæ discipulo, quod quemadmodum contrariæ quatuor datæ sunt, quia in se mutandi facultatem habeant, quod verò tale est id profectò contrarium esse oportebat: quatenus autem sibi mutuò vicinas esse necesse est, communicare ipsas in aliquo oportuit. vt ignis aeri vicinus est:& quatenus vicinus est communicabit ei in qualitate aliqua, vt caliditate:quatenus verò vtrunque in aliud mutatur, necesse est differre in alia qualitate, scilicet ipsa siccitate: sic aer proximus aquæ, vt conseruaretur in humiditate, cum aqua conuenire debebat. Aqua cum terra in frigiditate: sic ille, cuius opinionem cum aliis quibusdam Philosophis imitandam duco. Hæc de tuis problematis. Sed anteaquam modum imponam epistolæ, Tibi gratias etiam, atque etiam immortales ago, habeboque donec viuam, quod de me fueris tam egregiè Patauii locutus, & tam amicè ad Taurinensem illum, scis, quem dico, tuum olim discipulum & conuictorem conscripseris. Id certè fecisti, quod tuum erat, quodque Mercenatium decebat. Vale.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM MEDICINALIVM, LIBER TERTIVS;

IO. BAPTISTÆ CVCINÆ.

EPISTOLA PRIMA.

QVA DE DOLORIS NATVRA, ET proximis caussis disseritur.

INTER omnes tractationes medicas, ea mihi videtur Io. Baptista ornatissime, plurimum ardua, quæ doloris naturam, & proximas caussas inuestigat: quoniam non modo Auerroes, Auicenna, & Galenus in hoc argumẽto dissidere creduntur, sed etiam Medici recentiores, & Philosophi in varias opiniones, sectasq; diuisi, vsq; ad satietatem litigantes, materiam adeò obscuram reddiderunt, vt inuenire veritatem maximè difficilè videatur: de qua re cũ multum inuicẽ fuerimus præteritis illis diebus locuti, in quib. Simonis Portii Neapolit. Sebastiani Fratris, Ioan. Argenterii, (quẽ semper tũ ob insignem eius doctrinã, & liberam docendi professionem, tũ ob amorem erga me ingentem, honoris causa nominabo)& aliorum Neotericorũ opiniones examinãtes, vltro citroque, vt in eiuscemodi congressibus fieri consueuit, plures pro veritatis dilucidatione ratiocinationes adhibuimus: Tu mihi tandem persuasisti, vt aliquid de hac materia conscriberẽ. Verùm quamuis multum fuerim reluctatus, tamen abs te discedẽs, cogitare cœpi, quid ab aliis memoriæ fuerit commendatum: & diutius in ea contemplatione persistens, animaduerti, quod etsi egregiè scripserint alii, nihilominus mihi relictum etiam esse campum ad scribendum satis accommodatum, in quo tua persuasione potissimũ ductus, & me ipsum honestè exercere, & aliis prodesse possem. In hoc genere contẽplationis inueni duo recẽtioribus incognita, aut prætermissa, aut certè negligenter exposita. Vnum, Galenum in tradenda ipsius doloris definitione maximo vsum fuisse artificio, neminemque breuissimis verbis potuisse exactiorem definitionem tradere. Aliud verò, nullum fieri posse dolorem sine

Doloris essentia nulla est, sed generatio. ☿.

continuitatis diuisione: aberrare tamen omnes (absit verbo inuidia) qui vel ex Galeno, vel ex Aristotele eiuscemodi diuisionem proximã esse doloris caussam tradiderunt. Hac de caussa perbreuem hanc tractationem scripsi. Sed quoniam nõ conueniebat, vt mihi credens, mea starem sententia, te arbitrum, & iudicem constituo, qui lucubrationis author fuisti, & quem probè scio, artis vsu, scientia, & iudicio plurimum valere: quinimo non ego modo id scio, sed norunt ferè omnes, præsertim verò Illustrissimus, & Reuerendissimus Cardinalis Vercellensis: qui post Deum Optimum Maximum, te vitæ suæ authorem publicè profitetur. Atne videar vagari multum, & ne te diutius protraham, ad rem accedo, in qua explicanda hunc ordinem obseruabo. 10

Primùm dicam, quæ sit natura doloris

Secundò, quæ proximè sint eius caussæ.

Tertiò, quomodo satis faciendum sit difficultatibus, quæ nostrã opinionem infringere videntur.

Hæc a me tam breuissimis explicabuntur, quam epistolæ ratio postulare videbitur.

Quantum igitur ad primum pertinet, doloris definitio proponẽda est, atque omnes eius partes declarandæ sunt, quo ad fieri potest diligenter. Me non fugit, doloris varias definitiones dari posse: quarum (nisi meum me fallit iudicium) hęc perfectissima censetur. Dolor tristis quædam sensatio est à sensibilibus facta violenter in sensorium agẽtibus, continuumque diuellentibus. Hęc notio quidditatem doloris, non modo explicat satis apertè, sed etiam docet caussam proximam illius essentiæ constitutiuam: quæ sanè definitiones casu duntaxat à demonstratione diuersæ sunt, vti nõ semel Peripatetici dixerunt: sed agè iã exponamus rem sic habere, vt pręd iximus. Primum omnium scire oportet, sub tristi sensatione genus proximum doloris contineri: hoc est sub læsis actionibus, iisque deprauatis sensitiuæ potentiæ: huius enim deprauationem Galenus tristem sensationem vocauit. Supponãus enim dolorem esse quippiam præter naturã, cum labefactet vires, naturamque corrumpat, atque perpetuò insequatur aliquod morbi genus, vt vmbra corpus: idcirco ex hoc principio ducti, inuestigemus tandem, quis affectus sit pręter naturam. Morbus certè non fuerit: primùm, quia omnis morbus διάθεσις est, quasi dixeris, affectus quispiam, aut constitutio corporis præter naturam, denotans vestigium affectionis post actionem, atque passionem relictum. Verùm dolor post affectionem non est: quoniam eius essentia est in ipso (quod aiunt) fieri, vti cum Platone haud semel dixit Galenus: qui generationem doloris semper quidem esse, at verò essentiam nunquam, apertissime scripserunt. Sed quam ob caussam nunquam est essentia? quia rei essentia semper permanet post affectionem: at dolor nunquam, quia semper est dum fit. Deinde, neque conuenit illi particularis aliqua morbi differentia, nec actiones proxime lædit, quæ duo forent necessaria, si dolor in morborum collocari numero deberet. Adde, quod neque etiã caussa morbi dici potest: quia caussæ proprium munus est præcedere morbum, Dolor tamen sequitur, non præcedit. Quamobrem relinquitur sub tertio genere rerum præternaturalium esse reponẽdum. Sed quia hoc etiam triplex est, inprimis manifestum sit, dolorem sub excrementorum genere, ac sub exeuntibus permutatis haud esse collocandum. sed nõ est perinde certum, sub qua differentia ex duabus postremis redigi, reponique debeat. nam alii aliter sentiunt: at verò quicquid alii dicant, sentio dolorem nõ esse qualitatem permutatam: est enim qualitas ex numero permanẽtium, dolor minimè: mox qualitas sensibilis est, dolor non sentitur: sed caussa doloris est, quæ sensum mouet: hoc modo Galenus hanc Hippocratis sentẽtiam interpretatur. quicunque dolentes parte aliqua corporis dolorem non sentiunt, iis mens ęgrotat) per dolorem hoc loco declarat dispositiones, à quibus dolores fiunt. qua significatione vsus est etiam alibi cum docebat: in cranone nouos dolores calidos, antiquos frigidos esse. Relinquitur aliquampiam esse ex actionibus læsis. Principio autem distinguendum est, quid actionis nomine intelligamus: ne ipsis in foribus aberremus. Aliter Medici audiunt hoc nomen, quàm Philosophi: nam hi distin-

Doloris definitio ex Galeno 2. de locis aff. 2. 20

2. de lo. af. 2.

Hip. lib. 1. de natu. human.

Dolor morbus non est. 30

Plato in Thimao. Gal. 1. de causis sim. 5. & 6.

Nota. ☿.

Doloris generatio est aliqua: essentia vero nulla. et quare?

Dolor morbi causa non est. 40

Contra Pet. Apponẽsem differ. 77.

2. aphor. titu. cap. 6. 6. epid. 50

hi distinguũt actionem à passione, quamuis fortasse differant sola ratione, cum vnus, idemque motus, nunc actio, nunc passio nũcupetur, vario habito respectu ad agentem, patientemq;. Medici vt plurimum hanc distinctionem prætermittunt, idcirco actionis nomine intelligunt, quicquid in hominis corpore existens suam essentiam in ipso fieri (vt sic dicam) sortitum est: quã rem Græci πάθος voce nũcupare cõsueuerũt, hoc modo omnes alterationes, quæ fiũt circa sensus, quas Aristoteles, ac Peripatetici omnes vocant passiones, recepto vocabulo à Medicis actiones dicuntur, vt passim constat apud Galenum. Quæ cum in hunc modum habeant, dolorem sub actionibus læsis reponemus.

Arist. 3. Physicorũ & in prædicamentis.

Lib. de mor. diff. & simp. differentiis.

10 Verùm explicare oportet, quæ sit particularis actio læsa. In primis itaque dolens corpus non laborat, quod actio ipsa scilicet sensatio rei molestantis sensum, non fiat: quando vbi hæc abolita est, nullus fit sensus, nullus etiam dolor, vt post hac dicemus. Dein verò hæc actio, qua sensus tactus, vel alius quiuis rem molestantem percipit, non est debilis: quoniã apparet percipere obiectũ tale quale est, sine difficultate aliqua; quæ res in actione debili minimè contingeret. ergo reliquum est, vel actionem esse deprauatam, vel nouum aliquod actionum genus excogitandum est. Putauerim conuenienter collocandum sub actionibus deprauatis, quam rem nunc admodum libenter explico, quoniam plurimis tum Medicis, tum Philosophis celeberrimis hoc impossibile videtur. Sumamus hoc 20 pro hypothesi, actionem deprauatam dici tripliciter, ex Galeni, & aliorum sententia. Alia enim naturam sequitur, vi tamen ipsa coactam, mouetur autem à caussa quapiã morbifica. Alia morbidos sequitur affectus, nihil ad ipsorum generationem conferente natura. Alia fit, vbi ad opus efficiendum simul coeunt natura, & morbus. Atqui per naturæ vocabulũ in hoc sermone intelligas velim omnem, qua regitur animal, facultatem, siue illa à voluntatis nostrę imperio dependeat, siue secus: exempla dictarum actionum sunt hæc. Tussis, oscitato, sternutamentm, singultus, læsæ dicuntur actiones factę à natura irritata à caussis morbificis. Conuulsio verò, ac palpitatio sunt motus facti à solo morbo, nihil prorsus operãte natura. Tremor verò, rigor, ac horror fiunt à morbo, & à natura 30 simul. At prętermissis reliquis, de priori differẽtia loquamur, sub qua complecti dolorem putamus: cum sit ex earum actionum numero, quæ à natura fiũt, nempè à facultate sensitiua, non simpliciter, sed quatenus à caussa morbifica irritatur: hæc autem qualitas est sensibilis violenter adeò in sensum agens, vt continuitatem sensiterii diuellat. hæc igitur caussa in sensum agens permutat sentiẽdi actionem: quandoquidem fit cum tristitia, & perturbatione, & corruptione sensuum, atque hac sanè ratione actio dicitur deprauata. Actus ergo, quo sentimus caussas inferentes dolorem, naturalis non est, quoniam egreditur limites naturales in sentiendo, amittiturq; proprius ac naturalis actus sentiendi, cum fiat cum tristitia. Rem à simili declaremus. Tussis motus est deprauatus, quia est 40 quædam vehemens efflatio, qua thorax nititur expellere, quod illi nocuum est. porrò motus idcirco deprauatus censetur, quoniã sano existente corpore, nunquam vehemens hæc efflatio accidit, si quando igitur excedit limites naturales, amittitq; formam suam, quam habere secũdum naturam debet, sane tunc actio deprauata censetur: Itaque deprauata functio non est ob id solum, quod excedat naturales limites, vt quispiam fortasse putauerit, sed quoniam propriam speciem, & formam deponit: cum altera sit efflatio ab ea, quę est secũdum naturam. Alteram dico secundum gradum & formam: & in hoc discrepat genus hoc deprauatorum motuum à functionibus imbecillis, quæ non amittunt suam formam, verum eandem cum imbecillitate retinent, idem in tussi, ac dolore dicere 50 non licet: quia forma, naturalis actionis amittitur: hacq; de caussa rectè diximus esse motus deprauatos. Me certè quidem non fugit, quid in hoc negocio plurimũ alioquin cõtrouerso Dynus, Trusianus Monaceus, Thomas à Garbo, & nouissimè Argenterius dixerint: quorum opinionem hic refellere non placet, quia tecum sermo institutus est, qui probè illorũ sentẽtias nosti. Interim sequamur tractationem propositam. Hoc igitur modo actio deprauata dici debet:

Gal. 1. de elem. 2. & 1. de hum. nat.

2. de caus. sympt. c. 1.

Naturæ voce quid audiendum.

Tussis quid lib. 2. de caus. sympt. quinto.

Cõtra multorum opinionem.

Dolor est actionis deprauatio

a natura sola.

a morbidis affectibg solis

Actio deprauata est 3x

a natura et morbo simul.

verùm quoniam omnis actio ad aliquam facultatem pertinet, facultates autem sunt tres: naturalis, vitalis, animalis, dolor sub aliqua ex his debet referri. at quia omnium iudicio non est naturalis, non vitalis facultatis symptoma, erit certè læsa animalis functio. non quidem motus, non rationis, sed sensus extrinseci, appetitusq; sensitiui, vt mox declarabimus. Hanc itaque sensuum extrinsecorum actionem deprauatam Galenus vocauit tristem sensationem: atque breuissimis quidem verbis vniuersum negotium de proximo doloris genere declarauit, sed tamen quæ maximum sub se complectuntur artificium: Nullum siquidem nomen ab eo excogitari potuit, quod essentiã doloris omnem magis exprimeret, quãuis recentiores omnes (quibus adhærere Sebastianus frater videtur mihi) summam Galeni doctrinã, & artificium ignorantes, vna voce illum redarguant: at quàm temerè id ab illis factum sit, tu ipse dilucidabis, ex iis quæ mox dicam, assumpta mihi pro declaratione prima definitionis parte. Dolor (inquit Galenus) est sensatio tristis] hic notabis ad naturalem sensationem efficiẽdam oportere primùm, obiectum esse benè dispositum ne excellens esse, nec alia præditum qualitate, quæ sensationem impediat. necessarium est etiam secundo loco medium esse, per quod fit hæc sensuum actio, benè proportionatum, atque dispositum. Tertio opus est, facultatem sensitiuam habere sese intra naturales limites. Si ex his conditionibus aliqua defuerit, amplius non erit sensatio naturalis, sed præter naturam. huiusmodi est, quã nos definientes dolorem diximus, quia obiectum sensibile, quod vim habet dolorem inferendi, violentum, est, atque præter naturam, de quo infra diligenter disputabimus, doloris caussas examinantes. Reuertatur interim nostra ad doloris definitionem oratio. Si dolor esset sensatio simpliciter, nihil esset aliud, quàm actio sensus extrinseci, quod profecto foret impossibile propter eam rationem, quam infra dicam: idcirco Galenus haud dixit esse simplicem sensationem, sed Tristem] quibus vocibus duas significauit nobis facultates, quæ ad dolorem continuò concurrunt. vna est facultas sensitiua apprehendens proprium obiectum sensibile, qua ratione sensibile est: vt verbi gratia, frigidum, calidum, amarum, dulce, coloratũ, sonorum, & alia eiusdem generis: Hæc virtus eiuscemodi sensibilia non apprehendit sub alia ratione, quàm vt sensibilia. etenim si contingeret esse aliqua sensibilia, quæ corrumperent sensum ob illorum vehementem actionem, à sensibus apprehẽdi sub hac ratione non possent. haud enim visus apprehendit album, quatenus visionis disgregatiuum est; vel nigrum quatenus congregatiuum; calidum vel frigidum, quatenus tactui inimica sunt, & cum illo proportionem conuenientem non habet: sed certè eiuscemodi apprehensio, & cognitio alterius facultatis est, quàm sensitiuæ. quoniam verò ipso in dolore hoc perpetuò accidit, in quo sentiuntur obiecta sensibilia, quatenus contristant sensum corrumpuntq;, hic certè fieri à sola sentienti facultate nequit: sed aliã concurrere oportet, quæ obiectum cognoscat sub ratione conuenientis, aut nõ conuenientis. Hanc facultatem appetitum esse sensitiuum dicimus, qui verè percipit obiecta sub ratione conuenientiæ, huiusq; ipsius veram passionem dolorem existere putamus. Nũc ostendamus Galenum miro in definiendo dolore vsum fuisse artificio: nam dum ait sensationem esse, significauit nobis necessitatem sentientis virtutis, quatenus verò hanc fieri sensationem cum tristitia notauit, appetitum sensitiuum conuenire ex necessitate significauit, qui cognoscit sensibile obiectum sub ratione nocentis, aut iuuantis. Verùm hęc, quæ hucusque diximus, quo maiorem fidem faciant, ex tuis Peripateticis explicanda sunt. Aristoteles libro secundo de anima docuit caussam, propter quam oporteat communem sensum ponere ab aliis externis distinctum, vt videlicet inter obiecta sensibilia differentiam cognosceret: hanc enim cognoscere non possunt sensus particulares. sic habet res in doloris natura, quam inquirimus: nam dolor est perceptio obiecti sensitiui, qua ratione sensum cõtristat. etenim quod obiectorum sensibilium aliquod sit, sensum sine aliqua noxa afficiẽs, aliquod cum noxa, hoc distinguere, ac diiudicare non est sensus extrinseci, sed phantasticæ virtutis, siue sensus communis, in quo

appetendi

2. de lo. aff. 2.

Sensus quomodo sua obiecta apprehendant.

Ad dolorem efficiendum præter sensus extrinseci actionem internam aliquam facultatẽ concurrere. Dolor passio appetitus.

Confirmatio ex Arist.

10 20 30 40 50

appetendi consistit facultas. Rursus in libro de somno, & vigilia inquit: Est quędam potentia communis, qua est quod videt, audit, & sentit. non enim visu quidē videt, quod vidit, & iudicat, & discernere potest dulcia ab albis] hæc ille. quibus non solum expressit, externos sensus non posse, vel differentiam vel conuenientiam diuersorum obiectorum cognoscere: verùm, neque etiam propriam operationem, actionemq́; cum visus ignoret se videre, & auditus audire, quæ res ad aliam interiorem facultatem pertinet. Explicemus modo, qua ratione ad appetitum pertineat, quod multis obscurũ, & impossibile videtur. Primum itaq; obiectum sensibile in sensum agens sensationem facit: facultas enim sensitiua id apprehendens statim sensui cõmuni repræsentat, in quo species omnes exteriorum sensuum reseruantur. Appetitus autem ipse id obiectum considerans, si organo inuenerit non obesse, sed cõuenire amicum existere, ac familiare ad illius consecutionem mouetur, quæ actio voluptas dicitur: hanc Galenus definiens dixit, blãdam esse sensationem. At sic obesse inuenerit, aufugit, & tanquam noxium, & inimicum detestatur: hæcq; fuga appetitus dolor nuncupatur. Hanc rem declarauit Philosophus his verbis: Animalia enim omnia vnum habent sensum tactus, cui autem sensus inest, huic lætitia, & tristitia, & dulce, & triste: quibus autem hæc, & concupiscentia, hæc enim delectabilis appetitus] Vides hoc loco Aristotelem docuisse dolorem, & lætitiam esse cõcupiscentię munera. Sed multo clarius rem explanauit eodem libro dum ait: sensum habent (loquitur de insectis animalium partibus) vtraque partium, & motum secundum locum: si autem sensum, & imaginationem, & appetitionem: vbi enim sensus dolor, atq; voluptas consequitur, ibi aut hæc, & ex necessitate cupiditas], hæc Aristoteles. Quæ licet de insectis animalium partibus, & de imperfectis dicta videantur animalibus, tamen in perfectis etiam locum habent, quę facultatem appetitiuam habent perfectiorē, à sensuque tactus distinctam. Dubitaret autem hoc loco aliquis, quomodo valeat hæc sequentia, Vbi adest dolor, ibi appetitus: si enim non est necessarius appetitus, ad hoc quod rem molestam percipiat, cur infert Philosophus, vbi dolor, ibi concupiscentia? hæc sanè deductio satis manifestum facit nobis, dolorem esse fugam appetitus, qua is ab obiecto contristante refugit: quoniam duplex est munus appetitionis: alterum quidem obiectum apprehendere amicũ, aliud ab aduerso & contrario refugere, cum eadem sit contrariorum facultas, vt ait Aristoteles libro secundo traditionis de anima: vbi lucidissimum Themistium consulito, qui rem diligentissime exponit. Expedit hoc loco Angelici Doctoris maximi (vt scis) Peripatetici annectere sententiam, vt proposita à nobis Hypothesis omni careat difficultate, sic ait: Sicut duo requiruntur ad delectationem, scilicet coniunctio boni, & perceptio huiusmodi coniunctionis, ita etiam ad dolorē duo requirũtur, scilicet coniunctio alicuius mali, quod ea ratione est malum, quod priuat bonum: & perceptio huiusmodi coniunctionis. Quicquid enim coniungitur, si non habeat respectu eius cui coniungitur, rationem boni, vel mali, non potest causare delectationē, vel dolorem: ex quo patet, quod aliquid sub ratione boni, vel mali est obiectum delectationis, & doloris. Bonum autem & malum inquantum huiusmodi sunt obiecta appetitus. vnde patet, quod delectatio, & dolor ad appetitum pertinent. Omnis autem motus appetitiuus, seu inclinatio consequens apprehensionem pertinet ad appetitum sensitiuum, vel intellectiuum: nam inclinatio appetitus naturalis non consequitur apprehensionem ipsius appetentis, sed alterius, vt in primo dictum est. Cum igitur delectatio, & dolor præsupponant in eodem subiecto sensuum, vel apprehensionem aliquam, manifestum est, quod dolor sicut & delectatio est in appetitu intellectiuo, vel sensitiuo. Omnis autem motus appetitus sensitiui dicitur passio, vt supra dictum est, & præcipuè illi, qui in defectum sonant: Vnde dolor, secũdum quod est in appetitu sensitiuo, propriissimè dicitur passio animę, sicut molestiæ corporales propriæ passiones corporis dicuntur: vnde Augustinus 14. de Ciuit. Dei, dolorem specialiter ægritudinem nominat] hæc ille. Cęterùm satis hæc ex Philosophis declarata sunt, atque Theologis: nunc idem expe-

2. de anima. tit. 27.

Titu. 20.

2. de anima cap. 12.

1. 2. q. 25. articu. 1.

rientia oſtēdamus, quod videlicet ad efficiundum dolorem alia facultas ab ipſis ſenſibus neceſſaria ſit, quicunque igitur ſingulare ingrediuntur certamen, cum vulnerātur, dolorem non ſentiunt: at verò certè plurimum vigēt ſenſibus: cauſſa eſt euentus huius, quod interior facultas intenta eſt alteri operi, nempe in offenſione, ac defenſione; quocirca nequit illa diiudicare, an obiectum ſenſibile proportionatum ſit ſenſibus, an ſecus. Hęc eadem referri cauſſa poteſt, propter quid cum aliquid vehementer cogitamus, ea quæ ob oculos ſunt aliquando non percipimus. hæc eadem eſt cauſſa, ob quam delirantes dolorem non ſentiunt, de quibus exiſtit pulchra hæc ſententia apud Hippocratem: Quicunque dolentes parte aliqua corporis dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat] nec mirum, cum ſanè ſenſus optimè vigeāt, errante duntaxat iudicio. Verùm enimuero animaduertendum eſt, duplicem eſſe appetitum, rationalem vnum, quem intellectiuum nuncupant: alium verò ſenſitiuum ſine ratione: dolor ad primum pertinere non poteſt, qui ſola animalia ratione prædita dolore infeſtarentur; compertum eſt autē omnia hanc paſſionem perpeti. huius proprium munus eſt velle, & nolle, atque hic continuò intellectum ſequitur. Alia verò appetendi vis ſemper inſequitur cognitionem ſenſitiuam, atque impoſſibile omnino eſt, animal aliquod ſenſum habere, quod non habeat appetendi facultatem: idq; commune ſtatuitur animalibus tam perfectis, quàm imperfectis, quæ ſolo ſenſu tactus prædita ſunt: habent enim inſitum quendam appetitum conuenientis nutrimenti, ad cuius conſecutionem mouentur, quemadmodum ex contrarii pręſentia fugiūt: quam rem dilatatio & cōſtrictio eorum ſatis apertè indicat. Horum animalium appetitus imperfectus eſt, & quemadmodum animalia eiuſcemodi inſecta habent phantaſiam imperfectam, & indeterminatam, ſic etiam dolor in his non ita percipitur, vt in animalibus perfectis: nā in anuloſis ac imperfectis hac de cauſſa ſufficit ſolus ſenſus tactus, à quo nō differt re eiuſcemodi appetitus. At perfecta, quia diſtinctiorem habent obiectorum notitiam, præter tactum alia indiguerūt potentia. In hoc igitur ſenſitiuo appetitu dolor conſiſtit; hic enim duntaxat mouetur ſecundum rationem conuenientiæ, & inconuenientiæ, nullusque exteriorum ſenſuum ſecundum hanc rationem moueri creditur: nec etiam vllus interior (præter extimatiuam, quæ intentionem conuenientiæ, & inconuenientię elicit ex rebus ſenſatis) conſequitur ad ſolam extimatiuæ operationem, ipſiusq; iudicium appetitum moueri: in quo propter hanc ipſam cauſſam dolorem, & voluptatem contineri dicimus. Quamobrem ſi alio modo placeat definire dolorem, dicito: hunc eſſe fugā appetitus à re aliena [vt voluptatem eſſe rei conuenientis cōſecutionem] quæ ſi benè cōſideras, idē ſunt cū iis quę à Galeno dicuntur, vt iam expoſuimus. Porrò ex iis, quæ diximus, colligendum eſt, doliturum membrū oportere ſenſu præditum eſſe, patibile, alterabile, & calidum. Quia quod non ſentit nuſquam dolet. Argumento ſunt cartilagines, & oſſa, quæ cum ſenſu priuata ſint, dolore carent (ab oſſibus excipio dentes, quia videntur mihi particulari quodā priuilegio donati) nō autem quia frigidia ſunt propterea carent dolore, vt quidam dixerūt: quia ſi à cerebro nerui ſententies eſſent illis partibus communicati, perinde ſentirent, atque aliæ. Verùm quoniam omnis particula ſentiens hoc habet, vt afficiatur ab altero nempe ab obiecto, neceſſarium eſt dolituram particulam alterationibus ſubiici, & paſſionibus. eſt enim ſenſatio quædam paſſio, & alteratio ab obiecto agente. eſt etiā neceſſarius calor, quia ſenſus non fit niſi in viuente: omne autem viuens calidū eſt. Quamobrem vna ſola conditio neceſſaria eſt, vt dolor fiat, nempe particulam habere ſenſum: alia verò hanc cōſequentur, idcirco allucinātur ſanè (meo iudicio) qui quatuor conditiones diſtinctas afferunt, cum vna tātum ſufficiat: Hactenus ſummatim de proximo doloris genere diſputauimus, agè nunc proſequamur cauſſas: quæ res etſi maximam ſemper apud omnes Medicos difficultatē habuerit, tamē enitar meo labore (niſi decipior) lucidiſſimam reddere.

In primis autem ſupponamus ſermonem inſtitutum eſſe de cauſſa efficiente: formalem enim videor huc vſque diligenter proſecutus: finis autem hic locum non habet:

Cur certantes dum vulnerantur nō ſentiunt dolorem.

2. aphor. 6.

Appetitus duplex.

Auer. 3. de anima. 59.

Hip. & Galenus 1. de hu. nat. & de elementis.

Conditiones ad percipiēdum dolorē quot ſint.

Diſputatio de cauſſis doloris.

nõ habet: materia verò (siquidem vsum habet in hac disputatione) ipsum subiectum est, de quo iam diximus. Igitur sola caussa effectiua relinquitur, quæ cum sit duplex, remota, & proxima, de vtraque pertractemus, exorsi à caussa remota, quæ aditum nobis prębet faciliorem ad propinquioris, & immediatæ caussæ cognitionem. Supponamus ad hæc alterum, efficientium caussarum proprium esse agere in determinato subiecto: non enim quodlibet agit in quodlibet, sed determinatum in suo determinato, vt commune est apud omnes Philosophos axioma. Quamobrem cum patiatur sensitiua potentia, opus est pati illam à suo agente determinato, hoc autem est, obiectum sensibile: nihil etenim agit in sensum, quod sensibile non sit, aut proprium, aut commune: visus quidem à solis coloribus patitur, auditus à sonis, gustus à saporibus, tactus à qualitatibus tangibilibus tã primis quã secundis, olfactus ab odoribus. Hæc verò singulariũ sensuũ obiecta mutuo non agunt in vnumquemque sensum, sed singula in proprium. Rursus admonere oportet, vnius atque eiusdem effectus determinati caussam vnam esse duntaxat proximam, non plures, quia cum vnam habeat essentiam, vnam etiam habere caussam proximam & immediatam debet. Nihil certè impedit plures existere eiusdem effectus caussas, ac in eodem genere caussæ, sed tamen inter se distant ordine, ac efficientia, cum vna remota sit, alia verò proxima, vna prima, alia secunda, adhæc alia tertia, aut si contigerit quarta nuncupabitur: his in hunc modum suppositis accedamus ad propositæ quæstionis explanationem.

Efficiens caussa duplex.

Efficientis caussæ proprium quod.

Axioma.

Vnius effectus vna est caussa proxima.

Arist. 3. Phy. & 5. Metaphys.

Axioma.

Si dolor sensatio est tristis, opus est fieri illum ab iis, à quibus fit sensatio: hæc verò quoniam fit à solis qualitatibus sensibilibus, idcirco dicendum est hunc fieri à sensuum obiectis, tanquam à caussa primo agente: quam remotam nũcupamus: hæc enim in agendo semper antecedit proximam. Quam rem optimè videtur mihi Galenũ exposuisse libro de caussis symptomatum, docens visum à coloribus, auditum à sonis, gustum à saporibus, olfactum ab odoribus, tactum verò à primis & secũdis qualitatibus perpeti dolorem. Verùm quoniam aliquod sensibile dicitur dupliciter: aliud enim per se, aliud ex accidẽti, hic sensibile per accidens excludendum est: quia, vt communis est omnium assertio, facere dolorem non potest. Rursus verò quod sensibile per se dicitur, duplex statuitur: aliud enim commune, aliud verò proprium est: commune dicitur sensibile per se secundo, proprium autem per se primo. Nunc itaque dubitationem habet, à quo sensibili fiat dolor, an scilicet ab vtroque, an à solo proprio. Controuersum non est, à proprio fieri dolorem: an autem à communi fieri possit, quia sumus infra inuestigaturi, hic ponamus quod omnium iudicio verissimum est, quodq; ad ipsius quæstionis dissolutionem plurimum facit, nempe, quod sensibile commune sentitur mediãte sensibili proprio, quod prius sensum agit, ex qua postea actione cõsequitur commune obiectum sentiri, vt omnes Philosophi asseuerãt. Sed hac difficultate prætermissa, de qua infra tractabimus, sciendum est, sensibilia vniuersales existere doloris caussas, immo si rectius loqui volumus, ne caussæ quidem doloris dicenda sunt, sed potius sensationis: huius propria caussa, & proxima est, obiectum sensibile, quod quatenus tale non explicat nobis caussam, ob quam sensatio fiat cũ molestia, & tristitia: idcirco videre operępretium est, quid sit caussę quod ab istis obiectis sensibilibus dolor fiat. Quamobrem nos dicimus, duas esse conditiones solas, quibus obiecta sensibilia, si prædita fuerint, continuò dolorem facient; prima est, vt confestim, ac subito agant: (ita enim quod Gręci dicunt ἀνδροῶς interpretamur) secunda conditio est, vt illa subitanea effectione continuum diuellant: si defuerit harum altera, profectò nõ fiet dolor: ergo proxima doloris caussa (vt est affectio vniuersalis omnium sensuum) est obiectum sẽsibile violenter agens, continuumq; dissoluens. Hoc autem loco est vtrunque diligentius expendendum: ac necessariam esse primam conditionem inuenies apud Galenum primo de sympt. caus. libro secundo, de ratione victus acutorum: duodecimo methodi medendi: idemque patet ex diuino Platone in Thimęo, & in Philebo. quod præterea non leui hac ratione probari potest. Con-

1. de sympt caus. cap 6.

2. de anima 63. 64.

Quaestio. An a sensibili coi fiat dolor.

Aristot. 2. de anima t. 64 & ibidem lib. Grammaticus.

solutio.

Cap. 6. cõ. 8. cap. 7.

trariorum contrariæ sunt caussæ effectiuæ; dolor quidem & voluptas contraria sunt: habebunt igitur caussas contrarias. Voluptatem quidem scimus fieri ab iis, quæ blandè in sensum agunt. fiet igitur dolor ab iis quæ subito & violenter agũt. Hucusque primam conditionẽ patefecimus, nunc explicemus alteram, nempè continui solutionem esse necessariam. Primum verò sciendum est, rem non habere dubitationem, nisi in sensu tactus, quoniam Galenus in aliis sensoriis id tanquam manifestum attulit: quapropter eius verba afferamus, mox particularius in sensu tactus veritatẽ inuestigabimus: is igitur hisce verbis rem exponit libro de symptom. caussis primo. Diuellitur autem & gustus instrumẽtum, quatenus vtique tactus est particeps à iam dictis, quatenus verò gustus est proprium ab acutis, amaris, acerbis, & acribus succis, propterea quod horum singula, sicut monstratum est, continuitatem diuellunt: contristant verò olfactum, qui à iam dictis succis exhalant halitus, quod hi quoque continuitatem distrahãt: auditum verò infestat vox aspera, & maxima, & celerrima, quibus etiam in magnis tonitruis in idem coeuntibus aliqui auditus sensu omnino sunt priuati, ipsius scilicet instrumento soni violentia diuulso. Iam verò ipsum visum maximi splendores nimia secretione non infestant modo, sed etiam corrumpunt: est autẽ ipsa quoque secretio ex diuidẽtium genere: videturque omnibus communem infestantem passionem ex discretione diuisioneq; continui, vnitique corporis tum excitari, cum ea vniuersim, vel magnis passionibus, & celeriter, quod Græci ἀνδρωδῶς dicunt, incidit] hæc ille: Ex quibus patet Galenum non aliam cognouisse rationem, ob quam sensibilia dolorem faciunt in sensu, quàm quod confestim agant, diuidantque continuum. Ego sanè hactenus offendi neminem, qui de hac re dubitaret, circa sensus alios. Idcirco hac ipsa prætermissa contemplatione, ad solum tactum orationem conuertamus: de quo duo explicanda proponuntur à nobis: Primum an ab omnibus qualitatibus tangibilibus fieri dolor possit. Secundum verò an semper sit necessaria continui diuisio.

Circa primum igitur animaduersione dignũ est, quod in vniuersum duplex est tangibilis qualitas, prima, & secunda, vt Aristoteles testatur libro secundo de generatione, & corruptioue. Inter secundas qualitates illæ vim habent faciendi dolorem, quæ continuitatem diuidunt. Nam subtilia, & acuta, pungendo, & findendo, siue fuerint leuia, siue grauia, dolorem inferunt: Dura, & grauia contundendo: crassum, & multum distendendo: erga solutio continui in sẽsorio tactus manifesta fit à secundis qualitatibus: fit etiam à primis. Sed ab his non fit solutio euidens, sensibusque conspicua: sed solum rationi manifesta: ideo Galenus vbi facit mentionem de soluentibus continuum, omittit primas qualitates, cum sit artifex quidam sensitiuus, vt colligitur ex secundo de ratione victus in morbis acutis commentario primo, & duodecimo methodi medendi capite septimo. Prætermissis qualitatibus secũdis, ad primas reuersi, dicimus dolorem fieri à calido, frigido, & sicco, ab humido autem minimè. primum, quòd calidum, & frigidum dolorem afferant certius est, quàm vt ostendi debeat. Quod autem humidum nõ faciat dolorem, Gal. testatur tum primo de caussis sympt. ca. 9. tum 2. de compositione medic. loc. cap. 1 estque in promptu ratio, quia dolor fit ab iis, quę confestim, & violenter agunt, sed humidum nõ potest hac vi prędituum esse: si dices contrarium Galenum docuisse libro secundo de rat. vict. in morb. acut. ab humido scilicet fieri dolorem. scire oportet rem alio modo sese habere, quoniam eo loco dixit, fieri dolorem, tũ à continuum diuellentibus, tum ab alterantibus sensum. Postea vero inter ea, quæ sensum alterant, etiam humidi meminit: non dixit, ab omnibus quæ alterant, sed indefinitè locutus est, postea vniuersaliter explicauit quæ alterant. De sicco autem alia ratio est, quoniã ipsum dolorem affert: quia potest per se continuum diuellere. vt à Galeno declaratum est 12. metho. med. cap. 7. & loco citato de comp. med. loc. In quo asserit fieri moderatos à sicco: ab actiuis qualitatibus maximos, ab humido, vt humidũ est, minimè dolorem effici, nisi replendo morbum effecerit partium instrumentalium: quod profecto est ex accidenti. Potest enim siccum violenter agere, & continuitatem diuidere.

Ab humido non fieri dolorem.

dubitationis solutio.

A sicco dolorem fieri.

Contra Auicennam.

diuidere. Et hîc obiter notabis errorem Auic. li. 1. fen. 2. tract. 1. cap. 19. vbi dixit, à ficco ex accidenti dolorem fieri, ea ratione, quia continuum diuidat. Sed aberrat, quia sic omnes actiuæ qualitates ex accidenti facerent dolorem: quoniam oportet omnes diuellere continuitatem membri, si dolorem sint allaturę, vt postea docebo. Hoc tamen affirmauerim, rarissimum esse, à sicca intemperie citra caliditatem, & frigiditatem fieri posse dolorem. Et ideo Galenus primo de symptomatum caussis capite sexto, non fieri à sicco dolorem, nisi primis qualitatibus iuncto, scriptum reliquit, respiciēs id, quod vt plurimum accidit. De secūdo propositorum, sciēdum est, primas hasce qualitates dolorem afferre. primò, cum inducūt inæqualem intēperiem, vbi enim fuerit æqualis, nullus accidit dolor. 2. de sympt. cauf. 5. & lib. de Inæquali intemperie cap. 5. Idcirco quicunque febres in habitu patiuntur, non dolent: vt 7. met. Gal. ait. Deinde dicimus, oportere hasce qualitates hac sua violenta actione continuum diuidere: quamuis occulta sit diuisio, & sensibus nō manifesta. Hoc enim nō est mirum, quia hos motus insensibiles multoties facit natura, gutta enim cauat lapidem insensibiliter: sed lege pro confirmatione quæ habet Gal. primo de locis affec. cap. 2. tertio de temperamē. 4. Audire autem hoc loco necessarium est rationes, quibus nos putamus calidum, frigidumque non afferre dolorem, nisi continuitatem diuellendo: mox hoc idem Galeni authoritatibus comprobabimus. Primum si calidū, & frigidum, solùm alterādo efficiāt dolorem, in magnis caliditatibus, quales accidūt per febres acutas, continuus dolor adesset per vniuersum corpus, quia inæqualis caliditas æqualiter totum corpus arripuit; simile tamen aliquid cōtigisse nunquam videmus, hoc sensibile est, meo iudicio, argumentum, quo nos possumus concludere, actiuas qualitates dolorem facere, aliud agendo, quàm alterādo: opus enim est, quod ad aliquem terminum præfinitum deueniat illa alteratio: si dolorem est allatura. Hic terminus est occulta vnitatis diuisio, quam cum effecerint qualitates primæ, statim dolorem inferunt. Secundò in iis, quæ dicūtur vniuocè, secundum eandem definitionem, ac nomen, vt Aristot. definit in libro Prædicamentorum, quod per se, atque essentialiter vni competit, alteri etiam conuenit, alioquin non essent vniuoca. Dolor vniuocè competit omnibus sensibus exterioribus, quia quocunque in sensiterio fiunt, continuò tristis erit, & molesta sensatio, vt supra definiuimus ex Galen. 3. de locis affec. 2. sed in aliis sensibus dolor fit essentialiter ab illorum obiectis, quatenus continuū diuidunt, primo de symp. caussis 6. quamobrem etiam in sensu tactus ab eisdem qualitatibus soluentibus vnitatem fiet, alioquin illa definitio nō conueniret omnibus aliorum sensuum doloribus. Ergo si reliqui sensus caussam habent immediatam, obiecta propria dissoluentia continuum, cur in tactu hoc denegare oportebit? Confirmatur ex Gal. 1. de sympt. caussis 6. in quo dixit hoc esse commune aliis sensibus omnibus. Hanc autem esse Galeni sententiam nunc ostendamus: Inprimis autem supponamus, quod is quæstionem vidit, ac mouit 12. metho. 7. dum proponit, se docuisse in libris de medicamen. facultatib. an primæ qualitates dolorem afferant simpliciter alterando, an autem continuitatem diuellēdo. Solutio autem quęstionis est apud eundem, in lib. 4. de simp. medicamen. facul. cap. 2. in quo is manifestum fecit primas qualitates soluendo continuum dolorem facere, modumque docet, secundum quem caliditas, & frigiditas continuum diuellant. frigidum (inquit) dolorem affert mordacem, continuum soluendo, raras particulas condensando, atque comprimendo, calidum verò contra, fundendo, atque dissoluēdo. Hic locus Galeni maximam certè fidem facit eius sententiæ, quia ad hunc modum continuò lectorem relegat circa huiusce quæstionis dissolutionem. Præterea idem exprimit lib. 2. de comp. medic. loc. cap. 1. rursus in lib. de fracturis. 3. & primo de caussis sympt. 6. idem Aristo. in 6. Topic. dum ait: Dolor est passio animalis facta ab iis, quæ continuitatē diuellūt. Idemq; Aetius Amidenus his verbis: Dolor est repentina temperamenti mutatio, intelligendo solutionem continui: ac si ipse diceret, nō solum est permutatio temperamenti, sed opus est intellectu rationari adesse solutionem continui, quo-

2. ratio.

Confirmatur.

Galeni authoritates.

Alia authoritates.

niam dolorem in corpore contractum ab intrinseca caussa descripsit, quasi nos commonefaciat occultam adesse solutionẽ continui. Amplius in lib. de inæquali intemperie, c. 6. docuit calidum, & frigidum non inferre dolorem, nisi ad quendam terminum illorum actio perueniat; terminum verò illum esse continui diuisionem tradidit. Quæ plura in huius sententiæ confirmationem adduci possint, nõ video. sit igitur manifestum omnes tangibiles qualitates dolorem facere, quando continuum diuellunt, ex Galeni sententia. Ex his autem quæ nos hucusque supposuimus, manifestum fieri potest, primum non esse duas proximas doloris caussas: Secundum verò, continui diuisionem nõ esse caussam doloris: vtrunque autem facilè deducemus. Si doloris proximæ caussæ efficientes æque perfectè duę sunt, continui diuisio, atque intemperies, vt quidam celebres viri ex Galeni sententia tradiderũt, vtq; ab Auic. omnium Arabum facilè principe scriptum est: sequetur duas esse proximas caussas vnius, atque eiusdẽ effectus, quod sanè vniuersa abhorret Philosophia, quæ tradit ab vno quatenus vnum, non posse fieri nisi vnum, sicq; vice versa, vnum fieri non posse, nisi ab vno agente proximo. Plures quidem caussæ eiusdem rei esse possunt, nõ tamen proximæ: vt Aristo scriptum reliquit in secundo lib. Phys. Quamobrem non erunt illæ duæ caussæ simul vnius doloris: vel si caussas dixeris, vnam ex illis proximam, alteram remotam esse oportebit. Caeterùm sequitur etiam aliud ex dictis, prorsus impossibile nostris Medicis: nobis verò necessarium, scilicet doloris caussam non esse intemperiem, quia potest esse dolor aliquis sine intemperie: nam si dolor est, dum circa sensum tactus fit alteratio ab obiecto sensibili, in ipsa alteratione nondum est aliqua intemperies, cum tamen, vt iam diximus, dolor adsit: At quidem post illam alterationem fieri intemperies, vt manifestum esse potest cuicunque rectè consideranti dolorem, qui fit a soluentibus continuum. Nam dum fit ipsa solutio, nulla est intemperies, tamen est dolor, manifestum meherclè argumentum (quod pauci hucusque cognouerũt) ab intemperie non fieri proximè dolorem. Ostendamus modo caussas, propter quas diximus solutionem continui non esse proximam caussam doloris: hoc enim videtur quid paradoxo simile: nam quicunque sustinent, ad dolorem esse necessariam solutionem continui, omnes vna voce confitentur esse illam proximam caussam: quia effectui proximè inhęret, sed tamen cõtra res habet. Nam ad hoc quod aliquid dicatur proxima caussa efficiens alicuius rei, necessariũ est, quod habeat vim agendi in proprium subiectum, qua vi si fuerit illud destitutũ, caussa dici non poterit effectiua, agensque, hoc modo res habet in nostro proposito. Doloris caussæ proximæ sunt, quæ in sensum agunt. In sensum nihil potest agere, quod non sit sensibile: ergo caussam doloris opus est esse aliquod sensibile. Nullum tamen sensibile est continui solutio, igitur caussa esse nequit. Quòd verò continui solutio non sit obiectum sensibile, hinc discas licet, quod omniũ iudicio, proprium non est sensibile: quia non est prima, non est secunda qualitas. secundò neque est commune, quia non est numerus, non figura, non magnitudo, non aliquod aliud ex horum ordine: quomodo itaque sensibile statuendum est? Præterea si esset etiam commune sensibile, quia hoc in sensum non agit, nisi mediante proprio, caussam actionis huius referri oportebit ad proprium sensibile, vt nos supra docuimus: nam sensibilia communia apprehenduntur à sensibus solùm spiritualiter. Dolor verò est quædam affectio materialis corrumpẽs organum. Hæc itaque cùm ita sese habeant, solutio continui dici non debet proxima doloris caussa; Imò ne caussa quidem, quoniam non agit in sensum. Præterea si ad dolorem efficiẽdum non solum oportet continuum diuidere, sed etiam qualitates tangibiles confestim, atque violenter agere, propter quã caussam hæc actio violenta caussa proxima doloris dicenda non erit; si ita est etiam caussa solutio vnitatis? ambo sunt necessaria, ambo proximè cõtingũt effectum; neutrum tamen in sensum agit, cur non ambo proximæ caussæ statuendæ sunt? Alia certè ratio non est, nisi quòd in sensum nõ agunt: Doloris caussa agit in sensum. Quomodo autem res habeat, nunc exponemus. Continens, atque proxima caussa

Hic est locus maximi momenti.

Quod non sint duæ caussæ doloris proximæ. nota.

Quod intẽperies nõ sit caussa proxima doloris, nota.

Quòd solutio continui nõ sit proxima caussa doloris. Nota. Prima ratio.

2. ratio.

3. ratio.

10

20

30

40

50

ma caussa doloris est qualitas tangibilis violenter agens in sensum, in eoq; continuitatem diuidens. violenta verò actio, solutioque non est doloris caussa, sed sunt conditiones, sine quibus illa non affert dolorem. Proxima caussa generationis hominis, est homo, vel semen: Tamen multa in his desiderantur vt homo fiat, videlicet recta vnio seminis viri, vel cum sanguine mēstruo, vel cum fæmellæ semine. Deinde, vt debito tempore coeant: hæ sunt circumstantiæ necessariæ: quis autem dicat eas caussas esse? cum vim agendi non habeant? sic habet res in nostro proposito: nam quodcunque facit dolorem, illud agit in tactum: in tactum autem nihil agit, quod non sit qualitas tangibilis: quamobrem ab hac fit dolor, non fit tamen semper, quia qualitas tangibilis, quantum sit sui ratione nihil aliud efficit, quàm veram, & naturalem sensationem: idcircò opus est aliud desiderari, vt fiat dolor, qui sensatio est præter naturam. Ideò hæc tangibilis qualitas duabus cōditionibus ornari debet, vt statim & cōtinuò dolorem ferat. Prima conditio est, vt confestim, atque violenter agat: secunda vt soluat vnitatem membri. hæc vbi non adfuerint, nullus dolor hominem fatigabit. Ergo vnitatis diuisio terminus est actionis qualitatū tangibilium, cū afferre dolorem debent, nō agens caussa: vt autem res clarior fiat, scire oportet, Galenum etiam ita locutum fuisse, in libello de inæquali intemperie cap. 6. in quo solutionem continui vocauit terminum actionis qualitatum agētium in sensum. Rursus etiam in lib. de loc. affec. secundo, cap. autem 5. agēs de caussis doloris nulla adhibita distinctione dixit, Dolorem fieri à tangentibus qualitatibus continuum soluentibus. Hæc verò in præsentia sufficiant de doloris essentia, eiusque proxima caussa.

Totius disputationis conclusio.

Exemplum.

Confirmatio ex Galeno.

Dubitationes, quæ his dictis accidunt.

HActenus declarauimus, tum proximum genus doloris, tum eiusdem essentialem, atque immediatam caussā, Ex quibus perfectissima doloris definitio proficiscitur in hunc modum. Dolor est tristis sensatio à sensibilibus qualitatibus confestim agentib. atque vnitatem dissoluentibus. Genus enim cōmune ipsa est sensatio, quatenus fit ab obiectis sensibilibus: proximū vero genus, cum additur tristis. quod per differentias essentiales, atque specificas, addendo confestim agentibus, & continuitatem dissoluentibus contrahitur. Hæc quamuis ex iis, quæ supra diximus, manifestam fidem habeant: Tamen circa vtrunque caput ad huc adsunt dubitationes, quę nisi persoluerentur, mentes iuniorū confunderent, propter hanc caussam in præsentiarum de iis agendum est mihi, vt hæc tractatio tandem careat omni difficultate. Hoc igitur nunc prosequor. Primum dubitatur circa proximum genus. Nam dolor videtur morbus, etenim est ex permanentium genere, quia Galenus definiens cæphaleam secundo de loc. affec. secundo etiam de comp. med. loc. asseruit ipsum esse affectum permanentem, contumacem, curatuque admodum difficilem: quinetiam delirium aliquādo sub genere rerum permanentium collocasse visus est. secundo de par. locis. cap. vltimo: quantò autem magis dolor, qui essentiam videtur habere magis permanentem? Confirmatur tum quia cæphaleam vocauit morbum: tum etiam, quia doloris curationem scribit; at curatio solo debetur morbo. Hæc dubitatio desumpta est ex fundamentis Petri Apponensis differentia 73. Deinde Monacus dubitat in secūdo artis medicę com. 79. quòd videatur dolorem non esse affectionem læsam, quia nulla competit illi particularis ratio læsarum actionum. Primò actio dici non potest ablata, quoniam fit sensatio. Secundò, non debilis, vt apud omnes constat. Tertiò, non deprauata, quoniam sensitiua facultas sentit obiectum tale, quale sese illi offert: & nulla ex parte deprauationem suscepit, quemadmodum accideret, si quis ob oculos culices, aut muscas volare videat: hic autem secus habet negotium: nam sentitur à facultate sentiendi, id obiectum, quod sese offert, eo etiam modo quo offertur. Error igitur in quibus consistit? esset equidem error si illud obiectum non sentiret, aut alio modo, atque sit. Hęc tantum potuit dubitatio aqud quosdam nostræ ætatis Medicos alio-

quin clarissimos, vt esse demonstrationẽ putauerint. Tertiò dubitatur, quoniam falsum videtur, affirmare dolorem esse tristem quãdam sensationem; nam sequi videtur aliquam adesse vim, & potestatem in sensibus extrinsecis, qua valeant apprehendere obiecta sensibilia sub ratione conuenientis, & disconueniẽtis: & hoc probatur, quia dolor nihil est aliud, quàm perceptio obiecti sensibilis molestãtis, & nocẽtis. Verùm hæc ipsa cognitio ad extrinsecum sensum referri non potest, sed ad aliam facultatem, quę sit interior, nempe ad phantasiam, vel appetitum: quia Aristo. lib. 2. de anima cap. 3. infert hoc modo, vbi sensus, ibi appetitus, & dolor, & imaginatio.] Hæc consequentia non videtur habere aliquam vim posita veritate definitionis supradictę, quia si pertinet ad solum sensum percipere dolorẽ, propter quã caussam Arist. addidit Phantasiam? Dicens, vbi dolor ibi phãtasia.] nõ oportuisset hoc modo inferre, sed potius ita; vbi dolor, ibi sensus exterior.] Hæc est dubitatio subtilissimi Vgonis Bentii lib. 2. Apho. cõmen. 6. Quęstiones potissimę circa proximum doloris genus hoc modo habent: Circa proximam caussam doloris, quamuis multa sint, quæ fortassis dubitationem facient, nihilominus, reliquis prætermissis, vnum duntaxat enarrabimus; videlicet, qua ratione Galenus interpretari debeat, qui passim duas esse doloris caussas admittat: nam videtur hoc maxime repugnare nostris principiis, quæ posuerunt ex Galeni etiam sententia; vnam, eamque proximam caussam, doloris esse: Aliæ autem dubitationes nullo labore persoluentur habitis his fundamentis, dequibus in superioribus egimus. His itaq; hoc modo propositis, audire rationem oportet, qua omnes quæstiones persoluemus, exorsi ab ea, quam inprimis proposuimus. Pro solutione primæ quæstionis sciendum est, nullius momenti esse eiusmodi argumentationem, qua Conciliator vtitur: nam ab vniuersali, ad particularis positionem illatio necessaria non est: sed tamen contra à particulari ad genus valet argumẽtandi forma. Exemplum, est animal, ergo homo, nõ est necessarium: Fieri enim potest alias esse species animalis ab ipso homine: si tamen intuleris hoc modo. Est homo, itaque animal, rectè dixeris: quia homo esse non potest aliquis, nisi prius fuerit animal. sic res habet in nostro proposito, vt cum dicit: Dolor est ex genere permanentium, ergo est morbus, omnis enim morbus permanet, non tamen omne, quod permanere quocunque modo dicitur, morbus est. Vniuersalior enim est ratio permanentiæ, quàm morbi: siquidem caussæ morborum proximæ (quas continentes, & coniunctas libro de caussis nominauimus) permanent, non sunt tamen morbi, cùm proximè operationes non lædant, sunt præterea quidam in homine affectus, qui permanentes dicuntur, cùm non sint morbi; vt malus ictericorum color, & leucophlegmaticorum cutem fœdans, qui tantum à morbo distat, quãtum tenebrę ab ipsa luce. Deinde verò si concedamus hominem hunc benè concludere, adhuc tamen is nihil habet contra nostram sententiam: quia dolorem ex iis, quę permanẽt esse, demonstrare nũquam poterit. Inprimis ergo declaremus, quid permanentiæ nomine significetur. Galenus definitionem explicãs morbi, primo de diff. mor. cap. 1. asseruit nomine διάθεσις intelligere affectum permanentem post alterationem; quicunque post alterationem vestigium eius impressum habent, isti affectum habere dicuntur, siue ii longo tempore permaneant, siue breuissimo temporis interuallo perdurent: non enim intelligitur nomine permanentiæ diuturnitas temporis, propter quam omnes, qui putarunt, morbum esse affectum diu permanentẽ, nõ mediocriter elapsi sunt: siquidem à morborum numero, morbos segregauerũt breui temporis spatio afficientes: inter hos autem fuerũt quidam methodici, potissimũ autem eiusdem sectę Olympicus, vt Galenus primo meth. med. significauit. Quãobrem affectũ esse post alteratione quandam permanẽtem, est proprium morbo. Ex cuius ignoratione euidẽter lapsi sunt recentiores quidam clarissimi, quibus ego præceptoribus vsus sum. Ex his, quæ hucusque diximus colligendum est, permanentiæ significationes tres esse. Prima est ea, quam morbo conuenire iam diximus: secunda, qua vsus est Olympicus, videlicet, vt affectũ notat, qui longo temporis spatio perduret. Qua significatione

in mor-

in morbo definiendo nũquam vsus est Galenus. Hic annectitur tertia quædam significatio, quæ attribuitur symptomatis: nempè cum dicimus dolorem capitis stabilem, ac permanentem: cum præterea delirium permanens dicitur. Ita sanè loquimur, non quod illa post alterationem subsistere posint, siquidem hoc est penitus impossibile: sed quoniam caussas habent fouentes, quæ continenter afficiunt, hoc modo dolor, & delirium à Galeno permanentia nuncupantur. Quomodo itaque si vera sunt hæc, quæ prodidimus, dolori conuenire illam, quam in morbo diximus, permanentiam, persuaderi potest? Quod verò Gal. definiens Cæphaleam nomine morbi vsus fuerit, nimis debile argumentum est: 10 nam eum non intelligit affectum, qui à symptomatis distinguitur, sed qui contineat communi significatione omnem affectum præter naturam, veluti etiam nos communiter loquimur. Quòd verò doloris curationem scribat, id Gal. efficit merito caussarum, quæ ipsum efficiunt, nõ sui ratione, qui mitigationem, atq; lenitionem postulat. Patet ex his, quæ hucusque diximus, quomodo morbus permanens nuncupari debeat; & quomodo symptomata etiam permanentia dici possunt. Ex quibus primæ dubitationi propositæ abundè satis factum putamus. Circa solutionem dubitationis secundæ, quæ semper apud me non mediocris, quemadmodum etiam apud alios celebratissimos Medicos dubitatio fuit: qua scilicet ratione dolor actio deprauata dicendus sit. Tandem post multas 20 cogitationes in hanc sententiam perueni, vt putarem dupliciter hoc esse: primum sanè ratione appetitus, deinde ratione sensus: quomodo appetitus ratione dolor actio deprauata dici debeat, infra declarabimus; si primum, quomodo sensuum ratione talis dicenda sit actio, exposuerimus. Dicimus itaque quòd apud Galenum deprauatarum functionum triplex existit differentia: quædam enim fiunt ab ipso morbo, nihil natura ipsa cooperante: quædam verò a natura simul cum morbo fiunt: quædam à sola natura, irritata tamen ab aliqua morbifica dispositione, vt Galenus significauit libro secundo, de caussis symptom. cap. 1. In hoc tertio, postremoque genere dolorem esse reponendum putamus, vt supra satis euidenter commonefecimus. Sed enim quæ, inquies, isthæc est de- 30 prauatio circa sensationẽ obiecti molestantis? Deprauatio inquã, & error adest, quia obiectum sentiens est præter naturam, & illud facultas sentiens percipit per modum contristantis. Ergo obiectum per modum contristantis percipere, est illud cuius caussa dicitur actio deprauata, quoniam excedit metas, & formam naturalis sensationis: debilis enim actio seruat naturam suam, idcirco naturales fiũt, sed cum imbecillitate actiones: hac verò amittit propriam speciem. Ita puto sentiendum, circa maximam hanc difficultatem: Quantum verò ad ipsum appetitum pertinet: dicendum est, eius caussa dolorem deprauatam actionem dici: quia dolor fuga est appetitus: vbi hæc modum excesserit, amittet formam, quam habet. Exemplo sit fames intensa, hæc enim vbi paululum augetur, 40 neque adhuc suam propriam formam amisit, inter naturales actiones numerabitur: verùm vbi nimium aucta fuerit, vt speciem amittat suam, quæ res accipit in Bulimo, id est, in fame canina, tunc actio dicitur corrupta. Idem in dolore accidit. Vbi enim fuga appetitus sit mediocris, vt in lenibus accidit doloribus, non deprauatur eius actio: vbi verò modum excesserit, vt in magnis doloribus, qui sensibiles à Medicis vocantur, tunc actio deprauata dici potest. Si huius rei vberiorem declarationem desideras, legito Cittadinũ in arte medica cap 92. lib. 2. qui hanc rem diligentissimè exponit. Sed de secunda dubitatione satis. Tertiam dubitationem propositam soluere dupliciter possumus, vno sanè modo, si dolorem sensuum affectionẽ solam esse tradiderimus, quemadmodũ accipiunt oẽs 50 expositores Galeni verba. Alio autem modo secundum nostra principia, quæ sunt iam exposita: vtraque vtendum est in præsentia, vt ex hac ostendamus, nihil omnino subtilissimi Vgonis rationem concludere. Pro prima solutione nota, quòd quando Galenus dicit, dolorem esse tristẽ sensationem, potest hoc modo interpretatio fieri (eodẽ etiam Vgone teste in 2. Aphor. 6) cũ dicit, dolorem esse tristem sensationem, perinde est, atque si diceret, dolor fit a tristi sensatione,

Deprauatarum actionũ triplex differentia.

Dolor quomodo sit actio deprauata sensus.

Dolor quomodo sit actio deprauata appetitus.

Antonius Cittadinus Fauẽtinus.

Dolor quomodo sit tristis sensatio.

tanquam à caussa proxima, & continente: caussæ verò huius nomine nuncupet ipsum effectum. Hoc verò non est præter Medicorum atque Philosophorum sententiam: nam Aristo. irã definiens, dicit ipsam esse sanguinis circa cor efferuescentiam: & similiter definiens Eclipsim, asseruit esse interpositionem terræ inter Solem ac Lunam. Tamen re ipsa ita non habent. non enim ira secundum eius propriam formam est efferuescentia sanguinis, neque Eclipsis formaliter, interpositio terræ. Sed illa est appetitio quædam vindictæ: hæc verò est ipsius luminis priuatio. Quæ tamen fiunt ab illis caussis, tanquam a cõtinentibus, atque proximis effectui. Fit enim Eclipsis ab ipsa interpositione terræ: fit ira, à feruore sanguinis. Ita profecto in nostro proposito dicendum est: Videlicet dolorẽ non esse reipsa tristem sensationem, sed quandam passionem, siue affectionem appetitus: vel si cũ Vgone loqui volumus, esse dispositionem Phantasiæ: quia tamen hæc fit à tristi sensatione, tanquam à proxima caussa, idcirco Galenus voluit ipsam nomine continentis caussæ nuncupare. Et nota, quòd hæ definitiones vocantur materiales, quia nõ exprimunt proximam formam rerum nisi potentia. Vt si dicerem, febris est calor præter naturam totius corporis: rectius quidem ita dixissem: febris est calida intemperies cordis, & totius corporis. Hæc igitur satis explicant, primam solutionem à nobis propositam. Rectius autem, atque magis ad mentem ipsius Galeni poteris respondere secundum ea principia, quę nos supra posuimus; Videlicet admittendo, dolorem esse quandam passionem Phantasiæ, vel appetitus, hancque passionem contineri in definitione à nobis explanata, vt si diceremus: Dolor est passio sensus, atque simul phantasiæ. Nam quatenus dicit dolorem esse sensationem, aliquã in sensibus exterioribus adesse affectionem significauit: qua verò ratione tradidit tristem esse, quia hoc ab illis sensibus dignosci non potest, idcircò significatur indigere ad hoc, quòd dolor fiat aliqua facultate interiori. Vides igitur ex hac nostra sententia, quàm rectè omnes dubitationes eruant, omniaq; incommoda desistant, quæ Vgo contra machinatus est. Sed nunc ad quartã dubitationem accedere oportet: quoniam multo maioris momenti, quàm supradictæ existit. Huic nostræ opinioni, quam præter aliorum opinionẽ de caussis doloris attulimus, opponi videtur Galenus, tum quando solutionem continui caussam esse doloris tradidisse videtur, tum etiam quãdo is videtur manifestò significasse, duas esse proximas doloris caussas. Loci verò, à quibus Galeni sententia desumitur, hi sunt, lib. 2. de loc. affect. ca. 5. 12. met. c. 7. 2. de ra. vi. acu. cõ. 1. primo de sym. cau. c. 6. tertio de cõpositione med. loc. cap. 2. in arte med. cap. 80. Ex his, pluribusque aliis diuini huius hominis voluminibus, celebratissimi Medici tradiderunt duas esse proximas caussas doloris ex Galeni sententia. Sed profectò, quia plurimum decepti sunt, interpretanda sunt à nobis eius verba, atque tandem vna veritas, quæ authores omnes in hanc vsque diem latuit, aperiẽda est ex nostris principiis. Doloris igitur proxima caussa est, qualitas tangibilis violenter alterans, & continuitatem soluẽs. Duo igitur necessaria sunt, vt fiat ab hisce qualitatibus dolor: primum, illas violenter & subitò agere: secundum, continuum soluere, quod ex primo sequitur. Hæc autem solutio duplex fieri potest, altera occulta, obscura: altera verò sensibilis ac manifesta, quemadmodum qualitates tangibiles duplices sunt: alię quidem primæ, aliæ autẽ secundæ. A primis quidẽ dolor fit alterando violenter, atq; præter naturam corpus, latenterque eius continuitatem diuellendo. A secundis alteratur sensus, atque apertissimè fit diuisio continui. Qui factus est dolor à primis qualitatibus, hic ex intemperie effectus dicitur, quoniam non habet manifestam solutionem vnitatis; neque hoc mirum, quia Medici artifices sensitiui sunt. Qui autem à continuum apertè diuidentibus fit dolor, hic ab intemperie factus dici non potest, quoniam dum fit (tunc enim est dolor) nullus est intemperantiæ excessus, non calidus, non frigidus, nõ siccus, quamuis progressu temporis tales fieri possint, vt supra declarauimus. Hæc cognouisse in medendis doloribus Medicum refert: quandoquidem in eo, qui fit à continui solutione, scopus curationis non est alteratio, sed vnio, vel ea, quæ pro vnione sunt necessaria.

Loci cões.

At verò qui fit à primarum qualitatum alteratione, postulat solam alterationem per contrarias qualitates: in calido, cum frigidis: & calefacimus frigida, & sicca humectamus: atque illa, quæ adest continui diuisio, nullo Medici præsidio curatur. Hæc noster admirabilis Galenus admonuit in 12. meth. med. cap. 7. his verbis: Verùm quid agendo, quæ vehementer calefaciunt, & refrigerant, dolorem inferant, quærere ad rem propositam minimè est necesse, siue enim vt substantiæ sensibilium diuidentia continuitatem: siue vt eam semel & confestim alterantia, id ad eorum intentionem, quæ dolorem leuabunt, nihil refert, modo sciamus, quod violenter vel excalefacit, vel refrigerat, id sententia corpora do-
10 lere.] hæc ille. Et quidem meritò, non pertinet ad tractationem de medendis doloribus, quia illos, qui ab intemperatura calidi, frigidique fiunt, quamuis cõtinuum soluant, attamen perinde curamus, atque si nulla adesset cõtinui solutio: quemadmodum eis, qui à secũdis qualitatibus fiunt, manifestè diuidẽtibus continuum ab extrinsecis caussis perinde medemur in principio, atque si nulla adsit intemperies, quoniam certè non adest, vt diximus. Quamobrem si hæc, quæ hactenus dicta sunt, veritatem habent, quemadmodum putantur, iam Galeni sententiæ nullam dubitationem habent, ita enim interpretandæ sunt. Dolor fit à qualitatibus tangibilibus: hæc habent duas differentias: itaque dolorum etiam differentiæ sunt duę (quantum ad methodum, & ad rationem curandi pertinet,
20 ad quam vt ad finem omnes medicæ contẽplationes rediguntur.) aliæ enim obscurè continuitatem soluunt: hæ sunt qualitates primæ, calida, frigida, sicca: alia manifestè vnionem soluunt, vt subtilia, acria, grauia, dura, lenta. Propterea ab eo, quod sese offert sensibus, duplex est doloris differentia: alia à qualitate alterante, calida, frigida, & sicca: alia à secundis qualitatibus manifesto continuum soluentibus. Quando igitur Galenus ab intemperie, vel ab alteratione dolorem fieri tradit, intelligit qualitates primas; quando autem à soluentibus continuum, intelligit secundas qualitates. At si fortasse dubitas, dolorẽ, quem Galenus à soluentibus continuũ fieri dixit, non pertinere ad qualitates tangibiles, id sanè verba eiusdem clarissimè in hunc modum explicant. Alius qui ob tensionẽ fit, non
30 solius affectæ partis proprius, vt qui vicinas partes interdũ afficiat. Est itẽ dolor, qui à tangentibus duntaxat in affecta particula generatur, cùm videlicet compressa, vel contusa, vel à re quapiam superueniente vulnerata dolet.] Hæc Gal. Manifestum igitur ex his fecimus, dolorem omnem fieri à qualitatibus manifestis tangibilibus tam primis, quam secundis. Caussamque aperuimus, propter quam dolor à duabus caussis fieri tradatur: præterea rationem exposuimus, ob quam Galenus, cum in omni dolore necessaria sit solutio, aliquando hãc exprimat, aliquando verò conticeat: Ex quibus veritas apertissima est, quam, ego plurimum admiror, neminem eorum, qui post Galenum de rebus Medicis conscri-
40 pserunt, olfecisse, atque hæc mea in arduo negotio sententia est. Vale.

IO. BAPTISTAE CVCINAE PISAVRIENSI MEDICO INSIGNI;

EPISTOLA SECVNDA.

Agitur de odore, an habeat vim nutriendi.

POSTQVAM meam de odore audire sententiam desideras, an scilicet nutriat, & quomodo, & quas partes: de qua in comitiis illis
50 Franciscanis, multum cõtra quorundam Philosophorum opinionem disseruimus, nunc opportunam occasionem scribẽdi nactus, tibi satisfaciũdum duxi: Atque primùm quędam de odore secundùm Peripateticos in medium afferam, mox de opinione Medicorũ edisseram: & in his explicandis omnibus difficultatibus, quæ alioquin satis magnæ videtur, respõdebimus. Vt igitur ab ipso Aristotele exordiamur, est aduertendum, hunc

Aristotelis opinio de odoris natura.

antiquiorũ opiniones de odore pro sua alioquin consuetudine reprobare. Contendebant horum quidam, odorem esse vaporem quendam: alii non vaporem, sed fumosam quandã exhalationem à rebus odoratis elatam: quidã verò vtrunque. Vaporem non esse ostendit Philosophus hoc potissimum ductus argumẽto, quod vapor refertur ad aquam: aqua verò odore caret. Neque rursus exhalatio est, quia animalia in aquis degentia odorem percipiunt: sed nequit exhalatio penetrare aquam frigidam, & humidam, cũ exhalatio calida sit & sicca, statuaturque vnum quodque destrui à suo contrario. Adde, quòd tam si vapor esset, quam fumida substantia, opus esset rem odoratam continuo diminui, ad nihilumq; tandem reduci, cum tamen oppositum obseruemus, Aristotelis verba in hunc modum habent libro de sensu, & sensiterio. Verùntamen odor neutrum ex his videtur esse. Nam vapor ad aquam refertur: fumosa euaporatio non potest in aqua fieri. Atqui oderantur etiam aquatica, vt prius diximus. Præterea euaporatio similis esse dicitur defluuiis, quæ si non bene tradita, ne hæc quidem rectè traduntur. Hinc putauit ille, odorem qualitatem secundam existere, quæ, vbi humor, qui aquæ ac aeri inest, afficitur, diluiturq;, à siccitate nõ insipida prodit. Quemadmodum eiusdem verba testantur, quæ sic habent:

Quod itaque humidum contingit, quod aeri, & aquæ insitum est, aliquid sumere & affici quodãmodo à sapida siccitate nõ obscurè patet. Est enim aer suapte natura humidus. Iam verò, si effectus sicci, veluti abluti similis est in humoribus, atque in aere, dubitari non potest, quin odores proportione saporibus respondeant. Cæterùm hoc in quibusdam contingit: sunt enim odores acuti, sunt dulces simul & austeri, acres item, & crassi. nam putres licet ad amaros proportione referre. Quoniã, vt sapor amarus potus difficultatem facit, sic odor putris odoratum offendit. Quo intelligitur hoc esse odorẽ in aere & in aqua: quod sapor in aqua. Quare rigor & concretio sapores reddidit hebetiores, & odores demolitur, nempè quia calidũ motorem, & artificem frigus, & cõgelatio submouent] hęc Aristoteles. Deinde verò asseruit odorem proprium esse, & peculiare humanę naturę: homo enim pro sua magnitudine multum habet cerebri, idque humidissimum ante omnes animãtes: hacque de caussa factum esse, solũ hominem præ cæteris animalibus plurimum delectari odoribus, quia illorũ caliditas, siccitasq; temperata vim habent magnã ad mitificandã humiditatẽ cerebri, ac frigidam intemperiem, calidam enim, & siccam naturam odorem habere affirmans: Maximè præterea conferre ad hominis valetudinẽ tam bonã, quàm malam, illam posse conseruare, hanc autem inducere, de quibus ita loquitur: Hoc itaque odorabile homini proprium est, cum odor, qui saporum ordinem sequitur, homini cum cęteris animalibus cõmunis sit, vt iã dixi. Quod genus, quia dulcedinem habet ex accidenti, secundũ sapores, diuiditur, alterum non itẽ, quippè cuius natura per se dulcis est, aut amara. vt verò huiusmodi odor proprius homini sit, cerebri algor est in caussa: quoniam algente cerebro suapte natura, cũ sanguis, qui in ipsis vasis cõtinetur, subtilis sit, atque purus, facilè gelascit. Quocirca nutrimenti euaporatio ingenio loci frigefacta morbificas fluxiones facit. Hanc igitur odoris speciem, vt mortalibus auxiliatur, natura excogitauit. Nec huius alter est vsus, quã hic, qui certè manifestus est. Nã cibus suapte natura redolẽs tã siccans, quàm humectans plerunq; morbificus est. At suauitas odoris, qui per se ipse fragrat, vtcunque homines valeant, semper ferè iuuamentum præstat] hęc ille, qui paulum postea multo apertius rem declarauit hisce verbis: Sed huiusmodi odoris genus peculiare est humanę naturę. Homo enim pro sua magnitudine plurimum habet cerebri, idque humidissimũ ante omnes animantes, quæ caussa facit, vt solus, propè dixerim animalium, homo sentiat, gaudeatque florum, cęterorumque id genus odoribus, vt quorum calor, atque motus temperatus est ad excessum humiditatis, atq; frigiditatis cerebri] subdit postremò, Pythagoreos fuisse deceptos, putantes quędam animalia pasci ipsis odoribus: primum, quia videmus cibum compositum esse oportere, cum quę aluntur, simplicia non sint, quo circa alimenti excremẽta fiunt vel in ipsis animalibus, vel extra, vt in genere plantarum:

re plantarũ? deinde humor ipse solus, ac mistionis expers alere non potest, nam quod est aliquid nutriturum, corpulentum sit necesse est: atqui aerem corporari à ratione longius abest. ad hæc cunctis animantibus datum est cibi conceptaculum, à quo trahunt, sumuntq; corpus: at sensorium odorabilis in capite est, odorque cum spirituali euaporatione subit prorsus, vt spirationis locum perstringere possit: hęc summa est Aristotelis opinio. Circa quam adsunt quàmplurima, quæ mihi dubitationem faciunt maximam: atque illud inprimis, quod statuat odorem nõ esse fumosam exhalationem: nam ponamus id verum esse, quod de animalibus aquatilibus tradit, de qua re quædã dicemus loco suo. ratio, qua impugnat opinionem, est maximè suspecta: quia si odoris natura calida est, & sicca, siq; frigida est & humida aqua, quomodo purpura, aliique pisces odorem percipiunt? Cur odor perinde non corrumpitur in aqua? atqui vult corrumpi fumosam exhalationem. Addo, quod neque etiam altera videtur concludere: nam quamuis vapor ad aquam referatur, tenuiorem tamen aqua substantiam habet, tanquam id, quod medium quoddam videtur inter aquam & aerem: quamobrem non sequitur propterea non esse vaporẽ, quia aqua odore careat: sic enim oportuit illam tãquam odoris receptiuam denudatam esse a forma recipienda. Amplius videtur hic negare, quod vapores nõ sint odorati, cum tamen re ipsa experiamur, vapores, qui ab aqua, & qui à terra vi Solis attolluntur, odorem aliquem habere. Præterea illud suspectũ est mihi, quod concludat odoris naturã calidam esse, & siccam, atque idcirco conferre cerebro hominem: interim tamẽ deneget exhalationẽ esse, quæ calida, & sicca est. Vellem, vt hoc mihi diceret Aristoteles: an hęc qualitas cum extra rem odoratam cernitur, in subiecto sit aliquo, an extra subiectũ? si in subiecto (hoc enim admittere oportet illum pro suis decretis) quæsierim, quodnam sit hoc subiectum, si non est substantia vaporosa, nec exhalatio, opus est esse aquam, & aerem. sed cur aer siccitatem odoris non corrumpit? ideoq; non prohibet sentiri? cur aqua frigiditate & humditate pro subiecto statuetur qualitati calidæ, & siccæ? permanebũtq; ambo odor, & aqua sine interitu? Deinde multę sunt obseruationes, quę contrariũ persuadent: vna quod quædam sunt odorem nunquam emittentia, nisi committantur igni, qui absumens rei odoratę substantiam, emanare odorem cogit; Horũ quædam odorem habẽt suauem, quædam ingratum: quęsierim an adsit odor in eiuscemodi rebus, vel non adsit? si dixeris adesse, petierim, cur non sentitur: quia, inquies, agens proportionatum non adest, calor scilicet educens de potentia ad actum: rectè hic inquam, sed tamen cum videamus, fumosam exhalare substãtiam, vniuocaq; sit odoris ratio in omnibus eadem, necessarium est, vt statuamus in illis odoris existentiam non posse sine exhalatione consistere. Altera est, quod poma odorata dum longo tempore contrectantur, manibusq; diu continentur, manifestissimè flaccescere videntur, quod non contingeret, nisi aliqua efflueret substantia. Tertia est, quod agente sole in floribus, & plantis, odor sentitur, recedente minuitur, aut etiam aboletur, signum quidem satis efficax, nisi fallor, aliquid effluere præter simplicem, & spiritualem qualitatem: itẽ si odorum species duæ sunt, quædam per se gratæ ad gustum minimè, ac ad cibum conferentes; quædam verò quæ ad cibum inquirendum conducunt, siq; animalia aquatilia habent odorandi potentiam, vt cibum accommodatum venentur, cur pisces à re malè olente decepti, vt piscatores quotidie exercent, venantur cibum pessimè olentem? qui illis venenum cum sit, necem afferunt? deberent enim gratos amplecti, alios verò deuitare, vt idem auctor testatur. Postremò rationes, quibus contẽdit animalia odore non nutriri, non videntur mihi necessariæ: cum enim inquit oportere alimentum non esse simplex, sed compositum, rectè quidem cõcludit: cum verò addit, odorem simplicem esse qualitatẽ, in hoc non benè: quia aut odor exhalatio quædam est, aut certè non sine exhalatione eius essentia consistit: hacq; de caussa quoddam est compositum. Ad secũdam pariter dicamus, quod quemadmodũ aqua & aer quatenus simplicia, & impermista sunt, nutriendi nõ habẽt potentiam: sic neque odor si qualitas esset simplex, non nutriet. quod verò ad-

Dubitationes contra opinionem Aristotelis.

Dubitationes contra rationes Aristotelis.

dit vltimò naturam constituisse cibi receptaculum, id veritatem habet: nō propterea dicendum odorem nō alere, quia etsi non sit cibus, idest alimētum quoddam solidius, cuius caussa satis ampla constituta sunt instrumenta, alimētum est tamen pro partium quarundam tenuiorum nutricatione idoneum: neque proprio caret receptaculo, vt suo loco differemus.

Opinio Petri Apponēsis diff. 155. Petrus Apponensis in libro differentiarū hanc de odoris nutritione sententiam habet: quod odor per vaporosam exhalationem aeri commissus, per asperamq; arteriam ad pulmones & cor delatus, atque ab his per aortam ad retiformem primo plicaturam, deinde ad cerebrum, ex hisque locis veluti concoctus spiritus vere nutrit, ac reparat: quod facere nequit, cum primo occurrit olfactus 10 instrumento: qui ad huc qualitas ferè nuda est & simplex, quę certè nutrire non valet: atque hoc modo spiritus tantum præcipuè animales nutriri ab odoribus dicit: solidiores verò partes refocillari quodammodo ab eo, nō nutriri. Tria sunt *Impugnatio opinionis cōciliatoris.* in hac opinione quæ mihi videntur contra Medicorum præsertim Galeni sententiam: primum quod is cōcludat odorem, cum primum occurrit olfactus instrumento esse nudam ac simplicem qualitatem, quam Galenus exhalationem esse, aut certè nō sine exhalatione arbitratur. Secundo, quod putat statim nutrire illum non posse, sed postulare multos circuitus, longissimum quoddam iter, motus multos, atque concoctiones, in qua re dupliciter aberrat: primum quia *Aphor. 1.* celerrimè ab odore recreari, nutririque ægrotos obseruamus: & Galenus libro 20 secundo aphorismorum scriptum hisce verbis reliquit: Quicunque indigent citissima adiectione, humidum remedium ad recuperandas vires optimum est: vbi vero adhuc citius per odoratū] quæ verba ab Hippocrate libro de alimento sumpta sunt. nam ille sic ait: & quicunque celeri appositione indigent, humidum medicamentum ad resumendas vires optimum. quicunque celeriori, per *Lib. de alim. com. 4.* olfactum: quibuscunque verò tardiori appositione opus est, id solido alimento faciendum est] Galenus in huius loci commentario reddens caussam sententiæ huius dixit: Caussa est, quia suauis odor nescio quid addit ad corpus, & eius tēperaturam accomodat, & naturalem calorem corroborat, in quo calore nos esse vitam asserimus] His etiam addito, quod amplius odor non est post tantas mu- 30 tationes, alterationesq; in ipso cerebro, & primum factas circa thoracis partes: adde in quo multis displicet, est quod simul cū Galeno admittat in cerebro plexum quendam rectiformem, ac admirabilem. Nullum esse eiuscemodi rete mirabile (sic enim vocant) attestantur quidam, qui in brutis, bobus præsertim obseruarunt simile aliquid inesse ei, quod scribit Galenus: in homine verò non re- *Nota de plexu retiformi* periri cōtendunt. Sunt qui arteriam fortasse vnam, vel duas, aut venæ vel membranæ portionem ostendant in cerebro pro Galeni plexu, at illi ignorāt interim hunc auctorem descripsisse rem maximè euidentem, quando dicit, ex arteriis propemodum infinitis, aut certè plurimis, & maximis implicatis inuicem multis modis plexum hunc consistere, quod si homo eget tali spiritu ad actiones prin- 40 cipis facultatis obeundas, quibus ille cæteris animalibus præstat, oportet profectò obscuriorem esse hunc plexum in brutis, vtpotè, quæ tanta puritate, & elaboratione horum spirituum ad suas functiones peragendas nequaquam opus habeant. Sed hæc alibi sunt copiosius demonstrata. Postremò Galenus vult in syncope omnes vires collapsas esse, maxima verò eas, quæ sunt in corde: vtquè *Cap. 15.* has statim reparet, odoribus vtitur primo libro ad Glauconem: quamobrem non solum animales, sed etiam vitales nutriuntur: quinimo citius hi, quàm illi, quia illius testimonio odor primum in thorace, quam in cerebro attrahitur.

Manardi opinio ep. 6. Ioannes Manardus Ferrariensis libro decimooctauo epistolarum, putat ab odore non solum instaurari spiritus, ac nutriri, sed etiam solidas partes: cuius ho- 50 minis rationes hæ sunt: prima quod Historiæ tradiderunt, Democritum annum nonum supra cētesimum agentem, vitam triduò ex solo odore panis conseruas- *Cap. 2.* se. Secūdò, quia Plinius libro septimo naturalis Historiæ refert, Astromorū gentem ex solo odore viuere. Tertia est ratio, quod si odor solidas corporis partes nō nutriret, haud posset in hoc munere comparari vino, per quod totum corpus

non solum

non solũ instauratur, sed impletur: hoc enim verbo vtitur Hippocrates in aphorismis, in quo, vt Galenus exponit, de his loquitur, qui refectione corporis egẽt, de quibus antea fuerat locutus in eo videlicet aphorismo: quæ longo tempore extenuantur corpora] in quo proculdubio de refectione loquitur, quę ex morbo conualescentibus debetur, in quibus non spiritus tãtum, sed singulæ corporis particulæ, plus minus ve sunt exhaustæ, quamobrem concludendũ est, odorem nutrire omnes corporis partes, atque hoc magis efficere, dum sunt instrumento olfactus propinquiores: non autẽ, vt Apponensis putauit, postquam tot fuerit mutationes expertus. Plurimũ admiror quomodo hic vir apprimè doctus in hãc opinionem venerit, vt putaret ab odore solidas partes nutriri: est enim hoc prorsus contra Hippocratem, qui spiritus duntaxat ab aere, & ab odore voluit regenerari, quinimo est idem cõtra Galenum, qui spiritus ab odoratis velocissimam præstari animalibus nutritionem significauit. Non possunt autem solidæ partes tanta celeritate restaurari, vt potè quæ postulent longius tempus, vt in ventriculo, in hepate, in venis, atque tandem in ipsis partibus solidis fiant alimenti transmutationes, vt optimè tradidit Aristoteles, Meminisse oportet hic eius sententię. Eorum quæ vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoq; fiunt excretiones,] quia ipsa obseruatione videmus statim recreari spiritus ab odore: eiuscemodiq; recreationẽ breuissimo tempore durare: & è contra obseruatum est, nutrimentum quod solidis partibus apponitur, vt puta crassius, diutius perdurare: hinc fit, vt omnino absurdam hanc opinionem esse putem. Adde his, quod si verum est ex eisdem nutriri, ex quibus constamus, partesq; solidę ex crassiori constant materia, opus est nihil posse nutrire illas, nisi quod crassum sit; quod itaque tenuissimum est, vt aer crassissimum nutrire non potest. Quod affert de ipso Democrito, quicquid sit de ipsa historia, volumus admittere, non tamen conficiẽdum est propterea solidas partes fuisse à panis odore connutritas: nã senes quia pituitam habent multam, facile ieiunium ferunt: hinc recreatis ab odore spiritibus, exiguus calor, transmutata in alimentum pituita, annum agentem centesimum nonũ potuit hominem triduo viuum conseruasse. Quod de Astromorum gente Plinius contendit, id tanquam falsum, & impossibile reiicimus, ex aliorumq; sententia dictum à Plinio fidem habere aliquam non debet apud nos. Vinũ certè nutrit solidas partes, quia exhalatione odorata multò crassior est: & quia crebra transmutatione in sanguinem permutatum, potest pro illorum nutrimento commodè substitui: id verò fit propter eius tenuitatem multò citius, quàm à crassioribus alimentis. Sed antea quam id faciat spiritus, recreat, nutritque odore, qui omnium est pro hoc munere perficiundo maximè idoneum. Hinc rectè comparantur inuicem vinum, & odor: illud enim absumptum tardius, at verò odoratum citius recreat. quę res propriè accidit odori. quamobrem collatio est in eo, quod citò aut tardè nutrire potest, non autem in eo, quod solidæ partes nutriuntur, aut spiritus.

2. aph. 11.
2. aph. 7.
Manardi opinio impugnatur.
Solos spiritus odore nutriri ex libro de alimento.
Lib. de sen. & sensiterio.
2. aphor. 13.
Nutrientia statim & velociter excernitur
Solidæ partes à solido nutrimento nutriuntur.
Responsio ad rationes Io. Manard.
Vinum solidas partes nutrit.

Diximus quid benè, & quid nõ benè sit à Medicis dictum: reliquum est modo, vt de ipsa veritate transigamus: atque imprimis illud animaduertere oportet, Medicos ac Philosophos in quibusdam cõuenire: & rursus in rebus quibusdam dissentire: conueniunt, quia odor quatenus est in sensitiua potẽtia, minime potest nutrire: nã est hac ratione quoddam accidens, quod ab hac facultate, omnium iudicio, excluditur: non est itaque difficultas, an odor pro specie sensibili desumptus, & quatenus sensiteriũ, eiusq; potentiam afficit, nutrire valeat, necne: non enim hæc res est controuersa: sed dubitatio est, in qua differunt, an odor quatenus est in medio, possit instaurare corpus, necne: Medicis admittentibus, negantibus autem Peripateticis. Verum quia nequit hæc difficultas dissolui, nisi primum statuamus, quæ sit odoris natura, & substantia, de hac antea dicemus. In qua etiam, tum conueniunt inuicem, tum dissentiunt: quatenus enim odor mediam quãdam naturam habet inter aerem, & aquam, quod scilicet neque ita tenuis est vt aer, neque ita crassus, vt humor, eatenus idem sentiunt: quia Aristoteles odorem fieri putauit, cũ humor, qui inest aquæ, & aeri afficitur, diluiturq;

Augenii propria opinio.
Gal. lib. de instru. odor. ca. 3. & 6. de placitis. l. de transf. & sensit.

à siccitate non insipida, quod pariter admittunt cum Pythagoricis Medici, vt in Thimæo testatur Plato. Verùm an ex hac ablutione, dissolutioneq; effluant substantiæ quædã in medio, vel non effluant, dubitatio est non contemnenda, quia Auerroes & alii Peripatetici spiritualem duntaxat speciem à re odorata in medio multiplicari contendunt, vt à re colorata; secus autem putant Medici. non ab re autem dicimus, Auerroem hæc dixisse, quoniam quamuis receptum sit, Aristotelem sentire aere in ipso, aut etiam in aqua spiritualiter odorem multiplicari, ego tamen ambigo, & plurimum circa illius opinionem dubito, cum mihi persuadeam, Aristotelẽ aliud sentire, de qua re dicemus infra. Primo igitur loco explanabimus sentẽtias Galeni, & Platonis, atque antiquissimi Hippocratis, qui vnanimi consensu dixerunt, odorem esse quandam exhalationem: Galenus igitur libro de olfactus organo sic inquit: Aliquid verò quod inter naturam aeris & humoris est in odorandi sensum cadit: quod neque ita tenue est, vt aer, neque ita crassum, vt humor; id enim, quod à rerũ corporibus exhalat, odoris est substantia, quod ex rosis maximè similibusve, quę sic tenera sunt, cognoscere licet: quæ omnino corpora celeriter minora, & sicciora euadũt; ex quo apertè intelligitur ex earum rerum substãtia, partem rerũ humidiorem in halitum digeri.] hęc Galenus. Plato autem in Thimæo sic inquit: sed in madefactione quorundam, vel putredine, vel liquefactione, vel euaporatione gignuntur odores: cum enim in aerem aqua, vel aer in aquam transit, in medio istorũ odores fiunt, omnisq; odor aut fumus est, aut caligo: sed horũ, quod ex aere mutatur in aquam, caligo; quod vero ex aqua in aerẽ, fumus: hinc fit, vt aqua odores tenuiores sint, aere crassiores] hęc Plato. Pro quorum intelligentia animaduertendum est, à rebus odoratis effluere substantiam non vno eodemq; modo: aliquando enim effluxus est admodũ sensibilis, aliquando verò sensu imperceptibilis: quæ res contingit ob diuersitatẽ corporis odorati: si enim substantia in qua inhæret odor crassior fuerit, tunc odor sentiri non potest, nisi alicuius agentis vi extrahatur? sic ligna quędam accensa odorem emittunt magnum, si vero non accẽdantur aut exiguum, aut nullum: in hoc numero & olibanum, pix, myrrha, ac id genus alia. ex his igitur effluens substantia percipitur, certumque est hoc modo multiplicari in medio odorem. at si tenuior est materia, magisq; ignea, effluuium fit insensibile, vt in mosco, ambra, & reliquis. quod ex his exhalet quædam substãtia, hinc videre licet, quod si hæc odorata aliquo tempore teneantur sub dio, odor admittitur, ac ab illis rebus euanescit; si verò clausa retineantur, vt non respirent, longissimo tempore odor conseruabitur. Alia esse nequit caussa diuersitatis huius, nisi hæc vna, quod euanescit odor, cum substantia illa tenuis in ambientem dissoluitur: conseruatur, vbi continetur in re odorata, prohibeturque effluxio. Notabis secundo loco, quod, quę manifestum habẽt effluuium, semper fiunt minora, dum odorem amittunt, alia non item, nisi quædam longitudine temporis id patiantur, sed certè id, vt in prioribus, sensibiliter non accidit, diuersitatis caussam putauerim eandem, in qua residet odor, materiam: si enim crassior fuerit, vtique minor fit iudicio sensuum: si verò admodũ tenuis, id vel nõ accidit; vel si euenit, nõ percepto effluuio res flaccidior, & minor cõspicitur. Exemplum sit spirituosæ substantiæ dissolutio, quæ in nostris continetur corporibus, quæ corpus non reddit minoris quantitatis, quàm prius fuerat, vbi fit sensim ac secundum naturam: cum verò fit violenter affatim, ac subito, quãuis non percipiatur effluuium, redditur tamẽ eneruatum corpus, & quale ab Hippocrate primo libro prognosticorum describitur. Sciendum adhæc, à re odorata duo effluere, substantiam, & accidens: odor accidens est, non substantia (hic appello odorem propriissima significatione, quatenus est obiectum potentiæ olfactiuæ, non autem pro aggregato ex materia & obiecto) cum igitur Galenus inquit, odorem esse, quod à rerum corporibus exhalat, non intelligit qualitatem solam, non substantiam duntaxat; sed ex vtroque aggregatum, odoris nomen communiori appellatione sumendo, siquidem falsum est, & ab omni ratione omnino alienum, subiectam materiam, & qualitatem simul esse proprium obiectum sensus. Duo sunt hæc diuersa

Cap. 3.

Confirmatio ex Platone.

Cum omni odore effluit quædam substantia.

Nota modũ.

Effluuium duplex.

Odoratæ res cur quãdoque minores fiunt.

Odor propriè est accidens non substantia.

diuersa. odor non defertur ad sensum sine effluuio substantiæ, quę res citra controuersiam est vera. Alterum odoris essentia, vt obiectum est; substantia illa effluens existit: aut substantia, & qualitas simul. hæc enim non potest aliqua ratione consistere, sed hęc fortasse subtilius alio loco discutientur à nobis. His videor explicasse, quod odor nunquam sensibus sese offert sine effluuio substantiæ.

Huic opinioni Auerroes refragatur libro secundo traditionis de anima, hisce vsus argumentis. Primum, si fumi multiplicatio ad odoris multiplicationem est necessaria: vel aerem pellit, vel penetrat, eo quod sursum deorsum, vel circum quaque diffunditur. Non pellit; quoniam aerem fumo cedere nulla ratio cogit: nam & ipse tenuis est, atque illius naturæ consimilis: minus verò dicendum est ab eodem penetrari corpora, siquidem in eodē simul esse nequeūt, idcirco non effumatio quædam, sed spiritualis odor eo vsque peruenit. Pręterea nisi spiritualis natura odoris existeret, vtique nulla ratione potuisset contingere, quod vultures, aliaq; animalia fœtorem cadauerum occisorum in prælio in distantia milliarium quingentorum percepissent. impossibile enim esse putat substantiam effluere ad tantum spatium posse, quin vel in aeris substantiam fuerit conuersa, vel à ventis dissipata. Hisce rationibus Commentatoris quidam addunt rationem satis illorum iudicio efficacem. si enim (inquiunt) in loco aliquo excelso, & sublimi fiat alicuius odorabilis corporis effumatio, veluti thuris: ab his, qui in loco distanti atque inferiori existunt, odor sentitur; & tamen ad illos non tendit effumatio: nam cum suaptè natura corpus sit subtilissimum, tantum recta contenderet sursum, non deorsum. Sed hęc profectò tanti momenti non sunt, vt nos cogat adhærere illis. Prima enim Auerrois ratio maximè claudicat. nam dicimus neque aerem cedere, neque corporum penetrationē dari: sed fieri permistionem quandam ipso in aere congeneris substantiæ, quemadmodū continuo videmus exhalationes, quæ à rebus terreis attolluntur crassiores, alioquin ipsa odorabilis effluxione aeri permisceri: quod verò attinet ad historiam illorum animalium, dicimus admittentes veritatem historiæ (quam tamen suspectam esse arbitror) id contingere potuisse vento substantiam illam exhalatam per tantum spatium transmittente, quo etiam modo contagiosa illa pestilentiæ semina, cuius Thucidides meminit, & Galenus ex Aethyopia delata fuisse, credendum est, vt inquit primo de febrium differentiis, his verbis: forte autem per cōtinuum ex Æthyopia, quædam putredinis fluxere contagia, iis quorum corpora erant ad patiendū parata, febrium causa futura. Minus persuadet aliorum obseruatio, tum quia ventus potest aliquam portionem substantię effluentis deorsum transmittere, tū etiam quia effluuium non est ita calidum, & siccum, quod sit ignis, sed mistum quoddam est corpus, quod quemadmodū sursum, sic in latus diffusum attrahi potest à naribus aerem respirantibus: sicque traheretur odor, non autem sua natura olfactum feriret, vt Galenus frequētissimè docuit. At verò Medici validioribus rationibus innixi, quarum nonnullas diximus cum putatam opinionē Aristotelis reprobauimus, obseruationibusq; multis in contrariam opinionem venerunt, odorem scilicet fieri non posse, nisi substantia quædam tenuis effluat: his ego addo quasdam obseruationes admodum euidentes: prima si quis panno aliquo lineo tenui nares obuoluat, hic respirabit, neq; enim alioquin viueret, odorem tamen non sentiet; qui ergo potest fieri, quod attracto per nares aere, in quo tanquam medio spiritalis adest odor, is minimè sentiatur? Hic non potest Peripateticus aliquā (quod sciam) afferre caussam: potest Medicus, qui dicet, aerem tenuiorem effluēte substantia penetrare linteamen, at verò aditum non dari aliquem substantiæ crassiori. Secunda, si quis diu odoratum aliquod corpus ex iis, quæ non habent sensibile effluuium, manibus gestauerit, hic manus eodem inficiet odore: at hic ridiculum est dicere, in manu odorem spiritalem contineri, Tertia, quod imprimitur odor in indusio omnibusque vestibus, quas vbi volumus ab odore immunes reddere, vel frigida abluimus, vel longo tēpore permittimus illa subido permanere, sic educitur tenuis illa substantia odoris subiecta materia, propriumq;, vt sic dicam, vehiculum. Adhæc quod validi odores caput

Opinio Auer. 2. de anima. 97.

Main. de sens. 12. sens. com. 52.

Auerro. opinionis impugnatio.

statim petant, & impleant, & aggrauēt, & ad delirium interdum prouocent, argumentum est non nihil substantiæ eorum cerebrum tentare, quandoquidem ob solam qualitatem communicatam in tam subitos, & vehementes affectus non incurreret quispiam. Hoc placuisse Aristoteli non ambigo, qui cerebrum hominis iuuari ab ipsis odoribus tradidit: hac eadem ratione poterit oblędere.

Piscibus odoratus cur insit.

Habere autem hoc loco dubitationem videtur, quomodo pisces odorē sentiant. Datum illis odoris sensum putat Aristoteles, vt alimentum venentur, quasi quod ex odore cognoscāt cibum illis conuenientem, vel inimicum, vt illū consectentur, hunc autem deuitent. In qua re plurimum dubito, quia comprobaui experientia, ferri pisces ad ea alimenta, quæ odorata cum sint, potestatē habent necandi illos. Arbitror igitur datū hunc sensum illis, quia animalia perfecta sunt. porrò odorant modo contrario, atque homines, aliaque animalia respirantia: nā quamuis odor proprius ad nares appellat, non tamen prius poterit hisce animalibus odorandi sensum mouere, quàm viæ, quæ è naribus per os summum, & meninges in cerebrum pertinent, patefiāt, possintque vna cum attracto spiritu odor vt ad pulmones, sic ad cerebrum, meningesq; permeare. At quibus promptus atque expositus est in aperto odoratus, neque operculo tanquam vallo quodam communitus, vt apibus, atque insectis, ea odorē è longinquo percipiunt, & citra vllam respirationem olfaciunt: ipsique odores non attracti illorum sensum feriunt, & incitant, quod ipsum piscibus, & iis, quæ in humore degunt, accidit: nam sine anhelitus, & spiritus reciprocatione videntur odorare. In qua vero fit odor, quo eiuscemodi animalia efficiuntur, quia simplex non est, sed variè composita, odores recipere valet, ac generare: quæ verò animalia ambiguam habēt naturā inter aquatilia, & terrestria, tum eum, qui in aquis gignitur odorem, tum etiam alterū, qui in terrena superficie producitur, persentiunt. Constituta in hūc modum odoris natura, iam tempestiuum est, vt ad propositę quæstionis dissolutionem accedamus: Dicimus itaque, quod hæc propositio, Odor nutrit, potest habere duplicem sensum: vnus est, quod odor pro obiecto à sensu percepto, pro specie sensibili, & pro secunda illa qualitate (omnibus enim hisce vocibus vtūtur qui de hac materia disputant) nutrimentum præbeat: Alius verò, quod aggregatum ex materia deferente, & qualitate ipsa, nutriat. Quod pertinet ad primū, affirmādū est, nullo modo odorē nutrire: fieri. n. nō potest, accidēs ipsum substātię afferre nutrimentū, vt supra diximus. Atq; sanè (nisi decipior) hūc sensum perpetuò Arist. audiuit, cū agat de obiecto sensibili, vt principaliter ad sensū refertur, ac percipitur. Porrò certissimū est, sensum rerū accidētia perspicere: Intellectū verò substantias, quod ab ipso pariter traditum est libro secundo tractationis de anima. Huc pertinent eius rationes contra Pytagoricos, contendentes odorem nutrire nō posse, quia quoddam est simplex, & quia caret instrumēto, in quo fit nutritio, quodque aer nō nutrit, quanto minus odor nutriet, qui cum sit aere simplicior, & immaterialior, alendi vim habere nō potest. Quòd verò attinet ad posteriorem sensum, odorem nutrire dicimus, quia cum substantia quædam sit effluens cum qualitate, quā odorem nuncupamus, substantiam corporis nutrire valet. Hic verò consideranda sunt quàmplura, & in primis, quod tria sunt in humano corpore. Humores, spiritus, solidæ patres. Hippocrates suis nominibus illas nuncupauit: impetum facientia, continētia, & contenta. Ex his duæ dicuntur nutriri solidæ partes, & spiritus: humores verò minimè nutriuntur, sed sunt materia subiecta nutritionis, vt docuimus primo libro cōmentariorum ad Galeni tractationem de ratione curandi per venæ sectionem. Venæ, arteriæ, ossa cartilagines, aliæque partes, & quæ ex simplicium coagmētatione consistunt, nutrimētum volunt crassius, & solidius, quia, si quod nutrit, in nutriti substantiā cōuerti debet. Quod admodum est tenue, & fluxibile, non potest in crassioris naturam conuerti. nisi tamē multis intercedentibus mutationibus crassius reddatur. Hoc modo sanguis nutrit omnes humani corporis partes, quo scilicet tempore apponitur, assimulatusque etiā redditur multò crassior. Hic igitur verum est, propriumque

Pisces odorant alio modo, quam alia respirantia.

Augenii opinio in disputatione proposita.

Odor pro obiecto sensus olfactus non nutrit.

Aristotelicarum rationum explicatio.

Odor quomodo nutriat.

priumq; solidarum partium alimentum, at quoniam non solum ex ipso sanguine solidæ partes nutriuntur, sed etiam calor insitus, influensque ab eodem perseuerantiã habet; Huius verò potissimę vires constant ex spiritibus tam influentibus, quàm insitis, oportuit vaporem sanguinis benignioris attolli, qui deficientes illos regenerarent, præsentesq; fouerent: quo magis ipso in corpore salutaris hæc abundaret substantia, sic enim pro vitæ decebat custodia: ac etiã oportuit calidissimam spirituum substãtiam frigidis contemperari, hac de caussa natura aerem nos ambientem, tum pro pabulo extrinsecus aduenientem, tum pro refrigeratione spirituum substituit. Hic aerem nõ intelligas simplicem, purum, ac impermistum, qualem profectò nunquàm inuenies, sed ex variis vaporibus inferiorum partium, & superiorum lationũ affectione multipliciter alteratum intelligito: hic attractus pro refrigeratione operam præstat: adhæc verò salutaris cum sit, adauget spirituosam substantiam, qua cum habet maximam similitudinem. Sic rem habere confirmant Galeni verba, dum scribit libro de vtilitate respirationis, supposito, spiritũ indigere nutritione. Vnde igitur (inquit) aliundè alimentum habebit, quam ex aere per respirationem attracto: at qui ex sanguinis vapore non dissentiens vero est, ipsum nutriri, quemadmodũ multis celebribus tum Medicis, tum Philosophis est visum: Verũ qui Erasistratum sequuntur, non eodem modo quo Hippocrati adhærentes, ex inspiratione animalem spiritũ nutriri tradunt: illis enim ex corde per arterias ad cerebri membranas: his verò statim per nares in cerebri vẽtriculos prouenire spiritum videtur] & parum postea. Reliquum est igitur (inquit) aut euaporationem ex sanguine illi sufficientem esse, aut per nares inspirationem: atqui nec euaporationem largam contingere, verisimile est, si arteriæ laqueo sint constrictæ. quod ipsum etiam in libro de vtilitate pulsuum demõstratur: necessarium igitur est ex inspiratione per nares potissimam alimẽti partem animali spiritui accedere] vltimoq; eiusdem tractationis capite concludens vtilitates respirationis ait. Secunda veró est animalis spiritus nutritio] rursus libro septimo de plac. Hip. & Plat. de vtroque spiritu sic scriptum reliquit: Sicut verò vitalis spiritus, & in arteriis, & in corde gignitur materia generationis ex inspiratione & humorum exhalatione sumpta, ita animalis ex vitali perfectius concocto oritur] ac alibi: ergo animalis spiritus veluti fontem esse cerebrum clarè ostendimus, qui partim, ex inspirando, partim ex eo quod reticularis plexus suppeditat, & irrigatur, atque alitur. Vitalis spiritus non æquè euidens demonstratio erat, sed tamen in corde eum & arteriis contineri existimare alienum à ratione non est, eundemque nutritum, maximè quidem ex inspirando, sed tamen & ex saguine] ex his Galeni verbis videmur demonstrasse spiritum nutriri tum ab aere, tum à sanguinis euaporatione. Notabis præterea cum dicimus nutrire odorem, non intelligimus nutrire ipsum omnes corporis partes, sed duntaxat spirituosas ac aereas, neque enim crassiores aere nutriri possunt nec odore, qui ad aeris naturam quodammodo proximè accedit. Hic adde quod duplex est nutritio spiritus: est enim vna perfecta, quã perficiũt aer ambiens, & odorata substantia, sanguinisque vapor: altera imperfecta, & pro parte duntaxat, cum scilicet vel aer tantum nutrit, vel spirituosa (vt sic dicam) exhalatio sanguinis: harum neutra ex se sufficiens esse potest: hinc fit, vt vna deficiẽte, si fit ex altera nutritio, leuis est, ac momẽtanea tempore breuissimo perdurans, pro vitæ conseruatione nequit sufficere, tum propter carentiam alterius, vt dixi, caussæ, tum etiam, quia simul in vnum conspirare finem omnes nutritiones partium omnium debent. Amplius aduertẽdum est, humani corporis nutrire spiritus, non esse datum cuique odori, sed illis potissimum concessum, qui suaues sunt, habentq; magnam proportionem cũ calore influente & spiritibus, hinc fœtida non solum carent hac facultate, sed etiam oppositam habent, qua destruuntur spirituum temperamenta. Suaues odores nuncupo, qui habent proportionem cum spiritibus, & qui potissimũ eliciuntur ex rebus maxime nutrientibus: Putauerim ego ex capo asso odorem pro nutriendo corpore multò deduci præstãtiorem, quàm ex musco, & ambra, aut aliis id genus odoratissimis.

Cap. 5.

Spiritum animalẽ nutriri aere inspirato per nares.

Cap. 4.

12. meth. c. 5.

Aer ambiẽs & odor nutritionem prabet momentaneam.

Modus nutritionis ab odore.

Postremò adnotandum est, modum esse nutritionis huius ex respiratione. Aere enim & odorata substantia attracta circa pulmones spiritus vitalis roboratur, inspirato eodem per nares animalis spiritus fit nutritio. de quibus omnibus pro disputationis huius coronide audire oportet, natum ante omnem Philosophiam Hippocratem libro de alimento, qui sic ait: Principium alimenti spiritus, nares, os, guttur, pulmo, & alia respiratio] rursus. & quicunque celeri appositione opus habent hũidum medicamentum ad resumendas vires optimũ, quicunque verò celeriori per olfactũ, quicunque verò tardiori appositione, opus est solido alimento] ex his manifestum fecimus, quomodo odor nutrit, & quomodo nõ nutrit, quas partes nutriat, quale præbeat alimentũ, & quomodo id fiat, relinquitur modo, vt dicamus quædã de opinione, quam voluisse Aristotelem arbitramur, quia superius satis superque reprobauimus veterem interpretum illius opinionem. Ego itaque arbitror cognouisse Aristotelem, nunquam odorem posse ad instrumentum olfactus peruenire sine exhalatione: sed tamen duo potissima in ea tractatione reprobasse: vnum scilicet, opinionem eorum, qui volebant substantiam effluentem esse propriam naturam odoris, quatenus obiectũ olfactus: aliud verò ꝙ non bene putauerint quidam, solidas partes odore nutriri. Quòd ille senserit odorem non fieri citra substantiæ exhalationem, explicant eius verba, quibus admonet calidam, & siccam esse naturam odoris, sed certè odor sumptus pro specie sensibili nõ est calidus, nec siccus; deinde, vult hominis cerebrũ corroborari ex odore, huncque conferre plurimũ ad hominis sanitatem: verùm qualem potest operam exhibere sensibile obiectum spiritualiter sumptum homine ægrotante? nullam quidem, meo iudicio; mox quia vult odorem proficisci ex ablutione illa sicci sapidi ab humido aereo, vel aqueo: at non video quomodo id possit contingere, quin ablutione illa substãtiæ quædam decidant. Quãobrem, qui dixerunt vaporem esse, redarguendi sunt, quoniam aqua non habet odorem, cũ abundet vaporibus. Qui verò exhalationem putarunt, quasi quod sit re ipsa ignea dispositio, aberrarunt, sic ostendente experientia, quod in aqua fiat odor, quæ frigida est, & humida. Adde si eiuscemodi exhalatio esset sensibilis, euaporaret, quod in omnibus non videmus cõtingere, sed in iis dũtaxat, quæ nunquam admittunt odorem, nisi mediãte actione ignis vt prædiximus. Quamobrem non reprobat Philosophus, vt alii dixerunt hucusque, odorem generari non posse, nisi ipso in medio substantia quædam exhalet à re odorata, sed reprobat dicentes essentiã illius esse euaporationẽ sensibilem: ꝙ verò Aristotelis rationes maximè cõcludãt de solido alimendo, iam supra denonstratũ est à nobis. Hæc habui, quæ de odore pro Medicorũ opinione, & cõcordia inter Medicos, & Peripateticos conscriberem, nihil penitus immutans eorum quæ à me cum egregiis illis, & subtilibus Theologis disputata audiuisti: reliquum est, vt epistolę modum imponam. Te saluere plurimum iubent Ludouicus pater, & Sebastianus Augenius frater amantissimus, cognomento Paparelli ex Cinguloa. die 14. Aprilis 1562.

Tex. 33. ex Franc.

Tex. 54.

Epilogus dictorum.

Aristo. opin. de odore ex auctoris sententia contra alios Expositores.

IVLIO PICHINO MEDICO INSIGNI.

EPISTOLA TERTIA.

Qua agitur, an purgare in plenitudine, & an mittere sanguinem in cacochimia cõueniat: de bonis quadrupedum carnibus, & pane Siligineo, & de Ciborum ordine.



QVATVOR sunt, quæ mihi rursus proponis, quibus ex tempore satisfaciam vtcunque potero: nam in publicis lectionibus, & in rebus familiaribus occupatus, vix tantum mihi datur ocii, quantum esset pro dignitate rei necessarium: affero igitur in medium quid sentiam.

Quæris

Quæris primum, an aliquando liceat mittere sanguinē citra plenitudinis affectum, & an purgare citra cacochimiā in plenitudine conueniat. Caussa primæ quæstionis est, quia quæ à me scripta sunt libro de venæ sectione secūdo, videntur omnino refragari illorum sententiæ, qui venam secant citra multitudinem. Respōdeo si generosum hoc remedium contēplemur, quatenus euacuatiuum, illius indicationem suggeri à multitudine, aut quo ad vasa, aut quo ad vires, aut simpliciter dicta, aut secundum quid, vniuersali, aut particulari: quid ego hisce distinctionibus intelligam, explanatum est abundè in tractione nostra de plenitudine. At verò, si contemplabimur hoc auxilium, quatenus reuulsiuum, siue simpliciter, siue non simpliciter, in vtroq; genere non est affectus plenitudinis siue multitudinis necessarius. Motus enim requiritur sanguinis, non plenitudo. Dixi non esse necessarium requiri plenitudinē, quia potest motus adesse sanguinis, cum multitudine, ac sine multitudine: quia, vt benè nosti, vna ex caussis, à quibus concitatur fluxio, sanguinis est vbertas: at citra hanc nō rarò sanguinem fluere contingit aut ex vulnere, aut apertis mariscis, aut ex vtero, aut ex naribus, tum etiam aliquādo fluxiones fieri ad partes internas nimium dolentes, aut calentes, siue extrinseca iniuria, siue intrinseca contigerit. Sanguinis hæc abundātia, & motus intelligēdi sunt tū actu, tum potentiā, quia morbus magnus vtroq; dicitur modo: hæc omnia rerum capita sunt à nobis diligenter exposita, quæ, si rectè distinxisset Menodotus Empiricus, aut qui post illum eiusdē factionis homines fuerunt, Galeno laborandum non fuisset, vt prauam illius hæresem subuerteret. Ex his patet quando cum plenitudinis affectu, & quando circa plenitudinem, venam incidimus. Sed hic sese nobis offert dubitatio minimè contemnenda, ea est, quod aliquando loco sanguinis missionis Galenus videatur substituere purgationē. ex quo illud colligitur, purgationem conuenire in affectu multitudinis: quam tamen idem author propriā esse dixit cacochimiæ. sic à pari quispiam argumentari posset, mali succi vitiū venæ sectione corrigi posse, cum vnum alterius loco substituatur. Verba Galeni libro de sanitate tuenda in hunc modū habent: Quod si quis vel propter ætatem, vel timiditatem permittere se Medico ad sanguinē vllo modo detrahendū nolit, huic deiicienda aluus largius est: aut si id quoque suspectum habet, alia ratione educendum superuacuū est] & parum infra. Non substinente autem homine sanguinem sibi detrahi, augere deiectionem: sin vero neutrum admittat, aliam quampiam rationem iniri, qua maximè, si non breui, at longiori tempore pristinam corporis habitudinem homo recipiat] hæc ille. Quæ si diligenter contemplemur, nihil opinionē nostram redarguunt: etenim illi supponens duobus indigere præsidiis, tum venæ sectione, tum purgatione ob affectum mistū ex plenitudine, & cacochimia, quis dubitaret, si venę sectio exerceri nō potest, expurganti medicamento vtendū esse, quo omnis malitia succi expurgetur, & de cętero minuatur plenitudo, euacuato ex venis humore malo per pharmacum? Quinimo hoc etiam aliud addiderim, si adfuerit plenitudo sola, fueritque ægrotus in caussa, vt venæ sectio exerceri non potuerit ipso in casu, sic cogēte necessitate, possumus tutò vti medicamētis purgantib. quæ aggregatiua nuncupātur, eo quod omnes humores expurgent: etenim bile vtraque, & pituita à venis detracta, multò minor reddetur multitudo: quamuis longiori tempore id cōtingat, quàm si vena secta fuisset. Aliud est dogmatica, & ordinaria curatio, Pichine: aliud verò necessaria & coacta. Ordinaria curatione citra plenitudinis affectū secundum eas distinctiones, quas docuimus libris nostris de missione sanguinis, aut citra affectum partis, quę fluxione tentetur, venam incidere nunquam licet. At verò si pręsens sit remedii huiusce necessitas, nihilq; contra indicauerit remedium, tamen nequeat ob ægroti timiditatē, aut assistentium obstinationem, aut quidpiā aliud exerceri, coacti sumus ad purgationem accedere, quæ licet per se non vacuet plenitudinem, tamē euacuatis excrementis cum sanguine abundātibus, illam aliqua ex parte diminuit: hæc quidem coacta curatio est, sed tamen necessaria: de qua illud à Galeno libro quinto de sanitate tuēda scriptum fuit, purgationem posse exerceri, vbi

4.cap.4.48. titu.D.

sanguis in plectorico affectu vacuatus non fuit. An autem in cacochimia venam seccare expediat, satis abunde in methodo medēdi, vbi docuimus purgādi rationem, disseruimus. res enim est plena controuersiarum. iis quidem suppositis in præsentiarum admoneo, duplicem esse cacochimiam: vna est humorum in venis consistētium: alia extra venas. Et vtraque duplex. est enim quædā simplex cacochimia, qua sanguinis partes nō obseruata veteri mediocritate abundant, aut biliosæ, aut pituitosæ, aut melancholicæ, vt Galenus libro de plenitudine, capite vndecimo dicebat: Alia verò non simplex est cacochimia constans ex humoribus à sanguinis natura maximè distantibus. Simplex illa venæ sectione tutò curari potest, quod sanguinis partes nōdum in alienam naturam transmutatæ, facilè secta vena vacuentur, viresque valeāt. Verùm enim vero simplicem hanc cacochimiam non abundè quispiam vocabit plenitudinem quo ad vires. Alia verò cacochimia quantum sit, merito sui nō postulat venę sectionem, præsertim malis humoribus extra venas existentibus: idem etiam sentiendum, si in venis sanguis contineatur putrefactus, atque corruptus: tūc certè multo facilius purgatione, quàm venæ sectione affectus corrigitur: de qua re in decimo quarto tractionis meæ de febribus libro abunde scripsimus.

tractationis

Secundo loco explicandum proponis, quæ nam ex omnibus carnibus, quibus pro corporis nutritione vescimur, meliorē, & commodiorem succū generent: quoniā verò eiuscemodi quæstio nimiš extendi videbatur, reliquis prætermissis postulas, vt de quadrupedū carne, scilicet suilla, vitulina, hœdina, & agnina solum sermonem habeam. Huic quæstioni cum Galeno respōdeo, omnium præstantissimam esse suillam: hanc proximè sequi lactantium vitulorū carnem, vt ego sentio, mox hœdinam (modo tamen hœdi sint lactantes) quamuis Galenus ipsos hœdos vitulis præposuerit: vltimo loco reponemus agninam carnem, de quibus iam seorsum agemus in tui gratiam. Quod attinet ad suillā, Galenum audias de ea hisce verbis loquentem, partes animalium omnes nō eadem facultate sunt præditæ: sed carnes quidem cum probè concoctæ fuerint, optimum gignunt sanguinem, & potissimum, si eæ animalium boni succi fuerint, cuismodi est suum genus: nam carnes neruosæ iusto sunt pituitosiores: omnium itaque ciborum suum caro potentissimè nutrit] & parum infra inquit, suillæ autē carnis similitudinem cum humana, ex eo poteris intelligere, quod quidam carnes humanas pro suillis, sine vlla in gustu, vel olfactu suspicione comederunt: id enim ab improbis hospitibus, & aliis quibusdam factum esse iam compertum est] & alibi quod maximè nutriat, explicauit his verbis. istis autē in vniuersum alimēta multum nutrientia danda non sunt, qualis est suilla caro, sed parum nutrientia, qualis est ouilla caro, quæ planè pecudis est) quod etiā repetit octauo de comp. med. per locos, septimo methodi, lib. de cibis boni & mali succi, & passim alibi. ex quibus in hūc modum possumus optimè ratiocinari. illæ carnes optimæ omnium sunt, quæ cū humana carne maximam habent similitudinē, & plurimum nutriunt, & nutrimentum non exhibent difflabile: at carnes suillæ eiuscemodi sunt, vt Galenus manifestū fecit. Dices fortasse, nutrimentū præberi à carnibus suillis viscidū, & crassum, & quod nō benè concoquantur: huic dixerim, eiuscemodi nutrimentum esse optimi succi, & quāuis sit viscidum, tamen hoç malum non esse, cum tale dicatur in comparatione ad alimenta, quæ generant succum tenuiorem, non autem simpliciter. Deinde autem sciendum est, existere finem nutrimenti, vt apponatur, glutineturq; partibus, quibus adherēs diu, optimè suo fungitur munere in genere existens bonorum succorum. Neq; fuerit verū simpliciter, carnem hanc cum difficultate concoqui, nisi in comparatione ad alias carnes, quia Galenus dicebat carnem suillam cū difficultate concoqui in respectu ad carnem auium, primo libro de temperamentis: quibus addere est, supponere nos corpus sanum, vt plurimum, cuius validæ sint virtutes, nō ægrotū corpus: illius collatione optimum generant succum, & non transmutantur cū difficultate. Quamobrē omnium bonarū carniū metrū & mēsura sit tibi caro suilla.

6. epid. 5. 3. cōmen. 2. & sect. 4. c. 5.

Diximus post suillam vitulinam sequi: quoniam hæc præterquam quod admodum

modum teneram ſubſtantiam habeat, quam propterea Hiſpani vocant Ternieram, certè ſuccum optimum generat: hāc pręfero carnibus hœdinis, hoc potiſſimum nomine, quod ad tres, quatuor ve menſes vitulus lactens aſſeruari poteſt optimus, quin etiam ad ſex menſes, & vt Alexandrinus inquit, nonũquam vſque ad annum perdurant, ſemper carnem ſuauiſſimam habentes vituli, quæ res in hœdis minime contingit: horum enim caro bona & ſuauis vſque ad duos, aut tres menſes: quo etiam tempore quamuis nondum guſtauerit herbas, inuenies carnem illam duriorem, & neſcio quid viroſi redolentem.

Hic duo notabis: vnum malè Arabes quoſdam dixiſſe, frigidā eſſe & ſiccam
10 temperamento hœdorum carnem: quoniam certè calida eſt & ſicca: vt manifeſtum facit odor ille teter, vnde hircoſi dicti ſunt, & arroſatum à capro vitium interitus, (quē ideo veteres Baccho ſacrificauerunt) & emiſſus ore ſpiritus, vrens propè, & tactus ipſius animalis, qui tangentibus ferè febriculæ cuiuſdam ſignificationem exhibere videatur. Ex quo creditum multis capras, non minus ipſas, quas tamen ſexus ipſe frigidiores facit, perpetuò febrire; Cuncta hæc, inquam, calidam animalis huius naturam manifeſtò ſatis demonſtrant. Quod ſi hirci, & capræ, calidi, & ſicci ſunt, cur quæſo calidi, & ſicci non erunt hœdi? nam prima ætas non facit frigidum eſſe animal, ſed caliditatē habere aliquam minus equidem ſiccam, vt à Galeno diſputatum eſt de temperamēto puerorũ, & iuuenum.
20 Aliud eſt dignũ animaduerſione, quod Galenus videtur præferre hœdinas vitulinis, libro de cibis boni & mali ſucci, cum ait: Cum autem inter animalia pedeſtria optimi ſint ſucci ſues; proxima ab his habentur hœdi, deinde vituli, agnina verò caro humida, glutinoſa, mucoſaque eſt] quam opinionem ſi quis voluerit imitari non reclamabimus. Hoc vnum conſtet, carnem agninā inferiorem ſupradictis eſſe in bonitate. & hæc de carnibus.

Cap. 4.

Quid ſit panis ſiligineus, cuius Galenus meminit libro primo de facultatibus alimentorum, facilè non eſt, meo tamen iudicio, cognouiſſe: quia panem eſſe factũ ex tritico, nuncupato ſiligine, conſtat: ſed quod nam ſit hoc genus tritici, non eſt admodum apertum: inquit enim Galenus σιλίγνις verò neque Græcum
30 eſt, neque ipſum aliter poſſum exprimere: inter panes igitur ſiligineus plurimũ alimentum præſtat: poſt ipſum autem ſimilaceus] Atheneus, qui plurimum antiquorum circa alimēta opiniones dilucidauit, meminit quidem σύγχονος. at verò nunquam σιλίγνιν. Ac certè eo maiorem habeo dubitationem, quod legerim apud Plin. lib. 18. cap. 8 & Columellam lib. 2. tertia aratione, genus omne tritici verti in ſiliginem. Scis enim noſtram prouinciā præ cæteris omnibus abundare omni genere tritici, at nondum inueni ab aliquo obſeruatum, ſiliginē poſt tertiam arationem fuiſſe genitam: neque inueni, qui mihi diceret, licet multos fuerim percõtaturus. Putauerim tamen ſiligineum triticũ eſſe illud nobiliſſimum, quod ſemper aliis omnibus carius venditur, album colore, vocatum in noſtris
40 regionibus, Caluiſia. quo genere frumenti Romani etiam vtuntur. id ſi non fuerit, ingenùe fateor, neſcire me, quid ſit eo nomine intelligendum. Hac potiſſimum coniectura moueor primum, quia Plinius dicit eſſe hoc tritici genus colore album, pondere leue, quodque ex ipſo fit panis præſtantiſſimus, quæ omnia ſigillatim noſtræ Caluiſiæ conueniunt. Nam prorſus ridiculi ſunt, qui ſegalem eſſe contendunt, ex quo nunquam probatiſſimum panem conficies. legito de hac re Mattheoli Senenſis explanationes in libro ſecundo Dioſcoridis cap. 34. & Plinium libro decimooctauo, cap. 8. 9. & 10. Quæ vltimo loco de ciborũ ordine perſcrutandum, examinandumq; proponis, ac alimenta, quæ faciliorē habent ad concoquendum diſpoſitionem, debeant præponi alimentis difficilioris
50 concoctionis, eiuſmodi eſt, vt ab Hippocrate, & Galeno apertè dilucidatũ habemus. Sic enim lib. 3. de rat. vict. in morbis acutis tex. 22. inquit Hippocrates. Mulſa tamen poſt ptiſanæ ſorbitionem epota valdè replet, inflatque, & Hypocondriorum viſceribus eſt inutilis. At, ſi ante ſorbitiones bibatur, non, vt ſuper pota lędit, ſed iuuat quippiam.]

De pane ſiligineo.

Cap. 2.

De ordine ciborum diſputatio.

v. pag. 115. 116. 117.

An liquidiora proponenda.

Quæſtionis ſolutio ex Hippoc. ac Galeno.

Ptiſſanam confert mulſæ, conſtat autē multo facilius concoqui, & diſtribui,

atque per ventrem inferiorem subduci mulsam, quam ptissanam, propterea vult hanc postponendam esse mulsæ, ex quo generale deducitur pręceptũ, quod quę facilius cõcoquuntur, præponũtur iis, quæ difficilius. De qua re sic ait Galenus.

De ordine ait Hippocrates, quem in mulsæ ptissanæque vsu quis optimè seruare debeat. Verùm vno mulsæ, ptissanæq; edoctus exemplo, vniuersalem hunc accipe sermonem. Nam perpetuò prius ingerenda sunt, quæ & facilius corrumpuntur, & quę subducuntur magis: Posterius verò contraria. Ptissana autẽ quòd mulsa difficilius corrumpitur, & descendit tardius, si ergo mulsa primo sumpta fuerit, ex ea quædam ptissanæ ad deiectionem fit prouocatio. Verum, si ptissana primum sumpta fuerit, subduci mulsa prohibetur, inflabit hyppocondria, atque tandem in bilem conuersa, ptissanæ detrimentum affert.] Hæc ille; ex quibus nõ solùm quid agendum apparet, sed etiam caussa, ob quam hunc obseruare ordinem conueniat.

Regula cõmunis in cibatione seruãda.

Regula maximi vsus est, præsertim in iis cibis, quæ aluum lubricã reddunt: quos etiam præstat aliquot horis antea exhibere. sic pruna longo tempore saltem duabus horis ante cibũ dat Galenus, & oximelli quoque, cuius rei explicasse rationem videtur mihi Hippocrates, cum inquit, nã cibo in ventriculo nulla conuenit vexatio.]

Sed, vt hæc omni careant difficultate pro dilucidatione huius regulæ duo dilucidanda sunt: horum vnum est, quòd Galenus aliquando non videtur hanc regulam seruare, cum præponat cibos difficilioris coctionis. Alterum est, imam partem ventriculi, ex quorundam sententia superiori calidiorem videri, & propterea ingerẽda prius alimẽta difficilis coctionis igitur, vt de primo edisseram, est in primis diligenter animaduertendum, hanc regulam intelligendã esse, nisi sit, quod prohibeat: quoniam quædam corpora sunt, quæ facilè in fluorem alui incidũt, ob oris ventriculi imbecillitatẽ. quibus incumbendũ maximè si assumpto cibo, aliquid astringens, comprimensq; comederint: cuius rei Galenus meminit lib. 2. de facultatibus alimentorum, Rhetoris illius Historiam cõmemorans: cui abstringentibus aluus reddebatur fluxibilis: cui præcepit astringẽtia in prima mensa desumere, sic enim inquit:

Primum omnium post balneum pyra exhibui, deinde alia deinceps, vt consueuerat: quibus peractis non modo non vehementer, sed ne mediocrirer quidem aluum deiecit.]

Et huius rei caussam reddens, ait: Nam cum garum, inquam, vnà cum iis quæ cum eo sumpserat, aluũ suapte natura subducat, idque iã antea fecerit, adstringẽtia postremo loco sumpta iis potissimum, qui stomachum habẽt imbecillum, deiectionis sunt caussa, ventriculum roborantia, & ad expellendum deorsum, quæ in sese contineat, incitantia.] hæc ille. Alter locus explanationem postulãs est in septimo libro de methodo medendi, sed notãdum ibidem, Galenum non perscripsisse ordinem ciborum, quod scilicet prius, & quod posterius exhiberi debeat, eius verba afferenda sunt in medium, quæ sic habent:

7. methodi cap. 6. 45. c.

Sit autẽ præparatus illi panis purus, & qui curiosè in furno sit coctus, & tum fermenti, tum salis, quod satis est, habuerit. obsonium quoque ex saxatilibus piscibus, aut ex albo iure asellus. Præterea alæ, testesque gallinacei, qui lacte sit altus, idonei sunt, quorum si copia non est, aliis vtendum.]

Nam describit hic vniuersam rationem cœnę conueniẽtis temperaturę ventriculi admodum siccæ. Panem primum non proponit edendum ita, vt prima mensa constet ex pane solo, sed docet qualis esse debeat, quo & in prima, & in media, & in vltima mẽsa vtẽdum est, quo cum obsonia describit opportuna siccis corporibus. & hic plurimum admiror illorum hominum iudicium, qui rem hanc nõ perceperint. Aliud est loqui de obsoniis: aliud est loqui de pane: hic obsonium nõ est. Panis enim & vinum à ratione obsonii excluduntur: cætera verò omnia, quæ comeduntur, illa quidem includuntur sub ratione obsonii, vel condimenti: obsonium dicimus, quod alit, vt caro, condimẽtum quod præparat, vt acetum, & sal, ac alia id genus: licet quædam sint obsonia, & condimenta simul,

Panis, & vinum non est obsonium.

vt alibi

vt alibi docuisse recordor. Igitur quoniam pane semper vtimur, non est quæstio hic instituta de tempore, quo exhibeat panem, quia nullo tempore non conuenit cum obsoniis datus: quorum varium numerum colligit, sed videntur hæc mihi notiora, quàm quod explicari hoc loco debeant.

Anima pars ventriculi sic calidior aliis partib.

Est prętcrea obseruãdum, communem illam sententiã, qua asseritur, ventriculi imam partem calidiorem esse, & ibi concoctionem fieri validiorem, & citiorem, quàm in aliis partibus ventriculi, magnã habere apud me difficultatem, quamuis nemo hactenus de illius ueritate dubitauerit.

10 Ego quidem totam illam partem, quæ à ventriculi ore, vel intestina vsque extenditur, quæ ve complectitur os ventriculi, quod stomachum vocãt, & cui tribuunt facultatem solum appetendi, concoquendi, aut nullam, aut exiguam: atque etiam capacem illam, amplamq; fundum ventriculi nuncupatam, eisdem pollere concoquendi, conficiendique egregie aliméti viribus, arbitror. idcirco neutram ex his alteri præstare. Quia tota sufficiẽter carnosa est, & tota vndique cingitur partibus calore natiuo abundantibus, in hac parte, quando clauditur ostium, totũ alimentum continetur, atque si, quod superuacuum est, nequit ob eius copiam ibi retineri, id supra stomachum innatat. Hoc, vt dixi, clauso, omne alimentũ quantũ attinet ad facultatem concoquentẽ, æque concoquitur: cũ in omnibus partibus insit vis æqualis ad hoc munus perficiendũ. idcirco parũ re-
20 fert huius collatione, quid prius, quid ve posterius ingeratur, quæ tamẽ res maximi est momenti ratione qualitatis alimentorum ob putredinem, quæ in mora posset aduenire alimento, iam plenè concocto, alio interim nihil, aut parũ transmutato. Quinimo si ventriculi figurę speciẽ, & conformationẽ contemplemur, videbitur equidẽ magis calidior suprema pars, & fundus imbecillior, atque languidior. Crescit enim ventriculus in fundo in speciem cuiusdam ventris cucurbitini, & magis inclinat ad sinistram partem, in qua reconditur lien, at superior ad dextram, in qua hepar continetur: : porrò, vt hepar caliditatem habet maiorem liene: sic deberet superior pars vẽtriculi calidior existere fundo: alimẽtaq; difficilioris concoctionis semper postponeremus. at hoc, vt dixi, falsum est, quia
30 in omnibus partibus æqualem vim habet ab illius ostio in pylorum vsque extensam: æqualiter carnosa est : hepar hanc ambigens ferè vndique partem tantum caloris tribuit, quantum pro coctione adiuuanda sufficit, qui calor etiam fundum petit ventriculi. Dixi quid mihi in hac re videatur sentiendum, in quibus, si tibi satis fecerim, gaudeo, sin minus doleo. hæc hactenus.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM MEDICINALIVM, LIBER QVARTVS;

HIERONYMO CORDELLÆ, Medico clarissimo.

10

EPISTOLA PRIMA.

vide Caput vltimum libri vltimi Tomi. 2i.

EXPLANANTVR QVAEDAM AB AVgenio conscripta in primo libro de Ratione præseruandi à Peste; de medendis calculosis, & vlceratis renibus, quæ videbantur quibusdam plurimum controuersa.

20



GRATIAS tibi immortales habeo, quod tantam nominis mei, & famæ curam susceperis: iis enim literis, quas ad me nudiustertius dedisti, cognoui, quid nonnulli de meis laboribus, potissimum verò de libris, quibus in omnium gratiam profiteor, me docere methodum à peste præseruandi; non modo sentiant, sed etiam publicè prædicent: noui pariter amorem erga me tuum, & animi candorem (quorum vtrunque multò antea cognitum, atque perspectũ mihi fuit) cum meã caussam suscipiens, non modo quæ conscripsi, quoad eius fieri potest, strenuissimè tutatus fueris, verùm præcipuè pollicitus, Augenium difficultatibus omnibus satisfacturum ingenii facilitate. Quoniam veró ab illis ad me literarũ nihil: ego ad 30 te literas dabo, vt tu ipse ex mea sententia exequaris, quod promisisti, vtque nõ illis modo, quorum certè studium ad contradictionem natũ videtur mihi, sed omnibus passim præbeas meas perlegendas: quibus si fuerit illis satisfactũ, desinent post hac maledicere, alioquin multó apertius malefacta noscent sua: at si non fuerit satisfactũ, quæso te, ac per nostram amicitiã antiquã (qua nullũ potest inueniri maius, nullum magis cogens vinculum) etiam, atque etiam oro, vt exhorteris illos, dare ad me literas, vt certiores vel fiant illi errorum, vel ego, quæ olim publicaui, recantẽ. At verò, vt sigillatim persoluam omnia, proponam primùm, quæ sint apud illos ambigua: mox aperiam, quid sentiam. Quatuor sunt, quæ illis in tractatione de pestilentia minimè satisfaciunt, & vnum in libro de 40 medendis calculosis, & vlceratis renibus. Primũ, quòd pestẽ definiens, videar nimis communẽ definitionem tradidisse: quatenus scilicet malignas febres cõplectitur, quæ omnium iudicio à pestiferis differunt.

Dicendorũ summa.

Primum.

Alterum quod videar negare, pestilentiam fieri aere ambiente tanquam à caussa proxima; cum duntaxat vnam essentialem explicem caussam, nempé corruptionem internarum substantiarum corporis humani.

Secundum.

Tertiũ veró, quod agens de semine pestilentiæ; ac etiam aliàs videar admittere stellas quasdam esse malignas, humanoque generi perniciosas: cum tamen omnes benignę sint, ac à cœlo malum effluere non possit. Quartum quod cum nihil de Valleriolæ rationib. aduersus Fracastorium scripserim, quid sentiendũ 50 de eiuscemodi putem argumento. Quintum methodum à me propositam libro de medendis calculosis renibus, nõ satisfacere illis, cũ videatur id argumentum Cynicum diligentius pertractasse. Hæc illorum summa est, quæ vitio vertunt mihi. Nunc igitur tempestiuum est, vt Augenii tui sententiam intelligas.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Primùm supponere oportet, pestilentes febres omnes putredinem cõtinere; at certè

at certè in hoc à putridis differre, quod hæc præter vnam putredinẽ nihil habẽt: illæ autem continent quid maius putredine, nempe corruptionẽ substantię, quã alii excellentem quandam putredinis conditionem, & gradum vocandum esse dixerũt; nos autẽ nomine magis proprio hanc vocare consueuimus corruptionem, vt non semel à Galeno factum esse demonstratũ est à nobis in libris de Febribus. Continet igitur omnis pestilens febris putredinem, sed simul corruptionem habet: ad quã haud peruenit corpus, nisi præcedente dispositione, quæ putredo est. Corruptio substãtiarum pestilentiam verè facit, illius essentiam, & caratherismum constituit: vt simplex illa putredo, via scilicet ad corruptionẽ, formam putridarum complet. Quamobrẽ omnes febres, in quibus eiuscemodi apparet subitanea, violentaq; corruptio, pestilentes vocamus, cum sint acutæ (sic enim ob violentiam statuere oportet) communes multis, actu, aut potestate, & contagiosæ, dissoluto mixto à calore septico, & vno quoque mixtionis principio redeunte ad propriam naturam, atque seminariis rei putridæ vim habẽtibus generandi tale, quale ipsum erat. Itaque cum omnes febres pestiferæ, quæcunque sint, in hac natura cõmuni conueniãt: haud ab re factum est, si omnes vnica sunt definitione comprehensæ, quæ in hunc modum habet: Febris pestifera acutus communis, & contagiosus morbus est à corruptione substantiarum internarũ cordis. Quæ febres vocantur malignæ, sunt aliquãdo Pestilentes, aliquando autem minimè. pestilentes, si omnes habuerint conditiones propositas, malignæ duntaxat, si vna, aut plures caruerint: idcirco obseruabis apud Galenum frequẽter admodum scriptum; aliquas febres malignas esse citra additionem: aliquas malignas, & pestilentes. in priori ordine sunt ex viscerum inflammatione genitæ; sunt etiam eæ omnes reponendæ, quæ mores habent malos. in hoc autẽ, quę præterea substantiarum corruptionem possidẽt eiuscemodi, qualem venena septicæ naturæ facere consueuerunt, & verè pestilentes appellantur, simulq; malignæ. Hæ illæ sunt, quas ego primo de præseruatione libro nuncupaui interna de caussa pestilentes: iisque conueniunt perinde, quæ scripsi, atque aliis, sed tamen hoc vnum negandum non est, satis amplam apparere in eo quod magis, ac minus in pestilentibus febribus latitudinem: Etenim, quædam acutissimæ sunt, quædam minus: aliæ communes actu, aliæ communicabiles, & quod cõmunicabile est multis, haud est omnino cõtagiosum: cum citra contagionis rationem sint multa cummunicabilia. aliæ ad omnẽ contagionis differentiam accommodantur, aliæ ad quasdam; rursus aliæ corruptionem habent substantiarum omnium, aliæ quarundam; hinc gradus varii multiplicesque proficiscuntur, quos etiã, si quis vocare voluerit species, non reclamabimus; in proposita definitione omnes complector species, neque malignas includo simplices, sed eas duntaxat, quas probatissimi authores malignas simulque pestilentes vocarunt: & de his præseruandi methodus docetur: quã si quis fuerit ritè contemplatus, inueniet, posse ad singulos gradus facile referri. Hinc patet me à Medicis recẽtioribus dissentire, qui ab interna caussa putãt fieri nõ posse febres verè pestiferas, errore quidem (nisi fallor) maximo. Hic reliquum esset, vt inuestigaremus, an in animalibus corruptio aliqua innasci possit adeò vehemens, vt veneni tum qualitatem, tum vires æquet: At id iam Medicis enodatum, discussumque esse videtur, qui hanc solent proponere quæstionem, vtrum propriæ sint notæ veneni, necne. Nam qui maximè videntur super hac ambiguitate disputasse, ii eosdem affectus fieri concedunt, & à lethalis veneni potione, & à coruptione, quæ à corpore ortum habet: verum non facile discerni posse eos, qui venenum sumpserunt, ab iis qui aliundè affecti sunt. de qua cognoscendi ratione à Galeno dictum fuit libris de locis affectis. & propterea rectè admonuit contemplandum, an in corpore corrumpens virus innascatur] neque ibi dixit, putredinem, sed corrumpens virus, quemadmodum neque in superioribus vsus est admirabilis author nomine putredinis, quia longè distat putredo à corruptione: putredinem enim significasse visus est mihi, cum dixit: Quãdo enim vel copia humorum, vel grauitas, vel obstructio.] nam ab his putredines fiunt. addens autem, vel corrum-

Pestilentes omnes putridæ: nõ è conuerso.

Corruptionem à putredine differre.

Putria pestilẽti differant.

Pestiferæ febris definitio.

1. de feb. dif. 4. lib. de cib. m. & bo. sacci.

Maligni nomen late patet.

Febris pestilẽtis gradus, siue spiritus.

Venenatus affectus citra caussam externam.

Pelops Galenus.

pens virus corpori innascitur.] affectum notauit perniciosissimum, qualem diximus.

Quod Pestilentia originem ducat ab aere, admisi quidem vltro: sed ab aliis longè dissentio, quod non putem à solo aere fieri; atq; cum fit, hunc essentialem caussam non admittam, neque vnam duntaxat putredinem cognoscã. Etenim ea dicitur essentialis caussa, quæ rei naturam complectitur, ac ita quidem, vt posita ponatur, & remota auferatur eius natura. Verùm haud illico ponitur pestis aeris posita putredine: quid enim si corpus præparatum non fuerit? cur non omnes singula morbi corpora corripiunt? sed posita corruptione substantiæ cordis, siue ab extrinseca iniuria, siue ob internas dispositiones, illico sequitur pestilens affectus, & remoto statim remouetur: quod autem à solo aere non fiat (quamuis ab hoc certè fiat vniuersalior pestis) ea declarant, quæ priori libro docuimus, & quæ Galenus hisce verbis testatur. In pestilenti verò aeris statu inspiratio plurimum est caussa: fit enim & aliquando ob eos, qui sunt in corpore humores ad putrescendum paratos, cum breuem aliquam occasionem ad febris originẽ ab aere ambiente acceperit animal. Magna autem ex parte ex inspiratione incipit aeris circumstantis à putrescibili euaporatione vitiati: putredinis autem principium, uel cadauerum multitudine non crematorum, quemadmodum in præliis contingere solet, vel ex aliquorum vel lacuum, vel paludũ æstatis tempore euaporatione.] & parum infra, sed in tuguriis suffocantibus æstatis tempore habitantium corpora corruptione laborabant: at quia humores corporum ex victus prauitate erant putredini obnoxii, hinc febribus pestilentibus origo data est.] Hic vides duo, primum ex corruptione fieri pestilentiam internarum substãtiarum: putredinem vero fuisse præparationem, vt prædiximus: Alterum, ab aere maiori ex parte fieri pestilentiam dixit: quis igitur dubitabit, quin fieri possit citra affectum aeris? Euaporationes, quarum meminit, nõ sunt ad aerem referendæ, sed magis ad ea, quæ circa terram, & aquam fiunt: nam aer sua natura cõtrahit vitium in totum silens à ventis; calida, humidaq; constitutione præcedente, quæ viguerit, diuq; fuerit dominata: tunc enim contingit substantiam aeris putrefieri, etsi bonæ sint, salubresq; euaporationes elatæ ex aqua, & terra. Adhęc verò, quæ sunt pestilentes febres citra pestem, quarum Galenus meminit? pestis quidem communis morbus, & vulgaris, cum à putrido aere ducat originem: at pestilens febris semper nõ est eiusmodi, vt tertio epidemiorum significauit: non sunt igitur ad aerem continuò referendæ. Prauam victus rationem pestilentem posse affectũ concitare, quis dubitat? nemo certè eo demẽtię deuenit, vt nesciat, quàm malum sit humores corporis in qualitates venenosas conuerti: quin hoc etiam apertum est, secerni cognoscique vix posse, qui ab aliqua corporis venenata affectione perierunt genita internis de caussis, ab iis, qui haustu lætaliũ venenorum, aut ictu virus reiectantium bestiarũ perierunt, quod Pelops primum, dein Galenus testati sunt. igitur, si ex malis alimentis quis humores venenatos congesserit, quam patietur ex eorum putrefactione corruptiua (sic enim aliquando Galenus ait) febrem? & alibi quidem dicebat: Porrò qui à cibo proficiscuntur & potu tum infrequentes, tum cognitu sunt faciles.] hic non excludit, quin à cibo potuq; fieri non possint communes morbi pestilentesque; sed esse infrequentes dixit, (quod nos pariter admittimus) & cognitu faciles, at quid facilis, & difficilis cognito ad rei essentiam constituendam? Potest autem efficere morbum vniuersalem haustus aquæ infectæ, quod quidem memoriæ proditum est, in castris contigisse.] & parum postea addit. itidem ob loci naturã, vbi cuncti eodem loco castrametati commorabantur.] Rectè igitur statuemus, aerem caussam esse maximè communem, vel cõmunissimam, vt scribit Galenus. aliàs verò communes, rursus verò proprias aliàs existere, sed cõmunicabiles, vt ego interpretari soleo. Neq; verum est, omnem febrem pestilentem esse vulgarem morbum: tum quia particularis quædam est, tum etiam, quia haud omnis ab aere procedit: adde etiam, quandam citra calidam humidamq; constitutionem ambientis pestilentiam contingere, de qua edisseram loco suo. Sed pestis quidem.

Essentialis caussa quæ.

Aerem non esse caussam essentialem pestilentiæ, multis rationibus demonstrat.

1. de febri. diff. cap. 3.

Gal. verba l. de cib. mal. vel boni suc. cap. 1. F. & li 3. de loc. aff.

Lib. 6. epid. in præfatione.

Hip. lib. de hum. natur. Gal. 16.

Pestilens febris omnis non est vulg. morbus.

dem communiſſima, maximè vniuerſalis, peſſima, pernicioſiſſima (ōnibus enim hiſce nominibus Galenus vtitur) ex illius ſentētia vulgaris eſt morbus. Verùm ſi danda fides Aſtrologis, dabitur peſtilentia ſæuior, quàm ea, quæ morbum vulgarem inſequitur: quia cœlum, quod illorum decreto mala ſeminaria transmittit, Peſtilentiam facit, quæ haud naſcitur ex conſtitutione aeris calida, humidaque, ſed paſſim in omnibus conſtitutionibus viſitur, quamuis in ea validius, ſæuiusque debacchatur: de qua re dicam, vt aliis ſatisfiat, quædam parum infra.

Præfatione in commentarios in lib. de Vulgar. morbis.

Quod verò ad cauſſas externas attinet, eo in libro vnguentorum peſtilentium meminimus, quorum notitiam non habuit antiquitas: perſuaderem hoc ipſum, niſi eſſet experimento iam cognitum, atque niſi etiam de hoc argumento ad te ipſum aliàs diligenter quædam ſcripſiſſem: plura enim memoriæ commendare periculoſum eſt. Reuertor ad ambientē, quem diximus peſtilentię vniuerſaliſſimam cauſſam: hic vbi fuerit coinquinatus, humores præparat ad corruptelam. duplex coinquinatio eſt: vna cum putreſcit tota eius ſubſtantia: alia cum citra putrefactionem ſimplicem quandā inquinationis labem contrahit à ſeminariis peſtilentiæ, quę aut à cœlo, aut à rebus terrenis in ambientem recipiuntur. hanc rem videor meo de peſtilentia libro ſatis conuenienter explanaſſe, capite de inquinamēto aeris: in quo illud planum feci, ſemina peſtilentiæ ex diuerſis regionibus exportari poſſe citra putredinem aeris, de quibus foraſſe intelligenda ſunt Galeni verba, quæ in hunc modum habent: Fortè autem percontinuum ex Aethiopia quædam putredines fluxere, contagia his, quorum corpora erant ad patiendū parata, cauſſa febrium futura.] & Hippocrates de hiſce ſeminariis diſertiſſimè locutus eſt, dum ait:

1. de feb. diff. cap. 4. F.

Μετὰ τοῦτο τοίνυν εὐθέως ῥητέον ὅτι οὐκ ἄλλοθεν ποθὲν εἰκὸς ἐστὶ γίνεσθαι τὰς ἀῤῥωστίας μάλιστα ἢ ἐντεῦθεν ὅταν τοῦτο ἢ πλέον ἢ ἔλασσον ἢ καὶ ἀθροώτερον, καὶ μεμιασμένον νοσεροῖσι μιάσμασι ἐς τὸ σῶμα ἐσέλθῃ]

Libro de flatu.

quod eſt. poſt hoc igitur dicendum ſtatim, quod non aliunde potiſſimum naſci morbos conſentaneū eſt, quàm hinc, quando ſcilicet hic, vel copioſior, vel paucior, vel cumulatior, atque morboſis inquinamentis infectus, corpus ingrediatur,] & parum poſtea ſenex prudentiſſimus addit.

Lucretius li. ſexto.

ὅταν μὲν οὖν ὁ ἀὴρ τοιούτοισι πλησθῇ μιάσμασι, ἅ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει πολέμιά ἐστιν, ἄνθρωποι τότε νοσέουσιν· ὅταν δὲ ἑτέρῳ τινὶ ἔθνει ζώων ὁ ἀὴρ ἀνάρμοστος ᾖ τὸ νόσημα, κοινῇ νοσέουσιν]

ideſt. quando itaque aer huiuſmodi coinquinamentis, quæ hominum aduerſantur naturę, repletus fuerit, tunc homines ęgrotant: quando autem alicui alteri animalium generi aer incongruus extiterit, illa ſimiliter ægrotant] hæc ille. Coinquinamenta aeris vocauit Lucretius ſemina, cuius verba, quoniam cōfirmant, quæ diximus, & quia Hiſtoriam de Peſtilentia eleganter à Thucidide ſcriptam, & ab Hippocrate in libris epidemiorum mihi optimè videntur repræſentare, hic libenter ex libro ſexto adferam.

Nunc ratio quæ ſit morbis, aut vnde repente
Mortiferam poßit cladem conflare coorta
Morbida vis hominum generi, pecudumq; cateruis,
Expediam primum multarum ſemina rerum
Eſſe ſupra docui, quæ ſint vitalia nobis.
Et contra quæ ſint morbo, mortiq; neceſſe eſt
Multa volare, ea cum caſu ſunt forte coorta,
Et perturbarunt cœlum, fit morbidus Aer.
Atque ea vis omnis morborum, peſtilitasq;
Aut extrinſecus, vt nubes nebulæq; ſupernè
Per cœlum veniunt, aut ipſa ſæpè coorta
De terra ſurgunt, vbi putorem humida nacta eſt,
Intempeſtiuis pluuiisq;, & ſolibus icta.
Nonne vides igitur cœli nouitate, & aquarum
Tentari procul à patria domoq; quicunqueq;
Aduenium, ideo quia longe diſcrepitat res.

Nam quid Britannis cœlum differre putamus,
Eo, quod in Aegypto est, qua mundi claudicat axis;
Quidve quod in Ponto est, differre à Gadibus, atque
Vsque ad nigra virum, percoctaq; secla calore?
Quæ cum quattuor inter se diuersa videmus
Quattuor à ventis, & cœli partibus esse;
Tum color, & facies hominum distare videntur
Largiter, & morbi generatim secla tenere.
Est elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypto in media, neque præterea vsquam, 10
Atthide tentantur gressus, oculiq; in Achæis
Finibus, inde aliis alius locus est inimicus
Partibus, ac membris, varius concinnat id aer.
Proinde, vbi se cœlum quod nobis forte alienum
Commouet, atque aer inimicus serpere cœpit,
Vt nebula, ac nubes paulatim repit, & omne
Qua graditur, conturbat, & immutare coactat.
Fit quoque vt in nostrum cum venit denique cœlum
Corrumpat, reddatq; sui simile, atque alienum.
Hæc igitur subito clades noua, pestilitasq; 20
Aut in aquas cadit, aut in fruges persedit ipsas,
Aut alios hominum pastus, pecudumq; cibatus,
Aut etiam suspensa manet vis aere in ipso.
Et cum spirantes mixtas hinc ducimus auras,
Illa quoque in corpus pariter sorbere necesse est.
Consimili ratione venit bubus quoque sæpè
Pestilitas, etiam pecubus balantibus ægros.
Nec refert vtrum in loca nos deueniamus
Nobis aduersa, & cœli mutemus amictum;
An cœlum vltro nobis natura corruptum 30
Deferat, aut aliquid quod non consueuimus vti;
Quod nos aduentu possit tentare recenti.]

Sed quoniam satis diximus de caussa continenti febris pestiferæ (nam plura certè libro de febribus scripta sunt) ad illius explanationem veniamus, quod tertio loco nobis obiiciunt. An scilicet debeamus malignas nuncupare Stellas aliquas, à quibus seminaria pestilentiæ in hæc inferiora deferantur. Sed quia hæc ipsa disputatio alterius dissolutionem præsupponit, an videlicet cœlum pestilentiam immittat, de hac primũ breuissimè dicamus. Verũ, vt omnis vitetur homonymia, sciẽdum est, cœli nomine nos haud intelligere aerem: consuetudo enim est tum apud Poetas, tum apud Oratores, quinimo etiam apud Medicos cęli nomine ambientem audire: Sanè controuersum non est apud quosdam Medicos magni nominis, à Cœlo, hoc est ab ambiente pestem fieri, vt qui profiteantur nunquam fieri, nisi calida, & humida constitutio aeris diu perdurans, ac vigens præcesserit. Ego autem non ita sumo cœli nomen, sed pro syderum aspectu, & concursu. est igitur controuersia, an à malo syderum concursu eiuscemodi effectus originem ducat, de qua re primo, de præseruatione, quo loco inquiro, vt à cœlo fiat pestilentia, diligenter (nisi fallor) disserui. Aliam etiam statuere hypothesim debemus, nempè, quod qui negant à cœlo fluere pestilentiæ seminaria; veram caussam externam putant aeris putredinem, & hanc ex calida humidaq; intemperie fuisse contractam dicunt: quamobrẽ nulla pestis fatigabit homines, nisi in ambiente duo illa constiterint: At, qui ad solum cœlum referunt, citra horum concursum pestem fieri tradunt, quæ verè talis est, ac dicitur: aliquãdo vetero præparatoriã esse caussam putredinem, ac intẽperiem, qua sæuior, perniciosiorque euadit, non qua pestis essentiam conquirat. Postremo loco adnotãdum est, scopum

Fernelii sententia lib. 2. de abditis rerum caussis.

40

50

est, scopum Medicorum esse caussas morborum è medio tollere: atque idcirco illæ caussæ in considerationẽ veniunt, quæ auferri queunt, at quæ remoueri non possunt, à Medico contemnẽdæ sunt. Volo vt statuamus à cœlo pestilentiam fieri, quid hoc ad Medicorum artem pertinet? An hæc ipsa corriget ad libitum cœli motus, influxusq́; , si tamẽ admittendi sunt? An propterea neglecto corpore artis suæ subiecto, altiora petens, ea tentabit, quæ assequi nunquam poterit? hac de caussa factũ est, vt putauerim hãc disputationem inanem esse Medicis, eam partem potissimum exercentibus, quæ curandi rationem spectat: vtilitatem afferre aliquã posse in prædicendo futuros euentus, quis dubitat? vt hac de caussa ipsorum corporum habita ratione, queat præparata ita quidẽ afficere, vt imminentem cęlitus labem euitent, aut, si id non possint, saltem curare, vt lędantur multò minus.

Nunc verò perquiramus diligenter, tanquam veritatis indagatores, vsu Medico prætermisso, an citra aeris putredinẽ, & sine calida, humidaque cõstitutione, eaque vigente, pestis fieri possit: adhæc quę declaremus, an stellæ malignæ dici possint: quod in controuersiam potissimum verti diximus. Quod igitur ad primum pertinet, hoc vnum affirmare ausim citra eiuscemodi affectum aeris, aliquãdo constitisse pestilentiam: pro cuius rei explicatione primũ locũ habeat obseruatio, de qua Fernelius, quẽ hic placet imitari, hisce verbis locutus est. Quãdoquidem constitutio pestilens, hyeme, ac æstate, sicco ac pluuioso cœlo, bene temperato ac inæquali, & plerunq́; citra putredinem, adeò obscurè, & furtim inuadit, vt nullo vnquã sensu internoscatur: suntque pestilentiæ semina vsq́; adeo occulta, cęca, & à sensibus aliena, vt nos prorsus effugiant, inopinatáq́; feriat: nec vnquã, nisi effectibus & euentis deprehendi potest. hoc quidem inprimis mortalibus miserabile impẽdentem sibi tantam perniciem, ne odore quidem sentire, nec vitare posse, at certe putridus aer inopinato, & subito fieri nõ potest. Deinde quis diceret putridum existere aerem, cũ è regionibus longissimis pestilentię semina deferuntur? quod nõ rarò cõtigisse, tum memoria patrum nostrorũ, tum etiam historiæ frequentissimè commerant? Hoc vnum certè possum testari, pestilentiam, quæ primum Tridentinorum vrbem occupauit, post verò in alias ciuitates serpendo virus eructauit, ab aeris putredine originem nõ deduxisse: atque etiã fortassis, neq́; ex ipso inquinamento simplici aeris ab inferioribus partibus deductam. Quã enim in iis locis extitisse putredinem coniectabimur, in quibus non præcessit calida humidaq́; constitutio? nec annus australis aut ab ipsis ventis in totum silens? imò totus annus fuerit magis siccus, quã humidus. Absurdum igitur fuerit in vnum aerẽ referre, quod multò commodius in caussas alias referri potest: cur itaq́; prætermittemus mala seminaria cęlitus dimissa? cur, quæ citra cœli cõstitutionem à peregrinis, à vẽtis, à formitibus aliundè portari consueuit, silentio inuoluemus? cur perniciosorũ hominum insidias? quales in dies contingere videmus, tum certe scimus olim Pataui contigisse anno Domini 1555. An fortasse ad contagium referendam putabunt caussam? Sed quod quæso contagium dicent adfuisse in pestilentia, quæ Tridentinos primum inuasit? aut quod aliarum certum afferri potest pestium seminarium? Haud oportet veritatis indagatorem pretermittere Historiarum veritatẽ, quæ pręsertim, quod controuersum est, maximè dilucidant. Historias afferre possem quamplures fidem facientes, pestilentiam in calido, & sicco cœli statu incepisse nulla vigente, ac neq́; etiã præcedente ãbientis calida, humidaq́; constitutione. Sed quid hanc commemoro, cũ post rigentissimã hyemem statim pestilens morbus inuaserit? Ridiculus essem, si eiuscemodi historias afferre sigillatim vellẽ: sed certè vnã silentio minimè inuoluam à Tito Liuio descriptã: quæ tum omnem tollere videtur difficultatẽ, tum sane hortari nos ad pietatis opera non parum potest. is. n. sic ait: In signis annus hyeme gelida, ac niuosa fuit: adeo vt viæ clausę, Tyberis innauigabilis fuerit. Annona ex ante vecta copia nihil mutauit] & parũ postea. Tristẽ (inquit) hyemem, siue ex intemperie cęli raptim mutatione in contrariũ facta, siue alia quadã caussa, grauis, pestilensq́; omnibus animalibus ęstas excepit. Cuius

Pestem constitisse citra putredinem aeris.

Fer. 2. de abd. re. caus. 12.

De Tridentinorum pestilentia.

T. Liuius lib. 5. 1. decadis. 118. froben. in fol.

insanabili pernicie quãdo nec caussa, nec finis inueniebatur, libri Sibillini ex Senatus consulto additi sunt, duũviri sacris faciundis lectisternio tunc primũ in vrbe Romana facto per dies octo Appollinẽ, Latonamque, & Dianã, Herculẽ, Mercurium, atque Neptunum tribus, quàm amplissimè tum apparari poterat, stratis lectis placauere, priuatim quoq; id sacrũ celebratum est. Tota vrbe patẽtibus ianuis, promiscuoque vsu rerum omnium in propatulo posito notos, ignotosque passim aduenas in hospitium ductos ferunt: & cum inimicis quoque benignè ac comiter sermones habitos: Iurgiis, ac litibus temperatum: vinctisque demptis in eos dies vincula: religioni deinde fuisse, quibus opem detulissent, vinciri] ò admirandum à Gentilitate petitum exemplum. quid nos facere oportebit, qui veram religionem colimus? qui veritatem cognoscimus? vtinam omnes, quod attinet ad charitatẽ, profanos hosce homines imitarentur, prætermissis tamen interim vanis superstitionibus, & lectisterniis; sed hæc obiter.

Nunc autem rationibus quibusdam ostẽdamus veritatem propositi theorematis. In primis illud statuamus, aeris necessitatẽ esse magnam in omnibus: statuamus etiam putredini esse obnoxia, potissimum verò, quę eundem locũ semper tenent, & ex terra alimentum capessunt. Itaque liceat mihi Ferneli rationes vsurpare, quæ proculdubio maximi momenti sunt. si vna putredo tantæ perniciei caussa foret, omnes animantes peræquè attingeret: nam salubris aer spiritu ductus omnes animantes fouet, ac sustinet toti illarum generi salutaris: qui ergo ex aduerso à putrida illuuie pestilens euaserit, toti animantium generi æquè perniciosus euadet. is vnus omniũ sanitati, vitæque principio aduersabitur, & inspiratus omnes peræquè lædet, neque homines magis, quàm boues aut hos potius, quàm oues, aut sues: & quæ illinc pestis incidet omnium peræquè cõmunis erit. Hoc tamen rerum euentu arguitur, vsuq; falsum deprehenditur: compertum siquidem id omnes habent, quod ab optimis etiam agriculturæ authoribus memoria proditum est, pestilentiã incidere, quæ solos boues iugulet, qualem anno Christi meminimus 1514. aliam quæ sues, aut quæ boues, aliam quæ gallinas, aliam quæ solos homines: quæ pecudes, ferasq; interimat pulchrè est à Virgilio descripta, dum in Georgicis canit:

Fernel. li. 2. de abd. rerũ caus. cap. 11. fol. 233. 234.

Pestilẽtiam non inuadere æqualiter omnes animantes.

Cõfirmatio ex Virgilio.

Hinc quondam morbo cæli inseruanda coorta est
Tempestas, totoq; autumni incanduit æstu,
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum
Corrupitq; lacus, infecit pabula tabo.

Discriminis vero caussam exprimit his verbis.

Quam multæ pecudum pestes, nec singula morbi
Corpora corripiunt.

Lib. 6.

Cum igitur solos homines inuadit pestilitas (vt cum Lucretio loquar) alias verò animãtes immunes relinquit, putredinem aeris quomodo caussam statuemus? hunc attrahunt omnes æqualiter, omnes itaque afficientur conditione pari, cum æquè præparata ad putredinem corpora obtineat: ac certè (nisi fallor) bruta animantia, quæ, cum ratione careant, à caussis putredinem inducentibus præseruari non valent, huic sunt affectioni multò magis disposita, & vitam habent, vt plurimum breuiorem. Quamobrem potest persuaderi, caussam potentiorem adesse, quàm ipsa sit putredo: & hanc cęlitus in hæc inferiora demissam ex particulari constitutiõne syderum, huic non illi animantium generi inimicam. Alia etiam potest ratione persuaderi, quod non omnibus regionibus æquè damnum inferre solent flatus pestilentes. Auster sanè nobis parum amicus, Romanis vtilissimus censetur: quia, vt obseruaui, non expirat calidus in vrbe Roma ventus Auster, sed omnino frigidus, quo fit vt Austrinæ constitutiones non sunt vbique obnoxiæ pestilentibus morbis. adde quod locus à loco distat plurimum, secundum differentias multas, quæ ab ipso iam primum Hippocrate, mox à nobis libro nostræ tractationis secundo, declaratæ sunt. Quid hæc (quæso) persuadent? inueniri scilicet non posse constitutionem aeris putridam, quæ vniuersum orbem inuadens, pestem faciat vbique communissimam.

Verum

Verum certè pestilentia tam immaniter interdum sæuit, vt totum penè orbem occupet, frigidas atque calidas regiones, siccas, ac humidas, hyeme ac æstate. Huius generis duas sub Marco Antonio fuisse commemorant, orbi vniuerso grauissimas, quibus ferè vsque ad internicionē humanum genus deletū fuerit. Qualē & ataui nostri fuisse cōmemorant anno Christi 1450. hæc in Asia exorta per Illyrium, Dalmatiamque sese psit in Italiam: per Germaniā verò in Galliæ & Hispaniæ fines compluribus annis miserè in omnes ferè populos debacchata, vix vt tertia pars viuentium superstes euaserit. Enumerantur etiam quàmplures aliæ vnius populi, & regionis propriç vsque adeò, vt in alias finitimas minimè transierint. Quæ nam caussa tantæ varietatis? Iam certè quidem aeris putredo non potest sola id ipsum facere, vt quæ nunquam tā latè pateat, vt vniuersum orbem occupet: quæ in ambiente vnius ciuitatis aut regionis propria visitur putrefactio. facilè potuisset in propinquas ventorum vi, impetuque deriuari: tamē vidimus in vna ciuitate constituisse pestilentiam, non in alia illi proxima. Longè rationabilius est, vt statuamus malā quādam constitutionem syderum aliquando dominari, à qua seminaria in æthere dispersa, nunc vnam prouinciam, nunc aliam, nonunquam etiam omnes inuadere, prout illorum aspectus, aut vnam, aut plures, aut omnes directè respicit, atque dominatur. Nec ab re additum est ipsa in oratione illud (aliquando dominari) quia omnis pestilentiæ caussam in cœlum referre non licet: sed eius duntaxat, cuius equidem repentinus euentus putredinem in aere nullam sequitur, cuiusque, vt vnico verbo dicam, manifestę caussæ aliquæ non sunt. Grauis est eorum stupiditas, (vt cum Fernelio loquar) qui sydera nihil in aere, nisi calorem, aut frigus, imbres, aut siccitatē lumine motuque suo inducere contendunt. Si illa benè constituta omnium vitam tuentur, atque conseruant, cur malè constituta vitę non incommodent? Illinc prima, & præcipua est rerum omnium salus & conseruatio: Illinc & interitus. Has caussas atque vires soli de medio tollunt, & tanquā nullæ sunt, negant huius contēplationis imperiti. Postremo loco perlustremus egregios authores, quid de hac ipsa materia dicant. Audiamus Hippocratem primo loco verum, non artis modo nostrę, sed totius Philosophiæ magistrum: qui libro secundo de hominis natura in hunc modum scriptum reliquit:

Pestilentiæ vniuersales.

Sydera aliud impartiri mortalibus à primis qualitatibus.

Pestilentia cur omnibus æque non aduenat ex Hippocratis sententia.

ὁ μὲν οὖν κοινὸς πυρετὸς διὰ τοῦτο τοιοῦτος ἐστὶν, ὅτι τὸ πνεῦμα τοῦτο πάντες ἕλκουσιν: ὁμοίου δὲ ὁμοίως τοῦ πνεύματος τῷ σώματι μιχθέντος ὅμοιοι καὶ οἱ πυρετοὶ γίνονται: ἀλλ' ἴσως φήσει τις διὰ τί οὖν οὐχ ἅπασι τοῖσι ζώοισι ἀλλ' ἔθνει τινι αὐτέων ἰδέει πίπτουσιν αἱ τοιαῦται νοῦσοι: διότι (φαίην) ἂν διαφέρει σῶμα σώματος; καὶ φύσις φύσιος; καὶ τροφὴ, τροφῆς: οὐ γὰρ πᾶσι τοῖσιν ἔθνεσι τῶν ζώων ταὐτὰ οὔτ' ἀνάρμοστα οὔτ' εὐάρμοστα ἐστὶν ἀλλ' ἕτερα ἑτέροισι ξύμφορα: ὁκόταν μὲν οὖν ὁ ἀὴρ τοιούτοισι πλησθῇ μιάσμασι, ἃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει πολέμια ἐστὶν ἄνθρωποι τότε νοσέουσιν: ὅταν δὲ ἑτέρῳ τινὶ ἔθνει ζώων ὁ ἀνάρμοσος ᾖ τὸ νούσημα κοινῇ νοσέουσιν]

quod est: communis itaque febris ideo talis est, quod spiritū huiuscemodi omnes attrahant: simili verò spiritum similiter corpori commixto similes quoque morbi efficiuntur. At fortasse dicet quispiam, cur igitur non cunctis animalibus, sed alicui ipsorum generi contingunt tales morbi: caussa est (inquam) propterea quod corpus à corpore, natura à natura, nutrimentum à nutrimento differunt: non enim omnibus animalium generibus incongrua eadem, vel congrua sunt: sed alia aliis conueniunt: quando itaque aer eiusmodi contagiis, quæ hominum aduersantur naturę, repletus fuerit, tunc homines ęgrotant: quando autem alicui animalium generi aer incongruus extiterit, illa similiter ægrotant] hęc ille: Contemplemur quæso hæc verba, quia maximum in se continent artificium, ab aliis minimè (quod sciam) animaduersum. Caussæ pestis duæ recensentur: vna quidem patientis corporis aptitudo, ac dispositio ad recipiendā formam de qua dixit, quod corpus à corpore, natura à natura, & nutrimentum à nutrimento differt: alia caussa est efficiens remota, vt aer nos ambiens: & penes vtramq; caussam quæstionem propositam soluit: cur scilicet si ab ipso ambiente morbi fiunt, haud omnia animalia æquè excretionem illam morbidam recipiunt? soluens dicit cōtingere hoc ipsum posse ratione subiecti, & ratione agen-

Notanda.

Notanda.

Notanda.

Hippocratis sententia lib. de flatib. explanatur.

tis subiecti quidem caussa, quia vbi vitium in ipso aere cōstiterit, ea duntaxat recipiunt labem, quæ præparata fuerint. distat enim corpus à corpore: quia corporum aliud est procliue ad putredinem, aliud longè distat: rursus differt natura a natura: quia tēperamentum nimis calidū & humidum ad pestem recipiendā aptissimum, frigidum autē & siccum maximè ineptum: eadem ratio est de nutrimento. cum quoddam sit putredini præparatum, quoddā minus. Hanc eādem caussam significauit Galenus his verbis: Oportet etiam hoc in toto sermone memoria repetere, quod nulla caussarum sine patientis aptitudine agere potest: alioquin omnes, qui sub æstiuo sole commorantur, febricitarent, aut qui nimio motu exercentur, aut vini potu grauantur, aut ira excandescentes, aut tristitia afflicti febricitarent. Alioquin etiam (vt arbitror) circa canis ortum omnes febricitarent, ac in pestilentiis morerentur, at vt diximus, magnam in generatione ęgritudinum partē habet eius, qui passurus est, habilitas corporis] & quæ sequuntur. Potest hoc ipsum discrimen contingere ratione inquinamenti, quod in aere consistit: aliud enim inquinamentum est hominū generi inimicum, & nō aliis: aliud quod boues, aliud quod oues, aut gallinas, alia ve id genus animalia insectatur: vbi fuerit ambiens refertum seminibus malis huic, nō illi animalium generi, hoc & non illud ægrotabit. Quæsiuerim hoc loco, vnde nam proficiscatur hęc inquinamentorum varietas? à putredine non potest proficisci, caussa est, quia semper eadem existit affectio. nempè corruptio à calido externo in humidū: hæc non magis homini, quàm boui, aut aliis animalibus offensa est. Quid igitur in caussa fuerit? hic quoniam afferri nihil certi potest, necessarium est, vt dicamus, cęcam esse vim quandam nobis incognitam, quæ solo euentu deprehenditur: nec ex putredine emanasse illā, cum semper in omnibus sit vniusmodi, sed à syderum constitutione progenitam. Neq; hanc profectò Galenus tacuit. Hic enim, postquam haud semel ab aeris nos ambientis calido, & humido statu, atq; hinc nata putredine pestem oriri significauit, (quę sanè ad manifestas qualitates pertinet) libro de humana natura secundo, de pestifera exhilatione sic locutus est.

Conf. ex Gale. 1. de feb. diff. cap. 4.

Aeris inquinamenta vnis nō aliis animaliū generibus infesta.

Confirm. ex Gal.

Cap. 4.

ἰδιότητι μᾶλλον ὅλης τῆς οὐσίας ἢ ἁπλῇ ποιότητι λυμένομαι τὰ σώματα]

quod, est, quę proprietate magis totius substantiæ, quàm aliqua qualitate lue corpora inficit] itaque si vna aeris putredo committit pestilentiam. quomodo potest contingere proprietate totius substantię, potissimum (vt fere solet) manifestam qualitatem excludat? An dicemus ambientis putredinem reducendam ad qualitates occultas: igitur si certe sunt putredinis caussæ, & quæ offendunt proprietate totius essentiæ ab illis excluduntur, opus est, vt ratione optima concludamus, consistere ipso in aere coinquinamenta, & seminaria pestis diuersa ab ipsa putredine: & hęc à cœlo dimanasse in aerem dicēdum est. Sed aliam (quæso) confirmationem audias communem morborum. (inquit Galenus in secundo libro commentariorum de hominis natura) quos parit aer, curationem nō prodidit integram: nam non raro stagnorum respirationes, vel paludum, vel locorum cęnosorum, vel eiuscemodi terrę eos morbos concitant. Interim solum temperamentum. Itaq; in euaporationibus potius totius proprietate essentiæ, quam nuda qualitate offendentibus corpora, ordinem curationis tradidit in duo referēs proposita, loci vicissitudinē, & paucæ attrahendæ vsum animæ. at in iis quæ lædunt qualitate, non solum curatio morborū iam existentiū, sed etiam, vt prorsus non subpullulent contrariis qualitatibus præcautio instituetur: nā si corpus sit ab immodico calore affectum, refrigerantibus, si à frigore calefacientibus similiter q; cæteris in qualitatibus tum simplicibus, tum compositis] quoniam autem putredo habet manifestas qualitates, calidum scilicet extraneum, in humidum excedens, hæc secludi debet ab affectionibus, quæ potius proprietate totius substantiæ, quam manifestis qualitatibus offendunt. Non abhorrent postremò ab iis, quæ secundum Medicos hactenus inuenta sunt, Peripatetici qui mortem, & vitam, generationem, & corruptionem, attribuunt cælo, corporibusque cęlestibus, etenim ait Philosophus. Quo circa si accedendo, & propè essendo

Tex. 4.

2 de generatione ...

essendo generat, & in recedendo & longè fieri ad ipsum, corrumpit: & si in multoties adueniendo generat, & in multoties recedendo, corrũpit] Mox subdit, Et in æquali tempore generatio, & corruptio, quę secundum naturam, ideoque & tempus, & vita vniuscuiusque habet numerum, & hoc determinatur: omnium enim est ordo, & omne tempus & vita mensuratur periodo, sed tamen non eadem omnia, sed hæc quidem minori, hæc autem maiori: his quidem annus, his autem maior, aliis autem minor periodus est mensura] ac rursus alibi ait: Nam vt rerum minus principalium circuitus sequatur, rerum magis principalium circuitus ratio est: vitam enim quandam & ortum & interitum, vel statum esse fateor, conuersionis verò eorum syderum alia fortasse principia sunt. Natura igitur ita sibi vult, vt eorum numeris generationes, & obitus numeret. Sed exquisitè id facere nequit, propter materiæ inexquisitionem, & quod multa principia incidunt, quæ generationes destinatas secundum naturam & corruptiones impediant, atque ita caussa sint earum, quæ præter naturam.] Ad hæc verò pulchrè admodum confirmatur ex Thaletis exemplo, cuius in Politicis meminit Philosophus, dum ait: Hæc enim cuncta vtilia sunt iis, qui augere patrimonium volunt: quale est illud Thaletis Milesii attributum sibi propter sapientiam: cui cum obiiceretur Philosophiæ studium, quasi inutile, & infructuosum, prospexisse illum ferunt per Astrologiam, oliuarum vbertamen futuram: cumque collegisset paululum pecuniarum hyeme adhuc vigente emptionem olei fecisse in Mileto, & in Chio pro paruo admodum prætio, vt potè nemine plus offerente, arrhasque dedisse. Cum itaq; postea tempus venisset, multis subito quærentibus, vendidisse oleum quanti ipse voluit, ac magnam vim pecuniarum inde super lucratum, ostendisse amicis, perfacilè esse Philosophum ditari, sed hoc non esse illis curæ] hæc sanè eò spectant, vt persuadeam à cœlestibus corporibus mortem & vitam, generationem & corruptionem rerum omnium, quæ ex elementorum permistione constat, proficisci: atque idcirco haud esse, absurdum putare ex quibusdam syderum aspectibus aliquando bonum, & aliquando malum insequi in hisce inferioribus effectum. Hic tamen notabis, ne contingat error, quod non ita quidem agunt corpora cælestia, vt suos faciant effectus ex necessitate: hoc enim omnino impossibile est, quidquid fortassis nonnulli significent Astrologi, sed agunt modo suo, nempè vniuersali, qui agendi modus necessitatẽ non includit: adhuc enim concurrere debent caussæ secundæ, proximæ scilicet, & particulares: ex quibus fit immediatè effectus, sed non principaliter, at perfectè ex vniuersalibus caussis, & ex particularibus simul multis proficiscitur: quia corpora cœlestia horum inferiorum caussæ sunt principales, communes, vniuersales, remotæ: aliæ vero, quæ hic sunt, particularius effectum complent.

Ibid. 57. — *4. de generatione anim. cap. 10.* — *1. Politi. capit. 7.* — *Corpora cælestia quomodo agant in hæc inferiora.*

Ex his quæ diximus haud fuerit difficile videre, quomodo sydera benigna, aut maligna dici debent. Nam certè, cum nõ adsit malum in æternis, quo ad illorum substantiam attinet, dici malignæ non possunt: at quo ad nos, qui effectum recipimus, mala ex accidenti nuncupari consueuerunt: hac dicendi ratione vti solemus de Sole loquentes, Luna, solstitiis, cum esse malorum quorundam caussam affirmamus. Qui ergo putant Astrologos arbitrari malignam esse syderum substantiam, ac naturam, ac ab illis proficisci malum secundum rationem substantiæ propriæ, toto (quod aiunt) aberrant cœlo: neque enim id ipsum per somnium dicerent: sed malum effectum generari dicunt, malignum, perniciosum, mortalem subiecti recipientis ratione: per breui hac distinctione soluuntur omnes difficultates, quas admodum contra Astrologos inuexerunt recentiores quidam Medici, & Platonici etiam insignes, vt Plotinus, eiusque imitatores. Quamobrem opus non est, vt pluribus hanc tractationem prosequar, sua natura (nisi fallor) dilucidissimam. Legito interim, si placet Lucium Bellantium contra Picum, qui omnem mouit lapidem.

Quomodo stellæ malignæ, aut benignæ nuncupandæ sunt. — *Lucius Bellantius contra Picum pro Astrologis. Hier. Franc.*

Reliquum est, postremam difficultatem soluamus, ea quidem est, an contagio semper in putrefatione quadam consistat: Fracastorius Veronensis Poeta,

Quid contagio. Cap. 1. li. de Contag.

Medicus, & philosophus insignis admittere videtur cōsistere omnem in putrefactione: nam sic ait: Dicemus contagionem esse consimilem quandam misti secundum substantiam corruptionem de vno in aliud transeuntē, infectione in particulis sensibilibus primo facta] & parum postea. Si igitur in omnes cōtagiones inductio fiat, omnes quidem in putrefactione quadam consistere videbuntur] Frācīscus Valleriola refellit opinionē doctissimi hominis, sed perperam, ac temere (meo quidē iudicio.) Summa equidem opinionis hominis huius in hūc modum habet. Putredinem esse quidpiam diuersum à contagione: quoniā putrescunt sanè multa, quæ contagione molesta non sunt, vt præ cæteris videre est in febribus putridis, tertianis, quartanis, & aliis id genus: in illis duntaxat adesse vult contagionis rationem, in quibus morbida quædam excretio gignitur. Mox in pestilentiis admodum frequenter videmus, sanos homines citra putredinem, aut obstructionem corruere statim, mortemq; obire: at fieri non potest contagium, si putrefactio quædam est tā subito, ac in instanti. Deinde, sublata putredine sanaretur contagium, cum non videamus id fieri: quia non solum remediis vtimur contra putredinem, sed contra morbum totius substantiæ, nempè alexipharmacis. Displicetque illi, quod dixerit putredines in viuente corpore haud esse admodum manifestas, cum tamen (illius iudicio) sint conspicuæ: quodque dixerit nullam esse euaporationem ad contagium aptiorem, quàm eam, quæ in putrefactionibus fit: obiicit huic Valleriola. Dicens, maximè aptam esse eam, in qua morbida adest excretio totius substantiæ proprietate magis, quàm manifestis qualitatibus offensam. Hæc ille summatim. Quæ contra Fracastorium, nihil concludunt. Primum quidem aberrat: quia contagio simpliciter putrefactio non est, sed putrefactio transiens in alium consimilis: quod est dictū, corruptio quædam substantiarū corporis internarum: hanc ille fortasse audiuit, cum in sordida, profunda, & contumaci putredine consistere caratherismum febris pestiferę significauit. Sed hic notandum est, quod hęc ipsa materia, quæ exhalat ex corpore corrupto, aliquando actu corrupta est, cum effluit: aliquando autem potentia, quæ in analogum incidens subiectum, & proportionatum ad actum deducta, tale, quale erat id, è quo iam primū effluxit, efficere potest pestis, vtrūq; seminarium est. neque est necessarium, vt alibi demonstratum est à nobis, vt quod à putrido exhalat, id ipsum continuò fit putridū, quod igitur sibi de morbida excretione confingunt, non constat: quoniam corporis partibus minimis corruptis exhalatio fit eiuscemodi: nunquam verò simpliciter putridis: Hippocrates verò & Galenus quando meminerunt affectionis, proprietate totius substantiæ labefactantis, aliud quippiam ab ipsa putredine, & corruptione imaginati sunt, vt prædiximus: seminarium nempè illud abditum, cæcum, nostris sensibus inconspicuum: quod sanè putridum quidpiam non est, neque ex putredine profectum, vim tamen putrefaciendi possidet in iis corporibus, in quibus eiuscemodi consistit præparatio: hoc semen haud est putridum actu, aut potentia, neque contagiosum actu, aut potentia. Sed postquā egerit in corpus, & corruperit substantias, non illud quidem contagiosum redditur, sed quod ex corrupta substantia emanauerit, tale euadit: huiusq; ratione, non illius diuini cœlestisque seminarii contagium proficiscitur. Quod verò ad secundum pertinet, semina illa cōtagii, prout ab vna magis, quàm altera materia duxerint originem, efficiunt effectus in materia præparata & analoga varios: nam, quæ prodeunt ex solidis partibus admodum diuturnam, quę ex humoribus, breuiorem: at quę ex putrefacta spirituum parte, vel potius corrupta, profecta sunt, breuissimam affectionem inuehunt: Pone ex spiritibus effluxisse seminarium, hoc spiritus consimiles afficiet tempore breuissimo, & ratione quadam admirabili, vt qui sani videbantur, optimeque dispositi, videātur repente sublati è medio, quasi quodam miraculo: hæc & si videbantur sana, talia tamen non erant simpliciter dicenda, ob anologiam ad seminariū contagionis: quod verò proponunt de obstructione, absurdum est: quia nulla obstructio, nulla euētationis prohibitio, tandē nullus adest illarum caussarum ordo, quarum in simplicibus putridis meminit Galenus,

Cap. 9. Franciscus Valleriola. In appendice locorum cōmunium capite 2.

Prima ratio. Secunda ratio. 3. ratio.

Dictorum duorum. Fracast. impug.

Contagio non est simpliciter putrefactio.

Responsio ad primam difficultatem Valleriolæ.

Exhalatio contagiosa fit ex corruptione, nō ex simplici putredine. Nota de semine cœlesti.

Seminariū pestis è cœlo dimissum non est actu, aut potentia putridum.

Seminaria varios effectus edunt, prout à varia materia proficiscuntur.

Obstructio & prohibita transpiratio

Galenus, cũ ex ambiente aere aut putrido, aut citra putredinẽ inquinato duxerit originem: quæ res apertè admodum demonstratũ est à nobis in tractatione de febribus. Postrema ratio soluitur, quod cessante caussa cessat effectus causa harũ febrium non est simplex putredo, sed corruptio putredine perniciosior: Veronensis equidem ille doctissimus Medicus in putrefactione dixit consistere, sed non omni, at sordida, ac contumaci, & profunda, quam excellentem vocauit Galenus: ego verò corruptionem appellaui: hac remota quis dubitat pestiferam aboleri febrem? Cæterùm, quod putredines non sint in humanis corporibus manifestè multa sunt, quæ certissimè significant: primum quod de canis rabidi morsu tradunt: secundum, quod nullo sensu persentiente vermes ex putri materia generentur in nobis. Tertium, quod videamus in dies maximam pediculorum copiam in toto corpore generari, præterquam sentiat quis putredinis cuiuspiam labem. Quid quod in renibus genitos obseruauimus? in auribus? nulla prævia cognitione putredinis antecedẽtis? Tandem nemo est, qui nesciat fieri putredines latenter in nobis citra febrẽ, quoniam haud semper cordis substantiam labefactant? Quod vltimo loco addit de excretione morbida, haud magis concludit, quam præcedentia: quandoquidem excretio morbida est, quę fit in corruptione substantiæ, aut quam emittit, syderum constitutio pro horum inferiorum vita conseruanda parùm accommodata. Nunc tempestiuum est, vt ad postremum accedam. Quid igitur, mi Cordella, dicam tibi de methodo à me scripta libro de medendis calculosis, & vlceratis renibus secundo capite, qui plenè meum artificium cognouisti? mea (vt scis) non est methodus, sed Galeni ad verbum transcripta in libro 7. methodi medendi capite 12. Nam cum in mea quadam ad te epistola olim scripsissem in Cynicum illum. Hic locus ostendit aut Galenum te non legisse, aut si legisti, non intellexisse] Reuerendissimus ille Philippus Segha olim Ripanus Episcopus, cui non ego modo, sed omnes literarum studiosi plurimum debent, putans magnam fuisse hanc in hominem iniuriam: admonuit, vt obliterarem eiuscemodi verba: cui ne minimum reluctatus, pollicitus sum statim morem gerere (vt fecisse norunt omnes) hoc tamen pacto, vt ostenderem cunctis, Cynicum egregium Galenum nostrum ne à limine quidem salutasse: ea ductus ratione, caput illud secundum ex verbis Galeni transcripsi, ratus hominem ob ignorantiam methodi, & doctrinæ Galeni, cum suis illis barbaris authoribus, & sordida doctrina contumeliosissimis verbis Galenica, perinde atque si Augenica essent, insectaturum. Vide quàm bene secundum opinionem successit negocium? quid hic non dicit contra Galenum, fuisse scilicet in ea methodo absurdum, æquiuocum, inconstantem, ferula dignum, non prosequor alia, in quibus ille κυνὸς latrans methodum Galeni arguit, ne stomachum moueam. Dicito igitur, suauissime Cordella, iis, quibus placent illa, vt conferant cum Galeno, mox ferant iudicium: quod si conferre noluerint, in eodem errore cum Cynico permanebunt. Hæc habui quę scriberem, vt humanissimis tuis satisfacerem literis, tu interim cura vt valeas (nam ego certè, meique dulcissimi filioli valent omnes) & si quid hic habemus quod desideres, te opera nostra consecuturum, quæso te & per nostram amicitiam etiam atque etiam oro, vt quàmprimum rescribas: nos enim videbis esse tui amantissimos. Vale.

non adsurit necessario in peste ab aere coinquinato. Resp. ad 3.

2. aph. 17.

Putredines latere in humano corpore.

Excretionis morbidæ quod intelligendum

Explicatio vltimi problematis.

10 20 30 40 50

DVRANTI SCACCHO NVRSINO CHIRVRGO CLARISSIMO.

EPISTOLA SECVNDA.

Agitur de generatione lapidis in vesica, de vrinæ difficultate, de medicamentis accommodatis ad eiuscemodi affectus, atque de recta eorundem componendi ratione.

Non inutilis ad easdē res tractatus legi potest. pag: 250. & 251. 252. ad pfectiorē horū morborū dignotionē.



IAMDIV meam hanc epistolam, olim tibi de vesicæ calculo promissam expectabas: ac fortassis cum tarditatem respiceres meam, in animum induxisti tuum, aut fuisse me promissionis oblitum, aut certè quidem pœnituisse. Verùm, Scacche amantissime, scito me non sine caussa in hanc vsque diem distulisse responsionem: Tu hæc qualiacunque sint Augenii tui monumenta, ita quidem accipias velim, quemadmodum ipsum soles præsentem recipere: promissam itaque aggressurus tractationem, tria proponuntur explicanda.

Dicendorū argumentū.

Primum. Primum, an curatio calculi in vesica differat quicquam à curatione nephriticorum.

Secundum. Quibus post hac medicamentis vtendum ad lapidem vesicę, & quæ recta sit illorum ratio componendi,

Tertium. Postremò quādo accommodatus esse possit vsus syringæ, & quibus medicamentis vtendum per siphonem vrinarium: & quando sectionem adhibere conueniat, ac in explanatione propositorum multa, de vrinæ difficultate, dicemus in rem præsentem vtilia.

Quantū verò ad primum attinet, dico eandem methodum, quam obseruari debere in calculosis renibus olim scripsi, vtilem esse in calculosa vesica: in tribus autem consistere discrimen. primum quod validiora debentur vesicæ morbis duplici de caussa: tum quia distat longissimè, tum quia frigido prædita temperamento non cedit facilioribus. secundū quod per siphonem vrinarium immitti possunt in vesicam auxilia maxima ægrotorum commoditate, vt partis oblęsę situs edocuit: quæ res in renibus fieri non potest. Tertiùm, quod lapis ex vesica adhibita sectione remouetur: quod in renibus nunquam exerceri potest. Pro eorum, quæ diximus, explanatione sciendum est, haud esse de omni calculo tractationem à nobis institutā: sed de duro duntaxat, & magno, qui prius frangendus est ab arte, mox expurgandus: nam, qui paruus est, nō postulat medicamenta frangentia, sed leuioribus præsidiis, quæ scilicet abluunt, leniunt, detergunt, nonunquam à vesica remouetur: de quibus præsidiis mentionem fecimus libro de calculosis, & vlceratis renibus. Reuocabis etiā in memoriam, quod in complicatis affectibus ea methodus tenenda est, vt si nequeāt vna propulsari omnes, illis operam demus præcipuam, qui magis vrgent, aliis minimè neglectis: hanc methodū eodem libro exposuimus, quę à quibusdam Medicis rudibus omnino, & in Galeni doctrina parum exercitatis, magna ignorātia, & summa temeritate refellitur: cum non Augenium, sed Galenum, cuius methodus est, arguant. His in hunc modum constitutis quæritur, vbi lapis ex vesica detergeri non potest leuioribus præsidiis, quid agendum sit? Respondeo, vniuersalibus præcedentibus, quæ tu nosti, omni opere, ac studio fractioni incumbendū esse: Mox calculus in minimas (vt sic dicam) partes diminutus, ex vesica purgādus est, & hoc certè primum, & maximum pręceptū esse ipso debet in opere. Quæ si non profuerint, ad sectionem veniendum, vt ferè semper contingit, quemadmodū Galenus docuit sexto epidemiorum, & in arte medicinali. nos hic sectionem omittemus, de solis agemus medicamentis: quorum proposita inter nos tractatio fuit. Quamobrē medicamenta ad hunc vsum à veteribus, & recentioribus conscripta adeò sunt copiosa, vt putē, nullū esse corporis humani affectum, pro quo sanādo fuerint plura memorię cōmendata. &, quod certè admiror, multū in his cōscribendis

Cap. 4. *Cap. 2.* *Cynicus cōtra Galenū.*

dis

dis obſeruaui ſuperſtitioſos fuiſſe Medicos, ac etiam quædam impoſſibilia tradidiſſe: quam rem, Aetij, & Galeni verbis nunc explicabo. Audias Aetium.

Andromachi antidotus ad calculoſos, qui paulatim confringit & extrudit lapides, donec veſicam perpurget, & per lucidum lotium procedat, & quod maximum eſt, ita perſanat, vt nec in poſterum gignantur: habet autem hoc modo. Seminis dauci, aniſi ſeminis cucumeris decorticati ſeminis appii, petroſelini mirrhæ, cuiuſq; ſeſquidrãmam. Caſſiæ cinnamomi, nardi celticæ cuiuſque, drac. 1. trita aqua ſubigito, & ad paruorum lupinorum formam redigito. Ieiunis autem quotidie per triginta dies, cum aquæ cyathis tribus exhibeto, cęterum ad huius pharmaci apparatum religioſè (inquit) accedendum eſt In ligneo enim pilo, & piſtillo item ligneo hæc tundenda ſunt, oportetque amplius eum, qui hæc contundit, neque anulum ferreũ geſtare, neque calceamẽta claueis ferreis transfixa, atque id, vt myſterium habe] In eiuſdem antidoti deſcriptione Galenus, quod videtur de tanto homine maxima dignum admiratione, eadem vtitur ſuperſtitione: tamen differt deſcriptio: primum, quia authorem tacet Galenus; Deinde, quia vſum hunc à ruſtico habuiſſe ſignificauit. Tertiò quoniam in numero ſimplicium euariat: nam in prima ſectione Galenus non habet appium. In 2. verò Aetius non habet baccas lauri. doſis ſecundę apud Galenũ eſt drac. iiij. apud Aetium drach. 1. primæ Galeno drach. vj. Aetio ſeſquidrachma. Porrò quod ſequitur ab Aetio deſcriptum impoſſibile præſidium eſt, tituloque mentitur. ex portulaca (inquit) ſuccum exprimito, eumq; reſiccatum in catapotia redigito, & drachmam vnam exhibeto: ad miraculũ vſque lapidum per vrinam expellit. & rectè quidem miraculum æſtimari debet, nempè auxiliũ apprimè frigidum, quod vim incraſſandi poſſidet, calculum extrudere per lotium: huius generis obſeruaui alia ab antiquis prodita, in quibus pollicitationes multæ, quæ tandem non ſine artis dedecore euaneſcunt. ſed quoniam in hanc materiam incidimus, volo in tui gratiam recenſere quædam tam ſimplicia, quàm compoſita in rem præſentem maximi vſus, horum primum eſt medicamentum ex lepore combuſto, in quo Mauritani, & Græci conueniunt. Aetius leporis pellem in ollulam conicit in furno deurendam, vt probè conteri poſſit: pulueris exhibet coclearium ieiunis in ſolii calidæ aquæ inſeſſu. leporis decolati cineris accipiunt Arabes drach. duas. Recentiores quidam integrum cum pelle aſſumunt leporem, in cineremque redactum exhibent. Magnus quidam obſeruator ex recentioribus Medicis, exenterato lepore inteſtinorum loco ſaxiphragiam, milium ſolis, lapidem iudaicum, lincis, & ſpongiæ, pentafillon, & virgam addebat, ac in nouo fictili comburebat, factoq; puluere ſanare profitebatur omnes. Gallus quidam Regius Medicus dabat puluerem oſſium crurum leporis. alius propinabat puluerem ex renibus aduſtis. Quæ nam igitur dicet aliquis ex multis præparationibus melior? Ego nunquam caput leporis adhiberem, quia inſitam quandam habere creditur cum humana natura antipathiam. idcirco placent ſumopere, qui decollatum vrebant, quod etiam Ludouico patri ſatiſfaciebat: qui igitur ex toto lepore decollato præbetur cinis, egregiam vim habet. ſed aliquando obſeruaui maiorem habere ex ſola pelle in tenuiſſimum pollinem redacta. doſis eſt ſumma drach. ii. s. cum vnc. v. decoctionis cuiuſpiam diureticæ, vt capill. veneris, & cetrach, & politrici, ac agrimonii. Cinis vitri combuſti ab omnibus Mauritanis, & à quibuſdam Græcis admittitur; quo ſuperficies calculi obteritur. Debet autem in hunc modum præparari. Ignito vitro criſtallino in ferrea lamina, vt obteri poſſit, in aqua fabarum immergatur: tum ſecundo inflammetur, & ſecundo teratur, in pulueremque tenuiſſimum redigito. Doſis eſt aureus vnus in duodecim aureis aquæ, ideſt pul. vitri ſcrupulos quatuor, aquæ calidæ vnc. ii. Ego diſſoluere ſoleo in lib. 5. decoctionis cuiuſpiam diureticæ, vt admonui: nam opus eſt manu ducente medicamentum ad veſicam, quod fit ab vreticis: deinde vero vnc. ii. aquæ calidæ vix ſufficiunt ad eiuſcemodi diſtributionem: vſus non ſit admodum frequens: ſintq; diuretica potius frigida quàm calida, aut certè frigidorum permiſtione temperata. dari poteſt tribus diebus cõtinuis:

Lib. 11. c. 13.

Ingens ſuperſtitio.

Gal. 10. de compoſi. medic. ſ. loc. cap. 1.

Aetij error

Lib. 11. c. 11.

Auic. Lib. 3. tit. 2. fen. 18. cap. 18. in 2. Dioſc.

Mattheolus

Arnaldus Villanouanus.

Montuas.

Nota

Ludouicus Augenius.

Author libr. renum affectuum Auicenna, Vbi ſupra.

vitri combustio alius modus vide infra

Nota

L. Dominicus Leonis in Artis medendi pag. 1082. hunc vitri comburendi modum commendat. Pice liquida vitrum inungatur et in igne donec candens fiat ponatur, hinc tenacula extractum in aqua abluatur. repetatur idem septies et habebis vitrum combustum.

mox interpositis aliis tribus, aut quatuor iteranda potio, sic successiue vsque ad nouem, homine in solio commorante aquæ calefacientis. Referas huc, quæ, dũ tecum consultabamus, diximus de sanguine hircino. Qui lapidem iudaicum, & spongię laudant pro calculo vesicæ, decipiuntur, Gal. testimonio, qui sic ait: lapides, qui reperiuntur in spongiis, frangendi vim obtinẽt, non tamen ita validã vt lapides in vesica comminuant, & qui id scriptum reliquerunt, mentiti sunt & de iudaico, vitanturque vesicæ lapides in cote soluentes, & ex aquæ calidæ cyathis tribus potui præbentes: sane in quibus nos experti sumus, profecit nihil quod ad lapides vesicæ pertinet: verum ad eos qui in renibus hærent, efficax est. Experimentum quo lapis ex vesica diminuitur, atque obteritur. Accipito Cincindellas abscissis capitibus, & alis num. 1 5 0. exiccentur in vase æneo sole calidissimo, donec redigantur in puluerem: quo excepto aqua dissolutionis dragãti fiant trochisci: & vbi fuerint siccati puluerizentur rursus, & reformẽtur eadem aqua. & sic fiat quater. dum autem rediguntur in puluerem sensim, adde drach. ii. olei amygdalarũ dul. recentis. dato scrup. j. cũ vnc. v. decoctionis liquiritiæ, capil. ven. politrici, & admiraberis: nam certè vires habet validissimas. Composita medicamenta quamuis recenseãtur multa, duo tamen probãtur mihi, primum est, obseruatoris illius omnium Arabum maximi, qui medicamentum hisce verbis describit. Lapidi verò, qui est in vesica, confectio hæc vtilis existit, & est optima ad frangendũ lapidem, cum fuerit vetustus. Ego quoque iam fregi cum eo lapidem magnum in minori spatio, quàm dierum quadraginta. quod Rec. carpobalsami, seminis raphani olusatri, cortic. radicis oppoponacii, cortic. radicum capparis, amygdalarum amararum, baccarum lauri, cyperi, spicæ indicæ, cassiæ ligneæ, cetrach, sem. rutæ, gentianæ, aristolochiæ rotundæ, assari, cordumeni, armoniaci, serapini, bdellii, piperis, acori, an. par. æquales, dissolutis gummis sufficienti oleo abietino malexentur, & ex eo aliæ species aspergantur, ex quibus informentur pillulæ: & sumatur ex eis drach: 1. cum apozemate de seminibus: vbi vero vigorare placuerit medicamentum, additur aliquando sexta pars scrup. i. cineris scorpionũ. Franciscus Fisimelica Medicus sui temporis magni nominis hoc pro secreto vtebatur non ad hunc modo, sed etiam ad cholicos, & hydropicos affectus, atque pluribus aliis. Ludouicus pater carpobalsami loco cubebas substituebat, & sanguinis hircini præparati drach. ii. addebat. Aliud ex veteribus, quod nuncupatur electuarium ex cineribus. Decriptio habet in hũc modum: Rec. cineris vitri, cineris scorpionum, cineris radicum caulium, cineris leporis, lapidis, spongiæ, sanguinis hirci præparati, cineris corticis oui, ex quo pullus egressus est gummi nucis, acori ana p. æquales petroselini, dauci, pulegii gummi arabici, sem. altheæ, piperis. ana p. j. s. conficiãtur cũ melle, & exhibeantur, dosis drach. ii. s. cum decoctione cicerum nigrorum. vtere audacter, quia validissimũ est præsidium, seruatis tamen seruandis, vt scis: neque enim omnia sigillatim scribo, tum quia horũ habes notitiã, tum quia libro de medendis calculosis renibus methodũ videor docuisse in horum exhibitione obseruandã. Sed nolo prætermittere, vtilitatem afferre in casu maximam frequentem vsum flor. cassiæ nouiter extractæ cum oleo amyg. dulciũ: aut ipsum etiam oleum amygdalinum recens paratum: sic enim certior euades, ne humores ad vesicam effluant: cuius rei cum certior fueris, iubeto insidere ægrum ante prandium horis quinq; aut quatuor semel in die in decoctione sequendi calida, Rec. florum camomillæ, meliloti, anethi helxines, maluarum, altheæ, branchę vrsinæ, furfuris an. pug. ii. foliorum agni casti, cap. veneris, radicis brioniæ, rosarũ rubearum siccatum, absinthii, an. pug. i. decoquantur in aquæ cõmunis partibus duabus, vini optimi ad corrobarandũ. par. i. pro insessione, in qua cõmoretur tertia pars horæ vnius, & post egressum statim assumat ex antidotis supra dictis vnum, vel alterum: homine statim egresso, atq; supra vesicæ regionem applicetur emplastrum, quod sequitur. Rec. oleorum de spica, de camomilla, aneti an. drach. vi. de scorpionibus, drach. iiii. picis, ammoniaci, bdellii in aceto dissolutorum, an. vnc. s. olibani drach. iii. euphorbii, drach. i. fiat vnguentum, calidus supra pubem ponatur. habenda

Quo. de sim. me. ic. fac.

Nota.

Experimentu.

Rhasis

Rat. nona ad Almans. cap. 14. 12.

Obseruationes Fisimelica.

Ludouici Augenii. Auic. lib. 3. fen. 19. tit. 1.

De modo vtendi medicamẽtis lapidem frangentibus.

Balneum pro insessione.

Vnguentum post insessionem.

10 20 30 40 50

benda ingens cura ne alui excrementa retineantur: quam rem facies potu olei amygdalarum dulcium, enematis, ac aliis id generis: Curationem perficere non poteris nisi 50. aut 60. dierum spatio. quandoquidem 40. diebus debẽt exhiberi medicamenta ad frangendum lapidem, quod minimum est, aliis vero incumbendum vniuersalibus: hic ego tacitus prætermittere non possum, quod obseruaui Romæ in filio cuiusdã Veneti, qui Typographus erat Pontificius. calculũ in vesica patiebatur, & ab omnibus deploratus, de sectione cogitabatur, & iam pater cum Nursino artifice conuenerat: quãdo Reuerendus quidem Sacerdos, & si bene recordor, ex societate Iesu proposito medicamẽto quodam insperato, 10 adolescentẽ sanauit. fuit illud ex aqua vitę vnc. semis, ex iure cicerũ rubrorum vnciis quinque millepedibus pondo drach. s. ad multos vsus fuit dies. Testis huius rei est Iuuenalis Ancinas Fossanensis Medicus clarissimus, & ob egregias animi sui dotes, maximamque in artis operibus doctrinam, & vsum, omnibus carissimus aliàs postea feci remedii periculũ, atque verissimum esse obseruaui.

Tempus curationis.

Hiſtoria. vi: pag: 610.

Verùm quoniam haud infrequenter accidit occurrere Medicos calculosis hominibus, & carere bonis antidotis, volo hic breuiter docere methodũ cõponendi eiuscemodi medicamenta, qua tanquã regula Policleti valeamus bonas à malis compositionibus distinguere, & vbi necessitas cogat, componere: quæ tractatio etsi pertineat ad artem componendi medicamenta per locos, tamen à 20 Galeno prætermissa, hic non citra caussam referri posse videbitur. Conditiones igitur, quæ requiruntur in huiuscemodi compositionibus, hę sunt.

Methodus componendi medicamenta lapidem frangẽtia.

Prima, vt basis medicamenti cõsistat ex iis, quæ sanè lapidem frangant, exterant, atque diminuant. Basim voco medicamentum simplex, vnum, aut multiplex, quod in ipsa compositione est præcipuum, & veluti columen, cui cætera innituntur profligando affectui accommodatissimum: idcirco cũ in his propositũ sit frangere lapides, opus est, vt frangentia præsidia sint huius artificii fundamenta. Porrò calculum atterentia non sunt vnius generis: nam quædam totius substantiæ proprietate id faciunt, vt lapis iudaicus, & admirabilis cincindella, ac eius generis alia: quędam asperitate sua calculorum summam faciem abstergũt, 30 & attritu comminuunt, vt vitrum combustum, ouorũ testæ, miliũ solis, ac rursus quædam attenuando & incidendo, nullo calore insigni, nulla siccitate idem facere obseruatũ est, in quo genere continetur succus limonis, radix ononidis, asplenum, rubi radix, asparagi, parsonate, adiantum album, & nigrum, betonica, ac alia, quorũ alibi meminimus. Secunda conditio est, vt eiuscemodi medicamenta ad eum locum, cui mederi volumus, deducantur: etenim nõ habent vires, quę possint se ipsas deferre: hinc opus est, vt omnino diuretica permisceantur, citra quorum auxilium ex iis, quæ diminuunt lapidem vix vnum, aut aliud inuenias accommodatum. Ex his Empiricorũ errorem colligito, qui putant ex 40 drach. i. vel ii. sanguinis hircini posse lapidẽ frangi sine vreticorum adminiculo: vt etiam eorum, qui pillulas exhibent: fieri enim non potest illarum vim pertingere vesicam, quinimo, neque etiam renes. Verum quia opus est basem medicamẽti suo munere perfungi, notabili aliqua tẽporis portione in affecto loco contineri debent (fit namque omnis actio in tempore) necessarium est, vt quæ glutinosam substantiam habent, permisceantur, quę etiam adiuuant alio nomine: nempè, quia inhibẽt ne diureticorum facultas calidissima, humores magis exacuet prohibeatque, ne tenues humores exedant particulã: Postrema conditio est vt permisceantur corroborantia affectum locũ, qui vsum habet toto corpori satis vtilem: Quãobrem ex compositis medicamentis illa dicẽtur optima, quæ hasce quatuor compositiones habuerint: quæ verò caruerint, reprobanda sunt. 50 Qoniam verò proposita duo, quemadmodum alia fortasse à veteribus tradita habent omnes cõditiones, meritò admittenda sunt in vsum: et hæc quidem voluì dixisse de medicamentis pro lapide frangendo accomodatis, & de componendi ratione. Agamus modo de iis, quæ per siphonem iniiciuntur, & de vsu syringæ: in quibus diximus calculi in vesica curationem differre à calculo renali. Nemo est, mi Scacche, qui hunc medendi vsum nõ admittat, sed pauci sunt (nisi

de diureticis vsu lege epistolam ad Aloysium conscripta. a pagina 287. ad pag: 292.

Glutinosa:

fallor) qui rectè administrant vtrunque præsidium. Nam quidã Empirici nulla distinctione adhibita, per siphonẽ varia iniiciunt præsidia, ex quibus multo magis lęduntur ægroti, quàm iuuentur: vt igitur quis regulam teneat, sciendum est, quod in vesica possunt contineri lapides duri, possunt etiam friabiles: & adsunt aliquando arenulæ, & lapilli admodum exigui. vbi sabulosa adsit substantia, non debemus adhibere medicamentum lapidẽ atterens, sed quod detergere potest, lenire, expurgare. Oleum amygdalarum dulcium præstantissimum est. Ptissanę cremor, aut tota ptissana dissoluta melicrato egregiè facit: hordeacea cum melle iuuat. serum lactis, aut solum, aut cum melle: Huc referamus decoctionem syrupi ex althea, syr. ex liquiritia, decoctum radicis huius, ac alia eius generis sexcenta. cauendus est lactis vsus, quoniam ex viscida illius caseosa substantia arenulę in vnum coactæ verum possent procreare lapidem. At vbi solidior sit calculus considerandum est, ac diligenter perpendendum, an ex ipsius violentia factum fuerit vlcus in vesica: an autem ipso careat vlcere. hæc distinctio ad curãdi rationem maximè conducit. Si non adsit vlcus, possunt iniici magna commoditate quàmplurima. Oleũ ex scorpionibus laudari solet ab omnibus. Arabes Balsami liquorem iniiciunt, recentiores succum Limonum, alii aquam stillaticiam ex eodem succo detractam: quidam lapidem iudaicum celebrant. Sanguinem hircinum adhibent alii, tandem verò possent omnia medicamẽta lapidem frangentia, accõmodato aliquopiam decocto diluta in rem præsentem admoueri. Hic tamen obseruabis, quod proposita vsquequaque tuta non sunt. Oleum ex scorpionibus calidissimum in corpore gracili, cum acrium humorum, quales biliosi sunt, aut pituita salsa fluxione simul cum vrina ad vesicam, procreare exulcerationem potest, quæ nulla prius adfuerit: ego sane in eiuscemodi complicatione abstinerem perpetuò. Balsamum carere videtur difficultate. Sed quale est quod proponitur Balsamum? verum, atque minimè adulteratum admittere non possumus. hoc enim caremus, an igitur iniicere oportebit adulteratum? absit. cum enim adulterii ratio incognita sit nobis, qui vteretur incognita materia, veniret hic meritò nomine temeritatis arguẽdus. An factitium erit idoneum? est hoc mihi æquè suspectum: quoniã cum sint rationes conficiendi plures, ac omnes ex rebus constent calidissimis, periculo non carent: si quis forte nouã cõponendi rationem inueniret hisce affectionibus accomodatam, laudarem. Succus Limonũ acida, acri, tenuissimaq; substantia in pituitosi excrementi copia, obæsoque corpore fortasse admitteretur: in gracili, cum acriũ humore fluxu in carnem nudam cadens, mollem, lapillorũ attritu continuò debilem, exulcerationis allaturum esse discrimen quis dubitat? idem iudicium facio de aqua stillaticia succi huius. Adhæc verò perpendendũ, an lapis inhæreat in ceruice vesicæ, an in ipsa capacitate contineatur; qui inhęret, medicamenti vim experiri potest, at qui non inhæret, vix potest: quia cum sit magna vesicæ capacitas, medicamentum siphone iniectum nudam vesicam tangens plurimum obesset: adde quod in vesicæ spatio semper aliquid remanet cum lotio deductum, quod permistum cum medicamento coinquinare illius valeret vires: atque hæc communis ratio facit, vt eorum quæ iniiciuntur per siphonem vrinarium, vix aliquam operam videamus egregiam. Suspicionem hanc habere non videtur lapis iudaicus: sed Galeni reluctatur testimonium, qui docuit valere in affectu renum, nõ vesicæ: nisi intelligamus Galeni verba de iniecto non esse intelligenda, sed assumpto: his igitur prætermissis, libẽter aliquod ex prænarratis antidotis inderem: huiusq; si caliditatem vererer nimiam, qualem in nonnullis vereri non erit fortasse absurdũ, leniente aliquopiam, & refrigerante decocto temperarem.

Sed quæ iniicienda sunt, si vlcus adfuerit in ostio vesicæ, aut illius substantia à quo dolor plerũque immanis concitari solet? vterer iis, quæ simul vlcus detergerent, humorumque acrimoniã obtunderent, dolorem ve mitigarent. Proderit cremor ptissanæ: Decoctum hordei cum melle, & hordeo laudatur, idem cũ albo collyrio. Extrinsecus insessiones, aquæ dulcis balneũ iis obseruatis, quæ de hac re tum supra, tum libro de medendis calculosis renibus diximus. Abstinerẽ à lacte,

à lacte, non à sero. Oleorum vsus displicet ob eas, quas legisti, caussas. Lapidem frangentia quædã admitti possent, quæ scilicet totius substantiæ proprietate id faciunt, neque vim habent incidendi, nec ob substantiæ asperitatem obterendi, quæ namque incidunt, non possunt operam præstare aliquam exedenti vlceri, quale id esse creditur, quod dolores infert maximos: quæ aspera sunt omnium iudicio, prosunt nihil, quin dilacerando, & exasperando affectam partẽ oblædũt sũmopere. Talis contingit nobis casus, si bene memineris, dum vnà quendam Cingulanum visitaremus. Nam Cynicus agens nobiscum, pati ægrum vlcus in ostio vesicæ planum supponebat, cum lapide in eius cauitate contento, quem frangere, abradere, & minuere volebat. Ego multò secus putabam habere negocium: vlcus nempè in vesica adfuisse nullum, sed in rene duntaxat, in vtroque viscere calculum exiguum cum sabulosa substantia contineri, atque posse vtrunque ex ipsis locis sine vsu frangentium medicamentorum detergeri, & expurgari leuioribus præsidiis: meam hanc extitisse sententiam, quæ libro de renibus scripta sunt, manifestum faciunt. Sed ob modestiam, qua fui semper ab incunabulis præditus, consultans dissimulaui opinionẽ, præsertim verò, si contradixissem, occasionem habiturum videbam litigiosum hominem, vt omnia pro ægroti salute inuenta à nobis subuerteret: eoque magis fuit silentio inuoluendũ, quod supposita historia, ut Cynicus retulit, optima pro illius salute administrari poterant remedia: nec certè meum me fefellit iudicium: tu enim testis es vnà cũ aliis viris equidem bonis, & cum doctissimo Cordella, quanta inter nos cõcordia rem ipsam perfecte concluserimus. Sed quorsum hæc inquies? ut consilii mei rationem habeas, cur non admiserim auxilia per siphonẽ iniicienda, de quibus iam locuti sumus, & cur mihi displicuerit syringæ usus, de quo iam dicamus.

Potissimus vsus siringæ duplex: unus ad explorationem, alter ad impulsionẽ lapidis, uel excrementi, vel alterius rei, quod vrinæ exitum impediat. Exploratione non indigebamus in re certa: adde, quod nisi calculus in ostio vesicæ, aut ductu contineatur, vix potest (vt ego sentio) explorari à syringa. nec possum adhibere fidem iis, qui promittunt sese calculum in vesicæ corpore contentum, ipsa syringa pertingere: quandoquidem hæc res in paruo est impossibilis, in magno autem aliquando potest contingere. Neque rursus indigebamus vsu altero: quia difficultas nulla inter mingendum, obstructio nulla, vel à lapide, vel à viscida materia, vel à pure crassiore, vel sanguinis grumo, vel inflammatione aderat: hisce de caussis fui detestatus vsum syringæ.

Quæ verò proponebantur iniicienda erant suspecta. Balsamũ quia vero carebamus: & quia legitimum, si lapidi quidem prosit, non autem plano vlceri: nã habet magnam calefaciendi facultatẽ, & detergendi, qua potest vlcera sordida purgare, cruda concoquere: quod autem planum est, nec detersionẽ, nec concoctionem exigit: & quamuis ciere vrinam potu dicatur: tamen non est credendum prodesse vlceri, cum hac ratione, tum calefaciens, tũ excrementa ad imbecillam ducens particulam obesset plurimum. Lapis Iudaicus, an conferat inquirendum est à Galeno, ac aliis ferè omnibus Medicis. Ex iis verò, quæ supra dixi, quid de succo limonum sentiam, aut aqua stillatitia ex hoc succo detracta, satis esse manifestum arbitror. Nec est, quod putes conuenire hæc remedia, si vlcus non sit in vesica: nam quamuis tunc vsus illorum sit tutior, tamen vbi sabulosa adest materia, exiguique lapilli, minimè indigemus medicamentis frangentibus, sed detergentibus duntaxat: adde, quod acida obesse possent, vt admonuimus.

Diximus, quæ medicamenta ad calculum vesicæ frangendum accõmodata sunt, tam si potentur, quàm si iniiciantur: quia verò ad hunc affectum duo insequuntur accidentia magni momenti: vnum est dolor immanissimus: alterũ vrinæ retentio, aut difficultas. dicamus quomodo hæc sint corrigenda, anteaquam de sectione adhibenda sermonem instituamus. Dolor non semper sequitur vesicæ calculum, quia, si in vesicæ capacitate contineretur, fueritque paruus, rotũdus, ac leuis, non infert molestiam: si magnus, grauitatem facit: asper & angulosus, si in vesicæ ceruice figatur, dolorem facit atrocissimũ ob præstantiam sensus

Dioscor. li. 1. cap. 18. Gal. lib. 6. simplic.

A Calculo quando fiat dolor.

[Handwritten marginalia: "Q[uali]a non sunt iniicienda." — "Historia." — "Siringæ vsus 2x" — "pag: 97: l: 32." — "pag: 98. l. 17, 33" — "pag: 98. l. 34. 35. 36."]

Ratio dolorem mitigandi.

partis oblæsę. Pro doloris igitur mitigatione nulla inueniri pot est melior via, quā vti insessionibus, & balneo dulcis aquæ, atque per siphonem vrinarium iniicere quę oblinire possunt, vt oleum amygdalarum dulciū, butyrum, ptissanā, lac muliebre, & caprinum, & asininum conuenient, donec simptoma quod plurimū vrgebat, fuerit mitigatum: nam etsi non expediat caussæ, illi tamen conducit, quod modum excedens caussæ vicem gerit, cum nō consideretur amplius vt accidēs, sed vt caussa virtutem prosternens: cauendus tamen est lactis vsus, siue potatus, siue iniectus vbi non vrgeat indicatio à dolore sumpta, quæ vitalis est. Quod verò attinet ad secundum sciendum est, aliquando vrinam in totum supprimi, aliquando emitti cum difficultate. Illud fit cum vrinarii meatus omnino clauduntur, hoc autem cum obstruuntur aliqua ex parte. Putant quidam retineri etiam vrinam ob obtusum vesicæ sensum, quo non sentiat illa sese repleri: sed hanc imaginariam esse caussam arbitror, quoniam quamdiu libera est via, nullo propellente, aut excernente foras suopte impetu profluit. Vnica igitur caussa est meatuum vrinariorum adstrictio, vel obstructio. Voco meatus vrinarios omnes eos, qui à renibus vsque ad penis glandem protenduntur, vt vreteras, vesicam, ductusque penis: at prætermissis partibus superioribus, vesicæ ceruix cum à calculo obstruitur, retensionem facit, cum dolore quidem, & conatu magno, si adsit vlcus: sine dolore, sed cum conatu, si vlcus abfuerit. Vt huic sęuissimo symptomati succurratur hæc agenda sunt. Primum æger eleuatis cruribus est violenter mouendus, agitandusque: quinimo, vrgente casu, pedibus etiam suspendendus. Sic lapis ex ceruice in cauitatem prorumpit; sed si adhęret ceruice fixus, hæc inutilis est medendi ratio, vt annis præteritis in Reuerendissimo Betardo Bonioanni Episcopo Camertium obseruauimus. Hoc in casu tentandum est, an per maluarum surculos liberari possit meatus, an per cereas candelas, an tandem per catheterem ipsum. Sunt, qui dicunt syringam suauiter immittendam esse, neque impellendam violenter, ne contingat dolor, & exulceratio in collo vesicæ. Putauerim ego, vbi moriundum sit ægroto, nisi profluat vrina, debere nos in hac actione adhibere violentiam. Quia minus malum est pro tempore vlcus contractum augere, aut nondum genitum facere, quam sinere vrina suppressa ægrotum mori: sic periculosum adhibere præsidium expedit, vt in inflammatione vesicæ contingit. Tandem ad incisionem accedendum, non qua extrahatur lapis, sed qua profluat vrina. De qua incisione sic locutus est Arabum princeps authoritate Rasis. Et quando vrinæ fit difficultas, & retinentur caussę lapidis vesicæ, & non est semita ad scindendum propter aliquid, quod prohibet, aut propter timorem: tūc de hominibus est aliquis, qui ingeniatur, & in eo, qui est inter anum, & testiculos, scissurā efficit paruam, & ponit in ea cęnnulā, vt egrediatur ex ea vrina, & remoueatur mors. Et quamuis vita non sit tranquilla, & cū nō prosperant medicinæ, & volueris scindere, oportet, vt eligas scissioni illū, qui cognoscit anatomiā vesicæ, & cognoscit locum colli eius, cui continuantur vasa spermatis, & cognoscit locum arteriæ, & locum carnosum vesicę, & caueat illud, quod oportet ipsum cauere, quare nō accedit nocumētū in generatione, aut fluxus sanguinis, aut fistula, quæ nō cōsolidatur, & oportet, vt vaporet intestina, & vesicā ante illud resupinus] hæc ille.

Quando lacte vtendum in calculoso notat.

Aetius li. 11. cap. 2.

Accedamus ad tertium, in quo differre diximus curationem hanc à ratione medendi calculum renalem: hoc sectio est, qua lapis ex vesica trahitur. Hic breuiter tria dicam. Primum, quod ii extirpantur facilius, qui non inhærent ceruici: inhærentes fixique vix auelluntur conatu maximo, quo musculus dilaceratur, conuellitur, inflammatur. atque idcirco mirum nō est, si maior pars horum moritur. at vbi non inhæreat ceruici, tutius educitur, quamuis certè hic etiam curatio futura sit difficilis, non tamen impossibilis, cum obseruetur quotidie, multos fuisse sanitati restitutos, in quorū numero vidi quendam à quo duarum vnciarum lapis fuit extractus chysti obductus, quod admodū infrequenter cōtingit.

Lib. 3. fen. 19 t. 1. cap. 6. ras 13. cont. t. 3. cap. 2. 261. 4.

Secūdum, non accedat artifex temerè ad hoc artificium: opus est, vt corpus diligenter purgatum habeat, vtque animum patientis consulat: qui enim humorum

rum copia ac multitudine abundant, facilè inflammationem incidunt: qui verò nimium timidi, in syncopen ex sectione incidunt: quamobrem non sunt omnes secandi. Postremum opus est, vt qui egregiam hanc effecturus est actionē, calleat artem secandi corpora, anatomen Græci vocant: quia turpis est certè, ac detestanda nostri temporis consuetudo, vt homines rudes ad artificiū hoc perdifficile admittantur. non sic præceperunt antiquiores nostri, cum omnes vno ore admoneant, artificem oportere diligentē habere notitiam anatomes: legito Auicennam, Paulum, Aetium, et alios clarissimos Medicos. Hinc fit, Scacche, vt eorum, qui secantur ab istis circumforaneis medicis, maior pars pereat, qui verò euadunt, aut fistulas perpetuas portant, aut generandi potestatem læsis vasis spermaticis amittunt. Infelicitatē nostrorum temporū misertus omnipotens Deus nobis dedit egregium Varolum Bononiensem, virum quidem nō modo in omnibus artis operibus clarum, sed in hoc ipso certè clarissimum: quandoquidem omnes ferè, quibus ille manus adhibebat, sanabantur, vt Romæ vidi. Nunc vero cum mortuus sit magna omnium calamitate, reliquum est, vt tu ipse, qui multū potes ingenio, pro publica salute campū hunc tam malè cultum ab aliis, ingrediaris; sic enim fiet, vt tibi ipsi magnam comparares famam, & diuitias ingentes, atque humano generi vtilitatem afferres infinitam. Cæterum tibi ago immortales gratias, quod copiam feceris mihi literarum ad Cynicum illum conscriptarum, in quibus sedulo confirmas hystoriam à me scriptam capite primo, libri de medendis calculosis, & vlceratis renibus: videbimus postea quid ille confingēdum duxerit, velitque in tam aperta re machinari. Sed quia videor satis dixisse, finem dicendi facio. Cura valetudinem tuam. ex Tolentino die 29. Iunii 1576.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM MEDICINALIVM, LIBER QVINTVS;

HIERONYMO ARDIZONO PLACENTINO Medico eruditissimo.

EPISTOLA PRIMA.

Vtero gerentibus acuto morbo oppressis venæ sectionem conuenire. Et quando in febribus malignis, in quibus maculæ apparent similes morsibus pulicum, idem remedium tutò administrari possit.



MVLIERES acuto morbo oppressas, præsentibus indicationibus venæ sectionem indicantibus, si vtero gerant, tutò admittere generosum illud remedium Cornelius Celsus hisce verbis testatur. antiqui primam, vltimamque ætatem sustinere non posse hoc remedii genus indicabant: persuaserantque sibi mulierem grauidam, quæ ita curata esset, abortum esse facturam. Postea verò vsus ostendit, nihil ex his esse perpetuū, aliasq; potiores obseruationes esse adhibēdas, ad quas dirigere curantes consiliū debent. Interest enim non quæ ætas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quæ vires sunt. firmus puer, & robustus senex, & grauida mulier valens, tutò curantur] hæc Celsus: cui nos libenter subscribimus, quia, si vtero gerentes à quarto vsque ad septimum purgādæ sunt, si materia turgeat, vt in aphorismis diuinus

v. pag: 672.

ſcribit Hippocrates, multò ſecurius ſanguis mitti poteſt. Vbi enim exhibitum pharmacum ſit purgans, illius actionem moderari in noſtra manu ſitum nō eſt, cū omnia, vt Galenus alicubi dicebat, fortunæ contingant adminiſtratrice. Vena autem aperta, ſtatim cum libuerit, illius impedire vacuationē digito impoſito, poterimus. Natura etiam oſtendit, hunc medendi modum conuenire, quia obſeruamus grauidas ab acuto morbo ſuperſtites ex fluore ſanguinis è naribus euaſiſſe. Quod verò ſcribit Hippocrates, mulieres miſſo ſanguine abortire, non eſt quidem intelligendum de omni venæ ſectione, ſed de ea, quę ex inferioribus partib. fit. Adde, quod neque perpetuū eſt abortire, ſi ex poplite vacuatio inſtituatur: quia neq; etiam ex neceſſitate abortit mulier, ſi ex vtero ſingulis menſibus expurgetur: licet, vt idem author docet, fœtus vt plurimum fiant imbecilli. Poſtremo exigua vacuatio aliquam inferre noxam non poteſt, quæ ſi repetita vt copioſa confeſtim facta, vtique abortum faceret, multoq; certius, ſi venæ inferiores incidantur. Purgans pharmacum tutius à quarto vſq; ad ſeptimum exercetur. contra, venę ſectio certior eſt à primo vſque ad quartum. Paruulus enim fœtus non indiget multo nutrimento. Sed ſunt hæc libro ſexto meę tractationis de ſanguine mittendo diligenter explanata: quemadmodum etiā an liceat pro præſeruatione ab abortu idem exercere præſidium.

Quod verò ad febrem malignam pertinet, in qua apparent in cute maculæ ſimiles morſibus culicum, num venæ ſectio conueniat? Ego in hunc modū putauerim diſtinguendum. Primum conſiderare oportebit an maculę illę deliteſcāt, an appareant. atq; rurſus cum apparent, diſtinguendum, an ratione caſus, & ſymptomatis cuiuſdam accidant, an ratione iudicii naturæ. ac poſtremo an hoc iudicium perfectum fiat, an imperfectū: de ſingulis agamus diſtinctius. Anteaquā appareant indicatione ſumpta à cauſſa morbi huius magnitudine cōiuncta, venæ ſectio tutiſſimè adminiſtrabitur. Natura enim febris huius in maſſa ſanguinea cōſiſtens, euacuationē ipſius, & exonerationē poſtulat, quia ſemper adeſt plenitudo, ſi non quo ad vaſa ſaltē quo ad vires: ſic exonerata natura eo quo veluti ſarcina premebatur, excernet poſtea facilius, quod excerni debet, & concoquet, quod cōcoctionē recipere aptum eſt: id quidem ipſum fieri primis diebus debet, anteaquam vires imbecilliores reddātur, vel coctionē malorum humorū abſoluat: cum enim duo ſint maxima auxilia, venæ ſectio, & purgatio aliquādo: duo hæc exerceri nequeunt morbo cōſiſtente, vt Galenus docuit lib. 2. aphor. com. 29. & nos alibi demonſtrauimus. Nullam igitur habent, Hieronyme, difficultatem, quia ſtatim ſanguis mitti debeat magnitudine morbi præſente, ac virium robore cum plenitudine ſanguinis.

Statuamus modo iam apparere eiuſcemodi maculas, ſed in ipſo morbi principio, tunc quæritur quid agendum. Reſpondeo vacuationem hanc eſſe ſymptomaticam, ſed tamen humoris maligni: &, vt loqui cōſueuerunt, recentiores Medici, venenati. propterea non eſſe adiuuandam, nec imitandam. neque tamen eſſe impediendam. priorem indicationē ſuggerit motus illius natura, quia quo natura vergit, per locos conuenientes, eo ducere oportet: ad hunc motum non facit natura, neque fit conuenienti tempore, neque cum morbi diminutione. Poſteriorem verò, humoris qualitas venenata, quā quocūque tempore ad cutaneas partes expelli ſaluberrimū eſt: haud abſimilis mihi videtur ratio de bubone, & carbunculo peſtilenti, cum accidunt, anteaquam morbus cōcoquatur. In hoc etiam caſu ad venæ ſectionē confugerem ſic indicante diſpoſitione corporis. cum enim ſanguinis copiam, baſim ſcilicet huius malignitatis, ferre non poſſit natura ſtimulata à venenoſa qualitate, à multitudine grauat, peruerſum illum efficit motum. vacuatione facta per venæ ſectionem vtrique incommodo ſatis fit: multitudini ob vacuationem, malignitati ob baſis illius inanitionem, & diminutionem. Hic autem aberratur à recentioribus quibuſdam Medicis, qui iubent ſanguinē mittendum eſſe vſque ad animi deliquium. Mihi certè maximè ſuſpecta eſt hæc vacuandi ratio. Primum quia licet vires valeant in hac febre, non tamen ita valent, vt ferre poſſint eius generis vacuationē: deinde verò

vrget

vrget, quod non expedit venenosam materiam ad cutem demandatam rursus in venas trahere, quod facile fieri ob copiosam sanguinis detractionẽ, declaratũ mihi fuit alibi. Vices igit' debemus multiplicare, ac vtẽtes iteratiõe, tutissimè vacuabimus: fieri autem ter, aut quater debet spatio duorum dierum, nisi quid impediat, aut saltem bis eodem die: huius præcepti caussam docuimus lib. 5. de sang. miss. Atque hic alter sese offert error, nã quidã statim ad cucurbitulas accedunt siccas, nonnulli etiam humidas adhibẽt: imo numerosas adeo imponũnt, vt viderim supra vigintiquinq; in coxis, natis, dorsoq; fuisse applicatas cum scarificatione cutis: & quod deterius est, repetunt bis, ac etiam tertio. Perniciosam esse hanc medendi rationem, multa sunt, quæ persuadent. Primũ, quia vbi vires valent, & magnus sit ex plenitudine morbus, neminẽ esse putauerim, qui statim non secet venam, si fuerit in artis operibus exercitatus: præstat quidem prius incidere venam, mox si quid superest, cucurbitulis absoluere, cũ opportunum fuerit. est prorsus (vt sentio) impossibile, tantã sanguinis copiã, quantam detrahi postulat febris hæc perniciosissima, ex cucurbitulis vacuari posse. Docui. n. in tractatione de pestilentib. febribus, has ipsas habere basim in sanguine crassiori, eoque feruescente: ac licet maiori ex parte sit biliosus, est tamẽ crassus in eo genere: at ex cute non nisi tenuis, & icorosus educitur sanguis. Deinde magna fit exolutio spirituum, quos cõseruari expedit: quia nulla propemodum febris est, in qua frequẽtiores cõtingãt syncopes, & animi exolutiones, lypothimię Gręcis dictæ, quam in hac ipsa. Adde quod naturæ motũ non esse diximus, sed factum ratione symptomatis, quem adiuuare non debemus. ac postremo cũ basis sit in maioribus venis, non potest vacuari ex vsu cucurbitularum. Dubitaret fortasse quispiã, an aliquãdo citra venę sect. illis vtendũ sit. Dein. quib. partib. applicãdę, & quo. Postremo ex qua vena sanguis mitti debeat. Primę quæstioni respõdens dico venę sectionẽ prętermittẽdã, quãdo vires fuerint imbecillę, & nulla adfuerit sanguinis plenitudo, aut admodũ exigua, & ex sanguine tenuiori constiterit. tũc quia non datur posse vacuari totũ corpus venę sectione, hisce cõtra indicantibus caussis, cucurbitularum vsum humidarum admitterem. Ex quibus magna vtilitate cacochimiam illam virulentam sanguine tenuiori permistam, vacuaremus. Secũdã verò dubitationem soluentes, putamus nihil salubrius ipso in casu, quam admouere cucurbitulas extremis partibus: nã ita quidẽ non solũ vacuatio fiet, sed etiam reuulsio venenatorum humorum inuadentium cor ipsum. Imò nihil vtilius putauerim, quàm scarificare antiquorũ consuetudine crura, de qua Galenus libro de cucurbitulis, & scarificatione hisce verbis loquitur: Etsanè dũ pestilentia vehemens Asiam deprehendisset, multosq; perdidisset, me etiã morbus attigisset, secunda morbi die remissione febris facta, crura scarificaui, duasq; ferè sanguinis libras detraxi, hacque de caussa periculum vitaui. Plerique igitur alii hoc præsidio vsi superstites euasere. erant enim plenitudinis signa, illiq; pręcipuè saluabantur, qui sanguinem copiosum exhauriebãt] hæc Galenus. Ex qua dictione constat maximam vtilitatem afferre in pestilentibus febribus, quarum hæc species quædam est scarificatio ipsorum crurum: Non tamẽ reprobo vsum communẽ scarificandi cũ cucurbitulis, nates, dorsum, humeros: quamuis profiteat minorem habere efficaciam. Ex iis ipsis colligo sanguinis vacuationem ex inferioribus venis longè præstantiorem, quàm ex superioribus: præsertim si aut menstrua restiterit purgatio, aut hęmorrhoidũ solita vacuatio fuerit suppressa. posterioribus enim hisce casibus nullam habet difficultatem. Verũ etiã si defuerint, in eiuscemodi febribus obseruaui lõgè tutiorẽ esse, poplitẽ, aut malleolum incidẽdo, vacuationem. Quia si à corde pręstat venenum reuellere, si attrahere ad infernas ac imbecillas partes, nihil tutius excogitari potest, At dicunt nonnulli, tanta celeritate non vacuatur multitudo ex inferioribus venis, quanta ex superioribus. respõdeo primum me id non facilè admittere, quia à vena caua æquè distant venæ crurũ, & cubiti, si benè iudico. Dein ponamus differentiam esse, admodum certè leuis est, & exigua: vtilitas verò ob caussas iam explanatas longè maior. Statim ergo in principio febris huius generosum hoc administrari

debebit præsidium, dum scilicet vires ipsæ vigent, & sanguis nondum concepit corruptionem, ac venenum. Imò hoc vnum profiteor, Hieronyme: nullam esse febrem, in qua maiori damno prorogetur auxilium, nec etiam aliqua febris est, quæ fortasse magis ignaros decipiat Medicos. Vbi enim prorogatur venę sectio, corrupto iam existente sanguine, obseruaui sanationẽ ferè impossibilem reddi, ob summam virium imbecillitatem, quę statim apparere solet ante vigorẽ morbi. Porrò si quispiam morbus est, qui decipiat Medicos, hic præcipuus est: quandoquidem febris hęc à principio apparet adeò mitis, tum in calore, tum in accidentibus, vt ignari cõtemnant ipsam, hinc verò postea repente mortis apparent signa: quam ob caussam opus est artificẽ exercitatum esse diligentẽ, ac doctum. 10

Verũ si ratione naturę benè iudicantis eiusmodi aduenіant maculę, si perfectum fuerit iudicium, nihil mouẽdum, aut irritandum, sed tota naturæ res committenda est, vt docuit Senex venerandus primo aphorismorum. Si fuerit imperfectum iudicium, adiuuandum erit per eandem viam, per quam naturã vacuationem instituisse nouimus: quo in casu proderit maximè frictio mollis ex oleo amygdalarum dulcium, & camomelino, addendo etiam ratione corroborationis modicũ vini albi subadstringentis: proderunt cucurbitulæ, siccæ, at humidæ multò magis: Quæ præterea sudorem prouocant, primas partes tenent, vt decoctio hordei, & mirrhidis, qua me frequẽter vti nouisti, aliaque eius generis multa, quorum syluã in publicis Lectionibus anno præterito declaraui. Vnum 20 tamen, anteaquam huic epistolæ finem inponam, notare in tui gratiam volo: me nunquam obseruasse in hãc vsque diem, naturã perfectè iudicasse hanc febrem expulsione facta ad cutem harum macularum, & verè ita rationi consonum est statuere. Nam si minora huius putredinis conseruatur in massa sanguinis, qui fieri potest, iudicari febrem ex illis infectionibus cutaneis? certũm illud est, naturam non benè vacuare, cum parum vacuat: infectiones autem illæ admodum exguæ sunt in relatione ad humorem corruptum, & venenatum. Deinde materia efficiens infectione longè tenuior est, quàm sit basis putredinis, & certè minimè ad illius extirpationem sufficiens. At maxima spes salutis in hoc affectu reponi debebit in vacuatione sanguinis statim ab initio factæ, mox in vacuationi- 30 bus alui, ac in iis, quæ fiunt per sudorem, & aliquando ẽtiam per vrinas. Hæc habui, quę scriberem pro responsione ad tuas literas. Tu interim cura vt valeas, ac vt cæpisti, perge, breui enim fore auguror, vt doctrina, & artis vsu clarissimum patrem superes. Meo nomine Medicis Placentinis salutem plurimam dicito.

Nota. minira

EIDEM.

Quod nulla propemodum febris fieri poßit, Quin calor innatus subito ac vehementer vniatur cordi, & fomiti putredinis, pro expellendis noxiis humani corporis. Quodq́; præsente caussa febris longè melius sit febrire, quàm non febrire. 40

EPISTOLA SECVNDA.



Ix dici potest, Hieronyme Ardizone charissime, quantam mihi literæ tuæ delectationem afferant: nam dum illas lego, doctrinam, non quidem iuuene, sed sene admodum docto, & in artis operibus exercitatissimo, dignissimam: summumque acumen ingenii, & iudicium perspicio: adde quod tecum, quocum tot annis vixi familiarissime, loqui videar. Quamobrem si rem mihi gratissimã facere desideras, genus hoc scribendi ne prætermittas, etiam, atque etiam oro. Ego enim, sta- 50 tim vtcunque potero, respondebo libentissimè. Accedo igitur ad tuas literas.

Febrium caussæ secundum Galeni sententiam quinque sunt. nempè adhęsio rei excalefacientis, motus, calidi effluuii impedimẽtum, putredo, permistio substantiæ calidæ. quomodo nec plures, nec pauciores sint, declaratum fuit in meis discursibus, quos, si diligẽter, vt soles, cõsiderabis, nihil fortassis in hoc argumento inuenies:

to inuenies, quod facere possit difficultatẽ. Tu verò scire desideras ex me, quid ego lectione decima quarta dicere voluerim, cum de hac materia pertractãs dicebam. *Sed, vt sentio*, possunt hæ caussæ ad tres referri, ex Galeni doctrina, ac etiam vt clarissimi quidam authores dixerunt, inter quas caussas vna est, motus validus, & vnio innati caloris in corde, & foco putredinis factus à natura conãte humorem noxium vel concoquere, vel expellere] videntur enim tibi difficilia hæc verba, quia nõ fuit ibi explanatum, quomodo hęc res habeat. Nunc igitur id breuiter doceo, quod tunc, temporis breuitate prætermisi.

10 Primam igitur febris caussam dicimus esse putredinem, sub qua particulares alias caussas complectimur, numero quatuor. Vna est humorum putredo, quocunque in loco fieri putredinẽ contingat, modo tamẽ cordi inferre noxam, aut corpulenta substantia, aut euaporatione possit: alioquin adest putredo in humanis corporibus citra febrẽ: imò nullum est corpus quantumuis sanum, quod non habeat putredinem. Addo huic putredinem membri, vt accidit in gangrena, & sphacelo, in quo affectu tota membri substantia cum spiritibus, & humoribus corrumpitur. Puris præterea putredo est in hoc genere: dum enim hoc generatur, perspicuũ est fieri febres, vt in abscessibus patet. Postremò vermes putrefacti, vt mortui, & non expulsi, vaporatione mala, & ferè de leteria cordi

20 sunt adeo molesti, vt febrem afferant. Satis difficilis sese offert hoc loco quæstio, cur putredo rei putrenti addat calorẽ. Ex Peripateticis nonnulli referunt caussam, in calorem ambientis, qui obtinens victoriam supra id, quod putrefit, ipsum calefacit. Ego caussam hanc non esse veram crediderim: quia sæpè obseruamus calorem ambientis non esse æqualem calori ebullienti in re putrefacta. Putauerim igitur non aliud calefacere rem putrescentem, quàm innatum calorẽ ipsius, qui non amplius coercitus, sed cum humido suo substantifico expansus, ebullit, & ardet. Simul enim cum humido, in pomo. e.g. putrente, diffluit, qui ante sicco coercitus, nec ebulliebat, nec calefaciebat. Res perinde habere videtur mihi atq; in pipere, & calce. Quandiu enim horũ calor in subiecto constante, & sicco con-

30 sistit, suam non emittit calefacientem vim: vbi autem piperi accedit humiditas caloris nostri, calci verò aquæ affusæ, ebullit, aduriturque: sic profecto calor innatus in humido diffluente ebullit, calefacitq;. Memineris Hieronymè, quod quæ putrefiunt, primum euadunt humida, mox sicca, vt ex Aristotole docuimus libro primo de febribus putridis.

Secunda caussa est accessio rei calefacientis externæ, quæ in calefacto esse ponat aliquam substantiam cordis, vel solidam, vt in hecticis; vel humoralem, vt in putridis; vel spirituosam, vt in ephemeris cõtingit. hæc verò in multiplices caussas variari potest: ad hanc enim referuntur alimẽta, & medicamenta calida & sicca, insolutio, ira, animi passiones, lassitudo. Ad hæc sanguinis feruor ex fru-

40 ctibus, & oleribus intra vasa ebullientibus, aut in exitu variolarum, aut in sanguinis & bilis abundantia in toto, vel in parte. Item referuntur ad eandem caussam denitas aut obstructio, ex quibus fit impedimentũ calidi effluuii, & ingressus refrigerantis aeris, vt dicebã in explanatione verborum Galeni. Ab hisce caussis fieri frequẽter febrem citra putredinẽ ostendunt ephemeræ, ac sinochi, ac etiam quod toto morbi decursu vrina appareat concocta: quod equidem non contingeret, si adesset putredo. his ego videor omnes caussas à Galeno propositas, complexus.

insolatio. densitas

Addo nunc tertiam, & frequentissimã, & maximè necessariam: scilicet, motum validum calidi influentis & vnionem in corde, & foco putredinis, cũ impe-

50 tu factus à natura, vt materiam putrefactam vel concoquat, vel expellat. Pro dilucidatione huius caussæ prius quædam supponam: deinde eam rationibus cõfirmabo, postremò dubitationes proponam, illisque satisfaciam. In primis itaq; arbitror te recordari eorũ, quæ ex Galeno dicebamus rigoris naturam exponẽtes: Nempè calore innatam esse substantiã semper mobilem aut intus extra, aut extra intus. Mouetur quidẽ extra suapte natura, ac ad corporis superficiem, quatenus est calor: atque nisi ex frigiditate contemperatus esset, vtique euolaret in

aerem ambiētem,ac statim dissolueretur: frigiditatis itaque permistio facit, ne semper extra progrediatur,sed intus contineatur,alimētum, vt Galenus dicere videtur ex Heraclito,appetens. Secundò statuendū est, motum hunc caloris aliquando naturalem esse, aliquando autem præter naturam. cum naturalis est, fit omnino sensim,ac paulatim eiuscemodi motus. si quādo autem adest in corpore aliquod naturam stimulans, velocius mouetur magis ac minus pro varietate, & magnitudine stimulantis caussæ. idque facit, vt opem ferat obsessæ parti, vel concoquēdo humorem putrefactum, vel expellendo: Multis possem exemplis in vtroque genere demonstrare modum huius motus, atque etiā necessitatem, nisi constaret mihi te de hac re nullam prorsus habere dubitationem, atque hoc esse ex eorū numero, quæ omnium consensione verissima sunt. His itaque suppositis, dico solum concursum,& vnionem caloris influentis ad cor, & focum non sufficere ad inducendam febrem: si enim sufficeret, in concoctione alimenti,in assidua meditatione,in somno,ac aliis eiuscemodi passionibus, homo semper febricitaret. Oportet primum adesse conatum, & impetum naturę aggredientis materiam. Secundò cum hoc impetu necesse est vniri in foco putredinis,mox in corde. Tertiò eundē vnitum transmitti ad totum corpus, ad quod solet cor ipsum per arterias transmittere fuliginosa excrementa, cum hisce circunstantiis hanc potissimam esse febrium putauerim caussam. Quam etiam rationibus quibusdam illustriorem reddo.

Primū statuamus febrem fieri cum tumor præter naturā ad suppurationem verti, vt Hippoc. inquit, & Galenus in 2. aphorismorum. 47. in hoc affectu anteaquam suppuratio contingeret, nulla aderat febris. Suppono præterea, dum natura concoquit humorem in pleuritide fieri etiam febrem, atque si aderat antea, adaugeri, vt Galenus docuit primo de crisib. ca. 18. & quādiu coctio non fit à natura, ægrotus non febricitat: sicuti neque pars calet, quæ moritur, 3. epidemiorum sect. prima. com. 8. sunt hęc euidentia,& omnibus conspicua. Nūc quęsierim horum euentum caussam, & primum, cur fiat febris in generatione puris, quæ antea non aderat? nemo quidē aliam poterit caussam imaginari, quàm agitationem humoris & transmutationem eiusdem ex sanguine in substantiam puris factam ex conatu, & impetu naturalis caloris, eiusdemque vnione circa focum materiæ transmutandæ: cum enim illa manebat citra transmutationem, neque à calido agitabatur, nulla aderat febris. Præterea, si eodem modo sese habet puris generatio in abscessu, atque humorum concoctio in venis, vt Galenus ait primo de febrium different. cap. 5. & primo de crisibus, c. 18. fiet etiam febris dū concoctio fit,& quanto magis procedit, tāto magis aduenit febris. Sed quam ob caussam id (quæso) continget? referri hoc opus non potest in calorem extraneum, quia ab hoc fieri non potest concoctio. id ergo fiet ex concursu,& impetu caloris influentis: quod ita sese habere non solum concoctionis opus indicat, sed etiam dierum criticorum natura, vt Galenus concludit primo de crisibus hisce verbis: Hoc autem à calore naturali, non autē à febrili prouenisse, dierum natura non minimè indicat. &c.] certissimum enim est ad efficiendā concoctionem vniri calorem influentem ad focum putredinis.

Amplius, magnitudo febris insequitur multitudinem calidi innati, nō autem putredinis multitudinē. Calor enim extraneus, vt optimè dicebat Auerroes ratificatur à calore naturali, libro tertio collectaneorū cap. 4. Hinc accidit iuuenibus febres acutas contingere, minimè verò senibus, in quibus sepultæ sunt, vt dicebat Hippoc. primo Aph. 15. si naturam putredinis insequeretur febris, vtiq; vbi maior esset putredo, ibi magis vigeret febris: atqui cadauera putridissima nō febriunt, imò neque etiam calent. Huiusce rei quęnam caussa est? ego aliam non inuenio, quàm impetum caloris influentis ad cor, ad focum, vt noxiā materiam cōcoquat, aut expellat. Eadem etiam caussa est, cur magis febricitent, qui plurimum abundant calido innato. Cur si febris duntaxat est calor extraneus, nō obtunditur ille calor, non hebetescit, vbi multitudo adest caloris innati? hic humidus est, ille siccus. cur (quæso) non infrigidatur, non mitigatur eiusdem siccitas?

Contrarium

Contrarium quidem obseruatur contingere quotidie,& ab Hippocrate,vt dixi scribitur,& à Galeno,communique omnium Medicorũ consensione stabilitũ est.Febrem scilicet reddi tanto acutiorem,intensioremque,quãdo maior adest vbertas caloris innati.propterea euidens hoc mihi videtur argumentũ,quo persuadere volumus,febrem sequi multitudinẽ caloris innati, minimè verò ipsius putredinis.

Tertio,sumo mihi sententiam Hippocratis,& Galeni.3.Epidem.com.8.&.6. sect.3.commentario decimo.Catarrhum febre adueniente nõ recidiuare.Quęsierim perlibenter,cur adueniente febre nõ fuit recidiua in catarrho? Respõdere quæstioni videtur Hippocrates. Quia ipsa febris est concoctio, & iudicatio morbi.Sed quomodo febris potest esse concoctio,si non fit ab vnione natiui caloris ad concoquendum? an fortassis dicemus, concoctionem non fieri à calore naturali? Galenus enim apertè scribit 3.epidem.sect.prima,com.8.cum natura enecatur,& extinguitur insitus calor tales solere affectiones incidere,nõ secus ac partes,quæ defluxione mala in tumorem assurgunt, vbi natura præ infirmitate haud quaquam attingit concoctionem humoris qui excitauit tumorem:nã cum generatur(inquit)pus,fiunt dolores ac febres,quod natiuus calor humores tumoris authores trãsmutat:qua re quando hic omnino à cõcoquendo abstinet per imbecillitatem,nec laborant,nec febricitant,nisi perparum]hæc Galenus. Quæ videtur mihi digna maxima annotatione,cũ apertissime significent febrẽ fieri à calore naturali valido. Notãda est historia illius Harmocratis,qui ex morbi malignitate mortuus fuit die 27.hic die decima quarta à febre liber erat,cuius caussam refert Galenus in naturã conatum suum erga morbum non efficiẽtẽ & ob eandem caussam neque febricitauit die vigesima. Audias Galeni verba in commentario vigesimo.Quo die rationi consonum fuisset hominẽ exacerbari, siquidem natura omnino aggressa concoctionem humorum esset,qui incõcocti erant,vt ostẽdebant vrinæ,quæ tenues permanebant,eodem die febris perfectè cessauit.]Sed cur debuisset febris eo die exacerbari,si natura cõcoctioni humorum incubuisset? an quia ex eo conatu,motu,vnione ad cor,& ad focũ necessarium est fieri febrẽ.Ex quibus colligo naturę aggressum,& calidi innati inuasionem caussam necessariam esse febris.

Quarta ratio sumitur ab eo, quod manifestè cernimus contingere in vigore febriũ putridarũ salubriũ.Quid autem hoc ipsum est inquies?Nẽpè materiã ipsã putrefactã longè minorem habere malitiã,quàm in aliis temporibus:quia magis tunc concocta est.febris tamen est longè maior,vt dicebat Galenus 2.aph. 29.Sed quam ob caussam maior est febris minore existente putredine?non potest quidẽ id ex putredine contingere,quia maior deberet fieri febris,cum ipsa plurimum intenditur,nõ autem cum à natura vincitur.nequit igitur hoc referri in calorem extraneum putredinosũ,sed in calorem naturalem facientẽ impetum in materiam morbificam,vt concoquat,vel expellat.

Quinto anticipatio accessionum in augmento morbi fit ob naturam accelerantem ad pugnam.Ergo accessionis caussa simpliciter dici non debet humorũ putredo,sed caloris influentis actio subita .imò accessio fieri non potest ab humore putrido ebulliente circa proprium fomitem.Sed necessarium est in fluentem calorem cũ sanguine,& spiritibus concurrere extremis partibus relictis ad putredinis fomitem,tunc etiam augeri caliditatem à confluxu sanguinis ibidẽ conculcati,vt Galenus ait 2.de febrium diff.cap.11.

Plures habeo rationes,Hieronyme,quibus idem confirmare possem.sed nõ patitur angustia temporis neque meũ in visendis ęgrotis officium, longius progredi. Habebis plura in libris de febribus,quos breui sum in lucem editurus. Quia igitur declarasse videor,quod tibi maximè dubium videbatur,nũc propono dubitationes , quæ contra meam sententiã vrgere non mediocriter vidẽtur.

Prima dubitatio est,quod nos hanc caussam febris, vnam cõstituimus ex tribus caussis : atqui videtur hæc efficere plurimas febres,ita vt aliæ ferè superfluæ videantur.Si enim cessatio febris est mala, quia significat calorem propter im-

becillitatem non cõcoquere: præsentia ergo febris arguit coctionem: atque ita plurimæ febres ex hac orientur caussa.

Secundò, sequeretur febrem in morbis esse quidpiam bonum: & illius absentiam, malum. sic procuranda esset febris, & nunquam remouẽda. Semper enim in putridis febribus adiuuanda concoctio est, & opus naturæ nunquam impediendum.

Tertio nullus aliquando periret ex febre: nam si febris oritur à naturali calore concoquente, semper bona esset caussa, nunquam mala. quia certè cõcoctio signum salubritatis est, & celeritatis iudicii, vt dicebat Hippocrates.

Quartò si id verum esset, febrem scilicet oriri ex conatu naturæ vnito calido influente, oporteret etiã febrem accidere in magnis morbis à frigiditate contingentibus, quia in iis etiam ipsis natura facit eiuscemodi conatum, at hoc non videmus contingere, cum vt plurimum frigidi morbi febre careant.

Ad primum admitto argumentũ, quia profiteor in pluribus febribus caussæ huius apparere necessitatem; nã si quælibet accessio febris oritur ex conatu naturæ aggredientis humorẽ in foco, ac fomite, semper cõcurrit eiuscemodi caussa in omnib. febribus periodicis: Deinde in omnibus salubribus, quę vel sanãtur cõcoctione, vel crisi. Præterea, si quid lethaliter habent, vbi humor est admodũ prauus & malignus, in quo nequeat concoctio fieri, cessante naturæ conatu, nõ fit febris, vt ex Galenò supra diximus lib. 3. epid. sec. 1. com. 8. sic vbi putrefactus humor fuerit exiguus per se, nõ poterit febrem efficere citra motũ caloris influentis, qui humorem agitando cõmoueat. & disponat ad suscipiendum qualitatem meliorem per concoctionem. Secus dicendum vbi humor fuerit multus, nam ob copiam efficere febrẽ potest, vt contingit Harmocrati, qui decimaseptima febricitauit ex sola putredine citra concursum agentis naturæ. admittimus igitur hoc pacto plerasque febres fieri ab hac caussa.

Ad secundum, cum dicebantur febrẽ inter morbos esse quid bonum, & illius carentiã esse malum. Respondeo febrem indicare magnum naturæ conatum, & pugnã contra materiam morbificam, quare febris est signum mali in corpore non leuis: quia malum est naturam ita conflictari, & violenter moueri. Sed tamẽ præsente caussa mala melius est affici febre, quàm non febrire. Sicut tussire, vbi adsit pulmonum obstructio melius est quàm nõ tussire. Sed quemadmodum ex tussi sequitur sanguinis reiectatio, phtisis, ac tandem mors. Sic etiam ad febrem significantem eiuscemodi conatum naturæ sequitur mors, quia nõ semper potest concoquere, aut expellere humorem, quẽ aggreditur. Accidit etiam perinde, atque inflãmatione, & dolore. bonum est fluere sanguinem & spiritum ad locum affectum, sed tamen aliquando sequitur gangrena & mors. & in particula dolente nascitur inflammationis augmentum, vt Galenus dicebat 13. meth. medendi cap. 6. sic quidem res habet in febre, quæ ratione sui bonum indicat, vt ex accidenti impedita id ipsum non semper consequitur. cum dicebatur febrem non esse remouendam, dico id non sequi, quandoquidem ille motus, & conatus naturalis caloris non est secundum naturam, sed omnino violentus.

Ad tertiam quemadmodum pueri aliquando variolis tentati, moriuntur illarum caussa, licet variolæ fiant à natura expurgãte humorem noxium per superficem corporis. Sic ex febre moriuntur ægroti ob caussam proximè explicatam. Oritur febris semper à natura tentante expulsionem, vel concoctionem. Sed aliud est tentare, aliud re ipsa expellere, & concoquere. illud indicat conatum, principium, ac pugnam. hoc autem absolutionem & victoriam. sic patet febrem in se non esse malum, sed tamen esse occasionem mali.

Ad quartam dico in morbis frigidis non sequi ex necessitate febrem: quędam enim sunt, quæ impedimento esse possunt, vt humorũ frigidorum, & vaporum eiusdem generis cor petentium copia, vt cõtingit in epilepsia, in apoplexia, conuulsione, ac id genus aliis. In quibus tamen aliquando febris contingit duplici de caussa: vna est naturæ robur morbum propulsantis, atque tunc optimum signum existere docuit Hippocrates: alia quod humor putrescat, febrisq; accen-

datur ex putredine, humores cordis in calefacto esse constituente, hoc autē mali admodum exitialis signum est. Notabis hic, me non dicere solum caloris insiti vnionem, & conatum facere febrē, sed cum humore contento in fomite, quando ab illo agitatur, mouetur, coquitur, & expellitur ab ipsa natura. Animaduertas etiam hanc caussam propriè ad modum generationis febris pertinere, & non esse caussam febris per se, sed magis occasionē febris, & caussam sine qua nō fit calor præter naturam in quibusdam corporibus. Caussa per se efficiens est calor. nam si vnumquodq; fit à simili in specie, vt Aristoteles inquit libro septimo metaphysicæ, ipsaque febris sit calor, vtique fieri non poterit, nisi à calore. Ergo naturæ conatus, & calidi innati violentus modus per se non facit febrem, nisi quatenus facit calorem. Fit autem calor ex motu violento sanguinis & spirituum, & ad fomitem putredinis à toto corpore, & ad cor ipsum. Postea verò è corde in totum corpus. Quia igitur declaraui, quæ esset sententia meorum verborum, quæ tibi videbantur difficilia, hic finem dicendi facio, te etiam atque etiam orans, vt patri tuo Medico excellentissimo hæc legenda præbeas. huius enim iudicium ob singularem doctrinam plurimi facio. vale.

EIDEM.

Respondetur rationibus recentiorum Medicorum, contra Galeni sententiam, de morbi calidi caussis.

EPISTOLA TERTIA.

CONTRA caussas morbi calidi, quas etiam Galenus libro de morborum causis, & primo de febrium differentiis, recipit pro causis febrium, multa scribis tibi adhuc facere dubitationem, postulasq; satisfieri. Quod recordor, me in alia epistola dixisse, id nunc repeto, ex meis quidem discursibus non multo labore colligere posse te omnium difficultatum explanationem, quas tum ex Argenterio, tum ex aliis contra Galenum proponis. Tamen quia fortassis ego possem decipi, sigillatim respondebo dubitationibus. Verba Galeni circa quæ versatur controuersia, sic habent.

Quoniam non vnum videmus modum generationis, aut augmētationis caliditatis (siquidem neque ignis ipsius) sed vel propter motum, vel propter putrefactionem, vel propter adhæsum alterius caloris, vel propter detentum calidi effluxus, vel propter mistionem calidæ substantiæ, quodam velut ex fōte efferuescentis, quæ quo ad nostrum sensum vel generet, vel augeat caliditatem, necesse omnino & febrium caussas reduci ad eos, quos proximè diximus, modos.

Dubitas hoc pacto. Primum circa putredinem, quod vel referatur ad alterius caloris adhæsum, vel ad calidi effluuii detentū, & ideo non efficiat genus diuersum. Quandoquidem putredo fit ab aliena caliditate, quæ ambientis est, vt Aristoteles definit libro quarto meteorologicorum, ambiens igitur contangens rem putridam, ipsam excalefaciendo putrefacit. Quod enim tangitur à putrido, putridum fit, vt Auicenna dicebat. Ambienst iaque, si facit puredinem per contactum, ad caloris adhæsum refertur, Deinde omnis putredo fit ab impedimento calidi effluuii, quia fit ab ipsa obstructione, quemadmodum Galenus docuit vndecimo de methodo medendi: frustra igitur additur putredo tanquā genus diuersum ab impedimento calidi effluxus.

Secundò, quædam caussæ febrem faciunt, quæ non referuntur ad aliquam ex hisce quinque, vt inędia, vigilia: hæc enim efficere febrem experientia cōstat; & à Galeno declaratum fuit, primo ad Glauconē, & octauo meth. med. c. 2. & passim alibi. At non posse reduci has ipsas vel ad rei calefaciētis adhæsionem, vel ad modum, vel ad retentionem calidi effluxus, vel ad putredinem, vel ad mistionem substantiæ calidæ, inductio manifestum facit. prætetea excremēta, quæ in ipso corpore retinentur, vel quæ vacuantur, calorem generant, aut augent, cum

tamen certissimum sit non referri ad aliquam ex dictis caussis, vt bilis flaua, cuius vacuatio ex corpore necessaria est, si retineatur, quis dubitat, quod humanum corpus nimis, quàm par sit, excalefiat. Deinde pituita frigida & humida cum sit, bilem efferuescentem compescit, alteratque: pone hanc vacuari ita vt hoc contemperamento careant humores calidi, non ne corpus ipsam maiorem caliditatem sentiet, quàm antea præsente pituita? id mihi nullam habere videtur difficultatem.

Tertio quodcunque fit à sui simili, in specie fieri constat ex communi omnium Philosophorum consensu: febris igitur substantia, quia est calor præter naturam, fiet à calore. neque enim calorem, aut frigus facere, à calore, & a frigore aliud potest. de hac re disputatum à Philosopho fuit septimo diuinæ philosophię libro. atqui putredo, motus, retentio calidi effluuii non est calor: efficere igitur calorem non possunt.

Quarto maximam difficultatem habere scribis an motus calefaciat, aer enim motus, & agitatus refrigerat: atqui spiritus, ex quorum motu incalescere totum corpus diximus, aeris naturam præseferunt: vt igitur aer motus refrigerat, sic spiritus.

Postremò Galenus tum libro de optima secta, tum de sanitate tuenda, omnia, quæ in medicina considerantur, reducit ad quatuor genera, ab his distincta. Horum vnum complectitur quæ sumuntur: alterum, extrinsecus occurrentia: Tertium, quæ a nobis fiunt. Quartum, quæ excernuntur, vel retinentur. Hic autem affert quinque genera caussarum morbi calidi ab illis diuersa. Tot sunt recentiorum dubitationes contra Galenum, pro quarum dilucidatione supponere in primis oportet, quæ à nobis dicta sunt pro explanatione horum verborum, atque iis suppositis, accedo ad diluendas sigillatim dubitationes.

Prima ratio nihil concludit contra Galenum tribus de caussis. Primùm, quia per adhæsionem rei excalefacientis, Galenus caussam intelligit euidentem, at putredo citra concursum externæ, & euidentis caussæ plerunque concitari solet. Secundò adhærentia rei ex calefacientis multo vniuersalior est putredine. haud enim dubitandũ, quin putredo fiat per contactum: sed non omne calidum contangens putredinem efficit. imò quædam illam impediunt, vt quæ calefaciendo exiccant, vt ignis, & eiusdem generis alia. Tertiò, quia multa calefaciunt adurendo vt euphorbium, sandaraca, ac alia sexcenta: at quæ putrefaciunt, humiditatem primum inducunt: nam quæcunque humida sunt, calido loco inclusa, ita vt non diffletur, putredinem facilè concipiunt. Quod obiicebatur de impedimento calidi effluuii, non habet solutionem admodum difficilem: quia non fit omnis, ab eiuscemodi impedimento, putredo. etenim putredo ab extrinseco accidens, vt puta ab aere putrescibili euaporatione coinquinato, non supponit obstructionem: imò etiam respiratione in humoribus cordis, vel in ipsius corpore statim inducitur: vel penetrat cutaneos meatus aer putridus effecturus morbum, & quanto fuerint meatus aperitiores, eo magis dispositum est corpus ad eiuscemodi labem suscipiendam. Tertiò venena quędam sunt putrefactionem inducentia citra obstructionem. merito igitur putredo ipsa statuitur caussa distincta ab adhæsu rei excalefacientis, & ab impedimento calidi effluxus.

Secunda dubitatio adeò difficilis visa fuit Sebastiano Paparellæ fratri, vt Galenum de insufficientia argueri: putaueritq; sex caussas existere inducentes calorem extraneum: atque inter has ipsas inediã, & vigilias collocarit. ac idem etiam Florentini quidam, de rebus Medicis optimè meriti, scripserũt. Ego verò, quia artis præcepta pauca esse debent, virtute tamen complecti multa rerum capita, semper credidi, rectissimè inediam, & vigiliam ad aliquam ex quinq; caussis referri posse. nempè ad mixtionem calidæ substantiæ: nam inedia & vigilia augent bilem, quę sanguini mixta caliditatem igneam facit, quomodo autem ab inedia bilis agitetur, & sanguini misceatur, alibi, vt scis, fuit declaratũ. Vigilia verò calorẽ influentẽ ex motu calefacit, & inflãmat, ex quo sanguis ex adustione in bilem

bilem mutatur. Adde etiam vigiliam commodè referri posse ad motum; spiritus enim animales nimium mouentur per vigilias, vt docuimus in comm. 1. lib. ad Glauc.

Dubitatio illa de incremento bilis eadem ratione tollitur: quia reponitur sub mistionem substantię calidæ. ad eandem etiam referri pituitę vacuationem quis dubitat? nam calefacit aliquid, vel quia permiscetur illi plus substantiæ calidæ, vel quia de trahitur aliquid frigidæ. Hic autem notabis, permistionem substantiæ calidæ me non intelligere sola alimenta, sed humores etiam, atque idcirco fit 10 nullam habere difficultatem, quod de bile, & de pituita proponũt:

Ad tertiam difficultatem dico, quod verissimũ est, quodcunque fit, fieri à sui simile in specie, ac idcirco calorem introduci non posse, nisi à calore, vel per se, vel per accidens: nam quomodocunque contingat fieri calorem, semper veritatem habet Aristotelis sententia: & hoc quidem dicere solent Peripatetici, generari aliquid à sui simile, vel intelligitur à simili forma, & per se; virtualiter, sc. ab aliquo habente vim generandi consimilem formam, exempli gratia: radii solis generant calorem, at secundum propriam formã non sunt calidi, virtutem tamen habent inducendi calorem. Sic ignis ex lapidibus educitur, secundo ex 20 reuerberatione radiorũ solis in phiala aquæ plena, vel in pila cristalli; at hoc nõ accidit secundum similitudinem formæ, sed secundum virtutem. Caussę igitur propositę à Galeno huiusmodi sunt. prima caussa, vt insolatio, virtualiter inducit calorẽ, vt diximus vel actualiter, quando fit ab igne, vel potentialiter, quando fit à medicamentis. Impedimentum calidi effluuii facit calorem, quandoquidem quod retinetur est calidũ, & ab eo introducitur calor. Quomodo ex putredine gignatur calor, tum ab ambiente, tum multo magis ab innati ebullitione in alia epistola declaratum fuit. Mistionem calidæ substantiæ calefacere demonstrat ipsa experientia inducendo cõsimilem caliditatem, qualem habebat substanti.. ergo quodcunque fit à simili, fit aut per se, & primo; aut per accidens, & secundo quodam loco.

30 Porrò quarta difficultas de motu, est admodum difficilis: pro cuius dilucidatione primum dico, aerem motum & agitatum refrigerare aliquando, ac etiam aliquando calefacere. refrigerat quidem si fuerit liber. calefacit agitatus inter duo solida corpora. Verum quomodo calor à motu fiat, disputatio maxima est, quam hoc loco non prosequor duplici nomine: primum quia de hoc argumento dictum mihi abundè fuit in quæstionibus Medicis: deinde quia non videtur huius loci, satis enim est Medico nosse calorem fieri ex motu præsertim corporis. hoc enim maximè cõspicuum est, licet etiam ex motu animi, vt ex ira, curis, mœrore, ac timore nonnunquam contingere calorem, explanauimus in commentario eius loci.

40 Erat postrema difficultas de numero caussarum salubrium, quas Galenus ad quatuor redigit ex iuniorum Medicorum sententia. Pro solutione dico, aliud esse inquirere morborum caussas, aliud verè caussas salubres, ex quibus materia medica resultat, libro de febrium differentiis, inuestigat caussas vniuersales morbi calidi, vt etiam libro de caussis morborum capite secundo, & quia febris morbus erat calidus, eędem caussæ illi conueniebant. At libro de san. tuen. & de optima secta inquirit salubres caussas, & materiam, vt dixi, medicam.

Arbitror Hieronyme charissime, satisfecisse omnibus difficultatibus, quæ Galeni sententiam reddere suspectam poterant. Tu interim macte virtute iuuenis doctissime, perge, vt cæpisti, sic enim facile peruenies ad summam, 50 artis medicæ perfectionem. meo nomine salutem plurima mdicito excellentissimo patri. Vale.

SPIRITO MARTINO MEDICO SALVTI ARVM.

De cancro exulcerato in mamilla, cum cordis palpitatione, & metu futuræ melancholiæ.

EPISTOLA QVARTA.

CASVS proponitur mihi sanatu maximè difficilis. Est autem cancer in sinistra mamilla exulceratus, cordis antiquata palpitatio, cum metu futurę melancholiæ, quorum affectuum quilibet per se vix curationem perfectam admittit, inuicem verò complicati, meo iudicio, impossibilem curationem reddunt. Cancri quidem origo fuit, si quæ eius vir retulit mihi vera sunt, mensium suppressio. nam cum agat honestissima & illustris mulier annum vigesimum octauum, abundetque sanguine crasso, & melancholico, non debebant illi menses tam cito supprimi. ideoq; mirum non est, si ex retentione eiuscemodi sanguinis iam diu in grauissimos hosce affectus inciderit. Primum sanè in cancrum, quem vtinam nascentem, & iam iam suæ feritatis radices edere incipientem, nouisset Medicus, qui antea illius curationem suscepit, certe neque in magnitudinem excreuisset insignem, neque exulceratus fuisset. nã ex prouocatione menstruorum, ex vacuatione sanguinis crassi, ex purgatione atræ bilis, facilis tunc meo iudicio curatio extitisset, at nunc, qualem excogitabimus medicinã ad cancrum affatu magnum, exulceratum, ac duorum annorum spatio confirmatum? Qualem præterea curationem recipiet antiquata cordis palpitatio? Vereor enim ne hinc ipsi contingat, quod Antipatro, ne scilicet ex improuiso tollatur è medio. Est autem, vt ego sentio, tum cancri, tum palpitationis eadem caussa, suppressio scilicet mensium, & abundantia humoris melancholici exusti, & in omnibus venis, & circa lienem cumulati, cuius mala euaporatio cordi faciat negotium. An sperabimus prouocari posse menses? nam, si sentẽtia Hippocratis veritatem habebit, qua monet prouocari nõ posse, si sex mensium spatio fluere destiterint; quia in ægrota nostra iam biennio fluere destiterunt, sanguinem ex vtero denuò effluxurum non spero. Quid igitur mirum, si plurimum illa vigilet, si multum loquatur, si cum dormit, somniis maximè turbulentis offenditur, sique vigilans aliquando delirare incipiat: hęc enim signa sunt melancholię certissima, quamuis nondum plenè confirmatę. In tantis difficultatibus vix quidem aliquod possum excogitare auxilium: pro sanatione maximorum morborũ accomodatum. Tamen, quia tu ipse literis tuis & humanissimis, & doctis. audire desideras, quæ mea sententia iniri curatio debeat: conabor aliqua scribere in rem præsentem, nisi fallor, vtilia, magis quidem, vt meam in seruiendo tibi viro omnibus numeris absolutissimo, cognoscas voluntatem, quàm vt sperem, me aliquid scriptu rum, quod multo antea à te diligenter perspectum non fuerit.

Ex iis quæ rei natura indicat, summa totius curationis in hoc vno consistere videtur mihi, vt non modo vniuersum corpus à sanguine melancholico, sed etiam ab atra bile contemperantes & purgantes exoneremus. Tum postea, vt radices cancri huius, si fieri possit, extirpemus; quod si id fieri tutò non possit, vt saltem aliquam ineamus viam, qua possimus illius ferocitatem lenientes, atque blandientes mitificare in gratiam longioris vitæ. hæc ipso in casu præcipua videntur mihi.

Primũ ex cubito secta vena sinistro crassum, & fæculentum sanguinẽm educere conarer, expurgatis antea viis cõmunibus, ex vnciis trib. syrupi de sena, & vncia vna electuarii lenitiui. deinde, aliquot interpositis diebus, eandem repeterem vacuationem ex poplite, aut malleolis, vt vterus, si fieri posset, assuesceret vacuationi intermissæ. Esset autem, meo iudicio, saluberrimum, vtrãque vacuationem moliri, vicibus quibusdã, & repetitione: nã citra virium iacturam, & ac-

commo-

commodatior,& tutior vacuatio totius,& reuulsio ab affecta particula fieret.

Atram bilem lenirem prius, mitificarem,& præpararem,mox melanogogo pharmaco expurgarē non semel,sed bis,tertio& quarto:imo etiam frequentius singulo quoque mense:adeo salubre hoc putauerim consilium , vt eo prætermisso nihil fieri posse,quod illi vtilitatem sit allaturum, certissime persuadeam. Mitificabitur igitur bilis atra tum victus ratione,tum medicamentis.de illa nihil scribam,scio enim ægrotā ex multorum Medicorum relationibus benè sibi cōsciam,quæ cōueniant,&quæ nō conueniant alimenta.Exhiberem itaque,vt nōnulla de medicamētis dicam,syrupum ex pomis simplicem,cum syrupo de mellissa ex decoctione florum cordialium, passularum,liquiritiæ, capil. veneris,& agrimoniæ,& hepaticæ.Ante cibum hora vna, aut duabus darem unc. s. elect. sequentis.Rec.conseruę violarum,florum boraginis,& buglossæ an. vnc. i.conseruę florum nenufaris,& cicoreę an. drach. s. confectionis alchermes scrup. ii.cristalli tenuissimè puluerizati scrup. s. ex syrupo de pomis fiat oppiata. vbi verò accommodatum purgandi tempus venerit,vterer radicum hellebori nigri maceratione in hunc modum.Rec.seri lactis caprini vnc.iiii.macera horis decē foliorum senæ epitimi,an.vnc.passularum, liquiritiæ, sebesten, an. vnc. i. corticū radicū hellebori nigri,drach.ii.s.mox facta leui ebullitione exprimātur,& huic expressioni adde syrupi de pul.syr.de polipodio vn.i.s.pulueris anisorū,dra. i.Autumno,& vere erit purgatio huiusmodi exequēda.Expedit prętereа singulo vt dixi,mense purgationem instituere ex vnc.ii.s.aut tribus syrupi,cuius compositio sic habet.Rec.cuglossæ,boraginis mellissę betoricæ,pimpinellæ lupulorum, cuscutæ,epaticęan.man.i.radicum polipodii quercini,cicoreæ liquiritiæ, passularum mundatarum an.vnc.s.quatuor seminum frigidorum maiorum an. drach.i.florum cordialium, epithimi, an. pug.i. fiat decoctio in duplici vase in libris duabus,& semis aquę stillaticiæ luporum ad vnc.xv. in collatura infunde foliorum senæ mundatorum, vnc.iii.reubarbari electi drac.iii.agarici albi vnc.ii.zinziberis drac.ii.bullia nt,parum fiat expressio,inqua dissolue zuchari fini lib.i.fiat syrup.perfecte coctus,capiat singulis mensib.vnc.iii.cum vnc.iiii.decoctionis hordei & passularum.

Porrò pro humorum contemperatione qui admodum & sicci,& acres existūt, duo,mea sententia,forent maximè vtilia. vnum est balneum aquæ dulcis,quo tota æstate semel in hebdomada vti magna securitate posset,cauendo tamen,ne mammillam exulceratam contingat.Alterum est lac asininum,quod darem illi tota canicula durante;ita exonerandū vniuersum corpus duco à sanguine melancholico,& ab atra bile.

Quod verò ad cancrum pertinet,rectissimè Hippocrates sexto aphorismorum admonuit,cancros occultos non esse curandos.Curati enim,dicebat,citius intereunt, non curati verò longius vitam trahunt.occulti autem cancri sunt,vel qui sunt sine exulceratione,vel latentes,hoc est nō apparentes,qui scilicet in alto corpore siti sunt.cācer igitur hic,quia in alto copore nō est,& quia iam exulceratus,curationē postulat:aut qua omnino sanitati restituatur ægrota,aut qua melius habeat aliqua ex parte,aut saltem qua non habeat deterius.Ergo si propter loci conditionem licebit,excidendus omnino totus est cancer vna cum suis radicibus,vt Galeni verbis vtar,idest vnà cū venis,quæ videntur cancri cura.In mămilla fieri posse hāc excisionē docuit experientia.Tota.n.mămilla radicibus excidi potest,vt de Amazonibus historiæ testantur. Amputabimus partem affectam vnà cum vitio,excissaq; parte,statim sanguinem ex ea exprimemus omnem, ne nouum cancrum efficiat, vt Gal. docuit 14. de meth. medendi cap.9. mox verò ne sanguinis immoderata succedat vacuatio,locū aduremus eiusdem præcepto secundo ad Glauc.Admouebimus postea,quę leuiter siccando,& detergendo crusta tollant, vt succum appii farina hordei permistum, aut resinam therebintinam cū melle, vitātes quę nimium vel detergunt,vel putrefaciunt:illa ne dolorem inferant: hæc autem ne affecta pars putrefiat.resoluta crusta sinum implebimus carne, vt puluere sarcotico,ac postremo inducenda cicatrix erit.

Sed ſi cancer adeo magnus extiterit, vel ita firmas radices egerit, vt eum inciſione eiuſcemodi extirpare non liceat, inſanabilis quidem omnino curationem veram nonunquam recipiet. Duplex enim, vt ex Galeni doctrina noſti, curatio eſt, vna nihil non agere, vt particula laborans ad ſanitatem perducatur: altera verò eam præmeditari, & præuidere curationem, quæ affectui congruat, ideſt ipſum demulceat, & mitiget, qualis certè requiritur in cancro exulcerato. Tunc enim ſi non aliud, at certè ſaniem abluere humido aliquo eſt neceſſe, non quocunque (inquit Galenus) ſed quod per experientiam, aut indicationem nec putrefacere, nec irritare partem affectam compertum habeamus. ab hac igitur curatione abhorrere, aut abſtinere nō conuenit. Ergo eiuſcemodi blanditie furenti morbo accommodata procurabimus, ægrotum diutius, ac fieri poſſit, minori moleſtia viuere. Huiuſmodi ſunt ſuccus plantaginis depuratus ex æquali portione olei roſati onfacini, vtputa vncias duas, & drach. tres vnguenti de ceruſa, in mortario plumbi, cum piſtillo plumbeo agitata tandiu, donec recipiant craſſiorem ſubſtantiam, eoq; vnguento oblinemus, & mitigabimus particulam exulceratam, & ab eroſione & acrimonia peſſimè habentem. Aliquando etiam detergemus ex lacte aſinino, ex cremore ptiſſanæ, vel aqua decoctionis hordei & paſſularum: quod ſi labia fuerint admodum dura, aut caro nimis luxurians excreſcat, præcipitatū adhibebimus, vlcus poſtea nutrientes vnguento ex tutia ducto in mortario plumbi cum aliqua portione olei roſati onfacini.

Iam igitur, vir Excellētiſſime, ſcripſi, quę mihi videntur opportuna ipſo in caſu, non quidem alia de cauſſa, niſi vt tibi, cui inſeruire maximè deſidero, morem gererem. Tu interim valetudinem curabis tuam, & quod te facere non dubito, Augenium viciſſim ama. Qui ſanat languores noſtros, ſit dator auxilii. Taurini 4. Septembris 1580.

LVDOVICO PICCHINO GENERO.

Rationibus reſpondetur Mercenarii, nullum ordinem in cibis obſeruandum eſſe contendentis.

EPISTOLA QVINTA.

PERGRATVM mihi fuit audire ex tuis literis, quem exitum cum Archangelo Mercenario inſtituta habuerit diſputatio. Ego verò interim à mea, de ciborum ordine, ſententia, quicquid ille acutiſſimè diſputauerit, non diſcedam: Quia certè non videntur mihi eius rationes veterem cōſuetudinem ab Hippocrate, & Galeno confirmatam, labefactare. Id nunc in tui gratiam, ſed præſertim veritatis, docere aggredior.

Primum ille hoc modo argumentabatur, ſupponens ex noſtra ſentētia cibos prius ſumendos, qui facilè alterantur, ſuntq; corruptibiles: deinde verò alios, qui maiori difficultate concoquuntur: vt exempli gratia, prius lac ipſum, & vitellos ouorum ſumendos, quàm carnes, & has prius quàm caſeum. Data (inquit) veritate poſitionis huius, ſequeretur fruſtra Naturam conſtituiſſe in ventriculo duos meatus, quorum vnus vocatur oſtium ventriculi, inſeruitq; alimentorum ingeſtioni, alius verò dicitur pylorus, & expulſioni accommodatur: eſt autem pylorus longè anguſtior ab ipſa Natura conſtitutus, quia non conueniebat ante coctionem alimentum effluere: adſtringitur quidē ita, vt non niſi poſt omnium coctionem aliquid exire poſſit, haud ſecus, quàm in vtero. vbi enim hic ſemen concepit, adeo corrugatur, & adſtringitur eius oſtium, vt non, niſi fœtu maturo, aliquid exire natura permittat. hęc ſi vera ſunt, concluditur fruſtra ordinem ſeruari in cibis: quia ſiue quis prima, ſiue vltima facilis coctionis, & alterationis cibum ſumat menſa, nihil refert, cum non exeat ex ventriculo alimentum, niſi ex omni maſſa fuerit factus chylus.

Secundò, inquit, ſi naturam conſideramus ventriculi, oporteret prius ſumere cibos

cibos difficilioris coctionis: id probat ille, quia in ea parte melior fit concoctio, in qua maior adest caloris natiui abundantia: atqui in fundo ventriculi magis abundat calor naturalis, ergo ibi concoctio magis fit: minorem ex eo probabat, quod fundus ventriculi magis carnosus esset. His ita constitutis, alimenta difficilis coctionis, ait, in ea vẽtriculi parte debent elaborari, quæ maiorem caliditatem habet: quæ facilius alterantur in ea, quæ minus caloris possidet: eiusmodi autem est superior pars.

Tertiò. Cibi concoqui nõ possunt in ventriculo, nisi inuicem omnes misceãtur, & confundantur, atque simul omnes in vnam substantiam chyli transmutẽtur. Sed si concedamus alios prius concoqui: interrogabat, vel concocti expelluntur, vel remanent in ventriculo, donec alii concoquantur. Si expellũtur, cocti igitur, & crudi aperto pyloro educerẽtur è vẽtriculo, quod maximũ animali damnum foret: adde quod supra fuit ostensum, nõ posse aperiri pylorum, nisi prius concoctio omnium facta fuerit. Si verò cibi concocti in ventriculo continentur, donec alii concoquantur, tunc vlteriori actione caloris assarentur, atque hoc pacto maximè inutiles redderentur nutritioni.

Quartò confirmatur hæc opinio: quia ventriculus sumpto cibo ipsum vndique constringit, amplectiturq; suis tunicis, in quibus vis inest concoctiua: verum hoc fit, quia simul concoquuntur omnia alimenta à calore concoquentẽ, & non vnum post aliud.

Id etiam præterea dicere videtur Galenus libro 3. de natural. facult. cap. 7. & quarto de san. tuen. cap. 11. ac passim alibi. Nempe ventriculum quidem ex cibis concoctis, quod optimum est, ad sese trahere, & in suis tunicis repositum sibi ipsi adiungere. reliquum verò postea, tanquam onerosum illi, & graue expelli per pylorum. ergo quando pylorus aperitur, iam facta est concoctio alimentorũ. Nihil igitur, si omnes simul cõcoquuntur, refert quod prius, aut posterius sumatur. Sic ille contra meam de ordine ciborum opinionẽ, olim in quadam epistola ad tuum patrem (vt scis) conscriptam, disputauit. pag: 79. 80.

Ego verò, ne repetam, quæ alibi scripsi, affirmo hanc opinionem esse maxime erroneam: Docerem contradicere Hippocrati, & Galeno; sed quia ille non credit, nisi suo Aristoteli, horum auctoritatẽ paruifaciens; cogetur certè rationibus acquiescere, quas in præsentiarum affero.

Primum hectica febre laborantes horis duabus à cibo transactis incalescunt euidenter adeo, vt circa faciem appareat magnitudo caloris, pulsusque auctus videatur; hoc admittunt omnes. Petierim huiusce euentus caussam. Dici non potest tam breui spatio concoctum esse, & maturatũ totum alimentum, (etenim omnes vnanimi cõnsensu caussam referunt in distributionem alimenti cõcocti) vnam igitur partem cibi prius, quàm aliam concoqui oportet, atque concoctam partem à natura attrahi in subsidium nutriendarum partium.

Secundò, qui famem patiuntur, assumpto alimento famescere desinũt, quod scilicet in illis cesset fames animalis, ex ostii ventriculi contingens sensatione. at fames ipsa naturalis non statim cessat, quia alimentum nondum distributum est ad singulas partes. Atqui hæc distributio fit inæqualiter, pro æqualitate partium attrahentium, & alimenti in ventriculo existentis. quæ plurimum attrahunt, par est aliquid suggerere è ventriculo, at non suggerunt crudum, sed coctũ: non totũ sed partem tenuiorem, quę facilius fuit transmutata. Ergo si in fame continua fit attractio à partibus alimentum exigentibus, estq; impossibile post breue spatiũ totum alimentum fuisse transmutatum in chylum, & tamen frustratoria esse nõ debet eiuscemodi attractio, consequens est aliquid trahere tenuius, & cõcoctũ.

Tertiò, vinũ facilè admodum mutatur in sanguinem, & in calorem innatum, exiguamque mutationem postulat, vt assimiletur, vt Galenus ait libro secũdo de temperamentis cap. 2. propterea exhibetur iis, qui syncope prehendũtur, de qua re illud Hippocratis intelligendum est, facilius est impleri potu, quam cibis. Hæc si vera sunt, quorum euidentiam nemo nescit, quis negabit vinum ipsum citius in ventriculo cõcoqui, quam carnem, & panem? ergo absurdum est dicere, om-

nia alimenta simul eodem tempore concoqui. Rursus verò, si post coctionem statim reparat solidarum partium vires, falsissimum erit etiam dicere, non aperiri pylorum, nisi cum omnia alimenta concocta fuerint.

Quartò ab vno & eodem calore ignis caro bubula tardius coquitur, vitulina citius: id nemo negauerit. ergo ab vno, & eodem calore ventriculi lac facilius, & citius cōcoquetur, panis difficilius & tardius. Actio quidem vna est caloris in alimenta: sed alimentorum natura diuersitatem habet magnam, & pro naturæ diuersitate concoquūtur quædam citius, quædam tardius. ex hoc sensato exemplo rationem eiuscemodi deduco. Actio agētis est æqualis, quādo passum æqualiter dispositum est: ac inæqualis erit, quando passum erit inæqualiter dispositū. ergo si vnicum sit alimentū, vt lac, aut oua, aut aliud eiusdē generis, eodem tempore fieri transmutationem oportebit: quia passum vniusmodi est. si verò plura sunt alimenta, facultate, & substantia contraria; vtique inæqualiter transmutabuntur: aliud citius, aliud tardius. 10

Quinto si omnia simul, ac eodem tempore coquūtur, sequetur agens non citius agere in passum benè dispositum, quàm in male dispositum. hoc autem est contra omnem philosophiam. ergo si quis variis vtatur alimentis ea citius concoquentur, quæ melius erunt disposita ad suscipiendam formam agentis, quàm cōtrario modo disposita. Est quidem huiusmodi ratio meo iudicio adeo efficax, vt non possim imaginari, quid Archangelus noster sit responsurus. 20

Sat sfaciamus modo argumentis. Quantum igitur ad primam pertinet rationem, quæ sane videtur multum difficilis, illud antea sciri velim; nō esse omnino eandem proportionem vteri, & ventriculi. Nam vterus vnicum duntaxat os habet, per quod receptum semen in genituram conuertit, cumque diu continuerit, non semen quidem, sed absolutum emittit animal: eadem igitur via recipit, qua remittit. Verum quia oportebat diu conseruari ipso in vtero fœtum, hinc accidit naturam orificiū illud maxime constrictū, & obstructum seruasse, alioquin facile proprium alimentum fœtus elaberetur, ac simul fœtus ruptis vinculis vna præcipitaretur. At in ventriculo diuersa ratio est. Data sunt illi duo orificia, supernum, & infernum: illud pro recipiendo alimento, hoc pro demittendo. Neq; diu continere debet cibum, sed duntaxat donec concoctum sit, quod breui temporis spatio contingit: ideoq; non oportuit os infernum ita seruari adstrictum, vt ostium vteri, quod nouem mēsium spatio debebat eo modo permanere: potest igitur ventriculus anteaquā tota massa sit plene concocta, partē vnam tenuiorem iam transmutatam per pylorū demittere, maxime à vicinis membris attractam, ac interim crudior alia pars manere in ventriculo, vt concoquatur: Neq; ex hac opinione ea sequuntur absurda, quæ dicit Mercenarius in tertia ratione, vt post hac explanabo. 30

Sed hic explicanda sunt Galeni verba, quæ contra nostram sententiam non parum facere videntur. Et quidem sic habent lib. 2. de caus. sympt. cap. 3. postquā de vteri munere tractauit. Ad eundem (inquit) modum monstratum est, ventriculū quoq; inferius os suum post cibos claudere, nihilq; sinere abire; prius quā plane sit concoctum: si tamen eum nihil aliud intermittere actionem cogit, quēadmodum vterum fœtus corruptela: quippe similis affectus ventriculo incidit, vbi cibi in eo sunt corrupti.] idem repetit libro de naturalibus facult. 3. ca. 4. Dictio illius hæc est: Tanquam enim hæ functiones monstratæ sunt qualitatū mutatione fieri: itidem concoctio ciborum in ventriculo, mutatio eorum est in propriam eius, quod nutritur, qualitatē. Vbi autē ad perfectionē cibos cōcoxit, tum aperit inferius os, excidūtq; per ipsum facile cibi, etiā si lapides, ossa, acinos, aliaue quæ verti in cremorem non possint, plurima secum habeant] ac in fine eiusdem capitis ait: Quo tempore etiam pylorum conniuentem, clausumque ad vnguem inueni, non secus ac prægnantibus os vteri: at post concoctionem confūmatam reclusus quidem erat pylorus, ventriculus autem complexus motu, intestinorum ritu, mouebatur] hæc ibi. Quæ videntur contraria nostræ positioni asserenti aperiri pylorum ipsum, etiam si nondum plene mutatus sit omnino cibus. 40 50

at Galenus

at Galenus dicit, nihil ſinere abire, priuſquam plenè ſit concoctum alimentum;& ad perfectionē cibos concoxit,atque conſummata concoctione.Tanti potuere hi loci apud quoſdam Medicos, vt putauerint Galenum in hac parte aberraſſe, volentem nihil prorſus abire ex ventriculo,anteaquam cōſummata ſit concoctio.Ego autem ſentio Galenum conſona ſuis principiis, & rationi ſcripſiſſe: audias igitur ,quomodo hoſce locos interpretari ſoleam. Non ſunt hæc contraria,Ludouice fili. Ventriculum non ſinere aliquid exire,donec abſoluta ſit concoctio.Atque hoc.Ex ventriculo anteaquam totus cibus in chylum conuerſus ſit,elabi aliquid,quod plene ſit cōcoctum, quamuis adhuc remaneant in
10 ventriculo partes crudiores. Nunquam Galenus hoc negauit, aliquam partem chyli prius elabi ex ventriculo, quam aliam.Sed negauit,nunquam elabi poſſe quicquam,quod plenè concoctum non ſit.Abſurda ſanè foret ſententia,ſi ſtatueremus elabi ex ventriculo animali ſano exiſtente crudum alimentum:at elabi partem huius concocti, non modo, abſurdum non eſt, ſed etiam maximè neceſſarium.

Erat ſecunda ratio ſumpta ab officio fundi ventriculi,quæ videtur originem habuiſſe à verbis Auicēnæ libro ſuæ medicinæ tertio fen.1 3.tract.1.c.7.quæ ſic leguntur.Et ſcias,q; digeſtio eſt fundi ſtomachi,& appetitus oris ſtomachi] Verùm hæc ſunt à nobis ex Galeno interpretanda. Nullam habet controuerſiam,
20 quin appetitio propriè ad oſtium ventriculi pertineat: de hoc enim ita ſcribit ille primo acut.com.19.Appetere enim eſt munus huius partis non concoquere.] quandoquidem vult concoctionem fieri in parte inferiori,ideſt in tota ventriculi cauitate infra oſtiū conſtituta, vt eius verba indicant. dicit enim libro quinto de loc.affect.c.6.at infra os ventriculi non ſolū fundum,ſed pars multa intermedia eſt.] fit igitur concoctio in tota cauitate ventriculi infra oſtium.ſi Auicēna per fundum ventriculi hāc intelligit, vtique locus non habet dubitationem. Sin minus profitemur aberraſſe. quia vis ipſa concoctix conſiſtit in omnibus tunicis ventriculi, quāuis maximè adiuuetur à vicinia calidarum partium,præſertim iecinoris mediam ventriculi partē à dextra parte amplectentem,eiuſdem
30 Galeni teſtimonio libro 4.de vſu partium cap.8.diximus de hoc argumento in epiſtola ſuperius citata.Excellentiſſimus Pater tuus dabit copiam.

Tertium argumentū,quod plurimi facit Mercenarius, ego nihilifacio. Supponit cibos omnes in ventriculo inuicem miſceri,& confundi,ac ſimul omnes,& eodem tempore concoqui.Ex hiſce tribus duo prorſus falſa ſunt, vnum verum. Falſum,miſceri,& confundi inuicē:quod enim prius ingeſtum fuit in ventriculo, occupat illud quidē inferiorem partem ac fundum: quod vltimo loco ſuperiorem,neque locum mutant:quia ſiue multum ,ſiue paucum ſit,quod ſumitur, conſtringitur ſtatim à tunicis ventriculi,atque ita amplexatur, vt nulla pars ſit alimenti,quæ non contegatur à tunicis ventriculi.Falſum pariter,quod omnes cibi
40 diuerſam temperiem, & ſubſtantiam habentes,eodem tempore concoquātur: Hoc enim eſt impoſſibile.quod facilius alteratur, coqui facilius,& citius par eſt, vt ſupra dicebamus, Duriora,craſſiora,viſcidiora longe tardiùs mutari,nemo dubitat.Hoc tamen verum,ſimul concoqui, ideſt ab vno & eodem calore fieri coctionem,aut celerem,aut tardam.Conſideremus modo ſuum Achillem, vt ita loquar. Pars inquit alimenti concocta vel ſtatim è ventriculo excidit, vel retinetur.Reſpondeo,excidere. Cum infert.Ergo,aperto pyloro crudi ſimul excident. id negandum.Quia,quod excidit,cum expellitur à ventriculo iam concoctum, tum attrahitur à vicinis partibus. crudum non excidit, quia nondum tempus expellendi, & quia non attrahitur, cum non ſit familiare attrahentibus : adde
50 quod ſua corpulentia,tranſitus impeditur.pono etiam retineri concoctum in vētriculi cauitate(volo enim id concedere illi,ne videar ſubterfugere argumenti vim) non ſequitur propterea,quod imaginatur. Aſſabitur (inquit) eritque inutile nutritioni. Non video aſſationis cauſſas, nā licet adſit mora, ea tamen eiuſcemodi non eſt, vt aſſare poſſit. multa mora,non breuis morula aſſandi vim habet, vt in generatione calculi in veſica diximus: deinde impedit hoc opus humiditas,

quæ in ventriculo ex potu ineſt, ac ex aliis alimentis: ita, vt aſſatio in ventriculo nequeat imaginari.

Quarta ratio ambigui nihil continet. nam vltro admittimus alimentum conſtringi à tunicis ventriculi, & vndiq; amplexari: caloremq; ipſum cōcoctionem aggredi, ſed non abſoluerere eodem tempore materiam concoquendam. Nam vt prelum ex vuis vnā partem prius educit ſucci, quàm aliam: & in eodem lebete ab eodem igne prius coquitur caro vitulina, quam ſuilla, vel ceruina: ſic ab vno eodemq; calore ventriculi prius tranſmutabitur lac, & vitellus ou, quàm caro & panis.

oui quā.

Cæterùm poſtrema ratio ſupponit duo, & ambo falſa. Primum, ipſum ventriculum attrahere ad ſeſe alimentum ex cibis omnino in chyli naturam transmutatis, aliud nutriri ventriculum ex chylo, eſt, vt dixi, vtrunq; falſum. Recipio alimentum ſumere ventriculum aliquo pacto ex cibis, qui conficiuntur; at falſum eſt ipſum non ſumere hoc alimentum, niſi poſtquam totum fuerit ad abſolutionem commutatum: falſitatem huius rei demonſtrat Galenus libro quarto de vſu part. cap. 19. vbi dicit, ventriculum ali in ipſa coctione, nō autē poſt ipſam. Paratum (inquit) auxilium quoddam ad ventriculi nutritionem in ipſa cibi concoctione] & tertio de naturalibus facultatibus, cap. 7. ait: vētriculū trahere paulatim alimentum] ad quomodo quæſo paulatim nutrimentū ſumit, ſi poſtquam plene concoctum eſt totum alimentū, nutritur; & quomodo in ipſa cōcoctione id accidit, ſi iam abſoluta concoctio eſt? Rurſus, quomodo poſt coctionem conſummatam ille nutritur, ſi quod concoctum eſt, quàm citiſſimè diſtribui cōuenit, vt idem ſcribit quarto de vſu partium, capite octauo? Alterum etiam profiteor eſſe falſum, ſcilicet nutriri vētriculum chylo; q a quodcūque vere nutrit, id ſanguinis habere formam oportet, cum à ſolo ſanguine & ſemine omnes iā primum factæ fuerint partes, nequeunt certè nutriri, niſi ſanguine, vt ex Ariſtotelis & Galeni doctrina in diſputationibus Medicis recordor docuiſſe. Subſtantia igitur chyli ventriculi nutrimentum nō eſt. Atqui duces, Galenum id admiſiſſe. Reſpondeo ex chylo nutriri, ideſt ex eius vapore, & benignitate voluptaria, ita vt fames ceſſet animalis: hæcq; apertiſſima eſt Galeni ſententia primo de ſympt. cauſ. cap. 7. ait enim, ventriculum ad ſe trahere ἀτμώδως ideſt vaporis inſtar. Sed quia hæc ad aliam tractationem pertinēt, prætermittantur.

at

dices.

Satis videor hactenus, Ludouice, ſatis feciſſe noſtro Mercenario, & oſtendiſſe pro ſanitate tuenda ſemper obſeruari generale præceptum debere, nempe, vt prima ſumantur menſa alimenta, quæ facile alterantur, & corrumpūtur: vltima verò, quæ contrario modo diſpoſita ſunt. Sed ne quid deſideres in hac materia, duo notanda ſunt. Primum oportere nō ſolum communem hominum naturam ſed etiam particularem cognoſcere. eſt quidem certè in artis operibus maxime difficile: talem enim eſſe me arbitrarer, qualē Aeſculapium fuiſſe ferunt, ſi proprietates indiuiduales exacte cognoſcerem. Hoc eo pertinet, vt admoneam, aliquando cogi nos hanc regulam ſubuertere, ſi particularis natura contra indicauerit: ſunt enim qui ſtatim ſumpto lacte, aut vitellis ouorū, aut iuſculis carnium, ilico nauſeabundi fiunt: quæ ſi poſteriori menſa bibātur, nihil offenſę percipiūt. In hoc caſu non eſt mordicus ſeruanda regula, ſed tractandus homo ſecundum proprietatem naturæ ſuæ.

Naturæ ſingulares.

Alterum notatione dignum ſeſe offert, non fore ſuſpicandum, regulam non eſſe vtilem, quod quidam, nullo ordine ciborum ſeruato, impunè viuant, nihilique mali ſentiant: nam vigente plurimum calore, & robuſtis exiſtentibus viribus, noxa non ſtatim imprimitur in corpore: at poſtea temporis tractu creſcit paulatim: neque enim quiſpiā vidit vnquā, quomodo cauetur lapis à gutta, quā tamē excauare inſenſibiliter omnibus incomperto eſt. Galenus quidem exemplo iuuenum potu niuis delectātium rem ſatis eleganter videtur mihi declaraſſe libro de cibis boni, & mali ſucci, cap. 13. hiſce verbis: Nā etſi ſtatim ipſa nix noxa ſenſibili non videatur iuuenū corporibus officere, increſcente tamen tēporis progreſſu occulto, paulatim noxa vergente nempè ætate, articuli his neruiq, ac viſcera

ſcera morbis corripiuntur; vix, aut nunquam ſanãdis] hæc ille ex quibus apparent fructus hominum intemperantium. De hoc argumento ſatis. Vale, ac meo nomine ſalutem dicito excellentiſſimo Mercenario plurimam: arbitror enim nondum ex Monte ſancto diſceſſiſſe. Taurini 8. Auguſti 1580.

FEDERICO SEVERINO ANCONÆ MEDICO.

De tuſsi antiqua ab humoribus ſalſis & craſsis, & anhelitus difficultate, cum gracilitate corporis, pro Anconitano Patricio.

10

EPISTOLA SEXTA.

TRES ſunt affectus, quibus illuſtris hic adoleſcens afficitur, & quorũ cauſſa noſtrum implorat auxilium. Vnus eſt tuſſis. Alter anhelitus difficultas. Tertius gracilis habitus corporis. Horum inueſtigandæ ſunt cauſſæ, vt rectam medendi rationem ineamus. Tuſſis cauſſæ ſunt duæ, materia ſcilicet è cerebro deſtillans in pulmones: atque ipſorum pulmonum obſtructio, & imbecillitas. concurrit, meo iudicio, vtraque cauſſa. iam quidem ex deſtillatione proficiſci omne malum tecum ſentio. Nunc verò nõ fouet hunc effectum ſola deſtillatio, ſed pulmonum intemperies, vt ego ſentio, calida, cum humorum præſentia, à 20 quibus bronchii pulmonis obſtruuntur, & fortaſſis adeſt etiam imbecillitas illius viſceris à natiuitate contracta. calidam intemperiem indicat rubor faciei, reſpiratio magna, excrementorum ſalſedo, & acrimonia, thoracis amplitudo: materia in pulmonibus contenta pituita ſalſa eſt, & ea quidem craſſa, quod ipſa in thorace diu retenta, partium tenuiorum diſſolutio à calore facta ſit: itaque nõ eſt morbus duntaxat per conſenſum, ſed per eſſentiam. factus enim eſt affectus ſecundarius, eſſentialis tamen in pulmonibus ob diuturnitatem morbi: ſecũdus enim annus agitur. Vereor ne lateat anguis in herba, ne ſcilicet ex matre malam acquiſierit hæreditatem, quæ mortua fuit phtiſi affecta. Porrò cerebrum affectum eſt intemperie calida, & humida, vt venarum amplitudo circa faciem, 30 præſertim circa oculos apparens, rubedo continua, viuiduſque color faciei indicant, ac alia, quæ circa paſſiones animi verſantur. Deſtillatio verò fit per partes internas, materia pituitoſa ob putredinem, vel ob permiſtionem ſalſæ ſeroſæ humiditatis, tranſmiſſa per colatorium ad pulmonem. Secundi affectus eadem cauſſa eſt, quæ tuſſis: nam pituita in pulmonibus ob viſceris imbecillitatem cõgeſta & ſuſcepta tuſſim facit: ſi verò contingat multo copioſius effluere, difficultatem facit anhelitus, non quidem continuam, licet continua ſit deſtillatio, quia tanta ſemper non eſt, vt obſtruat pulmones, aſthma fit, cum obſtruit. non ſentio materiam recipi in muſculis intercoſtalibus, quia dolorem efficeret, fortaſſis febrem, & tumorem. Cæterum gracilitatem repono inter morbos, in 40 magnitudine diminuta, nimis enim, quam par ſit, corpus gracileſcit: gracilitatis cauſſa proxima eſt nutritionis defectus. hic autem naſcitur, quod dira tuſſis imbecillum reddit ventriculum, cogitq; ęgrotum euomere cibum qualibet nocte: ego non inuenio aliam gracilitatis cauſſam. Vereor maximè ne exulcerentur pulmones ruptis venis ex vehementia tuſſis: præſertim in hoc Autũno. Eoque periculũ mihi videtur maius, quod phtiſis hæreditarius eſt huius familiæ morbus. vtcunque autem ſit, curatio ineunda eſt, pro cuius abſolutione alios mihi non propono ſcopos, quam oppugnare morborum cauſſas, in primis deſtillationem, pro qua ſananda proponitur totius corporis vacuatio, & reuulſio: mox humorum qui in thorace continentur exſpectoratio: Humectatio deinde, & toti- 50 us corporis impinguatio, accommodataq; nutritio.

Circa chirurgiam non admodum laudo venæ ſectionem, quia nulla labes in ſanguine, non multitudo, nõ corruptela, nõ motus: reponere ſanguinẽ expedit in corpore ad vſum nutritionis, cum ob importunũ vomitum alimẽnta tranſmutari nõ poſſint in ſanguinem. Cauterium in ſutura coronali placet mirum in modum reuulſionis cauſſa: certè confido maxime in hoc genus remedii: erit

eiusdem efficaciæ sinapismus raso capite administratus. Non admouerem cucurbitulas, nec siccas, nec humidas, quia nullus locus accommodatus est in destillatione interna ad eiuscemodi cutaneas scarificationes. Purgationem instituerem benignis pharmacis, vt exempli gratia: Rec. electuarii lenitiui drach. x. troc. de violis siue scamoneo drach. ii. aquæ farfaræ q. s. pararem materiam hisce syrupis & apoxematis, Rec. syr. de capill. ven. de liquiritia an. drac. vi. syr. de betonica vnc. s. decoctionis betonicæ, farfaræ, scabiosæ, epaticæ, pulmonariæ, vnc. iiii. misce pro vno & sic pro aliis. paratam materiam purgarem, vt Rec. agarici troc. scrup. iiii. salis gem. scrup. i. macerētur in vnc. iiii. aquę farfarę s. a. in expressione dissolue diasebesten len. vnc. i. mannæ electæ vnc. s. fiat potio. Tandem exhiberem chinę decoctum hoc modo paratum. Rec. radicis chinę pręparatę vnc. ii. aquæ scabiosæ & farfaræ destillatæ an. lib. v. maceratio fiat horis duodecim s. a. mox leuiter ebulliant ad consumptionem medietatis, & in fine adde ligni saxaphras drac. ii. Sumat huius syrupi vnc. vii. aut viii. hora matutina ante cibum quinta. repetatur idem decoctum vesperi hora post prandium septima, & ante cęnam tertia, atque ita successiue sumat, sudorem procurando vsque ad dies viginti: quo tempore bibat residuum decocti: quod singulo quoq; die, aut ad summum secundo nouum parabit: cibus sit illi exiguus, vt panis nautici vnc. ii. s. passularum vel amgydalarum vnc. iii. Vesperi autem edat parum pullæ, aut turdum. Cæterùm postquam sumpserit hoc decoctum, quiescat diebus quindecim. mox accedat ad lactis asinini potum, quo vtatur duobus continuis mensibus, nisi aliquid prohibeat: incipiat ab vnc. iiii. & summa sit dosis libra semis. Postea singula quaque hebdomada ter horis duabus ante cænã ingrediatur balneum aquę dulcis, & integro mense continuet. Victus rationem eam seruabit, quam tu ipse præscripsisti. & hæc mea sententia est. Deus O. M. sit dator auxilii.

MEDICIS GENESINIS.

Pro Domino Angelo Roncono Genesino ad vigiliarum instantiam.

EPISTOLA SEPTIMA.

QVAMVIS hoc vnum sciam, & profitear, nihil posse me in factitanda medicina intimius prospicere, quod non multò prius cognitum, diligenterque animaduersum ab Angelo Roncono Genesino, aliisque Medicis illius curationi incumbentibus fuerit: tamen quia impium est, amicis honesta petentibus, quicquam denegare: & quia optimum est in propriis controuersiis aduocatum quærere, breuiter admodum, pluribus alioquin impeditus negotiis, præsertim verò in in mea supellectile ad patriam exportanda, ad quam (post continuam annorum viginti duo peregrinationem) annuēte. D. O. M. sum breui rediturus, cōscribam quid sentiam ipso in casu; hoc tamen pacto, vt quicunque hæc legerint, omnia boni, & æqui consulentes, sciant ab homine negotiorum pleno proficisci. Venio ad rem propositam, ne meam desiderantes opinionem pluribus morer. Supponitur ingens vigiliarum instantia, post multarum caussarum externarum concursum; cum destillatione à capite ad thoracem acri, & aliquando salsa, atque cum imbecillitate ventriculi. Hic quid agendum sit, quæritur. Respōdeo consulendam esse naturam rei, quę nobis actionem, eiusque modum indicabit. Vigiliæ excedentes originem ducunt à multis caussis: harum externæ quædam; internæ aliæ sunt: illæ quidem vix possunt, nisi concurrentibus internis quicquam efficere, quod affatu dignũ sit, hęc citra illarum syndromē vim habēt maximã: vtrisque conspirantibus concursus fit magnus. Externæ, sunt dolor, æstus, mœstitia, sitis, curæ, & quęcunque spirituum aut inflammationē, aut dissolutionē cum siccitate procreant. Internæ duæ sunt; vna est calidus humor, aut in substantia cerebri molestus, vapor acer, & mordax (haud ab re in cerebri substantia, non in membranis diximus, quia certè videor has ipsas ab hoc munere excludere: quandoquidem subita membranarum intemperies dolorem efficit:

Casus.

Vigiliarũ instantia quib. de caussis originem ducant.

10 20 30 40 50

efficit: at vero intemperies cerebri ſuapte natura caret dolore, aut ſine calidita-
te,& acrimonia humor venenatus, & pernicioſus cordi moleſtiam continuã in-
ferens,ac ſubinde ad ipſius cerebri ſubſtantiam vaporis ſpecie elatus, quale pe-
ſtiferis febribus,& vniuerſaliter in malignis omnibus apparet. Ex iis, quæ mihi
cõſcripta ſunt, colligo, harum cauſſarum concurſum adeſſe; ac etiã præceſſiſſe
extrinſecas,ſupponere oportet,tanquã omnibus apertum. quod vero ſimul cum
iis internæ conueniant,facile demonſtrabo. Primum omnium difficultatem nõ
habet aliquam,quod externarum cauſſarum impetus procreare non poſſit, ſine
aliarum aduentu multarũ hebdomadũ vigilias: opus enim eſt intrinſecus adeſſe
10 aliquid,quod hunc effectum foueat:& iam iam productum conſeruet, neq; hic
ego immorabor, quia videtur mihi nullam penitus habere difficultatẽ. Quam-
obrem opus eſt vt ſtatuamus, cõtineri aliquid in cerebro,quod hanc faciat mo-
leſtiam: Certe malignum non eſſe humorem,& peſtiferum,nemo eſt,qui dubi-
tet. ego certe videor certiſſimus. adfuiſſet enim febris continua ſuis comitata
ſymptomatis, quinimo febris proceſſiſſet peſtilẽs. idcirco videor poſſe conclu-
dere ab humoribus acribus contigiſſe. Iam verò ij aut in cerebro generantur;aut
in aliis partibus procreati,ad cerebrum trãſmittuntur, vel ſpecie vaporis, vel hu-
moris,aut ratione vtraque. Putauerim vtrumq; conuenire,tum ſcilicet in capite
per eſſentiam adeſſe horum congeriem;tum etiam ab infernis partibus conſor-
20 tii lege tranſmitti. Cur in hanc ſuſpicionem veniam explicandum. Primum ſa-
ne hominis temperamentum, quo ad cerebrum attinet, ſiccum videtur mihi,
quamuis humidum ex accidenti: quam rem ſignificat propenſio ad curas con-
tinuas;cogitationes perpetuæ;& ſi bene recordor,oculorum quædam concaui-
tas;atq; in actionibus animalibus firmitas,& prudentia. Tandem verò, ſi capitis
ſtructurã diligenter contemplabimur,omnia fere (vt ſemel dicam) inueniemus,
quæ naturalem eius partis indicant ſiccitatem. Quod verò hanc foueat conſen-
ſus inferiorum partium,quis dubitat? Calidum hepar,ſiccus totius corporis ha-
bitus,ad iram propẽſio,excremẽta bile ſatura; ad hæc alia plurima illi notiſſima,
manifeſtiſſimum faciunt: ex his concludendum videtur, hoc ipſum ſymptoma
30 actionis animalis deprauatę redigendum eſſe in duplicẽ cauſſam: vna eſt intem-
peries calida & ſicca cerebri; alia vero hepatis, & corporis totius: nolim tamen
quempiã contrariũ ſuſpicari ex eo, quod deſtillationẽ patiatur ad ipſum thora-
cem: atq; quod ventriculus in concoquendo plurimum laboret: hæc enim non
modo ſigna ſunt caloris natiui oblæſæ partis labefactati,ſed humores etiam cali-
dos & ſiccos abũdare. Ex illius namq; imbecillitate diſſolutis ſpiritibus mirum
non eſt, ſi cerebrum,ſi ventriculus male habeant, cum ex vigiliis immoderatis
effluente ad cerebrum bile, & calido vapore deſtillationẽ illam procreari indies
omnes videant. Nunc tempeſtiuũ eſt,vt curãdi indicationes inueſtigemus. Re-
mouenda à cerebro intemperies calida & ſicca, à qua præcipuè fit exceſſus vigi-
40 liarum: hanc non licet auferre, niſi humores ſicci,& exuſti expurgentur ex cere-
bri ſubſtantia; neq; hos expurgare licet, niſi prius ab hepate,& toto ambitu cor-
poris tollantur. Mox verò neq; id ſatisfaciet nobis,niſi humores acres,quales bi-
lioſi ſunt;ac etiã admodũ ſicci,& exuſti, quales cum bilioſis melancholici ſunt,
& nitroſi,contemperentur;deducaturq; corpus vniuerſum,& partes capitis ob-
læſæ ad eum potiſſimum temperamentum,quod pro ſomno naturali concitan-
do paſſim deſiderari ſolet,quæ res tum remediis, tum victus ratione optime in-
ſtituta fieri poteſt. In his videtur mihi conſiſtere totius curationis ſumma: quam
an aſſequi poſſimus,nec ne, ambiguum videtur: quando quidẽ magnus affectus
videtur mihi,qui tot dierum ſpatio hominẽ exercuerit iam in primo ſenio cõſti-
50 tutum. Tamen curatio tanquam impoſſibilis negligenda non eſt: quia origo, vt
relatum fuit, affectionis huius ab extrinſecis cauſſis maiori ex parte profecta, vbi
euaneſcant illæ, in contrarium ſtatum facile permutari poterit: poſtea vero
cum aſſuetus fuerit natura, vigiliis eſſe deditus, minus periculi ineſſe in hoc ipſo
videri poteſt, quam in aliis copioſo ſomno deditis. Quamobrẽ audacter curatio
exordienda eſt.

Prognoſti-cum.

Principium itaq; curationis institutæ ab euacuatione desumendum videtur: in qua obeunda diligentissimos fuisse Medicos illius curationi inuigilantes non dubito, idcirco vbi ab humoribus expurgatum excrementitiis fuerit, ad alia accedendum: at si fuisset forte prætermissum (quod non credo) statim fiat iis medicamentis, quæ leuiter purgant, neq; enim agitandi sunt humores, aut inflammádi, cum vigilias modũ excedentes curamus: prę cęteris omnibus eligerẽ reubarbarum, & senam: Vellemq; vt his assuesceret ita, vt quotidie acriorum humorũ efflueret aliquid per inferiorem sedem: quod non hæc modo præstabunt, quæ dixi, sed etiam enemata, vsus ad hæc electuarii lenitiui (quod in rem præsentem præstantissimum esse duco) aut etiam ex mixariis. Vtrunq; deuoratum quotidie ad drachmas sex duobus diebus, aut tribus continuis aluo admodum sicca operam præstabit egregiam: Cæterum haud esset ab re in eiuscemodi temperamento, quod (vt admonuit Galenus) ætatis successione fit melancholicum, venis hæmorrhoidalibus duas, aut treis hirudines apponere, sinereque, vt ex consuetudine artis huriatur sanguis acer, atque melancholicus: sic profecto fient reuulsiones ex capite confluẽtium vaporum, & humorum acrium. De venæ sectione nihil dico, quia suppono vires non esse ferendo: at si assidentes Medici secus iudicauerint, quorum iudicio credendum est, admitterem præsidium libenter aperta vena brachii sinistri interiori, & repetita secundum exigentiam virium.

Theriacis vsus.

Euacuato (vt decet) corpore, duo sunt (meo iudicio) plurimum necessaria: aliud vt eunti dormitum (hora scilicet somni post cœnam horis duabus, aut tribus plus minus) assumat optimæ theriaces drachmam vnam, cum drachm. ij. zuchari nenupharini, in cuius absentiam rosaceum admitterem: idq; tribus diebus continuis faciundum iubeo: nam corroborabitur ventriculus, humorum qualitas illa obtundetur, corrigemusq; tum intemperiem, tum destillationem. Sed cauendum ne theriaces antidotus sit antiqua; neq; admodum recens. Illa exiccaret summopere: Hęc propter polentem oppii vim imbecillas vires nimiũ labefactaret, eligẽda pro opere idonea, ætatis mediocris, vtputa duorũ annorũ, aut vnius cum dimidio: qualem præparatam habebis diligentissime ab Oliuerio Maceratensi pharmacopola. Nec me præterit vsum diacodii optime præparati vires habere admodum insignes, quo promiscue vterer hac proportione, vt partibus tribus optimi diacodii, partem vnam permiscerẽ syrupi ex absynthio, & par. 5. syrupi mirtini. In rem præsentem vsus erit ante, & post cibum, ac etiam si placuerit simul cum cibo.

Balneum.

Aliud, in cuius vsu plurimum confido, est, vt ante prandium aquæ dulcis balneum ingrediatur: neq; enim apud Galenum, apud Plinium, Athęneum, ac alios clarissimos Medicos suspectus fuit vsus balnei in frigidis temporibus, vrgente necessitate, ac aliis diligenter adhibitis, quæ pro corrigenda ambientis aeris iniuria probus Medicus iudicauerit. Sit igitur ex dulci aqua præparatũ, in qua pręcipue decoquantur flores antemidis, & melliloti, & violarum, cum melissæ (cuius vires egregiæ sunt in hoc effectu) partibus tribus. Mirum est, quod ex eiuscemodi remedio contingere solet ægrotis commodum: ego sane, nullum ex externis præstantius inuenio.

De lactis vsu.

Verum enimuero, quia in hoc habitu admodum gracili, & prima senectute iam constituto, humores ad æqualitatem illam redacturos esse hisce auxiliis, vix confido: esset mea sententia perueniendum ad alia. Et quamuis me non fugiat magnam esse syluam medicamentorum, tamen ex multis potiora seligã: quin imo ex multis vnum duntaxat propono: & illud est potus lactis caprini: audi caussam meæ opinionis. Corpus indigere nutrimento certum est: vt etiam certissimum, contemperamentum postulare humores acres, humectationemq; totius corporis, habitum siccum exigere. ad hęc vero bilem prætorridam expurgationem indicantẽ. Quod itaque præstantius excogitari potest? nutrit lac maxime, bilem contemperat, expurgat, humectat præsiccatum corpus: cur non admittetur? Obesse dicent fortasse aliqui capitis imbecillitatem, quia destillationem

nem

nem patitur. Sed, vt his respondeam, cur vlceratis pulmonibus à destillatione acri, maximopere laudatur ab omnibus Medicis? scio locum esse Galeni libro de alimentorum facultatibus, in quo præcepit, haud prodesse imbecillo capiti: sed hæc sententia, præterquam quod cum aliis pugnat, intelligenda non est de imbecillitate omni, sed de aliqua, vtputa quam humor pituitosus procreat, ac de aliis, de quibus dixi alibi subtilius. Admoneo igitur non esse pretermittendũ auxilium, quod maximam illi vtilitatem impartiturum non dubito.

Hic tacitus prætermittere modum nolo, quo ego vti soleo, vt candorem cognoscas animi mei.

10 Assumito tribus primis diebus lactis caprini recenter mulcti, libras tres, aut duas cum zuchari albissimi vnc. s. & salis scrup. vnũ, caueat à motu violento, & somno, & ab omni alimentorum genere, nisi transactis horis quinq;.

In hisce diebus, vt bene ex Græcorum nosti doctrina, expurgabitur bilis ex toto corpore, & humectabitur; hoc igitur obseruandum est, vt omnino ex lacte aluus reddatur fluida, quia si minus, nihil prodesse poterit. præstabitq; abstinere potius, quam exhibere, nisi vltimis diebus, in quibus non quæritur purgatio, sed nutritio, humectatio, contẽperatio. neq; videatur nimia quantitas, quia alioquin non abluit, nec expurgat. obambulando exhaurienda recens emulcta per vices fuerit.

20 Aliis deinceps diebus quinque assumito libram vnam, cum drachmis duab. zuchari albissimi, & salis scrup. s. in quibus iam propositus scopus est magis nutrire, minus abluere.

Tandem vsq; ad vigesimum diem vncias sex, aut octo cum drach. 1. zuchari capiat: In quibus tum humectatio, tum nutritio corporis, tum etiam contemperatio vigere dicuntur.

Certe, si quid valet, Augenii tui iudicium, hoc auxilium non est prætermittendum.

Accedo ad intemperiem capitis corrigendam. Vtitor primum embrochis in sutura coronali.

30 Rec. violarum, corticum papaueris, seminum lactucarum, florum nenufaris, maluarũ, altheę, melissæ, an. man. j. camomillę, man. s. seminis basiliconis drachmas duas, psilii drachmam vnam, foliorũ stichados, & betonicę, an. manipulum semis, decoquantur pro lotione capitis ante cibum matutinum, ac vespertinum hora vna. *Lotio somnifera.*

Vnguentum post lotionem applicandum, quod ipso vsu præstantissimũ esse comperi.

Rec. succi lactucæ lib. s. semperuiui, portulacæ, an. vnc. ij. succi rosarum puri, vnc. j. s. aceti albi vnc. j. farinæ hordei vnc. j. s. seminum papaueris albi, vnc. j. iusquiami, drach. iij. puluerizatis pulueriz ãdis fiat emplastrum apud ignem, quod 40 imponatur in sutura coronali, abrasis diligenter capillis post embrocationem. *Vnguẽtum somniferum*

Odoriferum ad concitandum somnum à me non infrequenter expertum.

Rec. corticum papaueris albi, drach. ij. violarum, nenufaris, seminis portulacæ, lactucæ, scariolæ, an. drach. j. s. ligni aloes, drach. s. croci. scrup. s. seminis anethi, scrup. ij. foliorum melissæ, man. ij. pulverizẽtur omnia per se, mox misceantur, & ligentur in sindone, & odorentur continuo. *Odor ad excitandum somnum.*

A stuporem inducentibus, nisi magna vrgeret necessitas, abstinerem, quandoquidem virtutem validam exigant, ac mihi absenti harum habere notitiam non liceat: At vero, si prudẽtes Medici illorũ vsum necessariũ esse iudicauerint, vti possent aqua aliquapiam ex soporiferis tum extrinsecus, tum intrinsecus ac-50 commodãdis: quarum ex mea officina exemplum affero: Aqua, siue liquor destillatus ad prouocandum somnum, estque saporiferum secretum. Recipe opij thebaici, alliorum à cortice mundatorum, an. vnc. ij. allia pistello ligneo tunde in pila marmorea, mox addito opium tritum, & bene concorpores, vt fiat ceu opiata. Hoc destillabis in cornuta leuissimo igne in cineribus. De hac aqua, si opus fuerit, inunge tempora, frõtem, carpum: & caue ne extra necessitatem vta-

ris, valet eiuscemodi aqua melancholicis, maniacis, phræneticis, ac omnibus morbis, in quibus vigiliæ inducuntur.

Alia ad inducendũ somnũ aqua Fumanelli, Recipit succi papaueris vtriusq; an. librã semis, succi hyosciami albi & nigri, an. vnc. ij. succi portulacę, lactucæ, an. vnc. iij. succi fabæ inuersæ lib. semis, nenupharis vnc. iij. seminis vtriusq; papaueris, radicum fabæ inuersæ, an. vnc. ij. seminis lolij lib. semis, hyosciami albi & rubri vnc. iij. xyloaloes, nucis methel, an. vnc. j. s. portulacę, lactucę, an. drach. j. scariolæ drach. j. seminis endiuię vnc. j. contundantur & ponantur per tres dies in vase vitreo, & destillentur; detur drach. j. cum vino aut aqua, aliquapiam accommodata, prout affectus naturæ postulauerit. 10

Reliquum esset modo, vt de victus ratione quædã dicerem, quæ ad vitalem indicationem pertinet: sed quoniam illi viro apprime docto, vt alia etiã sigillatim omnia, de quibus hucusq; scripsimus, notissima sunt, prætermittenda duxi, his paucis contentus, quæ alioquin currenti calamo scripsi. Deus ad vota secundet; ex Tolentino die secunda Nouembris 1577.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM MEDICINALIVM, LIBER SEXTVS. 20

IVLIO CINO COLLENSI MEDICO. S. D.

EPISTOLA PRIMA. 30

In qua disseritur, an inchoante accessione, vrgenteq; cardialgia, valida conueniant enemata: Qui sudores boni, qui mali, ac neutri in acutis morbis debeant iudicari. Qui scopi indicent missionem sanguinis; & de febre pestilenti quadam; pro controuersia inter Cinum, & Vincentium Cibum Fulginatem conscripta.

Apologiam Cini scriptã in Vincẽtiũ Cibum legito in hoc volumine libro nono epis. 2.



VAS literas mihi decimaquinta Ianuarii dedisti, redditæ sunt quinta Martij: quamobrem si spectetur tempus, quo datæ sunt, respondere tardius videbor: at si quo illas recepi, atq; si priuatas, publicasq; in factitanda medicina occupationes 40 contemplaberis, certe in Augenio neq; studium, neq; voluntatem desiderabis. Ijs, quæ mihi fuerunt gratissimæ sigillatim respondens, primum omnium admoneo te etiam, atq; etiam, vt honori tuo prospicias. Primum, quia disputationẽ habes cum Vincẽtio Cibo Fulginati, vt ex quorundam relationibus audiui: demum quia res de qua agitur, plena est controuersiarum. ille si quidem non solum ob communẽ conditionẽ, & sortem quandam veluti fatalem patrię (vt loquar Ethnicorum consuetudine) quæ semper doctissimos, ingenioq; subtili præditos Medicos; sed magis ob priuatos labores, doctrinam insignem, artis vsum, obseruationemq; ad summum peruenisse creditur: atq; (quod sane admirabilem hominem facit) cum his mo- 50 res suauissimos coniunxit, & humanitatem infinitam: cur huius in Apologia, aut in tua ad Missinũ epistola non memineris, caussam non video: cum sentẽtia mea non debuisset illius nomen silentio prætermitti, tu scis caussam. Hominis igitur conditio, authoritas, doctrina, nobilitasq; multum quidẽ detrahere fidei videntur literis tuis. Adde negotium non esse leue, sed certe maxime controuersum,

de quo

de quo proposita est tractatio: primum quidem nulla institui ex arte potest disputatio, cum disceptantes non conueniunt in principiis: At vos ipsi minime cõuenitis: tu enim vno, ille alio, ad Sebastianum Paparellam fratrẽ in epistola, modo rem habuisse significatis. Mox data etiam eorum, quæ abs te scribuntur, veritate, video adhuc magnas adesse, & fere inextricabiles difficultates, de quibus temere pronunciari non debet, vt audies. Interim tibi gratias habeo immortales Cine, quod tam egregrie sentias de me, & de lucubrationibus meis, & gaudeo sane plurimum, id mihi persuadens, omnibus placere, quod tibi semel placuerit.
10 Me certe quidem currentem incitas, dũ persuades, vt labores meos de febribus, ac alios, quos domi suppressos habeo, in tui, aliorumque studiosorum gratiam tandem promulgem. Credito quæso Cine, me id aliquãdo facturum eo animo, vt experiar aliorum iudicium, quia si cõcors fuerit, in opinione confirmabor: si discors, de me optime actum fuerit, qui didicerim veritatem aliorũ studio, atq; diligentia. Nam apud Medicum, Philosophumq; nihil ipsa veritate antiquius esse debet: ac certe multo magis apud Theologum, qualem teipsum in tuarum literarum subscriptione profiteris. hac de caussa factum est, Cine, vt sperem, te quæ scripsero, boni & æqui consulturum, ac persuasurum tibi, non odio, non liuore, non (vt semel dicam) mala quapiam ductus animi affectione, hęc libenter
20 literis commendasse. Verum cum hæc præfationis loco putẽ sufficere, ad propositam controuersiam venio.

In tuis literis ad Missinum dissensiones adesse quamplures inuenio inter te, & Fulginatem illum clarissimum, quarum summa est. Tu illum aperte admodum reprehendis, validioribus enematis vtentem vrgente cardialgia, & in accessionum principiis. Quod diaphoreticum prouocare sudorem studuerit: ac passim hominem docere profiteris. Ille autem in eo aduersus te disputat, quòd non cognoueris morbum ægroti. Quod generosa prætermiseris auxilia: Quòd non fueris assecutus Hippocratis sententiam: quodq; tua neglıgẽtia & socordia Monaldus Clementinus vir illustris, fuerit mortuus. Quæ tua fuerit opinio ipso in casu, dilucide apparet ex iis, quæ scripsisti, & quę passim legẽda præbes omni-
30 bus, illo dũtaxat inscio, cui certe primum debebas (nisi meũ me fallit iudicium) tuarum copiam dare, vt secum pro veritate acerrime pugnares. At quid colligendũ de Vincentii sententia nihil certi habemus, quoniam is vt seipsum tueretur, rescripsit nihil (neq; enim quicquam poterat rescribere, ignarus omnino eorum, quæ abs te illi vitio dabantur) quamobrem ex tuis literis, est eius opinio depromenda. quibus tamen ille nullam adhiberi vult fidem, cum in literis suis ad Sebastianum Paparellam fratrem, quæ apud me sunt, profiteatur, te casum tuo modo confinxisse à nemine prohibitum, atq; passim mentiri. Hęc volui scripsisse duplici nomine: primum vt sciant omnes me de Cibo optime sentire, tuisque tantam adhibere fidem, quantam debeo: deinde vero me, de illius sententia di-
40 cturum, ex iis quę abs te posita sunt, & concessa, quæ ille si scripturus est, non admitteret fortasse.

In mea igitur opinione circa propositam disputationem explicanda septem rerum capita diligenter examinabo, eo penitus obseruato ordine, quem in tuis illis ad Missinum seruasti.

Quæ sint explicanda in proposita cõtrouersia.

Primum circa historiam notabo quędam ad totius rei cognitionem apprime necessaria. 1 qua v. p. 209.

Deinde explicabitur an accessione inchoante, & vrgente cardialgia conueniant enemata: atq; si conueniunt, qualia debeant vsurpari. 2

Mox, qui sudor bonus, aut malus dici debeat in acutis febribus, & an prouo-
50 cari debuit vestri ægroti sudor. 3

Ad hæc, an recta ductus ratione sanguinis missionem prætermiseris. 4

Quinto, an febris, positis tuis principiis, pestilens, aut maligna dici potuerit. 5

Rursus, an recte proposueris ægroto cassiã cum hieræ puluere, & Mannam. 6

Postemo, quæ mortis extiterit caussa. His pro dignitate enarratis, videbor tibi, mihiq;, ac fortassis Vincentio satisfecisse. 7

Accedens igitur ad horum explicationem, primum omniũ affirmare ausim, ex historia, quam retulisti, me nondum cognoscere, qualis fuerit febris; quã rem pro curationis absolutione distinxisse, referre quidem plurimi, nemo est, qui nesciat. Puto arbitrari te, eam febrem extitisse intermittentem: nam dum Vincentii opinionem refellis, tertianã productam vocas, & quia saluberrimam fuisse febrem dicere videris: adde, quod cum tres inuasionis periodos enumeres cum rigore, ad febres intermittentes debet referri; quarum videtur proprium priuilegium cum rigore paroxismos incipere. Verum, quoniam tertianarum intermittentium species infimæ, ac specialissimæ duæ sunt, exquisita, & illegitima; quæ vt essentia, sic curatione plurimum distant, ego sane ex tuis literis non video, vtra sit febris. Exquisitam fortasse nuncupabis, nam rigor fit à flaua bile per sensitiuas corporis partes subito, & affatim transmissa, quam rem in legitimis solum contingere, ambigit nemo, quemadmodum horror ad spurias, & extremarum partium frigiditas ad phlegmaticas febres. Sed si res hoc modo habet, quomodo quæso hanc dicis fuisse tertianam productam? cum exquisita sit omnium febrium intermittentium breuissima, omniq́ue carens periculo? nam septem terminatur periodis, quod est longissimum. Rursus verò, si exquisita fuit, cur euomuit bilem pituita permista? cur ex ipsiusfebris vehementia mortuus est? Dices mortuum hominis negligentia, remediis perperam adhibitis. Bona verba, Cine: non sunt temere dicenda. Absurdum est, & periculi plenum, hominem in artis operibus clarum, reum mortis facere: sed hac de re loquemur loco suo. Interim ad rhombum. Quamobrem ex historia colligi non potest, quod fuerit exquisita tertiana. Deinde vero neq; colligere possum spuriam extitisse: Quoniam in spuriis non adest rigor, quem hic adfuisse dicis; deinde non vacant periculo, quæ potissimum productæ sunt, vt Galenus ait primo ad Glauconem. Mox pone talem extitisse, declarare saltem debebas, an pituitæ, an melancholiæ permistio illegitimã fecerit: aut bilis adustione in vitellinam transmutata, vt quibusdam placere scio. Rursus neq; deducitur intermittentem febrem vocandam esse, quoniam tertianæ nothæ aliquando continuæ sunt. Tuæ autem coniecturæ ad huius rei probationem inductę, non concludunt. labores, vigilię, curæ, aeris ambientis feruor, victus ratio, non seruans modum, possunt, tam intermittentẽ, quam continuã febrem inducere. multo minus reliqua persuadẽt, quę hisce verbis adduntur in tuis literis. Ex caloris energia, pulsus commensuratione, vomitu bilis, & typo cum rigore, & inuasione alternis diebus.] nam hæc ipsa comitari posse continuas febres notum est. Caloris actus (sic energiam voco) febrem denotat, vt febris est: est enim eius natura acris, mordax, insuauis, tactum vehementius feriens: Hic actus est caloris febrilis, si alium intelligis magis particularem, qui sit proprius tertianæ, hunc equidem explicare debuisses: mox verò ad infimum peruenire oportebat, qui actus esset legitimarum, aut spuriarũ, prout natura febris videbatur. Cum addis commensurationem pulsus, nimis communem significationem affers. Qua mensura, Cine, altitudinem, longitudinem, & profunditatem pulsus commensurasti? quomodo tibi vis credi, si hanc mensurandi rationem non explicas? Erant partes tuæ docere, hanc febrem pulsum habuisse tertianarum, non quartanæ, neque quotidianæ: atque hic rursus minime debebas insistere, sed vlterius progressus ad infima perueniens, demonstrare hunc pulsum aut exquisitarũ, aut notharũ extitisse propriũ. Proponis vomitum: quasi quod cum vomitu bilis, & nausea, continua febris nequeat consistere. Rigor subsequitur, qui videbitur fortasse proprius intermittentium, ita vt nunquam ab illis disiungi queat. sed nisi decipior, res in hunc modum non habet. nam & inchoante, & consistente continua, rigor aduenire potest. Inchoante, cum propter multitudinem humoris putrefacti in venis natura nõdum morbi vehemẽtia facta imbecillior, per sensitiuas corporis partes internas, aut externas expulsionem tentat; quæ demum cessat, vbi sit debilior: Vigente aduenit, quoniam rigore superueniente fit solutio, vt ait Hippocrates. Quòd continuæ febres adueniãt, quæ primis diebus inuadant cum rigore, præterquam quod est à Medicis

Ex historia à Cino relata non posse cognosci distinctas species febris, q̃ ille curabat.

Cini verba. lege primã epistolam libri noni.

à Medicis clarissimis confirmatũ, obseruatio quotidiana manifestum facit: idcirco id supponendum est. Quid de ipso alternis diebus dicam circuitu? Galenus à circuitu absurdam deduci, & fallacem coniecturam tradidit: cui adhęrere iuuat. at si fuerit quotidiana continua, tertiana vero intermittẽs, suo carebit circuitu? an si tertiana extiterit continua? si vera hæc sunt, vti putantur, cur non potuit esse Hęmitritęus? ex his satis superq; patet, nihil deduci necessario ex iis, quę in historia protulisti: cum potuerit esse continua, ac etiam continuarum perniciosissima, qualem existere semitertianam admisit Galenus. Deduco tamen ex historia tanquam certum, ægrotum magnam passum fuisse cardialgiam, nàm ais: de ventriculo fuisse conquestum, & ob eius dolorẽ, ac morsum totam noctẽ duxisse inquietam] ac rursus, quod in tertia periodo maximam citra ventriculũ passus est perturbationem] tuis verbis loquor, vt sententiam facile recognoscas: hoc itaque vt apertum supponamus. Alterum etiam ponamus, semel duntaxat euomuisse, sed parum, quia sic scribis: Euomuisse bilis portiunculam] idque in prima accessione, in secunda, tertia, & quarta nunquam à natura prouocari potuisse vomitum, idcirco asseris concludens, & vomere nunquam potuit] hac die in accessione tertia oximelitem raphano paratum exhibere voluisti: tãdem colligamus habuisse vomitum maxime difficilem, cum ventriculi morsu, & cardialgia. Volui hæc annotasse primo loco, Cine charissime, tum vt ostendam tibi me diligenter legisse, quæ scripsisti: tum etiam, vt secundo amice admoneam te ipsum, quod qui Vincentij defensionem suscepturi sunt, campum defensionis apertissimum, ac etiam fortassis tutissimum, habebũt: quodq; in primo ingressu tuæ huius apologiæ, testari possent, indiuiduam speciem huius febris te minimè cognouisse.

Fundamenta certa ex Cini historia relata de quibus agendum.

Accedamus ad reliqua. Proponitur discutiẽdum, quid agere conueniat, homine affecto cardialgia cum febre: an scilicet prouocandus vomitus, an vtendũ enematis. Putas illud esse necessarium, hoc autem maxime detestandum. Et ne citra rationem loqui videaris, id ipsum dupliciter comprobas, Primũ inductione desumpta à temporis constitutione, humoris commotione, & consuetudine, atq; propensione, ea præsertim hora, qua paroxismus inuasurus est] hæc ex Hippocratis aphorismo confirmans dicis, vacuationem fieri debere per loca conferentia, quo natura tentat, eo ducere oportet, supponens adhæc, notũ esse omnibus, quantum conferat vomitus in accessionũ principiis. Secundo idem probas authoritate Alexandri Tralliani, & Auicennæ, cuius verba à te proferuntur in hunc modũ: Quòd, si inueneris humorẽ declinare ad vomitũ, in primis fac eum vomere] & infra. cum natura mouet vomitũ, caue ne diuersifices eam] Miror, te simul non retulisse Tralliani verba, atq; non addidisse Galeni verba: Græci quidẽ, vt scis, authoris, atq; inter Græcos omnes celeberrimi, qui in morsu ventriculi vomitum laudauit: sed certe non debebas prætermittere historiã ab eodem relatam, nempe illius hominis, qui ex vomitu æruginosæ bilis fuit statim à cardialgia liberatus. Vereor ne potissimũ adhæreas Arabibus, & Græcis relictis, qui omnium bonorum extiterũt nobis authores, illorum lectione sola delecteris. Sed quomodocunq; res habeat, tu quidem vomitum prouocandum, & ab aliis omnibus remediis abstinendum putasti. Ille verò contra, abstinẽdum à vomitu, & per inferiorem sedem deriuãdos humores acres arbitrabatur. Sed quoniam ego aliter sentio, nempe aliquando prouocandum vomitũ, aliquando minime tentandum: cum aliquando magis expediat vel per infernas partes purgare, vel humoris acrimoniam obtundere, ac semper expediat corroborare ventriculum, desumpto paulo altius principio à cardialgiæ caussis demõstrabimus, quæ vigeant ipso in casu indicationes curandi: mox videbimus, an vomitus fuerit expediens, & quando; hacque via incedentes methodum obseruabimus, nihil vere relinquemus, q; facere dubitationẽ possit: eoq; id libentius faciundũ, quod tu caussas sæuissimi huiusce symptomatis explicare noluisti. Dico igitur, ex variis occasionibus cardialgiã concitari posse: nempè ex inflãmatione ventriculi, iecinoris, lienis, ex lumbricorũ ad superiores partes ascensu, ex omni genere bi-

An vomitus vel enemata conueniant in cardialgia cum febre.

Libro duodecimo methodi medẽdi.

Cardialgiæ caussæ multa.

lis ostium vẽtriculi lacessente. In causto quidem circum cor ardor bilis prassinę, aut æruginosę exęstuans, tum oppressionem pene suffocantem, qua huc, & illuc miser ægrotus impellitur, tum cordis morsum inferre consortij lege, ac etiam appellente ad ostium ventriculi, potest: Nam hic perniciosus humor in pręcordiis, aut in visceribus firmatus, ac per inuasiones febris varie impulsus, vẽtriculi ostiũ opprimit, vellicat, pungit, diaphragma feriens difficilem respirationem faciens, ęgrũ pene suffocat, bilis flaua idem efficit, sed minori efficacia, prout minor adest in ipsa malignitas, & acrimonia. Idem fit à vitellina, quam si Arabum consuetudine intelligimus, ob pituitæ miscellam, minus offendit flaua bile: si vero talem adustione genitam audiamus, magis molesta est. Maxima oris ventriculi ex propria corporis constitutione sensibilitas, affectũ auget: quia hæc leuissimarũ caussarum occasione potest acerbissimos dolores facere. Hęc sunt morsus oppressionis, cardialgię caussę præcipuę cum febricitantibus adueniunt, intemperies sola citra humoris affluxum nunquam: neque etiam frigidi humores caussare hunc affectum valent. Quid in illustri Do. Monaldo Clementino contigerit, notum est tibi, qui præsens curasti hominem, certe incognitum est mihi absenti, & qui tua relatione in veritatis notitiam peruenire non potui. Febrem dicis fuisse tertianam, at in vtroq; genere tam continuarum, quàm intermittẽtium bilis omne genus facere hanc acerbã potuit cardialgiã: in continua tamen adesse potuit inflãmatio ex bilioso sanguine, quæ tertiani circuitus febrẽ produxerit, vt interræ solẽt inflammationes. Putauerim te admissurum, symptoma ex bile originẽ duxisse: quia illius portionem vomitu reiectatam vidisti. Sed ex qua bile procreatus affectus fuerit, non dicis: quamobrem diuinandum, quid sentias. Perpendamus interim alia maximi momenti: vnum quòd in febribus per circuitum inuadentibus ventriculi morsus, inuadente accessione magis oblædit, quàm declinante. Talem fuisse casum ægroti vestri historia facit manifestum, & disputatio cum Cibo habita. Alterum etiam animaduertendum est, quod morsus vẽtriculi magnam, in eo quod magis ac minus, latitudinem habet. Nam aliquando paruam, aliquando magnam, & nonnunquam mediocrem inferre solet molestiam: neq; par est in omni, ratio medendi, cum certe, vt post hac dicam, plurimum euariet. Scopi præ oculis habendi sunt tres. Vnus acrem humorem purgare. Alter acrimoniam eiusdem obtundere. Tertius corroborare ventriculum. Primum indicat copia. Secũdum qualitas humoris. Tertium vsus toto corpori communis: ac ideo siue obtundere, siue purgare placeat, hunc ipsum nunquam prætermittere debemus. Si exiguus fuerit affectus, aut mediocris, vires tamẽ fuerint validę, humorum purgatione prætermissa ex ventriculo, corroborantibus, & obtundentibus vtendum est. In magno tamen affectu obtundẽda est acrimonia, & simul ex ventriculo purganda, mitigataq; cardialgia corpus vniuersum vacuandum, aut venæ sectione, aut purgatione, prout affectus naturę videbitur postulare. Eiuscemodi dubitationem mouit aliquando Galenus, & in hunc modum explicauit, quem dixi: sic magnus Hippocrates multo antea rem fecit apertissimam. Vterq; audiendus est tibi. Sic enim Galenus. Age enim, si quis febricitet, & adsit plethorica dispositio, verũ ex recentibus cruditatibus sit, & morsum sentiat, afflictumque os ventriculi, vel etiam si humorem aliquem malum euomuerit, & in huius transitu non parum fuerit offensus, adeo vt grauiter se habeat, atque anxie, nunquid hic ad febrem respiciẽtes solam multitudinem vacuare tentabimus, quod alioquin sine molestia faceremus, vel potius ori ventriculi prouidebimus: deinde verò postquam circa hoc melius se habuerit, quam contigerit, totius corporis vacuationem faciemus. Mihi quidem ita agendum videtur. Multos itaq; vidi, qui ita affecti erant quosdam interiisse, nonnullos ad extremum periculum fuisse perductos, cum Medici eos tentare curassent, antea quã os ventriculi corroborassent] hæc ille. Ex quibus apertissimum est, quòd cardialgia vigente, non debet Medicus vacuationem totius corporis moliri, sed corroborato vẽtriculo, humoris acrimonia hebetata ad purgationes post hac venire. Hippocrates verò multo ante fecit rem apertissimã, dum inquit: Mulieris cor hoc est os ventriculi dolebat,

Scopi in ratione cardialgia obseruandi quot sunt.

Primo ad Glauconem cap. 14.

Sexto epidemiorum.

li dolebat,& nihil remittebat dolor, huic pollētæ pollen in mali punici succo inspersum,& semel in die acceptus satis fuit,& nō reuomebat,veluti Carioni contigit] tantum potuit hæc ipsa mitificandi,& obtundendi acrimoniam bilis agitatæ in præcordiis,quod Hippocrates in acuta febre,oris amaritudine præsente futurum symptoma veritus,lac asinæ coctū dederit. Quamobrē,vbi casus eiuscemodi adueniat,tū alimenta,tum medicamenta sint epicerastica,hoc est mitigatiua,& obtundentia,tu nosti materiam,neque enim ego noctuas Athenas. In accessione hæc agenda sunt: in tempore autem interualli, sedato iam symptomate ad ordinariam curationem reuertēdum. Vbi vero magnus fuerit affectus, omnia simul agenda sunt,ventriculus scilicet expurgandus,corroborandus, & acrimonia obtundenda. Ambo quidem conuenistis circa purgationem ex ventriculo faciendam: discordes tamen fuistis de via, per quam tentari eiuscemodi purgatio debuisset. Vomitum conuenire me quidem non fugit,de quo Galenus ita locutus est. Qui vero ex vitiosis humoribus os ventriculi mordicantibus dissoluuntur,hos post aquæ calidæ,aut hydrelei potum,fac euomere: quod si difficulter euomant,prius concalefacere oportet, quæ os ventriculi circūstant loca, & manus,& pedes: quod si neq; hoc modo possunt euomere, digitos,aut pennas immittendo irritare oportet,quod si neq; sic euocant, rursus his oleumcalidum,quamoptimum inueniri potest,exhibendum. Solet enim sæpius oleū non solum ad vomitum irritare,sed etiam ventrem molliorem facere: est autem hoc non parum bonum præsentibus rebus,quare nisi sponte accidat,arte procurandum est,præcipue verò & appositis hoc tentandum est facere] hæc ille. Ex quibus velim colligas maximum,& admirabilē Galeni artificiū: si quidem proponit remedia pro acribus, & mordacissimis humoribus expurgandis, quæ simul obtundant acrimoniam,hebetentve,ac purgent non solum per vomitū,sed etiā aluum leniendi facultatem habeant. Aqua,& oleum humectant, leniūt, obtundunt: Oleum ipsum per se pręstantissimum est,pro hac indicatione exequenda: nam aliquando vomitum promouet,aliquando aluū subducit, & nonnūquam vtrunq; facit. Verum,quia hoc non corroborat,sed potius lenit,ac laxat,idcirco absinthii comam exhibet mellicrato incoctam: ac tandem omnibus modis expurgata copia ex ventriculo,& intestinis corroborationi operā dat adstringentibus præsidiis,tam intrinsecus,quam extrinsecus adhibitis. Hæc curandi ratio differt à curatione superius exposita,in qua supponit leuiorem affectum, quam sit animi defectus ob morsum ventriculi: nempe cardialgiam per circuitum inuadentem,quæ tempore interualli sanescat: hic vero ingentem affectum ponit, nempe animi deliquium. rem sic habere ostendunt eius verba. Vult Galenus in superiori curatione, vt cōfirmato ostio ventriculi accedamus postea ad euacuationem totius corporis,aut venæ sectione,aut purgatione. hic autem nullam huius vacuationis mentionem facit. deinde supra solam adhibendam prouidentiā circa ostium ventriculi voluit. Hic vero mitigationem, vacuationem per vomitum,per intestina,& roborandi rationem explicat. Quæ igitur caussa diuersitatis huius? haud equidem alia, nisi quod cardialgia, omnisque ventriculi morsus magis obtundentibus,& alterantibus corrigendus est, quam vacuantib. irritādus: vbi autem vrgeat necessitas eisdē vtendū, sed ipso in genere mediocribus, quæ simul obtundant,à locoq; purgent, quemadmodū in casu proposito à Galeno,cum scilicet animi deliquium expectatur, aut præsens est. Contrahantur modo hæc ad disputationem propositam. Patiebatur ægrotus cardialgiam,qua cum euomere nunquā potuit,vt iam statuimus, cessante interim dolore in ipso accessionis interuallo,medendi ratio postulabat, vt quietis tempore totius corporis prouidentiam habuisses: at in accessione,omni studio,opere,atq; diligentia incumberes acrium humorum mitigationi, atque vt tam intus, quàm extra partis robur confirmares,aut adderes,iis potissimū auxiliis,quibus vsus fuit Galenus octauo libro de curandi ratione,ac sæpè alibi. Cum igitur nullam horum tua in epistola mentionem feceris,videamq; omnino generosa hæc,& alioquin necessaria præsidia fuisse prætermissa ipso in opere,vereor ne Vincentius hic lo-

4. de ra. vic. acutorum.

Vomitum in cardialgia conuenire quando statuendum. 1. ad Glau. 14.

Locorū Galeni qui videbantur cōtrarii, dilucidatio.

cum reprehensionis inueniat. Meministi duntaxat oximelitis raphano parati: sed non video cur tu in eo, qui vomere nunquam potuit, violẽter prouocare vomitum tentaueris. Oximel, Cine, in morsu ventriculi, quis aliquando laudauit? in eo potissimum homine, qui euomere non poterat? an ignoras hoc medicamentum habere vim magnam totum corpus agitandi? bilem furentem mouendi? an ignorabas, quod ad particulam imbecillam attrahendũ non est? sed contra potius à fluxione tentata longissime reuellendum? an non erat forte imbecillum ostium ventriculi? an non pars ea maximi vsus erat, atque præstantiæ? si vomitũ prouocare in animo erat, cur non exhibuisti tepidam, Galeni consuetudine? cur non tepidam ex oleo? cur non oleum dulce, quale onfacinum? aut etiam huius ipsius defectu oleum ex dulcibus amygdalis? nõ poterant hæc agitare humores peccantes, sed vacuando aut per vomitum, aut per inferiorem sedem hebetare plurimum illorum acrimoniam: quod etiam ipso in casu maximum fuisset bonum, etiam si nullam subsecutam videremus vacuationem. Postremo hæc artis præcepta sunt, vomica medicamenta exhibenda non esse, cum ægrotus euomere non potest. quam enim magna soleant aduenire incommoda non te latet. Dico igitur haud placuisse mihi tuum consilium exhibendi oximelitem raphano paratum, vt vomitum prouocares: quoniam aut prætermitti debuit vomitus, atq; iis incumbere, quę mordacem horum excrementorum qualitatẽ hebetarent, & os ventris firmarent: aut, certè si fuerat tentãdus, eam eligere debebas materiam, qua obtundebatur acrimonia, caliditas remittebatur, aluusque astricta leniebatur, vt fecisse Galenum demonstrauimus: quod si non credis illi, credas saltem tuo Auicennæ, qui præceptoris sui mentem confirmans, hæc scripta reliquit. Quod si incensio fuerit angustia stomachi, detur in potu aqua calida ei, aut oleum, quoniam aut vomitum faciet, aut ventrẽ soluet, ex eo pręterea, quod ad hoc iuuat, est stomachi, & extremorũ calefactio, quoniam hoc nauseã facit. Ex his quæ diximus, Cine, satis superque patet, Vincentium Cibum haud fuisse ignorantiæ nomine accusandum, si vocatus in accessionis quartæ principio, & iam à te ipso factus certior, quòd diebus præteritis euomere nunquam potuerit, quodq; à vomicis medicamentis omnino volens abstinere, accesserit ad expurgationem per infernã sedem. Recordabatur enim iudiciosus Medicus, Galenũ dixisse, quod facere molliorem ventrem non parum esse bonum præsentib. rebus: & nisi accidat sponte, arte procurandum esse, & pręcipuè appositis.] hac de caussa vsus est glandib. à Galeno collaudatis, & enematis. nam humor etsi inuadebat superiorem partem, tamen negotium ibi faciebat maximũ, atq; per eam sedem purgari non poterat: hic multus, & acer ibi residẽs, & ob dolorem, & calorem, partis imbecillitatẽ nouus cõfluens: quid aliud efficere poterat, quã syncopem? quàm suffocationem innati calidi repentinam? reuellendum itaq; hunc ipsum putauit motum, purgandamq; copiam: quæ res, quoniam epotis fieri non debebat, tum propter difficilem, imo impossibilem vomitum, tum quia renuebat prorsus: tum etiam propter accessionis principium, in quo abstinere oportet, & cauere ab attractione à circumferentia ad centrum: quibus ex caussis maiori copia imbecillus ventriculus grauaretur: enematis procurare voluit, & glãdibus id consequi, quod ars postulabat, Galenum, Auicennamque, vt audiuisti, imitatus, quinimo etiam Aetium, cuius hæc verba sunt: Si verò nulla stercora in intestino recto subsideant, neq; aliàs etiam excrementorum multitudo subsit in intestinis, ægri autem cibum non sentiant, & tabescant, ptissanæ succum, aut halicæ per clisterem infundere oportet tepefactũ, conquassato cum eo ouo crudo. Vltra hoc enim quod ea, quę stomachũ infernè molestia afficiunt, euocat, & educit, etiam alimentum optimè corpori sufficit, ex languore ob non acceptum cibum miserè affecto.] hæc ille. Videntur ne hæc tibi controuersa? Cur si vera sunt; optimaq; ratione instituta, tantopere reclamasti? cur hanc primam fuisse mortis caussam tradidisti? fortasse dices te haud reprobasse vsum enematũ; sed medicamẽtosorũ. loqui placet verbis tuis; heus vir bone, quæ sunt enemata medicamentosa? talia quidem sunt omnia. An quæ constant ex cassia, & oleo violaceo?

Oximel in morsu ventriculi à bile suspectum.

Vomica non sunt danda in difficile vomentibus

primo ad Glaucon. 14

Cõfirmatio ex Aetio.

Enemata nutriunt ex Aetio.

10

20

30

40

50

ceo? Et recte quidem. Sed olei pręstantiam pro obtundenda bile audiuisti. Quid cassia obesse potuit? Emplastica, humida, frigida humoris saltē respectu, & citra incommodū leniens? Quid maluarū, comuniumq; herbarum decoctum? an reprehendis, quod cum secundo vsus est enemate, admiscuerit hieram? sed tu cur reprobas immissam, quam epotam admisisti? quod aūt suo fine fuerit frustratus, id sane haud est vitio vertendum artifici, qui certe id pręstitit, quod potuit: facienti enim secundum rationem, si non succedat, non est transeundum ad alia, dicebat venerandus Hippocrates: Vides nullā hactenus habere caussam, qua Vincentium debuisses refellere? Relinquitur, vt rationibus tuis satisfiat. Quod pertinet ad primam, dicimus in medendis morbis quiddam esse maximum incumbere iis, quæ magis vrgent, aliis minime neglectis. fateor bilem flauā sæpe ad supernas partes prorumpere, vomituque purgari, sed non est etiam infrequens, per infernas exturbari partes, motus naturæ imitandus est, quando bene fit, hoc est cum facili tolerantia virtutis: qui vero labefactat virtutem, tantum abest, vt imitari debeat, vt omnium iudicio statim sit reprimendus. Bonus non erat, mi Cine, motus, qui cardialgiam faciebat, eo præsertim in homine, cui vomitus erat maxime difficilis. Bonus non erat is affectus, quem semper tanquā periculosum in febribus veretur Hippocrates. Laudanda non erat ea propensio naturæ irritatæ, quæ statim oppressionem, syncopem, suffocationem, mortemq; minabatur. Ani constitutio indicare tibi magis non debuit vomitum, quam vacuationem tētandam per inferiores partes: Nec etiam febris ipsius insultus, quia nonnullis vomitus, nonnullis alui fluor in accessione contingit. Hipprocatis peruulgata illa sententia, non videtur quicquam persuadere ipsa in re necessarium; quin potius si diligenter sensum illius contemplemur, tibi prorsus opponitur. nam sic habēt eius verba: Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo maxime ducere conuenit.] sed quomodo, Cine, imaginari potes conferre vacuationem symptomaticam? talem voco factam ab irritata natura, & morbo, vt tu dicis, crudo? quomodo iuuabit, quæ cardialgiam facit? quæ sincopim, quæ mortem minatur? tu ne igitur hunc naturæ motum adiuuabis? Afferamus Commentatoris admirandi verba, quæ diriment, controuersiam omnem, sic enim habent. Quæ nam sunt illa, quæ ducere oportet, nempè quæ neq; iudicantur, neque integre iudicata sunt. hæc igitur per quam partem sint vacuāda, docet, duplicem nobis dans intentionem, & ipsam partis naturam, & humoris motum.] Ecce igitur, quod primus Galeni ingressus ad aphorismum tuam rationem subuertit. Dicas, quæso, quæ nam bona præcessit crisis, sed imperfecta ipso in casu crudo existente morbo? sequamur Galenum, qui vult docere, quæ loca sint accommodata. Motus verò (inquit) humoris noxii, ad loca non accomoda sunt, quando vel aliquem habuerint sua natura principatum, & maius ex ipsis damnū est subsecuturum, quam morbus, qui iudicatur, expostulat, vel nullam habet effluxionē.] Adnectas huic, quæ in misero contigerunt ægro tuo. humorem scilicet natura sua perniciosum, & malignum ad ostium ventriculi moueri nobilem quidem partē, ac præstantem, ob vsum toto corpori necessarium, & ob ingentem consensum cū ipso corde. Addito, quòd maximū sequebatur damnū, nempe viriū imbecillitas ex syncope ob oppressionē imminente. Postremo effluxionē nullā habebat, quia humorē prauū nunquā euomuit. Quid apertius in confirmationē opinionis hui⁹ dici, vel excogitari potest? Galeni conclusio memoriæ commendanda est, quam admiror plurimum te non obseruasse, sic ait: Oportet itaq; naturæ motum Medicum animaduertere, & siquidē idoneus fuerit, subministrare, & adiuuare, sin autem contrarius, ac noxius, prohibere, transferre, atque diuertere oportet.] Desideras ne apertiorem doctrinam? Quid igitur Hippocrates, & Galenus voluerint, iam quidem diximus. Veniamus ad tuum Auicēnam, qui videtur tibi confirmare sententiā, dū ait: quod si inuenis humorē inprimis declinare ad stomachū, fac vomere eum iis, in quibus non sit diuersitas consuetudini: immo cum eis, quæ sunt, sicut syrupus acetosus cum aqua calida, cum natura mouet humorem ad vomitum, & nō diuersifices eam, si fuerit inclinatio ad intestina, & senserit infirmus

2. aphorismorum.

12. meth. ca. primo.

Primo aphoris. 19.

Confirmatio ex Galeni cōmētario 19. primi aphorismorum.

Cōfirmatio ex Auicēna pro Vincentio.

rugitum,& descensum fæcis,tunc adhibe, quod soluat ventrem.] Hæc sententia satis accōmodate Vincentio fauet,non tibi : cui addere aliam Galeni volo nō minoris quidem momenti:sic habet vndecimo methodi,quod si ad os vētriculi aliquando sua sponte impetum capiant,etiam per vomitiones,aliter autem non est,quod eam præter naturā irrites.] hic simul respondens dico,si humores raptum habēt ad superiores partes,in quibus nihil motus huius caussa adueniat incommodi,aut saltem adueniens exiguum sit, atq; emendabile : vtilitas verò ingens,prouocandus est vomitus:sed si magnum fuerit nocumentum,vtilitas exigua,prorsus abstinendum.Iam supposuimus difficilem, cardialgiæ tempore,aut impossibilem habuisse vomitum:supposuimus etiam, eiuscemodi humorem vt plurimum soluere,natura sua effrenem fieri,atq; cordis morsum minari syncopē & mortem in febribus acutis: quis igitur cum hac syndrome sperabit vomitu violenter agitato aliquid boni subsecuturum?Hic tamen notabis,Cine,non negaturum esse me in casu ancipiti tentandum cum iis,quæ simul,ac semel obtundere possunt acrimoniam.& sine incommodo prouocare vomitum, & aluū lenire,si cōtingeret.quo in numero aqua est tepida,est hydræleum,est oleum, sed cum iis,quæ hasce vires non habent in eiuscemodi affectu,maximè detestari soleo,sed vbi desperamus vomitū concitari posse citra maximā corporis totius læsionem,abstinendū suadeo.in hunc sensum locutum fuisse Auicennam non dubito,vt ex collatione huius loci cum superiori vnusquisq; facile colliget. Adhæc obseruauit Vincentius,quod etiam ipse pariter obseruasti,adfuisse rugitum circa intestina,& naturam duplicem tentasse motū:quorum alterū impossibilē, vt tu retulisti,per vomitum,prætermittendum duxerit, cur igitur culpandus , si alterum Auicennæ decreto elegerit.Superest modo Alex. Trallianus,quē pariter citas,vt authorem eiusdem consensus:verum profectò cum diligenter intueor, quæ ab illo scripta sunt,nihil inuenio quod tibi faueat : quod autem Vincentio plurimum.Afferramus in medium verba,quæ tu ipse afferre neglexisti: nam inquit,quādo autem quispiam ex pessimorum humorum in stomacho existentiū morsū vexatur,ac deficit,aquam ei calidam,vel hydręleū potui dato,& vomere, si non difficulter id facere consueuit(notabis hæc verba,Cine carissime,& videbis certe quam ipsa in curatione aberraueris)iubeto.si vero ægerrime vomuerit, loci stomacho adiacentes ante omnia sunt calefaciendi , manus item atq; pedes: quod si ne tum quidem his actis,vomitus promoueatur,digitis,pinnave oleo intinctis,oriq́ue insertis vomitum acrius prorita:& si etiam nihil proficiat, rursus oleum calidum copiosissimum potandum ministrato : id enim sæpe numero non tam vomitum ciere , quam aluum mollescere,& relaxare consueuit : vnde summa sane in hac constitutione laboranti commoditas]hæc ille.in quibus maximum adesse cum Galeno consensum,certius est multo , quam quod demonstrari debeat.

Cap. 9.

Confirmatio ex Alexādro Tralliano pro Vincentio.

Qui sudor bonus & qui malus in acutis febribus dicendus sit.

Longe difficilior est de sudore disputatio;de quo nunc dicturus, primum generatim explicare volo,qui sudores boni,& qui mali:& qui neq; boni,neq; mali nuncupari debeāt. Secundo differemus de sudore ægroti vestri,cuius caussa inuicem vos plurimum dissentire video. Tertio de opinione aduersarii tui quædā dicemus,ostensuri minime fuisse arguendum.

Quamobrem dicimus sudorum quosdam optimos esse,quosdā bonos,quosdam malos,ac rursus quosdam neq; bonos,neque malos. Optimos nuncupabimus,qui perfecte morbum soluunt,& in diebus iudicatoriis apparent,calidique ex toto corpore profluunt.de quibus Hippocrates in prognosticis hoc modo locutus est:Sudores quidem optimi sunt in omnibus acutis morbis,quicunque in diebus decretoriis fiunt,& integre febrem sedant] Galenus verò in loci huius commentario tertiā conditionē Hippocratem prætermisisse docet, quoniā necessario sequitur ad priores,qui enim die euenit decretorio, & integre sedat febrē,is quoq; profluit ex toto corpore. Bonos autē sudores nuncupabimus,quicunq; ex toto corpore procedentes faciunt,vt homo facilius ferat morbū, quod fieri nō potest,nisi diebus decretoriis aduentat : præterea nihil adiecit de diebus decre-

decretoriis, tanquam id bonum sudorem necessariò comitetur] explicans idẽ author alio in opere dies, in quibus boni aduenire sudores conseuerunt ait, Sudores si inceperint febricitanti boni, & tertio die, & quinto, & septimo, & nono, vndecimo, & quartodecimo, & decimoseptimo, & vigesimo, & vigesimoquarto & vigesimo septimo: hi enim sudores indicãt morbos; qui vero non ita fiunt, laborem significant, & morbi recidiuam, & longitudinem] Habet hoc loco difficultatem, cur Hippocrates diẽ quartum prætermiserit, cuius meminit libro tertio de morbis populariter vagantibus. Arbitror prætermissum, quia morbi plurimi peracuti, qui cum sudore terminantur, tertio, & quinto die magis, quàm in 10 quarto iudicari solent. rariores enim sunt, qui die quarto iudicãtur, vt ipsa experiẽtia satis superque manifestum facit. Hæc solutio mihi satisfacit: quãmuis me nõ lateat, alios quosdam locum aliter exposuisse. quorum opinionẽ volẽs prętermitto studio breuitatis. Si hæc quæ diximus vera sunt, collige nullũ sudorem bonum absolutè nuncupandum, qui non habeat conditiones illas: nã pro deficientium conditionum dignitate, sunt aliquando boni, aliquãdo mali. & aliquãdo nec boni, nec mali, de quibus Hippocrates hæc inquit: Si verò nihil horum effecerint, inutiles sunt] Galenus locum interpretatur hoc modo: Cæterum tertius sudorum ordo est modicè mali: de quo dixit. Si veró nihil tale efficiat, nequaquam vtilis est, vt neque ex toto corpore eat: neque facit, vt æger facilius fe- 20 rat morbum. Sed constat, vt ex his ipsis peior sit, qui neutrum horum efficiat: modicus verò qui alterum: & rursus ex his ipsis, qui efficit, & æger facilius ferat morbum, moderatior est, quanquam non ex toto corpore eat, peior qui grauiorem exhibet morbum, licet in omne extẽdatur corpus] hæc Galenus. ex quibus hæc potissimum colligenda sunt. Primum, sudores ex toto corpore profluentes, à quibus æger non habet melius, quamuis calidi profluant [de his enim loquitur Hippocrates, vt patet de oppositione ad sudores frigidos, atq; ex supradictis conditionibus, veluti quadam necessitate consequitur) inutiles existere. Alterũ, sudores, qui grauiorem faciunt morbum, esse non modo inutiles, sed etiam malos: habetur enim sudor inutilis indifferenter ad bonũ, & ad malum. Postremum q, 30 sudor ex aliqua determinata corporis parte profluens: qui efficit, ægrotum facilius ferre morbum (etsi malus, relatione eorum, qui, vel optimi vel simpliciter boni sunt, dici debeat) tamen bonus, vel (vt cum Galeno loquar) moderatior est sudore non profluente ex toto corpore, à quo æger melius nõ habet; Hippocrates meminit istorum sudorum omnium. Eorum quidem, qui à toto corpore profluũt, cum in epidemiis ita scriptum reliquit. Decimooctauo sudauit per totum corpus in somnis deiectiones biliosæ, ciborum inappetens, comatosus] de altero autem. Sudauit Thaso Parius vndecimo, sed non toto corpore, circumflixit, sed mox recaluit, duodecimo febris acuta] obseruandum est, in quibus apparere solẽt sudores, vel morbos esse vniuersales, vel particulares. In priori genere nũquã 40 sunt simpliciter boni circa caput, & ceruicem apparentes, quin neque apparẽtes circa determinatam aliquampiã particulam. Si particularis fuerit affectio, prodesse poterit vacuatio ex affecta sede profecta, de qua dictum illud arbitror ab Hippocrate: qua parte corporis morbus, ibi sudor] quamobrem in febribus, & potissimum acutis, de quibus Hippocrates loquitur, sudores particulares locum non habent: quia humores non vacuantur, nisi ex iis sedibus, in quibus peccant, ac etiam, quia virtutem significant admodum debilem, quæ scilicet ingentẽ ferre humorum multitudinem non potest, & si facere conetur aliquid; hocque impetu, & conatu multo reddita imbecillior, sibi ipsi parat interitum. Ergo si verum est q; febris affectus est venenosi generis (vt cum Galeno loquar) vacuationes, 50 quæ illam auferre debent, opus est, vt venas omnes, totumq; corpus respiciat, aut statim, aut certè aliquo tẽporis interuallo. Eiusce modi nõ est sudor particularis, qui vt caussa, & vt signum, malus est. Sed dicet fortasse aliquis, sudores particulares non esse semper malos: quia natura aliquando incipit ab vna parte, deinde totum corpus euacuat, quod ipsa experientia testatissimum facit. Respõdeo intelligendam esse sententiam Hippocratis, & Galeni de sudoribus dũtaxat

Hipp. in tertio epidemiorum.

illarum partiũ: hoc est de iis, qui semper sunt particulares, nam qui sudor septima die cum signis coctionis, & salubri existente morbo apparet circa faciem, clauiculam, & thoracem, signum videtur prognosticum die vndecima, aut nona per sudorem vniuersalem iudicaturum fore morbum: quam rem frequenter obseruaui hactenus. Hi sudores, quamuis eo, quo apparere incipiũt die, sint particulares, virtute tamen vniuersales iudicari debent, cum nobis inseruiant pro illius, quod futurum est, notitia.

Responsio ad auctorit. Hippocrat.

Ad Hippocratem reuersi, dicimus, omnem sudorem, qui nõ facit facilẽ tolerantiam, qui ex toto corpore calidus profluit, & qui concocto morbo non aduenit, diebusq; iudicatoriis non accedit, invtilem esse iudicandum: & hic quidem sudor medio est ordine constitutus. Cæterùm mali sudores sunt omnes, qui exeunt frigidi, siue ex toto corpore, siue ex capite & ceruice duntaxat effluxerint. Profluentes frigidi ex toto corpore, aut in virtutem validam incidunt, aut in imbecillam: cum valida virtute significant diuturnitatem morborum: cũ imbecilla verò mortem. at si ex capite & ceruice semper mouentur, sudores interitum prædicunt. Mali præterea sunt sudores calidi circa ceruicem, & caput apparentes, qui ad illas partes solum, non ad alias extendantur: de quibus locutum fuisse Hippocratem in prognostico, cuius frequentem hactenus mentionem fecimus, & Galenum in eius loci cõmentario satis superq; constat. Animaduertere rursus oportet, quod dum incipiunt sudores calidi profluere ex capite, vel ceruice, vel ex alia determinata corporis parte vbi certi nõ sumus, quem exitum sit habiturus, deq; iudicio naturæ ambigimus, (neque enim certę pronunciationes existũt salutis, & mortis in morbis acutis) tũc quidẽ quoniam tolerantia facilis, vel difficilis aperiet nobis inchoati sudoris naturam, debet Medicus anteaquam ferat iudicium, sudoris finem obseruare, nihil mouendo, aut irritando: quia, si malus est, & symptomatis ratione factus, virtutem multò imbecilliorem reddens, mortis occasionem accelerat: vbi verò bonus futurus est, nimis fortasse stimulans, haud parũ obesse poterit: & hac de caussa signum hoc, quod ponitur in omnibus sudoribus bonis, vt faciliùs ferat morbũ, attenditur solum in iis sudoribus, qui à natura fiunt, ac terminantur citra aliquã artis industriam. Ad hæc verò est obseruandũ, si in casu aliquopiam deplorato, aliquid facere tentauerimus, id efficiendum magis, vt experiamur virtutis tenorem, quàm quòd putemus iuuare ægrum posse, tunc enim nihil aberrabimus; caussã hic non explico opinionis meæ, quia extat epistola ad Aloysium Gratiosum, qua ostẽdo deploratos non esse solis prognosticis relinquẽdos, faciã huius copiam, si libuerit. His videor explicasse sudores omnes tã bonos, quàm malos: nunc de horũ caussa breuiter afferamus, quæ huic disputationi summè conueniunt.

Li. 2. Aphor

Febres continentes cur dissoluãtur per sudorem

Acutę febres primarię (horũ naturã alio in opere sumus prosecuti) fiunt, quotiescũq; omnes venę, vel saltẽ pręcipuę, quę sunt inter alias, & inguina, sanguinis biliosi putredinem continẽt. Hinc trãsmisso à corde per vniuersum corpus putrido vapore per venas omnes, arteriasq;, totum corpus patiatur: & quia vacuationes, quas molitur natura, ęgrotorũ cõmodo fieri debẽt humoris illius qui peccat, ac per eam sedem, ex qua possit cõmodè purgari, postulatq;, vt natura sit morbo superior: mirũ non est, si acutę febres per sudorẽ facilè iudicantur, à quo vacuatur totus corporis habitus, vbi vapores putridi continebantur: possuntq; per eã regionẽ optimè duci, quia tenues existũt, naturaq; dominãte, ac morbũ superante effluunt sudores cõcocta materia: etenim coctiones indicant dominium naturę in diebus decretoriis, in quibus solet fieri iudicium. Deducuntur pręterea ex toto corpore, quia totum lęsum est; dein copiosa nascitur vacuatio, quoniã nunquam benè vacuat natura, cũ parum euacuat: nã omnes exiguę excretiones malæ, vt Hippocrates asseruit; deducũtur calidi, tũ propter abundantiam caloris extranei, tum natiui copiam. Hinc sequitur postremò vel perfecta morbi solutio, vel diminutio maximè sensibilis: sudorũ, qui boni sunt, caussæ sic habent. idẽ faciũdum est iudiciũ de sudore particulari originem deducẽte ex proprio determinatę partis affectu. Modo his vniuersaliter expositis propius

propius accedamus ad sudorem, de quo inter vos ipsos ortam fuisse dissensionem scribis.

Quęritur itaq; an sudor circa clauiculas, ceruicem, & thoracē calidus, & affatim profluens potuerit dici bonus, necne? Respondeo tam in acuta febre quam intermittente bonum dici posse. Responsionis caussa est, quia si facit, ęgrotum facilius ferre morbum, bonus, quamuis non simpliciter, in relatione tamen malus dicendus est. Si non facit, vt facilius feratur morbus inutilis, & quandoque pessimus, vbi virtus fuerit plurimum imbecilla. Rursus, si qua parte corporis apparet sudor, ibi morbum esse significat, contingere potest materiam contineri in solo capite, aut etiam in thorace, hacque ipsa vacuata, morbum vel demi prorsus, vel multum diminui. Mox autem sudores boni dicuntur, aut perfecti, aut inchoati: calidus sudor apparens circa eas partes diebus iudicatoriis morbo concocto, bonus iudicari potuit inchoatiue, vt signum eius, quod futurum erat in diebus subsequentibus. Qui.n. septima die, verbi gratia, sudor apparet imperfectus ac minimè vniuersalis, in vndecima potuit esse pefectus, vniuersalisque, aut etiam decimaquarta, sicque de aliis deinceps diebus. Postremò sudor particularis in febre intermittente tertiana, neque bonus, neque malus est simpliciter, sed medio modo se habere: nunc bonus affecta particula sudante, nunc malus aliunde profluente. Vitiositatis huius, & malitiæ gradus maximè distat à malitia sudoris emergentis circa caput, & clauiculas in febribus acutis, de quibus Hippoc. locutum fuisse dicimus. Quæritur secundo, an eiuscemodi sudor à Medico adiuuari debuerit? Dico, si Medicus eiuscemodi sudores ex iis partibus prouocari iudicauerit, crisis cuiusdam ratione imperfectæ tamē, quod cognoscet, tum ex signis coctionis, hora & die aut decretorio, aut critico, tunc profecto absurdum non fuerit adiuuare naturam. Quia cum hic imperfectus existat, habeamusq; diē naturæ adminiculātem nobis, naturæ manū porigere oportet, vt suo munere celerius perfungatur. hac de caussa in Aphor. admonuit Hippoc. quod per eā regionē, per quam natura tētat, per loca conferentia vacuādum est. Hic supponimus naturam motu quodā critico sudorem ciere, sed imperfecto, humorē verò eiuscemodi existere, qui vacuari cōmmodè possit per eam viam. At si fuerit certior, naturā suis tantūmmodo viribus perfecturam eiuscemodi motum, nihil mouendum, neque innouandū, sed, vt ille dixit, sinendum est ipsi naturæ negocium. At verò si ex iis duntaxat partibus eliciatur sudor, non ex aliis, neque aliqua sit spes, vniuersalem sudorem subsecuturum, à Medico nunquam iuuari debere hunc ipsum sudorē certissimum est.

Tempestiuum est modo vt videamus, quæ contra Vincentium Cibū scripta sunt. Sudauit ægrotus ille vester quarta (vt ais) accessione, sudore calido per vniuersam regionem thoracis, ceruice, & capite cumulatissimè. Hunc putauit tuus aduersarius bonum dici posse: tu verò malum esse contendisti rationibus, & authoritatibus Galeni, & Hippocratis confisus: quarum summa in hunc modum habet. Inchoantibus morbis aliquid à natura bene vacuari est impossibile, nam sic dicebat Hippocrates: Inchoantibus morbis, si bilis atra supra, vel infra exierit, lethale] & Galenus in eius aphorismi cōmentario addebat: Omnia contingūt casus cuiusdam ratione, oportet prius antecedere coctionē, mox digestionē, antequam fiat vacuatio] itaque manifestissima est, & ab ōnibus cōfirmata sententia, quod vacuationes crudo morbo apparente malæ sunt. Talē extitisse hūc sudorem probas, quia in quartæ accessionis principio contingit: quo in tempore vacuationes non factę, à natura iuuare nō possunt. Adhæc verò arguis hunc ipsū sudorem indicasse mortem, aut longitudinem morbi: deducis hoc ex febris vehementia, & ex Hippocrate, & Galeno. Nam in primo prognost. 22. dicebat, sudorem esse pessimum circa caput, & faciem, ac ceruicem: Galenus verò in commentario, sudores etiam calidos earundem partium proximam syncopem minitari significauit: atque vt omnem auferres illi locum respōdendi, adhuc profers alterum locum Galeni in primo Prorrethici: qui omnem videtur dirimere con-

trouersiam: siue sudores eos (ait) qui circa caput thoracemque fiunt, intellexerimus, quod hi mali sunt perpetuò constat. Postremò arguis, quòd dum ille volebat, vt natura adiuuaretur, ac iussisset, vt pellibus operiretur, hanc actionem dignam reprehensione iudicasti: quemadmodum etiã quod detergendum putauerit sudorem calidis linteis; hoc enim fieri non debet, cum sistere sudorem volumus: ac in tuæ opinionis confirmationem, testem inducis Auicennam, in primam quarti, capite proprio; hæc tu contra illum.

Augenii opinio per Cibo.

Verùm enimuerò hic etiam, Cine carissime, multa sunt, quę pro tui aduersarii defensione commodissimè dici posset: quæ sanè, vt admoneam te ipsum, hic afferre sigillatim constitui. Sed primum dicam quæ ille suis ad Sebastianum Parellam literis de hac re scripsit, quæ sic latinè à me translata sunt. Pridiè quàm moreretur, ad ægrum accessi, atque cum Cino, propterea quia iam conclamatũ erat, vix pauca sum collocutus. Discordia fuit inter nos, quod illi manifestum feci, male intellexisse Hippocratis sententiam in prognosticis de sudore capitis, & ceruicis: quam ille neque benè citabat, neque ad propositum. In reliquis omnibus casum confinxit modo suo, impediente nemine. Tu sanè nosti optimè, quis ego sim, & quantam profitear modestiam. Scribito igitur Augenio, quem tuum esse fratrem atque virum doctissimum, & integerrimum audio, ne falsis illius literis confisus, quicquam conscribat cõtra me in proposito negocio: atq; si forte scripsit, copia, vt ad me deferatur, diligẽter curabis. &c.] Vide Cine, quã bene cõuenitis: tu cum illo magnam & longam habuisse disputationem dicis, & pluribus diebus consultationem habuisse: ille verò de solo Hippocratis textu fuisse collocutum affirmat. Tu illũ hominis morbũ salubrẽ fore, prędixisse scribis: ille cõtra ad deploratũ accessisse profitetur: itaq; si cõcluderet rationes tuę, certè nihil haberes cõtra hominẽ, vtpote q. tua oĩa denegaturus sit principia.

Sed donamus, Cibum esse admissurũ omnia, volo in tui gratiam locos aperire quàmplures, quibus, vt certissimis fundamentis (nisi fallor) inniti possunt pro Vincentio acerrimè dimicaturi. Primus est ex authoritate Hippocratis perperam intellecta. Nam tua positio est, febrem fuisse intermittentem tertianam: ex qua hypothesi concluditur, non fuisse morbum acutum, sed (vt tu ipse dicis) productum. At verò sententiæ Hippocratis in prognosticis de morbis acutis intelligendæ sunt, pręsertim ea, quam de sudore protulisti. Quid hic quæso respondebis Cine? An admittes idem esse iudicium in febribus, quæ intermittant, atque in acutis? An valere illationem arbitraberis, sudor in capite, & ceruice in acutis morbis indicat mortem? idẽ significabit in febre intermittenti. Secundus locus erit per cõcessionem, ponamus intermittentem extitisse tertianam: abs te malè probatum video, hunc sudorem apparuisse crudo morbo. Nam si fuit exquisita tertiana, morbus erat iam in statu constitutus: nam, ut bene nosti, in septem periodis, quod longissimum est, terminatur. Sed in statu coctiones apparent. Sed, si notha fuit tertiana, potuit consistere in vltima parte incrementi, in qua coctiones apparent, quamuis nõ exactæ, aut saltem vltra principium. Sed quis est, Cine, ex omnibus Medicis, qui non admittat in aliqua incrementi parte fieri aliquando crises bonas equidem, quamuis non perfectas? Verùm si febrem acutam fuisse dices (vt Vincentius magno ductus iudicio putauit) cur in septima die (talis enim fuit illa sudorifica) non potuit bonus apparere sudor? cur nõ potuit fieri crisis imperfecta? quæ tandem vndecima ad summam peruenisset bonitatẽ, nisi aliquid eius impediisset iudiciũ? Adde his, quod non videris mihi probare crudo morbo talem sudorem apparuisse: nam in accessionis principio concoctus potuit esse morbus: sic & in statu, & declinationis tempore crudum esse morbum dicemus, quia in his vniuersalibus particularia tempora continentur: quamobrem quis eo perueniet inscitiæ, qui ex particularis temporis cruditate vniuersalium cruditatem significet? quis dicet in vigore, & declinatione morbum non esse concoctum? sudor igitur inchoante accessione in quarta periodo adueniens ex concocto morbo, proficisci potuit. Te certè quidem hęc ratio maximè vrget, vt potè qui crudam materiam per vomitũ purgare

gare volueris, motumq; naturæ censueris imitandũ: nunc verò tibi parum omnino constans (quemadmodũ ego sentio) in principio accessionis prouocatum sudorem in bilioso morbo dãnas, & non esse imitandam naturam putas. Adhæc si febris continua fuit tertiana, periodica scilicet illa, quam proportionalem vocant, quam ob caussam sudorem quarta accessione inuadentem nõ probas? quia (inquies) non perfecit. Sed tu quam habebas certitudinem, quin in vndecima non esset perfectura, quod inchoauit quarta? Præterea si modum vacuationis huius contemplemur, inueniemus hũc sudorem non fuisse culpandum: etenim calidus confluxit, maximéque copiosus: at qui adueniunt ratione symptomatis 10 exigui sunt: quia nunquam (vt iam dixi) bene vacuat natura, cum parum vacuat. Adhæc apparuit die septima, si continua fuit febris, & acuta, aut in quarta periodo, si fuit intermittens: quarta sanè indicat septimam: & vndecima perficit, quod incepit septima, atque de aliis. Amplius animaduertendum est sic quod motus aliqui fiunt in corpore omnino symptomatis ratione: aliqui natura omnino iudicante: quidam verò neque prorsus critici, neque omnino symptomatici sunt. Priores sunt inhibendi: in aliis verò natura perfectè mouẽte nihil mouendum, non perfectè adiuuandũ: Posteriores autem hãc habere mihi videntur cõditionem, vt aliquando adiuuare eos expediat. Hunc sudorem in hoc ordine postremo collocauerim, si tua sim admissurus caussa, crudo morbo prorupisse. Hoc tibi 20 fortasse videbitur absurdũ, hacq; de caussa apertissimè demonstrãdũ. Hippocrates materiam turgentem ab arte statim expurgandã esse voluit. Sed certè crudus est morbus, in quo natura ab humoris acrimonia & abũdãtia stimulata ante statutum tẽpus expellit: quam rem cũ absoluere nequeat arte indiguit, veluti manum porrigente, ac adiuuante. Dices ne hunc modũ prorsus contigisse casus cuiusdam symptomatis ve ratione? dices hunc non esse adiuuandũ? Herophontem febris acuta corripuit, primo pauca, & cuiusmodi in tenesmo solet, deiecit: deinde tenuia, biliosa, pura, nõ dormiebat, vrina nigra, tenuis, quinto die mane absurdescebat, omnia ingrauescebant, lien intumescebat, præcordia cõtendebantur pauca, & nigra aluus excreuit, desipuit, sexto delirauit, sub noctem suda- 30 bat, frigebat, in delirio perseuerabat, septimo extremis membris frigebat, sitiebat, desipiebat, sub noctem ad mentem rediit, obdormiuit. Octauo febricitabat, lien residebat, omnia intelligebat, doluit ei inguen primum, secundum lienem: mox in vtranque tibiam dolores demigrauerunt, noctem facilem habuit, vrinę erant melioris coloris, & residebant in his pauca, nono die iudicatus est, sudauit, intermisit] Quis hanc magni non admirabitur Hippocratis historiam? quis morbi huius principium contemplatus hominem putasset sanitati restituendum? hunc tamen persanatum legisti, & sexto die sudasse cũ delirio, & frigore: moxque octaua die in inguina abscessus factus est, & motus ad infernas partes, nempè ad tibias cruda materia. Hic tamen motus bonus fuit: quia hunc sub- 40 secuta est in vrinis concoctio, quæ prius non aderat. Tantũq; potuit octauæ diei crisis illa, quod nona prorsus fuit iudicatus, vt his verbis ait Galenus: Tanti scilicet erat decessisse, quæ molesta erant ad partes imas, vrinęque concoctio] & idcirco post hanc crisim dicebat Hippocrates, vrinę erant melioris coloris, & residebant in his pauca] cum essent prius nigræ, ac tenues. inficiari itaque non potes, primam salutis occasionem fuisse motum in octauo factum. In iis etiam, quæ malè terminantur, non sine commodo ægrotorum fieri solent eiuscemodi vacuationes: quam rem confirmat Galeni testimoniũ in explanatione historiæ Sileni dum ait: Cum igitur robore viriũ septimum diem, vt dixi, potuit superare; octauo papulas cũ sudore habuit rubentes, rotundas, paruas, natura eius morbo 50 repugnante, & humorum superfluitatem malorum ad cutim propellente: idque fuit caussæ, cur die nono non fuit mortuus, sed vndecimo. quod si die octauo nihil tale accidisset, restabat, vt nono die obierit, cum is certè septimus, quem dixit, fuisset] ex his colligito, quod quidam symptomatici motus impediẽdi sunt, ac reuellendi tanquam prorsus mali: quidam verò adiuuandi, tanquam boni. Si petieris, qui boni, & qui mali sint: Dixerim bonos esse, per quos natura humorũ

Hippocratis verba 3. epidemiorum.

expulsionẽ facit, qui sunt venenati ad partes ignobiles, vt ad cutim, ad emunctoria: hoc modo bubones non sunt repellendi, & exanthemata per cutem efflorescentia, quæ vocantur nostratibus Medicis pestichiæ. Deinde cum aliquispiam humor malus ex parte principii ad ignobilem à natura propellitur: vt cũ flaua bilis, aut vitellina, aut porracea, aut aliæ id genus ostium ventriculi multum læserit, optima est, nec aliqua ratione inhibenda vacuatio per intestina. Hoc equidem (nisi meum me fallit iudicium) contemplabatur senex ille aduersarius tuus maximi iudicii, ingentem scilicet adesse in ægroti vitiatorum humorũ copiam toto corpore & hanc uellicare, pungere ostium ventriculi: putauit inquam, expurgare hanc, cumq; id fieri per vomitũ non potuerit; & tentasset vacuationem per infernas partes, & non fuisset subsecuta, obseruans naturam die septimo, sudorem copiosissimum calidum prouocare per vniuersam regionẽ thoracis, voluit cooperto ægroto adiuuare hunc motum, vt partes omnes sudore manarent, quemadmodum etiam omnes patiebantur particulę: quam actionem anni tempus admittebat, tenuiorum humorum præsentia, & viarum præparatio. Hæcq; sola restabat sanandi ratio, cũ hactenus generosa præsidia maximo illius incommodo fuissent à te (nescio an dicam negligenter) prætermissa, quæ neque poterant ob virium imbecillitatem tunc temporis exerceri. Nolim putes, Cine, voluisse Cibum calidis linteaminibus ita sudorem detergere, vt de cętero supprimeretur. Sed hoc (nisi fallor) animo meditabatur naturam vndecimo perfecturam, nisi mors aliis de caussis die decima, vt audio, præuenisset, idcirco noluisse illum frigidis constipare cutem, quo prõtior in õni esset occasione ad suscipienda icorosa excrementa. hoc enim magis probabile est, vt de illius sententia credamus, quàm arbitrari hominem oculatissimum, in artis operibus apprimè exercitatum ignorasse modum, quo sudor excedens reprimi debeat. Cæterum non est in eo culpandus, quod non expectato sudoris termino bonum esse pronunciauerit: quoniam & si euentus bonitatem, & malitiã ex acta scientia comprobet, tamen ab eo quod maiori ex parte accidit deducta coniectura, potest Medicus admittere sudorem aliquem esse bonum, cuius mala sit terminatio Hippocrates bonum sudorem nuncupauit aduenientem die septima: vt etiam diebus quibusdam aliis, ea tamen die sudor prorumpens malus dici potest, nõ diei, sed annexorum ratione. Deinde statuamus certo sperasse bonũ habiturum exitum fuisse, & in hac non benè iudicasse, an propterea arbitraberis aberrasse hominem secundum leges artis pronunciantẽ? non recordaris, quod Galenus inquit: Et hic pręter expectationem superstes fuit?] cur igitur vitio dabitur Vincentio, si iudicauit bonum fore sudorem, qui postea malus extitit? Videor profectò mentem illius concipere, & verborum etiã sensum habere, quod scilicet sudor ille potuit esse proficuus ægroto, quodque in aliis sæpè viderit, & nouissimis temporibus in Episcopo Thiphernate sudores harum partium exitum habuisse fœlicem, facto sudore actu per vniuersum corpus.

2. Progn. 22.

Reliquum est modo, vt experiamur, an auctoritates, quas in medium profers, tibi faueant, an illi. Et primum quidem, quantum ad prognosticum 22 primi libri nihil inuenio, quo possit opinio tua confirmari: nã dum inquit Hippocrates: per omnes acutos morbos] facit, quod tu, qui illum nõ fuisse acutum dixisti, hũc afferre contextum pro confirmatione tuæ opinionis minimè debueris. Rursus addens: Si per diem euenerit decretorium] fauet Vincẽtio, qui sudorem admisit in die septimo: aut etiã in quarta accessione, in qua possunt boni sudores fieri: cum verò nullum verbũ habeat Hippocrates in contextu de sudore calido harum partium, de quibus erat inter vos controuersia, fit quod hunc authorem citare pro tua sententia non poteras. Sed neque etiam citare debebas Galenum. Nam quamuis hic sudorum calidorum, circa caput, & ceruicẽ, mentionem faciat, non est ad propositum disputationis institutæ: quia hic sudor copiosius ponitur non in his modo partibus, sed in vniuersa thoracis regione, de quo nihil Galenus: immo hic locus plurimũ fauet illi. Etenim sudorẽ particularem dixit aliquando bonum esse, quando scilicet facilius facit ferre morbum: qui vero id

non

non facit, inutilis est: si tamē non fuerit solum circa caput, & ceruicem, quem sanè pessimum esse tradidit. Modo hic sudor non erat in illis partibus duntaxat, sed vlterius progrediebatur ad thoracem: quo sanè conferente, bonus: nō conferente neutro habet modo, nec bonus, nec malus. Dices fortasse hūc sudorem non contulisse, id equidem si admiseris, Cine, oportebit vt rationē dicti statuas: tu nullam protulisti caussam, nullum signum: an fortasse mortem subsecutam? an syncopes illas? (quę tua fortè potuit esse imaginatio) sed horum neutrum persuadet, quia dicebat Galenus agens de Sileno, quod nisi octauo die fuisset subsecuta crisis illa per sudorē, & papulas nigras, obiisset in nona: sed vsque ad vndecimam peruenit. Sic dicā in casu, vires habebat æger validas, quæ magnitudini morbi reluctabātur adeò, vt septima crisim tentarint: quam nisi fecisset, multò citius mortuus fuisset. Vides itaque, quod neque cōtextus Hippocratis, nec Galeni explanatio tuas partes tutari possunt. Examinandus modo contextus libri Prorreticorum, in quo sic scriptum legimus: Quibusdam lumborum dolor diu perseuerans cum æstu fastidioso fit, si sudent malum: an in his tremor fit, & vox vt in rigore videatur?] vides hic etiam adesse nihil pro tua defensione. In commentario hęc verba vidētur suffragari. Siue sudores eos, qui circa caput, thoracēque fiunt, intellexerimus, quod perpetuo hi mali sunt, constat] sed si his adnectas, quæ dixerat parum supra, iam solutionem optimam inuenies, nam ait: Siue namque sudorem exiguum toto fieri corpore ἐπιδρώσεως nomine significari intellexerimus, signum bonum non est] Quamobrē audisti locutum fuisse de sudoribus exiguis, qui certè nunquam boni sunt: quia natura nunquā bene euacuat, nisi multum euacuet. Audias Hippocratem. Si Vomitus exigui, biliosique fuerint, malum] & postea. Narisque in his stillans malo est] Galenus in explanatione inquit: Excerni pauca in ægris vnum quoddam ex signis est, quæ ex toto prauitatem habent, siue sanguis per nates excernatur, siue deorsum per ventrē, siue per vomitum tale quippiam, quod superfluū sit, excernatur: idem & in sudoribus est, & in his, quę per vterum excernuntur: nihil enim eorū, quæ decretoria sunt, exiguè secerni conuenit. Sed quæ sic vacuantur, alterum duorum subeunt, nam vel quod non queant tolerari ob copiam ab affectis effunduntur partibus, vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit quidem superflua excernere, sed nequit] hæc ille. Ex quibus vides cur Galenus dixerit sudorem circa caput & thoracem malum esse, supponens exiguum esse, cū nec die iudicatorio factum. Non verò te ipso admittente copiosum septima die apparuisse sudorem præsupponimus, aut saltem in quarta accessione.

Explicatio loci Prorreticorum.

2. Prorret. 47. com.

Adhæc verò Auicennæ sententiā proprius in secundo tractatu canticorum numero 340. cum inquit: Si autem fuerit vniuersalis in toto corpore, est bonus. Sed si sit particularis, & specialis in vno loco, est malus] Respondeo, primū quod locus non est ad propositum; quia dicit, in vno loco] nos autem agimus de sudore trium locorum, capitis, ceruicis, & thoracis. Deinde sentētia colligitur, nisi minuatur morbus: vt se ipsum interpretatur Auicennas in eodē cantico numero 437. dicens: Et sudor totius capitis ad quem, seu ad cuius vacuationem non sequitur quies, est malus] & libro quarto canonis non solum hanc explanādi rationem confirmat, sed nostram opinionē pro Vincentio Cibo apertissime corroborat, eius verba referamus. Inquit enim, sudor bonus, cui conuenit, vt sit per ipsum crisis completa, est ille, qui fit in die critico, & est communis toti corpori, abundans, & super ipsum alleuiatur infirmus, & sequitur illū ille, qui nō est communis, & succedit ei lenitas] Notes, Cine, tuū Auicēnam (quem tantopere profiteris) admittere sudorem bonum dici illum, qui cōmunis non est toto corpori, quomodo quæso compones hosce locos, nisi afferas in medium eam explanationem, quam diximus; ego sanè videre non possum, qua de caussa dicendum esset tuis propriis armis cōfoueri te, & lethaliter vulnerari. Affers postremo Galeni sententiam dicentis, quod fieri nequaquam potest, dari concoctionem aliquam priuatam in vna parte tantum, crudo adhuc existente morbo: locum citas ex tertio libro de morbis popularibus in historia ancillæ pictoris.

Sudor particularis aliquando bonus.

Coctionem priuatā dari crudo toto morbo

Hic, mi Cine, plurimum aberras. nam quod ex Galeno probare vis, id ipsum idem apertissimè reprobat. Hippoc. enim sic ait: Parotides Scimi pictoris suppurarunt, ille tamen obiit] admiratur Galenus in commentario cur obierit, cum ab illo frequenter fuerit dictum, quod coctiones morbi salubritatem significat. quæstioni satisfacit, dicens: At parotides erant tamen maturæ, quod infrequens esse, & memoria teneri dicebam. nam posse fieri quapiam in parte priuatim cōcoctiones toto morbo ad huc crudo quid apertius dici possit, nō video: sed quoniam videor de sudore satis dixisse, nunc de tertio problemate quædam breuiter edisseramus. 10

Expendamus

Extendamus modo diligenter, an rectè fuerit sanguinis missio in curatione prætermissa: in quo argumento primum statuamus, in casu necessariam fuisse missionem sanguinis, at verò debuisse retardari illam, donec ventriculus, & intestina ab excrementorum crudorum multitudine vacuaretur, quo peracto, ad vacuationem accedendum: est aliquando quod hoc neglecto opere, statim venam secamus, si fortè in affectum vrgentem incideremus. Nunc scribo Cine ex tuis principiis, quæ ego vt vera pariter admitto. verba tua sic habent: Remouenda ergo à ventriculo primum illa fœculentia, blandissimis medicamentis & viis illis expurgatis, nullo alio scopo refragante, Medicus tutò possit postea sanguinem mittere] & addis parum infra: Quare ego talia incommoda remouenda apprimè cum cassia, & hieræ polline mandaueram, vt in die futuræ 20 quietis possem venam incidere] stet igitur hoc suppositum in proposita disputatione, nempè morbum extitisse ex eorum numero, qui vacuationem postulabant vena secta. Quamobrem si nunc inquirat abs te Vincētius, quam ob caussam tandiu distuleris exhibere cassiam cum hieræ polline, aut mannam, in die scilicet sexto, vt ex historia satis superque patet; quid respondebis? habebis ne Cine, aliquid quod probabiliter dicas? Datum fuit tibi tempus idoneum pro exhibendo hoc medicamento, primum scilicet interuallum prioris periodi, de qua dicis. Postridie minxit more sanorum, & ambulauit in apricis] huius opportunitatem omisisti. quam ob caussam occasionem secūdę quietis prætermisisti? 30 an ignorabas, quod præceps erat occasio? Voluisti tundere venam post deuoratam cassiam? quo tempore magis fuit quiescendum. sed si assumere neglexit, cur tu vrgente morbo, præmissoque leniente enemate, aut etiam validiori, non statim venam secasti? Hęc sanè, vt liberè dicam, indicant maximam socordiam, & negligētiam abs te in curatione adhibitam: si quidem quo tempore voluisti exercere auxilium, non potuisti; viribus ob multitudinem humorum penè extinctis. sed aliud etiam ipso in casu vrget maximè, à quo nescio videre, quomodo extricaberis te ipsum: hoc autem est, quod negari nō potest, morbum hunc fuisse acutum, vt potè, qui decima die hominem occiderit: cur igitur eam non adhibuisti diligentiam, quam morbi conditio postulabat? in acutis enim admonebat senex eadem die medicari oportet, tardare autem malum] rursus hoc 40 loco inculcabis, hominis incuria fuisse mortuum ęgrotum, quoniam cardialgia plurimum vrgente, & vbi vomitum prouocare non licebat, vsus fuerit vno, aut altero enemate, & glandibus acrioribus. mox quia prouocare sudorem studuit. Cine mi, hęc probabilia nō sunt. Haud enim inuenies aliquē, qui in eiuscemodi affectu, qualem con fingis, in hæc ipsa mortis caussam referat. Audies posthac quid sentiam in vltima tractationis huius parte diligenter explicatum. supponamus itaque acutum fuisse morbum, in qua re tu sanè volens, ac etiam nolens omnino consentire debes. nam agens de sudore, vt illum reuelleres, malum esse pronunciasti, hoc indicante febris vehementia: Hippocratisq; vsus es prognostico, quod de morbis acutis intelligitur. Quid igitur caussę fuerit, scire desidero 50 cur vacuationem secta vena tantum retardaueris? Dices arbitror impuritatem ventriculi, & primatum venarum: sed hanc quam ob caussam nō emendasti in priori quiete? aut etiam in secundo interuallo? Reluctauit æger (inquies) sed cur cū hac impuritate nō misisti sanguinē? Verebaris forsan ne humores illi sanguine misso traherentur in venas? hoc certè extimescere non debebas, quia hoc incom-

Extricaveris

incommodum, quod de intempestiua missione sanguinis à Galeno scriptũ scio, & tu in libro tertio meæ de eodem argumento tractationis legisti, omnem sanguinis vacuationem non sequitur, sed pro veterum consuetudine copiosam: hanc igitur ob impuritatem exercere non licuit, cur non admisisti, quæ vacuaret minorem succorum copiam? Cur vicibus iteratis id pręstare conatus non es, quod semel fieri debere morbi conditio demonstrauit, vt in crudorum humorum copia faciundum Galenus edocuit? Agerem pluribus, nisi locum à me iam diu explanatũ haberes in promptu. Deinde verò in medendis affectionis complicatis, est obseruandum, quod si omnibus vnica medendi ratione obuiam ire possumus, sanè id ipsum in votis esse debet: si non põt, hoc saltem laborandũ, vt operam demus præcipuã illi, qui magis vrget, altero minimè neglecto. Aeger ille vester plenitudine laborabat cum acuta febre, quę scilicet sanguinem maximè feruescentem continebat, quamuis fortasse in tenuiori sanguine putredo maiori ex parte consisteret: addita erat cardialgia tertio quoque die magis inuadens: cur igitur, quo tempore cordis morsus non lædebat ægrotum, vena cæsa non vacuasti? tum, vt multitudine grauatum exonerares corpus, tum vt fluẽtem, aut etiam fluxurum ad ostium ventriculi reuelleres? maximum enim inflammationis imminebat periculum ob continuum dolorem cordis. Dum hęc diligenter considero, videor mihi, talem casum Galenũ hisce verbis repręsentasse. Agè si quis febricitet, & adsit plectorica dispositio, verùm ex recentibus cruditatibus sit, & morsum sentiat, afflictumq; os ventriculi &c.] iã posuimus plectoricum extitisse corpus: supposuimus etiã os ventriculi à crudis humoribus morderi; quid agendum sit docet, cum ait: Vel potius ori ventriculi prouidebimus: deinde verò postquam circa hoc melius se habuerit, quam cõtinget, totius corporis vacuationem faciemus: mihi quidem ita agendum videtur] at æger ille tuus nescio an à remediis adiutus, certè die intermissionis carebat morsu vẽtriculi, & inquietudine te ipso teste: qui dicis, postridie ambulauit in apricis, & more sanorũ. &c.] & de intermissione secundæ accessionis inquis: At mane iniecto molli clisteri quieuit, & fœciliter in patriam rediit] quid ergo tibi viro oculatissimo fuit impedimento, quin cardialgia non afficiente, sanguinem mittere nolueris? Vide, quàm aperta hęc sint hominis negligẽtis indicia. Postremò id affirmare ausim præparationem venæ sectioni præmittendam, si morbi sinit clementia. Immanis verò importunusq; morbus, nulla pręparatione, nulla cunctatione festinare cogit: sic in habitu athletico, à quo pręsens aut suffocationis, aut ruptionis vasorum periculũ impendet, in vehementi pleuritide, in febre ardenti, in maligna, in casu, & prolapsione, in obtritu graui, imminentis periculi euentus magis reformidandus est, quàm noxa ex non præparato corpore.

Primo ad Glauc. 4.

Ibidem.

affectibus.

quod

Ea parte, qua probare contendis, febrem non fuisse pestilentem, non malignam, non tertianam duplicem, negocium ipsum inuenio controuersiarum plenum; quod si in præsentiarum esset pro dignitate perpendendũ, examinandumq;, vix quidem sufficeret mensis; sed non patiar certè, vt tu meam sententiã desideres; reliqua explicata sunt abundè libris nostris de febribus pestilẽtibus, quos me propediẽ edituros polliceor. Probas itaque non extitisse pestilentem à posteriori, & à priori. à posteriori quidem, quoniam non habuit fluxum colliquatiuum, quod perpetuum est signum pestilentium febrium; tum demum, quia opus est putredinem illam excellentem in cordis humoribus contineri, aut etiam in illius substantia; ex qua neq; rigor fieri potest alternis diebus, neq; potest æger ad integritatem ferè simplicẽ peruenire, quæ in ægro contigerunt. A priori probas, ex Aristotelis supposito, quod colliquatio fieri nõ potest, nisi à flagrantissimo, & vehementissimo calore, ex quo deducis miram quandam demonstrationem his verbis.

Ab agente proportionato, & adæquato; & in materia proportionata, & adæquata, sequitur effectus proportionatus in specie; cum conueniens fiat à cõuenienti, & quodlibet nõ agat in quodlibet; sed determinatũ in determinato: Ergo hęc febris nõ potuit aliquo pacto nũcupari pestilẽs, cũ in pestilentibus

calor deurens,& colliquans ob excellentiã putredinis inducat necessariò fluxũ colliquatiuum.

Fluxus colliquatiuus an semper in pestilẽte febre.

His ego sic pro Vincentio responderem. Ad primam, quod fluor colliquatiuus non est signum inseparabile pestilentis febris; quoniã huius genus duplex: alterum quod fit ab aeris inspiratione putrescibili euaporatione coinquinato: alterum, quod ex humorum putredine corruptiua, & venenata dependet citra aeris coinquinamentum, & vitium. Rursus horum duorum generum species multæ, illius tres potissimæ, prout potest aeris putredo, ac totius substantię mutatio, vel in spiritibus, vel in solidis partibus, vel in humoribus terminari. Huius tot existunt species, quot humiditates adsunt ad corruptionem corruptiuam idoneæ. Ridiculum est in omnibus hisce tum generibus, tum speciebus putare fluxum adesse colliquatiuũ. Perpetuum symptoma dixit Galenus, nõ omnium, sed harum præcipuè, quæ ambientis aeris iniuria nascuntur: neque hoc in genere complectitur omnes: quia pestilentes ephemeræ hunc fluxũ non habent, humorales non semper: hecticę vero ex necessitate semper habent: Atque profecto eæ febres erant, quæ Galeni tempore vagabantur, & de quibus aliquãdo scripsit Hippocrates. Periculosum est, Cine, inferre vniuersalem illationem ex vno particulari: nempè, ex eo, quod in illa pestilentia colliquatio aderat; in omnibus adesse cõsequatur. Vide igitur quàm sit fallax, & captiosus eiuscemodi tuus argumentandi motus. modus.

Laurentius Ioiubertus.

Ad secundam, Laurentius Ioiubertus Medicus ingenii subtilissiim diceret, quòd omniũ febriũ, quęcunq; sint, materia in corde primo, & per se cõtinetur, tuamq́ue opinionem paruipenderet: at ego in tui gratiam admitto, quę posuisti principia: Cor scilicet primo ac per se pestilentium febrium sedem esse: ex hac positione infers duo: vnum quod rigor non appareret, cum intra venas cõtineatur putredo. hoc non admittimus; etenim rigor fit, quotiescunque bilis per sẽsitiuas corporis partes transfertur motu quodam subito, violentoq́ue: cur itaque per eiuscemodi partes à venis expelli nequit? & quomodo expellitur in causa? scis enim quod huius ipsius humores, aut in corde, aut in venis cordi proximis continentur: Rigore tamen superueniente fit solutio. Nosti quid Alexander Trallianus dixerit: nempè cõtinuas febres existere, quàm plures primis diebus cum rigore inuadentes. Nosti quid tui Auicennæ glossematarii ad satietatem de proposito dicunt argumento. Circuitus tertianus nihil impedit, quoniam in febribus ex inflãmationibus talẽ fieri periodũ adeo certũ est, vt nihil certius.

Galeni libro de rigore passim.

Ad hęc alterũ deducis. s. febrẽ fuisse continuam, hoc sanè vltrò admittimus. Tu interim qua ratione probabili, quo lenimento demonstrasti nõ fuisse continuã? Ex rigore nihil, vt scis, concluditur. cur non potuit fuisse hemitritęus cõtinuarum omniũ ferè deterrima? cur non tertiana continua? cur non febris ardẽs? Magna quidem, Cine, vis est veritatis. Tu videris admittere cõtinuã extitisse febrẽ, & acutã. Recorderis, quod de sudore agẽs, dixisti pręnunciare illũ mortem, & breui aduenturã propter febris vehementiã? (tua hęc verba sunt.) Recorderis quòd vsus es Hippocratis prognostico, quod de acuta febre intelligitur? Hic verò dicis, quod perueniebat ad integritatẽ ferè simplicẽ? Erat igitur continua. sed quid impedimẽto esse potest, quin continuę pestilentes euadant? Si caliditas illa corruptiua, quę cõstituit propriã essentiã pestilentię, accesserit, cur non fiet febris pestilẽs? cur imponis Vincẽtio dicenti hãc extitisse pestiferã? prętera videris mihi in hac re nõ attingere metã, putans propriũ pestilentis febris esse lędi per se primo cordis corpus. Hoc.n. cõuenit hecticis, cõuenit putridis primariis, cõuenit ephemeris quibusdã: quõ igitur, vir bone, statues omni soli ac semper cõuenire pestilentib. febribus? hoc vnũ affirmare certò possum, si fiant ex aeris inquinamẽto per respirationem attracto, cor primo, ac per se affectũ pati. Sed in his quarũ origo est interna, obseruari id nõ posse diximus tertio libro cõmentariorũ ad primũ de febriũ differentiis. Postremò videris mihi maximè ambiguus, dũ inuestigas, quod propriũ est pestilẽtis febris: nã hoc esse cordis substantiã dicis: & parũ postea agnoscis in corde putredinẽ excellentẽ. & parũ infra

fra venenatam qualitatem addis, mulierũ exemplo ex vtero suffocatorum: quasi quod hæc non differant. leges quæ scripsi de hoc perdifficili argumento per ocium. nam omnia vbiq; inculcare non decet. Experiamur modo Hectorẽ, aut Achillem illum tuum: maximam scilicet illam à priori demonstrationem, qua confudisse putas miserum Vincentium, adeovt de illo iocatus dixeris: Quo te meri pedes, aut qua te via ducit in vrbem? Caue, quæso Cine, caue ne tu proprio gladio percussus, tandẽ ferè inanimis cõcidas. Opus est, vt videamus, quidnã sit hoc agens proportionatum, quodnam sit passum, & quis effectus actionẽ consequatur: hisce enim explanatis, nihil concludere videbis rationem contra Cibum; quinimo plurimum illius opinioni adstipulari. Agens calor est febrilis; nẽpè igneus, acris, mordax, non simplici qualitate pręter naturam factus, insitoque calori grauis; sed putredine septica plurimum infestus. Etenim triplex à nobis calor præter naturã statuitur. Simplex, quem aliqui elementalem vocant, putridus, & pestilens quomodo inuicem differant, alio in opere expositum est à nobis diligenter. Subiecta materia circa quam versatur, est innatum calidum illi prorsus contrarium, aliquando totius corporis, aliquando autem rei propriæ: quandoquidem calor præter naturam agit in naturalẽ, propriumque calorem. Varii sunt effectus pro varietate subiecti: in hoc vnum omnes conueniunt, quod calefaciant, quod per se desiccent. Elementalis hoc duntaxat efficit, vltra hoc nihil: Putridus materiam ad corruptionem præparat, quod est putrefacere; Pestilens autem præparatam materiam corrumpit prorsus, hoc enim proprium est munus septici caloris, ad eum scilicet statum deducere materiam, vt omnino sit illi impossibilis regressus ad pristinum statum: aut certè maximè difficilis, vt alibi recordor dixisse. Hinc deleteria illa sumitur qualitas, hinc perniciosissimum illud seminarium, hinc inficiundi ratio. in iis autem, quæ putrida dicuntur, licet intercipere viam ad corruptionem, & artis, ac naturæ beneficio ad priorem bonitatem, quod sic affectum est, reuerti potest. Porrò vnaquæq; pars proprium habet insitumque calidum. Partis nomine intelligo non modo quod cõmuni fruitur vita cum toto, sed præterea contenta, & impetum facientia. Quis igitur, Cine, effectus est caloris pestiferi? non est calefacere: quoniã hoc cõuenit simul elementario ac putrido. Non est præparare humores ad corruptionẽ: hoc enim facit etiam putridus. Sed propria actio illi conueniens, quatenus est pestilens, existit corruptio: ex qua contagium deducitur, ea ratione, quã olim docuimus. Agens igitur proportionatum in pestilenti febre non est calor, vt igneus, sed vt pestilens: effectus non est colliquare, sed corrumpere. Tu videris quomodo ex pestilenti calore deducas colliquationem, quæ accidens est corruptionis cuiusdam. Vide caussam. non facit id ipsum quatenus igneus, quia ephemeræ, & putridæ non colliquant: non quia maximè ardens, quia casus non habet syntaxim necessario annexam, neque internæ inflammationes, ardoresque perpetuò colliquant. Dices fortasse materiam præparatam ad colliquationem: sed quænam est eiuscemodi materia ad colliquationem parata? an spiritus? an humores? horum neutrum colliquari dicetur. solidæ partes colliquantur. at non omnes, quia humiditas illa rorida, & genus carnosum id patitur: fibrosum & membranosum, quod alioquin verè solidum est, vt quidam (nec temerè) statuerunt, cũ subiectũ non sit colliquationis, syntaxim pati non potest. Hic exitus est admirandæ huiusce demonstrationis tuæ, in qua annotare possem alia. sed tibi hæc sufficiunt in præsentia, cum plura aliàs.

Cum autem Vincentium redarguis de maligna febre differentẽ, videris mihi Galenum arguere. Dicis eam haud potuisse malignam nuncupari, quia nulla signa adfuerunt indicantia inflammationem viscerum, qualis est lypiria; derideśq; hominem, (tuo alioquin more) quod sibi credi voluerit, nullam rationem pro sua opinione confirmanda in medium afferenti. Cine carissime, an tu solus ignoras, quàm sit multiplex nominis huius maligni apud Galenum, & probatissimos authores significatio? Admitteret illam Vincentius, quã protulisti: cur tu non recipies alias, quas idem pro suæ opinionis confirmatione afferet? Pestilen-

Maligni morbi significatio multiplex.

tes febres nomine malignitatis vocat Galenus: sed hęc aliquādo comite inflammatione fiunt, aliquādo sine inflammatione cōsistunt. Idcirco quis dixerit omnes esse lypirias? Definire alibi malignum morbum videtur, qui cum sit periculosus, spem tamen salutis non adimit. & alibi eum, qui omnibus rite, decenterq; factis non sanatur: in quo numero sunt vlcera cacoethæ. An non recordaris legisse te in methodo, febrē malignam pro vehementi fuisse à Galeno vsurpatam? & libris de medicamentis per genera primo, & quarto cacoethæ vocat vlcera, quæ nō admittunt cicatricem, humores ob locum affectū corrumpentia: cuius fortasse contrarium apparet alibi dixisse. Hæc quidem faciunt, Cine, vt cognoscas, quod si clarus ille Medicus pestilentem illam, ac simul malignam febrē vocauerit, Galeni patrocinio non est destitutus: quodq; dū hunc refellere vis, non parum aberras, specie vsus pro genere: siquidem non est illatio necessaria. Lypiria non adest febris: non igitur adest maligna. Valeret ratio, si malignæ nō essent aliæ, quàm lypirię: cum vero nomen hoc apud omnes ferè Medicos satis latè pateat, potest mali moris dici febris, vel maligna, præter quàm quòd inflāmationē sequūtur viscerum. Quod verò ille nullis signis probauerit talem esse admiror, sed satis esse potuit hoc signum: quod, quæ saluberrima (te iudice) videbatur, furtim hominem perdidit, quæ alia nominis huius apud quosdam significatio est: Audias quid Emporensis ille Medicus dicat. Morbi verò morem dicimus ex animantium similitudine, quæ maligna propriè, vel benigna pro morum qualitate dicuntur: sic enim morbos malignos vel benignos dicimus, magnitudinem periculi imminentis, vel securitatem significare volentes. Si itaq; sic generatim malignitas capiatur, omnis magnus morbus totius generis comparatione malignus erit, & omnis malignus protinus magnus. Est autem hæc alia magnitudo ab ea, quam ante descripsimus: si quidem hæc totius generis: illæ propriæ speciei comparatione dicitur. Sed quæ malignitas proprio vsu vocis dicitur, citra euidentem magnitudinem consistit, vt malignitas proprie dicatur, quæ furtim vitæ insidiatur, quales sępe debiles ad sensum febres graui cum periculo adueniunt.] hæc ille. Reuertor ad Cibum. Cur ille non explicauerit caussam tibi illius appellationis, ignoro. Dicet ille fortassis, cum tuam illi apologeticam dabis epistolam. Interim non reprehendas hominem. Quoniam certè nunquam putabitur temere locutum; neque sibi ipsi contraria dixisse, vt profiteris, imponens putasse duas esse tertianas. Hoc enim de homine magni iudicii credere non debemus. Quamuis impossibile non fuerit reperiri tertianam duplicem, ex numero pestilentium, & malignarum. Qui enim pestilentem febrem à putredine substantiæ cordis non fieri putant; aut humorum, qui ibidem continentur: admittent facile non tertianam modo, sed quotidianam, & quartanā pestilentes vt prætermittam continuas. Rursusneque id ipsum negabunt, qui putant ex inquinamento cęlitus dimisso fieri pestilentiam. Alii verò & si pestilentē ordinis primi nunquā in genere tertianarum inueniri posse cōtenderent; tamen quę pestilentes malignæ fiunt ex humorum corruptione, internis de caussis genita, in omnigenere intermittentium posse reperiri (nisi fallor) nō negarent. Cum dicis tertianas carere periculo, aberras, Cine, id enim de exquisitis prolatum est, at vero illegitimas periculosas esse Galenus testatur cum experientia: quid continget si fient ex humorum corruptione? Hic adnotādum est me hactenus explanasse, quod positis tuis principiis potuit hæc febris iudicari pestilens, & maligna: inquibus & si multa de pestilēti febre & de maligna dixerim, ea velim accipias nō tāquā significatiua opinionis meæ, sed tanquam locos quosdam communes, quorum tutela Vincētius, aut alii; qui eius suscipere defensionem volent, rationes tuas omnes euertere citra laborem poterunt, vtque hac de caussa caueas tibi plurimum.

Primo ad Glauco. 9.

Accedo nunc ad disputationem de hiera, & manna: in qua sanè habebunt etiam dimicaturi pro Vincentio quid dicāt. Primum, quia hiera non est accommodata, vbi febris adest vehemens, qualem tu dicis, aut deurentem, & acutam, vt ille. deinde, q̃a suspecta iudicari debet minorādi ratio, vbi crudi adsint humores. neq; placedit manna, quoniam ob eius dulcedinem facile in bilem vertitur, potissimum

potissimum quæ deducitur ex succo trunci alborum Gargani montis Apuliæ: adde quod cum bilem electiuè ducat, hac nondum mitificata, cõuenire non possé statuent. scio, Cine, quid hic respondebis, sed vtcunque respõdeas mihi, certe non negabis rem ipsam esse controuersiarum plenam: & occasionẽ habituros aduersarios tuos satis efficacem, & probabilem ad respondendum, ac etiam ad tui reprehensionẽ accõmodatissimam. si verò quæsieris ex me, quid ipso in casu egissem, respondebo, prætermissis lenitiuis hisce tuis, statim ad vacuationem, sanguine misso, accessissem, eo præsertim tẽpore, quo à ventriculi morsu homo plenitudine laborans, febreque cõtinua, liber videbatur. Admitto enim corpus 10 extitisse eusarchum, quia multorum relatione, quibus adhibeo fidem, talẽ fuisse audiui: deinde quoniam tu ipse hoc idem confirmas, dum fuisse necessariã sanguinis missionem scribis: quia certè nunquã sanguis mittitur, nisi vel ob vacuationem vel ob reuulsionem, illam exercere nõ licet absque plenitudine præsenti, aut futura, totius, aut partis. hæc autem non fit, nisi propter sanguinis motum, qui etiam, cum fit internis in partibus, plenitudinẽ particularem futuram significat. Hæc sunt alio in opere à nobis subtilius disputata, idcirco supponenda.

Relinquitur modo, vt explicem, qualẽ esse putauerim in hoc ægroto mortis caussam. Hæc sanè cum nequeat referri in enemata, in sudoris prouocationem, relinquitur vt in humorum multitudinem, aut in malignitatem, aut in vtramq; 20 referatur. Ex his caussis adfuisse vnam minimè ambigimus, alteram ignoramus. Multitudinem adfuisse tum ea, quæ diximus supra, tum aliorum relatio, tum demũ, quod ipso in casu euacuantia præsidia nullius generis præcesserunt, manifestissimũ faciunt. At humores venenatos, aut corruptos, vt (rectius dicam) concitasse hanc febrem, ambigo, quia neque tuis literis, neque aliorum potui hac de re fieri certior. Interim statuamus duplicem multitudinem passum hominẽ: vnã in venis corporis totius, aliam in præcordiis: vtraque potuit, suffocato natiuo calore, inferre mortem; de venarum plenitudine nemo est qui dubitet, cũ passim omnes videant habitum eiuscemodi periculi plenum esse. Quæ inhæsit præcordiis haud minori celeritate idẽ effecisse potuit repentinam scilicet suffo 30 cationem. Ostium ventriculi, tum ob viciniam cum corde, tum ob maximam sensibilitatem syncopas inferre consueuit, cum aliquis humor malus ad hãc appellit. sic enim non modo fiunt fortes dolores, sed aliquando inflammationes, à quibus ægros liberari est impossibile. Cognouit hoc Hippocrates dum in aphorismis ait: In febribus circa ventriculum fortis æstus, & cordis morsus, malum] & rursus. In acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malũ] cognouit etiã Galenus qui in hũc modum scribit: fortis itaque ventriculi æstus à flaua bile in eius tunicis ebulliente generatur: rationabiliter autem iis, qui ita sunt affecti, & ventriculi mordetur os, atque ob id malus est casus [& alibi. Peior autem fuerit, si fortes dolores acciderent: scimus enim propter inflammationẽ, 40 vel erisipelatẽ, vel fortem obstructionem, vel abscessum aliquẽ in visceribus dolores fieri] atque postremo dum syncopen cardiacam curare doce (sic voco ab ore ventriculi cœptam) in methodo medendi, & in priori libro ad Glauconem idem significat. Quod si cũ hac ipsa complicatione febris fuisset ex numero semitertianarum, certiorem obitus caussam haberemus, quia certè (vt cum Galeno loquar) in vniuersum & ferox est, & periculosissimus, & admodum acutus. quod etiam confirmauit Hippocrates, semitertianus typus.

1. metho. c. 14. 1. ad Glauconẽ.

Libro de typis.

Videor iam explicasse omnia, quæ fueram in principio pollicitus. Reliquum est, modo, vt pro pietate Christiana teipsum admoneam, vt ab hac desistas pro- 50 uincia, ac, vt famã, quã tuis literis Vincentio detrahere voluisti, restituas, Erit enim vtrunque optimum. nam (vt tecum loquens eam libertatem dicendi vindicem, quæ amicum decet ingenuum) non putauerim posse te æquis armis cum illo congredi, cuius magnam esse doctrinam scio: quamuis fortasse negliget ille tuas literas, ac parum curans, quid tu de illo, responsionem nullam dabit. Quæ tamen si in manus Hieronymi Sforziæ Hispalensis Medici optimi peruenient, (pro summis beneficiis, à Vincentio in illum collatis) subuertentur prorsus, ea-

rumq; fundamenta euertentur: Adhibeto mihi fidem, Cine, (nam te amo plurimum) horum alteri nunquam satisfacies: quanto minus ambobus? Quod si quemadmodum publice detraxisti famæ optimi hominis, sic publicis testimoniis restituere placuerit, id facies quod ad te pertinebit, nempè ad Christianum, & præcipuè Theologum. scis enim quàm graue peccatum sit, famæ detractio: scis quod non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatũ. Tuę literæ hominem sontem, & innocentissimum reum faciunt mortis, (quæ calumnia maxima est) hanc augent circumstantiæ: quod suum compatrem occiderit: quodq; iam senex factus eam exercere artem nesciuerit, quam iuuenis inculpate exercuit: addito his postremò, quòd tuam lucubrationem passim legendam multis exhibes illo inscio. hortaris multos, in quorum numero ego etiam sum, vt tuas suspiciant partes: legerunt multi, ex his tamen nemo hactenus in tuam gratiam rescripsit quicquam. Nec alia factum est de caussa (vt puto) nisi, quia suspicantur, non illum quidem, sed te ipsum fortasse in curatione fuisse deceptum. Vide, si vt occepisti insequaris, ne simul nomen detractoris subeas. scribens namque in occulto cōtra illum, signum euidentissimum facit, quod illius doctrinam vereris, alioquin palam loquereris, & ad Vincentium, non ad me, aut alios, tuas dares literas, id verò suspicari posset, facere te, vt qui tuas perlegerint literas, illis fidem adhibentes, malam de Cibo opinionem concipiant. Quamobrem, vt hęc deuites vitia, ac vt te ipsum expurges oro, & si licet per tuam humanitatem obtestor vehementer, quæ si facere neglexeris, vereor ne te facti pœniteat. Nam sero sapiunt Phryges. Saltem hoc curato diligenter, vt quàm primum ille à te ipso, non ab alio tuarum copiam habeat. Valetudinem tuam curabis, & me vicissim amabis. Ex Cingulanis montibus die decima Martii 1572.

APPENDIX LECTORI.

Apologiam Iulii Cini Collensis habes in libro nono epistola secunda, quam perlegere te oportere iudico, vt omnia consequaris ad hanc disputationem pertinentia.

p. 209.

PLINIO MELO, I. C.

EPISTOLA SECVNDA.

Agitur de ratione curandi febrem in habitu primi ordinis: motus quosdam conuulsiuos, & alia quædam sæuissima symptomata.

DVM præterita commemoro, ac præsentia diligenter intueor, in eam opinionem venio, Plini, propositum casum esse in ancipiti constitutum. si enim sanantur ex morbis, quorũ vires morborũ vehementiã superant, quid in ęgrota, cuius vires fere oēs flaccescunt, sperandum sit non video. Vitalem facultatem imbecillam ostendunt, pulsus creber, ac paruus, continua extremarum partium frigiditas, animi exolutio admodum frequens, & febris in habitu. Naturalem verò contraxisse imbecillitatem quis dubitat? vomitus illi continuò facientes negotium: Vacuationes spontaneæ per aluum, per vterum excedentes modum, ventriculi cruditates: adhæc excrementorum substantia, color, excernendi modus, adeò manifestè denotant exiguum robur facultatis huius, vt nihil magis. Animalem autem læsam esse, dolores perpetui, maxima vigiliarũ instantia, stupor manuum, ad progressum imbecillitas, conuulsiui extremarum partium motus, apertissime declarant. Quis igitur non timeret? nuc eorũ, quæ præter naturam insunt, magnitudinem perlustremus. In primis adest febris hectica, cuius quàm sit curatio difficilis, nemo est qui nesciat. Talem vero existere febrem videor mihi certissimus, nam calor semper æqualis inest, nō habens manifestam aliquam, & incōpressam annotationẽ, cumq; assiduò febricitet, ignorat tamen se ipsam febricitare: quę in putridis non adueniũt. Vna est in finoc his accessio: aliæ per circuitum inuadunt omnes: intemperiesq; dum fit, dolorem facit

facit, ac tristem sensum, cum verò facta est, sensu caret. Nō conturbet nos ipsos, quod neque sit pulsus durus, neque incalescant horis tribus, aut quatuor post cibum extremæ partes: quia hæc symptomata sunt hecticæ febris tabidæ, non simplicis illius, vt libro quarto commentariorum in primum de febrium differentiis demonstrauimus. Hanc ego simplicem hecticam putauerim, ac etiam primi ordinis: & hanc cōtraxisse ex inediis multis, vigiliis, doloribus, maximisq; vacuationibus per vterum, & ventriculum. propositam difficultatem auget, quod affectus neruorum conuulsionem minari videtur: haud enim articulos lædit dolor, vt quidam putarunt ad neruos, & musculos, quos equidem iam contrahi in pedibus manibusque vidi ipsis oculis. quis itaque malum non timeret exitum? Quis dubitabit quin adsit conuulsionis principium? huius vero cum triplex afferri soleat differentia: nam quædam posteriorem, quædam anteriorem, rursus quædam neutram prospicit partem: hæc ipsa est ad posteriores particulas versus principium neruorum. Obseruandum est hoc loco dicere me conuulsionis principium, non conuulsionem factam: quandoquidem illud viam, ac dispositionem, hoc autem terminum habitumque denotat, ad quem vbi fuerit peruentum, cōclamatū est. Addito his, quod cum sint duo genera, ex plenitudine vnum, ex inanitione alterum, vt Hippocrates inquit, hæc ipsa conuulsio ab inanitione & siccitate ducit initiū. Ostendunt rem sic habere, quod affectus paulatim accessit, quod præcesserunt caussæ quamplures exinanientes vniuersum corpus, vacuationes scilicet maximæ ex vtero, ex intestinis, ex ventriculo, & per sudorem. Cogitationes, & curæ modum excedentes, inediæ multorum dierum, vigiliæ longissimæ, febris longa, & arida. In hac omnium caussarum syndrome quis non videt siccitatem in corpore introductam, conuulsionem neruis ferè exinanitis, ac præter naturam ad suum principium contractis breui admodū tempore perfecturā? Quid ego de maxima dicā vigiliarum instantia? quæ diebus 24. continuis perseuerauit adeo acerbè, vt neque diu, neq; noctu aliquando horas duas edormierit; si vero defatigata sensoria ociari aliquando volebant, statim tremor corporis vniuersi ægrotam inuadebant: duplex hic imminere video periculum, vnum ne humores nimium agitati phrenetidem faciant: alterum ne torrefactis humoribus, aut melancholia, aut aliud quodpiam desipiētiæ genus inferatur. Postremò affectus est maximus dolor neruosarū partiū, continuo oblędens, conuellensq; ; etenim ex eorū numero, quæ vires plurimum prosternunt, dolor ferè primas partes habet. Quamobrem in tantis difficultatibus, multò magis Æsculapii opera videbimur indigere, quam nostra. tamen quia ego tum propriam, particularemq; ægrotæ naturā non cognosco, tum etiam quia impium est miseros ægrotos relinquere, omni artis opera destitutos: & postremo quia in dies noui quidam casus adueniunt præter Medicorum opinionem, vt alias conscripsimus, propterea fit, vt in tui gratiam, Plinii aggredi ad curationē constituerim; non, vt illam sanare sperem, sed, vt meo perfunctus munere, ad sanandum accommodata proponam auxilia; sed vt, quæ à nobis dicentur, methodo instituta videantur, ordo statuendus est, idcirco primo loco indicationes curatiuas inueniam: mox proponemus materiam remediorum illorum vsum, modumque accōmodatum minimè prętermittentes, quibus explanatis, finem dicendi faciam.

Indicationes curandi.

Adsunt hic indicationum duo genera: vnum curatiuū, alterum vitale. Febris in habitu qui calidus, & siccus affectus est, humectantia postulat, refrigerantiaque præsidia: conuulsio sicca, exinanitarum partium plenitudinem humectantem postulat. dolorum caussæ propulsandæ sunt: Vigiliarum instantia concitato somno corrigenda. vtrique symptomati idcirco est incumbendum, quia cum excedunt modum, in naturam caussę transeunt. Vitalis indicatio virium restaurationem indicat, sic illarum imbecillitate exigente: indicationes hęc sunt, materia medica in hunc modum habet.

Multa sunt remedia, quæ accommodari possent in rem pręsentem, quę sigillatim omnia non explicanda: verum duntaxat quædam scribentur, meo

quidem iudicio, generosa, & in quorum vsu plurimum confido. Primùm ac potissimùm est vsus lactis asinini: quod omnium ferè tenuissimum est, quorum vsum esse apud Medicos assolet: humectat, refrigerat, nutrimentum dabit optimum, atque per vniuersum corpus facilè distribuetur. singulis diebus hora matutina ante cibum horis quinque bibat lactis huius recenter mũcti vnc. viii. aut ix. cum drach. i. zuchari albissimi vsque ad quadraginta dies, aut etiam plures, nisi in ventriculo acescat, aut in qualitatem nidorosam conuertatur. quod si nimia quantitas videatur, quàm imbecillus eius ferre possit ventriculus, ad placitum minuito, incipiens ab vnciis quatuor, & paulatim augendo. 10

Alterum est non minoris prętantiæ, aquæ dulcis balneum, in quo maluarum, lactucarum, altheæ, nenupharis flores, & folia cõcocta fuerint simul cum absinthio, & octaua parte vini, ne scilicet medicamentum nimis relaxet. Ingrediantur balneum extremæ partes vsque ad pubem, in quo spatio tertiæ partis horæ vnius commoretur: vbi verò multis diebus hoc vsa fuerit, toto ingrediatur corpore; sed hæc adhibenda cautio, vt fricentur partes omnes antea oleo amygdalarum dulcium manibus intinctis, haud equidem frictione dissoluente, sed nutritoria adhibita. præstantissima est insessio in hydrelæo cum absinthio, & vini tantillo: cum verò insessionem fuerit egressa, pręparatum habeat lac caprinũ, aut humanũ recenter mũctum, quod oblinat partes ões quę tenduntur, conuelluntur q́; fiat insessio semel in die ante prandium horis duabus plus minus. & quanto inceperit citius, tanto melius. Duo hæc præsidia subuenire possunt omnibus incõmodis, quia certè explent indicationes ferè omnes. Ante cœnam zuchari nenupharini optimi, quale potissimum solet à Ferrariensibus præparari vnc. s. degustet, assumptis illico vnc. ii. aquarum stillaticiarũ cucurbitę: & limaciarum. 20

Non est vsus frequens diacodii prætermittendus, de quo sæpè degustet cocleare vnum, quod quidem erit illi maximi vsus.

Eunti dormitum singulis quatuor dieb. capiat drac. i. s. sequẽtis antidoti. Rec. rosarum, violarũ an. drac. i. s. corticũ radicum mãdragorę, seminũ iusquiami albi, papaueris albi, seriolę, portulacæ, lactucæ, psilii. an. drac. i. s. nucis muscatæ. cinamomi electi an. scru. v. trium sandalorum, spodii, draganti. an. scrup. i. specierũ aromatici rosati maioris scru. s. mellis optimi expumati triplum, vel cũ zucharo dissoluto cũ aqua violarũ fiant tabellę drac. iii. ꝓ singula, capiat vnam ꝓ vice. Est hoc præstantissimum auxilium ꝓ abigendis omnib. affectionibus supradictis. Dixi de curatiuarũ indicationũ materia: nunc quædam de victus rõe dicamus. 30

Hæc in vniuersum instituenda est optimi succi, quæ refrigeret, & humectet: cauendum à contrariis. Vtatur pro potu vino oligophoro, aut saltem paucifero, quod, ne caput feriat, diluendum aqua copiosa. Interdiu abstineat, vrgente siti bibat coctam, cum vnica vna iuleb violacei. In assumendis alimentis melius est, vt vices multiplicentur, quàm alimentorum quantitas. Ouis vtatur sorbilibus, ptissana, oriza, carnibus magis elixis, quàm assis: singulis quinque horis degustet aliquid concoctu facile: exempli gratia, hora nona lactis asinini vncias octo. hora decimaquarta ius alteratum cũ vitellis ouorũ, & carne optimi succi. moderatè bibat. hora 19. panis offã deuoret vino intinctã: vigesimatertia cęnabit, moderatè bibat, ne nimia humiditas fluentẽ aluũ faciat. hora noctis quarta duos vitellos ouorũ capiat sine potu. Alimẽta sint quantitatis exiguę, & optimi nutrimẽti. Carnes laudantur hędinę, & suũ non vetustorũ, atque horũ pedes cocti, acetoq́; conditi admittuntur. Cerebella procellorũ, & liquefactã carnem admittimus: caseus recens, nõ salitus conuenit: & si gustui placebit, colostrã non denegabimus: modo tamẽ leuiter degustet, & non semper. Lactucam crudam, & coctam admitto. Cicoraceum genus omne conuenit coctum ex oxyleo. Quę ex lacte parantur edulia, degustari possunt aliquando. Pisces saxatiles boni. Si haberi potest, trutta fluuialis detur: nec denegauerim rhombũ fluuiatilem, vocant Fabrianenses Capisciottum. horum condimentum sit ex iure albo, Galeni more. Laudantur etiam alia, quæ his proportione respondent. Hæc volui currenti calmo scripsisse, vt tibi Plini iucundissime satis facerẽ, nã mihi certè ipsi minimè satisfacio, cum tam exiguo temporis momento, vna. s. nocte laboribus 40 50

ex itinere admodum longo, & difficili, maximè defatigatus vix ægrotam potuerim inuisere: tu igitur hęc, qualiacunq; sunt, exhibebis legēda Ferranti Macilento conciui tuo, Medico optimo, meiq; amantissimo, qui multo antea curationi illius interfuit, hoc approbante auxilia exequantur, at reprobante abstineto. Vale, & me quod facis ama. Ex Sancta victoria die 26. Martii 1576.

APPENDIX.

Legito defensionem huius epistolæ libro octauo, epistola tertia.

10 HORATIVS AVGENIVS AD DOMINICVM BOTIVM AMICVM.

EPISTOLA TERTIA.

Componitur discordia quadam inter illum, & Hieronymum Landeum de affectu æsophagi.

QVÆ conscripsisti, perlegi admodum libenter, cum ab homine mei amantissimo proficiscantur: multò autem legissem libentius, si literæ fuissent al- 20 terius argumenti. Nam interponere sententiam, afferreq; iudicium, vbi duo litigant amici, semper periculosum fuit. Fit enim, vt iudicanti alter inimicus fiat, quoniam Obsequium amicos, Veritas odiū parit. Sanè quid in hac vestra controuersia animo anceps scriberem, diu multúmque cogitaui: quandoquidem si tibi non rescripsissem, amicitię officio me putasses omnino defuisse. Rescribens verò timebam, ne aut meus Botius, quem diligo, aut Landeus iuuenis apprime doctus, & magna morum suauitate præditus, offenderetur. Tandem verò quia nomen veritatis sanctum est, omnibusque præponendum, operæpretium me facturum putaui, liberè admodum (pro mea alioquin consuetudine) explanare quod sentio. Persuadens mihi ipsi, te, illumque omnia boni, & ęqui cōsulturum. 30 Accedo igitur ad explanationem vestrę quæstionis.

Controuersia inter vos est, an affectus viri illius Caldariolensis sit in gula (sic æsophagum voco) an in ventriculi capacitate, vel substantia. Tu quidem in solo ventriculo consistere: alter vero in gula malum inesse significauit. Sed optimè quidem vterque vestrum: neque enim ita in ventriculo residet, quin affecta sit gula: neque morbus in hac residet, vt non sit in ventriculo affectus. Vtrunque explicabo breuissimis. Primum quidem in ventriculo contineri malum, indicat magna illa viscidæ pituitæ copia, quam perpetuò reiectasse, tum à vobis relatum est mihi, tum etiam egomet obseruaui: hæc enim haud nequit in gula contineri. adde quod diuturnus ille vomitus labem in ea parte consistere apertissimè 40 significat: hic arbitror adesse intemperiem frigidam cum humorū viscidorum copia, in spatio ventriculi, atque etiā in tunicis ineluibiliter, vt sic dicā, immersa. In cauitate contineri significat facilis vomitus, pituitæ continua reiectatio: porrò in tunicarū substantia contineri indicio fuit mihi, quod percontanti diligenter inuenerim haud raro inane fuisse vomendi desiderium: adhæc viscida illa substantia facile inhæret pro sua natura: frigidam, humidamque subesse intēperiem eiusdem excrementi abundantia fidē facit. An verò adsit tumor aliquispiam præter naturam, ambigo: quia nullum ea in parte adesse dolorem traditis. Ferè autem impossibile videtur in loco sentiente tumorem procreari pręter naturam, citra dolorem: quod si aliquem adesse mordicus cōtendere voluerimus, 50 quamuis certè nullum sit euidens huiusce rei indicium: laxum, œdematosumq; dicemus. Postremò quis non arbitraretur in ventriculo morbum nō fuisse contractum per essentiam, si iam tertius agitur annus, quo hæc circa vētriculum apparere cæperunt symptomata? Cæterum in æsophago adest obstructio. Tria, aut quatuor potissima sunt, quæ hoc attestari possunt. primū quod actio deglutiendi (hæc enim propria est gulæ) impeditur. Aliud, quod retulerit nobis æger

aſtrictionem ſentire aliquam prope furculam, quæ aliquando remoratur, aliquando impedit omnina alimentorum tranſitum. Tertium verò, quòd inanis eſt nõ rarò vomendi appetitus. Actio degluciendi tripliciter læditur: cũ omnino non fit; cum fit imbecilliter; & cũ deprauata eſt. Dicere non poſſumus, hanc non fieri omnino: quia obſeruauimus deglutire illum, alimentumq; pertranſiſſe anguſtiorem partem: Neq; deprauata eſt actio, quia nullus dolor, aut moleſtia, aut titillatio facit laborem. Quamobrem imbecilla eſt actio, ſi quidem tarda fit deglutio, & laborioſa. Actio deglutiendi difficilis elucet eo in loco, in quo anguſtior meatus factus eſt: nam ſi in gulæ principio contigerit, ſtatim ſeſe offeret; ſi in medio, aut extrema illius parte, ſenſibus conſpicuus eſſe locus nõ poteſt; ęgro tamen referente, ſi penitus nõ ſit ſaxeus, locum determinatum facile poſſumus agnoſcere. His adde modum, quo videmus eiectam materiam: hic ſanè vomitus non fuit, ſed adhibita raſcatione ſtatim effluxit, quæ indebantur: quem explicauit modum Galenus, & inter Medicos recentiores Nicolaus Florentinus, dũ inquit: Ibi enim tenebantur ſpatio paruo, poſt quod quaſi cũ vomitu expellebat eas] Poſtremũ verò quod homine ſupino decumbẽte multo maior, quam erecto difficultas apparet, ſignum niſi fallor admodum euidens, aliquid pati gulam. at ſi quæſieris, quid in via contineatur, quod tranſitum impediat, dixerim impedimentum fieri poſſe ab intemperie citra tumorẽ præter naturam: in qua ingeſtorum in tranſitu tarditas eſt æqualis, & ſine dolore: ſed hæc non adeſt imbecillitas, quia non eſt æqualis tarditas, ſed prope furculam maior (ſic enim ægrotus loquitur) ſola igitur intemperies non adeſt. Quamobrem inquiramus, an tumor pręter naturam hanc faciat anguſtiam. Ego quidẽ calidum adeſſe tumorẽ non dixerim, quemadmodum etiam neque alii (niſi fallor) admittendi frigidum affirmare non auderem. quoniã adeſſet dolor ſaltem non exiguus: recordor tamen retuliſſe illum ab omni dolore fuiſſe immunẽ: at certè aliquis deglutiendi tempore apparuiſſet. Neque verò latet vos, quod partiũ inflãmatione affectarũ nulla non dolet, cum ſuo munere fungitur: contra, vbi quieuerit, dolor mitigari ſolet. hacque de cauſſa neque adeſt vlcus. Adſtricta eſt igitur via ob humorum viſcidorum obſtructionem: prætermitto alias cauſſas, ob quas fieri cõtingit tam internas, quam externas. in eam opinionem venio, pituitam viſcidam ſiue propter deſtillationem in locum procubuiſſe, ſiue propter ventriculi cruditates eo perueniſſe, gulãq; adſtrinxiſſe, obſtructione facta. Neque culpãdus eſt Galenus, qui hunc docere cauſſam prætermiſerit, nã tumoris imbecillitatis, & vlceris meminit, quia curandi ratio eadem inſtituenda eſt in ædemate, atq; in obſtructione à viſcida pituita. adde etiam, quod nõ exigebat tractatio de locis affectis, vt omnes cauſſas diſtincte proſequeretur, ſed locos. itaque ſi vera ſunt, quæ hucuſque diximus, concludamus vtrumque verum, in gula ſcilicet, & in ventriculo adeſſe morbum quod in principio duxi explicandum. Meam igitur opinionem habes ſine fuco, & fallatiis expoſitam, cura vt valeas. Ex Tolentio 18. Aprilis 1575.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM MEDICINALIVM, LIBER SEPTIMVS.

10

IVLIO PICHINO EX MONTE sancto, Medico insigni.

EPISTOLA PRIMA.

An febris hectica incipiendo fiat. An serum caprinum pro curatione icteri citrini conueniat. ac postremò quale sit seri temperamentum, explicatur.



A Deo importunè responsionem ad tuas efflagitabat literas Ioannes Franciscus Melinus, vt cùm expedire non potuerim, discedere sine meis fuerit coactus. nūc igitur rescribo, & quo ad eius fieri potest, breuissimis. Tria sunt, quæ ex me scire desideras: Primum an hectica fiat incipiendo. Aliud an serum in morbo regio conueniat. Postremum quale sit seri temperamentum. Quod attinet ad primum, dico hecticam fieri incipiendo, idest spatio trium aut quatuor dierum, in quibus hecticam præcedit ephemera: fitq; à caussis euidentibus, maximam vim agendi habentibus, in solidas partes optime præparatas. Galenus dicebat decimo methodi cap. 5. hecticā in principio incepisse, quam ille quarto die nouit. & 2. de crisibus capite vltimo ait, Hecticam non incipere primis diebus. Ergo duplicem habet illa modum generationis, vnus cum sequitur ad ardentes febres, ac diuturnas, imo etiam ad alios eiusdem generis morbos: alius cum habet similem modum generationis cum ephemeris febribus, sumpta occasione à caussis externis. hæcq; febris incipiet tertia, aut quarta die. hæc opinio facilior est, & communior. Si tamen volueris aliam tueri partem, & id ipsum facere licebit tibi, si ea præcipuè considerabis, quæ scripsimus in libris de febribus: atque ne cogar omnia transcribere, mitto lucubrationem meam, quam, vbi legeris, remittito.

Quod pertinet ad aliam quæstionem, supponis ictericam citrinam procreatam ab obstructione iecineris citra inflammationem, citrā febrē. siue obstructio fuerit à bile crassiori, siue à pituitosis excrementis. Respondeo, si affectus naturam, & qualitatem contemplemur medicamenti, modo id ex arte adhibeatur; serum vtilitatem esse ipso in casu non mediocrem allaturum. nam affectus, qui, vt alii omnes putant, ad qualitates mutatas nempè visibiles attinet, ab vna procreatus obstructione, indicat detergeri illam debere, & expurgari, quicquid in ea continebatur, atque etiam quicquid ad eam confluere valebat; quod sanè primum omnium in obstructionibus obseruandum esse ex Galeni doctrina, recordor aliàs diligenter docuisse. idcirco quæ medicamenta vim habent subducendi, aluum expurgandi, obstructiones detergendi, omnia in rem præsentem conuenire statuendum est. In horum numero serum esse reponendum non ambigo: nam acrem quandam habet, & nitrosam qualitatem, qua expurgat: tenuem, qua deobstruit; in vniuersa latitudine sui temperamenti, frigidum, & humidum cum sit, obesse nequit, si à calidiori bile, & crassefacta genita fuerit obstructio. neque etiam si ab humoribus viscidis, cum eos efficaciter admodum valeat detergere: quin etiam longa experientia compertū habeo, quod si quispiam incipiēte cachexia, aut hydropis principio modo opportunè exhibeatur, quemadmodum posthac explicabo, exhibuerit, maximè iuuaturum ægrotos.

Hectice quando duplex modus.

Seri facultates ad icter. conducentes.

Seru conducit in cachexia.

Hanc rem à Mesue declaratam in suis vniuersalibus canonibus habes capite de sero, cuius verba in hunc ferè modum habent.

Ioan. Mesue testimonium.

[Contra Augenius infra in hac pag: vide e regione]

Aqua lactis macerationis materia est; & per se quidem innocuum medicamentum. præfertur qui fit ex lacte nigrarum caprarum, in laudatis pascuis victitantium, recenterq; fœtarum. excalefacit hæc, atq; siccat ordine primo completo vsque ad secundum. Quin etiam attenuat, abluit, abstergit, & nitrosa, qua referta est qualitate, aluum absque aliqua mordicatione leniter subducit. bilem tum flauam, tum atram ab exustis humoribus genitam deiicit: quo fit vt mirificè conferat maniacis, & melancholicis, præstat item ad viscerum infarctus, & morbis inde prouenientibus opitulatur, nimirum aqua inter cutim laborantibus, felle suffusis & lienosis. Datur vtiliter febrientibus ex bile, & viscerum, & vasorum obstructionibus. competit etiam renum vitiis in cute à bile, & perustis humoribus emergentibus: quare lichenibus, vitiliginibus, alphis, psoris, leprisque admodum conuenit] hæc ille: Cui si fortasse non credes, audias Galenum, qui tum detergentem, tum expurgãtem in sero inesse facultatem ostendit. Nec in hoc duntaxat aquæ præstat, verum etiam quia colluit, vtpotè extergentem in se humiditatem continens, quam vocant serum, id quod colluit, deluitq; corpora] & parum infra. At serum, vt dictum est, extergendi potentiam possidet: adhibeturq; subducendi ventris gratia, ac per clysteres iniicitur. & extergens, abluens sine mordacitate intestinorum acrimoniam: præterea si quis vlcera quæ sanie infestantur acri, vice aquæ, sero colluat, optimè sanè fecerit. Præterea quęcunque digerere solent echinomata, & atra, ea pręstat sero quàm aqua diluere: sic etiam eo vtimur ad suggillata & hyposphagmata peculiarib. ad hæc medicamentis commiscentes] & alibi vsum seri pro purgando explicans ait. Eandem ob caussam magis per aluum deiicitur, vt quod serum multum habeat, è quo lac omne facultatem habet deiiciendi, vt à caseosa substantia sistendi: quantum verò serum ab alia lactis natura succi bonitate superatur, tãto alia omnia, quæ ventrem deiiciunt, superant, ob id veteres ad aluum subducendam hoc potu plurimo vsi videntur. Tantum autem mellis optimi ei est iniiciendum, quantum suaue citra stomachi euersionem sentietur. Pari modo & salem ea mensura iniicies, quo ad gustum non offendat. quod si ipsum magis subducere velis, salis quamplurimum iniicies] Cæterum quod serum habeat tenuem substantiã, & acrem in se, qua penetret, deobstruat, stimuletq; naturã ad purgationem eiusdẽ verba manifestissimum faciunt, quæ sic habent: Nunquam in nidorem vertitur, potissimum si in biliosissimum, ac feruentissimum ventriculum inciderit: neque enim amplius calidam, acremq; qualitatem ac facultatem retinet, quã lac à sero habet. neque pinguem, & mediocriter calidam, quam lac à pinguedine, quę sibi inest, possidebat] & superiori capite. Quin & aquam (inquit) prius affundere securius fuerit, vt pleriq; Medicorum factitant. Neque mirum tibi videatur, quod sero consumpto, rursus aquam infundant: nõ enim seri humiditas est, quam fugiunt, sed acrimoniam, cuius occasione lac omne aluum subducit, ex substantiis contrariis mistum, sero scilicet, & caseo.] hæc Galenus. ex quibus constat, quem vsum præstet serum in proposito affectu.

Lib. 10. de sympt. cau. lacte & sero.

Lib. 3. de facult. annist. cap. 15. H. 27

Lib. eodem, cap. 16. E. 28

Lib. eodem, cap. 15. G. 27

Verùm diligenter animaduertendum est in seri vsu, ne illud exhibitum retineatur: hoc enim maximi cuiuspiam mali caussa foret, nam cũ humectet, ac refrigeret, viscera naturalia nimium labefactaret. & præterea flatuosi spiritus copiam gigneret: Quamobrem ne hoc ipsum contingat, magna quantitas exhiberi debet, vt præcepit Dioscorides, & nos illius imitatione in quadam epistola ad Fabricium fratrem explanasse meminimus. Optimũ est admiscere sal ipsum: vt pro libra seri salis drach. i. s. optimè triti, aut macerare drach. ii. aut etiam tres reubarbari electi, vt ego facere consueui, vbi adest maior imbecillitas naturaliũ partium: in quibusdam etiam, Galeni cõsuetudine, tribus primis diebus scãmoneũ in sero liquabã, vt promptius subduceret: atque in aliis pro viscidis humoribus detergẽdis cũ libra seri permiscendũ curaui mellis rosacei solutiui vncias tres: sic fiũt purgationes ꝑ ictericis, & malo corporis habitu fęlicissimę, sed opus est vt

Modus exhibendi serum ex Augenio à Galeno & Dioscoride sumptus.

[Contra Mes. supra in hac pagina vide e regione]

eſt vt pluribus diebus inſequaris, nempè vſque ad ſexdecim, aut viginti dies, ea methodo obſeruata, quam docui in epiſtola de ſero, cuius copiam habebis. & hæc de priori quæſtione ſufficiant.

De ſeri temperamento breuis diſputatio.

Secundam proponis de temperamento ſeri quæſtionem, an ſcilicet calidum & ſiccum ſit, an frigidum & humidũ. Hoc negocium, mi Pichine, videtur ambiguum: quia Meſue, vt iam ex illius verbis certior factus es, calidum, & ſiccum eſſe temperamento ſerum, apertiſſimè dixit, cui aſtipulari videtur Galenus, libro tertio de facultatibus alimentorum, cap. de oxigalacte, in quo lac habere acrimoniam, & caliditatẽ à ſero ſcripſit: & in capite ſuperiori explicans cauſſam, cur Medici iniiciãt aquã conſumpto ſero, id fieri dicebat, vt õnis acrimonia ſeri prorſus à lacte remoueatur. ſed cõtrarium ſcripſit lib. 4. de ſimplicium medicamentorum facultatibus his verbis τὸ δ' ὀῤῥῶδες περίττωμα ψυχρόν τ' ἐστὶ, καὶ ὑγρόν quod eſt, ſeroſum excremẽtũ frigidum eſt, & humidum.

Cap. 17. fol. 29. G. Conciliatoris opinio reprobata.

Hęc contradictio multis viſa eſt inextricabilis, præſertim verò vni Petro Aponenſi, qui tandem inuenire ſolutionem non potuit. nam quod inquit, ſerum dici calidum, & ſiccum in comparatione ad lac acetoſum, id meo iudicio conſiſtere non poteſt: quia Galenus ſimpliciter eiuſcemodi ſententiam protulit, quod etiã idẽ Conciliator animaduertẽs addidit: Non ignorare ſe Galenũ cum aliis quibuſdam Medicis in aliqua ſuorum operum parte dixiſſe, calidum & ſiccum exiſtere ſerum, ſibi tamen ſtandum potius, & acquieſcendum illi ſententię, qua ſtatuit frigidum, & humidum eſſe: quibus manifeſtum facit, neſciuiſſe illum difficiles hoſce locos in vnum componere.

Augenii opinio.

Verùm ſi quis diligenter cõtemplari voluerit Galeni verba, inueniet nullam adeſſe diſcrepantiam: quia dum loquitur de acido lacte, hunc ſtatuit multò magis frigidum, quàm lac ſimpliciter non acidum; cauſſamq́; affert huius rei, quia in lacte tres inſunt ſubſtantię, caſeoſa, butyroſa, & ſeroſa. caſeoſa quidem eſt frigida, butyroſa temperatè calida, & halituoſa. ſeroſa verò duas habet partes, vnã calidam, & acrem: aliam ſine acrimonia, quæ frigida eſt, & humida: quæ pars maior multò eſt, quàm ſit acris, & calida: idcirco temperamentum totius ſeri eſt frigidum & humidum: lac verò totum frigidum eſt, ſed non ita frigidum iudicari debet, quin aliquid habeat caliditatis ob ſeri acrimoniã, & ob butyri tepiditatem: Quamobrem lac habere acrimoniam, & caliditatem non debet intelligi à prædominio, at ſecundum partem. Dicit igitur, quod acidum lac in ventriculo etiam bilioſiſſimo, & calidiſſimo non corrumpitur in qualitatẽ nidoroſam: quia nihil habet, quod poſſet facere eiuſcemodi cruditatẽ: butyroſa illa & prępinguis ſubſtantia iam quidem euanuit, exhalato calore: euanuit etiam ſubſtantię ſeroſæ acris illa portio, quæ caliditatem in lacte producebat: relicta aquea ſola ſubſtantia & humida, & frigida, idcirco nequit aliqua ex parte in nidorem cõuerti: Quando igitur Galenus lac habere acrem qualitatem à ſero dixit, audiẽdus eſt ſecundum partem, & eam quidem minorem. quando autem frigidum & humidum ſtatuit, à prædominante qualitate talem eſſe ſignificauit. Conſideranda ſunt hæc verba Galeni: Neque mirum tibi videatur, quod ſero conſumpto, rurſus aquam infundãt: non enim ſeri humiditas eſt, quã fugiunt, ſed acrimoniam, cuius occaſione lac omne aluum ſubducit] Nam ſi ſerum conſumptum eſt decoctione, aut per lapides, aut orbiculos ferreos ignitos extinctos, cur denuo addit aquam? rurſus, quæ humiditas acris ineſt in ſero, quam fugimus, ſi omnis abſumpta eſt? Reſpondeo non eſſe omnem humiditatem conſumptam, ſed adhuc aliquid permanſiſſe acrimoniæ, quam vt certius euinceret, Galenus aquam iubebat permiſceri, atque hac præparatione in curandis fluxionibus alui ab acribus humoribus, maximam lac ipſum vtilitatem afferre, quotidie experimur. ſi hoc modo Galenum interpretemur, omnes difficultates ceſſant. Quid verò dicendum ſit ad Meſuem, alii iudicabunt, qui eius lectione delectantur: mihi ſatis eſt expoſuiſſe verum Galeni ſenſum.

Verborum Galeni explanatio.

Lac habere acrimoniã quo intelligendum.

Lactis ad fluxum sistendos praeparandi modus, et rationes.

Cura vt valeas.

EIDEM.

De Farre, Halica, Chondro, Trago. An Medicus prædicere mortem ægrotis debeat.

EPISTOLA SECVNDA.

REDDIDIT mihi tuas Ludouicus communis filius, quibus doctissimè disputas de Halica, Farre, Chondro, Trago: ac postremò dubitationem affers contra sentẽtiam Hippocratis in primo prognosticorum: in quibus, quia meam audire sententiam desideras, dico adesse multa in ea tractatione, quæ difficultatem faciunt mihi: ea nunc breuissimè pertingam. Tu verò pro summa doctrina tua hæc ipsa diiudicabis, ac si videbitur opportunum, Parparellæ fratri communicabis. Nosti enim quàm ille doctrina, iudicio, & experientia valeat. Ne te amplius detineam, exordior à Chondro.

Vox hæc χόνδρος multiplicem habet significationem. etenim aliquãdo idem significat, quod adoreum semen cereale, & frumentaceum, videturque antiqua notio illius seminis: quo Populus Romanus trecentis continuis annis vsus est, quod ab edendo primum edor, dein ador, tum postea adoreum vocatum fuit. Secũdum quam appellationem locutum fuisse Galenum profiteor primo libro de aliment. facult. dum ait: Halica ex genere tritici est, multumque nutrit, succumque lentum habet. id ex Auicenna colligito libro 2. tract. 2. cap. 116. Nam eo nomine intelligit far ipsum, quod fiebat ex tritici specie, quæ adoreum dicebatur, ac propterea significat etiam far ipsum, sed cum additione far adoreum, far hordeaceum, far triticeum, cuius meminit Athæneus libro 3. & Columella libro octauo: Græci peculiari quadã appellatione, far illud ex zea factum in pila scilicet pinsitum vocarunt χόνδρον. quod Latini dixerunt propriè halicam. Far autem hordei, ipsum scilicet pinsitum hordeum propria voce dixerunt πτισάνην vt in tractatione de Ptissana, in gratiam Ludouici patris olim scriptam, demonstrauimus. Triticum verò & adoreum pinsitum τράγος propriè Græcis. Ex his colligo chõdri significationes tres: vna pro genere tritici, adoreo vocato. alia pro farre adoreo. tertia pro farre facto ex zea.

Sed ne quid relinquatur in hac tractatione obscurum, sciendũ est, far ipsum ab halica propriè dicta non mediocriter differre, quod tibi persuadebit Asclepiades apud Galenum libro septimo de compos. medic. loc. & Aetius libro nono suæ medicinæ capite 55. huius verba afferre hic placet, quod locum hunc illustrare maximè videntur. Sic enim habent: Quod verò latinè in regionibus Romæ vicinis far appellatur, hoc modo apparatur. Frumentũ modico tempore aqua madefacito, indeq; extractum, & in pila cõiectum, veluti ptissanam à cortice expurgato, vbi verò corticem exuerit, tollito, atque insolato. Deinde manibus tritum, donec penitus à cortice fuerit mundatum, crassissimè molito, ita vt granum vnum in quatuor, aut quinq; partes redigatur, & siccũ asseruato. Vsus autem tempore halicæ modo coquitur, & à sanis in cibo sumitur: pro ęgris verò variè apparatur, & epithematis quoque admiscetur. Quidam spicas frumẽti adhuc virides tollunt, ex ipsisq; far concinnant. quomodo & suauius, & iucundius redditur. Hæc Aetius. Ex quibus manifestissimum fit, far ab halica distare: cum illud fiat à tritico adoreo. hæc autẽ fiat a zea, vt Dioscorides inquit libro secundo capite de zea, quam Dicoccon vocant: cuius opinionem ad mittit Plinius libro decimooctauo cap. vndecimo, & Constantinus Cæsar libro tertio suæ agriculturę. Hoc vnum non videtur mihi prętermittendum, chõdrum, far, & ptissanam aliquando ab authoribus antiquis confundi, sumẽtibus pro vna, & eadem re: sed certè non sine adiectione, vt in principio huius epistolæ dicebam. nam licet ex hordeo, & zea, & adoreo fiat ipsũ far, quod absoluto sermone far nuncupatur, id quidem ex adoreo tritico factum est. Ex aliis verò pinsitis fit far hordeaceum ex hordeo, vt Columella, & Palladius testantur, dum de pullis fasianorum

rum

rum nutriendis agunt.aut farzeicum, vel ex zea, quod propriè dicitur Latinis halica. Legito, cum otium dabitur tibi, noſtrum de ptiſſana librum.

Itaque χόνδρος propria nuncupatione erit idem quod Latinis halica, quæ vt dixi, fit ex zea. Hæc duplex eſt, cruda & cocta. cruda far ipſum zeicum: ideſt zea in pila pinſita, ſed non freſa: Pinſitur eadem ratione, qua hordeum, vt alibi demonſtrauimus. Cocta verò halica eſt, quæ in eundem modum præparatur atq; ptiſſana: propterea dicebat Galenus, Halicam conuenire in calidiſſimis corporibus, ne in febrem in habitũ terminentur pręparatam, ptiſſanę conſuetudine.

Farris nomen.

Hic maior ſuccedit dubitatio, quid ſit zea, an ab olyra differat, & à thypha? Videtur ſatis probabile, vt ſtatuatur aut idem eſſe frugis genus variis nominibus inſignitum: aut certè parum inuicem differre.

Zea quid ſit

Mneſitheus grauis author, cuius ſæpè admodum Galenus meminit, thyphas eſſe putauit eaſdem atque olyras: At verò Herodotus tum multò antea Aegyptiis dedecori eſſe ſcriptum reliquit, ſi aliunde quàm ex olyris veſcerentur: quas alii zeas vocant. Quin Dioſcoridem leges ex eodem genere olyrã facere. Quod ſi Mneſitheo verè idem eſt thypha, & olyra: & Herodotus ſcriptor antiquitate Galeno ſuperior, hunc appellari zeam ſignificauit, recta ratione conuincitur hiſce tribus nominibus vnam, & eandem rem ſignificari. Galenus certè confirmare videtur remipſam, dum ait: Olyra etiam quam vocat, frequens in Aſia viſitur, mediumq; inter hæc, & triticum, locum obtinet, ſiquidem tritico tanto eſt deterior, quanto his melior: vtuntur autem & ipſa eodem modo, quo prædictis. Quod verò ad zeam attinet, nulla alia inueſtiganda eſt præter olyras, & thyphas, quæ ſint eſculentæ, &, vt ingenuè fatear, nõ mihi conſtat de vtris harum antiqui nomẽ zeæ enunciarint. Tertiũ.n. præter illas genus non viſitur, quod eis ſimile ſit, ſed thyphas, & olyras ſic vocitabant] & in linguarum interpretatione inquit, ζειαί farris alias olyræ.] porro zea eſt illud genus ſeminum, quod ſpeltam noſtris regionibus vocant, ex quo etiam panis fit ſuauiſſimus.

Mneſithei opinio.

Herodotus.

De alim. fac. cap. 60.

Etenim audiui à quibuſdam Germanis panem ex zea eſſe vſitatiſſimum in vniuerſo Norico, & in Vindelicia: & paſſim zeam deglubatam pro vero tritico venundari à mercatoribus, quo cum gerit maximam ſimilitudinẽ, adeò vt primo aſpectu vix inter noſci poſſit differẽtia, niſi ab iis, qui maximè ſunt experti. Etenim conſtat grano minore aliquando, quam triticum, neque tam denſo aut vt cum Galeno loquar ἀδρῶς & pondere aliquantũ cedit. ex illius farina pinſita fiunt panes guſtu ſuauiſſimi, faciles concoctu, aſpectu albiſſimi. Quomodo autem Germani artẽ deglubendi zeam ſoleant exercere, non dicã, cum me prorſus lateat. volui hoc adnotaſſe, vt in caritate annonę habeãt omnes vbi refugiãt.

Secundo loco proponis difficultatem facere Hippoc. verba in primi prognoſticorum præfatione, cum ait: Præſentiens enim, & prædicens coram ægro pręterita, præſentia, & futura, abſurdum videtur tibi, Medicum ęgroto mortem prędicere. Primum dicam quid hac de re Galenus dicat: meam poſtea ſententiam audies. Si prudentem hominem ægrum (inquit) eundemque non timidum eſſe cognoueris, vera ipſi dicere conaberis, nihil eorum quæ in morbo futura ſunt ſubtrahens, neque diſſimulans: at ſi ſtultum, atq; timidum omnia ea, quibus ipſe meliore animo futurus ſit, dicito. Quod ſi interdum ob extremam laborantis formidinem ipſi certam ſalutẽ polliceri coactus fueris, egreſſus ſaltem eius curam habentibus, vera dicito. ipſis quoque laborantibus, non vt aperte mentientes faciunt, ſalutem polliceri tentato, niſi illud addideris inprimis, ſanitatem quidem affuturam, omnia ipſo rectè agente, & Medicorum pręceptis obtemperante. ita enim neque ille animum deſpondebit, & tu plerunq; vera retuleris. Nam plurimi ex periculoſis morbis ęgrotis, aut Medicis morem gerentes, necant: quandoquidẽ perpauci admodum alioquin prorſus mortiferi ſunt: ſi neq; aliud quicquam extrinſecum fortuito noxium incidat, neque ægrotus erret, neque miniſtri. Quicunque enim in periculoſis morbis pluſquam decet ægrotantes hilares, & bonæ ſpei plenos reddunt, in multa ipſos mala coniiciunt: in triſtitiam ſequentibus diebus, cum aut in peius morbus cecidiſſe videtur, aut vltra Medi-

An Medicus debeat ægro mortẽ prædicere.

Galeni opinio.

corum promissionem producitur. Quin etiam plures homines confisi perinde, atque sine periculo ægrotent, Medicis non obtemperant] hæc Galenus.

Augenij opinio.

Ego autem putauerim, in hunc modum esse distinguendum. Morborum quidam sunt salubres, quidam lethales: horum appellatione intelligimus eos, qui vel ad salutem, vel ad mortem vt plurimum terminantur. Deinde scire hoc necessarium est, ægrotorum quosdam esse, qui Medicorum præceptis obtemperare nolunt: quosdam verò contra, obedientes esse Medicis. Quamobrem morbo existente salubri, in ægroto, qui obtemperare non solet, debet illi Medicus prædicere periculum: hac tamen conditione & pacto prædicendum, si obtemperare noluerit: at si obtemperauerit, liberaturum. Sed ne videatur hystrionum cõsuetudine rem paruam attollere, assidentibus omnem veritatem pronunciabit. Eãdem prædicendi rationem obseruaturum putamus, si ęgrotus in lethalem inciderit morbum: quoniam in hoc, multò magis error etiam exiguus, nocere potest, quàm in salutari, maximus. itaque vt obedientem sese Medico præstet, qui obedire non solet, non est illi dissimulanda veritas: decet enim ægrotum timidiorem factum magna vtilitate sese obedientem præbere Medico.

Quando liceat prædicere veritatem, & quando minus ægroto à Medico nota.

Sed quid agendum, si in hominem timidum inciderit Medicus? an erit huic veritas audacter patfacienda? id quidem non videtur Galeno. Sed ego dixerim, aperiundam veritatem aliquo mendacio permistam: veritas erit, prædicere illi, morbum fore plenum periculi. Mendacium, aut suspicio quædam mendacii, liberaturum prorsus ab eo morbo, si obtemperauerit. Dixi suspicionem quandã, quia anceps iudicium est in morbis acutis, de quibus dicebat Hippocrates in aphorismis. Acutorum morborum non omnino sunt certæ pronunciationes & iudicia salutis, & mortis.] At verò postea nunciandum erit assistentibus, nos ægroto salutem promisisse, non quod eam certò speremus adfuturam, sed quoniam vtile est bono animo esse.

At si in hominem inciderimus obtemperantem, si morbo salutari prematur, nihil impedimento esse poterit, quin verum patefiat. At si lethalis sit affectus, melius esse existimauerim, occultare illi veritatem, promittereq; salutem. Nam si prædicemus ancipitem esse morbum, & vereri nos plurimum illius impetum, æger maximè tristabitur, etiam si prudenti animo, & bene constituto fuerit, cognoscens fortasse nihil præsidia cõmoditati allatura, vt in multis obseruauit cõtigisse, aut ab aliis audiuit: idcirco plurimum perturbatus animo, celerius morbi sæuitia morietur.

Contra Galenum.

Hic mihi suspecta videtur Galeni sententia, qua præcipit homini prudenti nihil dissimulandum, neque subtrahendum: & quamuis in iis, qui timidi non sunt, id præsertim minus malum fuerit, tamen imaginari non possum, hominem tam composito futurum animo, qui non contristetur ex mortis certo nuncio, cum omnium terribilium finis sit mors: quam rem optime videtur mihi animaduertisse Cornelius Celsus, dũ ait: Cũ verò semper ęgrotos securos agere cõueniat, vt corpore tantum, non etiam animo laborent, tum præcipue vbi cibum sumpserunt, itaque si quæ sunt exasperatura eorũ animos, optimum est, eadem ægrotãtiũ notitia subtrahere] hęc Celsus. Porrò quid magis exasperare possit morte ipsa non video: Nec est quod quispiam dicat, Philosophos eiuscemodi esse: quoniam hoc falsum esse conuincitur, quod ille, qui mortis dominus erat, Patri dixit, Pater si fieri potest, trãseat à me calix iste. Hoc exemplum pro omnibus mihi satisfacere videtur. Quod verò attinet ad assistentes, hoc Medici muneris est & officii, egressus omnem illis veritatem patefacere, de qua re sic ait Celsus: Vbi grauis metus sine certa tamen desperatione est, indicare necessariis periclitantis in difficili rem esse, ne si victa ars mala fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse se videatur] hæc ille. Ex quibus manifestum fecimus, qualem sese gerere Medicus debeat erga ægrotos in prædictionis officio, atque simul videmur satisfecisse dubitationi tuæ. Vale.

Lib. 3. cap. 5

EIDEM

EIDEM.

A bile flaua, & pallida non fieri obstructionem: Rheubarbarum exhibitum in substantia magis euacuare, quàm in maceratione.

EPISTOLA TERTIA.

NON tam meæ gloriæ, & integritati consulis, Pichine chariſſime, quàm tuæ, quod & veritati ſuffragaris, & medicinæ profeſſorem vindicas ab iniuria: 10 tu qui ob affinitatem, ac multo magis ob familiaritatem mecum coniunctus es, noſti animi mei candorem, me diſputantem audiuiſti, nihil contradictionis ſtudio dixiſſe, ſed in ſolius veritatis gratiam. At, quia labilis eſt memoria, dicam breuiter de duabus quæſtionibus inter nos controuerſis: primum quid ille ſenſerit, mox autem quid ego ex Galeni doctrina diſputans dixerim, & nunc etiam ſentiendum putem.

Arbitratur ille bilem flauam, & pallidam obſtructionem efficere poſſe in ictero, in febribus intermittentibus, in iecinoris ſubſtantia, aliiſq; partibus corporis, verùm certe id ipſum aſſerunt non contingere propter naturam bilis, at duntaxat ob eius multitudinem: fundamentum opinionis eſt, quod Galenus in 20 octauo methodi medendi ſcriptum reliquerit, humores multitudine obſtructiones facere. verba ſic habent: Quod ipſum ſi tenax ſit, & craſſum, obſtructionem planè geminabit: ſin aliter, multitudine certè ſua non parum omnino nocebit. Cernimus enim aliquando, etiam quod multum eſt, cum ſimul totum confluit, obſtruendo hęrere, infigique non minus, quam ea, quæ glutinoſa ſunt & craſſa. quod ſi per meatus anguſtos eſt tranſitus, multo magis retineri] hęc ille. Quibus videtur confirmari propoſita opinio.

Aliorum & communis opinio.

Sanè circa veritatem dictorum non mediocriter dubito, afferoque cauſſam, cur cõmuni alioquin opinioni nõ adhæream, quam etiã breuiter in diſputatio- 30 ne recordor me propoſuiſſe. Atque primum à Galeno exordiri placet, cuius ille ſummus eſt imitator. Hic enim in vndecimo methodi medendi, & in libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus atteſtatur, quę calida & ſicca ſunt & amara, & ſubſtantiã habent ſubtilẽ, qua vndequaq; facile penetrare poſſint, remedia eſſe contra obſtructionem. Bilis autẽ eiuſcemodi omnibus qualitatibus referta eſt: Qui fieri igitur poterit, vt obſtruere illã dicamus? regula generalis eſt apud Medicos, quod omne amarum detergit; rurſus nec minus generalis eſt quod omne deobſtruens tenues partes habet. Dicent rationem videri admodũ efficacem, ſi bilis conſideretur ratione qualitatum, & tenuitatis ſubſtantiæ: Sed non, ſi conſideretur quantitatis ratione, cuius cauſſa quod ſemel multũ confluit, hærendo obſtruit: hoc quamuis aliquam habere probalitatem videatur, meo 40 tamen iudicio nõ conſiſtit, nam in maiori, quanto maior vis in eſt, in minori minor. Scintilla ignis minimum calefacit, flamma verò magis, adhuc magis ignis carbo: vis illa deobſtruens, quæ ineſt in bile, aut propria eſt ſubſtantiæ ipſius, aut aliunde aduenit: ſi propria, nunquam ab ea ſeparabitur, & quam fuerit maior quantitas illius, maiorem penetrandi, & de obſtruendi vim habebit. Adde quod experientia id veriſſimum eſſe confirmat, cum in dies videamus, hunc humorem acrem in humano corpore abundantem perpetuò ferè moueri, & agitari: aut quoquo verſum, aut ad determinatas particulas, atque nihil eſſe, quod poſſit illius impetum, motumque remorari. Amplius ſi id aliquando contingeret, in acutiſſimis febribus, id potiſſimum haberet veritatem, quæ fiunt à multitudine 50 humoris bilioſi: Galenus tamen in his vtitur decoctione origani, hyſſopi, thymi, tragorigani: quæ in obſtructione à multitudine bilis ſolius conuenire non poſſunt, alioquin non eſſent contraria contrariorum remedia, ſed ſimilia.

A bile pallida, & flaua nullam fieri obſtructionẽ

1. aphor. 24.

Poſtremò quęſierim quibus remediis hanc obſtructionẽ remouebimus: an incidentibus? hoc fieri non poterit. nam humor craſſus non eſt (ſupponimus enim tenuem eſſe, amarumque) an detergentibus? neque id licet: quia viſciditate

1. apher. 2.

Galeni sententia explanatio.

Multitudo quid.

Obstructio à multitudine sic etiam a crasso & viscido sanguine nota.

caret. An venæ sectione? quam propria nuncupatione vacuationem vocare cō-
sueuit Galenus: neque id expedit, quoniam nulla plenitudo inest aut ad vires,
aut ad vasa, sed sola cacochimia, quam phlebotomia emendare nō licet. An for-
tasse dicent adesse motum sanguinis? sed nullum omnino supponimus motum.
Quamobrem sequitur, aut semper mittendum esse sanguinē in cacochimia, aut
hunc, quem præ manibus habemus casum, esse impossibilem. aut tertio dari
obstructionē sine proprio remedio: hæc parum certè in arte medica conuenire
adeo notum est, quam quod notissimum.

Quid inquies ad Galenū? aut quomodo statuemus à bile in ictero fieri ob-
structionem in chisti fellis? quomodo vtrunq; sit admittendum, in præsentiarū
docendum venit: Galenus nunquam nisi tres obstructionis caussas fecit: multi-
tudinem, crassitiē, & visciditatem humorum, & aliquando inuicem cōplicatas.
Per multitudinē quid ille intelligat, arbitror dubitare neminem, scilicet sangui-
nis supra mediocritatem veteri seruata proportione incrementum. & cum san-
guinem dicit, omnes illius partes intelligit, quarū vna est tenuis, alia temperata,
quædam crassa, & quædam viscida est: cum sanguinis pars quædam biliosa,
alia melancholica, tertia pituitosa, & alia temperata sit. Hic excessus humorum
facere potest obstructionē, ratione multitudinis, quatenus scilicet ipsa continet
humores crassos, & viscidos præter naturam adauctos, aliasq; sanguinis partes,
quæ fibras habent. cuius rei hoc signum est, quod venæ sectionem non modo
adhibemus, qua multitudinem per se emendamus, & impetum confluentis hu-
moris ad obstructionem impedimus, verum etiam præterea incidētibus, & de-
tergentibus vtimur: sed quorum conueniret horum vsus, si crassus, & viscidus
sanguis non adesset? si alius etiam sanguis non esset extenuandus, hac ratione
motus ad mirabilis Galenus vndecimo methodi medendi vtitur oximelite, &
ptisana in febribus continentibus, in quibus obstructio ab vna multitudine ge-
nerabatur. Quamobrem nulla est obstructio à multitudine, quācunque multi-
tudinem intellexeris, quin eadē fiat à sanguine crasso, & viscido permisto simul
cum aliis partibus sanguinis. Obstructio autem, quæ fit ab excrementis, & ab
ipsis malis succis (vocant hunc affectum Græci κακοχυμίαν) à multitudine fieri
non dicitur, sed ab humoribus à sanguinis natura distinctis, qui vt inuicem spe-
cie differunt, sic etiam remedia postulant diuersa. Nunc tempestiuū est Galeni
verba interpretari. Igitur vbi febris ephemera adfuerit, ab obstructione excre-
mentorū viscidorum, & crassorum, admonuit periculū esse ingēs accedere ad
detergendas hasce obstructiones, nō vacuata prius multitudine sanguinis: quia
inquit, simul adaugebis obstructiones. nam quāuis in corpore non adsit copia
humorum viscidorum aut crassorum à sanguinis natura distinctorum, sed adsit
sola multitudo, hæc à medicamentis deobstruentibus attracta ad obstructionē,
habebit vim à multitudine infractum augendi, Verum, vt consequaris explana-
tionis huiusce meæ veritatem, declarare volo diligentius Galeni dictionē, quæ
certè maximè videtur obscura Medicis recentioribus, præsertim excellētissimo
Cirocho. Galenus igitur eo cap. 4. libri octaui de methodo medendi, curationē
proponit diariæ febris ab ipsa obstructione procreatæ, atque statim in principio
asserit, obstructionem efficiant humores & crassi, & viscidi, & multi simul, fieri
non posse hanc febrem consistere numero diariarum, sed necessariò in putridā
debere terminari scribit. At si ἔμφραξις exigua sit, in qua scilicet febricitantes
primo ac secundo die careant omni signo putredinis in pulsu, ac in vrinis, ephe-
mera gignetur febris. Sed vltra secundam diem protracta febre, ac natura non
festinante post statum ad vniuersalem declinationē cum sensibili excretione, vt
sudore & copiosa vrina. vel insensibili, vt per halitum, & madorē aliquem, ad
magna remedia perueniēdum est: in quorum numero hoc ipso casu tenet venę
sectio, cum supponatur, obstructionem fuisse concitatam à causarum omnium
concursu, vndecimo methodi cap. 5. Galeno attestante. Quod remediū aliquā-
do etiam exerceri debet, etiam si non adsit plenitudo quo ad vasa, cum aliquan-
do citra plectoricam syndromen à Menodoto Empirico positam, in principio
inflam-

inflammationem in contusionibus, in casu ab alto, in vulneribus, ac etiã in plenitudine quo ad vires, saluberrimum sit interdum sanguinem mittere, vt Gale. docuit quarto methodi cap. 6. In hac verò febre cũ adsit multitudo, quo ad vasa obstruere, simul cum viscidítate, & crassitie humorum, nullam difficultatem habet remedium. Præstat certè vitiosi succi maiori parte emissa ad detergendas obstructiones accedere: quia anteaquam vacuauerimus, deobstruere conabimur, multo quidem magis impingentes augebimus obstructionẽ. In progressu postea sermonis, vult docere caussam, cur scilicet tutum non sit obstructionibus mederi, ante corporis totius vacuationem, rationemque adhibet ex supposito. Quæ corpus ab obstructione liberant, hæc vim habent detergentem, attrahentẽ, attenuantẽ, & excalefaciẽtem. rõ eiusmodi est. Quando curamus obstructiones, vtimur materia deobstruente, aut intrinsecus, aut extrinsecus. illa humorem ex profundo corpore copiosum deducent ad locos angustos, in quibus adest obstructio. hæc vero attrahent humoris magnam copiam ad cutem. vtraque igitur augebunt obstructionem, si non fuerit corpus antea vacuatum: ideo concludit vtilissimum esse inanisse corpus. Si vera sunt hæc, quomodo possunt ex hoc loco Galeni aduersarii nostri concludere, à multitudine bilis aut pallidę, aut flauæ fieri obstructionem posse? loquitur enim ibi de multitudine propriè dicta, vel quo ad vasa, vel quo ad vires: non de copia bilis. Cæterum multò dilucidior mea hæc reddetur explanatio, si de obstructionis caussis nonnulla proposuerim ex sententia eiusdem authoris: igitur scias obstructionem fieri aut à multitudine, aut à cacochimia: à multitudine, aut quo ad vires, aut quo ad vasa, aut simpliciter, aut secundum quid dicta. A cacochimia duplex emanat caussa, vna quando humores viscidi obstructionem faciunt: alia quando crassi: visciditas pituitæ facit infarctum, aut sola, aut permista, aut cum crassis humoribus, & hæc perniciosa est obstructio, & maximè rebellis: aut cum humoribus tenuioribus, quæ res contingit, cum bilis flauę permiscetur pituitę, vt in tertiana notha euenit. Crassi humores duorum sunt generum, aliqui sunt frigidi, vt melancholia, & pituita gypsea, aliqui sunt calidi, vt bilis vitellina, porracea, æruginosa, carulea, & atra. Hic vides quod ego excipio bilem pallidam, & flauam: quoniam ab hisce quantumuis copia abundantibus, concitari non posse obstructionem, cum solæ sunt, manifestissimè demonstrasse videor.

Quæ dixi de obstructionis caussis, ob oculos ponenda sunt, in iuniorum Medicorum gratia sequenti schemate.

Obstructio fit vel à
- Plenitudine
  - Quo ad vasa
    - 1 Omnibus humoribus æquè auctis
    - 2 Vno solum cum sanguine
    - 3 Duobus auctis cum sanguine
    - 4 Ex permistione cacochimię cũ sanguine.
  - Quo ad vires. quæ easdẽ recipit differentias.
- Cacochimia, fitque ab humoribus aut
  - Viscidis
  - Crascis vel
    - Calidis
      - Bilis adusta
      - Atrabilis.
    - Frigidis, vt à melancholia, & pituita.
  - viscidis, & crassis simul.

His quidem videbor fortassis satisfecisse tibi: quæ res si euenerit, gaudebo: Sin minus, ego certè, mi Pichine, potiora non habeo.

Quod attinet ad postremam quæstionem, breuissime respondens idem afferre nunc volo, quod tum in priuatis, tum in publicis lectionibus docui, atque in ea disputatione si recordaris, dixi, nempè Reubarbarum in substantia magis purgare, magis corroborare, & magis deobstruere, quam eius dilutum: nam vis illa reubarbari astringens corroborat, quę diluto caret: hæc eadem quantum adiuuet expurgationem per compressionē nemo est, qui nesciat: addito quod facit, diu retineri vim expurgatoriam in visceribus; at quo diutius continetur, eo quidem largius expurgat: Quamobrem si exiguam purgationem, vt in pueris, & in iis, qui facilè difflantur & in vniuersum in corporibus imbecillis desideras, diluto est vtendum tibi: si verò validiorem, & vberiorem postules, substantia, quæ non modo bilem flauam, sed etiam simul pituitā expurgabit: nullum verò inuenies præstantius remedium pro obstructionibus hepatis, quam illius substātia aut in pillulas, aut in trochiscos, aut in pulueres redacta, aut etiam masticata, qui mos communis est multis, apud me verò fuit semper familiarissimus: hæc ad tua Problemata. Vale.

Reubarbarū an magis substantia, quàm maceratū educat.

EIDEM

An melicratum conueniat acutis febribus: de conficiendi ratione ex antiquorum, & recentiorum sententia. Quid dilutum, quid coctum, quid crudum, quid meracum sit melicratum. De anno austrino in ventis silente. De constitutione hyemis, pluuiosa, & tranquilla.

EPISTOLA QVARTA.

PRo responsione ad tuas literas, accedo ad eorum, quæ abs te mihi proposita sunt, dilucidationem. Ad primam difficultatem de mulsa, an in biliosis febribus debeat exhiberi: Dico, quod cum duplex in vniuersum sit mulsa, diluta, & meraca: illius vsum accommodatum, huius autem maximè suspectum esse. huius autem sententiæ caussam hanc affero. Quæ dulciora, & acriora sunt, in bilem conuertuntur: meracior mulsa tum dulcior est, tum acrior diluta, quæ ob copiosam aquæ mistionem optimè temperata, videtur acrimoniā deposuisse: quoniā verò quædam sunt corpora ex propria natura sic disposita, vt ab omnibus dulcibus maximè oblædantur, in iis etiam à dilutissima abstinendum censerem. hac ratione Galeni priori libro ad Glauconem, agens de curatione continuarum febrium dixit, dandum esse melicratum iis, quibus non bilescit] siquidem naturis omnibus, nisi particularis aliqua conditio impediat, febribus continuis laborantibus conuenit mulsa diluta, de qua Galenum fuisse locutum arbitror primo aphorismorum commentario vigesimo quarto, his verbis: Nisi quispiā fortasse exhibēdi melicrati occasionem nanciscatur, in quo hyssopi nōnihil, aut origani aut tragorigani aut thymi, aut pulegii, aut demum id genus humores tenuantiū aliquid incoxerit. Hæc ille. Qui omnē videtur è medio abstulisse litē: est enim manifestum in acutis febribus melicratum esse vtilissimū. At certè maiorē affert vtilitatem in acutis morbis thoracis, vti est pleuritis, & pneumonia: de quibus Hippocrates libro tertio de ratione victus acutorum hæc verba scripta reliquit. Mulsa præterea, quæ dilutior est, sputum educit magis, pulmonemq; petit. Meracior verò spumosa excrementa, atque plus quàm conuenit, valde biliosa calidioraque, quàm dilutior agit magis] referamus verba Galeni in illius loci commentario. Mel (inquit) in acutis morbis bilescere, atque ob id nobis afferre molestiam antea dixi. Aquam pręterea tardè penetrare, atque in hypochōdriis diutius immorari, atque ob eas res fugiendam. At quod ex vtrisque mistum sit, cōueniens redditur, quando ea constet temperatura, qua aquæ plurimæ tantum mellis permistum fuerit, vt viam aquæ paret, & ad distributionem agat, nempè his ita temperatis vrinæ facilius penetrabunt, ociusq; sputum educetur] Oribasius rem confirmans, inquit: Melicratum non admodū vtile est iis, qui amaram bilem

Melicratū quod conueniat biliosis morbis.

mulsa duplex.

Cap. 13.

Tex. 13. li. 3. acutorum idem auita. lib. 4. fen. 1. trac. 2. cap. 8

bilem coaceruant; quoniam in iis in bilē vertitur, nisi prius vel intestina, vel vesicam pertranseat: quod si faciat, non modo non lædit, verum etiam maximè iuuat: nam secū biliosa excrementa deducit. Ergo eiusmodi naturis dilutius melicratum dare conuenit, vt nec sitim afferat, nec bilem gignat] sed quia in hāc tractationem incidimus, ne aliquid desideres, docere volo primū, quomodo antiqui melicratum præparabant: Deinde explanabimus, quomodo nostris hisce temporibus præparari debeat: quomodo præparetur melicratum aquosum, quomodo dilutum, quid sit cocta, quid cruda mulsa.

Li.5.collec. cap.14.

10

Mulsæ præparatio antiqua.

QVOD attinet ad præparationem mulsæ secūdum antiquos, sciendum est, eos in hunc modum præparare consueuisse. Multos ante annos cœlestem aquam vasis includunt, & sub dio in sole habent: deinde cum sæpius eam in alia vasa transfuderint, & eliquarint (nam quoties etiam per longū tempus diffunditur aliquid crassamentū in imo, simile feci reperitur) veteris aquæ sextarium cum libra mellis permiscent: Nonnullæ autem cum austeriorem volūt efficere, sextarium aquæ cum dodrante pondo mellis diluunt: & ea portione repletam lagenam, gypsatamque patiuntur per caniculæ ortū in sole quadraginta diebus esse, tum demum in tabulatum, quod fumum accipit, reponunt. Nonnulli, quibus non fuit curæ cœlestem inueterare aquam, recentem sumunt, eamque vsq; ad quartam partem decoquūt: deinde cum refrixerit, si [illegible] dulciorē facere mulsam voluerint, duobus aquæ sextariis, sextarium mellis permiscent: si verò austeriorem sextario aquæ dodrantem adiiciunt mellis, & his portionibus factam in lagenam reponunt, eamque, vt supra dixi, quadraginta diebus insolatā, postea in tabulatum, quod suffumigatur, reponunt: hoc modo antiqui, vt Iunius Columella testatur, præparabāt melicratum: quemadmodum etiam Cassius Dionysius Vticensis libro octauo testatur. Cæterum hi duo authores inuicem in hoc differunt: primum quod Dionysius Cassius licet modū doceat conficiēdi mulsam, nō tamē docet quantitatē aquæ permiscendæ. Ac præterea quod hic aquā recentē ad tertias partes decoquit, ille verò ad quartas. Addit etiā Cassius, quod Medici quidam empirici, niuem per se cum melle commiscēt, ac trita reponūt, hancque permistionem ab illis desiderari tanquam medicamentum febrium æstuosarum, vocariq; ab illis niuem mulsam, probariq; magis in melicrati generibus, quod fuerit vetustius. Quæ sententia digna explanatione videtur mihi, quia melicratum, quo antiquius, eo acrius, quo acrius minus febricitantibus cōuenit. Recordor me apud Plinium legisse, melicratum antiquum vini saporem acquirere; sic enim inquit: Fit vinum ex aqua, & melle, tantum quinquēnio ad hoc seruari cælestem iubent. Aliqui prudentiores statim ad tertias partes decoquūt, & tertiam mellis veteris adiiciunt, deinde sexaginta diebus canis ortu in sole habent. Alii diffusa ita decimo die obturant, hoc vocatur hydromeli, & vetustate saporem vini assequitur, nunquam laudatius, quàm in Phrygia. Quæ si vera sunt, certè melicratum antiquum magis pro sanitate tuēda, quam pro curādis morbis vtile cēseri debet: propterea dicebāt antiqui; intus melle, foris oleo. Ex iis igitur, quę diximus de aqua mulsa, hęc secundum antiquiorum sententiam colligantur. Primum dupliciter pręparari illā tum ex aqua pluuiatili veteri, annorum scilicet quinque, (vt Plinius interpretatur) asseruāta, tum ex recenti fontana cocta ad quartas, vt Columella, vel ad tertias, vt Cassius Dionysius, Pliniusque tradiderunt: secundum verò mulsam quomodocunque pręparatam insolari diebus quadraginta, sed ex Dionysio diebus decem: Tertium, reponi postea in vase obturato, sed secundum Cassium foramine relicto ad perspirationem. Postremum verò in tabulatum, vt suffumigetur, esse reponendum.

Præparatio melicrati ex Columella.

Melicrati alia præparatio.

Melicrati præparatio ex Dionysio Cassio Vticensi.

Differentia inter Cassiū & Columellam de præparatione melicrati.

Nota.

Summa dictorū de melicrato secundū antiquos

20 30 40 50

De Melicrati præparatione ex Medicorum decretis.

Melicrati præparatio ad vsum medicinæ.

AT verò melicratũ, quod venit in vsum medicinę, alia ratione præparatur: nam permisto melle cũ aqua copiosa decoquũt exspumantes, vt Gal. hisce verbis testatur: si primũ illi multum aquæ admiscuerimus, ac deinde tantũ percoxerimus quoad spumare desinat, oportet autem spumam statim vt emerserit, continenter ab ipso tollere: cum enim hac parandi ratione acrimoniã deposuerit, neque amplius aluũ ad excretionem irritet, haud contanter in corpus distribuetur] Hanc eandem parandi rationẽ Oribasius insecutus est, & Paulus Aegineta libro primo, dum ait: itaq; in eiusmodi naturis dilutior mulsa rectè dabitur] & parum infra componendi modũ explicans, inquit, octuplo aquæ portio mellis admiscetur, incoquiturque, donec spumare desinat: spumã verò continenter ab eo tollere, simul atque orta est oportet] ex quibus colligitur, qua proportione admiscere aquam debeamus melli, vt mulsa fiat. Cæterum habet apud quosdã difficultatem, an hoc modo mulsam dilutã præparare debeamus. Ego certe putauerim hanc esse dilutionis mulsæ præparationẽ, quia Galenus docens aquosi melicrati conficiendi rationẽ, eisdem vtitur verbis, quibus Paulus. demũ verò, quia octaua pars mellis cum tanta aquæ portione coctionem facit admodũ dilutam, vt vnusquisque facilè poterit obseruatione comprobare. Postremò autẽ quia tum Columella, tum Dionysius multò maiorem mellis addiderunt portionem, quæ res indicare potest illam esse meraciorem mulsam: diluta igitur recipiet mellis libram vnam; aquæ lib. octo, fiat coctio, donec abiiciatur spuma.

An cocta, aut cruda utendum mulsa in morbis acutis.

QVÆRERET hoc loco quispiam, an cruda, an autem cocta vtendum sit mulsa: sed prius videamus, quid cocta, & quid cruda sit, dixerunt quidam coctam esse, quæ fit, ex cocta aqua ad tertias vel quartas: crudam, quæ non recipit aquæ coctionem, sed fit ex veteri pluuiatili annis quinque, Plinii consuetudine asseruata. Sed rem in hunc modum habere non putauerim, quia mihi non videtur habere aliquam difficultatem, quod vbi crudi, & cocti in mulsa meminerint Hippocrates, & Galenus, intellexerint coctionē mellis & aquæ simul, non autem coctionem solius aquę: quod facilè demonstrare possum verbis Gale-
10 leni, quæ sic habent: Melicratum verò quod paulisper, aut nihil coctum fuerit, prius deiicitur, quàm concoqui, & in corpus distribui, & nutrire possit. præterea in eo differunt, quod mel non plane concoctum in ventriculo, atque intestinis flatus quosdam gignat: contra quod in decoctione spumam omnem abiecerit, flatus est expers, & vrinam mouet] hæc ille. Quare coctam dicemus mulsam, quæ mel coctum, atque exspumatum recipiet: nō coctā verò quæ mel crudum habet. ex iis, quę diximus, patere potest, cocto melicrato vtendum esse, tū quia coctura mel ipsum reddit expers acrimonia: tum quia diligens illa permistio cū aqua, & coctura magis penetrantem reddit mulsam, ac prorsus omnem flatum
20 deponit: quę omnia maximè desiderari solent in curatione febrium acutarum, ac in vniuersum in omnibus putridis. Quod autem Hippocrates dicat cocta mulsa vtēdum, vbi mel fuerit prauum, vitiosum, nigrum, impurum, mali odoris ipsamque cocturam plurimum malignitatum turpitudinem tollere; sciendum non perinde dictum esse, quod nolit mel bonum in melicrati præparatione coquendū esse, sed vt ostendat, quod vbi fuerimus coacti vti melle impuro, malo, tunc ipsam cocturam corrigere omnē labem. hæc sufficiāt de prima quæstione.

Secunda dubitatio fuit, quomodo à me dictum fuerit libro primo de pręseruatione à pestilentia, annum australem in totum à ventis silentem signum esse pestilentiæ. nam australis dicitur annus, in quo auster perflare continuo solet:
30 at auster est ventus: quomodo igitur à ventis annus silere poterit? Respondeo sententiam illam fuisse Hippocratis in libro tertio epidemiorum sect. 3. cont. autem primo, vbi sic ait: Annus austrinus, pluuius, à ventis in totum silens] Galenus difficultatem soluit, quam tu ipse proponis: expedit eius verba in medium afferre, quæ sic habent: Haud alius enim videtur aeris status esse, ac maris; sicuti igitur illic semper est fluctus in alto vel maior, vel minor, qui interim ob paruitatem non animaduertitur ni strictus eum excipiat locus, quod in Calcide Euboea, & Messina Sicilia cernas: sic aer planè immotus, & quietus haud videtur vnquā esse: tamen nos, quia motus est paruus, interdū fugit. Ac nubes per e-
40 as tranquillitates conspicimus, quæ frequenter nobis consistere videntur, cum re vera moueātur. Nam conspiciūtur statim in alia aeris regione, quod illis si nequaquam moueretur, non vsu veniret: huiusmodi enim censenda est toto anno tēpestas fuisse. Tantū autē hæc distat ab eo, quæ fuit in Cranone descripta secundo libro, quanto est diuturnior.] hæc ille. Ex quibus colligimus, annum dici silētem à ventis, quando venti parum admodum ipsum aerem agitant, atque ferè insensibiliter, vt de magna agitatione dicebat. quæ sententia, quoniam mihi omnino satisfacit, nihil addendum illi fuerit.

Tertia dubitatio est, an constitutio aliqua hyemis esse possit australis, pluuiosa, & simul tranquilla, siue serena: in qua re videris mihi reuocare in dubium si-
50 mul cum clarissimis quibusdam Medicis Ferrariensibus, sententiam Hippocratis in libro tertio aphorismorum, aphorismo duodecimo: cuius verba sunt hæc. Si verò hyems australis, & pluuiosa, & serena fuerit, &c.] nā illi quidem dicebāt, si australis est hyems, quomodo tranquilla? si pluuiosa, qūo serena? quam sententiam cōfirmant ex Aristotele nono problemate primæ sectionis, vbi causam eorum perquirit, quę in hoc aphorismo ab Hippocrate dicta sunt: non enim aliud

Manardum intelligit prima epistola, epis[tola]

huic hyemi epitheton apponit, quàm pluuialis, & austrini. Adducuntque Celsum bonum alioquin Hippocratis interpretem, non addidisse eam vocem, tranquillum, seu serenum. Atq; postremò hanc dictionem εὔδιεος pro εὔδιος sine litera ε. in syllaba penultima male legi in contextu, profitentur, putãtque supposititiam esse, aut certè legendum esse εὐδῖνος penultima circumflexa, quæ significat humidum, vel εὔδινος quæ procellosum. hæc & alia id genus commẽtantur. Ego, vt liberè dicam pro mea sententia, puto antiquam lectionem admittendam esse. Quæ si tibi non saitsfaciant, tuum erit addere Io. Mainardũ, qui de hoc argumento prolixius disputauit libro nono epistolarum medic. epist. prima apologetica cõtra Leonicenum. Sanè moueor duabus potissimum caussis, vt putem ita legendum. primum quia maior pars Græcorum codicum, quinimmo omnes, quos hactenus vidi, hanc dictionem εὔδιος habent, præsertim Aldinus. hãc eandem vocem in commentario legit Galenus dum ait: Corpora quidem humida, & laxa ab hyeme serena facta] Hippocrates præterea libro de aere, locis, & aquis sic ait: ἢν δὲ ὁ μὲν χειμὼν νότιος γένηται καὶ ἐπόμβριος καὶ εὔδιος]
Postremò quia Galenus, in secundo epidemiorum sectione tertia, commentario primo, idem confirmat: cuius verba hic recensenda sunt, quia omnem difficultatem remouent. sic enim ait: Sed vt tranquillus simulque austrinus potest vniuersus annus dici, ita accipiamus, ad memoriam reuocemus multas nos vidisse tẽpestates tranquillitate præditas, & ventis carentes, non tamen eodem inter se modo: verum hanc lenem, mollemve ac humidam: illam siccam, ac gelidam, atque hæc omnino est serena. Lenis autem seu mollis nebulosam, & turbidam constitutionem parit, austrinamque, & nonnunquam nubium plenam. Contrariã huic aquilonia, & vbi prorsus nullus in aere apparet motus, sed exquisita sit, quam vocat, tranquillitas efficit: haud enim alius aeris videtur esse status] ac reliqua in superioris dubitationis solutione explanata. Ex quibus manifestũ esse potest, constitutionem aliquam esse hyemis austrinam, pluuiosam, & tranquillam, quasi dixeris, sine ventis, qui plurimum ipsum aerem agitent, vt Galenus se ipsum interpretatus est: hancq; vocem εὔδιος apponendam hyemi, χειμέριοι veri. itaque si annus esse potest à ventis in totum silens & austrinus, vt ex Hippocrate commonefecimus: pariter quidem erit admittenda constitutio hyemis austrina, pluuia, tranquilla] idest à ventis silens; nam hanc vocem εὔδιος tranquillum apud Aristotelem significare, non est dubitandum: quod illi etiam admittunt. illorum autem coniecturæ contra hunc textum Hippoc. ex nostra explanatione corrunt. Vale ex Tolentino 4. Februarij 1572.

corruunt.

EIDEM

EIDEM.

Soluitur contradictio in Galeno de farina hordeacea.

EPISTOLA QVINTA.

RECTE quidem sentit doctissimus Cordella, cuius opinionem recipio. Quid sit quod de domino Valterio scribis, deq; Cingulanis hominibus, quib. plurimum debeo, nondum consequor. Scribito posthac apertius. Accedo ad res nostras, idest ad Medicas contemplationes. Maximè controuersa difficultas est de farina hordeacea, ac etiam fortassis, vt alii dicunt, inextricabilis. Non enim sibi ipsi constare videtur Galenus. Nam agens de curatione erisipelatis libro secundo ad Glauconem, postquam ardor, & fluxio cessauit, consuluit scarificandam esse partem, & postea imponendum emplastrum ex farina hordeacea. ait enim, quando illi deerit feruor, & scarificare conuenit, atque emplastrum ex farina hordeacea calida, & ceratum aliud quoddam ex dissoluentibus medicamen apponendum] hic vtitur emplastro ex farina hordeacea tanquam digerente reliquias humoris peccantis: nam cum restitit fluxio, & ardor discutiendi tempus sese nobis offert idoneum. at verò in quarto methodi cap. quinto commemorat hoc cataplasma inter suppurantia; at omne suppurans emplasticam habere quandam virtutem videtur, quæ intus continet calorem, & spiritus, prohibetq; ne materia extrinsecus exhalet. Verba Galeni sic habent: Porrò omnia, quæ putrefiunt ex calido, & humido afficiuntur, ideoq; etiam ea cataplasmata, quę ex hordei farina componuntur, ceu quę calefaciant, humectentq;, omnib us iis affectibus, quibus moueri pus expedit, admouemus] in erisipelate autem his non indigere, quæ diximus, manifestum faciunt, præsertim verò quod Galenus scarificationes adhibet: Augeturq; magis dubitatio, quia hordei farina habet magis refrigerantem, & exiccantem facultatem, quam calefacientem & humectantem, vt idem auctor testatissimum facit libro primo de facultatibus alimentorum capite de hordeo. Hi certè nodi quidam Gordiani videntur, quos enitar ego, quoad fieri poterit, apertius extricare. Dici posset cataplasma ex hordeo inter calefacientia, & humectantia numerandum esse ratione quadam accidentaria: quia cum habeat emplasticam vim quandam, obturat meatus cutaneos, qua obturatione contingit, intus detineri rem calidam, & humidam: sanguinem scilicet, spiritus, & calorem innatum: sicque ex accidenti calefacere, & humectare. Igitur hordeum ratione sui refrigerat, & exiccat: farina verò ob aliorum permistionem, vt aquæ & olei non modo calefacit, vt prędiximus, sed etiam ex accidenti humectat: hacque ratione, Galenum locutum fuisse lib. 4. meth. med. at in lib. 2. ad Glauconem illum fuisse prosecutũ, quod inest hordeo per se, ac sua natura sine aliorum miscela, quę natura hordei est siccatoria, refrigerans, & detergens. Sed non videtur mihi admodum bona eiuscemodi solutio; cũ ipsam omnino minime soluat contradictionẽ. Nam in secundo ac Glauconẽ meminit cataplasmatis ex hordeacea farina inter ea quæ desiccant, atque detergunt: quomodo igitur si desiccat, humectat? si refrigerat, calefacit. si detergit, obturat? Adde quod tam in 4. methodi, quam lib. 5. de simplicibus, de composito loquitur medicamento: idcirco quod vni tribuit, alii pariter esse tribuendum. Dicerem ego in hoc difficillimo negotio, cataplasmata recipientia farinam hordeaceam, non semper habere vim refrigerantẽ & exiccantem: neque semper humectantem, & calefacientem. Etenim pro varia præparatione & permistione habere quidem possunt variam facultatem: si enim aqua & oleo copioso affusa farina fuerit hordeacea, certè suppuratoriam quandam facultatem possidebit, minorem tamen, quàm si ex triticea farina cataplasma fieret: at si quispiam eandem hordeaceam vino concoqueret, aut lixiuio, aut admiscuerit puluerẽ fœnugręci, vel id genus aliud digerens, hic medicamentum faciet exiccatorium, & dissoluens; putauerim itaque

Libro 2. ad Glauconem de curatione erisipelatis

Valleriola opinio.

eiuſcemodi cataplaſmata & modũ compoſitionis horũ tanquã notum Galenũ prætermiſiſſe: quia forte ſuo tempore apud omnes erat vſitatiſſimus: ſi hæc ſolutio tibi placuerit, gaudebo plurimum; ſin minus, ego meliorẽ nõ habeo: alios interim cõſulito acrioris iudicii Medicos. Interim valetudinẽ tuã curato, & me, quod te facere nõ dubito, viciſſim ama. Ex Cingulo die quarta Octobris 1570.

EIDEM.

De cataplaſmate ex hordeacea farina corrigitur Galeni textus, interpretum lapſus detegitur. 10

EPISTOLA SEXTA.

DVM haſce meas literas, Iuli Pichine chariſſime, reuiſebam; inciderunt in manus meas Epiſtolę Petri Andreę Matheoli Senenſis, quas auidè admodum perlegens (vt fieri ſolet, cum nouę quædam lucubrationes prodeunt) ſtatim incidi in eiuſdem epiſtolam ad Iulium Alexandrinum, in qua eandem, quam tu mihi, difficultatem de Hordeo proponit illi diſcutiendam: cui Alexandrinus reſpondens, mihique plurimum in hac controuerſia ſatisfaciens, volui admonere te opinionis huius, qui tandem omnem difficultatem remouet, oſtendens interpretes Latinos cum aliis etiam fuiſſe deceptos, in vertenda Galeni ſententia, in quarto methodi, capite quinto. Ne igitur pulcherrima hac defrauderis contemplatione, ſummam hic opinionis Alexandrini afferre in medium conſtitui. Verba igitur Galeni ſic habent. 20

Καὶ τοίνυν, καὶ τὰ διὰ τῆς ὠμηλύσεως καταπλάσματα.]

Tomas Lynacer Anglus in hunc modum vertit: ideoque ea cataplaſmata, quæ ex hordei farina cõponuntur.] melius vertiſſet dicens: ideoq; ea cataplaſmata, quæ ex hydrelæo, aqua ſcilicet & oleo, componuntur.] neque abſurda eſſet cõuerſio, ſi diceremus. Ideoque ea cataplaſmata, quæ ex farina triticea componũtur.] vtram autem interpretandi, ac vertendi rationem ſequaris, contectus nullam habet difficultatem, neque tibi aliqua ex parte Galenus repugnabit: cũ ſatis cõſtet, eiuſcemodi cataplaſmata pus mouere, calefacere, humectare. Sciẽdũ itaque quod hæc vox ὠμήλυσις] à Medicis pro hordei farina accipitur. Primus omniũ Plinius hac vertẽdi ratione vſus eſt: nam vbi Dioſcorides habet ὠμήλυσιν] hic perpetuò hordeaceam intelligit farinam. Dioſcorides de Abrotomo. 30

Διαφορεῖ καὶ φύματα μετὰ ὠμηλύσεως λείων ἑψηθεν]

Plinius verò, coquitur panis cum farina hordeacea] Dioſcorides rurſus de Thelephio ſic ait.

Δεῖ δὲ μὶν ταύτῃ ὠμηλύσει χῆρθαι]

Plinius interpretatur. Poſtea farina hordeacea] Galenus autem idem penitus videtur obſeruaſſe in libro decimoquarto methodi medendi, ait. 40

ὀνομάζω καὶ ὗτω τό κρίθινον ἄλευρον.]

Prius autem dixerat ὠμηλύσεων] quod eſt. Ita voco hordei farinam] & libro tertio de compoſitione medicamentorum per genera idem ſignificat. Sed tamen hoc non eſt perinde accipiendum: cum apud antiquos authores conſtet, hanc vocẽ ὠμηλύσεων] ſignificare quandam compoſitionis rationem ex oleo & aqua, cuius rei teſtis eſt Herodotus grauis author, & antiquus in libro, cui titulus eſt introductio, ſiue Medicus, in quo ſic ait:

τῶν δὲ καταπλασμάτων τὰ μὲν διὰ μόνου μέλιτος, καὶ ἔλαιον κατασκευάζεται, καὶ καλεῖται μαλακτικά. τὰ δὲ διὰ ὑδρελαίου ἅπερ ὀνομάζουσιν ὠμήλυσιν.] 50

quod eſt. Cataplaſmatum alia ex ſolo melle, & oleo præparantur, nominanturque malactica. Alia verò ex hydrelęo, aqua nimirum & oleo, quam ὠμήλυσιν vocant] Hinc apparet ὠμηλύσεως compoſitionem potius eſſe ex hydrelæo, quam farinæ additamenti: idcirco cum eodem Alexandrino ſtatuendum eſt ὠμήλυσιν] ſignificare

nificare apud Græcos compositionem quandam ex aqua & oleo, addita aliquapiam re potissimum farina, cuiuscunque sit generis: neque enim magis hordeaceam, quàm triticeam, aut alterius rei audientes. Quam rem Galeni verba significant libro secundo de compositione medicamẽtorum localium, capite de cæphalea, hisce verbis vsus. κρηθίνη ὠμήλυσις] hordeacea omolisis] aut rectius, & apertius, Hordeacea polenta] vel cataplasma] quod si hac voce semper hordeaceam intelligimus, cur addidit ille κρηθίνην] id est Hordeaceam] nã satisfuerat dixisse, ὠμηλύσει] voce prætermissa κρηθίνη] ab hordeacea igitur alia quædam adest ὠμήλυσις quam rem apertius inuestigat libro quarto eiusdem operis libro, vbi examinat Archigenis auxilia. ait enim:

Καὶ ὠμήλυσιν ἐπιτίθεον, ἢ διὰ κελθῆς, ἄλευρον ἢ διὰ λινοσπέρμυ, ἢ τηλέων κατασκευάζεται.]

idest imponendum ὠμήλυσιν, quæ ex hordei, vel lini, vel fœnugręci farina componitur] porro si hæc compositio ex farina hordei, seminis lini, & aliquando fœnugræci componitur, cur similiter (quæso) ex triticea farina componi non poterit? Quamobrem vbi Galenus in suppurandi medicamento ὠμηλύσεως] meminit nulla hordei mentione facta, perperam admodum grauissimum hunc authorẽ ad Hordeaceam misturam restringimus, multò conuenientius facturi, si intelligeremus in aqua, & oleo farinam emplasticam, qualis est tritici, incoctã fuisse, sicq; omnis remoueretur difficultas. Quid ad Plinium dicemus? Deceptũ inquam fuisse, & huius authoritate Marcellum Virgilium, qui semper hoc modo interpretari solet, vt is testatur in commentariis supra Dioscoridem capite de hordeo: omnibus autem dederunt errandi occasionem Galeni verba, quæ male intellecta, confusionẽ pepererũt. negari quidem non potest, Galenum per ὠμήλυσιν] intelligere aliquando hordeaceam farinam: sed tamen non ita intelligit illam, quin alias compositiones excludat. Vox est communis, quæ sanè generatim prolata, communem habet significationem: vbi verò propriam aliquam intelligere vult significationem addita differentia, specificam notionem facit, vt farinę hordeaceę, vel lini, vel fœnugręci, vel tritici, aut aliorum. Si hęc vera sunt, nulla in Galeno aderit contradictio, nulla in eius verbis difficultas, nusquam obseruatum est in quarto methodi meminisse illum hordeaceę, nusquam igitur traditũ hordaceam calefacere, & humectare, sed semper refrigerare illã, aliquãdo verò humectare, aliquando exiccare pro varia permistione ipsius, vt Galenus libro primo de alimentorum facultatibus tradidit, capite de hordeo, his verbis: Nullũ hactenus ergo quocũque modo pręparetur hordeum calefacit. humectat autem & exiccat pro modorũ diuersitate, quibus præparatur: etenim farina, quę ex toto hordeo fit, manifeste desiccat, ac ptissana, si pro eo, vt cõuenit, præparetur, humectat] at in libro ad Glauconem secundo, quia propositum fuit refrigerare, hordeaceam farinam adhibet: quia verò exiccare & abstergere ex, eiuscemodi farina cataplasma componit ad eos effectus idoneum. Præterea non erit incommoda explicatio à nobis in fine huius epistolæ tradita, quæ certè admodum facilè soluit omnem difficultatem. Vale. Datum Tolentini 12. Martii 1572.

EIDEM

Agitur de caussa albedinis in pure, & de computatione dierum in enixis. De dysenteria quadam, & de remedio quodam præstantissimo ad obstructiones hepatis.

EPISTOLA SEPTIMA

QVAESISTI, Iuli Pichine, vt explicarem tibi duo problemata: vnum cur circa caussas albedinis in pure dissentiam, non modo à communi aliorum opinione, sed etiam ab ipso Galeno: aliud verò quomodo in enixis, cum febre aliquapiam acuta detinentur, dies critici enumerandi sint, an scilicet à febris principio, an autem à partu; postremò efflagitasti, vt tibi communicem remedium, quo vtor ad obstructiones inueteratas iecinoris ab humoribus frigidis,

& viscidis procreatas. Scribam de omnibus, vt tibi satisfaciam, cui ob raras animi tui dotes, & affinitatem mecum intercedentem, maximisque beneficiorum cumulis confirmatam, non inseruire inhonestum videbatur: erit autem mihi gratissimum, si meam Ludouico patri, & Sebastiano fratri, opinionem communicaueris: illorum enim desidero iudicium, quod si per literas renunciaueris, erit mihi adeò gratum, quàm quod gratissimum.

Quid Galenus dicat de caussa generationis puris, & cur fiat album, videre difficile non est: at maximè quidem fuerit difficile diiudicare, an eius opinio vera sit. Pus album fieri, quemadmodum etiam semẽ, tradidit ob immutationem factam à partibus spermaticis, vt à membranis, venis arterijs, alijsq; id genus, quæ albæ cum sint, vim habent transmutandi substantiam in eundem colorem: sic enim ait libro primo prognosticorum commentario vltimo. Ad hæc colorem eius reddi simile semini, ratio est: candidum verò non exquisita ratione veluti nix est, semen enim à natura ducitur in solidorum corporum colorem exquisita ratione, modice pus. siquidem semen nihil habet præter naturam permistum: pus verò non assidue par, vt explanatum iam est: permiscetur tamẽ omnino aliquid, quoniam sanguis de proprijs opificijs exiliuit. hæc itaque caussa est ob quam cãdidum semen, & pus est. Pus enim quodammodo solidioribus assimilatur corporibus, quæ quidem sunt conceptaculorum tunicul æ, neruique, & copulæ, & membranulæ, atque etiam cartilago, ossaque] hæc ibi. Consimili ratione vsus est sexto de placitis Hippocratis, & Platonis ad probandum sanguinem generari à carne iecinoris, non à venis ipsis, quoniam ruber est, & à membro rubro generari debet, vt alba ab albis.

Galeni sentẽtia de puris albedine non admittitur.

Ego sanè plurimum de hac re dubito. Primùm quia pus, quod in hepate, & renibus, rubeis alioquin substantijs producitur, albissimum est: cur igitur in hisce locis nõ visitur rubeum? sanguinis officina est hepar, idcirco sanguis rubeus est, cur album redditur pus in hepate genitum? neganda hic non est obseruatio: neque Galenus habet aliquid, nisi fallor, quod queat in medium proferri: nisi fortasse diceret, habere hepar venas, à quibus dealbabitur pus ipsum. sed contra responsionem vrget plurimum, quod venæ hepatis ad rubeum magis, quàm ad album declinant: aut certè minus albæ visuntur. quàm sit pus ipsum: mox eiusmodi actio videtur propria carnis, non venarum, vt Galenus videtur dixisse quarto de vsu partium duodecimo. Adhęc si solidarum partium substantia puris albedinem faceret, oporteret carnem in vulneribus albam generari: quoniam vis generandi carnem potissimum residet in solidarum partium substantia: at nunquã statim alba producitur, sed rubea: manifestum, vt arbitror, argumentum, etiam puris albedinem non proficisci à solidis partibus. Accedit præterea, quod experientia videtur his contraria, nam volo vt supponamus, quæ sunt omnibus manifesta, lac scilicet substantiam esse candidiorẽ pure, & ipsum pus colore albidiorem semine existere: si ergo albus color in his proficiscitur ab albo colore solidarum partium: quanto erit albidior color, tanto faciet magis albas substantias: sed glandulosæ substantiæ vt testes, & mãmæ faciunt semen, & lac: quam igitur ob caussam cum æquali participent albedine, non æqualem faciunt substantiarum procreatarum albedinem? id certè cuiusdam miraculi loco haberi posset. Sed cur præterea pure existente albidiore, quàm sit semen; solidæ partes, ex quibus constituitur pus, minori participant, quàm illæ, in quibus gignitur semen, albedine, hæc faciunt mihi maximè suspectam Galeni sententiam de puris albedine. Quibus etiam si placet addamus, colorem non habere vim transmutandi colores substantiarum, cum in dies obseruatum sit à nobis, in ijs rebus, quæ colorem album habent, longo tempore quędam conseruari citra mutationẽ coloris: quam rem tam in rebus inanimatis, quàm animam habentibus in dies experimur. de inanimis rebus negotium apertissimũ est: in alijs verò id potest admodum facilè explanari. Vrina in venis continetur, quoniam est quoddam sanguinis vehiculum: tunicæ tamen venarũ non mutant illam ad albedinem. in vesica retinetur vrina præter naturæ institutum aliquando multis diebus, quæ vesicã colore

colore alba est, vrina tamen profluens nihil penitus, quod attinet ad albedinem permutari conspicitur. Quænam igitur erit caussa in pure mutationis huius ad albedinẽ? Eam esse caussam dixerim, quæ facit res alias albas. Quod enim magis participat diaphano luminoso, hoc magis albedine participare dicunt Philosophi, quod magis opacum est, id magis nigrũ. Iam sanè cõstat eo tempore, quo pus cõficitur, maximam cõfluere spirituum copiam, tum quia in illis residet calidum innatum, cuius essentia sunt spiritus, aut saltem proximum illius instrumentum: tum etiam quia dolor, & calor adauctus in affecta particula, spirituum copiam insignem attrahunt: Hæc itaq; aeria, diaphanaq; substantia, humido permista, & agitata albedinem parit, qualem etiam in aquis agitatis incluso spiritu fieri videmus: hæc tamen volui probabiliter dixisse de hac materia. Expectabo, vt dixi, libentissimè tuum, meorumque Præceptorum audire iudicium.

Augenii propria sententia de puris albedine.

Admodum etiam difficile est videre, an computationes in enixis fieri debeãt à partu, an autem à die febris: tum quia Hippocr. ipse videtur sibiipsi contrarius: tum etiam quia alii, qui post Hippocratem scripserunt, in eadẽ ambiguitate permansuerunt: dicamus de vtrisque. Primùm de Hippocrate, atque demũ docebimus, si qua via poterunt eius dictiones contrariæ ad verum sensum cõponi: Secundo loco explanabimus, quid alii sentiant. Extat sententia Hippocratis tertio prognosticorũ decimo, qua vult, iudicationes à partu faciendas esse, nam ait: Secundum eandem rationem, fæminis iudicationes fiũt à partu] Galenus in commentario inquit: Principium numerationis erit, nõ quo cęperint febricitare, sed quo pepererint: in quibusdã igitur circa secũdum, aut tertium diem à partu incipiunt, ex quo multi numerãt futuram iudicationem : at res non ita habet; sed ex quo pepererint, cõputationem oportet fieri dierum] hæc ille. Refert senex ex alia parte historiam primo de morb. vulg. particula tertia, de vxore Philini in Thaso, quæ post decimamquartã diem à partu febricitauit, & incepit numerationem à febre, non à partu; in quibus apparet contrarietas ingens. Hippocratis verba sic habẽt: Philini vxorem in Thaso, quæ filiam pepererat, purgatã ex præscripto naturæ, & cætera rectè habentem, decimoquarto à partu die ignis inuasit cum rigore] & explanans, quæ singulis diebus accesserunt, & quãdo mortua fuit, concludit. Circa decimum septimum diem obmutescebat, vigesimo obiit.] Cõsimilem casum refert in ęgroto, quinto eiusdem libri, qui fuit vxor Epicratis parturientis filiam, & secundo die à partu febricitantis, à quo fecit computationes non à partu, nam dixit: sexto die à febri sub nocte mente vacillauit, septimo proritata sunt omnia. & c.] & in ægroto vndecimo, vbi explanat historiã vxoris Dromeadæ, quæ peperit filium, in qua eiusdem numerationis principium obseruamus. Quid itaque in tanta Hippocratis contrarietate dicendũ est? Ego in hũc modum sentiẽdum duco. A partu enumerationem dierum faciendã esse, si post partum vno, aut altero, aut quod summum erit tertio die, febris acuta inuaserit, antecedẽte potissimum partu difficili: aut verò si postea per plures dies inuaserit febris, aut non post partum difficilem, enumerationem fieri debere à die febris: sic quidem diuersæ Hippocratis sententiæ conciliari possunt. Ratio est, quia in partu difficili facta magna agitatione humorũ, caussa illius acutę febris ante partum quieta manebat, aduenientibus postea laboribus in partu, mota, & agitata materia, putredinem suscepit: illud vero rectè statuendum est principium, quod occasionem intrinsecam malo dedit, qualem occasionem fuisse partũ dicemus: pręsertim verò, quia febris potuit occultari in tempore partus, aut parum postea ob vehementiam symptomatum, quæ tunc instare consueuerunt, vt plurimum in partu difficili hæc ipsa contingunt; quamuis fortassis absurdum nõ fuerit putare, delitescentẽ hanc caussam acutæ febris in facili partu, tertio, aut quarto die fieri manifestam: quo tempore potissimũ febres aduenire consueuerunt omnibus vtero gerentibus, propter illam sanguinis in lac ipsum transmutationem necessariam: sed hoc rarum est in bono, & facili partu. At verò si aut sexto, aut decimo, vel decimoquarto, vel aliis deinceps diebus adueniat febris, siue tunc difficilis, siue facilis pręcesserit partus, non est probabile delitescere caussam ipsam

De computatione dierũ in enixis.

tot diebus, si ratione partus originem deduxisset: quoniam in expurgationibus omnis morbifica fuisset caussa dissoluta penitus. idcirco arbitrari opus est aliunde febrem aduenire, quàm ratione partus, de qua re locutus fuit Hippocrates in historiis libri de morbis vulgaribus: sed si partus præcesserit facilis, & nõ fuerit huius occasione, sed aliis de caussis subsecuta febris, statuendum est, cõputationẽ fieri debere à diebus febris, non partus, vt de illa dixit Hippocrates, quæ secũda die post partum febricitauit. Quia si vtero gerens ante partum febricitet diebus circiter septem, aut octo, aut aliis superioribus, computatio fieri debet à febris die. Cur si eiuscemodi febris inuaserit post partum naturalem, facilem, muliere benè purgata, omnibus tandem, quæ circa vterũ sunt, habentibus secũdũ naturã, die secundo, aut tertio incipiens, enumeratio fieri debebit necessario à die partus; Ego equidem sic sentio. Putant alii duas cõputationes fieri debere in eiuscemodi febribus: vnam quidem à die partus, & aliam à die febris, quandscilicet febris non incipiat ipso partus die: Quę opinio caret omni probabilitate: etenim Hippocrates & Galenus in tertio prognosticorum, vt audiuisti, vnam duntaxat computationem faciunt à partu: quemadmodum aliquando à febre, vt in historiis explanauimus; Galenus certè in decimo commentario omnino reprobauit eorum sententiam, qui computationem à febre admiserunt. Adhæc verò nullus extitit antiquorũ, qui duas computationes effecerit. Rursus ponamus in secunda die à partu aduenire febrem, quæ iudicari debeat in vndecima die secundũ naturam eius febris, si duæ computationes fieri debent, iudicatio fiet in vndecima die febris, computatione facta à febre; at vero à partu fiet die duodecima: & sic vndecima dies, & duodecima erunt iudicatoriæ contra naturam dierum, vndecima enim febris duodecima est partus: vndecima partus decima est febris: hæc quidem impossibilia videntur mihi. Sic, si decima quarta die fiat iudicatio, hęc dies ratione partus decima quinta, aut decima sexta erit, & sic de aliis diebus eadem ratio est: cum igitur cogantur hi admittere dies iudicatorios, qui nunquam tales existunt, & ab Hippocrate, aliisque antiquioribus fuerit explosa eiusmodi computandi ratio, cum non habeam aliam veriorem, à superius exposita, in ea sententia standum esse iudicauerim.

Aliorum opinio.

Quæ de dysenteria mihi proponis, abundè sunt explanata in epistola ad Curium Scipionem, mitto illius copiam: edisseram duntaxat de vsu enematum salsorum, quibus scilicet antiquitas vtebatur, explanans rectam methodũ vsus horum medicamentorũ, vt hinc facilè admodũ queas percipere, quanto in errore versentur, qui passim omnes eiuscemodi remediis curant, & qui marinam aquã clysteriis non addunt modo, sed ex ea sola præparãt clysteres. Audi, quęso, Galenũ libro de alimentis primo. Vsus verò etiam quandoque postulat, vt ex aqua salsa clysterem paremus, vt cum vlcera intestinorum in dysenteria cõputrescũt, idq; facimus, vt id quod computruit, abstergamus, ac simul veluti multas squamas vlcerum educamus, quodquidem vsque faciendũ est, donec intestinũ expurgatum sit. Quod vbi factum erit, tum in clysteres medicamenta cõiiciemus, quib. expurgare, quæ superuacanea sunt, possimus.] & in duodecimo methodi medendi capite primo, detestatur hanc medendi consuetudinẽ, his verbis. Quidã aũt (vt sibi est visus) generosè dysentericos vehementissimo medicamẽto curans, multos vno sanauit die, quosdam verò iugulauit. Erat autem eius medicãdi ratio eiuscemodi: cępas, id genus, quod Gręci Cartõ vocant, vno die cõedẽdas cum pane dabat, tum potum parcum: postridie mane muriam acerrimam per inferiora infundebat: Secundum hanc etiam pharmacum validum: His igitur tolerandis quicunque sufficere potuerũt, prorsus sunt sanati: aliqui verò cõuulsione, aut syncopè ex dolore vnà cum madore cutis oborto interierunt] hæc ille qui parum postea diligenter admodum scopum proposuit hisce verbis; Esto igitur terminus in ęgrotantibus, quem non transibit is, qui ex arte generosè cõtra morbũ pugnat, vt tutò medicetur: ei verò qui dolores mitigat, vt vires custodiat] hęc si vera sunt, quomodo admittere possumus in omni dysenteria clisteres ex aqua salsa? sed quid sentiendum de clysteriis ex aquis medicatis salsis, qualis est

lis est vulgo nuncupata del tettuccio? hanc, vt maximè vtilem admitto, non iniectam modo, sed etiam potatam ob eius temperationem singularem, vt aliàs docuisse memini: abstinendum à marina, & à salsis nostri empirici. Nam vbi vlcera cancrenosa non sunt, aut plurimū sordida, adeò magna fit detersio, vt præ dolore nequeant ferre acrimoniam medicamenti: sed adueniunt syncopes, & conuulsiones frequentes, quales aduenisse multis conspexi: iuuat igitur duntaxat vsus horum medicamentorum in putridis vlceribus intestinorum, non autē passim in omnibus, vt illū facere empiricū nouimus: sed satis de hoc argumēto.

10 Quod verò ad postremum pertinet, quamuis multa sint præstatissima remedia, quibus vtor pro caussarum, & corporum varietate idonea, tamen optimum est in rem præsentem electuarium ex chalibe: quo obstructione hepatis laborātes, & ictericos fere omnes sanaui, iis præcedentibus quæ artis vsus postulat. dixi ictericos omnes, non iam incipientes modo, sed longitudine morbi non mediocriter vexatos, dummodo à scirro non habuerint originem. quo vtendum sit modo, tu nosti, explicabo alias, qualis sit ratio compositionis huius. Vale ex Tolentino 1572. die 8. Aprilis.

EIDEM.

20 *Agitur de Remedijs ad obstructiones hepatis: De absinthij vsu in tertianis febribus: de alica, suum pedibus, cerebellis, & carne liquefacta: de remedio ad pellendas secundas.*

EPISTOLA OCTAVA.

Respondeo breuissimè tuis literis: tum quia mihi non datur ocium, tum etiam quia te occupatissimum scio. Primùm id assero, & profiteor, nihil apud me tam abditum & secretum esse, quod non libentissimè aliis communicem: præsertim verò tibi, quod si non facerem, meo muneri defuisse non parum viderer. Antidotum ad hepatis obstructionem præstantissimum, de quo in alia epistola scripsi, est, quod ab ipso Calestrano, sub nomine electuarii de chalibe describitur, cuius facultas te nunquam decipiet: vtebatur hoc sæpissimè Ludo-30 uicus Pater, & ego illius imitatione iuuasse quàmplures cognoui: melius redditur, quando ex chalibeata, tum vinum temperatur, tum alimenta incoquuntur: præstansque est in casu vinum ex chalibe. Amoniaci drachma vna dissoluta in vnciis duabus, aut tribus aceti mulsi decoctionis acrimoniæ ad quatuor dies, aut plures, data ante cibum horis quinque, ad miraculum vsque subuenisse ictericis animaduerti.

Antidotum ad obstructiones hepatis ex chalibe.

vinū chalibeatū vide pag: 429

agrimoniæ.

Galeni artificium quale fuerit in exhibendo absinthio in tertianis febribus, ignorāt multi, quod ego nunc explico, vt illorum errores possis detegere. In curandis hisce febribus hæc inter alias adest indicatio, expurgare scilicet copiā humoris biliosi per aluum, & per vrinas: alia etiam inest corroborandi ostium ventriculi à bile non parum lacessitum. fiunt hæc ab absinthio, de quo Galenus hoc modo locutus est. Absinthium adstrictoriam, & amaram, & acrem simul quali-40 tatem possidet, excalefaciens pariter, & detergens, & roborans, & desiccans. pro inde biliosos ventris humores per egestionem infernam propellit, ac per vrinas vacuat: magis autem, quod in venis est biliosum, per vrinas expurgat: ob hæc contentam in ventre pituitam oblatum nihil adiuuat.] & multò antea dixerat Dioscorides, adstringendi, & calefaciēdi vim habet, bilem expurgat, quæ & stomacho, & ventri inhæsit, vrinam cit] Datur itaque absinthium ob caussas hasce duas, ob expurgationem bilis, & confirmationē oris ventriculi. Non obest, quia calidū, quoniam non exhibetur eius substātia, sed ipsum dilutum in melicrato, vt dicebat Galenus: adde quod coma duntaxat maceratur, exigua nempe quan-50 titas ad inducendam caliditatem: vt omittam, quod si obest quicquam, in relatione ad commodum, debet illud nihili incōmodum fieri. Aberrare, qui succū propinant in secūdo commentariorum ad Galeni librum ad Glauconem, demōstraui: vbi alia etiam ad hoc argumentum pertinentia sum prosecutus.

1. ad Glauc. cap. 8.

De absinthii vsu in tertianis febrib. ex Galeno 6. simpli.

Dioscorides libro tertio, cap. 23.

Ibidem Galenus proponit condrum, & alicam, vt flauæ bilis impetū obtun-

1. ad Glauc. 8.

dat, tenuitatem incrasset, qualitatem calidam & siccam contemperet. Sincera bilis habere raptum solet ad os ventriculi, quod ob exquisitum sensum cor vocarunt antiquiores Græci; nam facit cardialgias, illud mordicãdo, & syncopes corde in communionem, atque in consensum attracto: ne id contingat malum alica subuenit. Neque est admittendum obstructionem efficere, quia ptissanæ modo parata, nempè aceto propter penetrationẽ, oleo, aneto: porro, & sale, vim detergẽdi habet; & quamuis nõ vtamur nostris tẽporibus porro, neq; oleo, neque aneto, aceto vti possumus (vt me frequenter vidisti docuisse) & zucharo albissimo, atque cinamomi tantillo, quæ penetrationem adiuuando facere obstructionem nequeunt. Pręstat hic referre, quæ Galenus, & Stephanus Atheniensis eius explanator dę hac re dixerint.

Gal. 8. meth. medendi.

1. de alim. facult. cap. de alica.

Quod si quando sani (inquit Galenus) ob vehementem ventris mordicationem siue ob biliosi humoris multi transitũ, siue ob aliud id genus sorbitione indiguerint, iis alicam plurimum coctam quousque extabuerit, deinde colatam, vt ptissanæ succo colato persimilis sit, sorbendam exhibeto.]

1. ad Glauc. cõmen. 115.

Quod Stephanus Atheniensis Philosophus confirmat his verbis, Oportet autem, ipsum assumere: in quibus caliditas multa insit in ventriculo: velimusque vt ipsa in ventriculo permanens aduersus malam temperaturam pugnet, ac pręsertim si os ventriculi facilè bilescit: potest enim cum crassus, & tenax sit, caliditatem, quæ in ipso est, extinguere] hæc ille.

1. de facult. alimentorũ

Quæ manifestum faciunt, quando alica vtendum, & quos effectus faciat, quando ve fuerit abstinendum. idem faciundum est iudicium de suum pedibus cerebellis, & illorum carne liquefacta: præsertim verò si pedes coquantur cum ptisana, Galeni præcepto, nam tunc quandam vim detergentem acquirunt.

Quod mireris tandiu obstinate, vt sic dicam, omnibus rite adhibitis, adhuc insultus illos tertianarios perdurare, inuadereque tuum ægrotum eadem ferè hora, sudore qualibet nocte copioso inutiliter adueniẽte; nihil est. Hippocrates .n. rem fecisse planam mihi videtur adeo, vt nullus possit superesse locus admirationi. Sic enim ait in aphorismis: Quibus accessiones fiunt, quacunque hora febris dimiserit, eadem si postero die repetat, iudicatu difficilis esse solet] in cuius loci cõmentatione sic ait Galenus, Siue quotidie, siue tertio, quarto ve quoque die accessio eadem hora repetat, morbus hic erit solutu difficilis, siue multas, siue paucas horas duret accessio. Quod dictum Hippocratis experientia comprobatur, eius verò caussam talem esse putandum est. Quum accessionum caussa minime fixa, firmataque fuerit, eãdem periodum, & horam non seruat: atque idcirco, quæ firmata, stabilitave est caussa, eadem solutu difficilis: quæ vero talis non est solutu facilis existit. Nam quæ firmata sunt, & impacta, subdit, robusto quodam, vt dimoueantur, quasi vecte opus habent, qui & longo tempore, & pluribus auxilis adhibetur

4. aphor. 3.

Gal. com. 3.

Rursus dicebat Senex in alio aphorismo. Sudor multus per somnũ factus, copiosiori cibo corpus vti significat: quod si parcius epulãti hoc accidat, vacuatione indigere sciendum est] obserues igitur diligenter, an sudor hic ducat originẽ aut à cibo copioso, aut à multitudine excrementorum: si primum aderit, supprimito cibum, & diminuito ita, vt vires ferre possint, & morbus propulsari: si secũdum adfuerit corpus expurgato etiam, atque etiam: quamuis iam expurgasse te satis sufficienter iudices. nam dicebat Hippocrates: facienti omnia secundum rationem, si non succedat, non est transeundũ ad alia, modo illud constet, quod ab initio visum fuit:] Quemadmodum enim gutta in subiectam petram cadẽte, vix longissimo tempore sensibile fit in ea vestigium cauitatis, sic in crudis morbis & coctu difficilibus se res habet, in quibus, si quis recta ratione quod factu opus est inuenerit, ab eo recedere nõ debet, quod faciundũ initio existimauit, etiã si illius vsu nihil dum manifesto, effectũ esse videatur. Memineris præterea quod tertianæ quædã sunt plurimum extensæ, de quibus Galenus in libro sexto de morb. vulg. & primo ad Glauconem cap. septimo perdurasse adolescenti sex mensibus continuis scriptũ reliquit. Id sane vitio vertendũ non est artifici. Quæris mo-

4. aphor. 41.

Gal. com. 41

2. aph. 52.

Gal ibidem.

1. epid. cõ. 2. super tex. 5 & sec. 3. c. 5 & 6. epi. sec. 8. cap. 23.

ris modo quid ego agerem, iam dixi breuibus: crassos humores, & viscidos de- cætero detergerem, & incidere validioribus præsidiis, sic præparatos expurgarem, quoniam verò in diuturnis morbis vires non sunt ferendo iustam purgandi rationem, instituerem eam, qua simul præpararem, & purgarem, & visceribus robur adderẽ, tum intus assumptis, tum etiam extrinsecus admotis: de his nullus in præsentiarum sit sermo, quia satis constant: In illorum numero, vterer syrupo ex quinq; radicibus cum oximelite simplici, cum decoctione radicum aperiẽtiũ, & foliis camedrios, & pro liene addito cetrach, pro hepate agrimonio: nam vtrumq; viscus in eiuscemodi febre læsum esse scribis, quod si validioribus indiguerimus modis, familiaris apud me fuerit vti trochiscis ex reubarbaro, aut ex eupatorio pro hepate: & trochiscis ex capparibus pro splene: vt dissoluendo in apozemate sui syrupi drach. vnam: posteriorem verò aut tantundem, aut paulò minus. Ineunda est purgatio admodum tuta ex pilulis de tribus cum reubarbaro, & de reubarbaro simplicib., aut aggregatiuis: vtputa dato prius apozemate, darem scrup. i. aut vnum cum dimidio pilularum aggregatiuarum cum granis tribus, aut quatuor diagridii, vt vigor adderetur medicamento, & fœlicius subduceret, reformatis pilulis cum electuario de dactylis, aut cum syrupo è rosis persicis. Singulo quoque die vsque ad septem, aut octo in hoc affectu cõtumaci vtendum esset hoc modo purgandi, & præparandi; quem omnes tum Græci, tum Arabes tum Latini, siue antiqui, siue recentiores admittunt. Posses augere dosim, & diminuere, prout multum, aut parum subducere videbis. Atque etiã postremo, si tibi vires validiores videbuntur, iustam dosim pilularum aggregatiuarum dabis nempè vsque ad drach. i. aut scrup. iiii. cum gran. iii. aut. iiii. diag. Mirum quidem quod hoc progrediens modo, non videas morbum solutum, mihi certè nondum contingit non vidisse. Scio tamen in contumacissimo morbo hæc Galenum scriptis mandasse. Multos solo vomitu post cibum fuisse curatos, qui aliis remediis sanari non potuerũt] considerabis tu, qui presens curationem facis, an ad vomitum sit procliuis néc ne: quia si cum difficultate vomat, abstinendum esset, si bene iudicio.

Modus curãdi febres cõtumaces & rebelles.

Communis modus omnium practicantium.

i. ad Glau. 10

Hoc vnum nolo prætermittere, quod apud me constat, longissimaque experientia comprobatum est, gẽtianæ succum prodesse multum contra eiuscemodi febres, & circuitus: sunt qui laudant eius decoctum; quidam aquam stillaticiam: & mihi non displicet, vt qui viderim non semel multum profuisse: sed succus, iis qui cordati sunt, & generosi in assumendis medicamentis adeo confert, vt nullum sit auxilium cum illo conferendũ, vniuersalibus, quę tu nosti, precedentibus. modus est hic. Rec. succi gentianę condensati drach. i. liquidi autem drach. i. s. iuris pullæ vnc. iiii. specierum diarodon abbatis, & specierum aromatici rosati scrup. vnum, ad ventriculi robur indendum, capiat ante accessionẽ horis tribus, in multis vomitum prouocat, in aliis aluum mouet, sed maxima commoditate vtrumque facit, quia futuram accessionem prohibere solet; aut certè adeò illam diminuere, vt ægroto sit contemptui: succum liquidum nõ intelligo depuratum, sed cum sua fæce recenter extractum. succi extrahendi ratio hæc est: contusa radix quinque diebus, aqua maceratur, postea in eadem tantisper decoquitur, dum extent radices, & vbi refrixit aqua, linteo excolatur; mox discoquitur, dum mellis crassitudo fiat, fictilique reconditur. id scribo, quod pluries vidi, & certissime obseruaui: Plura huius generis leges libro decimoseptimo nostræ tractationis de febribus.

De succo gẽtianæ nota experimentum.

Mitto patris mei singularissimum illud remedium, quod ille mihi communicauit soli, ad secundas pellendas, quo liberare solebat mulieres certissimo, & admirabili euentu: ne verò desideres quicquam à me, quod non consequaris, scias puluerem hunc esse testiculorum equi exiccatorum in furno, vbi prius fuerint in minutissimas partes redacti: dato quantum tribus digitis capi potest: sic ille præcipiebat; meo iudicio est drach. i.

Ad secũdas pellẽdas rarũ præsidiũ.

Hæc festinans discessum ex Septempeda ad Tolentinates, pro responsione ad tuas sufficiant. Vale.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM,

LIBER OCTAVVS.

10

ALOYSIO GRATIOSO MEDICO AESINETVM

Quod deplorati non sunt solis prognosticis relinquendi.

EPISTOLA PRIMA.



VOD ego nunc tibi, aut etiam fortasse aliis, qui hæc nostra legent, minimè satisfaciā, Aloysi charissime, in caussa est, quod hæc scribens ex Cingulanis montibus ad Septempedanos iam iam proficiscor medicinam facturus. Haud enim te fugit quantæ homini discessuro tam publicæ, quàm priuatæ occupationes adueniant, quibus dum operam dare studet, deest ociū, quod in literario negocio impendatur. Accedit, quod prima pars meorum commentariorum in Galeni libros, quos edere propediē constituo, adeo tenent me dies noctesq; implicitum, vt mihi vix concedant tēpus exiguum, non dicam inseruendi amicorum commodis, sed gracile, multisq; curis confectū corpusculum instaurandi. Volui tamen in tantis rerum difficultatibus manum admouere calamo, & in veritatis gratiam, qua nihil fuit aliquādo apud me antiquius, chariusq;, quid sentiā in difficultate proposita, cōscribere: ac certè non eo animo ad id aggredior, vt tuas partes defendam, & tanquam iudex in hanc arenam descendam: quia neq; tu is es, qui tutore indigeas, neque ego is sum, qui Palemonis munus inter Vitalē, Gratiosum clarissimos alioquin Medicos mihi audeam: vel debeam adscribere: verum vt vobiscum in controuersia honestissima, & maxime vtili veritatem inuestigem, ostendamque vos ipsos quorū manifestum videtur dissidium, haud esse (nisi fallor) discordes; eoq; libentius id facio, quod mihi in memoriam eiuscemodi tractatio reuocabit quasdam historias, quæ tum patrum nostrorum ætate, tum etiam mea contigerunt, iucundissimas. Præterea in his laborare generosum Medicum decet, quæ ad artis, ipsiusque artificis honorem conducunt. Dicerem hic pluribus, quantam vtilitatem ad morborum curationem afferre possit hæc tractatio, ac etiam ad ipsius artis dignitatem, nisi compertum haberem, vos multò antea, omnia diligenter, vt vestra est consuetudo, perspexisse: Quamobrem hęc satis pręfatus ad propositum negocium perueniens, dum quæ scripsistis, perlego, varias inter vos agitatas fuisse quæstiones ingeniosè quidem conspicio, de quibus si esset sigillatim transigendum hodie, præterquam quod ob temporis angustiam id perficere non liceret mihi, actū (quod aiunt) agerem: cum in meis lucubrationibus iam editis, & in explanationibus in Galeni librum de febrium differentiis, & de ratione curandi per missionem sanguinis, atq; in commentariis in lib. ad Glauc. magnam illorum partem fuerim diligenter prosecutus. Quod igitur ocium datum est, quāuis exiguū, id impendā libēter in illius duntaxat quęstionis dissolutionē, in qua discordes videri vultis (minimè tamē discordes agnosco) an scilicet morituri, vel deplorati solis prognosticis relinquendi sint, & ne videar amethodus hunc ordinē obseruabo. Primum volo ponere quasdā Hypotheses ad quæstionis dilucidationem necessarias. Secundo loco dicam, quid sentiā in ipsa cōtrouer-

20 30 40 50

trouersia. Adhęc tertio respõdebo difficultatibus omnibus. Postremo loco sum ostensurus admodũ apertè (nisi fallor) nullam inter vos adesse controuersiam. Sed hęc satis præfatus ad rem venio. Principio statuamus, qui nã ægroti dicãtur deplorati, quæ res insignem nobis pro dissolutione quæstionis vtilitatem affert. Morituri dicũtur, qui à lethalibus morbis prehẽduntur; sunt lethales morbi duplices, quorum alii semper, ac ex necessitate mortem inferũt: alii vero maiori ex parte, de quibus locutum fuisse Hippocratem tũ in aphorismis, tum passim alibi est manifestum. Ex necessitate mortem infert fortis apoplexia, quam soluere est impossibile: debilis autem maiori ex parte lethalis est: hanc, dicebat ille, soluere difficile est. Magnę sectiones, quibus cerebri basis vulnerata fuerit, vt Celsus inquit, priori ordine cum vulneribus cordis, vesicæ substantiæ absoluta sectione, ac id genus aliis continentur. in posteriori autem, quędam hepatis, ventriculi, & intestinorum vulnera. Dicũtur priores absoluto sermone affectus deplorati, alii vero non simpliciter, sed cum additione, maiori ex parte: vtraq; significatio nostro conuenit proposito. Supponatur secundo, quod quidã re ipsa deplorati dicuntur: quidam sensus iudicio, cum re vera tales non sint. Doctus ille, & cordatus iuuenis distinctionem non admittit, quam ego primus, si benè recordaris, in quadam epistola ad te olim scripta, in mediũ protuli. Admittendam esse tamen hæc illi persuadebũt. Aegrotet Callias febre acuta, sæuis comitata symptomatis, qui ex propria natura pulsum habent adeò obscurum, vt percipi non possit: habeatque vasa vrinaria, vel naturali aliquopiam vitio, vel præternaturali labefactata, ac sordida: nec liceat harum rerum aliquam ex ægro, aut assidentibus, aut propria exercitatione, artisque vsu habere notitiam. Quid sentiet quæso iudiciosus Medicus de huiuscemodi morbo? An confisus prognosticis signis, quæ adueniunt aliis communiter morituris, hunc sperabit conualiturum? quę salutis habebit indicia, qui maxima signa mortis habet ex pulsu, & vrina desumpta? Quę futura sunt signa maiorem in significando potestatem habitura, quàm hęc duo? Erit hic sensus iudicio deploratus atq;, etiã talis omnino iudicabitur à Medico prudentissimo, & in artis operibus exercitato, naturam propriam, & indiuidualem (vt sic dicam) hominis, & vitium corporis acquisititium, aut naturale, ignorante. Hic tamen poterit liberari: quia cum horum signorum syndrome morbus potest existere prorsus lethalis, & etiã ancipitis naturę inter lethalẽ, ac salubrem. Cõsaluus Barreda Hispanus, Modestinus Cassinus, & Petrus Franciscus Vlmensis, Medici admodum celebres, olim concordes, moriturum hominem prædixerunt. Quibus ego adueniens, hominisque particularem naturam cognoscens: annos enim quãplures antea conuersati eramus in simul, contraria vsus prædicendi ratione, & adhibitis remediis, sanitatem introduxi. tu quidem non hominẽ modo, sed quomodo hæc contigerunt, nosti. Clarissimus Præceptor Ioannes Baptista Montanus (quem hic honoris caussa nomino) in consimili incidens ægroto, eadem vsus prædicendi ratione, Francisci Fisimelicæ testimonio (fuit hic magni iudicii Medicus) anteactę curationis admonitus, ex ignorantia propriæ naturæ se fuisse deceptum palàm discipulis confessus est. Quamobrem dico haberi à Medicis secundum artis leges, & præcepta prædicentibus aliquando ægros pro deploratis, qui re ipsa non sunt. Addo postremo loco morituros quosdam iudicari à clarissimis viris, qui si nõ certa scientia, (id enim fortassis impossibile) artificiosis tamen ducti coniecturis, de propria natura iam certiores redditi, signis exitialibus iam aduenientibus, aut propter morbi vehementiam, aut propter corporis constitutionẽ (quoniam ex quouis morbo vnusquisque mori potest, etiam leuissimo) sanari non posse statuunt: in his profectò non solum mortem prænunciant necessariam, sed nõnunquam mortis horam, diemq; prędicunt. Addamus his alteram Hypothesim, quod signorum prognosticorum tanta est dignitas, ac præstantia, vt si in re medica adest aliquid, quod artificem admirabilem omnibus reddat, horum notitia, aut sola id præstat, aut saltem partem habet maiorem. nam præsentiens, ac prædicens coram ægro, & assidentibus, præsentia, præterita, & futura, credetur magis cognoscere,

quæ ad ægrotantem attinent, audebuntque homines seipsos Medico committere, periculis futuris obuiam factus, curationem optimè molietur, pronunciansque morituros, crimine internecionis vacabit. Sunt hæc, si artem spectas, vera, omni ex parte, & nunquã fallunt Medicos, quia omni anno, omni tẽpore, & bona bonum, & mala malũ significant; siue quis in Libia, & in Delo, & in Scythia; siue in aliis mundi partibus medicinam factitet. Hoc modo Medicus generosus Hippocratis (hominis ante omnem philosophiam nati) insignitus doctrina præ aliis omnibus reddetur maximè admirandus, hic nunquã decipietur in prędicendo. Talem voco numeris omnibus absolutum, cui nihil prorsus deest eorum, quæ ad optimum Medicum pertinent. Hæc est artium natura, vt supponant artificem perfectissimum, & materiam, circa quam versatur, non talem, qualis est, sed qualis esse deberet, si eiuscemodi reperiri posset, sibi ipsis cõfingũt. Talẽ describit Oratorẽ Cicero: Talem figurat Rhetorẽ Aristoteles. Dialectici demonstrationem habent potissimam pro exemplo, quæ nusquam adest: Medici temperatum corpus, quod nunquam consistit, prosequuntur: sanum simpliciter, quod reperiri nequit, pro aliorum admittunt exemplo. Pictores figuram sibi pro aliorum idea, & regula confingunt præstantissimam, quam neq; Zeusis, neque Apelles aliquando perfecit. Sic etiam nos eiuscemodi Medicum proponamus, qui ad tantam artis perfectionem deueniat, quantum absolutissima desideret: Hunc ego dixi in prædictionibus errare nunquam. Sed quem tantæ perfectionis artificẽ ostendemus? Nullum equidem. Hic neminem prorsus excipio, quamuis nunc fortassis præstantior multò ars est, quàm antiquitus extiterit. prætermitto huius generis multa, non possum prætermittere, quod circa prædictiones ipsas nusquam fuisse Medicum putem, qui aliquando non aberrauerit. Dicunt quidam Galenum nunquam fuisse deceptum, quam rem non facilè crediderim: quia hic author passim cõfitetur particularis notitiæ exquisitissimã nõ haberi notitiã, atq; hac profitetur sese caruisse, cũ dicit, quod si particularis naturæ, proprięque exactam notitiam haberem, talem vtique esse me arbitrarer, qualem Aesculapium fuisse ferunt], alibi, quod proprium, est neque dici, neque scribi potest, ergo si in artis operibus non communem omnium modo naturam, sed etiam propriam cognoscere oportet: hancque scire exactè non liceat, concluditur, quod nunquam licuerit exactissimo vti prognostico. Adde quod hic author fatetur multa contigisse illi præter eius opinionem; Verum cõcedamus errasse nunquam Galenum aut Hippocratẽ. minime quidem concedemus aliis hoc priuilegium. hanc rẽ præmeditatus Hippocrates dicebat: Acutorum morborũ non õnino sunt certę pronunciationes salutis & mortis] & eius explanator passim dicit: aliquando falsas prædictiones fieri, quamuis vt plurimũ sint veræ] ac rursus: medicum, qui signorum vires rectissime cognouerit, in omnibus haud censeri veridicũ, neq; ratione exquisita futura præsentire] & in alio opere: nunquã hallucinari supra captum hominis est, sed quam minimum aberrare, solius artificis est] & alibi profiteatur. Optimum medicum raro aberrare.] Magna igitur ex parte generosus Medicus finem assequitur: raro falsus est: sed cum magna in ea re diuersitas habeatur, qui vigesies pręsentiendo aberrat semel, multo melior est, quàm qui decies præsentiẽdo aberrat semel; ipso verò melior rursus hic est, qui sexies præsentiendo aberrat semel: quemadmodũ rursus melior, quàm hic est, qui ducenties prædicẽdo aberrat semel. Hæc Galenus. Porro, quia morborum quidam diuturni sunt, quidam acuti: in illis nunquam decipitur Medicus, quia illorum crassa, viscidaq; materia frigida, stabilisque cum sit, non facit eas mutationes, quæ in acutis contingunt: quorũ tenuis maiori ex parte (nam apoplexiam excipio) calida, mobilisq; materia ex vno loco ad alium admodum subito potest moueri, & sanitatẽ insperatam introducere: atq; hæc vna est caussa, cur optimus Medicus decipiatur. Adest etiam alia à Galeno fortassis prætermissa, & nisi meũ me fallit iudiciũ, haud minus necessaria, quam prior: ea est, quod non cõmunem tantũ omnium hominũ naturã, sed etiam vniuscuiusq; propriã cognoscere oportet volẽtib. nobis optimè mederi, ac prædicere. Quosdam

dam.n.aliquando inuisimus, cum quibus dum sani essent, nõ eramus cõseruati, quo fit, vt neque quem colorem, quam habitudinem, aut natiuum calorem, aut arteriarum pulsum, à natura habuerint, cognoscamus: quæ si sciremus, magnitudinem morbi satis aliquãdo iudicare possemus, nam quantum vnumquodq; à naturali statu recedit, possibile est scire ei, qui naturalem statum exquisitę nouerit: at impossibile est ei, qui non cognouerit. Quoniã verò prædicẽdi ratio ex collatione magnitudinis morbi cum virium robore desumitur, qui ignorat naturam vniuscuiusq; ægri propriam, ignorat pariter virium substantiam, & magnitudinem morbi, nescitque inuenire exquisita ratione quãtitatem auxiliorũ 10 propriam: quomodo igitur certè in hisce ægrotis sanitatem, aut mortem prænũciabimus? certitudine id assequi impossibile prorsus fuerit: sed artificiosis coniecturis vsi, proximè accedemus ad cognoscendã propriam particularemq; naturam. Non explicabimus hoc loco, quid per propriam intelligere naturã oporteat, quoniam in explanationibus prioris libri ad Glauconem ea de re satis disseruimus. Ergo acutorum morborum prædictiones non sunt semper certæ: Diuturnorum autem semper veræ sunt prænunciationes salutis, aut mortis.

Iam verò ad quæstionis dissolutionẽ venientes, illud inprimis admonemus, quòd vbi generosus Medicus aliquẽpiam putauerit moriturum, opus est, vt statim prædictionem adhibeat: vt scilicet vacare crimine internecionis censeatur: 20 quod vbi fecerit, est illi aliquid circa ægrotum faciendũ: mihi enim videtur maximè absurdũ, impiumq;, relinquere illum solis prognosticis. Hic ego nullã habere difficultatem puto in exitialibus morbis, qualis est apoplexia fortis, aut magnum vulnus cerebri substãtiæ, aut in vniuersum aliis eiuscemodi, vbi statim vocatus ad horum curationem fuerit Medicus, aliquid agẽdum esse. Frustra enim horum curationes conscriberentur: frustra Senex ille bonus librũ de vulneribus exitialibus scripsisset, in quo illorum curationem tentat. Rectè quidem dico tẽtasse, (vt Galeni verbis vtar) quia in grauissimis morbis, quorum species lethalis est, satius est experiri aliquid, & tentare, quàm hominem miserum, iamq; mori- 30 bundum citra remedia relinquere. Hinc obseruamus admodũ frequẽter, quod etiam viuente Pelope, Galeni pręceptore, in Ionia sępius idẽ obseruauit, cerebri magnas discissiones fuisse artis miraculo persanatas. Apoplexias fortes nõ semper ægros occidisse: Cordis vulnera haud protinus interemisse, sed tribus contractis vlceribus diuturno tẽpore ægrum perdurasse vidit Fernelius: Abscessum in cerebro contractum sanaui in hisce montibus: & quo tempore hominẽ expiraturum dixeram, maximo naturæ impetu facto per nares, auresq; affatim libras quatuor plus minus puris albi, vacuatas conspexi: sicq; fuisse vitæ restitutum: de quo casu scripsi aliàs. Quamobrem statuamus licere aliquid agere Medicum in morbis omnino lethalib., multò magis id cõuenire in iis, qui sunt maiori ex parte lethales. Sed quid statuẽdum de illis, qui sensus iudicio deplorati dicũtur? pu- 40 tauerim in his etiam optimũ esse moliri aliquid, & de virtutis cõditione periculum facere præsidio aliquopiam leuiori, quod illi facere nequeat negociũ: quod si profecisse aliquid conspexerimus, rursus tentãdum validius, sicq; deinceps ad alia progrediundum, donec fuerit introducta sanitas. Nõ habet bonus Medicus ipso in casu aliquid, ex quo de statu virium sumere certiores possit coniecturas, quàm à iuuantibus, & lædentibus: in his vires, quæ ad extremum videntur languidæ, tales profectò re ipsa aliquãdo non sunt, sed possunt adhuc resistere, Medici auxilio confirmatę, cum tamen incognitus optimo Medico sit illarũ status. De his equidem puto Galenum dixisse, cum aliquando, quamuis rarò cõtingat, optimum Medicum aberrare: hoc autem fit propter subitam in iudicando per- 50 mutationem, quæ naturam humorum morbificorum sequitur: & quia nonnunquam humor noxius ex vno loco transfertur ad alium. Sed qui fieri potest naturam benè iudicare morbum, aut ex præcipua sede ad ignobilem noxiam propellere materiam, nisi valida fuerit, morboq; superior? & quæ talis est, cur ab optimo Medico non cognoscitur, qui sanitatis tempore fuerit diu cum ægro conuersatus? Impossibile autem prorsus illi, qui nullam habuerit de ipso

conuersati.

aph: 19. lib. 2. v. p. 156. & 673.

ægroto notitiã, neque licuerit aut ab ægroto, aut ab aliis proprii ſtatus fieri certior. Hæc potiſſima cauſſa rari euentus, quã Galenum prætermiſiſſe dixi. Si morbi diuturni, quorum non eſt fallax prædictio (in his enim Senex confidere videtur) à Medico tractandi ſunt, vt arte ſanẽtur (quod explicabo poſt hac) cur prorſus dimittendi acuto morbo laborantes pro deploraris habiti, in quibus certæ omnino nõ ſunt prænunciationes ſalutis, & mortis. Adhæc vſus prædictionis ab Hippocrate tertio loco deſcriptus eſt, vt Medicus vacet crimine internecionis: porrò mors in Medicum nequit referri, qui pro ægri curatione nihil egerit: ergo mors in eum referenda, qui aliquid effecerit. Quamobrem tractabit Medicus moriturum, ea tamen lege, vt prædictio præcedat. Cæterum deploratos hoſce putauerim ægrotos, quos, adhibita manu ab antiquioribus Medicis, ex mortuis fuiſſe ſuſcitatos perhibentur. Scribit Heraclides Ponticus in libro cui titulus eſt περὶ τῦ ἄπνυ Empedoclem Philoſophum, & Medicum celeberrimum maximam ex eo gloriam fuiſſe conſecutum, quod mulierem defunctam è rogo vivam dimiſerit: quod etiam Diogenes Laertius teſtatur: Aſclepiades quoque inter Medicos clarus, hominem exanimatum, elatum, comploratumque ab rogo domo viuum reduxiſſe teſtatur Plinius. quã hiſtoriam copioſè, & apertiſſimè deſcribit Apuleius libro quarto floridorum. Iuba Rex Mauritaniæ in Arabia hominem herbæ cuiuſdam beneficio ad vitam fuiſſe reuocatum ſcribit. Zantus antiquus rerũ Lydorum ſcriptor tradit occiſum draconis catulum, præterea & Thilonẽ hominem, quem draco occiderat, fuiſſe vita reſtitutos vſu herbę, quam ſuo nomine Calim vocant: Xenophon libro de venatione, teſtis ęſt, Aeſculapium ſuſcitaſſe mortuos, vt etiam ſcribit. Q. Serenus Sammonicus, dum ait:

Tuq; potens artis, reduces quia tradere vitas
Noſti, atque in cœlum manus reuocare ſepultos.
Qui colis Aegeas, qui Pergama, quiq; Epidaurum,
Huc ades.

Hunc Cratoſtenes, Pauſanias, Commentator Pindari Hippolytum fuiſſe tradunt. Quibus refragatur Higinus putans fuiſſe Glaucum filium Minois. non me fugit, hęc non eſſe admittenda, quoniam non eſt opus naturæ (tantum abeſt vt ſit Medici) ſuſcitare mortuos: ſed eius, qui potentior natura eſt, Dei optimi Maximique. Natura. n. impoſſibilis eſt huiuſcemodi regreſſus, vt ait Homerus.

Ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν, ὔτε λῃιςὸς
Ουθ᾽ ἑλετὸς ὅπὶ ἄρκεν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων.

Cui Philotas poetarum Græcorum facetiſſimus aſtipulatur, dum inquit,

Ἀτραπὸν εἰς ἄδια ἤνυσα.
Διὰ τῆς οὔτε ἐναντίον ἦλθεν ὁδίτης.

Quod eſt.

Iter ad inferos feci.
Per quod nullus retrorſum redit viator.

Et Ouidius ex Poetis Latinis.

Seraq; ope vincere fata
Nititur, & medicas exercet inaniter artes.

Et alibi.

Ille quidem gelidos radiorum viribus artus,
Si queat in viuum tentat reuocare calorem:
Sed quoniam tantis fatum conatibus obſtat,
Nectare odorato ſparſit corpusq;, locumq;.

Hæc vero, quamuis in hunc modum habeant, fateamurque Medicum hæc facere non poſſe, tamen, quantum ad eum attinet, qui vitę redditur, quid refert, vtrũ anima denuò in artus relictos diuinitus reponatur, an penitus in corpore ſepulta, morbiq; victoris oppreſſa viribus, arte, curaq; Medici ſuſcitetur, atque eliciatur, iamque certò migratura, retineatur, an non penè paria ſunt mortuum reſtituere, & mox moriturum ſeruare, eiuſq; animam latibulis corporis deliteſcentem ab ipſo limine mortis reuocare? Recte igitur, qui pro deploratis habiti ſunt

habiti sunt, cum industria Medicorum restituerẽtur, è mortuis suscitati dici possunt. Quid quod mortui quidam (omniũ iudicio) & sepulti reuixerunt? cur igitur non habebimus aliquam spem eorum, qui deplorati videntur? Anconitanũ vidi Romæ sepultum, qui adaperto post mensem sepulchro sedens mortuus, manus habens circa caput, inuẽtus est. Fabriani contigisse consimilem casum à fide dignis audiui. An Ioannis illius Scoti mors miseranda excidit ex mente? Quamobrem hisce rationibus ducti, auctoritatibus, & exemplis iudicamus deploratos, quorum propria natura à Medico ignoretur, non esse solis prognosticis relinquendos. De aliis deploratis aliud sentiendum est: vbi enim quis propriam ægri naturam diligenter nouerit, in signorumque viribus cognoscendis talem adhibuerit diligentiam, qualem optimum decet Medicum: hic re ipsa deploratus sanitati restitui non potest. quam enim expectabimus crisim viribus omnib. ad extremum languidis? & qua ratione optimum Medicum decipi posse in horum prædictione arbitrabimur? in his, quia neque experiundi, neque iuuandi, aut etiam quomodolibet tentandi occasio aliqua datur, ab omni remediorum genere abstinebimus, quinimo etiam ab ipso victu, vbi nouerimus breuibus horis interiturum. si enim tam medicamenta, quàm victus postulant vires validas, vt prosint, aut nutriant: hæ verò ad extremum dissolutæ nequeunt suo perfungi munere, negotium dabitur naturę. vt si homo horarum quatuor spatio interiturus est, horis duabus, aut etiam tribus moriatur. Tamen hoc vnum affirmo, raros esse eiuscemodi Medicos, qui exquisitam habeant proprię naturę notitiam, idque datum esse iis duntaxat, qui frequenter cum ægrotis, dum inter sanos agebant, conuersabantur, aliis autem prorsus impossibile.

Iam verò perquiramus, quam ob caussam iis adhibendæ sunt manus. Quidam dicunt id faciundum non vt sanentur, sed in longioris vitæ gratiam: neque munus esse artificis, sed hominis beneuoli: ego verò nõ cõtradictionis studio (quod in me nunquam fuit,) sed vt vobiscum in re controuersa pro veritate disputem, aliud sentiẽdum reor. Primum duco adhibenda præsidia, vt quoad eius fieri potest, artis beneficio sanentur: mox verò idipsum ad artificem pertinere. Itaque in primis constet, quod orator, qui bene dicit, ad victoriam tendit, sed cum bene dixit, etiamsi non vincat, id quod arte continetur, effecit: vult gubernator salua naui in portum peruenire: si tamen tempestate fuit abreptus, non ideo minus fuerit gubernator non salua naui, ac si in portum peruenisset; quoniam dum clauum rectum tenet, suo perfungitur munere, sic, vt ad oratorem reuertar, non videtur eius necessarium munus atque officium persuadere, sed inuenire, & colligere, quæ in quaq; re apta sint ad persuadendum, Aristotelis, ac Ciceronis testimonio, vel ad bene dicendum, vt Quintilianus putat. In eũdem modum officiũ Medici non est curatione sanare: sed curare ad sanandum appositè, idest curando eatenus progredi, quatenus licet. fieri siquidẽ potest, vt quãuis nulla queat ratione sanitatem adipisci ægrotus, diligenter tamen sciteq; curetur. Quamobrẽ is, qui marasmũ curat, quamuis non sanet, optimè tamen suo perfunctus est munere, vsus omnibus auxiliis, quibus sanitas introduci potest. Hunc ego sanatum arte dico hoc sensu, quòd ars omnia præstitit, quæ potuisset maiora, præstantioraque facere: hacq; ratione Galenus hunc sese sanasse scribit. Amplius si in eum finem redigendæ non sunt actiones Medici, quam ob caussam putamus Aesculapium, Archigenem, aliosq; Medicos clarissimos, mortuis (vt alii dicunt) deploratis autem (vt ego sentio) adhibuisse manus? Namque introduxerunt illi sanitatem: sed quid sanitatem inquam, cum vitam iam iam abeuntem reuocauerint? Aliud verò in hac ipsa tractatione considerandum est, Artem scilicet, quo ad eius fieri potest, imitari Naturam: hæc in rebus quod perfectissimum est, atq; pręstantissimum facit, si potest: cum non potest, nititur id facere, quod illi sit proximum. sic Medicus sanitatem supponit, vt optimum: hanc cum assequi non posse videt, id saltem procurat, quod melius esse iudicat pro necessitate præsenti, at vitam prorogare multò melius quàm mori: Hac de re, qui hecticam marasmodẽ, ac similem curãt, licet nihil proficiant, quod attinet ad vitam, optimè tamen cu-

Decimo methodi medendi.

rant illos, immo, vt Galeni verbis loquar, sanant, quod ad artem attinet, vitam duntaxat prorogando. Ad hæc verò si nihil est prestantius hominis vita, huiusq; ipsius caussa nihil prætermittendum est, rectè quidē in acutis morbis, in quibus non sunt omnino certæ prænunciationes ad mortem, quæ ve fallunt Medicum, optimum est consilium, prorogare vitam. Adde his quod qui aggreditur ad curationem lethalium morborum, qui scilicet ex necessitate mortem inferunt, nō facit ob alium finem, quam vt artis præsidio sanet ægrotantes, vt fecisse bonum Senem libro de exitialibus vulneribus testamur, & ante nos ipsos multò antea confirmauit Galenus. Si prætereà hoc docere non est artificis, cur grauissimus omniū Hippocrates authorum horum meminisse voluit, admonens, nō omnino certas esse pronunciationes salutis, & mortis: Absurdum est, quæ necessaria non sunt artis nostræ, principem, & omnium maximè breuiloquum tradidisse: idemque de Galeno faciundum est iudicium ἄτεχνον extitisse illum, cum pręcepit homini tabido adhibenda remedia: sed certè inartificiosum extitisse, non facilè admiserim. Aut si inartificiosus est in his, quę ad artis honorem consequendū, & ad finem possidēdum faciunt, præsertim in morbis diuturnis, quorū prædictioni Senex confidit, vt quæ nunquam artificem fallat: Cur inartificiosus iudicari debebit ad illorum imitationem, aliquid agens in acutissimis morbis, quorū est iudicium difficile, & non sunt omnino certæ pronūciationes? Quid de Illustrissimo illo Cardinali dicatur, cuiusmodi sit nō intelligo. Quid verò de Lęlio amico dicunt, optimè cognitū est mihi, vtpotè qui non semel interfuerim curationi, quo tempore medicinā in Aesina ciuitate faciebat vrinarū vates, aut potius artis nostræ vituperium. Affectus fuit prorsus deploratus, cui tamen neque curationi assistentes Medici, neque alii postea conuocati destiterunt aliquando conuenientibus vti remediis, quamuis introduci potuisse sanitatē minimè sperarent.

Cæterū quispiam hoc loco dubitabit artem ipsam non considerare, quæ rarò adueniunt, quia de contingentibus maiori ex parte transigunt, tum etiam quia dū operā damus ægrotantibus morituris, infamamus auxilia, quæ fuerunt aliis adiumento. Arbitror vtrunque caput desiderare distinctionē. Qualis verò ea sit audi. Cum artem dicimus, duo complectimur, materiam, & formam: quibus inuicem connexis, fit artis perfectio. sunt hæc æterna, sunt necessaria, nec habere aliter possunt: cuius rei illud potissimū sit signum, quod mechanicæ artes certissimas demōstrationes habent, de quibus grauissimè conscripsit princeps Peripateticæ familię. Quid arbitraberis de medicina artium omniū præstantissima? quæ certa habet principia, tum ex naturali Philosophia, cui vt aliorum sententia est, subalternatur, tū ex propria, formalique ratione considerandi sumpta. Porrò materia duntaxat, aut pars, aut species, aut horum accidens aliquod, circa quam materiā actu versatur artifex, si rarò aduenit (sic enim ponamus) vel munus artis, propriumque finem respicit: vel ad huius consecutionē nihil conducit; quę rarò veniunt, suntque ordinis primi, ea considerantur ab arte, cui licet ea sibi confingere, quæ nūquā sunt. At quæ sunt alterius ordinis, ab arte possunt meritò contemni, ac prætermitti. cur. n. quę non conferunt, explicabuntur? cuius modi sit, hoc facilè intelligis. Sic enim finis est vti appositè ad sanandum, si hominis vita nihil est carius, atque præstantius, si tandem maximū inest arti dedecus, hominem deploratum in religiosorum manibus Medici iudicio iam cōmissum, empirici cuiusdam, aut etiam vetulæ auxilio liberari: Deploratorum tractatio ad consequēdum finem, gloriamque artis acquirendam plurimum faciet, quāuis minimè restituantur sanitati: quod non quærere artē diximus. Neque interim perturbet nos, quod videantur infamari præsidia: quia medicinę vsus nostris tēporibus longissimè distat ab vsu priscorum. Quantum olim fuerint odiosi, & suspecti Medici, Catonis Censorini, ad M. filium testatur epistola. Quid Antonio Musæ, ac aliis quibusdam clarissimis hominibus, quod sectionibus, vstionibus, aliisque id genus vterentur auxiliis, olim contigerit, nemo est qui nesciat: neque est incognitum, quot annis caruerint Medicis Romani. Quoniam igitur seculū adhuc

adhuc rude de Medicis malè sentiens remedia plurimum abhorrebat, nec Medicis confidebat: cum hodie maximè confidant omnes, ac libentissimè amplexentur auxilia, necessarium equidem fuit tunc abstinere à remediis, in iis quos morituros nouerant, vt postea permitterent in conualituris præsidia. Nunc verò in tanta scilicet artis nostræ puritate, ac perfectione, nihil est, quod vereamur infamare præsidia, potissimum, quia vt plurimum non sunt illa quidem generosa, quæ deploratis adhibentur, sed mitia, quæ citra detrimentum ferre vnusquisque potest.

10 Quædam sunt Galeni verba, quæ declarationem postulant, de quibus nunc transigendum, non quia iurauerim in verba magistri: id enim omnibus in artibus maximè perniciosum est: sed quia volo in tui aliorumque gratiam, qui hæc legent, ostendere, nos illi minimè contradixisse. Primum ait: nam in morbis exitialibus non modo quando sunt suo vigori vicini, nihil mouere oportet, sed neque in aliis temporibus] si hęc verba omnem ab exitialibus morbis actionem excludunt, cur diuinus author scripsit tractationem de exitialibus vulneribus? & quàm ob caussam Galenus docet authorem tentasse potionibus curationem? mouere igitur non debemus, quia neque sanguinem mittere, neque purgare conuenit: hæc namque maiora sunt remedia, de quibus Hippocrates dixit, Si quid videtur mouendum, moue] absurdum fuerit viribus ad extremum langui-
20 dis generosa auxilia tentasse: caussa verò cur tentanda non sunt, est, quia deploratos non oportet curare iis auxiliis, quæ diximus, sed magis absistere] quod si quid faciundum leue sit id, quia magis abstinẽdum] hæc dictio, magis] omnem Medici actionem minimè excludit, sed ab auxiliis, quæ magna sunt, abstinendum consulunt: addit, & morbi finem pronunciare] sic legendum citra dictionẽ tantummodo] quam non modo latini quidam codices, qui apud me sunt, carẽt, sed etiam Græci quidam: quamuis etiam si eadem legatur particula, communis adest solutio, qua omnibus locis satisfiet. Alius est locus, qui habet explicationẽ perinde facilem. Quorum, inquit, summum vigorem excipit mors, in his parte artis vtimur, quæ prognostica nuncupatur, id quod futurum est prænunciantes,
30 ne euentus rerum nostro ascribatur errori] Quid hic habet, quod nostram opinionem refellat? nam anteaquam aliquid agat Medicus, prædictione vti debet. an hoc propterea tollit, quin aliquando leue aliquod auxilium admitti debeat? legunt quidam, In hac sola artis parte &c.] Expungenda est hæc dictio, sola] qua Græci codices, & Latini carent. De Marasmo inquit: Hunç sanare non tentes] perinde est, ac si diceret, hunc non curabis] nam quamuis curare, & sanare diuersæ videantur significationis vocabula, ego tamen haud ambigo confundi aliquando inuicem, & sanare pro eo, quod est curare à Galeno frequenter desumi; quam rem, quæ insequuntur verba manifestum faciunt. itaque curare hos cum præfatione expedit] Planè manifesta est sententia nullam habens difficul-
40 tatem, cum ait: Ego autem cum iuuenem quendam, qui ita laborabat, sanassem, reficiens deinceps, ac senilem eius imbecillitatem pro senum ratione tractans, non solum in menses, sed etiam in annos viuum seruaui] Ergo si hæc superiora verba de sanitate exquisita intelligantur, de hac eadem postrema intelligantur necesse est: conficiesque hoc modo sanitati restitutum fuisse tabidum, quod falsum esset, & ab illius admirandi hominis mente alienum. Quamobrem non video, quomodo fragili huic fundamento inniti debeamus, viderint alii qui plus possunt ingenio, & doctrina. Venio ad alterum Galeni locum de syncope, vbi ait: Sanè deplorata salus est ægroto pulsibus sic immutatis [Cognitionem hic supponit particularis naturæ, quam si in aliis omnibus hunc authorem sup-
50 ponere diceremus, optima esset (meo iudico) explanandi ratio, qua satisfaciemus locis omnibus, dicentes scilicet Galenum eos intelligere, qui verè deplorati sunt à Medico numeris omnibus absoluto, quorũ admodum exiguum esse numerum diximus. subdit Galenus: Ergo in eiuscemodi casu te à culpa immunem præstabis, si moriturum prædixeris, & nullo alio generosiori medicamento vsus fueris] hęc verba non negant vsum auxiliorum, quę generosa non sunt. An con-

cludet propterea aliquis medicamentũ abs te propositum extitisse generosum? an potestatem habuisse labefactãdi vires? Porrò ex libro Prorrheticorum quædam adsunt eius generis. Meditari (inquit) non oportet, perniciosum enim] Galenus in huius loci commentario, sic ait: Quod hi omnes perniciose habeãt, vt in calce dictionis retulit, veritati est consentaneũ, sicut & quod eos φαρμακεύειν quod est καθαίρειν, id est purgare dici, sæpius est demonstratum] & parum infra. Qui igitur ita affectum purgare ingreditur, is indoctus est, & artis medicinalis planè inscius: neque sanè qui non purgare consulit, sapiens est] Quis igitur vestrum aliquando in casu admisit disputans, huic Salustio medicamentum, quod purgaret, morituro exhibendum esse? hanc enim ambo renuistis medendi rationem, dissidium erat leuissimo auxilio. Postremus locus, quẽ multi facere videntur, non minori difficultate explicatur, velut methodum docere curatiuam putridarum febrium per medicamenta rarefacientia, lotiones, frigidæ potum, ac vinum: supponitq; in frigido ambiente vehementer vri ægrotantem: signa cruditatis adesse, vires omnes existere imbecillas, admonet Medicũ eo in casu, vt a præpositis auxiliis abstineat, quæ pro curanda putrida generosa sunt: postulantq; vires validas, neque est (meo iudicio) colligendum negasse mitiorũ vsum, negasse victus rationem, si modo exhibendi illius aliqua daretur occasio: caussamq; affert, dum ait: In quo enim desperata omnino salus est (vellem notari hoc verbum omnino) quo maxima indicatur nobis certitudo mortis, imprudentis cõsilii fuerit apud vulgum infirmare præsidia] caussam dixi propter quam tãtopere verebantur, ne pręsidia infamarentur, quę multis fuere saluti, generosa illa quidem: nam quę vilia sunt, nihil, aut certè non admodum potentia parum omnino refert an infamentur. addit. Verum nos tempora præsidiaq; his, quos saluari spes est, scribimus, quando ęgris, qui sunt incurabiles, nec tẽpus vllũ opportunum, nec præsidium est] hisce verbis intelligit omnino insanabiles, & deploratos, vt supra commonefecimus; & hęc sufficiant de propositis difficultatibus.

Quę supra posita sunt à nobis principia, ostendunt non aberrasse in proposita controuersia Medicos hosce clarissimos. Vitalis enim cui cõmissa fuit ægroti curatio, & qui hominem intus, & in cute (vt dici solet prouerbio) exquisitè cognoscebat, de propria eius natura nihil penitus ambigẽs, hacq; de caussa magnitudinem morbi optimè cognoscens, Salustium prorsus deploratum iudicauit: quo casu minimè debemus adhibere pręsidia: cum hæc potius viribus ad extremum dissolutis negotium faciant, quàm quod iuuent. Gratiosus verò cui non erat particularis, & diuidua hominis natura perinde cognita, & q. de morbi conditione, ac statu non fuit antea redditus certior, nisi pridie quàm moreretur; & hac fortasse ratione, cum non potuisset exquisitam magnitudinem morbi cognoscere, cum viribusque cõferre, ambigens plurimum, recordatus eorum quę aliquando in deploratis aduenire solent, remedium quoddam leue proposuit, magis vt aliquid tentaret, deq; viribus faceret periculum, quàm vt sanare hominem, vel curare speraret: quam obrem non video aliquod inter hosce Medicos adesse dissidium. In hoc tamen vterq; vestrum displicuit mihi, quod neq; vnus mordicus negare, neque alter contendere debebat, quando ex illius vsu in homine proximè morituro propositi medicamenti vi nec prorogari vita, nec mors accelerari poterat.

Hic ego vos interim etiam, atque etiam oro, & si per vestram licet humanitatem obsecro, vt omne odium, & liuorẽ inter vos hac ipsa de caussa cõtractum deponatis & de cętero in animum inducatis vestrum pręteritorum obliuionem, vt vetera transeant, & noua sint omnia. Atque perpetuò perpendatis animo, nihil magis perniciosum esse ipsa in arte, quàm vsque ad satietatem contendere, & nunquã esse in ægrotorum curatione vnanimes: ne de vobis aliquando dicatur, quod bonus ille Imperator dixit olim de suis Medicis. Turba .s. Medicorum periisse. & quod olim Gẽnadio Medico fuit à Pallada inculcatũ his verbis.

Βέλτερον ἡγεμόνος λῃστοῦ κτόνου εἰς κρίσιν ἐλθεῖν.
Ἢ τοῦ χειρούργου Γενναδίου παλάμαις.

Ὃς μὲν γὰρ φονέας ὁσίως συγίων καταπίμνει,
Ὃς δὲ λαβὼν μισθοὺς εἰς ἀΐδην κατάγει.

Quod est.

Iudicium melius fuerit ſubiiſſe latronis
Genadii medicas, quam petiiſſe manus.
Ille etenim cædes ſancte execratur, & odit;
Hic pretium capit, & ducit ad Eliſios.

Hæc res quantum afferat detrimenti noſtræ huic arti, quæ alioquin etſi omnium ſit pręſtantiſſima, calumniis maximè expoſita eſt, nemo veſtrũ eſt, qui neſciat. Valete viri optimi, & Augenium veſtrũ, qui vos non amat modo, ſed etiam obſeruat, mutuo amore proſequimini. Ex Cingulanis mõtib. prima Iunii, 1573.

VALTERIO DE VALTERIIS TOLENTINATI CINGVLANORVM MEDICO.

De anno biſſextili quædam: & quomodo cælum agat in hæc inferiora, & quod ſecundum decreta Medicorum influentiæ admittendæ ſunt.

EPISTOLA SECVNDA.

SCIO te non admirari, me hactenus tuis non ſatisfeciſſe literis: namque apprimè cognitum eſt, quam moleſtus eſſe conſueuit, laborioſusq; medendi vſus, ſi non liberè quis, ſed conductus mercede, omnibus ſuam præſtare operam debeat: pariter neque illud obſcurum eſt tibi, me dies noctesq; diſputationem, de eo quod indicat ſanguinis miſſionem, ſecundum Galeni principia, quam nunc edendam paro, occupatiſſimũ tenere: ſed, quod maiori impedimento fuit quidam Cynicus non ſolum ab hac Prouincia, verùm etiam fecit, vt ab omni erga meos amicos officio deſiſterem; coactus videlicet conſcribere contra ipſum quædam; ſcies cauſſam commodiori tempore, & quale id ipſum ſit. itaq; his ego impeditus, agere tecum ſilentium fui coactus: quamobrem nunc ab hominis huius moleſtia, & ab ęgrotorum multitudine liberatus, antequã ad inſtitutum meatum lucubrationum laborem deueniam, conſtitui dare tibi literas, vt cognoſcas, Valteri, me habere nihil antiquius, quã tueri veritatẽ: quod me feciſſe facile iudicabunt, qui libros meos de hominis procreatione, ac partu perlegent, & quæ in præſentiarum ad te ſum ſcripturus. Interim gratias habeo tibi immortales, quod me tanti facias; quia placet mihi Hector ille Neuianus, qui non tantum ſe laudari lætatur, ſed addit etiam à laudato viro. Hæc aliàs. Accedo nunc ad tuas literas, quarũ argumentũ, ſi benè proſpicio, duplex mihi videtur. Vnum qualis ſit ratio, & modus intercalãdi à me prætermiſſus, libro primo de hominis procreatione, ac partu. Alterum verò, quod putas ſatisfieri poſſe ab Aſtrologis meis rationibus. Hic de vtroque dicturus argumento, explicabo primum cur modum intercalandi prætermiſerim: Secundò validas eſſe rationes noſtras demonſtrabimus: adhæc verò oſtendam, quomodo cœlum agat in hæc inferiora: Tandem verò manifeſtiſſimum faciam, quod ex Medicorum decretis admittendæ ſunt influentiæ à cœlo procreatæ, quas tamen Peripatetici minimè admittunt. Audias igitur quid ſentiam.

Quantum igitur ad primum attinet, de modo intercalationis, quomodo ſcilicet ſex illæ horæ ſupra 365. dies, ex motu ſolis, ex Zodiaco octauæ ſphęræ, aut primi mobilis, vt ſola ratione contemplantur Aſtrologi, ſuperſint (de qua tamen re copioſè diſſerui, multa pręter aliorũ opinionem ſcribens) nihil diſputaui, quia ad propoſitum inſtitutum minimè pertinebat. Nam de anno, menſe, ac die tractatio inſtituta eſt, vt doceam qũo in vtero gerentibus, hæc computari debeant: idcirco neceſſe fuit docere, quid Hippocrates, Galenus, aliiq; Medici anni, mẽſis, & diei nomine intelligerent: At verò quomodo fiebat intercalatio non item, quia meo propoſito in vniuerſali ea duntaxat ſufficiebat declaraſſe. Quamuis ex his etiam modus particularis deduci poterat, cũ dixerim intercalationem à Cę-

ſare Auguſto anno tertio ſui cõſulatus, cũ eſſet Pont. Maximus, fuiſſe emẽdatam plurimum diminutis diebus intercalaribus, & ſingulo quaternio intercalationem faciente: hic enim annum metitus non à Lunæ, ſed Solis motu, conſideransque illum perfici curſu dierum 365. & ſex horis: quæ multiplicatæ quater faciũt diem naturalem, hunc addendum anno quarto curauit, qui annus dicitur biſſextilis: & biſſextus additus dies 38. qui perinde, atque prior ſexto calendas Martias nuncupabatur: & Celſus ff. de verborum ſignific. dicebat, id biduũ haberi pro vno die. Hic modus erat à priori diuerſus: quia hic ſexto calendas Martias adueniebat: ille 22. Februarii: hic diem vnum intercalabat: ille 22. aut 23. hic quarto quoque anno, ille annis alternis. Hæc ſanè manifeſtam faciunt intercalandi rationem, quæ noſtris temporibus in communi eſt vſu, verbis Aſtrologorum prætermiſſis, quę particularius id explicant ex motu ſolis ſupra Zodiacum, (vt tu optimè deducis) quoniam igitur in hoc vno conſiſtit veritas, quod annus noſter biſſextilis, fit quarto quoque anno, fitque, quoniam ſex horas ſupra dies naturales ſuperſunt 365. harumque debebat multiplicatio quater fieri, ſi diem naturalem conſtituere volumus, particularem computandi rationem, quomodo ſcilicet ſex illæ ſuperſint horæ, Aſtrologis demonſtrãdum volui relinquere: quemadmodum alia ferè ſexcenta de anno ab illis copioſiſſimè tradita: & hæc de ipſa intercalatione ſufficiant.

Quod vero attinet ad ſecundam diſputationem: declaraui octimeſtrẽ partum poſſe aliquando vitæ ſuperſtitem euadere. Rationes Hippocratis nihil contra noſtram opinionem concludere: opinionem Aſtrologorum merum eſſe figmentum. Verum quia putas rationibus meis poſſe ab illis ſatisfieri, anteaquam ego ad ea perueniam, quæ doctè admodum ſcripſiſti, volo prius quædam ſupponere ad totius quæſtionis explanationem maximè neceſſaria: quorum quædam ſcripta ſunt libro ſecundo de hominis partu, quædam verò nunc primum explicabuntur.

Primum igitur ſuppoſitum ſit, Aſtrologos putaſſe, octimeſtrem partum haud eſſe vitalem ob Saturni aſpectum, hunc ſolitariam faciunt cauſſam mortis ſine concurſu cauſſarum particularium: quamobrem ex aſpectu ſolo mortem contingere fętui ſignificarunt. Secunda Hypotheſis eſt, quod effectus, ad cuius productionem cauſſę concurrunt plures neceſſarię, ab illis cauſſis perpetuò dependet in eſſe & conſeruari: quòd ad eius eſſentiam conuenire omnes debent. Tertia eſt, quod res, quemadmodum ſe habet ad eſſe, ſic ſe habet ad cognoſci: cuius enim multæ ſunt cauſſæ, perfectè cognoſci non poteſt, omnibus cauſſis minimè perfectis.

His in hunc modum ſtantibus, rationes omnes, quibus nos ipſi vſi ſumus, eò tendunt, Valeri, vt oſtendamus, ex ſolo aſpectu Saturni cognoſci nõ poſſe, quod mori debeat fœtus octimeſtris: quia multæ cauſſæ ad illius eſſentiam concurrunt: ergo ex vna duntaxat nequit cognoſci. Aſpectus malus tanquam vniuerſalis cauſſa poteſt minari malum: cauſſæ particulares immediatæ poſſunt ita quidem obſiſtere illi, vt ſuperata illius malignitate, euadere ſuperſtes vitæ poſſit infans: quam rem multis rationibus comprobaui: ex his perſoluis duas, quarum prima ſic habet.

Data veritate opinionis Aſtrologorum ſequeretur, quod interirẽt omnes fętus ante maturitatem: quinimo quod nullus cõciperetur. Aſſerunt primo menſe dominari Saturnum (hoc volo vt in illorum gratiam admittamus) interim tamen interrogemus, an ſemper Saturnus frigidus ſit, & ſiccus? id certè admittunt. Rurſus perquiramus, an frigidum & ſiccum ſemper vitæ principiis repugnet, nec ne? id quoque (niſi fallor) concedent. Tertio ſciſcitemur, an propter hanc cauſſam octauo menſe nati moriantur? id vtique fatebuntur. Cur itaque primo menſe fit generatio, & conceptio? & ſi fit, cur non accidit ſtatim abortus? iam quidem in primo, vt in octauo menſe idem regnat Saturnus. Cur itaque incolumem pertranſire ſinit primum: octauum autem neci ſubiectum facit? ſi grandior fœtus reſiſtere illius actioni non poteſt, cur poterit

resistere tantillus? si de quo magis videtur inesse, & non inest; multò minus inerit, quod minus videtur.

Huic rationi sic satisfacient Astrologi (iudicio tuo) nempè, quod Saturnus frigida, & sicca qualitate hæc inferiora irradiat in primo mense, quo semen satis est humidum, & calidũ fit, q; ex illius qualitate calor seminis, humorq; temperetur: & à nimio calore spiritus, & rationes illæ seminales non absorbeantur: pariter siccitas humiditatem, & fluxibilitatem seminis continet, firmat, coercet: quare non solum Saturnus generationem prohibet: imo sine ipso generationem fieri non posse, dicunt Astrologi. In octauo autem mense non est finis, & propositum huius astri, cum naturale agens sit, & sine intẽtione agat, quicquam perdere, vel alicui inimicum esse. sed refrigerare & exsiccare irradiatione sua, (vt dicis) quæ cum fœtui octimestri alioquin imbecilli, & valetudinario soleat contingere: qui fieri potest cęteris caussis non fauentibus, vt non pereat? siquidem calori frigiditas aduersetur, & humori radicali inimica est siccitas: sicque (vt putas) obiectioni satisfactum arbitrantur.

Multa quidem obiici possent solutioni huic, quæ volo libens prætermittere, cum solutio meæ opinioni faueat, admittens à solo aspectu Saturni non caussari mortem, sed à planeta, vt caussa vniuersali, & à secũdis caussis, vt ab immediatis, tradit. Haud enim cœlo efficientiam denegamus. Sed à cœlo sufficientiam tollimus: à cœlo cum secundis caussis vis efficiendi sufficiens proficiscitur. Igitur sicut effectum non producunt ex se, ac simpliciter caussæ proximæ: sic neq; prima caussa vniuersalis simpliciter absoluit effectum: vtriusque cõcursus necessarius. Quærentibus igitur nobis ab Astrologis, cur octimestris fœtus necessario moriatur; dicent influentiam Saturni id facere: in qua re aberrant. quia Saturnus non est caussa totalis, & vt sic dicam, completiua, sed particularis est caussa: ad cuius positionem non sequitur effectus, nisi ex parte, & meritò sui, nõ ex parte caussarum omnium, ex quibus res in esse constituitur. Si dicerent mortem inferri à Saturno cum secundis caussis, nullam haberet responsio difficultatẽ. aut etiam si dicerent, inferri mortem à Saturno, quantum sit merito sui; rursus haud essent mentiti. Sed certè cum absolutè pronuncient, falsum dicunt. Potest contingere particulares, proximasq; caussas validissimè reluctari, vt affectus minimè sequatur. Cum itaque ad rationem dicunt: fit generatio, quia calidum, humidumq; contemperatur cum frigido sicco, vniuersalis caussæ actionem cum particulari connectentes, ostendunt particularem posse vim vniuersalis obtundere: In octauo mense perditur, quia illo agente in fętũ imbecillum & valetudinarium nihil obest actionis illius perfectioni. hic mortis caussæ duæ: vniuersalis, Saturnus: particularis, imbecillitas, & valetudo pueri; ex his colligo hanc respõsionem confirmare, quæ diximus.

Deinde verò hic addẽda sunt duo: horum primum est, quod in generationẽ perficienda nulla quidem adest necessitas cõtemperationis huius: nam, si Peripateticis credimus, à quibus nũc minimè arbitror discedendũ; calidum, & humidum duplex: aliud insitum, innatumq;: aliud autem excrementitium. innatum satis contemperatum est ipsa natura ex omnibus qualitatibus cõstans vincente calido, cum humiditate aeria, & mediocriter aquea quo abundat fętus & quæ crescunt corpora, vt dicebat Hippocrates, & quanto maior fuerit huius copia, tanto vita fuerit diuturnior. Hoc haud indiget Saturni contemperatione, quia calidum ab elemẽtali frigiditate pro illius proportione, & conuenienti symetria, vt humidum à sicco terreo cõuenienti modo temperatum est. Hęc sanè Medicorum sunt, quod te nõ fugit, atque Peripateticorum decreta. At verò excrementitium humidum fortasse poterit contemperari. Scio, mi Valteri, tibi cõpertissimum esse, quod dico. Nempè Peripateticos, influẽtias ab Astrologis admissas negare, cum putent cęlum agere in hęc inferiora, non per influentias, sed per motum, ac lumen: atq; tandem illos nihil concedere, quod à sensibus non ducat originem; aut sensatum non sit. hac de re quædam infra dicemus ex Medicis. Alterum verò est, nullam subesse necessariã caussam, qua statuere debea-

mus omnem octimestrem fętum esse imbecillum, atque valetudinariũ, vt cõtra sententiam Hippocratis, libro secũdo de partu, demonstratum est à nobis. Quã-obrem si fuerit validus, ita vt possit caussæ vniuersali resistere, viuet ille quidem; quamuis raro, in qua re conuenit cum partu septimestri: nam hic etiam raro viuit, dicente Hippocrate. Ex multis enim pauci sunt vitæ superstites: & hæc de prima ratione dixisse sufficiat.

Octauo mense dominari Saturnũ cum dixerint Astrologi, ego reprobaturus hanc opinionem eiuscemodi ratione sum vsus: quod sequeretur semper omni mense, die, hora, momento dominari Saturnum. Quodq; vno, & eodem tempore duo dominarentur Planetæ, hæcque fuit ratio particularis circa influentiam Saturni. Huic rationi, dicis, Astrologos esse responsuros, dicentes actiones, & dominia superiorum determinare, & cùm vniuersales, & communes sint caussæ indiuiduari non ex illorum ratione, cum illis ordo sempiternus sit mouendi, & irradiandi, sed respectu horum inferiorum effectuum, qui cum ab ipsis communi, & in vniuersali modo agentibus dependeant, præ eorum ordine, tum in vita, tum in ortu, & occasu actiones eorum proportionatas, & coæquatas tempori suarum mutationum Astrologi appopriauerunt: ita enim quotidiana experientia docet: sic patres antiqui obseruarunt, quos Moderniores etiã insequuntur, & ob id illis duabus, meo iudicio, valde Astrologorũ placita ferientibus rationib. responsum volunt. Recognosco solutionẽ: sed tamen patitur maximam difficultatem. nam omne agens agit per se continuo, per modum suæ naturæ. Iam quidem Saturnum agere per influentias (vt dicunt) frigiditatem |& siccitatem supponamus. Aget igitur modo suæ naturæ conuenienti, nempè in vniuersali. In particulari nunquam aget: nam particularis actio est proximioris caussæ. Qua itaque ratione, vno & eodem momento aget, & non aget? dominabitur, & non dominabitur? secundæ caussę recipient aliquando illius vim, aliquando non recipient? Cur Saturnus in hoc momento dominabitur Platoni, & non Socrati? non igitur valebit Saturnus assumere sibi particularem Mensem, in quo suam actionem exerceat: sed imprimit ille omni tempore vniuersali modo, particulari autem nunquam imprimet.

Verùm quia hæc ab altiori principio dependent, nempè à modo secundum quem cœlum in hæc inferiora agẽs, generationis, & corruptionis author esse dicitur: volo hic quædam afferre in medium huic disputationi peropportuna: hac tamen lege, Valteri carissime, vt certo persuadeas tibi, me nihil posse tum in hac re, tum in aliis omnibus meditari, & cõscribere, quod possit fortasse ob difficultatem satisfacere vndequaq; iudiciosis hominibus: quia certè neq; ingenii mei id patitur imbecillitas, neque labores in Galenũ suscepti: duxi tamen in tui gratiam scribendũ quod sentio: tu verò pro tua modestia, quale id cunque sit, libẽter legito, & an fuerim veritatem assecutus, pro tua doctrina diiudicato. Supponamus itaque primum ex Peripateticorum sententia, cœlum ipsum non produxisse simpliciter elemẽta, & mixta, quia hæc semper fuerunt: loquor ex illorum sententia, quia scio, & profiteor, falsam esse hanc opinionẽ, simpliciter loquẽdo: quoniam Dominus dixit, facta sunt: non loquor hic, vt Theologus, sed vt Philosophus Peripateticus. Cum igitur æterna sint elementa, mixta æterna, qualitates elemẽtorum ab æterno, quomodo ad generationem elementorũ mixtorum, & qualitatum elementarium, earumdemq; conseruationem concurrit cęlum? Tribus inquam modis. Adæquando qualitates elementorum, augendo, & diminuendo. Oportebat enim aliquando pro quorundam mixtorum generatione, æquare ipsas qualitates, aliquando augere, & nonnunquam minuere ipsorũ vires. Hoc autem tanti est momẽti, vt nisi hoc ipsum fieret, vel sese omnino destruerent res ipsæ, vel non agerent inter se: Illud non permittitur à Natura, quæ sanè intendit perpetuitatem rerum, hoc autem est impossibile: quia cum perpetuitas numero nequeat consistere, opus fuit, illa aliquando corrumpi: non quod natura per se intendat corruptionem, sed vt generet, vtq; res faciat successione perpetuas. Habebit igitur cœlum instrumentum aliquod à natura sibi concessum,

ſum,quo hæc faciat: ſic enim cõueniebat,vt hoc duce nũc adæquet,nunc adaugeat,nunc diminuat elementorum vires,Nolo vt diſcedamus à ſenſu:nã Peripatetici nihil ponunt,quod non oriatur à ſenſu,vel ab iis,quæ à ſenſu proficiſcũtur. videmus equidem in cœlo adeſſe duo,motum ſcilicet,ac lumen,à quibus omnia fiunt,& conſeruantur:idcirco hiſce duobus inſtrumentis vtetur,cœlũ in effectu in hiſce rebus inferioribus producendo. Duo facit motus,tum ignẽ detrudit in hęc inferiora,ad eorum generationem,quæ fiunt ex quattuor elemẽtis, tum lumen circumfert per vniuerſum mundum,quod cauſſa eſt omnium effectuum à cœlo pendentium,& huius ipſius beneficio præcipuè omnia producũtur.Sed quomodo id efficiat,ambiguum eſt.Per ſe lumen producit qualitatem calidam:talem enim habet naturam,vt ſolam caliditatem producat:Alias qualitates frigiditatem,humiditatem,ſiccitatem ex accidenti.Intendens enim cœlum beneficio luminis calefacere,aliquãdo minus calefaciens quam intendat, refrigerat, humectatque: Vapores enim & exhalationes ex terra,& aqua elati vſque ad mediam regionem aeris,aut etiam primam,deſtituti à calore,qui ſuſtulerat,deorſum pro ſua grauitate cadunt refrigerando, & humectando terrã,& aerem.Dum verò cœlum calefacit terram ex accidenti,ſiccitatem inducit humore corrupto: quod autem hæc tres qualitates fiant luminis beneficio, præterquam quod ſenſu eſt perſpicuum, ab Ariſtotele ſatis euidẽter dictum eſt libro Meteorologicorum primo, agens de pluuia,niue,grandine aliiſque meteorologicis impreſſionibus. Quamobrem frigiditas,humiditas,ſiccitas,cum fiant à lumine ſed præter intentionem naturæ ipſius,ex accidenti,cœlum illas producit. Neque ſequuntur abſurda,quæ à D. Thoma ponuntur, quod ſcilicet hæ qualitates non eſſent per ſe in vniuerſo,ſed per accidens:quodque formæ ſubſtantiales inferiorum corporum non continebuntur in virtute corporum cœleſtium.Quoniam etſi horum productio ex accidenti ſit,non tamen ita ſunt ex accidenti,quin ſequantur ex aliqua neceſſitate ipſius naturæ: caliditas igitur per ſe & primo à luminis natura prouenit: aliæ qualitates,luminis ratione, ex accidenti,neceſſario tamen propter conſeruationem vniuerſi,ac etiam per ſe producuntur. Quale ſit id,quod dico,ab Ariſtotele declaratum,leges quarto de animalium generatione agens de ortu maris,& fæminæ. Vbi videbis fæminam eſſe veluti quoddam monſtrum,& generari per accidẽs, quia præter intentionẽ generantis: at per ſe generari, quamuis non primo, ſi generationem referas ad cauſſam,cuius gratia, & ad finem, nempè ad humani generis conſeruationem: idcirco dicebat Philoſophus. Verùm hoc neceſſariũ eſt naturæ, genus enim ſeruari oportet eorum,quæ fœmina, & mari diſtinguuntur.] Et parum ſupra dixerat:qui enim parentibus ſimilis non eſt, monſtrum quodammodo eſt. diſceſſit enim natura in eo quodam modo ex proprio genere: cępitque degenerari, ſed initium primum degenerandi eſt fœminam generari, non marem] Vides igitur quomodo ſunt in vniuerſo per ſe, & quomodo per accidens tres illæ qualitates: nam ſi conſiderentur ratione luminis à ſole profecti, per accidens in mũdo ſunt, & ipſarum corpora non contineri in virtute ſolis,&corporum cęleſtium,quatenus talia ſunt corpora, & ſic ſunt veluti monſtra: at ſi conferantur ad finem,qui eſt rerum perpetuitas,vniuerſi conſeruatio,per ſe ſunt, atq; ex neceſſitate: neq; abſurdum eſt diuerſis conſiderationibus per accidẽs dici aliquod,& per ſe,vt de fæminæ procreatione diximus. Sic ego rationem D. Thomæ perſoluo,cũ certò ſciam,Ioannem Picum aliã ab hac longè diuerſam excogitaſſe,quæ ſanè patitur difficultatem maximam,atque ſi bene ac diligenter conſideretur, non tollit dubitationem propoſitam, idcirco nouam hanc excogitare placuit: quæ ſi tibi videbitur conſona veritati,lætabor plurimum, ſin minus,mutabo ſententiam,abs te ipſo aliquando veritatem edoctus.Quamobrem(vt ad propoſitum noſtra cõuertatur oratio) dedit natura inſtrumẽtum cęlo, quo per ſe caliditatem induceret,lumen ſcilicet ipſum,non dedit inſtrumẽta, quibus aliæ qualitates producerentur:quia cum non per ſe primo, ſed ſecundo à natura intentę ſint, debebant carere proprio inſtrumento,potiſſimum,quia corpus cęleſte ob eius præſtantiã,

& perfectionem non erat capax, nisi luminis. Hæc igitur, mi Valteri, si ex Peripateticis pensiandū est negotiū, ea sunt, quæ à cœlo fiūt, & ab iis quæ sunt in cœlo: atque tandem hic modus est, secundum quem in hæc inferiora agit. Itaque cęlum non producit omnia necessariò, tum quia non producit res ipsas, vt supposuimus, tum quia non est infinitæ virtutis: idcirco potest ei obsisti, potestque repugnari, vt sensus manifestissimū facit, cum videamus alios pati sub ipso aspectu, alios non pati: neque enim actiones fiunt, nisi in patiente bene disposito. Hæc quæ longo sermone, sed tamen (nisi fallimur) necessario diximus, eo pertinent, vt ostendamus à cœlo non fieri aliquid necessario, sed omnia vniuersali quodam modo procreari: caussasque vniuersales ad effectum producendum non esse natura sua sufficientes, nisi simul cum secundis caussis connectantur; & ab his simul annexis omnem actionem fieri, quam tamen rem, nescio an admittant Astrologi iudiciarii, qui simpliciter, & absolutè prędictiones ex cœlo deducunt, tanquam, si cœlum solitaria esset omnium actionum caussa, atque multis vtuntur rationibus, vt id ipsum persuadeāt, quas hic minimè sigillatim repetam; nimis enim longa esset tractatio, sed duas, aut tres afferro libenter, quibus etiam tu vsus es, multo tamē maiori modestia, adhibitaque distinctione, qua omnes è medio tolluntur difficultates. Omnis (inquiūt) virtus huius mundi inferioris necessariò administratur ac regitur à cęlo: ergo ex aspectu cęli fieri pōt, vt de mūdi huius affectionibus veræ prædictiones fiant: etenim cognita caussa illius effectus, vt caussa est, statim etiā cognoscitur effectus: Cum scire opinemur vnumquodque, & non sophistico modo, quod est secundum accidens, cum cognoscimus caussam, propter quam res est, & quoniam illius est caussa, non contingit aliter se habere. si ergo cœlum regit, gubernatq; omnem virtutem huius inferioris mundi, erit illius virtutis caussa: alioquin neque gubernaret, neque regeret. Si caussa, ipsa igitur cognita, scitur effectus. Gubernari autem à cœlo omnia docuit hisce verbis Philosophus. Est autem ex necessitate contiguus mundus iste superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur. Particularius modo rationem statuamus de morte, ac vita. Sunt hæc actiones quædam, & effectus mundi huius. Ergo ab aspectu cœli habemus quòd viuamus, & moriamur: quod septimo mense viuat aliquis, & quod octauo non viuat. quod particularius idem author confirmat libro secundo de generatione, & corruptione: vbi ortum, interitum, mortem, vitam ex cœli motu habere originē voluit à contextu, si benè memini 56 vsq; ad 59. ac rursus primo cœli 100. sempiternitas est a semper esse desumens denominationē, immortalis sanè atque diuina, vnde & aliis communicatum est, esse, & his quidem clarius, his autem obscurius, & esse, & viuere] hæc, & alia eius generis quamplurima comminiscuntur Astrologi, pro quorum solutione, quid ego sentiam, nunc explanabo.

Omnem virtutem regi, & gubernari à cœlo, duplicem habere sensum potest: vnum est cœlum producere omnem virtutem, & effectum huius mundi ex necessitate, alter quod gubernat virtutes omnes, idest quatuor primas qualitates & quę oriuntur ex ipsis: nunc æquando illas, nunc augendo, nunc minuendo, vt æterna esset rerum generatio; prior sensus omnino falsus: posterior verus, & necessarius: quia certe non pendent effectus eiusmodi à cęlo ex necessitate quadam naturæ, sed tanquam à caussa quadam vniuersali: idcirco non ita gubernat, vt solus producat effectus, aliis etiam caussis particularibus minimè concurrentibus, quę non pendent à cęlo, neque à cęlo coguntur, cum non sit infinitæ virtutis: sic interpretatur seipsum Aristotel. libro 4. Meteor. agens de Luna cap. decimo. Qamobrē conducit ad omnes generationes, perfectionesq;. calores enim & refrigerationes, cum moderatione quadam, generationes sine moderatione, corruptiones efficiunt] ad huc apertius subsequitur: nam vt rerum minus principalium circuitus sequatur magis: rerū magis principalium circuitus ratio est: vitam enim quandam, & ortum, & interitum, vel statum esse fateor: conuersionis

nis verò eorum ſyderum alia fortaſſe principia ſunt: natura igitur ita ſibi vult, vt eorum numeris generationes, & obitus numeret: ſed exquiſitè id facere nequit, propter materiæ inexquiſitionem: & quod multa principia incidunt, quæ generationes deſtinatas ſecundum naturam, & corruptiones impediunt, atque ita cauſſa ſit earum, quæ præter naturam] modo ad Ariſtotelem, cũ dicit: oportet mundum hunc contiguum fuiſſe ſuperioribus lationibus] dicimus meritò appoſuiſſe talem eſſe mundum: quia alioquin non potuiſſet ad hunc mundum peruenire lumen ipſum, ſi quidem opus eſt, vt prius educatur ex potentia materię ignis, aeris, & aquæ, & huiuſmodi. alioquin crearetur: nec obſtat, quod dica-
10 tur eſſe ſpirituale, fieriq́; in inſtanti; quoniã hoc accidit, quia non habet contrarium, & non habet qualitates conſeruantes ipſum in medio: extenditur tamen ad extenſionem materiæ. niſi ergo iſta corpora fuiſſent cõtigua, inter ipſa fuiſſet vacuum, vel aliud corpus. ſi vacuum, non potuiſſet educi lumen ex potentia ignis, & aeris: quia per vacuum non eſt actio, ſiquidem fit omnis actio per contactũ. ſi fuiſſet aliud corpus medium, tunc lumen non potuiſſet pertranſire, & non eſſet eductum de potẽtia ignis, cum actio omnis, vt dixi, fiat per contactum. neceſſe igitur fuit, vt virtutes omnes tam elementares, quàm ex elementis profectæ gubernarentur à cœlo, fuiſſe hunc mundum illi contiguum.

Ad alias authoritates Ariſtotelis hæc eadem videtur explicatio ſatisfacere:
20 quia certè quidem omnia habent & viuere, & eſſe à cęlo, tanquam ab vniuerſali cauſſa potioriq́; . ideoq́; omnia poſſunt cognoſci in vniuerſali, quod ſcilicet pertinet ad illam cauſſam: at quod ſimpliciter & abſolutè omnia deducantur, hoc ipſum eſt quod nos omnino denegamus: quia res ipſæ, vt ſe habent ad eſſe, ſic ad cognoſci. A cœlo in vniuerſali dependent: ergo à cęlo vniuerſalis illorum cognitio deduci poteſt, vt propria, & particularis, exactaq́; cognitio fiat ex omnibus principiis, cauſſiſque, vſque ad elementa, vt Ariſtoteles docuit, opus eſt. Concludamus ex malo aſpectu cęli poſſe nos cognoſcere, fœtum non fore vitæ ſuperſtitem, aut mortalem, non propriè, ſimpliciter, & per ſe, ſed in vniuerſali: quatenus inquam, ad ipſum aſpectum pertinet; in particulari verò ſimpliciter
30 & exacte cognoſcitur ex omnibus ſuis cauſſis vniuerſalibus, & particularibus ſimul connexis, à quibus res ipſa conſtituitur.

Hactenus demonſtratum, quomodo mundus hic inferior à ſuperioribus lationibus gubernetur: quodq́; cœlum, & quæ ibi ſunt vniuerſales, ſunt & communes cauſſę effectum, non completiuæ, nec perfectæ, cum ſit neceſſarium, ſecundas immediatas, ac proximas concurrere: Peripateticosq́; ipſos duntaxat in cœlo cognoſcere inſtrumenta omnium effectionum, lumen, ac motum: negare autem prorſus influentias, vt Auerroes teſtatur: & qui cum eo de Philoſophia Peripatetica melius videntur ſentire. Tamen eas admittendas eſſe dico aut certè (ne fiat lis de nominibus) aſſero agere cęlum in hęc inferioa non ſolum
40 motu, ac lumine, ſed etiam quapiam magis particulari virtute, ſolis effectionibus à nobis cognita (quã vnuſquiſq́;, vt voluerit, nuncupare poteſt) de qua facultate mihi Galenus videntur locutus, & Auicẽna, vt alios Medicos taceam: quorum verba ſic habent: Auicenna quidem cum de febris peſtilentis origine pertractat, ad cęlum referre cauſſam videtur, his verbis.

Primo cantica & 2. cali.

Et principium omnium harum alterationum ſunt formæ, ex formis cœli: facientes eſſe neceſſarium illud, cuius aduentus ignoratur; licet ſint quidam, qui dixerant, in eo aliquid non proportionatum ad cauſſam eius: immo oportet vt ſcias, quod cauſſa prima longinqua ad illud ſunt figuræ cęleſtes, & propinquæ diſpoſitiones terreſtres] & alio in opere. Multoties quoque eſt principium cor-
50 ruptionis aeris ab ipſo aere propter illud, quod ei aduenit ex corruptione viciniaeris, aut propter rem cęleſtem, huius qualitas non eſt hominibus cognita] & multò ſanè apertius alibi.

Lib. 4. tit. 4 fen. 1. cap. 1.

Li. 1. fen. 3. doc. 1. cap. 1. H.

Si etiam ſtellæ, quæ dicũtur infortunatæ, fuerint in exaltatione ſua, ſignificabunt ſuper corruptionem animatorum: ſi vero quæ fortunatæ dicuntur, fuerint ibidem, ſignificabunt ſalutem earundem omnimodam] hæc ex Auicenna.

Primo cantica tract. 1. aphor. 104.

Experiamur an aliquid ex Galeni monumentis inueniri possit, quod hisce dictis respondeat. Extat locus ex libro tertio de diebus decretoriis, qui omnem dirimere litem videtur: huius verba sic habent.

Cap. 6. Porrò illud denuo repetendum verissimum semper esse comperimus, ab Aegyptiis Astronomis inuentum: Lunam non modo ægris, sed etiam sanis, dies quales tandem futuri sint, posse prænunciare. Si enim ad planetas temperatos steterit, quos iam, & salutares Latini, ἀγαθοποιοῦ Græci nominant, faustos ac bonos producere: si ad intemperatos graues, molestosq; . fingamus homine quodam nascente salutares planetas in Ariete: malignos in Tauro esse: is homo nimirum cum Luna in Ariete, Cancro, Libra, & Capricorno fuerit, pulchrè deget: cum verò Taurum ipsum vel tetragonum aliquod, vel diametrum signum occupat, malè tunc, & molestè vitam transiget: atq; iam morborum initia huic cum Luna in Tauro, Leone, Scorpio, & Aquario fuerit pessima: sine periculo autē, & salutaria sunt, cum Arietem, Cancrum, Libram, & Capricornum Luna permeat. Adhæc alterationes magnas quas in tetragonis, & diametris per septimanas fieri diximus, in lethalib. quidē morbis, lethales & ipsas: salubribus bonas inuenire necesse est. Quamobrem Hippocrates damnat maximè mutationes, quæ in diebus decretoriis ad peiora declinant: quippe quod lethalis morbi symtoma sit, quemadmodum (vt arbitror) benigni, seu ad sanitatem tēdentis contrarium. Quod si quis, & huius ipsius caussam, cur quadratę, & diametræ stationes sint potentissimæ quærat, is longè a proposita disputatione digreditur: nam in pręsentia non primas caussas omniū, quæ ad Astronomiam pertinent, sed quę proposito nostro conducant, inquirere cogitamus] & parum postea subdit confirmans, quæ supra dixerat.

Cap. 1. eodē. Atq; hoc, præterquàm quod Astronomis inconfesso est, integrum est, & ibi obseruari: sin autem huiusmodi deprecaris, nec his, qui obseruarunt fidem adhibes, indubiè sophistarum vbique nunc obstrepentium aliquis es, qui ratione manifestò apparentia nos approbare postulant: cum è contrario ex euidenter apparētibus abditorum ratiocinatio indaganda esset] hæc ille.

Verùm, quia puto, nunc duntaxat ex multis locis mihi hanc rē obiter in præsentiarum tractanti, sufficere, finem dicendi facio; te quidem admonens, plura huius generis in epistola ad Franciscum Cirochum Fulginatem contra Medicos quosdam recentiores, & præsertim Ioannem Picum, inuenturum, cui multò antea responsionem dedit Lutius Bellantius Senensis libris suis pro Astronomiæ dignitate conscriptis.

Sed quoniā videor in proposito argumento digressus fortasse magis quàm vellem, & quàm tuæ occupationes patiantur, Valteri, finem dicendi faciens, hoc vnum pro coronide scripsisse volui, si hęc tibi satisfacient, tuæ erunt laudes, cuius caussa scripta sunt: Sin minus, excusabis Augenium, qui in tantis laboribus, in re tam difficili, homo ingenio parum perspicaci, haud omnia consequi potuit, quę alius assequi diligētius potuisset. Vale, & me, quod facis, ama. Antoninus noster tibi salutem plurimam dicit. Ex Tollentino die 17. Aprilis, 1570.

IVLIO BOSSELLO ARETINO STATVS Ecclesiastici generali Protomedico.

Defenditur epistola secunda libri sexti; quam Bossellus sigillatim euertere suis literis ad Plinium Melum conatus est.

EPISTOLA TERTIA.

PLINIVS Melus nostrum vtriusq; amicissimus, tuas ad illum legendas mihi obtulit literas: in quibus doctè admodū de affectionibus præter naturā coniugis illius edisseris, illūq; pro ingenti alioquin erga me ipsum pietate admones, vt tuo nomine me loci cuiusdam Hippoc. in libro de morbis cōmonefaciat. quo opinionē erga me tuā adeò euidenter confirmari putas, vt euidentius ferè nihil.

Vix

Vix dici potest, Bosselle carissime, quam fuerim primo ingressu ex illarũ sectione oblectatus: tum quia recognoui eam doctrinã, quam de te passim omnes prędicant: tum quia etiam perfricarunt mihi consuetudinis, quæ nobiscum olim in Gymnasio Pisano, & Romę demum interfuit, dulcissimam recordationem. Hac de caussa factum est, vt nõ contentus me semel legisse, nã certè magis deuoraui, quàm legi, secundò, ac tertiò legere statuerim. Quod dum efficio, in scopulos quosdam incido, qui negocium mihi effecerũt maximũ. Siquidem iam primum obseruaui, te opinionẽ longè diuersam habere ab ea, quam ego in Plinii gratiam ex tempore conscripserã, cum omnia à me cõscripta subuertere coneris. dumq; 10 tuarum rationum vim ipsam contemplor, & inuicem cõfero cum meis, inuenire mihi videor multò infirmiores esse tuas, quàm sint meæ: sed quia vnusquisque sui ipsius, suarumq; rerum amore captus, facilè decipitur, quamuis in iis diiudicandis ingentem adhibuerim operam: experiri tandem decreui, an res haberet, vt putaram: nullaq; commodior mihi visa est ratio tractationis huius, quam ad te statim literas dare, vt vltro citroque agitatis rationibus, veritas conspicua fieret; Putans te Philosophum egregium, Medicum insignem omnia boni, & ęqui, (vt decet) consulturum. Verùm, vt hæc fieri possint commodius, summam eorum, quæ abs te scripta sunt, afferre in medium constitui: atque in his sigillatim adnotare, quæ mihi parum satisfaciant: hæc satis præfatus ad rem venio.

20 1 Primum dicis affectus esse duos, alterum in capite neruos offendẽtem: alterum verò febrem. hanc dicis formatam, si nõ caussatam, ex indispositione vteri.

2 Secundum, hanc febrem hecticam esse, atq; fieri ex descensu humoris à capite per medullam spinalem.

3 Tertium, febrem in habitu primi ordinis, facilem habere curationem, & me culpandum esse, quòd affectum incurabilem dixerim.

4 Quartũ, conuulsionem nõ fieri à febre, nec à siccitate, sed ab ipsa plenitudine cerebri. idque tripliciter comprobare videris mihi: primum, quia multò antea descensum à capite ad humeros, & thoracem persensit: dein, quia stuporem patitur: ac postremò, quia sternutationes adsunt cõtinuę, à quibus humores per 30 spinalem medullam descendunt.

5 Quintum, vigilias illas intẽsissimas multorum dierum, nempè 24. aut 25. à siccitate non deducere originem, sed à dolore, aut à febre.

6 Sextũ, Galenum dixisse omnẽ cõuulsionem subito factã fieri à plenitudine. Sed non valere consequentiã, si paulatim fiat à siccitate proficisci: quia fieri possunt ab ægritudine: sic enim te fuisse loquutum recordaris.

7 Septimum, omnino à lacte cauẽdum, quia replet caput, vt etiam ab embrocationibus.

8 Adhæc cauterium in Inio igne auctuali faciundum.

9 Postremum inungendam spinam ex vnguẽtis calefacientib. siccantibusq;: 40 vt ex adipe (vt audio) antheræ auis, oleo magni Ducis Hetruriæ, & oleo ex nucibus muscatis præparato. Hæc summa est epistolæ ad Plinum. Nunc ad horum examen accedo.

Quantum igitur ad primum attinet, pati quidem caput atq; etiam vniuersum corpus admitto libentissimè. in hoc autem dissentio, quod affectum siccũ adesse tam in capite, quàm in corde, solidis partibus, ac neruis mihi videor certissimus. Mox autem dissẽtio, quod neruorum affectum à sicca intemperie factum fuisse assero, non ex materia à capite destillante. Quę hoc loco dicimus, habebunt euidentiam, dum caussas illius conuulsionis explanabimus. His interim suppositis, incertum est mihi, Bosselle, quid velis dicere, cum affirmas formatam febrem, si 50 non caussatam ab vtero. Si enim putas ex vtero desumpsisse formam, displicet mihi, quia febris in corde sumit formam suã, qua scilicet febris est, ac dicitur: at si vis dicere, originem extitisse vterum, cur huius dispositio caussa febris nuncupari non debeat, haud video. quia certè cum varii sint caussarum ordines, quædam enim sunt proximiores, quędam autẽ remotiores caussæ; cur igitur ab vteri affectu non fuisse caussatam febrem dicemus? aut, si formata sic, & caussata fuit

febris, quomodo ex fluxione in medullam? niſi putaueris febrem hecticam factam à duplici cauſſa: quarum vna ſit in vtero, ſiccum affectum ex vacuatione ſuperflua faciens: altera in capite ex nimia humoris abundãtia deducta; quę res an poſſit conſiſtere in eiuſcemodi febre, tu videris.

Quod verò pertinet ad ſecundum, admitto priorem partem, at minimè ſecundam. Arbitror te, cum dicis, materiam ex capite fluentem, febrem hecticam efficere, in eam ſententiam venire, caſum propoſitum eo modo contigiſſe. addis enim parum infra, eſſe hanc ipſam fluxionem diſſecandam, à qua fit propoſita neruorum affectio, atq; febris. Poſſes etiam interpretari ſententiã, Hecticam febrem ex eiuſcemodi gigni poſſe fluxione. Licet in caſu nobilis Matronæ talis fluxio cã febrẽ minimè concitauerit. Vtraque ſententia ſuſpecta eſt mihi. Prior quidem, quoniam ſi defluxorius ille affectus humidus eſt, ſicq; poſtulat exiccantia pręſidia, quomodo faciet febrem hecticam, ſiccũ ſcilicet morbum? Ac rurſus quomodo humectantia proponis auxilia, quæ indicationibus à te propoſitis, quæ ſiccantia volunt, conuenire non poſſunt? Poſterior etiam diſplicet, quia ſic ponamus (quod ambiguum eſt, vt poſthac explicabo) hecticam ab hac fluxione ducere originem tanquam à cauſſa particulari: oſtendendum fuerat prius, talem extitiſſe hanc hecticam; ſed perluſtremus quid Galenus dicat de cauſſis febris hecticæ, vt certiorem hac de re cognitionem habeamus.

Primum tamen ſupponamus hecticam nunquam coſiſtere, niſi cordis corpus fuerit præſiccatum, aut diſſipata illa humiditate nutrimentali, qua ceu rore omnes partes nutriuntur, & aliquando ſpiritus innati nomine à Galeno nuncupata. Aut carnoſa, & adipoſa ſubſtantia liquefacta: aut tandem membranoſa, & fibroſa prorſus. vel maiori ex parte ſenſus iudicio conſumpta. hęc enim notiora ſunt, quàm quod aliquam explicationem poſtulet. Omnes igitur cauſſas, à quibus plurimum diſſoluuntur ſpiritus, & corpus, aut colliqueſcit carnoſum, fibroſumq; genus hecticam procreare febrem Galenus declarat his verbis.

Quæ febres hecticæ appellantur, duplici via ortum habent, magna quidem ex parte ardentibus febribus, quæ tantum protrahuntur, vt longitudine temporis humorem in cordis corpore contentũ conſumant, vel fieri poteſt, vt eius adhuc magna portio reſeruetur. Illę autẽ non tantũ hecticæ ſunt, ſed tabidę etiam, quæ autem manente ad huc humiditate generantur, vbi cordis corpus occupauerint, hinc maximè accenduntur, quemadmodum lucernę flamma ex fomite. Atque vna quidem expoſita eſt harum febrium generatio. Reliqua autem eſt, cum ſtatim ab initio inuaſerint, ſimilem primum ſui ortum ephemeris faciẽtes, ex triſtitia, aut ira, aut laſſitudine nimia vnà cum ſolis feruore contracta] ac rurſus in eandem verò (inquit) incidunt febrem ex ardentibus, atque acutis febribus plures, qui rectè curati nõ ſunt, ac præſertim, qui cum aquæ frigidæ potu indigerent, præter id, quod eam nõ biberint, nullũ aliud refrigerans medicamen thoraci, ac præcordiis appoſuerunt: ſi verò cum omni huiuſmodi auxilio caruerint, cataplaſmata etiam ex melle, quorum nũc plurimus eſt vſus, vltra modum adhibuerint. iis expeditum eſt iter ad tabem. Si etiam diu febrem tolerauerint ex hepatis, aut ventriculi inflammatione, aliquando autem ex pulmonibus, & thoracis affectibus, ac præſertim ex ſuppurationibus, & phtiſi: ſicuti vero ex his, ita ex hepate, & ventriculo, atque, vt ſimpliciter dicamus, ex omnibus diuturnis inflammationibus, quæ nobiliores partes occupauerunt, adiuncta totius animalis præſertim verò cordis ſiccitate. Nec minus à tali febre ſunt capti, qui dyſenteriam patiebantur. cum ſcilicet inteſtina inflammatione laborarent. in leuitate etiam inteſtinorum, & longo profluuio alterum Græci λειεντερίαν alterum διάῤῥοιαν appellant, cum ſcilicet vel ab initio ſtatim, vel progreſſu temporis febricula inuaſerit, tabidæ febres conſequũtur: & vt ſimpliciter dicam, quando præſiccatum cordis corpus fuerit, febrilem caliditatẽ, quæ cũ difficultate remouetur, acceperit.] Hęc Galenus de febris huius ortu, & cauſis ſcripta nobis reliquit.

Quę ſi vera ſunt, manifeſtum faciunt, nos quidem ab huius decreto ne latum quidem (quod aiunt) vnguem diſcedentes. rectè conſuluiſſe, adeſſe febrẽ in habitu:

bitu:nam præceſſerunt vacuationes maximæ,& continuæ, à quibus humiditas illa naturalis abſumpta fuit,ac ſpirituoſa cordis ſubſtantia,quales fuerũt ſanguinis fluxiones ex vtero,vomitus,ſudores copioſiſſimi,adhęc etiam diarrhęa. Adde his,quod ſubſecuta poſtea fuit febris acuta,poſt cuius mitigationem remanſit febricula illa æqualis,magnis vigiliis comitata,& ſiccitate totius corporis habitus adeo ingenti,vt ego corpus perluſtrans,nihil aliud ferè,quam pellẽ & oſſa viderim. Quamobrem hæc febris non equidem ſtatim,& ab initio,ſed poſt longos morbos hectica facta eſt: manifeſtamq; tum introductæ ſiccitatis in corde, tum etiam in toto corpore ſignificationem perhibet. Non eſt opus,Boſſelle,ac-
10 cedere nos ad deſtillationes capitis per venas in vertebras, vt dicebat Hippocrates,cum febris huius cauſſas inquirimus:quia eiuſcemodi defluxio non fecit hecticam,niſi internis quibuſdam exulceratis partibus,aut genita inflãmatione aliquapiam diuturna,quorum neutrũ adfuit in caſu non vlcus , nec phlegmon. & quam ob cauſſam quæſo fluxio cordis corpus exiccabit? Diu multumq; cogitabis,neque aliam,niſi decipior,inuenies. Hic ego plurimum admiror, quod ſcripſeris,febrem in habitu nõ habuiſſe aliam originem, quàm deſtillationem à capite per verterbas, atque, vt tuis verbis vtar, quod aliter fieri non potuerit. Quid enim?nonne maximæ vacuationes febrem hanc faciunt? nonne inflammationes?nonne febres continuæ?acutæ, diuturnæ?Vigilia, iracundia,ſolis æ-
20 ſtus,mœror,ac id genus alia,quid cauſabunt?Cur igitur tot concurrẽtibus cauſis non putas febrem concitatam fuiſſe ab harum cauſſarum iniuria? Dein verò cur(quęſo) inter cauſſas illam duntaxat admittis,cuius neque Galenus, neque alius quiſpiam,aut ex Græcorum,aut ex Arabum familia medicus mentionem fecit? Hippocratem dices meminiſſe. Haud eſt prorſus verum, Boſſelle. Aliud eſt tabes;aliud febris hectica,vt ſcis. Tabes cum, & ſine febre conſiſtit. Hectica eſt quandoque complicata cum tabe,eſt etiam citra tabem. Oſtenderem equidem id ipſum,niſi cum eo homine inſtitutus eſſet ſermo,qui alios docere profitetur. Docuit igitur Hippocrates tabeſcere corpus ex fluxione à capite ꝑ vertebras:id quod frequẽter obſeruatur,ſed non dixit,pati febrem in habitu. Tabem
30 cũ febre facit fluxio pulmones exedens,ſed non ea,quæ in vertebras,& carnem terminatur. Verùm ne videamur proteruire, in tui gratiam concedamus,deſtillationem poſſe in habitu febrem cõtrahere:neceſſe eſt, vt tu ipſe pariter admittas mea cauſſa,ab aliis etiam fieri poſſe hecticam,quàm à propoſita: quod ſi admiſeris,oportebit oſtendere,quod aliæ non adfuerint cauſſæ, hac duntaxat excepta:atque ſigna pariter oſtendenda,quibus propoſitum ſignificabatur. Quòd ſi dixeris naſci à deſtillatione tabem occultam, & inconſpicuam, tunc inquam, Hippocratem fuiſſe hoc modo locutum in comparatione ad fluxiones illas tres, in oculos,in nares,in aures,de quibus dicebat. Atque hæ ex capite fluxiones ob oculos conſpicuæ exiſtunt] expedit autem hic afferre verba, quæ mihi indican-
40 da Plinio ſignificaſti: ſic enim habent libro de locis in homine. Quum verò in medullam fluxio contigerit,tabes occulta,& inconſpicua oboritur] ex his quidem neſcio, Boſſelle,quomodo deduxeris hanc febrem hecticã ex fluxione in medullam genitã fuiſſe:præſertim quia locus hic non modo verba non facit de eiuſcemodi febre;ſed obſcurus eſt adeò,vt ferè nihil magis,quia de eiuſcemodi tabe ex fluxione in medullam varia mihi videtur hic author ſcripſiſſe. nã libro de internis affectionibus tres ſpecies tabis recenſet:quarũ tertia,medullaris eſt, de qua ſic loquitur: Ab hac hæc paritur. Medulla ipſius ſpinalis ſanguine plena fit: tabeſcit autem ſimiliter & à cauis venis. Hæc verò pituita hydropiformi, & bile replentur. patitur autem eadem ab vtris,tandem tabeſcant: & homo ſtatim
50 niger fit,ac ſubtumidus,& partes ſub oculis pallidę,diſtentæ ſunt, quædam verò maximè rubicundæ] & quæ ſequuntur. Ac rurſus libro ſecundo de morbis, Dorſalis tabis meminit his verbis: Dorſalis tabes medulla fit. Corripit autem maximè recentes ſponſos,& veneri deditos:ſunt autẽ ſine febre,& benè cibum capiunt,ac conſumuntur. Et ſi interroges ita affectum, dicet ſibi supernè de capite in ſpinam velut formicas deſcendere videri;& vbi mingit, aut vẽtrem exo-

nerat, prodit ipſi genitale ſemen multum, ac liquidum, & genitura in vtero non manet: & in ſomnis ſemen profundit, ſiue dormiat cum vxore, ſiue non. & cum iter fecerit, aut cucurrerit tum aliàs, tum ad accliuē locum anhelatio, & debilitas ipſum corripit, & capitis grauitas, & aures ſonant. hunc temporis progreſſu vbi febres fortes ipſum corripuerint, perdunt febres Lypiriæ] Deinde verò audias quæſo alia ſigna ab eodem ſcripta de tabe dorſali, libro de locis in homine. Porrò (ait) cum retro in ſpinam fluxio proceſſerit, huc tabes fit eiuſcemodi. Lumbos dolet, & anteriores capitis partes vacuæ videntur ipſi eſſe] ex his quidem nihil poteſt concludi, quod tuæ opinioni faueat, vt omnes facilè iudicabunt, qui rem æquo animo æſtimare voluerint. Sed hæc de propoſito capite ſufficiant: accedamus ad alterum.

Quæ circa prædictionem ſcripſi, oculis conuenientibus legiſſe mihi quidem videris: quia nuſquam certè inuenies me dixiſſe, affectum fuiſſe incurabilem ob febrem hecticam primi ordinis. Sed ſcripſi, atque ſępiſſime recordor, me dixiſſe D. Plinio Melo eius viro, caſum eſſe in ancipiti conſtitutum, maximè difficilem, ac indigere magis manu Æſculapii, quàm noſtra. hęc non indicant impoſſibilitatem, ſed difficultatem. Hoc loco pariter adnotabis, quod aliud eſt loqui de caſu propoſito: aliud verò de affectu aliquopiam. Caſum voco in præſentiarum (ſi mihi aliorum imitatione loqui liceat) ſyndromen, & concurſum omnium in ægroto apparentium. Affectum verò nō ſyndromen, ſed vnum eorum, quę concurrunt. Nunc verò quæſo, Boſſelle cariſſime, quis non iudicaſſet caſum maximè difficilem? Erant vires omnes imbecillæ, affectus maximi, febris hectica, vigiliæ dierum 24. continuæ, dolores magni, ſiccæ conuulſionis per totum corpus principium, inedię multorum menſiū, vacuationes per vterum excedentes modum (quarum cauſſa haud ſemel, ſi benè percepi, ſoporem inducentia exhibuiſti præſidia) per vomitū, per aluum, per ſudores ingentes. Facilē tu hunc iudicabis caſum? Non poſſum id de te ipſo concipere, qui in artis operibus exercitatus es. Ex his vide, ꝙ ſi dixerim caſum ambiguum, difficilem, & indigere magis Aeſculapio, quàm Augenio, recta ratione id dictum fuit. Cęterùm, quod rurſus cōcludis, ſcripſiſſe me, remediis etiam conuenienter adhibitis, non ſperare ſanitatem introducturum, ad Ariſtotelis imitationē dictum fuit, qui Medici finem non eſſe ſanitatem, ſed appoſitè vti ad ſanādum, dixit: quemadmodum nec munus Oratoris perſuadere, ſed vti enthymematis ad perſuadendum. Nunc verò quia de caſu diximus, loquamur, ſi placet, de hectica, in qua me videris refellere, quod incurabilem dixerim. Sed quo loco id dictum à me vnquam fuit? Audi libenter, mi Iuli, quid de hac ipſa ſcripſerim febre. Verba ſic habēt in epiſtola ad Melum. Inprimis adeſt febris hectica, cuius, quàm ſit curatio difficilis, nemo eſt, qui neſciat] dixi, difficilem] non impoſſibilem.] Atque id omnium conſenſu verum, vt olim, ſic hodie confirmo. Mihi Galenum obiicis, qui facilem eſſe curationem dixerit hecticæ prioris gradus. Non ſatisfaciunt hęc mihi, vt qui profitear ex Galeni ſententia, hecticam omnem difficilem habere curationē. ſic enim Galenus inquit, ſi benè recordaris. Eſt igitur vna earum differentia illa, in qua cauſſa adhuc adeſt, febrem creans, aut febri excitata iā deſiit: altera verò in qua, (vt Græci loquuntur (hectica febris eſt, quę iam facta eſt: vel etiam (vt aliquis eorundem dixerit) ſchetica. nam quoniam eos affectus qui facilè diſcutiuntur ἐν σχέσει græcè vocant: qui tales non ſunt ἐν ἕξει concedendum eſt dilucidioris doctrinæ gratia, etiam febrium ipſarum, quæ ęgrè diſcutiuntur, hecticas, quæ facilè, ſcheticas nuncupari. Dicēdumq; febrium alias facile ſolubili affectu eſſe perinde, vt percalefactum in ſole lignum: alias difficile ſolubili, veluti quod igne eatenus excalefactum eſt, vt iam accendatur & fumum edat] An non videntur hæc tibi ambigua? omnem febrem in habitu cōplecti vides. Quęnā erit igitur hectica facile ſolubilis, ſi omnes difficilem ſolutionem habent? Adde quod habitus nomen idem ſignificat: nā ſi ex Ariſtotele qualitatem intelligimus cum difficultate remouetur: cui explanationi Galenum adhibuiſſe cōſenſum audiuiſti. Si verò ſolidas partes intelligis (vtraque enim ſignificatio eſt illi admodum frequens) hac etiam

etiam ratione fiet, vt statuamus habere curationem difficilem: perinde vt calefactum in sole lignum, & vt iam exustum. Humanũ siquidem corpus ex tribus constat: Continentibus, Contentis, impetum facientibus (vt Hippocrates dicebat.) Calor in humoribus, & in spiritibus accensus habet curationem magis facilem, quàm accensus in partibus solidis.

Vnus nũc restat scrupulus, quia diuulgata est propositio apud Medicos, principium hecticæ febris habere difficilem cognitionem, curationẽ verò facilem; cuius meminit potissimum Auicẽna. At nos ipsi videmur omnes hecticas tanquam solutu difficiles admittere. Duo sunt hic dicẽda. Primum est, quod hecticarum consideratio potest ad duo referri: tum scilicet ad alia genera febriũ, tum etiam ad species proprias. Ad alia genera, vt ad ephemeram, & putridam, solutionem quidem habẽt difficilem: at verò in collatione ad species (nihil refert siue gradus, siue species, siue tempora, siue differẽtias dicamus) cum tres statuuntur; quę in principio consistit, faciliorem curationem habet, augescẽte, vigẽteque febre. Rursus verò adnotandum est, febrem hecticam primi ordinis aut ex earum esse numero, quæ fiunt incipiendo: aut, quæ alios affectus subsequuntur: in illa, quæ incipiendo fit, cũ similem sui ortum habeat ephemeris, curatio multò facilior, quàm in aliis: at verò, quæ alios affectus consequitur, certè curationem semper magis difficilem habet. Galenus his verbis hanc solutionem exprimit: Reliqua autem est, cum statim ab initio inuaserit similẽ primum sui ortum ephemeris faciens, aut ex tristitia, aut ira, aut lassitudine nimia vnà cũ solis feruore contracta: hasce igitur febres non est admodum difficile curare.] Quoniam autem mulier à nobis curata febrem in habitu patiebatur post diuturnos morbos, non autem statim a principio inuadentem, eratq; corporis habitũ satis humido, qui nunquã febribus hecticis statim a principio corripi solet: hinc puto rectè a nobis dictũ difficilem curationem habuisse, quãuis in primo fuerit gradu cõstituta, quem fuisset multò antea progressa, nisi naturalis obstitisset humiditas corporis. Quia, vt quędã corpora facilius, quędã difficilius inuaduntur febre, sic quędam statim ad vigorem, quędam longiori tempore perueniunt. Hęc dixisse volui, ne quispiam admiretur me putare, hanc febrẽ adhuc in primo gradu habitualis consistere, cum tamẽ ad alios morbos diuturnos fuerit subsecuta:

Hectica quando statuatur habere facilem curationem

Nunc verò tandem accedamus ad conclusionem, de qua hæc dicenda sunt: ostendemus primum, non potuisse ab humiditate fieri, vt scribis: mox autem rationibus illis, quibus innixus contrariam admittere opinionem videris, satisfaciam. Hic igitur tanquam principium supponamus, fieri conuulsionem ab inanitione, & à plenitudine: ex quo principio sequitur, spasmum ægrotæ huius ad vnam ex hisce caussis referendum. præstat antea ex Pauli, Aetii, & Galeni verbis sumere fundamentum, quo duce, ab inanitione factum fuisse persuadeamus. Paulus Aegineta Galeni imitator maximus, ait: Quandocunq; igitur circa morbi statim exordium, vel haud longe ab initio conuulsione orsi persistũt, atq; perennant, à plenitate dubio procul habẽt originem: cum verò post plurimos corporis sudores, aut vomitiones, aut excrementorũ alui deiectiones, aut hæmorrhagias, aut immodicas vigilias, aut famem, aut permultas denique, atq; vehementes commotiones sequũtur, tum à vacuitate oriri consentaneum est. Idem Aetius ad verbum libr. 6. suæ medicinæ, & Oribasius, & Auicenna libro tertio. Galenum audias, qui omnem remouere vult litem. Iis ita præcognitis (inquit) haud difficile inuentu fuerit, vtrum ab ariditate, quæ est humidæ essentiæ defectus, & vacuatione: an humoris plenitudine, quæ egestati aduersatur, & ab Hippocr. repletio nominata est, affectus ipse prodierit. quippe cum cõuulsio fit, vel à labore, vel vigiliis, vel fame, vel solitudine, vel arida, æstuanteq; febre, qualem in phrænеticis videre est, caussam eius esse ariditatem, vacuationemq; rectè dixeris. Si verò temulento cuipiam, aut omnino pleno homini, qui videlicet in ocio degit, id euenire conspexeris, non ab re à contraria caussa cõuulsionem ortum habuisse iudicabis.] & parum infra. Et fortassis (ait) per morbum comitialem conuulsio haud absimilis est his, quæ à spinali medulla incipiunt conuulsio-

Conuulsionem fieri duplici de caussa.

Conuulsionis ab inanitiõe signa quæ.

nibus,ſingulorum neruorũ irrigatis proceſſibus: verum nõ ab ariditate, vacuationeq́;, ſed à craſſo ſemper humore hanc affectionem induci argumento eſt, quod & ſubito fit,& ſoluitur confeſtim: nam ſubitaneam meatuum obſtructionem à craſſo, viſcoſoq́; humore fieri conſtat: etenim breui tẽpore fieri nõ poteſt, vt vel cerebrum,vel tenuior ipſius membrana ad tantam perueniat ariditatem, vt corio ſimile quippiam pati videatur.] rurſus verò alio in opere inquit: Si cõtigerit repente ſanum aliquem conuelli, huiuſmodi conuulſionem fieri ex repletione neceſſarium eſt] hæc ille. Quæ ſi vera ſunt, manifeſtiſſimum faciunt, hanc de qua loquimur conuulſionem a ſiccitate originem deduxiſſe: quia primũ ea, 10 quæ prӕterierunt, fidem faciunt negotio, mox quæ præceſſerunt, poſtremò lædentia, & iuuantia. Prӕterierunt vacuationes maximę, quales diximus: iam prӕſens in habitu adeſt febris, gracilis admodum totius corporis cõſtitutio, ad hæc inuaſionis modus, quia nõ ſubito, & cõfeſtim apparuit, vt paulatim, & poſt alios, vt diximus, affectus. An non magnã vim in ſignificando habent iuuantia, & lædentia? Ante meum acceſſum calidis, atq; ſiccis, & vacuãtibus vtebatur auxiliis magno illius incommodo: mutatis in contrariũ remediis non modo melius habuit, ſed videtur omnino reſtituta ſanitati. Videntur hæc mihi adeò manifeſtam huiuſce rei notitiam prębere, vt nihil (meo iudicio) poſſit manifeſtius, apertiusq́; cogitari, atq; propterea certe plurimum admirer, cur in contrariam opinionem veneris. Dices habere multas rationes, quibus perſuaſus es. Sed quæ ſunt quæſo 20 rationes eiuſcemodi? Expendamus diligenter illas, vt nihil intactum relinquamus. Multò antea deſcenſum a capite ad humeros ſentiebat. Quid tum, in quam, poſtea? An ſequitur præterea eundem habere illum deſcẽſum diebus hiſce poſtremis? ſed ponè perdurare adhuc defluxũ, quid faciet, quæſo mi Boſſelle, defluxio ad eas partes, neruis, muſculiſq́; patientibus? An conuelluntur, qui deſtillationem à capite in thoracem habent? an qui ad humeros? longiſſimo diſtat interuallo fluxio ad articulos, & ad neruos, & muſculos. Sed ſi hoc ſignum eſt conuulſionis ex plenitudine; quorſum fluxionem in ſpinalem medullam recenſuiſti? Tãdem verò, qui ſunt in artis operibus exercitati, norunt omnes, non eſſe ſtandum relationi patientium in iis, quæ pertinent ad fluxiones, cum haud 30 infrequenter contingat citra ſenſum fluxionis articulos, neruos, aliaſq́; corporis partes plenitudinem pati. prior igitur ratio has patitur anguſtias. Neque minores patitur ſecunda: quia certè videre non poſſum, quomodo ex ſtupore partiũ concludere debeamus, neruos humoribus viſcidis infarctos eſſe; quaſi quod ſtuporis alia cauſſa non ſit, quàm obſtructio à viſcidis humoribus genita. Ingẽs, Boſſelle, ſiccitas impedimẽto eſſe poteſt, quin fluant ſpiritus ſenſitiui ad propriũ organum, non quod obſtruantur meatus, ſed quod conniueant; multæ ſunt ſtuporis cauſſæ, quarum nonnullæ ex parte inſtrumenti dependent: & nonnullę ex parte ſpirituum. inſtrumentum obſtructum, conniuens, adſtrictum, intemperatum à caliditate nimia. à ſiccitate modum excedẽte ſtuporem efficit. Spiritus 40 craſſiores pauciores, immobiliores redditi idem faciunt. Quam igitur ob cauſſam ex ipſo ſtupore deducis frigidam contineri in neruis materiam? Si cõfirmationẽ deſideras, audias maximũ illũ Arabũ Medicũ, ſic dicentem: & quandoq; accidit illud ex ſiccitate & exiccatione] Audias pariter Aetium Amidemum illum clariſſimũ, vt ſcis, Medicũ. Qui ex Phylagri cuiuſdã, vel vt ego ſentio, potius Galeni ſententia in hunc modum ſcriptum reliquit. Noui enim quendã, qui ob renum ex lapide affectionem diæta vſus proprios digitos ægrè mobiles, obtuſiq́; ſenſus, veluti ſtupentes, & ignitos ſenſit: Medici autẽ ipſi familiares refrigeratos digitos ipſius rati & paralyſim, quã Græci vocãt meditati, pharmaca ex euphorbio, & adarce adhibuerunt: quorum vſu diſpoſitio multò peior reddita eſt: & 50 acceſſionis ſemper ad ſuperiores partes progreſſæ ſunt, vnaq́; vehementiſſimos dolores intulerunt] parum autẽ poſtea explicans rationem victus, humidis vſus eſt alimentis, vt ptiſſanæ ſucco lacte aſinino, & piſcibus locis petroſis degẽtibus. Videtur mihi hic contextus noſtram hiſtoriam præſeferre: quia certè cum ægra digitos haberet ſtupidos, doloreq́; pateretur Medici, quorum, diligentia commiſſa

Libro ſexto de locis affectis, cap. 2.

missa fuit curatio, putantes frigidum affectum existere, calida adhibuerunt auxilia, affectu interim in peius proficiscente: quam rem cum sedulò animaduerterem, mutatis in contrarium auxiliis, & adhibito etiam aliorum clarissimorum hominū cōsensu, breui tēpore (quod dictum sit citra iactantiam Bosselle) manifestum feci, quātum possit artifex iudiciosus. Verumenimuerò si habere suspectum volueris Aetium, non habebis admirabilem Galenum, quia stuporē à siccitate fieri significauit, his verbis: Adeò vt quidam propter renū vitium vsus his fuerat, vbi digitos deterius moueri sentireque sensit. &, vt ipse locutus est, veluti cauum quiddam sonantes, cōmunicauit rem Medicis primum quidem in campania, vbi ipse agebat. hic tāquam eo affectu laboraret, qui παράλυσιν, idest resolutionem neruorum minaretur, medicamentisq; ex euphorbio & lymnesi (quam etiam ἀδάρκην vel ἀδαρκον Græci vocant) vtebantur: vt autem affectus ei in deterius cessit, & simptomata cum vehementi dolore ad superiores partes semper ascenderūt, mihi qui id temporis in Campania fortè eram, rē indicauit, opemque rogauit. Ego verò cum ex iis medicamentis, quæ memorauit, siccatum in hunc affectum venisse intellexi, quærentique qua maximè victus ratione siccitati suæ citra renum noxam mederi quis posset, ptisanæ cremorem excogitaui, & pisces tum saxatiles, tum quæ in alto mari degunt, aliosque in quibus nihil esset glutinosum: simili modo & ex volatilibus quæcunq; similē carnem habent. &c.] sic quidem (Bosselle) Medici, qui cum primū illam tractabāt, nūc oleo ex terebentina, nunc ex nuce myristica, ex anthera aui, ex castoreo, aliis ve id genus calefacientibus, & desiccantibus oleis certatim vtebantur, caussam affectionis minimè quidem considerantes. Tertia fuit ratio de sternutatione, pro cuius explicatione dicendum est, me, dum ægram ea nocte inuisebam, crebram illam, quam dicis sternuationem non offendisse, ac idcirco huius ne verbum quidem fecisse. Sed volo admittere non modo talem extitisse, sed etiam vsque adhuc perdurasse passionem: non video quomodo possis colligere destillationem in partes posteriores transmitti, atq; quod ab humorum copia originem ducat. Opinio magis probabilis est, vt ad nares, aut ad palatum ex cerebro, quàm retrorsus per spinam defluant humores: quia videmus colari frequenter hac via post sternutationem excrementa, vt Galenum obseruasse scio. Mox autem sternutatio est motus cerebri, quo violenter expelluntur, quæcunque illi facere molestiam consueuerunt: maximamque habere mihi cum singultu affinitatem videtur. Quemadmodum igitur singultus tum ab inanitione, tum à plenitate ducit originem: sic sternutatio à duabus hisce caussis proficisci poterit. Vtriusque signum est, quod humores, aut excrementa per nares videntur vacuari, aut in gulam descendere, si multitudinis adfuerit affectus: aut quod partes omnes circa cerebrum siccæ, ab omnibusq; excrementis liberę appareant, sicca vigente intemperie. Quamobrem conuulsionis principium in ęgrota non potest ex sternutatione, vt ex signo, aut vt ex caussa demonstrari, à plenitudine ortum deducere. De conuulsione, & illius caussis hæc sufficiant, in quibus excusandus sum, si nihil dixerim de tertia illa cōuulsionis differentia, quia nihil ad nostrum propositum facit.

Sexto de sanit. tuē. c. 12

Contendis ad hæc quinto loco vigilias illas à febre, aut dolore originem habuisse, de qua re multū dubito. Quod à febre non fuerint caussatæ, videor mihi certus: nam cum habeat calorem suauem, mitem, & æqualem, à quo humores, aut vapores acres eleuari nō possunt, haud solet febris hectica immoderatas vigilias inducere: neq; etiam dolor per interualla faciens negocium: cum enim hic non lædit plurimum, oporteret dormire hominem. Vidimus in proposito casu dolores non fuisse perpetuò admodum acerbos, sed moderatos aliquando, quo tempore vigiliæ plurimum vigebant. Ego verò adducor, vt cum Galeno credam, quod contrariorum contrariæ sunt caussæ: somnum scilicet fieri ab humido modū excedente, vigilias autem à siccitate immoderata. Habeo huius rei coniecturas multas, in quarū numero prætermissis iis, quas recensui supra, dum conuulsionem à siccitate ducere principium demonstraui, vna est satis euidens

quod cerebrum laborat sicca intemperie. Vide, mi Bossellle, quàm benè conueniamus inuicem. Sed ne gratis meam hanc videar protulisse sententiam, adire oportet Galenum authorem (quod ille de Hippocrate dicebat) omnium bonorum: qui de cerebri temperamento calido, & sicco agens, ait: Compositæ autem prima calida, & sicca secundum quã, & superfluitatibus carent, & sensibus vigent, vigilantissimiq; sunt, ac cito calui fiunt, prima tamen pilorum generatio celerrima est, plurimeque abundans alimento. pilos verò nigros habent, & crispos, caput tangentibus calidi sentiuntur] porrò si diligenter contẽplamur, quę ægrotæ contingunt, videbimus potissima signa concurrere: nã certè bis hucusq; visitaui mulierem, & quantum obseruare potui, & ab aliis accepi, siccũ inuenio cerebrum, carens scilicet narium excrementis, aurium, palati, cutis: mulierem offendi sensibus maxime vigẽtem, natura in vigilias procliuem, & circa faciem, caputq; totum caliditatem percipientem. Addito si placet, quod iuuatur multum frigidis, & humidis. Quis igitur in tanto caussarum omnium concursu ambigeret? quis frigidis, & humidis excrementis abundare crederet?

Nunc verò perlustremus conuulsionis modum. Dicebam hanc ipsam conuulsionẽ ab inanitione fieri hoc potissimum nobis significasse, quod statim non fuit facta, sed post diuturnos morbos paulatim contracta: Tu verò hic dicis non valere consequentiam, quoniã omnis à plenitudine conuulsio fit subito: at verò non omnis ab inanitione paulatim, quia fieri potest à morbo. Quid hic dicere velis, me latet. Vide quàm parum perspicaci sim ingenio. Quoniam certè omnis cõuulsio ab aliquopiam morbo fieri videtur mihi: neque etiam videre possum, quomodo si à morbo fiat, necessarium non sit, siccam illam paulatim fieri. Tu videris mihi adhærere, placet Galeno, aliisq; clarissimis Medicis, quorum monunumenta vidẽtur apertissima. Recordaris (opinor) Galenum dixisse, quod sicca conuulsio fieri nequit subito, quia impossibile est neruos ac musculos ad tantam siccitatem peruenire breui tempore, ad quantam peruenit corium. A siccitate verò facti (dicebat Arabum ille præcipuus) signa sunt, quod fit paulatim, & successione ægritudinem vacuantium, quodcunque generis fuerit euacuationis medicinarum, aut cholericæ passionis, aut euacuationis per se.] Ioannes Fernelius cum antiquioribus omnibus conferendus ait: Ex iis igitur, quæ antecesserunt conuulsionis species, atque caussa discernetur: tum etiam quod ex repletione repente gigni soleat, exinanitione verò sensim multoq; tẽpore] locum ab auctoritate prætermittamus, adhæreamusq; rationi. Si verum, quod à plenitudine spasmus fit subito, cur nõ erit verum, quod ab inanitione fit paulatim? vt .n. inanitio contraria est plenitudini, sic quod fit sensim, videtur oppositum ei, quod generatur subito.

Quod septimo admones loco, à lacte cauendum: mihi non placet: tum quia intrinsecè, & extrinsecè illius vsum admisi, & maxima certè illius commoditate. Neque suspectus est lactis vsus capiti imbecillo simpliciter, sed non conuenit in quadam imbecillitate capitis: cauendum itaque ne à particulari fiat transitus ad vniuersale. Diximus alibi hac de re diligenter. Interim verò cum embrocationes, tum lac propositarum indicationum accommodata esse poterant materia: & quia vacuantia omnia præsertim calida & sicca augere affectum poterant, illis vtendum: his autem postremis abstinendum putauimus, & putabimus, donec meliores rationes sese nobis offerant. Idcirco abstinuimus cauterio in initio, & inunctionibus illis tuis calefacientibus.

In epistola ad Hieronymum Vitelleschum de lactis temperamento.

Hæc volui dixisse circa propositam materiam, Iuli Bosselle, non equidem, vt ad meam opinionem tuerer, quia ego nunquam soleo pertinaciter opinionibus adhærere, sed facilè sententiam muto nactus potiorem: verùm, vt veritatẽ ipsam tuerer. Tuum erit modo in eam accipere, in quam scripta sunt partem, atq; persuadere tibi ipsi, Augenium animo cãdido esse preditum, ac tui, si quis alius est, amantissimum. Cura interim vt tu valeas, & me vicissim ama. Ex Tolentino.

PERIL-

PERILLVSTRI VIRO D. MANENTI COSTAE I. C. & Maceratæ caussarum Patrono excellentissimo.

Breuiter explicantur scopi in sanguinis missione obseruandi: quod vacuatio ob mala imminentia fieri debeat. De sectione venæ, quam saluatellam vocant. Explanatio quorundam verborum Galeni & Hippocratis.

EPISTOLA QVARTA.

10 QVONIAM sic tibi placet, Manenti Costa, vir clarissime, vt quæ inter consultandum à me dicta sunt in magna Medicorum controuersia, monumentis literarum tradantur, ego id nunc in tui gratiam, cui multum debeo, faciundum putaui. Primùm autem omnium suppono casum, in quo maior illorum pars cõueniebat eiuscemodi fuisse: mulierem scilicet sanguine abundantem in duas incidisse tertianas, cum doloribus hystericis, negocium facientibus maximum tempore eruptionis mensium naturali, iisq; vrgentibus, facultateque valida existente, die à febris principio 29. disputatum fuit inter Medicos, an sanguinem mittere ex poplite, aut malleolis, an ex vena, quam saluatellam vocant, conueniret. Cumq; inter se non conuenirent, me accersendum curarunt: ego 20 verò pro dilucidatione quæstionis recordor, me responsionem dedisse illis in hunc modum, atque primum. Morbum præsentem, ipsam scilicet tertianam duplicem, non postulare missionem sanguinis. Secundò, vacuationem secta vena, ob imminẽtia ab vtero mala, fuisse necessariã ex poplite, aut malleolis: atque vtranque propositionem rationibus admodum validis (nisi fallor) comprobaui: quas nunc affero sigillatim.

Casus.

Summa disputationis.

Augenii opinio.

Quod pertinet ad primũ, opus est paulo altius desumpto principio, quædam de eo, quod verè indicat missionem sanguinis, in mediũ afferre, vt euadant omnia sine difficultate lucidissima. Duo sunt igitur scopi in vacuatione obseruãdi, morbi magnitudo, & virium robur. Illa quidem verè indicat missionem sangui-30 nis: hoc verò admittit, non repugnans, quod contra indicare Medici recẽtiores vocauerunt. Porrò per magnitudinem intelligo inpræsentiarum eum affectum, qui non modo sua specie sit magnus, sed eum, quo cum, aut sanguinis plenitudo, aut motus adest tanquam essentialis caussa, aut saltem fouens. Quandoquidem haud omnis morbus magnus, quatenus talis est, indicare missionẽ sanguinis potest: sed is duntaxat, qui à sanguine concitatur, vt olim tum libro secundo meæ tractationis de missione sanguinis, tum primo libro cõmẽtariorum in sextam Galeni classem demõstrauimus. Quamobrem si vacuare in animo est, vna plenitudo indicat missionem sanguinis, qua cum certè adest morbi magnitudo, aut præsens, aut futura: at si reuellere studemus pars affecta, à sanguinis motu per-40 se indicationem promit: si vehemens, hic fuerit, reuulsionem absolutam: si tardus, reuulsionem localem: sic enim Alexandrinus explanator vocat, aut deriuationem, vt Galenus ait, sua natura indicare potest. Diximus autem plenitudinem eiuscemodi auxilium indicare, aut pręsentem, aut futuram: vniuersalem, aut particularem, quo ad vires, & quo ad vasa, simpliciter, aut secundum quid, quandoquidem iis distinctionibus habitis omnis cessat controuersia, nullumq; contra nostram sententiam locum habent, quæ contra Menodotũ Empiricum à Galeno passim obiiciuntur. Verùm vires ipsæ indicãt sui conseruationem, quæ victu instituitur: curationem autem & remedia nunquam per se, atq; primaria ratione: nihil enim indicat, quod obest, sed quod iuuat: idcirco quoniam nõ re-50 pugnat, admittitque præsidium, rectè quidem contra indicare dicitur; Aetas autem fere nulla est, quæ pro illius qualitate non admittat remedium: magis. n. insinuat hęc quantitatem, quàm genus pręsidii; vt alibi. Atq; primi fortassis omniũ, qui de hoc argumento scripserunt, & demonstrauimus, & in operibus artis apertum fecimus. His in hunc modum sese habentibus explico veritatem primi Theorematis. Febris hęc fit ab humoribus excrementitiis, qui à sanguinis natu-

Scopi duo obseruandi in vena sectione.

Magnus morbus simpliciter non indicat vena sectionẽ.

Vires quomodo cõser. indicãt.

Ætas omnis potest exigere vena sectionem. Tertiana nõ tã non con-

nenit Venæ sectio.

ra plurimum distant? nempè ab flaua bile cũ pituitoso humore permista, vtroq; putrefacto, & delato per sentientes corporis partes: in his non cõuenire sanguinis missionem attestantur, quæ supra diximus; tum particularius certè admirabilis Galenus libro quarto de sanitate tuenda cap. 4. deinde verò vrget, quod, quamuis plectoricum sit corpus, magnitudo morbi futura vereri non debet: quoniã tunc quando in consultatione de negotio deliberabamus, vt maior pars illorum Medicorũ sentiebat, quibus adhęreo, in vniuersali declinatione febris eramus constituti, in qua morbi vires multo sunt imbecilliores, quàm quod ferant generosum hoc remedium, quo alioquin minimè indigebamus; iam superata, & euicta prorsus morbifica materia. Vtiq; inchoante morbo venam secuissem, non procuratione tertianæ duplicis, quæ magis expurgantibus succos malos gaudet, quàm vacuantibus, sed præ cautionis caussa, ne scilicet in eusarcho, & pleno corpore sanguis ab excrementis putridis occasione accepta, tandem putredinem susciperet: hacq; ratione Galenus dum tertianæ nothæ curationem prosequitur, non dixit simpliciter mittendum esse sanguinem, sed cum hac additione: si oportuerit] vt in eius loci commentariis demonstratum est à nobis: & hæc satis de prima positione.

Tertiana nota quãdo Venæ sectionem exigat.

Quod pertinet ad secundam, dicimus, quòd si cõtemplemur incõmoda, quæ ex vtero proficiscũtur, debebamus omnino sanguinẽ mittere. Retulerunt mulierem optimè purgari solitam: postquam illi multò pauciores, quàm pro consuetudine, menses effluere cæperunt; incidisse illam in pulsum intermittentem, in cardialgiamq;; & quamuis de caussis horum symptomatũ, fuerint multa hinc inde à clarissimis illis Medicis disputata, ego tamen omnia hæc vitio vteri sanguine retento contigisse, nec ob aliam caussam sum arbitratus. Malignus vapor ex mẽstruo sanguine per arterias ad cordis substantiã sublatus, effecit intermittentẽ pulsum; hic idem ventriculi ostiũ feriens, cordis morsum procreauit, non enim putauerim cardialgiam proficisci à flaua bile in accessionis principio nimiũ agitata; quia corpus hoc magis abundat pituita, quã bile: & quia nõ in principio accessionis, sed æquè inuadit omni tempore, neq; oris amaritudo fatigat ęgram, aut bilis vomitus. adde, quòd me percontante retulerit sentire se motum rei cuiusdam ex vtero ad supernas partes ascendentis: vrget adhęc, cũ mẽses illi erũpere volunt, semper pręcedũt eiuscemodi dolores, vt retulit: postremò autẽ quod adhibitis p Medicos vestros auxiliis reuellẽtibus ab vtero, olim hæc symptomata cessauerint: ex his omnibus malè habere vterũ colligendũ est: cumq; hisce postremis diebus, quibus consultationẽ habebamus, instaret iã solitę eruptionis tempus, aduenientibus eisdem symptomatis, omnino debebamus nobis ipsis persuadere, ex vtero hęc eadem accidentia proficisci: pręsertim quidem febri declinante, nam ego certè possum oculata fide testari, ea ipsa nocte, qua negotiũ fecerunt dolores, parũ omnino febricitasse, quæ tamen accessio pro consuetudine maior erat. his rationibus ducti, cõcludimus vterum caussam horum symptomatum continere. Videamus modo particularius, quid in ea sede contineatur morbum adaugens. Hippocrates & Galenus duas ferè hystericorum accidentium caussas in vtero nouerunt: menses suppressos vnam; alteram verò seminis retentionem, quibus nec sine ratione addiderunt recentiores aliam, de qua ego in quadam ad Hieronymum Landeum epistola sum locutus; humores nempè corruptos, atque venenatos. Tertiam hãc prætermitto caussam, quoniam malignitatis, & perniciei huius nulla quidem apparuerunt indicia. Dubitatum fuit à D. Nicolao vestræ ciuitatis Medico, an à semine retẽto ducat originem. Putauitque semen ipsum præsertim eiuscemodi symptomata inferre. At certo, non parum hallucinatus est) nisi tamen ego decipior) Primum sanè, quia neque in mulierem potest annum agente quintum supra quadragesimũ ea generari copia seminis, quę facere queat negotium: Secundo neque eius vir tam imbecillo est corpore, vt nequeat vti coitu: Tertio addito etiã signũ certissimum quod adueniunt tẽpore eruptionis mensiũ eiuscemodi symptomata, nã si à semine cõtingerent, nõ venirent statuto mensium tempore. Reor itaq; ex eadem

ipsa

ipſa cauſſa nunc proficiſci, ex qua olim: nempè ex magna copia ſanguinis menſtrui: qui etſi copioſe vacuari ſanitatis tempore conſueuerit, tamen nunc ob aliquampiam imbecillitatem facultatis expultricis, aut ob craſſitiem ſanguinis, aut etiam, quod facilè admiſerim, vtraq; occaſione, retinetur, ſi non omnino, aliqua ſaltem ex parte: hinc apparent hyſterica ſymptomata admodum leuia eorum comparatione, quæ ſuperuenire conſueuerunt. Hiſce igitur vrgentibus, cauſſa remouenda eſt: Sic enim poſtulat rectè inſtituta medendi ratio: Cauſſa eſt ſanguinis in vtero menſtrui retẽtio: hanc itaque remoueamus, ac extirpemus. Nulla verò facilior via eſt, quàm ſanguinem mittere ex inferioribus venis poplitis, aut malleoli, ex quibus educitur ſanguis ex vtero, & ſic vacuatus, tum reuellere poterit aſcendentes vapores, tum etiam præcauere, ne in vterũ fiat inflammatio, aut ne generetur malum aliquodpiam non mediocriter extimeſcẽdum; quoniam verò non ſunt vires omnino validæ, ſed imbecilliores longitudine morbi; hinc profectò fit, vt conſuluerim ſanguinis miſſionem partitam, & per vices quaſdam: hoc modo viribus optimè fuerit conſultũ, & imminentibus malis præuiſum: & hęc ſane mea ſententia fuit in propoſita materia. Verùm quoniam eſſe rem controuerſam video apud quoſdam, volui hic afferre, quid obiiciant alii, & perſoluere breuiter dubitationes omnes, vt nihil relinquatur, quod in hoc argumento facere difficultatem poſſit.

Sunt qui putant ex ſaluatella vacuãdum ſanguinem magis quàm ex poplite, aut malleolis: (nam omnes dixerunt conuenire vacuationẽ ſecta vena: de loco duntaxat orta diſcordia eſt) id quod nitebãtur rationibus quibuſdã perſuadere: vna quod Galenus huius meminit venæ ſectionis, dum dicit iuuari lienes: quodq; Arabes paſſim admittunt in diuturnis febribus conferre. Adhæc verò afferunt Hippocratis teſtimonium in aphoriſmis, cum dicit, retentis menſibus bonum eſſe, ſi ſanguis effluxerit ex naribus: ſic in propoſito bonum, ſi ſanguis ex manu vacuetur, vbi menſes nõ fluũt. Adhæc verò putãt non debere nos in propoſito caſu expectare menſium eruptionem: quia febris abſorbet, exiccatq; ſanguinem, vt nõ modo Galenus dicit, ſed communis experientia teſtatur. Poſtremò, quia neque menſes adſunt in muliere annos nata quadraginta quinq;, cum in ætate amplius florenti non ſit conſtituta, in qua adeſſe dicũtur menſes: Hæc dictorum ſumma fuit, ſi bene recordor, quibus in hunc modũ ſatis faciundũ eſt.

Quantum ad primum pertinet, hoc vnum profiteor ex Galeno nihil cõcludi, quod his faueat: Arabes quidem in diuturnis febribus admittunt, quos ego interpretabor parum poſtea, contentus vno Auicenna horum omnium principe. Si quidem Galenus tribus duntaxat locis meminit huius venæ, ſed ex aliorum ſententia potius, quàm ſua: mox verò lectiones admodum variæ ſunt, vt difficile ſit plurimum coniectari vtram eligere debeamus: Tandem verò, in caſu ſecundum eius principia non conuenit. Explicemus hoc diligentius in eorũ gratiam, qui non credunt. Verba Galeni ſic habent libro de Anatomicis adminiſtrationibus tertio. Reliqua pars venæ, quæ paruum, auricularemq́ue digitum adit, dum obliquam cubiti appendicem proreptat, exilem quandam ad poſteriorem medii digiti ſedem tranſmittit: poſthæc bifariam ſciſſa, altera quadam parte mediam, & annularem digiti regionem ingreditur: quam ſanè venam nonnulli in ſiniſtra manu ſecantes, ſinentesq; ex ea fluere ſanguinem, quo vſque ſua ſponte ſiſtatur, lienem ex tali vacuatione iuuari aſſerunt. Altera autem parte venæ humiliore rurſus in eam regionẽ, quę eſt inter annularem, & paruum digitum media fertur] hæc ille. Hinc colligito duo plurimi momenti: vnum quod loquitur ex nonnullorum ſententia: Alterum quod perperam hodie bona pars Medicorum noſtri temporis, vt lienem adiuuent, venã incidunt in manu, quæ inter minimum, & annularem digitum intercurrit, quam antiquiores minimè ſecarũt: ſic enim Galenus. Altera quadam parte mediã, & annularẽ digiti regionem ingreditur, quam ſanè venã nonnullic] Alter locus eſt in libro de ratione curandi permiſſionem ſanguinis, cum ait: Quemadmodum putant, qui lienem curari putant à venæ ad ſecundum paruum digitũ ſitæ ſectione; de qua fuſius deinceps

differetur] hæc equidem videntur multa notiora, quàm quod vberiorem explanationem postulet. sed dicet hic aliquis, Galenum infra meminisse huius venæ, nec quicquam dixisse ex aliorum sententia: verba sic habent; sic affecto liene, haud æquè adiuuerit circa medium digitum sinistræ manus, incisa vena, atq; si internã cubiti secueris] hic etiam suspicari possumus, ac debemus (sic se habente contextu) ex aliorum sẽtẽtia fuisse locutum, magis quidem vt rectitudinem extollat, quam plurimum obseruandum admonet, quàm vacuationem, quod manifestum facit in superioris capitis fine dum ait: in directè quidem oppositis sanguinis eruptionibus citissimè conspicuam videbis vtilitatem, at si contra feces, nihil profuerit] Quinetam suspicionẽ confirmat meam varia lectio huiusce contextus. Cum quidam vno modo, & quidam alio legunt, quam rem in eius loci commentariis demonstraui. Ego certè, quemadmodum te pręsente cum clarissimis Medicis consultans dixi, parum confido in eiuscemodi auxilio. Sed ponamus Galeni sententiam habere, vt pronunciant: viderint ipsi quàm benè faueat illis. Nam liene affecto id genus admitit auxilii; hic lienem affectum non habemus, sed hepar quo ad febrem, vterumque, quo ad passionem hystericam. Mox frustra vteremur auxilio in declinatione vniuersali, in qua natura multo potẽtior morbo iam victrix omnino reliquas superabit. Quod si ex manu dextra incidere volunt saluatellam, viderint, Galenum ne verbũ quidem huius fecisse, sed sinistrę duntaxat: Viderint ad hæc, pituitam viscidam, excrementitiã, & flauam bilem per eam vacuari regionem non posse, vt potè quæ purgantibus emendentur. Adde his, oportere sanguinem fluere, quo vsque sua sponte sistatur, si ex tali vacuatione iuuari ęgrotus debeat. at quis eiusmodi vacuationem admitteret in vniuersali declinatione morbi? Contemplenturq; postremò hanc viam nõ esse conuenientẽ, cum ex vtero volumus retrahere vapores; vt passim admonuit Galenus. Perlustremus verba Auicennæ, sic ait: De scheiler vero dicunt, quod quę dextra est, doloribus hepatis confert: & quæ sinistra doloribus plenis. &c.] vbi notabis, quod ex aliorum opinione loquitur, nẽpè Rasis maximi illius Medici: quod significat hoc verbum, Dicunt] deinde verò quod in casu nostro nullum aderat in liene dolor, aut in hepate. hæc sufficiant de vena saluatellæ. Accedamus modo ad alias rationes. affertur Aphorismus Hippocratis li. 5. qui sic habet: Menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens bonũ.] Hic nõ benè concludunt: primũ, quia in casu menses nõ defecerunt: longissime hæc distant, Menses deficere.] & cũ erumpunt menses, aut parũ antea aduenire symptomata hysterica: hic noster est affectus. alter lõgè distat. Secũdo supponit Hippocrates deficere mẽses, aut caussa naturali, aut præternaturali (in præsentiarum nõ curo) artisq; beneficio nõ posse prouocari, neq; ipsa natura manu porrigente: tamẽ adesse in corpore multitudinẽ sanguinis. id circo cũ hæc exonerari debeat à natura, nec per vterum possit, tentans per alias vias eruptionem sanguinis facere, quæritur, quæ nam sit commodior: an quæ fiet per vomitum; an quæ fit per thoracem extussiendo; an quę fit ex naribus? quæstioni respondens Hippocratis dicit, quòd quæ per nares, bona est: quasi quod quæ aliæ sint malæ, quia sanguis erumpens per os, & thoracem, malum quodpiam immedicabile semper protendit, ex naribus non item. hic sensus est aphorismi. Sed quid hic habent cõtra sententiam propositam? an Hippocratis decreta ignorant, quibus admonuit arcere morbos imminentes, & reuellere, si quò tendant, oblædere solent? an vrgentibus symptomatis histericis ex retentis mensibus, non deficientib. tundemus venas superiores? quæ isthæc, quæso, medendi esset ratio, nisi præpostera, omniq; carens ordine, ac methodo? Cum igitur inquiunt, bonum, si sanguis ex manu hauriatur. bonum esse id inquam, si deficientibus mensibus, natura venas incideret, aut manus, aut cubiti; malum, si non deficientibus mensibus; vbi expectatur illorum ex naturæ ordine eruptio, peius: pessimum verò vbi cum his circũstantiis hysterica imminent symptomata. Dixi quid de Hippocratica sententia mihi cum aliis viris clarissimis Galeno potissimum, & Philothæo, Triuerioque, ac aliis omnibus (communis enim adest consensus) veritati consonum apparuit.

Quod

Quod ſtatuunt tertio loco nõeſſe menſium eruptionem expectandam, quia febris impedimento eſt, quin effluãt: idcirco non conuenire ſanguinis ex poplite, aut malleolis miſſionem. Duo ſunt in medium afferenda pro reſponſione, prmum cõtingens eſſe hoc, minimè autem neceſſarium, à febre impediri menſes: cum aliquando videamus pro varia corporis conditione ſupprimi aliquando, aliquando vero prouocari: potiſſimum quando contingit mineram putredinis, in locis contineri ab vtero diſtantibus: deinde verò ponamus retineri mẽſes, id non fiet certè, quod non adſit excrementitia illa ſubſtantia, ſed quia tenuioribus partibus diſſolutis craſſiores remanſerunt. quarum cauſſa non eſſet ab re ex venis inferioribus mittere ſanguinem, vt quotidie fieri aſſueuit. Sed quid hic moror, cum experientia demonſtrauerit in muliere, de qua ſermo eſt, acuta febre, vt illi dixerunt vigente, erupiſſe tamen in febris huius principio copioſos menſes? acuta febris non impediuit; impediet igitur diuturna & lenta? tunc fluxerunt, cur nunc quęſo non fluent? aut, vt dicam, rectius, fluere non poſſunt? Fateor fortaſſe non erupturos; an propterea debemus noſtro muneri deeſſe quin id faciamus, quod ars poſtulat? Quod poſtremò addunt, menſes non adeſſe niſi in ætate florente, meo iudicio reprobari debet, quia certè, licet in ea ętate mulieres ſoleant copioſiſſimè purgari: in aliis tamen ætatibus aliquando obſeruatum eſt fluere mẽſes. Noui mulierem illuſtrem annos natam quinquageſimo, quę adhuc ex vtero ſanguinem emittebat: infinitas etiam vidi anno quadrageſimo, & quadrageſimoquinto expurgari: nõ eſſe autem hoc annorum numeris determinandum, ſed ex conditione plenitudinis neminem eſſe arbitror, vel tantillum in Medicina exercitatus, qui non cognoſcat. Sed ne longius habeas: nonne ęgrota noſtra anno nata 45. hactenus fuit ſingulo quoque menſe expurgata? Verùm dixiſſe ſufficiant hæc in propoſita materia. Vale vir præſtantiſſime, ac me viciſſim ama. ex Tolentino quarto Septembris 1577.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER NONVS.

FRANCISCO CIROCCHO FVLginati Medico præſtantiſſimo.

De Arſenico Cryſtallino pro arcenda peſte; de lapide Bezaar nonnulla. de libro quodam Cynico:

EPISTOLA PRIMA.



RBITRABAR me tuis literis reſponſionem dediſſe, adeò me fecerunt obliuioſum occupationes multæ. cum hodie ingreſſus Muſæum, à quo iam diu (vt ſcis) aberam, ſtatim ſeſe obtulit mihi cartula quædam, muro pro mea conſuetudine appenſa, in qua notatum erat, quod ſcire ex me cupiebas. Statim pigritiam, & negligentiam cognoſcens, ac præ pudore quaſi erubeſcens, accepi calamum, confidẽtia hac ductus, vt putem te (quod ſpero certè & opto) meam hanc tarditatem, non in voluntatem alioquin promptiſſimam, ſed in occupationes infinitas relaturum.

Vires illas egregias Arſenici cryſtallini geſtati propè cor, ſiniſtra ſcilicet mamilla pro curatione à peſtilentia, aut pro præſeruatione nondum ſum expertus. Sed certè parum confido; Quia videre non poſſum Ciroche, quomodo conueniat. Nam in Arſenico inſunt manifeſtæ qualitates; inſunt etiam venenoſæ: at neque priores, neque poſteriores opitulantur. non priores, quia cum lapis quidam exiſtat ex foſſilium metallorum genere, frigidam, & ſiccam qualitatem habens, in ſubſtantia denſa, & minimè vaporoſa reſidentem, non poteſt emittere hanc qualitatẽ, vt cordis ſubſtantiã refrigerando, queat inhibere generationem febris: quod ſi poſſet in peſtilenti, valeret etiam in aliis, hacq; eadẽ ratione opitularetur plurimũ putridis omnibus non peſtiferis, in quibus nõ conferre quicquam multo certius eſt, quàm quod explanari debeat. At, quia venenatũ quoddã eſt, & inſito naturaliq; pernicioſum calori, maximè ſuſpectum eſt mihi. Primùm, quia nõ videtur probabile hoc, dum ſuas vires cordi mittit, ex eo attrahere omnem perniciem, veluti ſi quiſpiam manu apprehenderet venenum: Quomodo enim denſiſſimum illud corpus emittere eiuſcemodi facultatem poteſt? Rurſus ſi emittit, cum duo adſint venena internum, & externum, cur ab interno veneno externũ non trahitur potius, quàm internum ab externo? attractionem in pręſentia admittemus familiaritate ſubſtãtiæ fieri: id ſanè attrahit aliud, quod illo potentius exiſtit: ſed quam habere poſſumus certitudinem, Arſenicum extrinſecus applicatum habere potentiorem virtutem, quàm venenum intus genitum, aut per inſpirationem attractum, & iam cordis vires inuadens? quinimo hoc magis valere credendum eſt, cũ proximius, & magis immediatè oboriatur ſedem pręcipuam, aliud verò lõgiſſimè abſit corde circumſepto multis oſſibus, membranis, muſculis internis, & externis, & cute. An, fortaſſe dicẽt, duo venena intus exiſtentia pugnare inuicem, corpore illæſo, quod de Aconito Plinium ſcripſiſſe memini, dicentem, Aconitum pati, inuento, quo cum certet, homine ſuperſtite, omnino aboleri cum ſuo veneno ęquali: at non inueniens venenum, occidere hominem: Aut etiam quod Auſonius Gallus dicit de muliere venefica, quod duo venena ſimul ſumpta aliquando ſalutem inferunt.

Toxica Zelotipo dedit uxor mœcha marito,
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti lethalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc si quis: faciunt discreta venenum,
Antidotum sumet, qui sociata bibet.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ.
Protinus & vacuos alui petiere recessus,
Lubrica deiectis qua via nota cibis.
Quàm pia cura deum prodest, crudelior vxor,
Et cum fata volunt, bina venena iuuant.

Id ego non admiserim, vt qui sciam omnino Aconitum à sano sumptum, & à venenato, semper lethalem habere facultatem, temerariumq; putauerim Medici iudicium, qui duo venena propinare vellet, vt vnũ aliud obtereret. Mœcha sanitatem intulit non ob mutuam venenorum pugnam, vt inquit Ausonius, sed ob grauitatem hydrargiri, quæ fecit, vt is etiam testatur, vtrũque statim descendere, quia primum nondum actuatum fuerat, & suas vires cordi non impresserat, vxore nimium festinante, & alterius veneni potum intempestiuè porrigẽte: hac ductus caussa, Plinii autoritatem non admitto, atque multò minus Augerii Ferrerii, qui in pilulis ex hydrargiro, & scãmoneo talem effectum admittere videtur. Si verò præseruationem consideramus, huic non conferre Arsenicum dicemus. Etenim, si virus ex Arsenico intus penetrat cum labes venenosa in præcipuo viscere non adsit, nihil inueniet attrahendum familiaritate substantiæ sibi cognatum. At quæso per Deum immortalem, quæ vis inest tam admiranda in Arsenico, vt cordis substantiam contangens, illius facultates minimè labefactet? quæ prouidentia admirabilis adfuerit, vt illæsis substantiis internis, tanquam piaculum quoddam esset, modo tam admirando foras deduceretur? Quę postremò in Arsenico facultas muniendi cor, vt venenis aere attractis, aliisque resistat? His fortassis manus dabunt, putantes non posse ex densissimo corpore quicquam facultatis exhalare, atque intima penetrare viscera: sed dicent habere quandam naturalem antipathiam ad venenosum aerem, quem fugare, ac propellere valebit, nec cor penetret; hoc ego quibusdam scio placuisse, sed meo iudicio non consistit. Nam petierim, si pestilens aer maiori ex parte per inspirationem attractus pestilentiam facit, cur Arsenicum non gestatur perpetuò manibus potius, & continuò non apponitur naribus, & ori, ne scilicet malignus aer ingressurus viam inueniat? cur si tanta est inter vtrunque inimicitia, fenestris, & ianuis nostrorum cubiculorum ingentem copiam Arsenici non ponimus, vt impediatur introitus venenati aeris in cubili? Quid ad historiã & experientiam respondebimus? ferunt Adrianum Sextum P. M. à pestilentia hoc remedio fuisse præseruatum. Verum (inquam ego) id potuit alia de caussa cõtigisse, quod scilicet non habuerit corpus ad pestilentiæ iniurias capiendas obnoxium, aut ob corporis habitum siccum natura, aut arte, aut ob ætatem, quia senes magis tuti sunt, quàm iuuenes à peste: quod verò attinet ad experientiam, videre oportet, an bona sit experientia, nec ne. nam cum fiunt multa remedia, vix sciri potest, ad quod referenda sit salus: ego tunc adhibebo fidem, cũ videro hominem præparatum ad pestilentiam, malo vtentem regimine, cum affectis conuersantem, nullo alio, quàm Arsenico vtentem à pestilentæ labe fuisse præseruatum; aliosq; deinceps hac eadem ratione: hæc bona fuerit experientia; hæc satis, nam scribam fortasse aliàs de hoc argumento plura.

Tabellarius dabit tibi librum Andreæ Bacci de cornu Monocerotis, in quo videbis quanta doctrina, & eloquentia illius facultates explicet vir doctissimus: Audio de aquis scripsisse potabilibus tractationẽ omnibus numeris absolutam, & de inundationibus sub nomine Tyberis, si ad manus venerit liber, curabo di-

ligenter, vt quàm primum videas: nam scio te plurimum hominis doctrinam, & ingenium admiraturum.

Nimis fuisti solicitus in remittēda tractatione mea de lapide bezaar, qua nō indigebam: vix dici potest quàm fuerim gauisus audire, quod optimè mecum conuenias: id equidem euenturum putabam, cum scirem te in medendis morbis rationalem profiteri artem, non empiricam, vt peruerso iudicio ille faciebat, qui non modo in putridis omnibus febribus non pestilentibus, sed etiam passim in cunctis morbis, aut à materia, aut citra materiam, eius Antidoti vsum admittebat: recordaris quàm fuerit ceruicosus, & parum in Galeni doctrina exercitatus, vt nō cognosceret, quid ego dicere volebam, cum asseuerabam vniuscuiusque morbi propriam, & determinatam inesse contrarietatem: & hanc non habere lapidem illum cum putrida febre, omnibusq; morbis antipathiam. Abeat hic in malam crucem cum aliis eius farinę hominibus, qui licere sibi putāt, impunè homines occidere. 10

Respōsionem dedi tractatui illi Cinico multò antea, quàm in lucem prodiret, in epistolis meis ad clarissimos Medicos, Capiuaccium, Cordellam, Aloysium, Scacchum, Brancutum, & alios quamplures: idcirco nouus non est mihi ineundus labor: cum eo in libro, quod pertinet ad doctrinam, nihil dignum sit docto, iudiciosoq; Medico, vt omnes testantur, qui semel patienter legerunt: adsunt nihilominus contumeliæ sine numero, mendacia plurima, & alia id genus multa indigna viro probo, & modesto, qualem aspectu, & verbis ab omnibus vult iudicari. Vale ex Cingulanis montibus, 8. Septembris 1572. 20

EIDEM.

Quomodo caliditas, & frigiditas actiuæ sint qualitates: humiditas, & siccitas passiuæ, ex Aristotelis doctrina. De Apologia Iulii Cini Colensis Medici, cōtra Vincentiū Cibum Fulginatem Medicum, tum genere illustrem, tum artis vsu ac scientia excellentißimum.

EPISTOLA SECVNDA. 30

v. pag: 235.

VELLEM, vt qui ita in lapide bezaar confidunt, putantes non solum omnibus pestilētibus, ac venenatis, sed in vniuersum putridis febrib. opitulari: vt vel meis rationibus, quas tu ipse ex libro meo libēter cōmunicasti, satisfacerent, vel afferrēt suas, quibus victus ego porrigam illis manū, & recantata palinodia me confitear aberrasse. Verùm cum illi neutrum hactenus effecerint, nec sperem de cætero facturos, in eadem opinione manebo: alii verò interim, tuq; cum primis, iudicium afferentes.

Quod in tractatione de putredine tibi displicuisse scribis, est quidem eiusmodi, vt si me ex suppositione fuisse locutum animaduertisses, non ita quidem putasses. Agebam ibi personam Philosphi, quando dicebam, qualitates duas, frigiditatem inquam, & caliditatem ita esse actiuas, vt non sint passiuæ: & humiditatē cum siccitate ita passiuas, vt non sint actiuæ: idq; illarum definitionem, & naturam demonstrasse. Nunc interpellas me, at loqui cogeris distinctius, ac plenius. Audias igitur quid sentiam, postquam ita iubes. 40

Quæsiuit olim Galenus, cur Aristoteles libro de generatione, & corruptione primas qualitates omnes actiuas, passiuasq; nuncupauerit: at quarto meteorologicorum duas vocauerit passiuas, duas actiuas. Quæstioni respondens, dicit excusari posse Aristotelem, quod licet in ipsis elementis pariter sint omnes actiuæ & passiuæ, in mixtis tamen, de quibus agebat libro meteorologicorum quarto, caliditas & frigiditas magis agūt: humor verò, ac siccitas magis patiūtur. Ego verò Aristotelem non ita excusandum censeo, sed longè melius, nisi tamen decipior, interpretandum. Putauerim itaque nunquam somniasse illum in mixtis duas qualitates agere, duas verò pati. Rursus neque putauerim in elementis ipsis 50

sis omnes agere. Scribit enim libro secundo de ortu, & interitu, dum agit de actione illarum qualitatum in elementis, agere duas, reliquas verò pati. & quarto meteorolog. c. 1. asserit: humiditatem, & siccitatẽ tum per se, hoc est, vt ego explico, eum locum, quatenus existunt in elementis, tum quę cõmuniter ex vtrisq; concreta sunt corpora terminari, atque aliis qualitatibus affici. Nec etiam sentit Philosophus, magis agere duas, quàm pati, & reliqua è conuerso simpliciter: sed quod duæ agant, non patiuntur; & duæ ita passiuę, vt non agant: quam rem definitio vtrarũque manifestè ostendit: quia in definienda caliditate, & frigiditate nihil omnino adest, quod ad ipsam referri passionem possit: in humiditate, & siccitate contra nihil adest, quod ad actionem reducatur. An autem ita res habeat, experiamur. de caliditate quidem hæc inquit, aliisque facultatibus.

Fides autem horum ex inductione. Videntur enim in omnibus caliditas quidem, & frigiditas terminantes, & copulantes, & transmutantes, & ea, quę eiusdẽ generis, & ea, quæ non eiusdem generis, & humectantes, & exiccantes, & indurantes, & mollificantes. sicca autem, & humida terminata, & alias dictas passiones, patientia, & ipsa secundum se, & quæcunque communia, ex ambobus corpora constant. Adhuc autem ex rationibus palam est, quibus definimus naturas ipsorum. calidum enim & frigidum, vt actiua dicimus: concretiuum enim sicut actiuum aliquid est: humidum autem, & siccum passiua, facile terminabile enim, & difficile terminabile, eo quod patitur aliquid natura ipsorum dicitur. Quod igitur hæc quidem actiua sunt, hæc autem passiua, manifestum est.] hæc ille.

Ex quibus manifestissimum est, humiditatem, & siccitatem tum in elementis, tum in mixtis considerari ab ipso Philosopho tanquam passiua: caliditatemque & frigiditatem, vt actiua. Est autem diligenter notandum, actionem, & passionem harum primarum qualitatum esse duplicem. vna per se, & propria, qua elementa inuicem agunt contrariis qualitatibus prædita, sic calor agit in frigiditatem per se, & humiditas agit in siccitatem, & è contra. imo hoc ipsum non solum in elementis conspicuum est, sed etiam in corporibus mistis. Siquidem quatuor qualitates omnes agunt in contrarias inducendo suas similitudines, atque etiã similiter patiũtur à contrariis, nõ modo quãdiu elementa separata manent, sed etiam post ipsam mixtionem. Nam piperis calor adhuc calefacit nos, frigus niuis infrigidat, & licet non sit omnium quatuor æqua in agendo efficacia, nec intensio æqua, verùm operatio earum omnium in sua contraria, omnibus ex æquo conuenit, & constitutio mixti in omnibus æqua. non minus enim definet esse mixtum, absentia vnius ex quatuor, quàm cuiussuis alterius. propria igitur operatio, quæ per se conuenit, his à qualitatibus est, quod quatenus contraria inuicem agant, & patiantur: caliditas calefaciendo, frigus refrigerando, humidum humectando, siccum exiccando, solent Philosophi hanc actionem primam nuncupare, in respectu ad aliam subsequentem, de qua nunc agamus.

Vltra operationem iam enarratam, qua inducitur calefactio, frigefactio, humor, siccitas, alia operatio elucescit in elementis, multoq; euidentius in mixtis, ex qua resultant aliæ in rebus mixtis. Pendent hæ à duabus tanquam à producentibus eas affectiones, & à reliquis duabus tanquam à recipientibus, & ab apta materia in illarum susceptione. Agentes duæ sunt, caliditas, & frigiditas: patientes rursus duæ, humiditas, & siccitas. Atque, vt clarius consequaris quod dicere volo, statuamus hasce affectiones in mixtis: nempè generationẽ, corruptionem, putredinem, cruditatẽ, coctionem, duritiem, mollitiem, & alias eiusdem generis, de quibus agit ex proposito Aristoteles in toto libro meteorol. 4. Originem habent hæc tanquam ab efficientibus caussis à caliditate, & frigiditate: recipiuntur verò ab humido, & sicco, vt constat ex horum passionum natura; hæc varietas qualitatum in agendo, & patiendo non solum apparet in mixtis, sed etiam in elementis. Affectio enim qua vapor modo gelatur in grandinem, modo concrescit in niuem, modo soluitur in pluuiam, modo disgregatur in flatum, vel

fulgur, prodeunt quidem à calore, aut frigore agentibus: ab humiditate autem, & siccitate eius tanquam à patibili, & apta materia dictarum impressionum, aut affectionũ. Et nota, cum duæ facultates efficiant affectiones omnes, quibus substant mixta: probatissimæ tamen mixtia, ffectiones authorem habent calorem, non frigiditatem: calorem quidem, inquam, non absolutum, sed certo frigore determinatum, mensurante docta desursum natura pro formę inducendę indigentia, cuius rei probatio sic habet, vt doctis Philosophis placuit. Cum essentia ipsa speciei mixti consistat in certa mixtione passiuarum, dum elementa in minima diuiduntur, & diuisa certa quantitate, qualitate, ac ordine miscentur. Superest id, quod efficit duas hasce operationes, diuidendi scilicet, & aggregãdi esse proprium opificem mixtionis. Sicut sartor datum pannum modo diuidit, modo iungit, dicitur author huius operis & vestis: sic quod elementa diuidit, in minimas partes, atque diuisas certa quantitate, qualitate, & ordine inuicẽ componit, dicetur verum efficiens mixtionis. Hoc autem calorem esse affirmo. Etenim diuisio, & vnio non fiunt citra motum, nec motus citra calorem; hinc efficitur, authorem per se mixtionis esse calorem, non frigus. Sed, vt supra dixi, frigore contemperatum. Aristoteles autem considerans in generatione mixti, vltra præcipuam operationem, quæ soli calido tanquam agenti tribuenda est, intercedere etiam concretiones partium quarundam, vt adipem in animalibus, & duritiem in testis fructuum, & ouorum, in lapidibus, & metallis, quę omnia frigori agenti tribuenda sunt, meritò in definitionibus generationis & coctionis iungit pro caussa agente frigiditatem calori. Et tamen idem ipse definiens opposita, nempè putrefactionem, & cruditatem, solum recipit pro caussa caloris defectũ, vel quod idẽ est, frigiditatẽ, quoniam sicut virtus informatrix in animalibus formãs singula mẽbra, eadẽ manens, & alit, auget, & morbida sanat: sic calor ille innatus frigore suo determinatus (quod vocãt, complexionale calidum) sicut ipsum solum mixtionem peregit sua præsentia, ita diminutione, vel absentia gubernare, & conseruare non potest (quod cruditas, & putrefactio dicitur) ideo definit vtrunque intentum, & simpliciter dictum, & secundum quid per corruptionem calidi.

Postremò si considerentur primę qualitates in ordinem ad formam mixti introducendam, neque sunt omnes actiuæ, & passiuæ inter se, neque duæ actiuæ, & duę passiuæ, sed omnes dubio procul sunt passiuę. Etenim apud Philosophos receptum est, quod quæ sese tenent loco materiæ, concurrunt vt passiua: quæ verò se habent ex parte formæ, concurrunt vt agentia, atqui eiuscemodi qualitates primæ in relationẽ ad formam introducendam sese tenent, ex parte materiæ, quia sunt dispositiones materię pro forma introducenda: sunt igitur passiuę. Præterea naturæ ordo est, vt imperfectioribus, & ordinatis in finem vtatur loco materiæ, perfectioribus autem loco formæ, vt dicebat lucidissimus Themistius tertio de anima tex. 36. Atqui primę qualitates sunt imperfectiores, & ordinantur ad formam tanquam ad suum finem: materiæ igitur locum habent. Auerroes lib. 2. collect. cap. 11. dicebat animam vegetabilem, quia ad rationalem ordinatur, locũ materię subire. Sic profectò interpretandus est Aristoteles secundo de partibus anim. c. 1. cum dicit, caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatẽ passiuas esse, ac sese habere pro materia. Iam igitur audisti, quid sentiam, tuum modo sit iudicium.

Quod scribis in postrema parte tuarum literarum, responsionem meam ad Apologiam Iulii Cini Colensis contra Vincentium Cibum Fulginatem conciuem tuum, virum quidem, vt genere illustrem, sic doctrina excellentissimum, non tibi modo, sed Cordellæ, Paparellæ, & Fulginatibus omnibus gratissimam fuisse, mirum in modum gaudeo: vestrum enim apud me iudicium plurimum potest, idcirco edetur illa aliquando in publicum. Cæterum quia nolim studiosos Cinici illius arbitrari, me aliquid imposuisse illi, cum editione responsionis meę. Apologiam diuulgabo, quam nunc hac de caussa ad vos mitto, vt scilicet omnes locos diligẽter conferatis, meq; admoneatis, si quid fuit prætermissum.

Iulii

Iulii Cyni Medici, epistola apologetica contra Vincentium Cibum Fulginatem Medicum Clarissimum.

NIcolaus Misinus pater tuus, vir officio, & humanitate ad summum expletus, his postremis diebus tuo me nomine salutauit: quare habeo gratias: & ne videar tecum in suspicionem, & criminationem hominis ingrati animi incidisse, decreui pro salutatione literas dare: & cum ista occasione & scribendi opportunitate casum illius Illustrissimi vita functi, fesso calamo resignare; vt præceptores tui & doctrina, & plurimo rerum vsu clarissimi, me à falsa malignantium calumnia vendicare non desistant, & his mediantibus fide, & testimonio tuo, qui omnibus semper interfui, comperta veritate, illam tanquam supremam excolant, & confirment. quare feram ego primo historiam: secundo aduersarii opinionem adsignabo: tertio respondebo obiectionibus: vltimo detegam errata, & hallucinationes ostendam, ob textus Galeni negligentiam, & primarum disciplinarum ignauiam: ex quibus illius infælicissimi sequutus est interitus.

Ordo progressionis.

Cum ergo illustr. Vir ille mutatis equis, sæpe sæpius, & in diebus canicularibus Romā vsque profectus esset, & in itinere, & in Vrbe in victus ratione deliquisset, & plurimum etiam præter consuetudinem ob ægritudinem tabidam fratris, ex qua obiit, inuigilasset, in patriam rediit: sed, vt animus à dolore, à quo maxime afficiebatur, auerteretur, in suburbanum profectus est: in quo in febrem incidit tertianam: sicuti ex caloris energia, & pulsus commensuratione, & vomitu, & typi cum rigore, & alternis diebus periodo considerari poterat: & primo die bilis euomuit, & pituitæ portiunculam, & postride minxit more sanorum, & ambulauit in apricis. Altera iterum accessit rigor, vna cum nausea, & vomere nunquam potuit: & de ventriculo admodum conquestus est, cibumque omnino neglexit, vt noctem, ob eius dolorem, & morsum, totam fere inquietam duxerit: at mane iniecto molle clysteri quieuit, & fœliciter in patriam rediit: sed postridie riguit, & in ventriculo maximam percipiebat perturbationem, & oximeliten tepida raphano paratam euomendi gratia despexit, & sine cibo permansit, & laboriosam noctem admodum duxit: mane vero optime quieuit, sed cassiam cum hieræ polline permistam omnino assumere recusauit, & mandato Medicorum stare neglexit: at amicorum precibus commotus, mannam accepit, quam confestim vomuit, & cibum abominari maxime cœpit.

Historia.

Placuit domesticis compatrem ęgrotantis Medicum maxima opinione apud illū aduocare: qui hora quarta paroxismi imminentis fere nos conuenit, in qua æger de ventriculo maxime conquerebatur: quare Medicus illico medicamētosum parat clystere: Ego verò, ne talia in hora imminētis paroxismi vellet Medicus experiri, amice commonebam, sumpta indicatione & à temporis cōstitutione, & humoris commotione, & consuetudine, atque propensione, & ea præsertim hora, in qua paroxismi insultus quasi immineret, etsi illi non esset continuo præfinitum tempus omnino constitutum. Quare, si hæc modo tentarentur præsidia contra rationem indebita, & inconuenientia, maximum detrimentum afferre possunt, & nullum iuuamen siue obscurum, siue præsens, siue futurum præstare: & vomitum tunc esse tentandum proponebam, iuxta Hippocratis sententiam. Vbicunque scilicet natura expulit, humores noxios per loca conferentia eo ducere, idest per regiones conferentes, & sibi propitiatrices. At quantum in hora paroxismi sit momēti vomitus, classici omnes profitentur. At velle modo cum vrget febrilis motus, enemata, & medicamentosa huiusmodi parare, est omnino quærere naturę agitationem reuellere, & febrem æstuantem continuam studiose proritare, vt recte dicebat Auicenna & Alexander Trallianus.

2. de temp. 2. 4. aph. 3.

1. aph. 21.

1. ad Glauc. cap. 3. supra. Auicēna. 1. 5. cap. prop.

Quod si inueneris humorem declinare ad vomitum, in primis fac eum vomere] & infra: cum natura mouet vomitum, caue ne diuersifices eam] Quibus omnibus nihil respondebat: sed in proposito perseuerare illo studebat.

41.cap. de putrid. in generali. Quare ipse errata hæc animaduertens Cæsari Magaletto eius necessario, & in agendis plurimo rerum vsu versato, sum protestatus; vt si quid ex immissione *Protestatio.* clysteris mali accideret, vt ego animaduertebam futurum, mihi non imputaretur. Placuit domesticis, compatri obsequium præstare: quare clysterem recipit, *Virgilii Carmen.* quod reddere nunquam valuit. At Medicus opinione delusus, vt palam cum poeta caneret: *Tu ne cede malis sed contra audentior ito.* Alterum validiorem parat; quod simul cum primo retinet: quare & suppositoria acuta ille parare, & alia *adagium.* præsidia ad educendas fæces à Medicis excogitata, non desistebat: sed hęc erant omnia, aquam haurire cribro: cum paroxismi insultus iam sese in lucem prodiēs valentior sursum bilis motum magis commoueret, quàm deorsum parata auxi- 10 lia auertere, & reuellere operam nauarent. Vt iam controuersia, & conuitia ad *mortis ægro tantis prima caussa.* pugnas, quàm exactissima in conspicuo apud omnes iam palam apparerent, inter naturę, & humoris propensionem, bilem ad ventriculum ascendere propérantem, & clysteri per contrarias vias illam retrahere, & violenter commouere, velis remisque operam præstantem: ex quo ęger in agone maximo quamprimum ductus, vt loco sese continere præ angustiæ violentia nequaquam tantillum posset, vt in extenuationem tandē vnà cum sudore præcipuò inciderit: qua- *Oppo. aduersarii de sudore.* re dum hæc & maiora vrgent symptomata, Alexander Guidonius vir humanissimus, & officio præclarissimus retulit, infirmum in sudore maximo versari: ex 20 quo Medicus maxima animi hilaritate affectus, exclamare non desistebat, sudorem fore istum salubertimum, & certam fælicitatem polliceri, cito aduenturam omnino.

Ego verò, vt optimè memoria polles, hominem commonere non desistebam: ne sic incompositè, & contra rei medicæ peritos de sudore ita sententiam iactare profiteretur: cum ille in principio paroxismi scaturiret, quo in tempore *1. epid. 1. 2. cap. 27. 4. aphor. 22. & 2. epid. 4.* tantum abest, vt iuuamentum afferat, sed detrimentum certissimum ferat: est enim hæc tertiana producta, & quartus in ordine paroxismus; ideò benè docebat nos Galenus, quod quando aliquis incipit morbus, si quid tunc excernitur, 30 non ex naturæ tunc præualentis ratione, sed benè symptomata eorum, quæ sunt in corpore præter naturam dispositionum, quo in tēpore natura grauata à caussis morbum facientibus, & tūc adest humorum cruditas, vnde aliquid tunc vtiliter vacuari, est impossibile. Quare non possum te mirari virum ętate, & opinione præcipuum, ita de sudore incomposite verba apud vulgares iactare, cum nihil de illo habeas certi, an calidus scaturiat, vel frigidus: neq; tenes, an vniuersalis, vel particularis existat, quod in hac arte est maximè, tum speculationis, tum certitudinis. Aduerte ergo tum primo, ne de te vulgares malè sentire decernūt, cum homo certi iudicii habeatis.

Audiens autem Alexander hanc inter nos vulgari sermone disputationem 40 *Sudoris loca* officiosam, adiit ægrotantem, & manu exploratrice per vniuersum corpus deducta, retulit sudare virum nobilissimum maximopere sudore calido sanè, sed circa collum, vultum, & thoracem duntaxat.

Quare iterum atque iterum magisque vir ille exclamare non desistebat: nihil isto sudore fælicius excogitari posse: & salutem firmissimam citò aduenturam omnino, quam exactissimè polliceri.

2. progn. 12. Ego verò infelicitatem pręseferre in contrarium affirmabā, vel morbi longitudinem, & hoc ex febris vehementia iterum distingui enunciabam, eiusq; rei *2. progn. 12.* testem Hipp. dabam, & Gale. Pessimus verò sudor si egrediatur frigidus circa caput, vultum, & ceruicem, neque integram sententiam expectare volebat, sed 50 tumida quadam iactura commotus, respondebat me verba tex. non intelligere: in quo Hippo. de sudore frigido verba facere asserebat, & in cachinum maximum sese prorumpebat.

Amice quid ex verbis Hippocratis habes? quid nam oblatras? dicit enim textus, si egrediatur frigidus: Alexander autem retulit, si Midæ aures non habuisti, sudorem esse copia exuberantem, & caliditate redundantem. Quare Hippo. de sudore frigido ibi, & Galenus verba facit: de quo etiam & vulgares malè sentiunt

sentiunt omnes, qui semper infelicitatem, vel mortem pollicentur. At calidus sanè est, si nescis, iste sudor: quare manum fęrulæ iam iam subducito, & adhuc Senex in re medica docendus, adscito: scias enim modo rem tibi cum illo esse, à quo responsum ferre possis. ipse verò hominis illius iactantiam admiratus respondebam, mutilatam Hippocratis vix dedi sententiam: credebam enim cum viro agere & iudicio, & modestia confecto: sed affirmo te etiam, atque etiam esse valde hallucinatum: cum interpretum apud Gelenum duæ sint partes.

10 Primum, vt authoris sensum in exponendo sententias seruet: secundo, vt illa dicere commodè studeat, quæ ad exactam fidem, & rei naturam intelligẽdam conducant.

Non enim licet secundum voluntatem nostram grauissimorũ authorũ exponere sententias: sicuti ipse contorto sermone profiteris, cum Galenus nullo alio refragante, & de sudore calido etiam Hipp. ibi docere posteritati mandauerit: quare ipse vel non legisti, vel neglexisti; & manum ferulæ sudducere voluisti: sed hæc dimittantur. Exponit ergo Galenus. Etenim cum eũ sudorem malum esse dixit; & si circa caput, & ceruicem adueniat, licet frigidus non sit: hic enim syncopem futuram minatur, frigidus verò iam incipere testatur.

6. epidem. in proœm.

2. Progn. 12.

At ille ne trantillum quidem commotus, Hippocratis dictum contortè glos-
20 sabat in hunc modum.

Aduersarii falsa expositio.

Hippocratem de sudore circa caput, vultum, & collum duntaxat loqui: sunt enim Hippocratis verba maximopere ponderanda, & cum grano salis interpretanda: est enim ibi hoc verbum, duntaxat, quod est exclusionis energia: aliud enim est dicere, circa collum duntaxat; aliud per regionem thoracis, maxime enim adinuicem inter se, si nescis, dicuntur distare illę partes: cum etiam loco, & functione, & termino admodum distinguantur ad inuicem: sed dimissis altercationibus, habeas hoc pro comperto omnino.

Sudores istos iuxta regionem vniuersam thoracis semper apud Galeni censuram, & Hippocratem saluberrimos esse, & omnimodam fælicitatem, & mor-
30 bi salubritatem polliceri: quod millies longa experientiá comprobatum, & modo his proximis superioribus diebus Episcopum Tiphernatem curaui; qui çum isto sudore, quem prę manibus habemus cito, tuto, & fæliciſsimè conualuit.

Ego verò maximam hominis iactantiam admiratus, cæpi nouum doctrinæ genus aperto marte detestari, & tãdem asserere, esse quid erroneũ has in re medica configurare chymeras: cũ modo Hippoc. contorte glossando, modo Quintilianum, & Calepinum testem adducẽdo, modo ad cõfigurationes mathematicas confugiendo, honestam fugam arripere profitearis: & quod peius est, non suffunderis aliquo certo pudore affirmare apud Galeni, & Hippocratis censuram, sudores thoracis esse omnino saluberrimos. Quis enim audet tam absurda
40 profiteri, & à tam aperto mendacio non abhorrere, dum refers, verbum duntaxat] cum alio verbo, circa] copulatum, denotare exclusionis notas, cum partes potius adiacentes sibi in consensu vindicare deceat: est enim circa] nota copulationis, & continuationis. sed hęc dimittantur Grammaticis, & Gal. oppositum docentem, atque exponentem referamus.

Aduersarii fuga.

Quibus lumborum dolor diu perseuerans, cum æstu fastidioso fit, si sudent, malum] hæc Hipp. exponit Galenus hunc in modum, videlicet, siue enim sudorẽ exiguũ toto fieri corpore ob epidermidis, nomina significari intellexerimus signum bonum non esse, cum ab eo, etsi non dolorem lumborum certe fastidio-
50 sum solui oportebat.

1. prorret. 3. & 1. 7.

Siue sudores eos, qui circa thoracem, caputq́; fiunt intellexerimus, quod perpetuo ii mali sint, constat. Quid clarius? sunt enim apud illos authores grauissimos, tales sudores semper detestabiles, semperque infelices, & malitiam secum omnino vindicare dicuntur, & appellãtur particulares, de quibus dicebat Auic. doctissimus.

Sudores colli, capitis & tho. semper mali apud Hip. & Gal.

Sudor specialis, & particularis, & in vltimo loco tantum semper est malus, &

illaudabilis: cuius rationem iterum expreſſe Galenus dicebat, videlicet fieri nequaquam poſſe dari coctionem priuatam in vna parte tantum, crudo adhuc exiſtente ipſo morbo.

Quomodo ergo, vir doctiſſime, potuerunt iſti ſudores ſalutem, vt ipſe falſò & Galeno, & Hippocrati imponis, polliceri non video: neque Argus ille fabuloſus vnà tecum, ſi voluiſſet, potuiſſet conſcribere: ſuſcipiamus ergo à te homine nouum doctrinæ genus, vt verè ille ſis, de quo dici poſſit,

Vnicus ille ſapit, niſi mens inuoluitur vmbris.

At ille iracundia permotus, in ſudore illo diaphoretico ægrum vſque ad faſtidiū pellibus operiri mandauit, cum in agone illo maximo, & ob clyſterum retentionem, & bilis ad inteſtina interceptionem æſtuando, adeò cumulatiſſimè ſudaret, vt in ſyncopē inciderit. Quod ille animaduertēs Epiſcopi Tiphernatis hiſtoriam diſſimulans, exclamare non deſiſtebat: remouete pelles, & lintea abſtergēdi gratia calida parate, cum nō ſit amplius tēpus inſudandi opportunum.

Mortis ægrotatis caußa.

Tales ſudores ſępe niſi coerceātur ſolent concitare.

Ego verò, vt à linteis tam calidis, quàm frigidis, ſed maximè calidis, tunc vellet abſtinere, amice commonebam, cum illa parare eſſet magis, magiſq; valentius velle ſudorem à corpore euocare, quàm coercere, teſtemq; illi Auicennam dabam. Et non oportet, vt occupetur in exſuccando, ꝗ rorando egreditur, faciendo exſuccationem poſt exſuccationem: nam illud eſt occaſio ad prouocandum, & multiplicādum, & fortaſſe attrahet ſyncopam, nam eius abſterſio addit in ipſum: ſed animaduerſio hæc erat inanis.

4 primi cap. propri.

Manè autem ad colloquium iterum conuocat, vbi palàm aſſeruit febrem hanc procul dubio eſſe peſtilentem, & modo valde malignam, & à principio fuiſſe duas tertianas, & me de prætermiſſa ſanguinis miſſione largo ore accuſabat, ex cuius ignauia ægrum in mortis imminentis periculum incidiſſe affirmabat. Quod etiam palàm literis ſuis cuidam illuſtriſſimo confirmauit.

Opinio aduerſarii.

Quibus omnibus reſpondebam:

Viri, qui in corona adſtatis doctiſſimi, conterere tempus in ſermone, & homines bonarum diſciplinarum cultores ad conuitia, & pugnas prouocare inofficioſi hominis eſt, ſed hęc dimittantur: Vir ergo iſte, & exiſtimationis, & doctrinę haud illudendæ inuehitur in nos, non diſciplinis Peripateticis, ſed verbis nudis duntaxat, & quatuor criminationes adducit, eaſq; non Philoſophorum, ſed legis latorum ritu deducit, qui ſanciunt, & non demonſtrant. & primo tenet:

Hanc febrem à principio, quam non potui vidiſſe aut cognouiſſe aliquo pacto, fuiſſe peſtilentem: aberat enim à nobis, & longè quidem ſanè.

Secundò eſſe valdè malignam, cum in aduentu ſuo nobilibus multis publicè dixerint, morbum fore etiam omnibus numeris ſaluberrimum omnino: & heri veſperi ſudorem illum ſalutem polliceri cito aduenturam, & quàm firmiſſimam: quare non ſibi ipſi conſtat.

Aduerſarii incōſtantia. 1. ad Glauc. & 6. epid.

Tertiò contraria, & impoſſibilia aſſerendo deducit, dum vult præſentem morbum eſſe duas tertianas, cum febres tertianæ malignæ in rerum natura inueniri non poſſint: neque peſtilentes, vt modo ex Galeni decretis, & Hippocratis demonſtrabo, cum illæ ſint de genere intermittentium, & ſalubrium: hęc verò continuarum, & exitialium.

1. Phyſicor. in proœmio.

Quartò & vltimò me de nomine negligentiæ & ignorantię crimine accuſare non erubeſcit, dum mortem huius nobiliſſimi, & illuſtriſſimi Viri in prætermiſſam ſanguinis referat miſſionem. Hæc ſunt, quæ aduerſus me iſte vir doctiſſimus adducit, abſq; aliquo medio contorta, & in cōpoſita theoremata. Quibus omnibus reſpondebo, & in dirimendis illis dabo vos ſimul æquè arbitros, & iudices: Reſpondebo ergo ſigillatim, primo ſupponendo vnū Ariſtotelis, videlicet quòd omnis vera cognitio habetur à nobis per exactā rei eſſentiam, & illius certas & proprias cauſſas. ideò & rectè ſanè poſteritati mādauit: quod tunc arbitramur ſimpliciter cognoſcere vnumquodq;, cum cauſſas primas, principia prima cognoſcimus vſq; ad elementa. At cum cauſſarum cognitio intellectū effugiant, ideo ad ſigna eſſe primo condeſcendendum docebat. Innata eſt nobis via, & reliqua.

liqua. Quæ quidem cum in multiplici verſetur differentia, de illis verba tantum faciemus, quæ & inſeparabilia, & propria appellantur, & certam cauſſarum notitiam apud omnes demonſtrare fœliciter dicuntur, & dignoſtica appellantur.

Quantum ſit de ſigno inſeparabili, inuenio apud Galenum, ſignum febris peſtilentis inſeparabile, & perpetuum eſſe alui profluuium colliquatiuum, cuius hæc verba ſunt.

Et peſtis quoque illa longiſſima, quæ noſtra ætate vulgata eſt, pro excrementa alui omnes quoque peremit, & quę vacuabantur, erant ſyntaxis. Quod quidem ſymptoma appellat perpetuũ febrium peſtilentiũ ſignũ.] hęc Galenus. Nõ 10 poterit ergo dari febris peſtilens abſq; ſyntaxi, i. abſqe alui fluore, & profluuio colliquatiuo: cũ hoc à Galeno illi aſcribatur ſymptoma, & ſignum perpetuum.

Reſtat aſſignare proprium, quod illi competat ſoli, vni, & ſemper, tale erit ſedes affecta, & ſicuti in pleuritide, exempli gratia, ſedes affecta eſt membrana ſuccingens coſtas: ita in peſtilenti febre cor. Et corrumpitur in ipſo corde, quod circundat ipſum.] Et reliqua, quæ verba à Galeno accepit, ita enim ait: Nã quibus calor hic putridus vniuerſus, quos continet cordis ſinus, defluxit, multi fuerunt ſuperſtites. Accenditur ergo in febribus peſtilentibus putredo in humoribus cordis primo & per ſe & per excellentiã altioris putredinis. Nã illa eſt inter alias febres ſua vera differentia: ita enim dicebat, febres peſtilentes differre ab 20 aliis ob excellentiam putredinis] & hoc patet ſenſui, quia febres peſtilentes cito interficiunt ratione partis, in quibus viget, & maximæ putredines, qa in illis cadunt omnes virtutes propter cordis affecti præſtantiam, quod non contingit in aliis putridis: in quibus, etſi putredo cordi impertiatur, non tamen illi accedit primo, & per ſe, ſed per communicantiam, & arteriarum, & venarum obſtructionem, & non per propriam ſedem affectam, ſicuti in febre peſtilẽti. His iactis fundamentis, probo, & à poſteriori primo, & poſtea à priori febrem iſtius nobiliſſimi viri nullo pacto fuiſſe peſtilentem, quia illa non poteſt inueniri abſq; alui colliquatione, vt docet Galenus: ſed ęger noſter nunquã habuit beneficiũ ventris, niſi per alternis diebus emolliẽtia parata enemata, videlicet in die quie- 30 tis, ex quibus vix ſemel deiecerat. & hæc de ſigno inſeparabili, & illi perpetuo.

Quantum ſit de proprio, certum eſt, quòd peſtilentes omnes habent eſſe in humoribus cordis gradum excellentioris, & maioris putredinis, primo & per ſe, quàm aliæ febres, quæ non poſſunt alternis dieb. cauſſare rigores, & peruenire ad integritatem fere ſimplicem, & cum hoc ſit ſignũ certiſſimum intermittentium, & non continuarum; at peſtilentes non poſſunt eſſe aliquo modo ex intermittentibus, cũ putredo ſit ad intra vaſa ipſius cordis primo & per ſe, at febres intermittẽtes ad extra vaſa, & ideo habẽt periodos & declinationes, quod non contingit in peſtilentib. ergo hæc febris nullo pacto poterit appellari peſtilens.

Reſumendo ergo orationem noſtram probo à priori ſupponendo iterum di- 40 ctum Ariſtotelis: colliquatio non poteſt fieri aliquo pacto, niſi à flagrantiſſimo, & acutiſſimo calore, vt patet de cera igni expoſita, & metallis foſſilibus. His iactis fundamẽtis arguo, & cum Ariſtotele primo phyſicorum ſic. Ab agente proportionato, & adequato, & in materia proportionata, & adæquata, ſequitur effectus proportionatus in ſpecie, cum conueniens fiat à conuenienti, & quodlibet non agat in quolibet, ſed determinatum in determinato: ergo hęc febris non poterit aliquo pacto appellari peſtilens: cum in peſtilentibus calor deurens & colliquans ob excellentiam putredinis in humoribus cordis detentum inducat neceſſario colliquationem. i. fluxum colliquatiuum: cum idem apud Peripateticos legitimũ ſit agens, diſponens materiã, & inducẽs formam: canamus 50 ergo cum Poeta noſtro, & adnectamus, quoniam,

Quo te quæſo pedes, aut quæ via ducit in vrbem.

Quantum ad ſecundum, reſpondebo cũ Philoſopho, ita enim ait: Veritatem expectare à dicentibus ſermones falſos . . . . . . proſequi. Etenim errores perſuaſionem faciant, & homines potius à vera ſapientia recedere, quam ipſam largiantur. Cũ apud Galenũ febres malignæ ſemper ſint acutiſſimæ, & per con-

4. primi cap. propri. 4. de præſag. pul. cap. 5. 6. epid. 283.

Virgilii Carmen. Vetuſtate. conſumptũ verbum legi non potuit.

ſequens ſine rigore,& cõtinuæ,& cũ validiſſimis inflãmatio nibus in viſceribus non omnibus,ſed ventriculi pulmonis,iecoris,& ſepti tranſuerſi ex propriis caracteribus & ſignis partium illarũ,in quibus vigẽt:da ergo rationem,& enumera modo, ſi potes,ſigna:ſed quia in omnibus tyrannicè mecum agis, numerabis fortaſſe tale cum Satyrico illo argutiſſimo,quod eſt.

Iuuenalis Carmen.

Virgil. Carmen.

Sic volo,ſic iubeo,ſic pro ratione voluntas, vel cum Legis peritis confiſus id fortaſſe agens: Quod principi placuit, legis habet vigorem, ita enim ſancire decreta palam profitetur.

Ad tertium ridiculè ad ſummum expletum reſpondeo, dum vis hãc febrem eſſe duas tertianas: heus bonè vir, quomodo ergo hęc poterit per te eſſe peſtilens,& maligna,cum vna tertiana,ſiue duæ,ſiue centum,ſiue mille,loco,gradu, & periodo,& termino maximè diſtent ab inuicem, & magis ſanè à peſtilẽtibus. *Quantum lentæ ſolent inter viburna cupreſſi*. Sed hæc criminatio eſt adeò inepta, vt nullum reſponſum mereatur. Quibus omnibus ita reſpondebat. Dari quandoq; apud Galeni cenſuram febres peſtilentes, placidas, & malignas, mites: ſed authoris locum nõ tenere. Ego verò mecum Galeni locum excogitans, ita reſponſum afferebam, Viri doctiſſimi, Auerrois vir diuinus certè Auicenna redarguebat, cum & ipſe in iuuentute verba expoſitorum tantum conſiderando, & legendo, & Ariſtot. textum negligẽdo in maximos errores ſępè ſepius inciderit, & poſtea genio meliori ductus, & matura ætate confectus textum interpretando ſe ab erroribus omnibus vindicauit: ita enim faciunt nonnulli Medici noſtri temporis, qui practicantes legunt, authoritates ibi adductas pro oraculo recipiunt, & ne tędio cum Galeni longitudine afficiantur, ibi propoſitum totum conſtituunt, quare dicebat ille vir, cauſſa erroris Auicennæ fuit, in quo nos quam longo tempore verſati ſumus, quia inſpiciebamus tantummodo verba expoſitorum, & negligebamus illa Ariſtotelis. oportet ergo videre opiniones authorũ in proprio fonte: quare iſte vir citat authoritates perperam intellectas, & æquiuocatio decipit illum, & non vidit propriam authoris ſententiam: fuit Galenus Græcus, & Aſiaticè ſcripſit, & adeo quandoque confuſus, & longus, & varius, vt integrum hominem requirat. dicit ergo Galenus, non tamen calore vehementi ſunt febres peſtilentes, ergo forma peſtilentis febris non eſt calor ad ſummum deurens, & colliquans: ita enim credo te rationibus, & aliis authoritatibus velle reſpondere.

3. de anima 30.

5. ſympt. 8.

Ad authoritatem reſpondeo, quod Medicus eſt artifex ſenſitiuus, & in febre peſtilenti ſenſus exploratione duas animaduertit caliditates: quarum altera appellatur externa, altera vero interna: quæ eſt externa ad eam, quæ ad intra viget comparata, videtur mitis, & ſuauis: cum ita docent ſenſus, & Galenus ipſe, qui ita de illa verba faciebat ex Thucidide.

6. epidem. 18. & in cõ.

Atque idcirco neque calidæ, neque perurentes videbantur, qui peſte laborabant, quamuis ad intra magno flagrarent incendio, & interiora comburi viderentur, vt neque aliquod valde ſubtile linteolorum velamina præter nuditatem perferre. Hęc Galenus. hoc idem Auicẽna ſentiebat. Hæc febris eſt quieta exterius, & perturbans interius. & Galenus iterum, febris, etſi placida appareat, & ſæua habeat ſymptomata, non videtur ſufficienter docere, oſtendo hoc eſſe neceſſarium omnino.

Auic. c. proprio. 4. aca. 67.

Quia ex maxima flamma in corde contenta, cor ſanguinem, & ſpiritum generare non poteſt, adeò ſufficienter, vt tam ab extra, quàm ab intra poſſit ipſos æquè tranſmittere: cum vix ſufficiant ad nobiliores partes fouendas, & conſeruandas, vel contingit, quod à validiſſima flamma calor attrahatur à circunferentia ad centrum, tanquam à cucurbitula, vel tanquam oleum in lucerna, at ſummatim ecce, quod nihil in contrarium poteſt ſententia: vide quam in authoritate latet ęquiuocatio & fallacia, quia Æthiops etiam eſt albus ſecundum dentes: ergo Æthiops eſt albus.

Horatii cõment. 6.

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.

Quo ad aliam authoritatem credo. Excellentiam ſuam hiſtoriam hanc velle citare

citare, quidam modice febrire videbatur, attamen post quartã diem minxit vrinam aquæ instar, at colore quidem nigram: in quarta die visus est bene se habere, vt in sequentibus diebus leuaret. At septima die tabefactus obiit. ergo dabitur febris maligna, quæ appellabitur placida: ita enim te arbitror velle deducere.

2. prorrh. a8.

Extat & alia Galeni authoritas, quæ huic opinioni videtur sua debita suffragia præstare: & debiles enim & exiguæ febres interdũ valde sunt maligæ. Ergo per hanc authoritatẽ non erit verũ dicere apud Galeni censurã, febres malignas insequi viscerũ validissimas inflãmationes. Ecce vir doctissimè, quod modo ante oculos habes candidissimas authoritates, oppositas sentẽtias sibi ipsi repugnantes circũducere; quare nõ iniuria dicebat ille vir summus: Scire est rem per caussam cognoscere, & non per authoritates, & præsertim contorte interpretatas, & perperã intellectas, & cũ illis ambulare, sit tota aberrare via. Dicimus ergo nos procedendo, & protrahendo rationẽ nostrã ex propria rei essentia, & natura, de qua agitur, certũ esse, & indubitatũ apud Galeni censuram, malignitatẽ & prauitatẽ humorũ originẽ recipere à magnitudine putredinis: at magnitudo putredinis via est, vt docent Peripatetici, ad corruptionem, & ad nihil, & quanto magis succi à calore extraneo subagitantur, tanto virilius à forma propria & naturali conspiciuntur recedere, quia apud doctos Peripateticos, qualis est proportio materiæ ad materiam, talis est formæ ad formam: cum ergo materia illa amittit suas qualitates, & ad corruptionem se suscipiendam parat, & efficitur gradatim maligna; & quandoque ad talem energiam ascendit, vt veneni materiam assequatur: quod patet in viduis, dum ex corrupta seminis retenti natura corripiuntur, vt docet Galenus, qui in promptu aliàs de febribus malignis verba faciens docebat, illas non posse consistere absque syntaxi, id est colliquatione, quod apud sensum non potest imaginari, absque maxime extraneo & flagrantissimo calore. ad authoritatem. Debiles & exiguæ febres sunt interdum valde malignæ. Intellige de calore externo, & non interno, vt patet in febribus illis, quæ lypiriæ appellantur, in quibus exteriora videntur semper à frigore detineri, & interiora deuri vehementer: non potest ergo febris maligna dari, nisi cum vehementissimo calore, & viscerum inflammatione; & sic sunt authoritates interpretandæ, non, vt verba sonant, ex commentariolo recipienda.

ex 4. meth. Arist.
Quarto cæli. sum. 2. capit. 4.
Prima epid. par. 2. cõ. 30.
4. aphor. 48.

Respondeo ergo cum Aristo. ad primam authoritatem, te valde hallucinatum: quia ille acutissime febriebat, nam sensus nunquam decipitur circa propria obiecta, quare hic minxit vrinam, instar aquæ, quæ caloris extinctionem ostendit, tamen illa erat colore nigra: ergo massa sanguinis cremabatur à calore externo putredinali, vt sentio; erat enim nigra, sicuti accidit in carbonibus. & subdit Gale. septima die tabe correptus. hic enim ex acutissima febre putrida in tabem, idest hecticam incidit, & ideo visus est bene se habere: quia omnes illi, qui hac febre detinentur, non percipiunt se febricitare ob æqualem intemperiem, tum in habitum confixam, vt optime declarat Galenus in illis febribus semper contingere: ad authoritatem. Hic videbatur modice febrire, ergo modice febriebat. negatur consequentia: quia aliud est vere esse, aliud conditionate, & apparenter, vt docet Aristoteles, vt de carne in aqua fabulosa, & carne vera notabat Æsopi fabula. Quare dum mecum in præsentia verba facis, absurda semper deducis, tibi ipsi nequaquam constans, morbi huius constitutionem, & propriam ideam nõ cognoscis, & in sophisticas importunitates incidis, & quod omnium dictu turpissimum est, temere Galeno & Hippocrati imponere non erubescis, quæ è directo contraria profitentur, dum audes docere apud illorum censuram sudores, qui circa caput & thoracem scaturire tantummodo dicũtur, morbi salubritatem, & iudicii certitudinem indicare. & inde ducendo, & comprobãdo semper organũ dialecticum inuertis, & retrogradis raptus habenis, & ideo contorte agis omnia, & quasi nauis hyeme media in procellis sine gubernatore huc illuc incerto cursu vehi videare, & quæ de illo Episcopo iactes, sint vetularũ nugæ, dum næniás, & fabulas in potibus iocose erudiant: & cum poeta iterum respondes.

2. de anima. 63.

Virg. carmen.

Reſonant arbuſta Cicadis.

Vltimo me ſtimulo importunitatis, & maledictis laceſſere non deſiſtis: dum nulla aliqua vel ratione, vel authoritate impulſus, me de prætermiſſa ſanguinis miſſione, accuſas, ſed aures tuas quęſo candidiſſimas mihi accomoda, qua in re fortaſſe oratione euagabor longius, quàm ęquũ foret; peto vt mihi ignoſcatur: cum multi in hac ciuitate viri fuerint ſępè ſepius maxima admiratione affecti, dum conſpexerint, me in exequendas rei medicę curatiuas partes à prima morbi die exhibere lenientia & emollientia, appellata pręſidia, in quorum albo eſt manna ipſa exempli gratia, & fiſtularis caſſia, & in ſequenti die nullo certè refragante ſcopo venæ ſectionem imperare: cuius oppoſitum ipſe, è directo talibus auxiliis neglectis, ſanguinem omnibus indifferenter euacuando exercebas. quę quidem operatio, ſeu modus in aere iſto humido, nebuloſo, craſſoq́;, vbi deſtillationes, & obſtructiones maximè, & lienis & iecinoris vigẽt, vbi homines fungis, vaccinis carnibus, lagenis, & è paſta edulia varia eſculẽta, & ſuillis, & cerealiis eduliis veſcuntur, & per ſex menſes lorum bibunt, fœliciter adminiſtrari poſſit, nolo ego iudicium ferre; ſed ad rem noſtram.

In hauriendo ergo à venis ſanguine, Medicus ille non ſolum debet ſibi ante oculos proponere, quæ hoc auxilii generoſi munus indicare conſpiciuntur; ſed ea ſimul Papę, quę id vel prohibent, vel remorantur. Ipſe verò eas tantum tibi ante oculos proponis partes, quæ hoc indicare conſpiciebantur aliis vel neglectis, vel immaturè commenſuratis. at ego cum omnia requiſita ante oculos habere profitear, etiam in operibus omnibus artis admodum conſenuerim, ea remouere primo parabam incommoda, quæ talem vacuationem vel euellere, vel pro tẽpore remorari ab omnibus maturo iudicio iudicãtur: talia enim ſunt opportuna occaſio, corporis diſpoſitio, pręparatio, virium conſtantia, & fortitudo, ætas & morbi magnitudo, ventriculi, & primarum venarum cruditas, impuritas aluus adſtricta; & inteſtinorum coaceruata colluuies; & quę huiuſmodi energię & tenoris inueniuntur; quibus vel dimiſſis, vel neglectis, maximum periculum impendet. quare ſi cũ ventriculo, vel copia, vel cruditate aliquando tumet quis, venam ſecare audebit, neceſſariò illa humorũ coinquinatio, & putredine parata colluuies, vel iam putrida tanquam iure poſtliminii ad intra venas traiiciuntur, cum ex propoſito & conſilio non agat ipſa facultas noſtra, & natura, quare qui hæc negligens operam præſtabit, ęgros in præcipitem mortem aget. Remouenda ergo eſt primum à ventriculo illa fæculentia blandiſſimis medicamentis, & viis illis expurgatis, nullo alio ſcopo refragãte, Medicus tuto poſſit poſtea ſanguinem mittere: oſtẽdebant ergo, Patres, in ſtomacho noſtri ægrotantis redundare cruditates vẽtriculi dolor, grauitas, nauſea, mala ſenſatio, inappetentia continua, & ciborum abominatio, rugitus illarum partium, dolor, vita ante habita, & corporis diſpoſitio fere cachomia: Quare ego talia incommoda remouenda apprimè cum caſſia, & hieræ polline mandaueram, vt in die futuræ quietis ſecurè ſcalpello poſſem venam incidere: quare ſi hæc temere à me fuerint conſiderata, vel maturo iudicio excogitata, iudicate omnes: ſed quia in hac parte contra me maxime oblatras, & iſtius nobiliſſimi viri imminentẽ mortẽ ob huiuſmodi auxilium prętermiſſum arguis, volo ego omnibus oſtẽdere, te maxime, & in curando, & in adminiſtrãdo mortẽ iſtius infeliciſſimi viri cauſſam, & occaſionem paraſſe. Confirmaſti modo morbum eſſe de genere tertianarum; differentia ſolum inter nos fuit, de ſolo numero: ſed hoc modo dimittatur, cũ à numero non accipiatur indicationis aliqua curatio. Satis ſuperq́; ſit modo morbi certam ſpeciem tenere: quia ego vnam tertianam, tu verò duas contendis, & aſſeris: etſi illam modo facias malignam, modo peſtilentem: quæ quidem tertiana nihil differt à febre ardenti, niſi loci duntaxat ratione: idemmet namque humor tam hanc, quàm illam accendit. locus ergo tantum verè ille eſt, qui alterum ab altero tantum ſeparat, & diſtinguit: quæ quidem vix accendi poteſt in nobis, quia hepar afficiatur, & à bile fomitẽ putredinis recipiat; quę natura propria, & acquiſititia eſt humorum omniũ calidiſſima, ſubtiliſſima, & ad motũ, & excandeſcentiam

Primo ad Glauc. cap. de tertiana.

tiam paratissima: insequitur naturã ignis, & hac tantum fortasse de caussa Alexander Trallianus cõmonebat Medicos omnes, quod in curanda tertiana maximam adhiberent diligentiam: quia ex quouis etiam minimo errore commisso efficiatur continua, & incurabilis: & nos quotidie experiẽtia sæpè sæpius notauimus, nullos ægrotantes tertiana detentos, qui ex intempestiua assistentiũ victus ratione in insultu paroxismi administrata ardẽti, & acutissima febre fuisse correptos. quare à fortiori magis, magisque verisimile est, & cõsentaneum; quod clysteria illa acuta, & suppositoria in corpore ægrotantis retẽta & in hora, & insultu paroxismi administrata, hepati nocumentum non vulgare attulerint: vnde & bilis ad intestina ad cõmouendas fæces parata, à violenta illa cõmotione fuerit intercepta, ex qua æger ille ãplius alia excrementa reddere nequicquã valuerit, & cum hæc symptomata maxima aliud subsecutum est longe à primo, quam violentissimum, cum bilis motus ad extra venas, & contrarietate motus & attractionis, à præsidiis deorsum tunc excogitatis fuerit interceptus, & ad intra venas occlusa, & à vaporibus fęcalibus exhalationem recipere non valentibus, ad principalia membra delatis subagitata, producta fuit æstuatio syncopis, sudores diaphoretici, euacuatio spirituũ, & caloris innati exhalatio, hebetatio & interitus: quod talia clysteria acuta possint nocumentum inferre, Galenus, & Auicenna, & Stephanus docent. non ergo ex prætermissa sanguinis missione, quam consulto missam feci, & probatum est, sequuta est infelicissimi illius ægrotantis mors, sed ex erroribus istis à tua Excellentia perperam cõmissis. Quare in tertianæ curatione de clysteriorum administratione in die paroxismi, & in hora illius commotionis fęlicius aliàs Galenum consule. Benè vale.

Li. 6. 12. cap.

Mortis prima caussa.

ADMODVM REVERENDO D. ALEXANDRO Iacobino Episcopatus Auximani Vicario Generali, atque Canonico.

VVLNVS IN CAPITE, CVIDAM SILVESTRO DELLA Babona inflictum à D. Iustiniano Mattuccio Auximati, non fuisse lethale.

Vulnera lethalia quot modis dicantur. Mori homines posse tam ex magnis, quàm ex paruis vulneribus.

EPISTOLA SECVNDA.

QVOD tibi, pro munere tuo, officioque diligenter interroganti, olim dictũ à me fuit, id nunc non alia de caussa duxi, literarum monumentis cõmendandum, quàm, vt certo scias, atque persuadeas, Augenium nihil habere antiquius veritate, plurimumque eos detestari homines, qui aliud ore, alud corde gerunt. Sũma est. Syluestrum à D. Iustiniano Mattuccio lapide in capitis vertice vulneratũ, mortuũ non fuisse, inflicti vulneris caussa, (quamuis ex quouis leuissimo vulnere mori homines contingat) sed mortem in alios affectus referendã.

Hoc igitur, vt explicemus diligẽter, primũ supponere oportet, vulnera lethalia dupliciter dici: vno modo, cum inferunt mortem necessario: aliò sanè, cum maiori ex parte talia sunt. de qua re Galenus ait: Sic, & nunc eam, quæ fit ex vulnere, conuulsionem lethalem dicit esse, non tanquã ex necessitate, ac semper mortem afferentem, sed tanquã admodum crebro. sic & in multis ex prioribus aphorismis lethalis nomine visus est vti] ac alibi. Hoc verbum, lethale, sępius dixit in aliis, & in hoc ipso libro de his, qui ex necessitate sunt morituri: sępius autem & in his, qui magna ex parte] hæc ille. Quæ si vera sunt, oportebit propositum vulnus lethale nuncupari altero ex his modo: verum certè neutrum illi conuenire ostendamus. Primum, ex necessitate non extitisse lethale, multa per-

6.apho.18. *1.de vsu p.10*

suadent: vnum quod vulnera capitis, in quibus cerebrum discissum est, Galenus lethalia nuncupat, non quod semper inferant mortem, quod frequenter. nam cerebrum (inquit) vulneratum, sępius sanatum vidimus, & semel, & bis in Smyrna, viuente adhuc Præceptore Peplope, & erat vulnus satis affatu dignum] At verò propositum vulnus, nullam in cerebri substantia, aut membranis, aut craneo, aut pericraneo læsionem intulit. quod verò huiusmodi est, ex cõmuni omnium consensu non modo lethale non est, sed leuissimum existimari debet: Prçterea explicans vulnera lethalia, vt semper in horum numero cordis vulnera recẽsuit: vesicę, in quibus tota vesicæ tunica discissa vsque ad spatium interius fuerit] vulnera gibbosæ partis hepatis; vulnera magna cerebri, in quibus illius ventriculi dissecti sunt; vulneraque septi transuersi. At certè in hoc numero non adsunt capitis vulnera, quibus craneum neque fissum, neque collisum, neque affectum aliter fuerit: quod huic Syluestro contigisse certum est; vtpotè cuius vulnus, neque pericraneum attingebat. Adde quod lethale non fuit altera significatione. nam paruum fuit vulnus: magna autem sunt omnia eiuscemodi vulnera, vt Galenus ait. Dicuntur tribus rationibus magna vulnera, vt omnis affectus magnus: vel ob affectus magnitudinem, vel ob principatum affectæ particulæ, vel ob malignitatem. Vulnus propositum nullo modo magnum dici debuit, quia non apparuerunt aliquando malignitatis indicia: dein pars, in qua consistebat, præcipua dici non potuit, cum duxtaxat cutaneæ partes oblæsæ fuerint, (præcipuæ autem partes sunt cor, cerebrum, & iecur) postremò vulnus fuit exiguum, nostro tamen consilio dilatum, apertumq́; vt possent facilius adhiberi medicamenta; affectæque partes inspici, si oportuisset. Amplius, ea vulnera lethalia dici non debent; quæ saluberrima sunt, sunt enim duo hæc inuicem opposita: at ea vulnera, quæ duxtaxat afficiunt carnem, Hippocrates libro de coacis prædictionibus carere omni periculo significauit. Hippocratesque vbi catalogum quendam exhibet vulnerum lethalium, sic scriptum reliquit: Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo transuerso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecinore lethale est] vbi adnotabis, discissum esse cerebrum oportere in vulneribus lethalibus: nõ dixit discissam cutim] vel discissam carnem] vt in proposito accidit casu: quod etiam alibi clarissime declarans, inquit: Vulnera quæ in cerebrum, aut in hepar, postea quæ in intestina, & vesicam sunt, hæc omnia perniciosa valde, non tamen ita, vt nemo ex his euadat, veluti putatur,] Adhæc verò si res ipsa sensuum fide extimanda est, pronunciare debemus omnino eiuscemodi vulnus lethale non extitisse, cum videamus quotidie, & certissimo obseruemus multo maiora vulnera in eadem parte infixa, nulla difficultate persanari,

Gal. ibid.

6.aph.18.

4.metho.6. in passi.

6.aph.18.

2. prædictionum.

Verùm, ne controuersum aliquid sit in hac materia, expedit hoc loco rem diligentius prosequi in hunc modum. Lethalia vulnera capitis fiunt, aut propter cerebri, & illius membranarum diuisionem: aut propter commotionem substãtiæ cerebri: aut quod vehementia contusionis aliquæ venæ fuerint in cerebrum abruptę, ac inde sanguis effusus, ac putrefactus intulerit mortem: aut postremò quod icta vna parte in alia illi opposita os fissum fuerit, cuius caussa in cerebrum collecta sanies lethale damnum intulerit. Quambrem si ostenderimus in casu proposito nihil horũ adfuisse, iam quidem omnẽ amouisse lapidem; & nihil reliquisse, quod faciat difficultatem videbimur. Quod cerebri substantia, & mẽbranæ non fuerint discissæ, iam quidem dictum est: quod etiam amplius probatur iis signis, quæ hunc affectum comitari solent; hæc sunt vomitus bilis, syderatio corporis, febris continua. in ægro autem proposito nunquam adfuit nausea, aut vomitus bilis, aut syderatio: dicis adfuisse frebrem, eamq́; cõtinuam; id equidem vltro confitemur: sed tamen negabimus contigisse merito vulneris, cũ antea febrierit, quam vulneraretur; quod explicabimus infra, cum mortis caussas prosequemur. Deinde vero nudato osse, quod artis diligentia factũ fuit à Chirurgo apparente febre, & nullo apparente damno in osse, suspicantibus nobis occultam adesse aliquapiam, intusq́; delitescentem labem; percontari diligenter cœpi-

Ex Hipproc. lib. de vulner. capitis.

6.aphor.50. lib. de coacis prædict.

ter cœpimus qualiter vulneratus fuerit,& quomodo:ex iis enim quæ homo respondet,eniti debemus ad cognoſcendum,teneatur ne os denudatum(quamuis nõ appareat)aliqua noxa, vt admonuit diuinus Hippocrates libro de vulneribus capitis:at nihil certe ex tali interrogatione coniectari potuimus.Nam(vt inquit ingenioſus Vidus)ſi quis graui aliquo ictu fuerit vulneratus in capite,credibile eſt,os vel fiſſum,vel colliſum eſſe,ſi homo in terram conciderit:ſi ſine ſenſu,quaſi dormiens,iacuerit:& ſi obcœcantur oculi,quorum nullum indiciorum adfuit.hæc fidem faciunt certiſſmam eius quod priore loco propoſuimus.

Cerebrum autem à vulneri vehementia non fuiſſe commotum perſuadet,quod nulla vocis adfuit diminutio, aut ablatio:quod fuiſſet in caſu neceſſarium,vt ait Hippocrates his verbis: Quibus cerebrum concuſſum fuerit,& doluerit percuſſus,aut aliàs lapſis,hi ſtatim voce priuantur,& neque vident,neque audiunt,& plerumque moriuntur] cum itaque in ægroto noſtro neque vocis priuatio, neque ſomni profunditas, neque apoplexia, neque aliquid id genus adfuerit cerebri concuſſionem inſequens,eiuſcemodi noxam in cerebro conſtitiſſe putandum non eſt.Alexandri etiam Tralliani authoritate, viri quidem doctiſſimi & experimentatoris maximi cõprobari poteſt: qui tria mala inſequi voluit grauem ictum cerebri,ac membranarum: Nempe conuulſionem, deſipientiam,acerrimumque dolorem.At Syluestro, neque conuulſio, neque delirium, neque dolor adfuit acerrimus. His addito, violentas concuſſiones cerebri conſequi ſolere ſanguinis fluorem per aures, & nares, admonuiſſe Celſum,quæ res in hoc ægro minimè contingit.

Lib.4.cap.11

Libr.5.

Multò minus tertio loco affirmare poſſumus, mortale vulnus extitiſſe propter ſanguinem extrauenatum,in cerebrique, vel ſubſtantia,vel membranis putrefactum. Quoniam hac ratione neceſſarius fuiſſet phrenitidis aduentus: quo prorſus caruit, quinimo omnes animales facultates toto morbi progreſſu optimè habuerũt.Quod vero phrenitis neceſſaria fuiſſet,hiſce rationibus oſtẽdimus:primũ phrenitis fit,Galeni teſtimonio,ex inflãmatione cerebri,ac mẽbranarum:ducit ortum inflammatio à ſanguinis fluxione ,qui temporis ſpatio putredinem ſuſcipit: ſic enim Galenus paſſim demonſtrauit. Ponamus itaque è venis confluxiſſe ſanguinem,vel in membranis, vel in ſubſtantia, phrenitis fieret neceſſario:atque hac ratione non ſolum perſuadere,ſed poſſumus demonſtrare,febrẽ vulneris rationẽ non fuiſſe conſecutam; nã ſequitur febris ad vulnera cerebri ea ratione communi,qua quolibet membro principali patiente in flammationẽ ſubſequitur febris,vt Galenus ait.Ergo ſi febris inſequitur præciſo cerebro ob inflammationem,hacq; carius ſe ægrotum certo certius eſt,meritò quod diximus,citra fallaciam concluditur. Amplius ſanguis extrauenatus in cerebrũ quamuis cum putreſcit,non faciat ſemper tumorẽ præter naturã, phrenitidem tamen ſolet procreare,perpetuum ſcilicet delirium cum febre cõtinua:quę deliriorum differentias, atque diſcrimina patefacit,vt alibi copiosè diximus. Adhæc tertiò ſanguis putrefactus & in locis ſenſitiuis contentus dolorem efficit pro conditione ſenſiterii:at omnes rectè hactenus ſtatuerunt,menynges cerebri habere ſenſum exquiſitiſſimum.In illis itaque putredine correptus ſanguis contineri non potuit, cum dolore ſemper caruerit: quod autem in vulnerata parte nõ cõſtiterit eiuſcemodi nocumentũ, oſſe perforato ſatis manifeſtum fecimus.An igitur cum hæc non adfuerint in altera parte,os findi potuit?Neque id ipſum contigiſſe oſtendam.Primum hoc affirmandum eſt, vulnerata vna parte non poſſe os quod illi oppoſitum eſt , & nõ habet continuitatẽ aliquam cum oſſe læſo,findi,aut aliter oblędi:quia natura in oſſe capitis ob vſus multos fecit ſuturas varias:inter quos vſus fuit potiſſimus,ne alera parte oblæſa illico alia oblæderetur, vt Galenus ait his verbis: Ea de cauſſa craneum à natura non continuum,& ex vno tantum oſſe conflatum, ſed potius ex multis & variis portionibus diuiſum fuiſſe, ne ſi quando vnam partem affici cõtingat,totũ craneum patiatur:quo fit, ſi cranei altera pars afficitur, altera ob diuiſionem intermediam affici nequaquã poteſt]hæc ille.Cui Paulus Aegineta maximus

6.aphor.58.

1.prorret.1.

11.de vſu partium capit.19.

4.lib.cap.90. alioquin imitator Galeni, & eorum qui de chirurgia scripserunt, post Galenum Hippocratemque facilè princeps, subscribit his verbis. Sunt qui his differentiis ἀπήχημα, quasi dicas ab Ecco responsionem addiderint. Ea est à contraria ictus parte facta caluariæ fractura. At falluntur hi, quoniam non fit in hominis calua, quemadmodũ in vitreis illi vasculis fieri docẽt: illa siquidem vacua sunt, ideoq; id patiuntur. Calua autem hominis vndique plena, & alioquin solida est. Et rogme, seu fixura caluariæ, quæ aliarum complurium capitis partium lapsu, vel citra continui solutionem cutis generatur. quęq; postea abscessu in eo facto, eodemq; secto apparuerit, in opposita ictus parte factã esse ipsis videtur] hæc Paulus: quem imitantur omnes Chirurgi, quantum videre potuj. Sed ponamus (ne videamur proteruire) id aliquando contingere, ostendamusque id fuisse ipso in casu impossibile, quicquid alii fortassis imaginentur. Primum dolor adfuisset ingens in opposita parte, sed ægrotum omne caruit dolore: deinde partis tumor, homineque moriente liuiditas, vel nigredo: præterea ex sanguine supra membranas putrefacto febris, continuumque delirium: adde conuulsionem aut paralesim oppositæ partis: horum nihil adfuisse non modo ego, sed passim omnes qui inuisere ægrum, tam physici, quàm chirurgi perpetuò testantur. Ex his optimè quidẽ concluditur, vulnus homini huic illatũ, lethale minimè fuisse. Verùm quoniam diximus posse homines mori ex quouis leuissimo vulnere, quomodo contingat, & quibus de caussis exponamus. In primis autem statuamus vulnerũ differentias (quod attinet ad pręsentem disputationem) esse tres. Quædam enim dicuntur lethalia: quædam salubria: quædam neutra. De lethalibus iam locuti sumus: salubria dicuntur, quæ sua natura inferre mortem non solẽt: neutra verò, quæ medio modo se habent. ex omnibus homines mori possunt: ex lethalibus ob illorum dispositionem, ac magnitudinem: ex salubribus ob corporis dispositionem: ex neutris vtraq; de caussa. Notandum quidem ac diligenter obseruãdum est, vnũquemq; effectum caussę proportionari: talis enim est effectus, qualis caussa; à valida validus, ab exigua exiguus proficiscitur: Si verò accidat peruerti hunc ordinem, caussa aliunde petenda est; atque certe vt stemus in proposito negocio. Vulnus magnum, & lethale, magna, lethaliaque proferre dicetur symptomata: exiguum, exigua: quod si accidat contrarium, dici quidem nõ potest fieri ratione vulneris, sed ob particularem potius dispositionẽ corporis. Vidimus nos aliquando totam substantiam cerebri vulneratã, ventriculos dissectos: aliquam etiam portionem cerebri cum vulnere iam primum illato foras profluxisse, hominem tamen vulneratum sanitati fuisse restitutũ. Qualem in Smyrna Ioniæ adhuc viuente eius præceptore Pelope Galenũ obseruasse casum scribit. huiusce euentus caussa non est, nisi in corporis naturam, firmitudinemq; virium redigenda, non in vulnus, cuius caussa fuerat moriundum. sic etiam ex vulneribus exiguis, quorũ natura non est afferre mortem, mori quotidie videmus quãplures: quia patientia corpora adeò malè disposita fuerunt, & vires adeò imbecillæ, vt ex quauis leuissima caussa conciderint: quæ hic diximus, confirmemus Hippocratis testimonio. Ab omnibus (inquit) cuiusuis generis vulneribus mori homines contingit: euenit autem non raro, vulnera quædam in locis vilibus, ac non malis esse, & nulla re grauia videri: sic tamen dolore affligere plagam, vt respirare ægri nequeant. Quidam in vulnere, quod graue nulla re erat, delirio, & febre affecti, mortui sunt] Horum omnium caussã his verbis refert. Hos euentus administrari nõ oportet, nec formidare, quod corporũ temperaturæ & corpora hominum, ipsique adeò corporum habitus plurimum inter se differant; & maximam vel in seruando, vel in perdendo vim haberẽt] vides igitur quam ob caussam homines non semper intereant ex lethali vulnere: & cur aliquando ex leuissimo moriantur. Afferamus in mediũ historias ab eodem cõscriptas. Theodori cuiusdam filium ex denudatione iuxta os nullius momenti, vigesima tertia die obiisse affirmat. Magnæ nauis gubernator quidam, cum ancora digitũ medium, & os dextræ manus confregisset, inflãmatione, & cõuulsione sequuta, tertia die mortuus est. Arpali filius ex liberta Thelephano luxato pedis pollice, atq; reposito,

Nicolaus Florentinus Hippocr. lib. de cap. vulne.

Quomodo ex vulnerib. exiguis contingat hominem mori, disputatio.

Li.2. prorret.

Li.7. de morbis pupul.

Prima.

Secunda.

Tertia.

reposito, vbi dolor remisisset ex agro rediens in conuulsionem incidens, tertio die mortem obiit. Thrinon Damonis filius ex vlcere in malleolo in opistotonon vi pharmaci erodentis incidens, decessit. Philetis filio denudatione in osse facta in fronte, nona die febris, ossis decoloratio, & liuor, tandem mors consecuta est] hęc de exiguis vulneribus, ad quę mors consequuta est, ab Hippocrate conscripta sunt. Nonnullos porrò ingentibus vulneribus malè affectos, fuisse tamen sanitati restitutos idem author significauit. Belo quidem (id enim vulnerato nomen fuit) in dorsum percussus, vt spiritus multus per vulnus cum strepitu prodiret, sanguisq; copiosus funderetur, congruis auxiliis sanus euasit. quam rem etiam nos ipsi nō semel obseruauimus. Admirandam Galenus refert historiam, Marilli scilicet mimographi puerum ex ossis pectoris syderatione nudatum, cor apparuisse, exscissoq; thoracis quod putruerat osse, cordisq; inuolucrum cum putruisset ex proximi ossis syderatione, malam de puero spem habere cæpit: is tamen præter spem breui tempore curatus sanitati restituitur. Sed quid peregrinas historias affero? cur ea, quæ nostris ferè temporibus acciderunt, & quæ aliquando a nobis visa sunt, non explanamus? Audiuimus Ludouicum Viuem ex vulnere exiguo, & planè despicabili accepto in vola sinistræ manus, quod vix subditam cuti carnem contigerat, conuulsione de repente oborta interiisse. Tradunt M. Antonium de Luna Bononiensem ex leuissimo vulnere cubiti periisse. M. Sobrirantius ex plaga in calcaneo admodum exigua inflicta, præter omnium spem decimaquarta mortuum accepimus. Vidimus quendam pugno in facie percussum statim apoplecticum concidisse. Obseruauimus Patauii ex vulnere minimi digiti Ioannem Baptistam Argentinum decessisse. Petrum quendam sutorem ex punctura acus inter vnguem & carnem pollicis dextræ manus inflicta, obiisse, Ludouicus pater testatus est. Antonius Beniuenius Florentinus summi ingenii vir, atque eruditionis, quendam in cordis tunica vulneratum conualuisse, & à se ipso magna difficultate curatum testatur. & Fullonem quēdam adeò vehementer pugno cuiusdam iuuenis stomacho percussum scribit, vt statim mortuus concideret. Quid Plinii, & Valerii Maximi summorum virorum testimonia defero? Q. Æmilium Lepidum incusso pollice limine cubili, expirasse. Caium item Aufidium in senatum proficiscentem offenso pede, in comitio mortem obiisse, Plinius testis est. Sed si vellem omnes inopinatas mortes referre, quæ ob leuissima vulnera sunt subsequutæ, in crimen fortassis inciderem loquacitatis; idcirco sufficiāt hęc pro multis; ex quibus colligendum est, non omnia vulnera, ad quę mors consequitur, etiam citra ægri, & Medici culpam dici lethalia: sunt enim quidam (ait Galenus) qui à minimi digiti offensa grauissime læduntur: alii qui fortissima vulnera animi constantia, & virium corporis robore perferunt. idcirco dictum optimè, validas vires ferre omnia; imbecillas à minimis etiam offendi. Quamobrem si quid eiuscemodi contigerit, mori scilicet aliquempiam ex paruo vulnere, statuendum est hunc non interiisse vulneris caussa, sed consequutam mortem ex ægri mala temperatura, malo corporis totius, aut affectæ partis habitu; succorum malignitate, ac vitio, atque imbecillitate affectæ particulæ.

Quarta.
Quinta historia.

Lib. de abd. rerum caus. cap. 53. & c. vltimo.

Lib. 2. c. 53.

Lib. 10. methodi.

Tametsi hæc, quæ à nobis hucusque dicta sunt, propositum nostrum videantur abundè explicasse, cū probatū fuerit, illatum illud vulnus non extitisse ex numero lethalium; quinimo prorsus despicabile, cum non attigerit pericraneum: ac ideo mortem in corporis dispositionem & humorum vitiū reponendam: quia tamen hæc in vniuersum dicta sunt, opus est vt particularius explicentur, atque afferatur distincta, singularisq; mortis caussa, vt Medicis illis satisfiat à nobis, qui contrarium sententiam absq; aliqua probabili ratione, (tantum abest vt demonstrationem dicam) habuere.

Putamus itaque mortis caussam extitisse febrem continuam ex biliosarum febrium numero: Nam anteaquàm is vulneraretur, tum propter vestigia præterita morbi, quo fuit canicularibus diebus haud mediocriter affectus; tum ob inordinatam rationē victus, plurimū adauctis biliosis humoribus, ad putredinem

De particulari caussa mortis disputatio.

præparationẽ obtinebat minimè exiguam, potissimum illis citra hepar, & ventriculum cumulatis, ex quibus lege cõsortii dolore capitis pungitiuo lędebatur quibusdam interuallis. Hinc eiusdem humoris mole per habitum corporis diffusa in lassitudinem vlcerosam incidit: quę ab acri & bilioso recremento nascitur. Quoniam cum tres sint lassitudinis differentiæ; vna quæ vlcerum; secunda; quæ tensionis; tertia, quæ inflammationis sensum habet, & quæ ex his componitur: prima quidem ex acribus, & potissimum vitiatis humoribus ortum habet secunda ex plenitudine; tertia ex vtrisq; simul iunctis proficiscitur. omnes istæ lassitudines morbos pręnũciãt, vt Senex in aphorismis testatur his verbis: Spontaneę lassitudines morbos pręnunciant.] duo igitur hęc indicia significabãt nobis tum bilis redundantiam, tum proximum lapsum in febrẽ, nisi prius salutari præsidio fuisset præcautum: quamobrem nos purgandam bilem consuluimus, quod cum ab homine ceruicoso prætermissum fuerit, subsequente eadẽ victus ratione in febrem putridã incidit, eo die, quo fuit capite vulneratus: nam statim vulneratus patiebatur febrem. an autem antea pateretur, certò pronunciare non licet. Hæc febris illico adueniens ob eas præparationes, quas dixi, habuisse originem ex vulnere non potest: quoniam statim vulneris vehementia subsecuta non fuisset febris putrida, qualem nos ex vrinarum cruditate, ex siti, & oris amaritudine, inuasionis modo, & pulsus in ęqualitate, & caloris acrimonia iudicauimus: sed habuit propriam cõsistentiam distinctam à vulneris occasione: alioquin demus, atq; vltro concedamus huius caussa accensam febrem putridam, locum in quo putredo consisteret, inquirerem: an scilicet hoc sit cerebrum, vel alia pars. Si quispiam cerebrum dixerit, humores in cerebro putridi faciunt, vel lethargũ, si fuerint frigidi, & tenaces: vel phrenetidem, si fuerint tenues, calidi, & biliosi: verùm cum hic æger nullum horum toto morbi processu habuerit; possumus affirmare in cerebro nullam constitisse humoris putredinẽ: quę alioquin tam breui tempore minimè fieri potuisset. At si affirmauerint alibi constitisse putredinem, hanc dicere oportebit non fuisse caussatam à capitis vulnere: sed ex alia caussa deductam. fortasse quidam dicent, fuisse primum ex spirituum inflammatione ephemeram: subsecutam postea putridã. Hic ego inquam, non constitisse in cerebro putredinem, ob eas quas enumeraui caussas: quod autem primum non fuerit ephemera, sed putrida, colligere est ex vrinarum cruditate, quæ tum primo, tũ sequentibus diebus talis apparuit, ex caloris acrimonia: nam ephemeræ coctas vrinas statim exhibent, suauemq; calorem ostendunt, à naturali parum declinantem. idem significauit sitis, oris amaritudo, à quibus bilis copia notabatur. Tandem verò certam facit huiusce rei significationem capitis dolor pungitiuus præcedens, ex interuallis molestiam inferens, & vlcerosa lassitudo. Mortem igitur hæc intulit febris, à capitis affectu naturam habens distinctam: cuius prognostica signa fuerunt sex.

Gal. 2. de comp. med. loc. 1. & 3. de loc. affectis & 4. de sani. tuen. ac alibi.

2. lib. aph. 5.

Gal. 13. methodi c. 21.

Primo ad Glauco. 3. & 1. de feb. dif.

Primum sudor exiguus circa frontem, & collum, de quo sic inquit Hippocrates: Sudor pessimus est, si circa caput tantummodo, vultum, & ceruicem fuerit] & in aphorismis: febricitanti sudor superueniens (ait) febre non desinente, malum.]

1. Prognosti. 4. aph. 56.

Secundum signum fuit, excrementorum paucitas: non enim talis fuit sudor duntaxat, sed etiam vrinæ, & alui excrementa. de qua re sic Galenus loquitur. excerni pauca in ægris vnum ex signis est, quæ ex toto prauitatem habent.]

1. porret. 47.

Tertium excrementa porracea, æruginosa, nigra, de quibus Hippocrates ait: excretiones in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidę, & biliosæ, omnes; malæ & in alio opere, egestio, si exigua, & glutinosa, candida, subcrocea, lenisque sit, mala est: exitiosum verò est si nigra, aut opima, aut liuida, aut fœtida est.

4. apho. 47. 2. Prognost.

Quartum sudor frigidus, de quo Hippocrates: frigidi sudores cum acuta febre mortem significant] & in prognosticis ait: pessimi sunt in febribus sudores frigidi.]

4. aph. 37. prima prog.

Quin-

Quintum, quod tertio quoque die inualeſcebat febris: nam vt dicebat Hippocrates, febres, quæcunq; non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculoſę.] *4. aphor. 43.*

Poſtremum ſignum fuit rigor ſuperueniens cum imbecillitate virtutis, & cum ſignis cruditatis: nam vt Senex in aphoriſmis docuit: Si rigor incidat, febre non deſinente, ægro iam debili exiſtente, lethale eſt] cuius cauſſam explicans Galenus in eius loci cōmentario, idcirco hoc lethale ſignum eſſe aſſerit: quoniam ſi ſæpius adueniat, illius vehementia moritur: at ſubſequente vacuatione aliqua multò magis moriundum ob auctam ex vacuatione imbecillitatem. *4. aph. 45.* *Commen. 45 quarti libri.*

Concludentes itaque noſtram hanc ſententiam dicimus, febrem non fuiſſe vulneris cauſſa ſubſecutam, ſed morbum per ſe ſubſiſtentem extitiſſe: atque omnia ſymptomata, quæ ſupra enarrauimus, ęgro contigiſſe, qui die obiit in 17. propria acutarum febrium ſigna prognoſtica dici debere, atque à vulneribus capitis minime eſſentialiter deſumi. *Epilogus.*

Sed hic dubitationem facere videtur rigor, qui ſeptima, nona, & decimatertia hominem inuaſit. in vulneribus capitis (dicebat Senex) rigor ſuperueniens malum.]

Sed nullam profectò facit cōtrouerſiam, quandoquidem ſignum hoc eſt commune multis, non proprium vni duntaxat effectui capitis: idcirco admodum temerariè pronūciant, qui ſanè rigorem putant ſemper vulneris inſequi naturam: iam enim ex Hippocrate, & ex Galeno ſupra demonſtrauimus, rigorem aduenire citra vulnus: atque ſic tandem ſentio, & ſine fuco, & fallaciis pronuncio ego Horatius Augenius ciuitatis inclytæ Auximii phyſicus. die 16. Decembris 1563. Auximii.

R.P. FRANCISCANO PENNENSI THEOLOGO inſigni, & amico optimo.

Agitur de ratione curandi ſalſam, & acrem deſtillationem à capite in pulmones procumbentem ob intemperiem calidam & ſiccam hepatis: in corporis habitu admodum gracili, & ex quàuis leuiſſima cauſſa reſolubili, & ad tabem paratiſſimo.

EPISTOLA TERTIA.

QVI eiuſcemodi corpora crebris medicamentis expurgant, aut calidis, & ſiccis emendare deſtillationem omnem conantur: nautis imperitis eſſe videntur mihi ſimiles: nam ii, cum rectà clauum non dirigant, aut ventorum impetum, naturamque non ſunt aſſecuti, inſperato ſe ipſos, ac miſeros nauigantes illorum fidei commiſſos, in grauiſſima pericula detrudunt. Gracilis totius corporis habitus, humorum acrium, bilioſorumque præſentia, difflabilis natura, temperamentum apprimè calidum &, ſiccum, quæ nutriant, humectent, recreent, & incraſſent mediocri quadam ratione indicant, ac maximè repugnant expurgantia (quæ non corroborent) crebrius exhibita, præſertim verò calida & ſicca, à quibus omnino cauendum eſt. Neque in omni corporis conſtitutione, magnæ decoctiones ex ligno Indico, & ex ſalſa parilia ſudorem prouocantia pro arcenda ipſa deſtillatione acri, ac aliunde reuellenda accommodata eſſe poſſunt, quandoquidem in caſu propoſito (ſi ponamus, quod tamen minimè concedimus, reuulſionem fieri) quod ſequitur damnum ex imbecillitate virtutis ex diſſolutione ſpitituum, ex incremento cauſſæ, (nempè caliditatis hepatis) multò maius eſt, quam quod cum exigua illa cōmoditate comparari queat. hic tamen excipio radicis Chinarum decoctum. Hinc profectò mirum non eſt, ſi ægroti, qui nacti ſunt eiuſcemodi Medicos, pręcipites dantur: Quid igitur agendum? Primum humores calidi & acres, quorum potiſſima origo eſt in eo viſcere, leuiſſimè purgandi ſunt, alterandique. De-

ſtillatio reuellenda ad diſtãtes partes ab ea, quæ fluxionem recipit, proximè verò demandanti particulæ: Adhæc arcenda deſtillatio eſt, & compeſcenda: ac de cętero prohibendum, ne noua excrementorum colluuies, tum in partibus naturalibus, tum in cerebro aceruetur, Corroborandæ ſunt omnes particulæ naturales, ex ventriculo frigida illa intemperies, humidaque remouenda, ex hepate calida, & ſicca. Qui hoſce ſcopos cognoſcet, in curatione non aberrabit: quod ſi æger ſanitati reſtitui non valebit, id vitio vertendum non erit Medico, ſed vehementiæ morbi, quæ non ſinit id fieri, quod exoptat.

Iam verò accommodatam proſequamur materiam: cuius, quamuis ſylua ſit ingens, ex multis eligam, quæ meo iudicio præſtantiora ſunt, ne te ipſum remediorum multitudine exonerem, cum ſciam te proximis diebus ac multis etiam antea menſibus tuorum Medicorum diligentia, fuiſſe omni genere vacuationis ſatis ſuperque expurgatum. Reubarbarum igitur non admodum maturum pręmanſum pondere drach. ſemis ſingulo quoque die ante prandium horis tribus vel minimum duabus, primas partes teneat. Corriget hoc intemperies contrarias: ventriculi quidem per ſe, iecinoris autem, vacuatione acrium humorum haud ſecus quam abſcinthium à Græcis, quinimo à Medicis omnibus pro calidiſſima febre opẽ afferre conſueuit, vt alibi ſcripſiſſe memini: adde quod acerbior illa ſubſtantiæ adeò corroborabit, vt nihil magis: vtaris auxilio frequenter: cum enim leue ſit auxilium, prodeſſe multum haud ſtatim poteſt: eſto terminus dierũ 25. in hoc Autumno alternatim ſumendo, vno quidem reubarbarũ, alio verò drach. duas ſemis electuarii ſequentis ante prandiũ horis duabus, cũ vnc. i.s. vini optimi. Rec. zuchari roſati optimi vnc. ii. electuarii ex chalibe (ſine doronico præparati) vnc. iii ſyr. de endiuia q.s. Aſſumpto medicamento exerceatur hora vna cum dimidia. & animaduertas etiam, atq; etiam, vt bene pręparet tuus pharmacopola ex chalibe præſtantiſſimum antidotum: caueatq́ue ne pro veteri conſuetudine doronicum admittat; maximam certè vtilitatẽ experieris: hocq́ue vnum pronunciare audeo, quod ſi aliquod in rem præſentem excogitari deberet præſtans auxilium, nullum huic præponendum inueniri poſſet: hoc enim in multis expurgare obſeruatum fuit, omnibus equidem naturales partes confirmat, obſtructionesq́ue tollit ſine aliquo caliditatis ſenſu. Poſtquàm huic incubueris operi, tenues illlos humores, ſi qui poſthac negotium facient, incraſſabis mediocriter: tum ne contrarium in corpore introducas affectum, tum etiam, ne obſtructiones facias: inter alia præſtat diacodion ſimplex illud, & non medicamentoſum, cuius ſingulo quoque die bis ante cænam, prandiumve horis duabus aſſumito vnc. ii. huic ſi quartam partẽ oxizacharæ admiſcueris, haud quicquam lædet, ſed medicamentum reddideris ſuauius, ac magis penetrabile. Quæ ſequuntur teſſellæ, eaſdem habent vires. Rec. emulſionis ſeminum melonum, papaueris albi, & pſili vnc. iiii. draganti amili ann. drach. i. cinamomi ſcrup. i. cum zucharo roſ. q.s. fiant teſſellæ pondere drach. iii. poteſt iis vti ante cibum vtunque, & poſt cænam eunti dormitum, quemadmodum etiam diacodio pro deſtillatione mitiganda, & concitando ſomno. Collaudo etiam in hunc vſum diadragantum cum bolo armeno compoſitum: quod etſi ſciam adulteratum eſſe, vt in alio opere demonſtraui, habet qualitatem refrigerantem adſtringentem, & ſiccantem ſatis manifeſtam, qua in præſentiarum indigemus.

Qui reuulſionẽ in cruribus facto emiſſario admittunt, ii quidem reuulſionis rationem non aſſequuntur. nam opus eſt, vt habita origine deſtillationis, ea in ſede fiat, ex a qua humor affatim deorſum confluit: ſic in parte maximè remota à recipiente; & in maximè propinqua demandante (vt docuimus libro ſeptimo noſtræ methodi curatiuæ per ſanguinis miſſionem) fieri debet emiſſarium, aut quodcunque tandem fuerit reuellens auxilium. Ponamus itaque hanc deſtillationem ex cerebri ſubſtantia proficiſci in capacitatem thoracis: reuulſio, quæ ſit in capite originem fluxionis proxime reſpicit, & ex aduerſo thoraci recipiẽti opponitur: adſuntq; communes viæ, per quas humores optimè purgari poſſent: Hinc fit quod Galeni conſuetudine in ſutura coronali cauterium admitterẽ potius, quàm

tius quam in inio: in qua re summopere placet mei Cordellę sententia. Caussam audiuisti ex ratione reuulsionis petitā: cui addamus aliam ex futurarum vsu desumptam: hic vnus est, atque præcipuus, nempè vt tenues humores discutiātur per eam sedē, qui vt tenues, calidique facilè per eos locos purgantur: statuimus autem humores acres existere, atque salsos, & tenues. At quod fit in inio cauterium, præterquam quod haud longè distat à thorace, humores deorsum trahit, qua tendunt præter naturam negotium facientes, cum multo magis expediret eosdem sursum attrahere. Quibus adde, non videre me aliquam societatem, siue communionem adesse inter particulam demandantē, ac ipsum iniū: vt aliquando diligentius explanaui. & hæc de cauterio.

Sed anteaquam id ipsum fieret, tentare vellem an iis, quæ caput corroborant, quæ reliquias humorum in cerebrum discutiunt, emendari posset hic impetus, quæ res ad ipsam etiam reuulsionem pertinet. Oleum præclarissimum describo tibi, quod omnia pręstabit sine metu caliditatis. id autem in hunc modum habet: Rec. Baccarum lauri, mirti, iuniperi ana. vnc. s. florum nenupharis manip. duos. radicū nenupharis vnc. ii. rosarum rubrarum, & mirtillorum ana. man. i. seminis feniculi, rutę, & peoniæ ana. drach. iii. saluiæ, betonicæ, sampsuci, florum sticados, rorismarini, & spicæ ana. drach. ii. tunsa omnia exprimantur lib. s. aquæ vitæ dum omnino madescant: deinde affusa olei rosati onfacini libra vna, coquatur vase duplici, dum liquor omnis sit absumptus, expressumque oleū reponatur in vsum: abrasa scilicet sutura coronali eunti dormitum, & surgenti à lecto locum oblinat diligenter oleo tepido, excepta tenui bombice. Dum hoc fit oleum abluito caput sequenti decocto, quod in rem præsentem non mediocrem afferre vtilitatem poterit. Rec. agarici albissimi vnc. s. baccarum iuniperi, mirtillorum, anisorum ana. man. s. decoquantur in lixiuio facto ex cinere sarmentorum, quo abluat caput semel in septimana, quod minimum sit, si enim bis ablueret, magis iuuaret: neque enim adhæreo illis, qui raro caput lauandum esse volunt, & sæpè lauandos pedes, quia contrariū tum ratio, tum experientia persuadent. Suffitus astringens destillationes tenues, & acres, habet rosarum rubrarum, masticis, vermicis succini, singulorum contusorum vnc. s. melanthii scrup. ii. stiracis calamitæ drach. i. garyophyllorum scrup. i. Terantur in puluerē crassiusculum ad capitis suffitum surgenti, & eunti dormitum. Me non fugit theriaces antidotum, & compositionem Mitridati Regis efficaces perhiberi pro destillatione inhibenda, corroborando cerebro, & pro discutiendis reliquiis humorum. Sed vtranque suspectam habeo in hoc corporis habitu, ob insignem caliditatem, qua quidem sic vti soleo fęlici successu. Rec. Theriaces optimę trach. i. zuchari rosacei scrup. iiii. aut zuchari nenupharini (si haberi poterit in regionibus illis montanis) tantundem, fiat bolus cum zucharo, capiat horis tribus post cęnam leuem. Theriaca recens ob prępotentem vim oppii mihi non placet, non ratione humoris acris atque tenuis, sed ob virium imbecillitatem quæ oppii facultatem ferre nō posset. Fiat adhæc cuculus, siue intersutus pileus ad hanc indicationem cum primis efficax, & salubris. Habet sampsuci, rosarum rubearum, florum rorismarini, saluiæ, & sticados spicæ nardi arefactorum, ann. drachmas duas, florū nenupharis manipulum vnum, mirtillorum vnicā semis, succini drach. ii. corticis citri sicci, grani infectorii, mceris piperis, nucis muscatæ, garycphyllorū, ann. drach. iii. fiat puluis, qui borabice carpta exceptus coaptetur in cucullum: quo potissimum vtatur noctu pręsertim post linimentum suprascriptum.

Verum enimvero frustra labor insumeretur, nisi præcauerimus, ne eiuscemodi excrementa denuo generentur. hoc sane duplici via præstari poterit, tum mendicamentis, tum ratione victus.

Consideranti mihi, quæ nam præsidia ab imminentibus malis præseruari possent, duo suggerunt præstantissima: vnū est vsus reubarbari suprascripti, in quo recte adeo confido, vt nihil magis. Aliud est vsus terebentinæ Venetæ perlucidę quę tum detergendo, tum purgando excrementa, quę in viis ductuum continē-

tur omnia, vtilitatem afferre poteſt egregiam: adde quod remediũ eſſet accommodatiſſimum pro thorace liberando ab excrementorum multitudine, & pro reuellendo à capite. Modus exhibēdi eſt, ipſam cum iure optimi pulli de coctionis radicum, nenufaris & graminis an. drac. i, diſſoluere optime lotam cum aqua endiuiæ ab vnc. s. vſque ad vnam, & prout magis, aut minus aluum ſubducere comperies: ſic aut continuis diebus, aut intermittentibus vtitor. Sunt qui igne liquatam exhibendam curant citra permiſtionem alterius liquoris, ſed hic modus diſplicet. Caliditatem vereri medicamenti huius non expedit, quia ſic paratum exiguam habet, quam timere non debemus: Frigidiſſimis temporibus, quã temperatis maiorem afferre vtilitatem compertum eſt. exhibeo duobus menſibus continuis. Placeret etiam diſſoluere cum decoctione hordei.

Quod pertinet ad rationem victus, ero admodum breuis, quia ex multorum Medicorum relatione, atque ex propria obſeruatione, iam tibi cognitũ eſſe arbitror, quid noceat, & quid proſit: in vniuerſum autem victus ratio ſit boni ſucci, & quæ imbecillũ corpus nutrire poſſit, arefactas particulas recreare; ſiccas humectare. Laudabitur ab omnibus Medicis ptiſſana; hanc ego pariter collaudo hac conditione, vt caueamus ne nimis humidum ventriculũ labefactet. idcirco eſſet optimum conſilium, contemperare illam antiquorum conſuetudine, iniectis quinq; aut ſex granis piperis nigri in tenuiſſimum pollinem redacti: ſi verò magis detergentem vellemus, rodomelitis vnc. i. addi poſſet in rem præſentem. admoneo te, vt caueas omnem ciborum ſatietatem, vt eligas tibi parciorem cænam, quàm prandium, ſic indicante deſtillatione: quodque cœna ſit ſiccior. Caueto à potu vini generoſi, quod vaporoſum cum ſit, poteſt tibi plurimum obeſſe: ſi alterius copiam non habeas, aquæ permiſceto puriſſimę partes tres cum vini parte vna. adhæc parciorem ſemper potum eligito, potiſſimum in cœna, cubitum nunquam eas niſi horis duabus tranſactis à cœna; exercitatione vtitor tēperata ante cibum, & poſt cænam: Varietatem ciborum deuitato. Alui excremēta ſi nõ natura, ſaltem arte ipſa quotidie ſubducãtur. A venere abſtineto; atq; vniuerſaliter ab omnibus, quæ calorem natiuum imbecilliorem reddere, & languidiorem poſſunt. In aeris electione duo ſunt deuitanda extrema: vnum aerẽ nimia frigiditate; aliud nimia caliditate præditum. eucratum eligerem: quod ſi fieri nequeat, ſaltem procurato, ne domum egrediaris ante ortum ſolis, neve nocturno incidas tempore. Humidis temporibus, vt pluuioſis, nebuloſis, caligine refertis te domi continebis. Hæc ſummatim de victus ratione. reliqua ab aliis intelliges. Vale, neque obliuiſcaris in tuis orationibus apud Deum intercedere pro meis peccatis: quod ſi feceris, erit mihi adeo gratum, quam quod gratiſſimum. Salutem dicito meo nomine Montirono, & Malæſpinæ Medicis. Ex Tolentino die 29. Octobris 1577.

Pro eodem poſt aliquot dies reſponſum.

Quæ rurſus cognoſcere deſideras, ſic habent. Primũ licet videar ſatis aperte ſcripſiſſe tibi, quid ſententiã de ligni Indici decocto, ac ſalſæ parilię, id nũc apertiſſime dico, abſtinendum ab illorum vſu, quia ſi prouocabunt ſudorem, tuum corpuſculum tabidum reddent: ſi non prouocabũt, iecinoris illam calidam ſiccamq; intemperiem omnium ſymptomatum cauſſam, nõ mediocriter augebũt. Scio quid dicant alii de Radicis Chinarum decocto, quod non eſt eiuſdem generis cum ſupradictis: namque illa radix aut nihil, aut parum calefacit: at verò guaiacum maximam inferre caliditatem omniũ teſtimonio conſtat. Mox china gracilibus corporibus conuenit ita, vt ſudorem proliciendo illa impinguet; quod nunquam lignum illud Indicum. Verùm quia in Prouincia noſtra non exportatur huiuſmodi radix china, & ſi quæ exportatur, carioſa eſt, admodũq; vetuſta, vt pręſtare nunquam valeat, quod volumus. Mox cariſſimo venditur pretio, nempè viginti coronatorum, ea propter ſatis mihi fuit tetigiſſe illius vſũ, contẽtus duntaxat ea propoſuiſſe tibi, quæ magis vtilia ſunt. Deinde verò quod attinet

attinet ad aquas medicatas sulfureas, salsas, atque in vniuersum omnes vim excalefaciendi, & exiccandi habentes, admittere non possum a illas Lucenses nuncupatæ della Villa. laudarem refrigerantes, præsertim ferreas, quales perhibentur Sancti Marini aquæ, Calderianę in agro Veronensi, & Sancti Cassiani, aut quod magis placeret, quibus tum ego, tũ multò antea Gabriel Falloppius Mutinensis egregius Medicus fęlici successu vtebatur in eiuscemodi temperamento. Experiaris tamen primum, quæ scripsimus.

De potu lactis, dico asininum conuenire, & in huius penuria caprinum: neque obstat imbecillitas capitis, aut dolor per consensum, aut etiam per essentiã capitis, vt demonstratum est à nobis abundè in tractatione de lactis temperamento, & vsu contra Medicorum quorundam opinionem. Vale. Ex Tolentino prima Nouembris 1577.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER DECIMVS.

CVRIO SCIPIONI PENNENSI MEDICO. EPISTOLA PRIMA.

DE CVRATIONE ICTERITIAE CITRINAE.



TABELLARII tui maxima in literis reddendis, & in responsionibus exspectandis, vtuntur negligentia; nam aut illas vix reddunt, aut meas non deferũt, aliud ex alio negotiũ incusantes: hinc fit teneri ambos desiderio literarum. Hoc præfandum in præsentiarum duxi, Curi charissime, vt posthac admirari desinas, si amicis neque frequenter scribam, neque statim satisfaciam. Nunc igitur occasionem nactus opportunam literis illis respondeo, in quibus de ictero, deque curandi ratione habere meam sentẽtiam desideras, vtpote quã ab aliorum opinione longè diuersam tũ olim ex me, tum postremis diebus ex aliis audieris. tibi, quem vt filium diligo, & de quo multa concepi animo meo, libentissime morem gero. Sed vt methodum aliquam teneamus, hæc potissimum rerum capita explicabuntur. Primum, qualem icteri naturam esse arbitremur. Secundum, quibus ex caussis proficiscatur. Tertium, quæ indicationes curandi in eo vigeant. Postremum, quæ pro ipsius curatione accommodata sit materia. Atque dum hæc explicabuntur à nobis, persoluemus difficultates omnes, quibus te plurimũ teneri significasti. Vt igitur ad primi capitis explanationem aggrediar, à definitione exordiri placet, vt rectius consequaris eius naturam.

Est icterus bilis excrementitiæ per summas corporis partes effusio. Bilis nomine differentias illius omnes intelligo, à quibus æquè solet concitari; hinc quibusdam color apparet flauus, aliis pallidus, aliis viridis, nonnullis cęruleus, aliis niger, prout ab vno magis, quàm ab alio excrementi genere procreatur. Fit etiã aliquando ab humoribus permistis, quam rem potissimum colorum ostẽdit remissio: qui neque prorsus nigri, aut flaui sunt, sed variè admodum permisti. Hic de omnibus loquemur, excepto nigro, quandoquidem tu rationẽ huius habere non curas. Per summas corporis partes intelligo superficiem corporis, quam

habitũ vocare consueuerunt: certè quia in ipsa superficie iam primum elucescit. Biliosi huiusce humoris, quatenus icterum committit, sedes est inter cutim, & epidermidem. In hunc locum effusa bilis retinetur duplici quidem nomine: primum quia crassior est, quàm possit per tenues cuticulæ meatus expurgari: deinde quod ea pars ambientis iniuriis iam exposita, frigidior est internis, & densior. motumque humoris (aliorum relatione) tenuis, retardat, eiusve qualitatem obtundit. In hunc locum retenta bilis talem præsefert colorem, qualem habet: Porrò diximus effusionem esse bilis excrementitiæ, quia nullus icterus fit à sanguine, sed omnis ab humoribus à sanguinis natura maximè distinctis. Ita quidẽ loquor, ne quis putaret à bilioso sanguine, à Galeno, & multo antea ab Hippocrate libro de hominis natura, bilis nomine nuncupato, icterum fieri. Ad eam verò sedem effunditur, aut è iecinore per venas, aut ex ipsis venis citra affectum aliquem iecinoris. Ex venis nunquam ferè citra validum expulsiuæ facultatis robur, vt ego sentio, generari potest. cuius signum certissimum est, quod semper fit natura, iudicante acutos morbos, quorum existit in venis materia ipsa scilicet bilis, aut ex mala ratione victus genita, aut ex sanguine corrupto, & in biliosum humorem transmutato, subito ac præter naturam ad cutaneas partes exposito. Contingit sanè ipsum sanguinem corruptũ degenerare in bilem, vel per febres ardentes, vel per inflammationes, vt de pleuritide Galenum aliquando dixisse recordaris, tenuem scilicet & pinguem verti in bilem, vel etiam ex ictu animalium venenosorum, vel ex haustu veneni, vel ex aliquapiam interna venenata affectione, qualem in libris de pestilentia docuimus. In his quidem omnium communis est assensus. In iecinore autem cumulata bilis, citra robur facultatis ex pultricis, effunditur per vniuersum corpus, aut à sanguine, & sero ductas per venas, aut sponte sua, tenuis enim est ac facile mobilis: interdum etiam expellitur ad cutem. Cum igitur res in hunc modum habeat, Icterus nunquam est morbus, verùm symptoma est morbi: aut ad qualitates sensibiles, vtpote visu perceptas, relatas, aut ad actionem deprauatam, motum scilicet, quem natura facere secundum naturam non solet. Si enim colorem duntaxat inspicias, visibilis est qualitas, & sic ferè omnes putant: at si effusionem, aut effusionis modum contempleris, motum esse deprauatum dixeris, quod est ab aliis omissum. Sic (nisi fallor) de Icteri natura, & essentia statuendum est.

Refellitur Aetius Altimarus cum aliis ferè omnibus.

Quod autem ad caussas attinet, illud primùm scito, quod qui statuunt omnẽ icterum fieri ob secernẽtis facultatis imbecillitatem, quæ segregare bilem, & ad proprios excretionis locos transmittere nõ valet, mihi parum satisfaciunt. Quis enim imbecillam esse facultatem statuet, natura crisim faciẽte? aut per cutaneas partes iniectum à venenatis animalibus virus expurgante? aut à veneno epoto veneficam labem per cutim deducẽte? si rursus intemperies imbecillitatis caussa statuitur, quam ab exitialibus animalibus cõtractam dicemus? magis quidem totius substantiæ morbus committitur, nulla deprehẽsus ratione manifesta, sed ipsa dũtaxat obseruatione clarus. Neque verum fuerit, esse facultatem debilem, cum per meatus chisti fellis, bilis non expurgatur: quia si contingat vitio humoris, aut partis hanc expurgationem impediri, in facultatem referri non potest: segregans virtus valida esse potest, suo tamẽ munere haud fungitur aliis de caussis impedita, ab illis imbecillitate seiunctis. Vniuscuiusque bilis fieri purgationem per vesicam felleam nõ consistit. Bilis naturaliter genita bene habente corpore, id sortitur: at minimè cum præter naturam augetur in ægroits corporibus. Quis enim damnaret, in acutis, atque deurentibus febribus vacuationem bilis per sudorem? idem iudicium fuerit post corruptionem sanguinis à venenis, ab animalib. ab internis caussis bile copiosa genita in venis, aut in corporis habitu. Nemo hercule culpabit hanc vacuationem factam per sudorem, quemadmodum etiã si bilis purgaretur per vrinas, per aluum, per ventriculum concitato motu. atq; nemo prorsus laudabit vacuationem bilis ex habitu corporis ad venas, & iecur. Quia si liberè expedit dicere, quod sentimus, hãc ego putauerim periculi plenã, illam verò tutissimam. Periculosa certè vacuatio est, quæ fit transeundo ex partibus

Bilem vero semper expurgari per folliculum.

tibus

tibus imbecillis ad præcipuas: tutiſſimam, quæ fit à præcipuis ad imbecillas, vt Galenus docuit primo aphor. 2 1. commentario. Poſtremum neque rectè dictũ eſt, Omnem icterum fieri, cum flaua bilis haud ritè expurgatur: quandoquidem, vt prædiximus, fiunt in ictero non ſemel bonæ vacuationes per corporis habitum. Nos igitur aliorum ſententiis prætermiſſis, Curi, conſulta rei natura, nulliq́ue addicti magiſtro pro noſtra alioquin, vt ſcis, conſuetudine, de cauſſis icteri ſic dicere incipiamus. Vna communis eſt cauſſa, citra quam regius nunquam concitatur morbus nempè flauæ bilis copia. Contingit hanc ipſam cumulari in corpore dupliciter: Vnus modus eſt, cum extrinſecus venenum hauſtum, & ictus animalium virulentorum ingenerant bilem, ſed modo quodam ab aliis diſſimili: quãdoquidem haud fit ex alimento, vt humores alii: verùm ex corruptione ſanguinis, qua is deperdita propria forma in bilem mutatur: quã natura validior expellit ad cutim: ſi contingat tenuiſſimam eſſe hanc, & meatus epidermidis admodum apertos, ſudoris, aut ſpecie vaporis fortaſſe diſcutitur: ſed, ſi aut illa craſſior, aut non admodum aperti meatus fuerint, retinetur illa quidem inter duas cutes (vt cum Auicenna loquar) icterum factura. Alius eſt generandi modus ex cauſſis internis, quæ multiplices, & variæ ſunt. Iam quidem longo rerũ vſu obſeruatum eſt, naturam iudicaſſe febres acutas, ac intermittentes affatim, expulſa bile eiuſcemodi febres concitante, quod ſanè à validis facultatibus fit, vt prædiximus, icterus quoque ex iecinoris inflammatione naſcitur, cuius vi, & incendio pars maxima ſanguinis vertitur in bilem, & in omne corpus effunditur, quamuis certè rarus ſit icterus ab hac ipſa cauſſa procreatus. At, qui frequentius aduenit, eſtq́; ſimplicior, ex quodam peculiari naſcitur, aut iecinoris, aut folliculi vitio. Calidior hepatis intemperies ingentem bilis procreat copiam, quæ cum tota nequeat expurgari à chyſti redundans illa quoquo verſum irrumpit, ac effunditur, atque cum ſanguinis permiſta ſero ſuperficem corporis inuadens, inficit cutim: ſed, ſi eadem retineatur in hepatis ſubſtantia, hanc ampliorem facit, in tumoremq́; tactu cõſpicuum attollit, quæ temporis diuturnitate obdureſcens, non modo parit obſtructionem, verum etiam ſcirrhum, cui ferè ſuccedit hydrops: Folliculi vitium eſt obſtructio eorum meatuum, per quos expurgari bilis conſueuit: obſtructionem faciunt, aut bilis craſſa, aut viſcida excrementa, aut multitudo ſanguinis, à qua citra inflammationem fit icterus. ibi enim ſanguis cumulatus, & cõculcatus, vt ita dicam, neceſſario phlegmonem accerſit, vt diximus noſtris commentariis ad ſecundum librum de ratione curandi ad Glauconem. Hæc ſunt cauſſæ icteri, quas ego longo vſu artis obſeruaui. alii comminiſcuntur alias, quæ tamen rariſſimæ cum ſint, ex earum haberi debent numero, quæ cogitatione potius, quàm vſu & euentu deprehenſa ſunt. Sed ne quid tractationi deſit, ſigna doceamus, quibus hæc diſtinguantur: quam rem eo libentius facio, quod ſciam à recentioribus quibuſdam confuſam horum tradi notitiam. Si extrinſecæ cauſſæ fecerint icterum, ex relatione ægri, & aſſidentium facilis erit cognitio, præterquam quod repente admodum totius color permutatur, nullaq́; febris ex criſi fatigat. Quem naturæ iudicium efficit, hunc pariter videbis repentè genitum finiri febrem, aut magna ex parte diminuere, neque tamẽ definit cum febre, ſed aliquando diutius protrahitur; vrinæ, & alui excrementa à naturali ſtatu ne quicquam permutata ſunt, ſignaq́; præcedunt criſima. Inflammationem ſequitur acuta frebris, & vehemens, omnia inflammati iecinoris ſigna conſpicua ſunt, dolor ſub dextro hypocondrio, grauitasq́; conſpicua, vrinæ biliosæ profluunt, quemadmodum etiam alui excrementa: Icterum ex ſcirrho hæc inſequuntur. Signa ſcirrhi, febris nulla, aut certè admodum lenta: & quamuis vrinæ conſpiciantur bile ſaturæ, craſſæ, croceæ, nihilominus alui recrementa haud neceſſariò albicant, cum ex folliculo, ac etiam ex iecinore multa bilis in aluum ſecernatur. Ex obſtructione chyſti hæc proficiſcuntur, repente aduenit affectus; febris nulla, corporis, aut virium labes nulla, aut certè inſenſibilis; fæces ex aluo ductæ albæ ſunt, quoniam bilis non erumpit in inteſtina: craſſæ ſunt & adeò rubeæ vrinæ, vt ferè nigræ appareant: in dextro hypocondrio grauitas

Augenii ſententia de cauſſis icteri.

Cauſa extrinſeca.

Cauſa interna.

Criſis.

Inflãmatio iecinoris.

Intemperies hepatis.

Scirrhus hepatis

Obſtructio folliculi.

Nota quæ ad Galenũ & omnes ſcriptores.

Signa cauſſa.

Ex inflammatione.

Ex ſcirrho.

Ex obſtructione folliculi.

adeſt ſine tumore conſpicuo : Horum ſignorum cauſſæ apertæ ſunt, ex iis, quæ
diximus: Quæ ſigna his adduntur, ſuperuacanea ſunt: & hęc ex rei natura dedu-
cta ſufficiunt.

Indicationes curandi.

Indicationes curandi hæc ſunt: A venenis contractus icterus poſtulat alexi-
pharmaca, quæ totius ſubſtantię proprietati aduerſentur. Ex naturæ iudicio cō-
citatus, vbi perfectum iudicium fuerit, quod ſcilicet abſolute omnem cauſſam
tollat, nullam poſtulat Medici manum, niſi fortaſſe quis putauerit eſſe neceſſari-
um, reliquias cōtracti coloris extergere, quod fere ſuccedit: quia etſi febris tolli-
tur, relinquitur etiamnum ictericorum color ille fœdus per vniuerſum corpus:
at ſi perfectū non extiterit iudicium, perficiundum arte, quod incepit natura. In-
flammatio iecinoris indicationes partim habet cōmunes, partim proprias: cō-
munes, quatenus inflammatio eſt: proprias verò, quatenus in iecinore conſiſtit.
Quid vtrunque indicet, hic explicandi locus non eſt: tu quidem ex iis, quæ alibi
ſcripſimus, id habes compertiſſimum: quemadmodum etiam quales ex eiuſdē
viſceris ſcirrho indicationes exhauriendæ ſint, quoniam hac de re quinto libro
commentariorum ad Galeni libros, de curandi ratione ad Glauconem, vt ſcis,
abundè ſcripſimus.

Accedamus modo ad indicationes, quæ icteri propriæ ſunt, exordiamurque
reſoluendo à cōmuniſſima indicatione, deſumpta ſcilicet ab effectu cognito in
ſuas cauſſas. Fœdus illi totius cutis, & oculorum color remouendus eſt: hunc
remouere non poſſumus, remanente ea, quæ ipſum concitat, cauſſa: hanc igitur

Ordo indicationum propoſitarum in ictero.

primum tollamus. Cauſſa eſt obſtructio folliculi, per quem expurgabatur bilis:
hunc deobſtruere debemus detergentibus, incidentibuſque. Verùm quoniam
bilis obſtructionem fecit, hanc præcipue, & primum purgabimus, omneſque
cauſſas tollemus, à quibus illius incremētum fieri poteſt; & hanc primò exeque-
mur victus ratione in contrarium inſtituta: mox copiam purgabimus: tertiò de-
tergentibus, & incidentibus vtemur primum leuioribus, deinde validioribus,
hinc denuò expurgabimus ſemel, aut bis aut etiam ter, ſi oportuerit: poſtremò
fœdum colorem ex cute remouebimus, haud interim in omnibus obeūdis indi-
cationibus obliti eius ſcopi, quem præſtantia loci affecti, & vſus nobis inſinuat.
Propoſitis indicationibus in hunc modum, applicanda eſt medica materia.

De remediis accommodatis indicationibus propoſitis.

Nec venenum quoduis epotum, neque animalis cuiuſcunq; morſus icterum
facit: ſed ſepticum venenum, & inter animalia potiſſimum. Vipera hanc habe-
re facultatem creditur. Cum affectus contigerit, negligentia, ſocordiaq́; de-
poſita inuigilato, vt alexipharmacis contractam labem deponas: ſed interim
etiam atque etiam caueto, ne malis quibuſdam Medicis, quorum alioquin in-
gens eſt copia, negotium remittens, ſanguinis miſſionem paſſim concedas: nam
eſt in vtroque venenorum genere auxilium lethale. Quis enim ex centro, pri-

Contra imperitos medicos.

miſque venis ad corporis habitum, ac ad venas, ſepticam deducere facultatem
conabitur? Quis rurſus ex circumferentia ad centrum veneficam materiā ſan-
guine miſſo attrahet? vtrunque contingit ab eiuſcemodi vacuatione, vt plenius
alibi demonſtrauimus: adde quod ingens humorum corruptio, qua degenerat

Libris de ſanguinis miſſio. & cōmentariis in Galenum.

ſanguis, aut potius (vt rectius dicam) degenerauit in alienam naturam, ſangui-
nis vacuatione corrigi non poteſt, ſed ea poſtulat auxilia, quibus humoris qua-
litas (qui alioquin ſedes eſt veneni, & corruptionis externæ) emendatur: qualia
purgantia exiſtere medicamēta alio in opere diligenter ſumus perſecuti. at quid
agendum in plectorico habitu corporis? vacuanda ſtatim fuerit multitudo à ve-
nis longè diſtantibus à particula ictu laceſſita, in epotis venenis nunquam ſecan-
da, quę tamen res magis ad prępuiſionem, quàm ad curationem attinet. ſit igi-
tur, Curi, hęc theſis, & dignitas quædam à nemine ſubuertenda, maximi alio-

Septicum venenum.

quin in curatione momenti. Septicum venenum non modo tota (quod aiunt)
ſubſtantia vim habet corrumpendi, ſed etiam qualitatibus manifeſtis: quoniam
exurens in ſepticis omnibus ineſt facultas. Quamobrem vtrunque reſpiciant

Alexipharmacorum vſus in ictero.

auxilia. Theriaca, & Mitridaticum laudantur, quibus addito, quæ obtundunt,
quæ refrigerant, & oblinunt, venenoſæ qualitatis acrimoniam, modus erit al-
ter vt ve-

ter verius dissoluamus scrupulos duos, aut drachmam, cum vnciis quatuor olei amygdalarum dulcium; aut lactis asinini tantundem: bis aut etiam ter exhibeamus (neq; verearis caniculam, est enim medicamentum apprime temperatum) horis matutinis ante prandium quinque. Enematis vtitor frequentibus ex oleo, lacte, ouorum vitellis: ante cænam horis duabus quatuor vncias lactis asinini, aut, si deerit huius copia, caprini dabis. Quod si corpus vitam agere sobriam consueuerit, sit matutina cibatione contentus. Post alexipharmacorum vsum his vtitor. Rec. succi malorum punicorum acidorum vnc. tres, zuchari vnc. vnã dato ante prandium horis quinque, diebus septem, in quo curationis terminus consistit, in iis qui sanari possunt. Rursus verò lactis vnc. iiii. olei amygdalarum dulcium, aut ex oliuis nõ calefactis præparatum (quale Auximii, Recineti, Monte sancto, & Ciuitanouæ potissimum præparari consueuit Picenis) vnc. ii. misceto, atque totidem diebus ante cænam per horas duas propinato tepidum, & effectum (credito mihi) admiraberis. Ictus animalium postulat aliqua ex parte rationem curandi dissimilem: nam in epotis venenis procurandum, ne ex ventriculo ad hepar ac venas trahantur, aut si forte eò peruenerint, ne labem inferant insignem. In ictu verò enixè obseruandum, ne venenum iam contractum in superficie corporis intimas partes petat, quæ res fit dupliciter, vno modo adstringentibus epotis, ac pharmacis veneno contrariis: alio modo extrinsecus ad cutim trahentibus virus iniectum, ac à viru corruptam materiam: idcirco subsequente vomitu in epoto veneno admodum salutare præsidium euadit. In ictu, de quo loquimur, non est procurandum: sique aduenerit, haud fuerit bonum, quicquid in hac re consuluerint alii, quorum alioquin sententia posset fortasse bonum habere sensum, si fuerit persuasum à veneni malignitate omnes internas partes damnum contraxisse; quod inchoante symptomate non contingit. Iam itaque primum Theriacam, aut Mitridaticum, aut medicamentum diatessaron exhibeto cũ succi oxalidis siluestris vnc. ii. & vnc. tribus succi punicorum malorum acidorum cum scrup. ii. boli armeni, quod adstringendo veneni prohibet ingressum. Adhuc expeditius erit auxilium, quod sequitur. Rec. troc. de camphora, scurp. 1. s. Trocis. ex terra lemnia, scrup. 1. Theriaces, scrop. s. succi malorum punicorum vnc. ii. calidum sumat ante cibum, sufficient potiones tres. Victus rationem instituito emplasticam, quæ scilicet possit refrigerare, & obtundere acrimoniam humorum, ac de cætero impedire, ne centrum petant. Extrinsecus laudantur sectiones, linimenta, cucurbitulæ, caustica, ac id genus alia. Si leuior sit plaga, aut morsus, posca calida eam proluemus, deinde vero locum ipsum exsugemus. Verum qui exsucturus est, prius os oleo colluat, ne inde lædatur, atque ita ore ad morsum admoto, exsugat, & exspuat venenum. cauere etiam oportet, ne exulceratam aliquam internam oris partem habeat exsucturus. Post hæc vero cinis aceto subactus pro cataplasmate imponatur. Maximè autem ad hanc rem conducit ex ficulneis lignis exustis, aut laurinis, aut lignis vitis, qui si non adsit cinis, eo qui haberi potest, vtẽdum est diligentia adhoc potissimum adhibita, vt inflammatio in loco excitetur, & materię ad morsum prouocentur, quod si minus nobile sit membrum, & vehementior morsus, cucurbitam cum plurima flamma ad morsum adhibeto, & vicinos locos circumcirca impactis vlcusculis scarificato: attrahetur enim vnà cum sanguinis, & flatus attractione ipsum venenum: optimè autem auxiliantur, si statim in principio post cucurbitulas plagę imponantur animalia parua discerpta, & adhuc intus calentia, velut sunt gallinæ, hædi, agni, porcelli, laudant etiam, si capi, aut gallinæ pudicum explumatum demorsis partibus applicauerimus: Venenum enim exsugit. & dolores lenit. Apta his etiam sunt cataplasmata dilaniantia, sunt veluti allia cum melle, cæpæ cum sale, ruta cum melle, silphium tritum inspersum, laser, piscis salsus maxime vetustus, allium vstum, plantago cum sale, ac id genus sexcenta. Vigilans etiam æger asseruandus est, ac desidens per totum curationis tempus, donec euidentem remissionem acceperint molestiæ concomitantes.

Natura perfecte iudicante non mouebis quicquam: at verò illa deficiente,

Enemata.

Quæ exhibẽda post pharmaca.

Ratio curãdi ictum animalium venenosorum.

Vomitus quando conueniat. Aët. lib. 13. cap. 10.

Interna remedia contra ictum.

Externa.

Nota.

Ex Aetio singula & Græcis authoribus desumpta experiẽtia consentiente.

podicē

Curatio ictus Crisi.

adhibeto adiutricem manum per eam sedem mouens, per quam bene ipsam naturam tentasse cognouisti. Vnica spes est in iis medicamentis, quę sudorem prouocant, & cutaneos meatus extrinsecus laxant, & aperiunt. copiosa horum sylua cum sit omnibus, ac tibi notissima, nihil est quod ego, Curi, in horum explanatione tempus conteram. admoneo te, ne his ipsis temere vtaris, ne ad eos locos crassiorem materiam pręcipites. Considerare primum oportebit, quod impedimento naturæ fuerit, quominus illa suo munere perfectè fungatur. si enim aut abundantia mali succi, quam totam per cutem expurgare nequeat, aut crassities, visciditasque excrementi perfectionem impediat, haud ab re fuerit, minuere illam per aluum enematis, aut etiam purganti aliquopiam medicamento leuissimo: hanc verò incidere, atque magis detergere, quo post hæc facta validior alio die crisimo, quod iam incepit, perficiat.

Obseruatio magni momenti

Inflãmatio iecinoris habet sua notissima remedia: essem ridiculus, si noctuas Athenas, sed non prætermittam, hic sanguinis missionem primum locum habere, sed ex hepatica dextri lateris, nisi aut ex mariscis retractis, aut menstruis contigerit fluxionem iecinori fuisse communicatam; tunc enim ex saphena directa vacuationem primum emoliri, mox ex interiore cubiti κατὰ ἶξιν soleo; nunquam certe ex opposito cubito sanguinem mitto, quod ea inflammmato hepate vacuatio per communes venas instituta non dicitur, & non è directo, tum habito ad demandantem, tum ad recipientem particulam respectu, quæ summa sit meæ sententiæ de rectitudine, explicatum leges in meis libris de ratione curãdi per sanguinus missionem, & nonnihil huius argumenti habebis in ea epistola, quam scripsi postremis ad Hieronymum Cordellam, optimum sanè Medicũ, & doctissimum. reliqua pro curatione inflammationis legito in annotationibus in decimumtertium methodi, & in commentariis in secundum librum de curandi ratione ad Glauconem. Hac eadem de caussa, de curando scirrho nihil dicam, quia Galeni extat curatio à me diligenter in eisdem lucubrationibus exposita. Intemperiem hepatis suis contrariis qualitatibus, alterabimus, vbi primũ fuerit bilis copia purgata ex ipso iecinore, vt statim dicemus. Omnis obstructio aperientia postulat: materia horum remediorum sunt incidentia, detergentia, purgantia. Crassa bilis, qualis fit assatione in folliculo hepatis, quæ aliquando eousque protenditur, vt durissimos lapides procreet, incidentia citra calefactionem exigit. Sed, si viscidior pituitæ permixtione facta fuerit, quæ detergunt, habere caliditatem debẽt maiorem, aut minorem, prout humores fuerint frigidiores, vel calidiores, aut horum caussa obstructio magis, aut minus contumax. Iam verò vacuatio, quæ propriè talis est, huic ictero debetur nulla, sed purgatio; quia supponimus nullam subesse inflãmationem: at sanguis multus, impactus angusto in loco præter naturam, putredinem suscipit, soletque inflammationem efficere, vt pręd iximus. Qui verò toto in corpore abundat, minariq; videtur obstructionem futuram, aliaque mala huius occasione genita, tutò admittit remedium phlegmonis, obstructionisque præseruatiuum.

Curatio icteri ex inflãmatione.

Hieronymus Cordella.

Ex scirrho.

Ex intemperie.

Ex obstructione.

Ictero vacuatio nulla debetur.

Incidunt citra calefactionem radix plantaginis, omne genus cicoraceorum, asparagus, acetosa, & radix lapatii syluestris, & graminis, capillus veneris, pollitricum, agrimonia, ancusa, & quæ sunt eius generis alia.

Incidentia.

Detergunt hordei decoctum, valentius ptisana optime præparata, mulsa diluta, serum lactis cuiuscunque potissimum asinini (à lacte abstinendum, quod propria solet esse materia icteri) aliaque sexcenta.

Detergẽtia.

Calidiora his, gentiana, iris præsertim florentina, Aristolochiæ vtriusque radix, cinamomum, & aromata ferè omnia, melanthium, camepithis, serpillum, absinthium, fumaria, petroselinum, cappares, radix rubeæ tinctorũ, camedrios, marubium, rosmarinus coronarius, assarum, aliaque sexcenta. ex his componuntur medicamenta, pillulæ, trocisci, decoctiones, syrupi. Hoc loco errorem quendam Medicorum nostri temporis detegamus. Putant non oportere ad bilis purgationem nos accedere, nisi prius de obstruentibus, ac præparantib. antea vsi fuerimus: de qua re hæc extant Aetii græci authoris, & magni sanè nominis

Aet. lib. 10. cap. 18.

nominis verba. Quare in principio purgare nō oportet, priusquam per deoppilantia bilis attenuetur, & quodam modo ad intestina reducatur, maximi namque mali caussam purgationes in principio datæ præbuerunt. Itaque conuenit primum deoppilantibus, mox dicendis vti, atque vbi attenuatio humorum & deoppilatio facta fuerit, tunc demum couenièns, & forte (vt dixi) pharmacū purgatiuum est exhibendum] hæc illi, sed certè magno errore obaudiunt horū sententiam, neque ipsam assequuntur methodum: haud enim sermo institutus est de omnibus medicamentis purgantibus: at de iis duntaxat, quę valida sunt, quia purgationes ictericis fortiores exhibendę sunt, ob ventris enim siccitatem imbecilliores inefficaces in ipsis cognoscuntur: idcirco in principio validiorib. non oportet purgare, ac propterea concludebant, & fortè (vt dixi) pharmacum purgatiuum est exhibēdum: ego verò à principio bilem expurgo tenuem, circa primas venas consistentem, postea ad deobstruentia accedo, quia certè medendi postulat methodus, vt anteaquam ad liberandas obstructiones accedamus, vt primum omnium humores fluentes, aut certè qui confluere possent ad locū obstructionis, expurgemus, atque hæc sanè communis est ratio medendi: alioquin obstructiones augebimus: hac ductus ratione oximelite vtitur Galenus in curatione febris amphymerinæ post primos dies. Hac igitur ductus ratione ex ventriculo, & ex primis venis primū omne genus excrementorum expurgo leuioribus medicamentis, quorum vis non attingat hepar, aut saltem nō transcendat: Dabo in tui gratiam exemplum eius modi, quo sum vsus annis xxv. fœlicissimè, nam sic me tibi rem gratissimam facturum non dubito.

Rec. diacatholici minoris descriptione Ioan. Fernelii drac. x. specierum hierę Themisonis, drach. ii. fiat bolus cum zucharo, capiant ante prandium horis duabus. Dissoluere soleo rarò admodum medicamenta, in quibus ingreditur picra, ob ingentem scilicet auxilii amaritudinē. quibus tamen placuerit potus, dissolutio fiat de coctione agrimoniæ, & radicum graminis. postero die expurgo adhuc ante prandium validiori enemate, quale potissimum constat ex benedicta, & cas. tract. ana drach. v. melle rosaceo, vnc. iii. sapa. vnc. iiii. vitello oui vnc. i. sale cōmuni drach. i. decoctione quatuor herbarum emollientium lib. i. vel vnc. x v. Oleum in his prætermitto, in quibus purgationem validiorem fieri desidero, aliàs caussam percipies instituti huiusce mei. Si purgatas primas venas sufficienter cognouero, accedo ad ea, quæ deobstruunt: sin minus altero die, aut enema aliud iniiciendū curo: aut etiā medicamentū purgans repeto eadē vel minori vel maiori quantitate, prout esse necessarium perspexero. Aliquando ex vnc. vi. olei amygdal. dul. recenti facti compos sum voti post exhibitionem dicti medicamē ti: tandem, Curi, non est imitanda malorum Medicorum consuetudo, qui putāt expurgasse, cum dederint medicamentum purgans; sed obseruandum si talia purgantur, qualia purgari conuenit (neque enim vacuationes aut multitudine, aut medicamento sunt extimandæ) sin minus repetenda sunt eatenus auxilia, quatenus voti compos artifex fiat, & hoc sit præcipuum maximumq; artis mandatum. Pro materia præparanda in casu proposito, quod sequitur apoxema vtile est, cum respiciat materiam permixtam, qualis ferè est. Habet radicum graminis, asparagi, folium & radicum agrimonii, & cicoreæ, an. pug. s. marrubii, serpilli, fu mariæ, absinthii, an. man. i. Rad. gentianæ, drach. ii. Rubeæ tinctorum, drach. iii. decoquantur in aquæ communis ad tertias, & in iuris colati, vnc. iiii. dissoluto, vnc. i. acetosi dia rodon; syrupi de endiuia, & bisantini, an. vnc. s. vtitor, donec præparata videatur expurgandi materia. Hoc sufficiens est medicamentum in ea ægrota, de qua scripsisti. Expurgato post hac materiam sequenti pharmaco. Rec. diacatholici maioris, drach. vi. reub. macerati in vnc. ii. aquæ endiuiæ, drac. i. s. specierum hierę drach. i. rasuræ eboris, cinamomi, an. drach. s. seri lactis asinini. aut caprini, vnc. iiii. fiat potio: Quæ adhuc erit validior, si loco reubarbari addideris drach. iii. aut. iiii. electuarii succi rosarum. Quidam verò celebrant medicamētum eiuscemodi. Rec. diagridii, scrup. i. florum anthos, boraginis, violarū an. pug. s. cinamoni, assari, radicum gentianæ, an. gr. viii. macerentur horis xii.

Aet. ibidem.

Gal. 11. methodi.

1. ad Glauc. 12.

Legito descriptionem lib. 7. terapeutices.

Malorum Medicorum consuetudo.

Præparatio materiæ apoxema.

Expurgatio. Fern. lib. 7. Methodi.

Pilula. in sero lactis, calido & facta colatura exhibeantur vnc. v. aut vi. Quibus placet vsus pilularum, quæ ex tribus, vel ex reubarbaro componuntur, præsertim vigoratæ ex gran. iiii. aut v. diag. aut troc. alandaal, optimè conducunt. hoc memineris ad validiorum vsum haud esse perueniendum, nisi præcesserint gradatim imbecilliora in vtroque genere, tam scilicet præparantium, quam purgantium. Idcirco si oportuerit, apoxemati suprascripto permisceto drac. i. vel. drac. i. s. trociscorum ex reubarbaro, aut ex absinthio, aut ex eupatorio, quorum vis cum primis egregia est pro liberando infractu iecinoris. Ac pro remouendis reliquiis vbi corpus fuerit expurgatum, ante cibum horis duabus quotidie exhibendo drac. ii. diarrodon abbatis in forma solida, vel vt ego ob eius efficaciam vocare soleo diarrodon hepatis. Cæterũ vt fœdum colorem ex vniuerso corpore emendemus, quæ res propriè ad icterum pertinet, quatenus icterus est, diebus hisce calidissimis vtitor balneo dulcis aquæ, qua cum folia maluarum incoquantur ante prandium horis quinque, atque in balneo, aut etiam statim à balneo exeunti dato scru. v. trocisc. ex absinthio cum vnc. v. suprascripti, aut alterius eius facultatis, apoxematis: si bis, ac ter id ipsum effeceris præsidium nosces optimum: In aliis temporibus à balneo abstinens, essem validioribus frictionibus asperis linteis contentus, ac euaporatione ex aceto calente decoctionis florum camomillæ. Acetum adhæc acerrimum, si per nares attrahatur in solio desidens, diùque retineatur, operã præstare egregiam tradunt; quemadmodum etiam anagallidis succum cæruleum florem habentis, aut ciclamini, quod validius est. Aliud prẹter opinionem tota substantia caussam emendans, & effectum remouens: vermes terrenos vstos, & cum mirrha trogloditica tritos in fabæ magnitudine ex passo, aut vino mulso dato, & postera die icterum per lotium eiicient. Idẽ faciunt & absque mirrha dati: exhibeto hoc ad triduum, ac vtere confidenter. Vstos vermes audio (ne quid sit obscurum) igne crematos in fictili vase, donec in puluerem tenuissimum redigi possint; aptantur commodissimè in antidotos epaticos, pulueris huius, aut cum decocto marrubii, aut graminis, aut absinthii, drach. i. vel quod summum erit scrup. v. dantur ictericis fœlici successu: nam præterquam quod vim habeãt diureticam, vt Dioscorides tradidit, obseruatione compertum est, icterum persanare vehementer etiam laudant, & iusta quidem ratione ammoniacum, cui admiraculum vsque vim inesse volunt liberandi obstructiones, vt certò euadant, quibus iam à regio morbo imminet hydrops: Teritur ammoniacum, danturque scrup. iiii. vel v. ex oximelite, vel hydromelite. Oleum etiam eiusdem ammoniaci alchemistarum arte destillatum illinitur, atq; etiã bibitur pondere drach. ii. pro vice cum decocto aliquopiã conuenienti. Hæc ea sunt remedia, quib. adimplentur indicationes propositæ, & quib. vsus ferè omnem icterum sanaui spatio dierum quindecim, aut viginti.

Fœdi coloris Ictericorũ ablatio.

Aetii decretum, lib. 10. cap. 18.

Gal. de Theria. ad Pisonem. Diosc. lib. 2. cap. 21.

Relinquitur modo vt explicem, cur ego missionem sanguinis prætermiserim in Ictero ex obstructione folliculi: Alterum verò, vt difficiles quasdam sententias Hippocratis enarrem, quæ videntur tibi facere negocium. Quod pertinet ad primum, vacuationem sanguinis nõ admisi, quia desunt scopi, qui hoc remedium insinuant: nam cum duplici ex caussa mittatur sanguis, vt libro secundo operis huic tractationi dicato, dictum est à nobis, vel pro vacuatione, vel pro reuulsione: illamq; indicet magnitudo morbi, à sanguinis copia præsenti, aut futura, totius, aut partis: hanc autem sanguinis motus præceps, aut etiam tardus: in proposito ictero neutrum adest: quorsum igitur vacuandum, vbi nulla viget vacuationis necessitas? hacque de caussa prætermissam à Galeno fuisse non ambigimus, qui præterea rectè admodum obstructionem non curari missione sanguinis alibi contendit. Neque putes Aetium aliud voluisse: nam quantuis admittere videatur auxilium, haud equidem admittit ille simpliciter, sed adhibita distinctione, vt eius verba significant, quæ sic habent: In reliquis autem ictericis duo maxima remedia principatum obtinẽt, sectio venæ, & purgatio: in quibus igitur multitudo sanguinis vnà cum bile in toto corpore abundat, & quos circa hepar, aut splenem dolor, aut distensio infestat: nihil venæ incisione commodius

Contra recentiores Medicos de missione sanguinis.

11. Meth. ca. 12.

Aet. lib. 10. cap. 18.

commodius fieri potest, si nulla alia re id facere præpediaris] quibus verbis significauit, quando sanguinis misso conueniat, nempè in sanguinis multitudine & in fluxione, quam intellexit, dum ait: Dolor, aut distensio] & parum postea subsequitur. Purgationes autem magis propriæ, & familiares huic morbo existunt, inquit Ruffus] hoc eodem modo intelligere Paulum expedit, quamuis indistinctius loquatur: sed quicquid sentiant alii, ego sanè communibus innixus theorematis, quorum veritas nunquam difficultatem habuit, de sanguinis missione in Ictero sic puto sentiendum.

Librum de internis affectionib. non esse Hippocratis.

Quod verò attinet ad Hippocratem, petis vt dicam, quæ nam sint illæ quatuor Icteri species, quas libro de internis affectionibus describit: vnam vocant æstatis propriam, aliam hyemis, tertiam popularem, quartam vero nuncupauit Icterum album. Ego sane in eam opinionem venio, eum librum non esse Hippocratis, quia à proprio diuini huius hominis dicendi genere plurimum euariat, & quam plurima continet, quorum veritas est ambigua; me tamen non fugit, Galenum in Aphorismis meminisse huius libri inter Hippocraticos. Sed ponamus ad hunc authorem esse referendum, hoc vnum affirmare ausim, Hippocratem haud omnia conscripsisse ad editionem: quædam enim pro hac caussa conscripsit, vt librum Aphorismorum, & prędictionũ, & aliquot ex libris morborum vulgarium: quosdam verò, vt essent veluti quoddam promptuarium labescentis memorię. rursus alios ex variis obseruationibus petitis in Aesculapii templo, aut Apollinis: Hunc verò de affectionibus internis ex horum numero existere putauerim: quia etsi contineat multa quæ vera sunt, multa etiam à vero aliena complectitur, aut certè plurimum controuersa. Quemadmodum esse præsentem dę Ictero sententiam, omnes qui rectum volent adhibere iudicium, facilè cognoscent. Explicarem hæc sigillatim, nisi scirem tibi esse notissima, ac etiam nisi vererer me nimia sermonis longitudine te hominem occupatissimũ fastidire: Notabo tamen, si tibi sic placere significaueris, alias diligentius, quæ mihi in eo libro displiceant. Interim quod attinet ad illas species icteri, dicerem icterum ęstatis proprium esse factum ab inflammatione, vel à calida intemperie, vel à bile crassiori. Factum verò ab humoribus viscidis, & crassis nuncupari icterum hyemis. Popularem verò, quem committit inordinata victus ratio, qua ferè omnes vtuntur. Icterum album fortasse diceremus, aut leucophlegmatiã, aut albam Vitiliginem: sic ego explanarem hasce species; atque hæc de ictero sufficiant. Scribito, qui amici in Cingulis agant montibus. Vale.

Hippocratis non omnia ad editionẽ scripsisse.

EIDEM.

An primæ qualitates ex Galeni doctrina ita sese habeant inter se, vt duæ actiuæ duntaxat caliditas, & frigiditas: duæ verò passiuæ sint humiditas, & siccitas.

EPISTOLA SECVNDA.

DEDIT mihi Aloysius Augenius eques tuas literas; curabo diligenter, quę scribis. Sed caue ne decipiaris, nimis enim calidus, & astutus videtur mihi. Venio ad rem nostram. Scribis in calce illarum, an Mercenarius ex Galeno rectè senserit de modo, secundum quem ille velit ex primis qualitatibus duas esse actiuas, duas passiuas; rectè sentiat, liberè pro meo more dicam. Pro responsione breuiter, Aristotelis opinione prætermissa, de qua alibi, vt scis, disserui, & quam tu ipse audire non vis, hoc vnum teneri debet de hoc argumento ex Galeni sententia, quod qualitates primæ elementorum, quomodocunque considerentur, semper actiuæ sunt, & semper inuicem passiuæ, quia vt calidum agit in frigidum, sic humidum agit in siccum, & è contra: alioquin non essent prima contraria, quorum vis est agere in contrarium. Sed tamen cum non habeant omnes eandem efficiendi potestatem, factum est, quod

v. pag. 206.

Galenus aliquando duas vocauerit magis actiuas, caliditatem & frigiditatem: duas minus actiuas, siccitatem & humiditatem: quam rem aperte declarauit libro de curandi ratione per venæ sectionē, & pulchre admodum expressit idem author libro primo de facultatibus naturalibus, his verbis vsus.

Contra Mercenarium.

. Ac primus quidem Aristoteles particularium omniū caussas, referre ad hæc principia est aggressus: secutaq; eum postea schola Stoicorū est. Quamquam his quidem, vtpotè qui elementorum ipsorum mutuam mutationem ad fusionem, & densationem referant, consentaneum erat calidum, & frigidum actiua principia statuere. Aristoteli non item. Sed cum quatuor qualitatibus ad elementorum generationem sit vsus, satius erat omnes particularium caussas in has reducere. Cur igitur in libris de generatione, & corruptione quatuor vtitur: in metheorologicis, & problematis, atq; alibi tantum duabus? nam si quis in animalibus, & stirpibus calidum, & frigidum magis agere, siccum verò & humidū minus dixerit, fortasse etiam Hippocratem subscripturum habuerit. Sin pari modo in omnibus, non arbitror, id concedet non modo Hippocrates, sed nec Aristoteles: modo eorum, quæ in libris de generatione, & corruptione non simpliciter, ac nude, sed cum demonstratione nos docuit, meminisse velit] hæc Galenus.

Ex quibus, Curi, apparet admodum manifestum esse, quid hic author sentiat de primis hisce qualitatibus, vt subinde plurimū admirer quosdam Philosophos recentiores tribuere Galeno, quod ne somniauit equidem. Velle scilicet hūc in relatione ad animalium & plātarum generationē duas actiuas, & duas passiuas. non sic quidem ille: sed dixit duas magis actiuas, duas minus actiuas, Quamobrem omnes actiuæ sunt secundum Galenum at duæ magis actiuæ. Longissimè distat certè Galenus ab opinione eorum, qui humiditatem, & siccitatem passiuas esse qualitates contendunt, ita vt actiuæ non sint. Hæc sufficiant, nam sunt adeò manifesta, vt explicatione clariori non indigeant.

Habes interim, Curi carissime, quid ego sentiam de Ictero, & actiuis qualitatibus candidè admodum expositum, in quibus si tibi satisfecero, erit mihi adeò gratum, quàm quod gratissimum: sin minus, tu venies incusandus, qui petiisti, non ego, qui amicissimo obtemperaui. Vale.

CVRIO SCIPIONI.

Agitur de Dysenteriæ curatione.

EPISTOLA TERTIA.

QVAMVIS, quid tu de me sentias, prędicesq; quotidie, multo certè amicius, quàm verius tum sentiri, tum prędicari cognoscam, gaudeo nihilominus ea mihi tribui abs te, quæ me in ipso cōsistere nō video. Haud enim dubito, quin tibi, quæ literis mandasti, vera esse persuaseris, quia neq; tu es ex illorum numero, quos Heros ille Homericus odio prosequitur immortali nempè, aliud lingua promptū habentium, aliud corde clausum: Neque subesse aliqua potest caussa, cur Augenio Curius obtrudere palpum voluerit, vt inquit Plautus: idcirco plurimum gaudeo iudicio tuo; quin etiam, atque etiam exhortor, vt in hanc opinionem perpetuo permaneas, atque amorem erga me tuum, & beneuolentiam retineas: sic enim lætabor semper cum Næuiano Hectore laudari à viro laudatissimo: hæc enim summa laus est, quam ab incunabilis expetiui. Sed vtcunque res habeat abs te certè nō fallor, caue interim ne à te ipso maxime fallaris. Verùm hæc sufficiant pro responsione ad priorem tuæ epistolę partem: At de alia, quæ proponit maximas difficultates quid dicemus? satisfaciamus pariter, cum sic amicum deceat. Tria proponuntur discutienda de fluxu dysenterico: primum, an sanguinis missio conueniat, secundum, an potus la-

Plautus in pseud.

ctis; postremum verò an medicamenta purgantia. Vt horum exactam teneas notitiam, breuissimis enarrabimus, quid sit dysenteria, & à quibus caussis fiat: mox verò sigillatim satisfiet quæstionibus, eo penitus obseruato ordine, quem in proponendis tenuisti.

Dysenteria igitur fluor intestinorum est, ab acribus humoribus exulcerantibus illorum substātiam procreatus. Quatenus fluor est, communem habet cum aliis fluxionibus ideam: quatenus autem vlcus contrahitur à continenti caussa, propriam essentiam constituit. Imaginari debemus hoc loco, vlcus omne aut factum esse, aut fieri: atque in vtroque contineri naturam vtriusque, quia quod factum est, haud quidem ita factum dicitur, quod aliquid adhuc non fiat: ac rursus quod fit, non ita fit, quin factum aliquid habeat: Ars tamen ipsa, quod maxima ex parte factum est, ceu si fieri nihil amplius dicatur, vsum, & medendi rationem spectans, contemplari solet, quodque futurum est contemnit, vt certè quod factum est, in eo quod fit: hac ratione, quæ apud Galenum videntur hac de re controuersiam habere ingentem, facilè compones. Vlceris autem huius triplex differentia statuitur, vna cum intestinorum mucus egeritur, deinde adeps intus illis adhærescens exiguo cruore perfusus: Alia cum interior intestinorum tunica corraditur, cuius pelliculæ, & fibræ deiectionibus apparent permistæ: Tertia verò cum altius penetrante, & depascente vlcere, ipsa caro, propriaque intestini substantia putris, vel exæsa procidit: vlcus potest consistere vel in recto intestino, vel in suprapositis: quod in recto genitum est, facit tenesmum: inanem scilicet quandam egerendi voluntatem, sub qua nihil ferè prçter mucosum quiddam, & subcruentum emittitur. Porro intestina huic superiora, sunt vel crassiora, vel tenuia, in quibus consistāt, distinguere artificis munus est. Duo sunt, à quibus certiora petuntur signa, doloris situs, atque permistionis ratio. etenim si cruor, & quicquid abraditur fæcibus alui exquisite permiscetur, intestina superiora patiuntur. at si id purum, ac minime permistum excidat, descendantque alui fæces, seorsum crassiora vlcere depascuntur: Tenuibus laborantibus exercet dolor immanis supernas partes, præsertim circa vmbelicum: crassioribus verò, inferiores labem ipsam persentiunt. volens reliqua signa ab interuallo, exeunti mutato à colore, & alia id genus prætermitto tibi notissima. Hunc affectum caussat humor acris, & mordens, qui non rectà (haud enim dolorē, vlcus ve faceret) sed per anfractus in intestina vi quadam defertur, ac tum postea infigitur. Hic humor bilis est aut flaua, aut atra, aut etiam pituita salsa. exedentia etiam venena aliquando id mali faciunt, vt colloquinthis, & adamantis puluis nec non vitiosa, & acria alimenta ingesta altius se in intestinum figunt, dysenteriamque cient. Irruit humor hic in intestinum, interdum ex mesenterio, in quo iam dudum continebatur, vt accidit iis, quibus est amplum abdomen: frequentius è iecore, & liene, vicinisque partibus, nonunquam in venis maioribus, atque ex ipso etiam corporis habitu. Ex his, quæ diximus patet, dolorem, & ventris tormina perpetuo insequi dysentericos, quandoquidem diuisio vnitatis fit in sensitiua particula ab humoribus acribus, at febris non sequitur continuo, sed eam certè dysenteriam, cuius humor est acerrimus, isque è visceribus, aut è venis magna corporis agitatione profunditur.

Dysenteriæ definitio ex Gale. 3. de cau. simp. & de locis aff. 1. & 6. cap. 1. 4. de ar. com. 40.

Explicatio quæ dictionis magna. 1. de loc. aff. 2.

4. aph. 24. 26

His in hunc modum statutis, explicemus quæstiones, atque illam in primis, an sanguinis missio conueniat. Sunt qui nullo adhibito discrimine, venarum sectionem admittant, si vires validæ sunt. Verùm enim verò plurimum aberrant. Quid enim sanguinis vacuatione indigemus, vbi aut flaua, aut atra bilis, vel pituita salsa facit negotium? Quis hoc genus admitteret remedii, cum in primis venis, quod ferè fit semper, malorum humorum copia continetur? distinctionem adhibere igitur oportet, vt omnia ex methodo procedant. Petenda est distinctio à causis morbum facientibus, quales proximè retulimus. Si enim à venis maioribus per hepatis regionem, & mesenterium biliosus effluit sanguis, cuius indicium potissimum febris est continua, suis comitata sym-

Quæ Altimarum.

Sanguinis missio quando cōueniat dysentericis.

Lactis exhibitio in Dysenteria.

ptomatis, aut etiam si corpus abundauerit sanguine, cuius occasione vereri contingat, ne ob calorem partis igneum, & ob dolorem perpetuum attracto sanguine tenuiori vlcus inflammatum fiat, quis non admiserit sectionem venæ? nam in prima suppositione, vacuato sanguine, totoque corporis habitu refrigerato, caussaque iam remota, fluori medemur. in secunda præcauemus, quod futurum est optima quidem ratione, & fœlici successu. Si vnà vacuatio sit multitudinis, fit etiam reuulsio ab intestinis vlcere labefactatis. Hæc itaque sanguinis missionem vnica admittet caussa: renuent aliæ prorsus. Galenum verò cum negare videtur eiuscemodi auxilium, dicimus de ipsa dysenteria minime fuisse locutum; sed de diarrhea, vt in explanatione primi libri ad Glauconem manifestum fecimus. Neque etiam de hac ipsa locutum fuisse Hippocratem, cum libro, si bene memini, quarto de ratione victus acutorum, fluente aluo sanguinis missionem negat, nemo est qui ambigat. Sit igitur de prima disputatione in hunc modum determinatum.

Legito nostrũ tractat. lib. de miss. sanguin. 8. ad Glauc. 84.

Potum lactis non modo exulceratis intestinis fluente aluo, sed etiam in diarrhea admittere consueui. Siquidem materia est inuenti remedii expurgantis, detergentis, dolorem sedantis, consolidantisque: Vigent enim eiuscemodi scopi, copię humoris expurgatio, de qua dicemus infra: vlceris detersio, consolidatio, & quod attinet ad indicationes vitales, doloris mitigatio: adde his, quod humoris acrimonia, calorque exigunt, quæ obtundunt, ac refrigerant. Hæc à lacte sigillatim præstari quis dubitat? serum expurgat, abluitq; totius lactis substantia refrigerat excalefactas particulas, humores ve torrefactos: caseus consolidat: pinguedo autem oblinit: mitigatq; dolores. Audi quid hac de re græcus author maximæ obseruationis dicat. Inprimis igitur lactis calefacti, & inter coquendum sæpius agitati cyathos tres exhibemus, & post horas duas tantundem rursus potui damus, quibusdam etiam tertio offerimus, vt integra hemina absumatur, & si eo die repletus æger videatur, cibo eum abstinere iubemus: hoc igitur modo bilis educitur, & humores corrupti modicè purgantur, mitiganturque] hoc ipso antiquior author Aetius rem hisce verbis confirmat: Primum enim lac depurgat simul ea, quæ in corpore sunt, contemperando: postremum verò aluum sistit] Galenus verò, quem authorem insequuntur ferè omnes, inquit: Tale lac ad acres & mordaces fluxiones est vtilissimum, non abluens modo eas à partibus afflictis (est enim id illi cum aqua commune) sed & corpora illinens vt non in nuda cadat, quod defluit. nec in hoc duntaxat aqua præstat, verùm etiam, quia colluit, vtpotè detergentem in se humiditatem continens, quam vocant serum, id quod colluit; diluitque corpora: Reliquum autem quod crassum, pingueque est, colluitur non aliter, quam pinguedo, adeps, atque oui albumen, & ceratum ex eloto oleo, ceraque confectum] cum itaque tantas vtilitates lactis potus exhibeat, negari non debet, & hinc certè fit, vt putem admodum ceruicosos esse Medicos, qui ab illo abstinendum esse præcipiunt. Doceamus nunc modum, & quantitatem exhibendi, & quod nam ex multis generibus lactis dari debeat. De proposito argumento sic loquitur Aetius. In principio igitur post tertiam diem permittentibus febribus, lacte recens mulcto adhuc calido vtendum est, melle tepido ei admisto, atque in eius vsu ad tres dies perseuerandum, quantum nutriendo corpori suffecerit exhibendo, sequentibus deinde diebus melle adempto, & modica aqua (quartæ nimirum lactis partis mensura) affusa paululum decoquimus, ac exhibemus. Deinde post alias tres ad tertias similiter per tres dies, atque ita exhibemus: primum enim lac depurgat, simul ea, quæ in corpore sunt contemperando: postremum verò aluum sistit. Non scio enim an aliunde grauior molestia dysentericis oboriatur, quàm ex eorum, quæ egeruntur, acredine contingit] hæc ille. Alexander autem Trallianus de eadem materia differens, aliqua ex parte diuersus ab Aetio videtur, eius verba sic habent: Inprimis igitur lactis calefacti, & inter coquendum sæpius agitati cyathos tres exhibemus, & post horas duas tantundem potui dantur, quibusdam etiam tertio offerimus, vt integra hemina absumatur] ac inter-

Lactis potũ vtilem dysẽteriçis.

Trallianus, lib. 8. cap. 6.

Lib. 9. c. 45.

v. infra. ℞ { Lib: 10. Simpl: Med: cap. 4. de lacte.

Modus exhibendi lac.

Lib. 9. c. 45.

Lib. 8. c. 8.

v. supra ℞ { Caseosum illud et crassum ipsius lactis magis illitum adhaeret, postis et eo nota acrimonia retundit. porro vbi aliud quopiam desiccante facultate habuerit adiunctum, optimum est remedium Dysentericis, et omnium acrium ventris fluxionum. / Eam accipit a lapidibus, qui [illegible] ipsi iniiciuntur igniti. / porro eos esse oportet quos vocant Coclaces. Et lac eousque decoqui debet, dum plerasque [illegible] in eo humoris absumpta pars fuerit. At nos interdum ferreis in ipsum cylindris candentibus sanè aut etiam meliore facultate efficimus. etc. Gal: lib. 10. de simpl: Med: fac: cap. 8. de sero.

20

30

40

50

Lactis in dysenteria exhibitio:

positis nonnullis, inquit: Postea mediam heminam in partes duas diuidimus, & similiter, vt supra, exhibemus duabus horis interpositis; atque sic iterum tertio duas heminæ partes, aut tres vna vice præbemus] Hæc quidem Trallianus. Horum porro differentia in pluribus consistere videtur mihi. Differunt quod ille in prima lactis sorbitione lac non exhibet coctum, sed crudum admixto melle: hic verò mellis non meminit, atque coctũ præbet; deinde quartam addit aquæ partem, ille verò, cum febris vrget. Postremo Alexander lapillos etiam igne ex quercu feruefactos, in vas plenum lacte præparato particulatim extinguendos curat. Aetius hoc prætermittit. Alexandro placet, vt lac ter, aut quater duntaxat, coquatur, non autem ad tertias. At vero arridet Aetio, vt lac non solum ad tertias concoquatur, sed etiam ad partis dimidium, & aliquando donec absumerentur partes duæ, hæc fuit antiquorum Medicorum consuetudo.

Alexander, & Aetius in quo differant.

Ego vero nunquam, vt corpus expurgem à multitudine bilis, hactenus lacte sum vsus primis diebus, duplici potissimum nomine: tum quia non semper lactis copiam habemus illico præparatam, vt, poscente vsu, ipsum administrare valeamus: tum quia non desunt medicamenta fœlicissimè purgantia, quorum accommodatus esse potest vsus in rem præsentem, de quibus infra loquemur, iis cum antiquiores caruerint, non est mirum, si semper ad lactis vsum confugerint, sed si horum occasionem non haberemus, si continuo lac illorum consuetudine adhiberemus, optimè ægris consuleremus. Aetii tamen opinio mihi non placet, qui mel admiscet bili flauæ, & atræ haud congruum: quamuis certè multò citius deducat.

Modus lac exhibẽdi apud Augenium.

Contra Aetium.

Quamobrem satisfaciet lac recenter mulctum Alexandri pręcepto, tribus scilicet continuis diebus pro corpore purgando. est in Alexandro considerandum, ac certe plurimum animaduertendum, quod propinet lac ipsum coctum dum purgare desiderat: nam si substantia serosa aluum subducit, coctio autem ipsa serum absumit, magis crudum, quàm coctum dandum esset. atque ita ego facere consueui, teque ipsum vt idem efficias admoneo. Sed si coquere volueris, leuis admodum adhiberi debebit coctio, vt seri virtus adhuc ipso in lacte conseruetur.

Contra Alexandrum.

Cur ergo satis expurgatum à bilis copia, vel medicamentis, vel ipso lacte Gręcorum consuetudine corpus fuerit, maxima quidem, Curi, fœlicitate tunc ad illius præparationem accedo. Fit autem præparatio eo potissimum modo, quem edocuit Aetius. Hic tutissimus est exhibendi modus, qui me nunquam fefellit: fatigante autem febri admixta pluuiali, omne incõmodum corrigitur. quòd verò pertinet ad qualitatem lactis, id meo iudicio potissimum eligendum est, quod scopis iam inuentis conueniat. Si enim abluere, & expurgare magis in animo sit, caprinum, & crudum; si glutinare vlcus contractum, fluentem aluum sistere, acrimoniam obtundere, ouinum eligito: at vigẽtibus indicationibus permistis, in vsumque confusis, maior aut minor coctura lacti exhibenda, ægroti commodo suppleuit.

Aqua lactis permixta quem vsum afferat.

Lactis electio.

Hic duæ sunt, quę faciunt dubitationem, sententiæ; Hippocratis vna: Galeni altera. illius verba sunt: Lac dare caput dolentibus malum: malum vero & febricitantibus, & quibus ilia suspensa murmurant, & siticulosis. malum autem, & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est] Galenus verò decretum confirmans in eius loci commentario dicebat, in biliosis deiectionibus non conuenire potum lactis ob facilem eiusdẽ alterationem, qua facile in nidorosam qualitatem mutatur: quemadmodum si in frigidos humores incidat, in acidam fit transmutatio.

Dubitatio. 5. apho. 64.

Cõmen. 64.

Viderunt hanc difficultatem recentiores Medici, qui solutionem afferunt multiplicem, prima est, Hippocratis & Galeni sententiam veritatem habere, vbi febris fuerit acuta, & cum nulla vacuatio præcessit: at lactis potum conuenire vacuatione præcedente. Hæc prior solutio non consistit, quia admittunt Gręci in principio affectionis pro expurgatione bilis: vtq; febrem etiam respicerent, pluuialem admiscendam consuluere.

Altimari sentẽtia refellitur fol. 398.

Lactis in dysenteria et febribus exhibendi conditiones.

Secunda solutio est, non conuenire auxilium, si cum fluxu dysenterico febris complicata fuerit: conuenire citra febrem afficiente dysenteria; quo casu lac admittunt. locutumque fuisse Hippocratem in affectu complicato cum febre, non in simplici. Sed hæc pariter falsa solutio est. quandoquidem Galenum ad verbum sic inquit in eius loci explanatione. Et mihi videtur sermo melius in hunc modum se habere: Malum & quibus biliosæ deiectiones: & acutis febribus, neque enim vtrisque simul iunctis tantūmodo noxium est lac, sed seorsum in alterutro. his igitur passionibus lac plurimum aduersatur.] Alexander etiam in ipsa complicatione pariter exhibet lac potandum, nam ait: febricitantibus, non tam facilè lac dandum est, vt quod in ventriculo acescat, & corrumpatur, aut ex calore in caseum coalescat, vnde maiores cruciatus, viscerum tensiones, capitis dolorem, & cibi fastidium excitat: quare, vt citra noxam febricitantibus exhiberi queat, præsertim pueris, magisque iuuenibus, quā ætate iam prouectis exactius à nobis dicendum est &c.].

Secunda solutionis impugnatio.

Com. 64. libri quinti.

Lib. 8. cap. 6.

10

An fortasse dicent, nec Alexandrum, nec Aetium dedisse in fluxionum principio, sed vbi diuturnæ fluxiones extiterint, à quibus vniuersū colliquetur corpus, bilis ve adeo pauca, vt in nidorosam qualitatem conuerti non possit? Sed hęc solutio minus consistit, quam aliæ, triplici de caussa. prima sanè, quia authores hi morbo inchoante lac exhibent. Secunda quod quando lac exhibent, eo ipso tempore copiam adesse humorum admittunt omnes. & quomodo copiam desse arbitrabimur, si indicatio viget de corpore expurgando? Rursus quid colliquatiuus fluor cum melle quod permiscēdum esse tradit Aetius? hic prodesse nunquam affectu colliquante corpore, obesse potest continuo.

Tertia solutionis impugnatio.

20

Dicemus ne fortasse, cum hæc non satisfaciat solutio, Hippocratem lac, quod non sit præparatum, reprobasse; at quod artis præparationem complectitur, afferre vsum ipso in negotio maximum? Neque id sanè, nisi meum iudicium fallit, statuere possumus. Alexander enim, & Aetius collaudant lac sūmopere primis diebus aut modice calefactum, aut melle iniecto recenter mulctū: hacque medendi ratione tribus diebus vtuntur. Adde quod Galenus, dum asserit lac biliosis deiectioni bus afferre vtilitatem, nullam præparandi rationem explanat.

Quartæ solutionis Altim. impugnatio.

30

Audias igitur, Curi, quid hic inquam; postquam aliorū sententia non placet. Lactis vsum in biliosis fluxionibus malum esse, vt dicebat Hippocrates: atque rursus bonum, vt cum Galeno recentiores Medici tradiderunt, ego pariter affirmo substantia lactis alteratur admodum facilè tam in frigido, quam calido ventriculo, cum aut acescit, aut in nidorem, bilemque conuertitur, haud contingit semper hoc fieri in ventriculo calido, si enim lac potetur à quantitate, qua ob serum subducere possit aluum, expurgata bile, maximum solet afferre cōmodū, nec quicquam obesse. Transmutabitur igitur in qualitatem nidorosam, aut in humores acres, si non subducet aluum; si exigua desumetur quantitate: & hac sanè ratione malum statuitur. Porro bonum erit exhibere vt subducat ventrem, expurgetque, quo scilicet tēpore illius diminuere copiā studemus. Adde quod si cōtinuo lacte citra præparationem vteremur, non esset modo malum, sed etiā pessimum: citra præparationē conuenit primis duntaxat tribus diebus pro purgatione, vt admonuimus: at vero vbi humorum acrium alterationi operam damus, & corroborationi, vtemur præparato, absumpto scilicet sero per coctionē; aut ignitis lapillis extinctis adaucta siccitate casiosæ substantiæ. ac rursus addita quarta parte aquæ pluuiatilis, si febris vrgeat, eius incommodis subuenimus. Quamobrē est malum in fluxionibus biliosis exhibere lac toto processu morbi citra præparationem; bonum vti primis tribus diebus. Rursus bonum post primos dies vti lacte præparato. Non videatur quæso, mi Curi, absurda hæc interpretandi ratio, quoniam quod est malum alicuius relatione, id sanè ad aliud relatum, bonum dici potest. Scāmoneum, si febrem consideres, febricitāti malum: febricitanti rursus bonum, quia febris caussam remouet. Calida, & sicca non conueniunt in febribus, quatenus talia sunt, sed quatenus aperiunt, deobstruunt, vrinam prouocant, sudorē mouent, vtilitatem afferunt ingentē. Quod attinet

Augenii propria sententia

Nota

Lac quando malum, & quando bonū in fluxionibus biliosis

Lac quando præparandū

40

Cōfirmatio à similitudine.

Bonū & malū ad aliquid

50

attinet ad Galeni verba, quomodo illis satisfaciundum sit, pluribus quidem non ago, quia ex supra dictis patet illius explicatio. Atque mea est de lacte sententia, & ad Hippocratis contextum explanatio: in qua an scopum attigerim, alii iudicabunt.

De purgatione in fluxu dysenterico.

Omnem dysenteriam à multitudine humorum acrium fieri, hactenus dictũ est à nobis: idcirco si contrariorum contraria sunt remedia, vacuatio, quæ proportione respondeat, humorũ quantitati adhibenda est: quia verò supponimus succos malos, expedit quidem id purgandi pharmaco facere, quo cacochimia potissimũ emendatur. Verum hic adhibenda est distinctio. Contemplari oportet qualis nam sit is fluor, cui medemur: an scilicet criticus, an symptomaticus, atque rursus, an maligni sint humores, nec ne. Etenim contingit ex horum varietate variam curationem fieri. Quem facit natura optime iudicans, hunc sanè fluxum auertere non debemus, neque alia ratione impedire. Sed si fuerit perfectus, omne relinquendum est negotium naturæ: at si non perfecerit illa, suspicioq; sit, quod nec sit de cætero perfectura, naturam iuuabimus per eam regionem vacuantes, per quam tentat: quia, quæ in morbis relinquuntur, post iudicium recidiuam facere cõsueuerunt: & quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere oportet. Verum si ratione cuiusdam symptomatis, & casus contigerit, motus eiuscemodi aliquando reuellendus per oppositas regiones, de qua re sic memini à Galeno conscriptum. Quare & nunc quoque si fluxio vehemẽter irruat, reuellere ad contraria studebimus, vtique si in superioribus vlcus consistat, per inferna purgantes: si autẽ in inferioribus sit, superiorem ventrem vacuantes,] & parum supra. Auersionem fieri ad contraria tradidit.] sed non oportet, vt id ipsum semper fiat: est enim animaduersione dignum, quales sint hę regiones, per quas fieri debet reuulsio, & quid mali contingere possit. Si quis enim ostium ventriculi habeat nimio sensu prẹditum, si cardialgia affici solet, si inter vomendum aliàs plurimũ fuerit lacessitus, si humores tandem admodum acres extiterint, vlceratis intestinis ad contrarias partes, vt per ventriculum reuulsionem facere nunquam tentabimus, sed tunc solis contemperantibus, & oblinentibus (nisi fallor) hominem curabimus. Humorum etiam conditio est pensitanda: quis enim fluxionem pestilentium humorũ reuellet, quis impediet; quis, aut adstringentibus, aut deducentibus ad nobiliores particulas vtetur? expedit scire, quod quidam sunt motus symptomatici, quos neque adiuuare debemus, neque impedire: caussa est, quia non sunt prorsus tales, naturam enim mediam videntur sortiti inter purè symptomaticos, & verè criticos: quales potissimum sunt facti ab humoribus malignis & venenatis. Legito, si placet, per otium, quæ in epistola ad quendam Collensem Cynicum pro clarissimo Vincentio Cibo conscripsimus: nam ibi horum exempla quædam ab Hippocrate, & Galeno petita habentur pulcherrima.

Quarto method. cap. 6.

In symptomatico fluxu, non semper ad cõtraria reuellendum.

Thesis.

Nunc ad dysenteriam reuersi, supponimus hanc fieri motu quodam critico, natura humores acres, caldissimos, aliquando etiam perniciosos ex hepate, a ut venis expellente: sed tamen motu quodam admodum lento, & tardo; idcirco si perfectura esset iudicium natura, id sanè faceret longo tempore: quod dũ expectamus, fortasset intestina cõtraherent vlcus incurabile, & malignum, aut virtus propter dolores, vigiliasque adeo redderetur imbecilla, vt de cætero nõ posset superare omnem humoris quantitatem: expedit igitur manus porrigere; vt breuiori tempore vacuata copia per regionem conferentem, per quam ipsa tentabat natura, in tuto ægrotum portu deducamus. Notandum est hoc loco, aluũ tum in febribus, tum citra febres profluuio laborare. In febribus quidem difficilior eius est curatio, animaduersionemque diligentem requirit: nam inter initia natura aliena salubriter vacuare consueuit, ipsa nimirũ natura ad superfluos, noxiosque humores reiiciendos vndique cogente; id autem aliàs in statu morbi, aliàs in declinatione contingit. in statu quidem cũ magna humorum, subitaq; & critica profusione, qua febres soluuntur; sæpè verò paulatim accidit, & multis perseuerat diebus, neque sine periculo ipsius ægroti aliquando declina-

Alexã. Tra. lib. 8. cap. 5.

re videtur. at in tali occasione profluuium, aut sisti non debet, donec ipsa se natura componat, & ad integram perueniat sanitatem, aut motus eius adiuuari: nam si quis ventrem constringere volet, magnam excitabit ægritudinem: Vidimus enim ventrem initio affectus ad quartum, quintumve diem profluxisse, & postea fluorem aut per se, aut Medici auxilio substitisse, vnde ægri in magnũ periculum inciderunt, ita vt phrenetici, aut lethargici effiecerentur, aut perniciosæ in eis parotides excitarentur: quare initio ea, quæ corporis commodo, atque vtiliter excernuntur, minimè supprimere conuenit, ne materia in alias transuersa partes supradictos affectus generet. Sequitur ergo vt statuamus adiuuari oportere naturam ipsam, periculo imminente haud mediocri, si illius motũ inhibuerimus. Id quod confirm at Aetius his verbis : Conuenit itaque rebus sic stantibus, aut vsque adeò natura omnem curam impenderit expectare: aut ipsius etiam motus adiuuare, etenim obluctari, & excretionis cohibitionem moliri, maiorem morbum facit. siquidem, quę cohibentur sursum prolata, dolores capitis, aut phrenetidas, aut lethargos, aut parotidas inferunt plane perniciosas: quare in principio ea, quæ in corporis cõmoditatem vtiliter excernuntur, minimè inhibere oportet] Ego itaque hisce rationibus persuasus à principio (si tamen expedire iudicauerim) corporis purgationem moliri soleo antiquorum consuetudine: nam vt adiuisti, lacte purgabunt. quę ratio medendi superat omnes difficultates, admirorque plurimum raros existere, potissimum in nostra prouincia Medicos, qui vtantur lacte. Neque propterea reprobo cõmunem nostri tẽporis morem. nam vbi reubarbarum exhibemus, aut etiam diacatholicon, aut mirabalanorum decoctum, optime nostro munere perfungimur: sed qualẽ pro dysentericis formulam præscribere, & quodnam ex multis medicamentis purgantibus magis eligere debeamus, aliàs explicabimus.

Lib. 9. cap. 35

Dubitationes contra purgationẽ dysentericorum.

Soluamus modo difficultates omnes, quæ vrgere nostram hanc opinionem videntur, quæ in hunc modum habent.

Prima difficultas est, quod à Galeno passim dicitur, ab omnibusq; confirmatum legimus, à particula fluxione tentata esse procul reuellendum: at nos ad intestina trahimus materiam.

Secunda, parum prudentis Medici consilium videtur, tentare in curandis ęgris periculosa remedia; quia sanare debent Medici tutò, citò, & iucundè. Periculosum autem esse, fluente aluo medicamentum purgans dare, à Galeno traditum est, & ab Auicenna confirmatum.

Lib. 3. fen. 20 aduersus Erasistra.

Tertia est, quia non videtur verum contraria contrariorum esse remedia: fluenti enim aluo non opponitur fluor, sed adstrictio, quæ illius verum contrarium est.

Adhęc ex Græcis authoribus neque Galenus, neque Paulus, purgationis meminerunt.

1. ad Glau. 14

Postremum Galeni verba contrarium omnino persuadent. verba sunt hæc: Sed neque si fuerit febris cum profluuio ventris, alia est opus euacuatione, verũ hæc sola sufficit, quamuis non sit pro multitudinis ratione : quicunque enim his adimere necessarium fore putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt, in grauiora pericula duxerunt.]

Explanatio omnium dubitationum.

Ad primam dicimus, in motu purè symptomatico oportere procul auellere at in critico, & in eo, qui mediam naturam habet, non item. Ad secundam dicimus, methodo innitentes nunquã periculosa exhibere auxilia: quod si exhibent aliquando, id faciunt maioris cõmodi gratia, idcirco nunquam rationalibus Medicis timorosum est, purgare dysentericos: periculosum empiricis, & temerè artem exercentibus, quos admonere voluit Auicenna: at verò Galenus docens periculosum

periculosum esse vsum pharmaci expurgantis, loquitur collatione facta phlebotomiæ, & purgationis, vt diximus libro tertio de sanguinis missione: mox quę casu accidunt, & fortuito, ab arte consideranda non sunt. Purgans medicamentum suam habet contrarietatem, non ad fluxum, sed ad ipsam copiam, quã vna curat inanitio: sic semper contraria contrariorum auxilia. Falsum est deinde, Gręcos non admisisse præsidia pro purgatione bilis, si quæ de lacte exhibendo ex Aetio, Alexandro, atque Galeno dicuntur, veritatem habent: non sunt autem vsi medicamentis nostri temporis, quia his caruere: in qua re nostra ætas antiquitatem superat. Postrema Galeni sententia intelligenda est de diarrhœa, in qua non fiat purgatio pro ratione multitudinis: sed tamen, quæ possit processu temporis perficere, quod incepit, sic profecto sinendum est naturæ; si speramus illam certo perfecturam, quamuis in præsentia non perficiat: sed si suspicamur contrarium, adiuuanda. Hæc (mi Curi) si non qualia optabas, qualia certe potuit Augenius tuus senex, cum scripsit calamo currenti. Vale.

EIDEM.

Explicatur an liceat in menstruorum fluxu vti diureticis: & de vreticis medicamentis quædam.

EPISTOLA QVARTA.

QVATVOR sciscitaris ex me; primum, an liceat vti diureticis in menstruorum fluxu, quandoquidem audieris Medicos quosdam clarissimos inter se plurimum discrepantes: hacque de caussa me tibi rem gratissimam factură significasti, si, quid in hac controuersia plurimum difficili sentiendum sit, rescripsissem: mox autem, vt si est apud me peculiare medicamentum ad vrinas promouendas, id scribam, tibiq; communicem. Atque tertio ex me scire desideras, an humor putridus venę sectione sit vacuandus, seundum Galeni placida. Et Postremo an in putridis febribus dari debeat lapis Bezaar, & quando sit dandus, & qua dosi.

Igitur, vt à primo exordiar, dico mensibus nimium effluentibus vretica minime conuenire. Tum etiam demum, quod in quodam fluxu muliebri vtilis esse, potest illorũ vsus. Vt hęc, quæ diximus, rectius intelligantur, sciendũ est diuersos esse affectus, mensium fluorem & fluorem vterinum, seu muliebrem: Datum enim mulieribus est, vt statuis mensibus ex vtero sanguinem vacuent, multisque de caussis id ipsum statutum esse, nemo est qui nesciat: quando hæc vacuatio supprimitur, aut omnino, aut magna saltem ex parte malè habet mulier, quemadmodum etiam, cum nimium expurgatur, naturæ limites excedit. Voco nimiam sanguinis vacuationem eam, quæ non fit statutis temporibus, sed semper anteuertit, ac etiam quantitatem non seruat moderatam, ex qua (vt vno dicam verbo) quæ noxam infert. Potest enim effluere sanguis copiosior, quam sit secundum consuetudinem: potest etiam temporibus non congruis, citra labem aliquam corporis, sed is, qui labefactat vires, dum profluit, dicitur præter naturam, non toto genere, vt aliæ vacuationes sanguinis: quoniã hæc vacuatio ex vtero mulieribus data est naturalibus de caussis; aliæ autem minimè. Lõgè ab hoc distat muliebre profluuium: hoc enim est, cum quippiam vitiatum, & à natura sanguinis alienum per vterum purgatur, siue id ipsum vteri vitio, siue superiorum partium accidat. Quia certe facilè admiserim ῥύσιος γυναικείης expurgationem existere vniuersi corporis citra vteri aliquempiam affectum: quamuis certè frequentius contingere non dubitauerim, aliquod eo in viscere malũ cõcitari. Etenim (vt summatim dicam) vterini fluoris caussæ aliàs in vtero, aliàs aliis in partibus consistunt. In vtero intemperies frigida, vel imbecillitas ab vteri gestatione, à partu, à contusione, aut ab alia externarum caussarum vi contracta: vel erosio, vel ex abscessu, & inflãmatione vlcus procreatum. In principio-

Summa opinionis Augenii in proposito negotio.

Vacuatio sanguinis ex vtero non est toto genere præter naturam.

Fluxus muliebris sine affectu vteri.

In principiib. partibus.

bus partibus caussa consistit, vt viscerum imbecillitas, refrigeratio, obstructio, scirci cruditates, mali habitus, & quotiescunque prauus humor à capite in eam partem procubuerit.

Sanguis ab vtero quib. de caussis profluit.

Præterea meminisse oportet hoc loco, quod sanguis affluit è vasis vteri, aut ob reserationem, aut ob diuisionem tunicarum, aut (vt sic dicam) transcolatus, & sudoris modo transmissus. Reseratio ἀνασόμοσις Diuisio διαίρεσισ, Transcolatio verò διαπέδεσις dicitur Galeno. Reserationis haud simplex est caussa, fit namque ob vasorum imbecillitatem, quæ retinere sanguinem nequeat, propter copiam facientem impetum, atque propter acrem qualitatem sanguini aduenientẽ. Diçresim facit vulneratio, ruptio, contusio, erosio; Diapedesin verò procreat, rarefactio tunicarum, sanguinis tenuitas, graciliumque osculorum adapertio.

Indicationes pro varietate caussarum.

Hæ quidem caussæ indicant de se proprium quoddam remedium, pro natura rei ipsius indicantis. Immoderatus fluxus ea indicat, quæ fluxionem inhibeat: nam si huius retentio præter naturæ ordinem, vacuationem indicat, eiusdem nimia expurgatio, retentionem insinuat. Imbecillitas facultatis robur esse addendum: Copia inanitionem, acris qualitas obtundentia denotant. Diuisæ tunicæ vniri desiderant iis, quę agglutinant, deperditamque carnem regenerant. Tunicæ rarefactæ constringendæ sunt, sanguinis tenuitas incrassanda: vasorum tenuiorum aperta, claudenda sunt ostia.

His indicationibus positis, affirmare liceat, sanguine fluente præter naturam ex vtero, diuretica medicamenta locum non habere aliquem, quæ res fiet manifesta inductione circa singulas caussas facta.

Primum obturant reserata vasa, quæ vim habent astringendi: Diuretica verò maximè aperiunt. Adhæc, quæ obturant, crassam habent, amplasticamque substãtiam: at vretica tenuẽ & penetrantem possident. Sanguinis copia non tollitur diureticis, sed propriè vacuatione, quam φλεβοθομίαν diciunt. Aeris qualitas refrigerationem exigit, & præsidia viscidæ substantię. At vretica calida sunt, & subtilia, & acria, quæ facultatem retentricem stimulant, punguntque, ac ideo magis hebetant, quam corroborent.

Vretica non conuenire fluentibus mensibus.

Porro fluxus sanguinis ex vasis ruptura postulant etiam astringentia, & quæcunque ipsis in compositione miscentur citra morsum reficcantia, & glutinosum quippiam habentia, quæ idcirco, quia ex lenta, crassaque consistunt substantia, & meatus obstruunt, & à Gręcis emplastica nuncupantur: constat autẽ vretica cõtrariam his, vt admonuimus habere facultatem. Particulariter erosio curabitur per renutritionem erosorum, ex cibis boni succi, & pharmacis carnem generantibus: ea de re haud amplius astringentia, acidaque conuenient, sed potius quæ contemperant, commutant, alterantque humoris acrimoniam. Sed quomodo vretica calidissima vt plurimum medicamenta, id efficient? Tandem vero, quomodo tunicas nimium rarefactas condensabunt, si cutem aperiunt, atque, si vehementer dilatent? aut quomodo tenuium vasorum oscula obstruent tenuissimarum substantiarum auxilia?

Maxima difficultas.

Vrget hîc dubitatio, & meo iudicio non comtẽnenda, ea vero est, si vretica, quæ verè talia sunt, vim habent incrassandi sanguinem, habebunt etiam facultatem supprimendi menses. quoniam quod incrassat, inhibet fluorem sanguinis caussa remota, ob quam confluebant, remotis videlicet humoribus tenuibus, & acribus à quibus vt plurimum caussatur. Quod autem habeant diuretica eiuscemodi facultatem, Galenus ostendit libro quinto de simplicium medicamentorum facultatibus, cum dicat, idem in sanguine ab vreticis, quod in lacte à coagulo fieri consueuit: qui modus (vt nosti) alias fuit à nobis explanatus diligenter. Adde, quod Galenus in quinto methodi medẽdi agens de curatione hęmoragiæ dixerit, reuulsione, atque deriuatione indigere illam: reuulsionem fieri ad partem contrariam, deriuationem ad vicinas: exemplo vtitur sanguinis effluentis ab vtero, dicens hunc reuelli sanguinis missione à cubito, superiorum partium deligaturis, frictionibusque: Deriuari autem per vias vrinæ, qaum rem passim repetit. Postremo, dum vxorem Boeti hoc affectu laborantem curat,

Cap. 15. Cap. 3. 2. ad Glauc. cap. 2.

curat, appii decoctum, & assari exhibet: quod omnium iudicio potestatem habet vrinam prouocandi. hæ sunt, quæ maximè vrgere videntur, difficultates.

lib. 2. de præcognitio ad posthumum.

Pro explanatione positarum quæstionum sciendum est, pro sistendis mensibus opus esse adhiberi ea, quæ sanguinis tenuitatem incrassāt. Sed notabis, quod cum sint multa in hoc genere medicamenta, haud expedit promiscuè vti omnibus: quædam enim ob frigiditatem incrassant, quædam verò ob torrefactionem (vt sic dicam) insigni scilicet caliditate partes tenuiores vel absorbente, vel segregante. Rursus, quædam vi adstringente possunt crassiorem sanguinē, & ad motum ineptum reddere: quædam rursus facultate emplastica, & glutinosa id præstant. Vbi igitur menses nimium effluūt, aut ob reserationem vasorum, aut tunicarum diuisionem, aut transcolationem, sanè quæ nimium calefaciendo incrassant sanguinem, minimè conueniunt. Primùm, quia hæc tenuitate substantiæ, & caliditate reserationi haud possunt, quemadmodum neq; tunicarum diuisioni, & transcolationi afferre iuuamentum. Deinde, si aliquod nasceretur, multò maius esset, adaucta scilicet caussa, nocumentum. Postremò autem, vretica non incrassant sanguinē, nisi prius extenuauerint ipsum, & effuderint: tres nanq; fiunt actiones ab eiuscemodi præsidiis: vna est extenuatio, secunda fusio, tertia segregatio, & expurgatio per vrinas. Porrò anteaquàm segregatio fiat sanguine magis extenuato, viisq; plurimum reseratis, ac tunicis nondum coalescentibus, periculum est equidem, ne ægrum in extremam perniciem deducamus, obstinate insistentes in vsu diureticorum. Etenim cauendum semper in omnibus morbis, ne quid noceas: id enim maioris mali euitandi gratia aliquando tolerabile est, si tamen corrigi potest, atque euitari facilè mortis incommodum. Hinc velim colligas, quod vretica sanguinem attenuant, & incrassant: quatenus attenuant, conueniunt cum iis, quæ moueāt menses: quatenus vero post attenuationem sit fusio, & segregatio, sanguis ve relinquitur crassior, ab illis differre dicitur, quoniam duntaxat extenuant sanguinem: hæc verò extenuant, fundunt, segregant, & incrassant. Adhæc verò colligito, haud verum esse, quod Medici quidam grauissimi putarunt, vretica, quæ non mouent menses, nō habere partes tenues. Omnia enim habent tenuissimam substantiam, vt facta inductione circa omnia vretica manifestissimū esse potest: & quomodo quæso altiores partes penetrarēt, aliisq; penetrandi aditum darent, si crassiorem haberent substantiam? Disputationem itaque concludentes dicimus, ea in fluxu menstruorum incrassantia conuenire, quæ id faciunt refrigerando, adstringendo, acrimoniam obtundendo, & quorū crassior est, tenaxq; substantia: Alia verò sunt ab hoc munere ablegãda. Quantum ad ipsam deriuationem pertinet, dicendum est, quod per vrinæ vias deriuare possumus citra incommodum aliquod: sed non calidis, & siccis ordine tertio: at vel iis, quæ refrigerando leniunt, aquosumq; sanguinem subducunt; vel saltem iis, quæ caliditatem habent exiguam, nulla aut minima siccitate concomitāte. Hæc enim nullam inferre possunt noxam, aut, si quam afferunt, leuis est, corrigibilis, & gratia maioris commodi, contemnenda: atque hæc sanè recta est, & ab antiquis instituta medendi ratio: quod verò obiiciebatur de Boeti vxore, id sanè ipsum longè secus habet, quia nō fuit Galeni consiliū, fluentibus menstruis mederi, sed vterino fluxui: longe autem differre vtrunque, quæ diximus, manifestum faciunt.

De deriuantibus vrinæ.

Hic ego admirari plurimum soleo recentiores Medicos, qui vbi sanguis menstruus effluit copiosius, origineq; ducit à sanguinis tenuitate, vel aquositate, putant vretica conuenire, & hanc dicunt Galeni sententiam extitisse.

And. Turinus refellitur.

Nam vt ὕστερον πρότερον, quod attinet ad Galenum, aut ad alios etiam authores Græcos, inuenient numquam in superfluo fluxu mensium hanc admisisse medendi rationem. Sed in muliebri duntaxat fluxu, de quo loquemur parum postea: mox autem sanguinis tenuitas incrassantia postulat, vt contraria: non autem attenuantia, quæ similia sunt, à quibus curatio minimè, sed conseruatio fit. Quamobrem, si cum tenuitate substantiæ adest calor, refrigerantia simul adhibeamus: ac sanè perpetuò necessarium est, vt adstringamus reserata vasa; diuisa

Gal. quoque vsum diureticis pro fluxu mēstruorum.

vniamus, agglutinemusq́; & rarefactas tunicas condensemus: quam rem vretica facere non possunt. Sed quid agendum (diceret fortasse aliquis) si effluxerit sanguis aquosus carnis loturæ non dissimilis? hic enim cum sit frigidus calefacientibus, & acribus facile quidem emẽdari poterit. Nos hic adhibemus distinctionem eiuscemodi, quo illustrentur omnia: sanguis aquosus profluit ex vtero, aut post immoderatam sanguinis vacuationem; aut citra hanc, quando scilicet iam primum incipit talis apparere. Prior significat imbecillitatem caloris naturalis, & hic debet semper adstringentibus emendari, alioquin ægrotæ fundet vitam cum sanguine. Est. n. hoc certum signum virtutis collabentis, & fluxus verè immodici: hic non fit aquosus ob abundantiam aquæ, & seri; sed ob defectum, inopiamq́; si calefacientibus, acribus, incidentibus, attenuantibusq́; vtatur quis ipso in casu, omnia corrumpet. At, qui à principio ad finem vsque talis extitit, proprie sanguis menstruus non dicitur, sed purgamentum quoddam ex vtero, quo serosi humores nimium exuberantes vacuantur. Hoc enim fieri solet, tũ ob diuturnos menses, tum etiam ob malum succum κακοχυμίαν Græci vocant, qui totum corpus per muliebres locos exonerat: hoc solum in casu admitterem vretica, vt nunc diligentius exponemus.

Fluenti aquoso sanguine, quid agendum.

Sunt qui omnem vterinũ fluorem emendari posse contendunt diureticis medicamentis: sed aberrant (meo quidem iudicio) apertissimè. Distinguendæ sunt caussæ, & pro varia ipsarum conditione variæ instituẽdæ sunt curandi rationes. Diximus hũc affectũ originem habere aliquando vitio totius corporis; aliquando autem vteri, cum totum corpus malo habitu (cachesiam vocant) cum cacochymia fuerit refertũ, aut hepar obstructum, aut lien, aut vẽtriculus debilis, aut caput excrementa suppeditauerit, tunc ex vtero fluxiones eiuscemodi fieri possunt. Contemplandum qui humores abundauerint, calidi ne, an frigidi, & quomodo affecti sint: nam calidos indicat excrementũ illud acre, & adurẽs, vt quascunque partes attigerit, exedat ferè, ac aliquando pruritum, & vlcuscula, aut rimulas procreet cum sensu caliditatis: adde quod tetrum est, & graueolẽs, quodq́ue colorem luteum refert: præstabit hic meminisse temperamenti tum naturalis, tum acquisititii, pręgressarumq́; caussarum omnium, adhęc habitus corporis, & anni temporis: frigidos humores contraria indicabunt signa. Fluente igitur vtero abhisce caussis, vbi calidi, biliosiq́; humores abundauerint, hanc medendi rationem per vretica habeo maximè suspectam: quis enim putauerit calidũ affectum calidissimis, & admodum siccis auxiliis remoueri posse: nã pone vacuationem ab vreticis factam prodesse aliquid posse: maius certe damnum erit ex adaucta qualitate. Sanè corpora eiuscemodi præmissis vniuersalibus ptissana optimè præparata, additis seminibus frigidis maioribus soleo ad bonum statum reducere. Atque in habitu gracili cum humoribus acribus lacte asinino, & caprino desperatos iam à multis Medicis vterinos fluores sanasse profiteor. Modus mihi peculiaris est, Quatuor primis diebus heminas exhibeo lactis, quo purgetur optimè totum corpus, & rursus aliis quindecim heminas duas, sed coctas: sequentibus verò diebus vsque ad quadragesimum (quem curationis terminum absoluere vt plurimum cognoui) chalibeatum dari lac iubeo. Auxilium certissimum, ac rarum, quod nos ipsos in opere nunquam fefellit, iis tamen obseruatis, quæ ad lactis potum in mea quadam ad Hieronymum Vittelescum epistola conscripta sunt. At verò, si frigidi humores extiterint, obstructionesq́; in visceribus adfuerint, intemperies frigida totius, aut principaliũ partium adsit, quis negabit vretica artis ordine propinata? an aliquis ambiget, quod vim habeãt deobstruẽdi, calefaciendi, incidendi, expurgandi? an non hisce omnibus in proposita materia indigere auxiliis ignorabimus? Ad eorum, quæ diximus, exemplar, distinguẽdæ sunt caussæ affectionum in vtero, à quibus vterinus fluor solet concitari. Nam imbecillitas vteri, frigida illius intemperies, vreticis gaudebit. Vlcus erodens, calidum temperamentum, contrarias postulabit indicationes, & remedia. De medicamentis diureticis multa diximus hactenus, ex quibus facilè admodũ potest iudicari, quæ nam sint in vsum producenda necessitatis tempore, quæ scilicet, mi

Vterino fluore conueniunt vretica quomodo.

Lactis vsus in fluore vterino.

Vretica in quo fluore conueniunt.

licet, mi Curi, ita vrinas moueant, vt nõ tantum crassum sanguinem extenuent, sed fundant ipsum, eiusq; tenuem, & aquosam partem secernant ingentis caliditatis robore: huncq; secretum, aquosum, & tenuem sanguinem renes partim attractum, partim expulsum recipiant, sunt in hoc numero quàmplura. Appii semen, quod petroselinum dicimus; adhęc petrosoleni Macedonici semen, quod in regionibus nostris iam inueniri scripserunt graues quidam Medici, fęniculi, item dauci, & smirni, & seseleos semina; ammiq; & assarum, & acorum, officinis calamum aromaticum nuncupatum, à quibus ob insignem caliditatem menses moueri nõ possunt; nisi attenuatione, & de obstructione à nobis in superioribus 10 proposita. At quia desiderare scribis particulare medicamentum, quo vtar familiariter, id explicabo tibi libenter. nam accipit Radicum appii, & petroselini nostratis an. man. vnum. cicerum rubrorum man. semis. anisorum, seminum appii, petroselini, fenugræci, dauci, cari, singulorum drachmas duas. rubeę tinctorum drachmam, spicæ indicæ drach. semis, adianthi, hysopi, cuscutæ, agrimoniæ ana man. s. seminum melonum, cucumerum ana drach. iii. radicis assari, vnciam, calami aromatici vnc. s. Macerentur aqua horis decem: mox excoquuntur ad tertias, vt duæ remaneant libræ. bibuntur vnc. v. aut vi. pro vice, dulcuranturq;: si cui ita libuerit, syrupo ex liquiritia, aut de radicibus, aut zulapio diuretico. hoc certe præstantissimum esse medicamentum obseruaui.

20 Quod tertio loco proponis, an scilicet humor putridus venę sectione sit vacuandus, nullam habet difficultatem apud eos, qui in omni morbo venę sectionem consulunt. Ego autem dico, si à Galeni placitis nõ sit discedendum, nusquam in eius doctrina inueniri posse, humorem hunc vena secta vacuari: quam rem eius verba manifestum faciunt lib. 11. meth. med. in quo ex proposito de putridis febribus pertractans in hunc modum loquitur. Tanquam igitur in iis corporibus, quæ non viuunt, ac putrescunt: primum quantum eorum iam computruit, separant: deinde ei quod reliquum est, in frigidum aerem sublatum perspirationem refrigerantem moliuntur; ita utique & putredinem, quæ in uiuis est orta, sanabimus, id scilicet, quod iam corruptum est, omni ratione vacuãtes; quod reliquum 30 est moderatis motibus, & refrigerante perspiratu ad exactam symetriam reducentes. Ac vacuationem quidem illius per vrinam, deiectiones, vomitum, ac sudores moliemur, post hanc dimotiones mediocres vnà cũ ambientis bona temperie adhibebimus [Ac rursus. Vbi autem, quæ obstruũt, detersa, dissectaq; sunt, per aluum, vrinas, & sudorem ea vacuare tentandum] Ac superiori capite inquit, ergo à corporibus, quę sic afficiuntur expellenda, quę putruerunt per vrinas, per aluum, & sudorem sunt: quod si ad os ventriculi sua sponte impetum capiant, etiam per vomitiones: aliter autem nõ est, quod ea pręter naturã irrites] ex quib. manifestissimum fit, quod humorem actu putridum, aut purgãtibusp harmacis, aut vreticis, aut sudoribus, aut simul omnibus esse vacuandum; minimè autem 40 venæ sectione. Quod si dixeris, quomodo sanguis putridus euacuabitur in sinocho? aut etiam humores excrementitii à sanguinis natura distantes, quãdo cum sanguine fuerint permisti? responderem, putredinem sanguinis in sinocho duobus modis posse cõsiderari, vno modo quatenus adhuc sanguis suam seruat bonitatem; alio autem quatenus omnino propriam amisit formam. in priori casu nõ est putridus propriè loquẽdo, sed dũtaxat est in principio cõstitutus degenerationis: quo in casu licet incidere venã ob multitudinẽ sãguinis indicãtẽ vacuationẽ, & propter obstructionẽ à multitudine factã virib. constantib: in secundo casu non licet, primum quia cum tali corruptione vires validę non sunt, & quia ex multitudine facta cacochymia, sanguine in alienam naturam mutato: at verò 50 cacochymiam putridam purgans medicamentum corrigit. Distinctio de duplici putredine sanguinis est Galeni secundo aphor. & libro secundo de febrium differ. & de crisib. Quod autem sanguinis missio in hac febre non fiat ob putredinem, Galenus docet in methodo medendi his verbis: Ergo indicabit (vt dictum est) præcedentium caussarum quælibet proprium aliquid: multitudo ipsa, quæ ex eorum est numero, quæ sunt in prædicamento quantitatis,

Cap. 8.

vacuationem] vacuationis vocabulo intelligere venæ sectionē indicauit primo aphorism.commen.3.& primo de humoribus duodecimo cōmentario,atque alibi passim: hancque propriè deberi multitudini notissimum est: Mox autem subsequitur. At vero in humorum putredine & excretio,& refrigeratio, & vētilatio,& semiputridorum concoctio ex aduerso respondent] hic nō dixit,vacuationem,]sed excretionem] qua intelligit expurgationem per vias iam dictas. additq; vltimo concoctionem, quæ cessare facit putredinem manente substātia,vt dicit in arte medica:quo loco intellexit semiputredinem, vt hic euidenter docet. Vide mi Curi, quomodo vnus locus alium aperit locum,sed omnem difficultatē remouet, quæ subsequuntur,in quibus venæ sectionem adhibere in sinochis admonuit solum ob plenitudinem,sic scribens:Etenim si neque obstructio subesset,neque putredo,sed sola succorum redundātia,protinus à missione sanguinis pro naturæ suæ ratione se haberet.Itaque tantum succorum in omni tum corporis temperamento,tum regione, tum anni tempore,tum statu cœli detrahi par erat,quantum supra naturalem statum fuerat inauctum. Verū quoniam nec obstructio,nec putredo curari per sanguinis missionem potest,vt quæ alia remedia,(ceu prius est monstratum)desiderent,reponi sanguinis aliquid ad curationis spatium debebit,quo minus intempestiue nutrire necessitate vlla cogamur] hæc ille.quæ adeo confirmat propositū,vt nihil magis:notent hæc verba, qui volunt humorem putridum vena secta vacuari:cum Galenus dicat,nō posse curari putredinem per missionem sanguinis.Si non potest hoc fieri,cur eā peruersam ineunt rationem medendi? placet idem ostendere ex Hippocratis obseruationibus: sed prius vnum supponere debemus: febrē ardentem,quam caussam vocant,vnam esse ex sinochis febribus,cum à principio ad finē habeat accessionem vnam, vt Galenus docuit libro de febrium diff. & de crisib. Hæc febris à natura soluitur tripliciter,vno modo rigore superueniēte,de quo dicebat in aphorismis. Causone habito,rigore superueniente fit solutio.& in epidemiis dicebat:Plurimi igitur ægrorum circa iudicium rigebant,potissimum verò quibus sanguis non erupisset,qui quidem iidem postea super riguerunt,& exsudarunt] ostensum est enim aliàs amaram bilem rigorem facere,quæ cum impetu per sensibilia, & carnea corpora ad excretionem fertur. Declaratumque præterea est,hunc motum comitari sudorem , interim vero biliosas etiam vacuationes & alui deiectiones. Secundo modo soluitur per fluxum sanguinis ex naribus : quæ res solet esse peculiaris in hisce febribus ; de quo solutionis modo dicebat Senex.Febribusautem ardentibus accidebant hæc, quibus rite,& largiter sanguis per nares erupit,ea de caussa maxime seruabantur:neque vllum noui,si recte ei erupisset sanguis,in hoc statu quenquam mortuū] Tertius solutionis modus est per vtranque viam,de quo sic ait:Ac nonnulli qui diu ægrotarunt, quibus etiam acciderunt eruptiones sanguinis , in dysenteriam tandem inciderunt,vt Eratonis puer,& Milus, qui post sanguinis multam eruptionem in dysenteriam delapsi sunt] Hęc docent quid nos agere debemus , nam ars medica ad imitationem naturæ inuenta est,&exculta. Quando sanguis in bilis naturam degenerauit, purganda est bilis,quam in causoue in purgat natura per sudorem, per Vomitum, & per egestiones. quando autem adhuc est sanguis formam propriam seruans, dicitur tunc multitudo,incidenda est vena,vacuandusque sanguis,quia sic facit natura in hoc statu. Aliquando autem molitur vtrunque: cum neque prorsus est bonus sanguis,neque prorsus malus. sed hæc alibi sunt exposita diligentius. Tandem, vt concludamus,dico,quod cum in putridis continuis adsint septem, à quibus indicationes curandi desumuntur,humorū multitudo,crassitudo,lentor,obstructio, transpirationis retētio, putredo, & febris carens intermissione:hęc omnia suis contrariis corrigantur,à sola multitudine sumitur indicatio in febribus de sanguine mittendo,ab aliis autem minimè:pręsertim verò à putredine,quatenus iam facta est,non sumitur hæc indicatio, cum hæc postulet excretionem sui per omnes regiones, vt explanatum est:quod verò semiputridum est,vel,vt rectius dicam, debet putrefieri,corrigi-

tur solum

tur solum ventilatione, refrigeratione, concoctione, & reseratione, quæ contraria obstructioni est, quæ obstructio, si fiat à multitudine, venæ sectio adhibenda sin minus, deobstruentibus aliis vtendum, vt incidentibus, & detergentibus, atque, vt plenè meam consequaris opinionem, scias venæ sectionem nunquam indicari ab eo sanguine posse, qui omnino putridus, inutilisque cum sit, nutrire amplius non valet.

De humoribus autem permistis simul cum sanguine idem faciundum est iudicium: Nam duobus modis consistit hæc permistio cum sanguine; aut cum illius multitudine & abundantia: aut sine multitudine; prior venarum incisionem
10 admittit, non ratione miscellæ, sed ratione copiæ sanguinis; vt vacuata multitudine, natura de cætero reliquum sanguinis à putredine præseruet. Secunda verò minimè hoc exigit remedium: caussa est in promptu, quia id duntaxat vacuandum est, quod naturæ facit negotium: at sanguis eiuscemodi nullum facit. quorsum igitur vacuandum? hæc enim constans est, atque perpetuæ veritatis, positio, quod si talia purgantur, vacuanturve, qualia oportet, confert, sin minus contra: sic dicebat Hippocrates; & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet confert, sin minus contra. & recte admodum Galenus dicebat, non conferre quicquam vacuare sanguinem, cum neque quantitate, neque motu officit: peruerseque agere Medicos, qui ipsa pituita peccante bilem educunt. itaque siue nos, si-
20 ue natura vacuationem moliatur, est in quantitate, & qualitate modus quidam statuendus, quo noxius humor vacuetur, & multitudini noxii humoris vacuatio conueniat. Si enim educatur, quod redundat, certè ægrotus factum se leuiorem sentiet, & facilius morbum perfert. at, si quid eorum, quæ naturæ accommodata sunt, simul excernatur, eius vires & dissolui, & infirmas effici necesse est.] sanguis est naturæ accommodatus, cur igitur vacuandus? cur, vt vnciam vnam bilis excrementitiæ permistæ aperta vena deducas, placebit tibi vacuare libram vnam sanguinis boni? nonne id peruerso iudicio faceres? Cæterùm quantum hæc medendi ratio ab antiquorum sententia distet, hoc potissimum, Curi, restari potest, quod medicamenta purgantia educunt vnum quempiam humorem pec-
30 cantem ex venis, attrahendo similitudine substantiæ, vt dicunt, hocque propriè dicitur purgare, quasi dixeris, rem permistam ex multis eligere, & puriorem reddere; vt in tractatione de purgatione demonstraui: perperam excogitatus esset illorum vsus, si vna venæ sectio emendaret cacochymiam putridam venarum: adde quod subuerteretur commune illud axioma, nempè purgationem deberi humoribus qualitate peccantibus cacochymiæ scilicet: vacuationem, verò propriam esse multitudinis, vt millies à Galeno explanatum sciuisti. Scio, opinionem esse quorundam glossematoriorum Auicennę, quam etiam recentiores quidam insectantur, conuenire semper venæ sectionem, vbi humores excrementitii cum sanguine misti sunt: sed quantum aberrēt, quæ dixi manifestum
40 faciunt. Patet etiam ex dictis turpi errori detineri illos, qui cum sanguinem corruptum videant, vt biliosum, & æruginosum, aut alio vitio obsitum, coinquinatumve glorientur multum se optimè vacuasse, & indies venæ sectionem repetere satagunt, haud secus, quam publici quidam carnifices. At non sic quidem Galenus eorum opinionem admittens, qui in malo sanguine, vtpotè genito ex caritate annonæ, venæ sectionem prohibebant, obseruantes omnes fuisse mortuos, quibus secta fuit vena, in humore putrido indicatione ab illo desumpta, missionem sanguinis, nunquam in opere proposuit: sed de proposito argumento hæc satis. De lapide Bezaar nihil est, quod plura expectes, omnia cumulatissime leges in mea tractatione, quam nunc mihi remisit Cirochus. Hæc habui, quæ pro re-
50 sponsione ad tuas literas scriberem. Vale. Datum Tolentini 7. Iulij. 1576.

EIDEM.

Agitur de signis exulceratorum renum, & vesicæ, ac de natura, & caussis vertiginis.

EPISTOLA QVINTA.

FORTASSE admiraberis, Curi, quod binis tuis, & mihi (vt scis) pro consuetudine iucūdissimis, nihil rescripserim: at si occupationes meas noueris, admirari

profectò desines, quia cognosces omnem operam, studium, ac diligentiam meipsum adhibere, vt amicis satisfaciam, in quorum numero tu ipse primas partes obtinuisti apud me merito tuo. Scias igitur, quod quando tuæ illæ priores Tolentinum peruenerunt, ego pridie iter Romam versus paraueram, ac ibidem integro mense commoratus, in patriam postea reuersus, quàm pluribus occupationibus maximi momenti haud leuiter fui impeditus, quin statim responderem; Volunt enim, vt scis, musæ liberum hominis iudicium, & in hac permanens cunctatione tabellarius reddidit secundas: quibus ob eandem caussam rescripsi nihil. Nunc verò cum datum mihi sit otium, quamuis exiguum, & huic muneri pro dignitate obeundo admodum impar, constitui pacem inire cum musis, & libris (quorum magnum fuit antea cum tineis, blatteisque certamen) tibique quoad eius fieri potest, satisfaciundum esse. Nunc itaque ad rem venio.

Diligenter lectis prioribus literis, quandam habere videris mihi cum clarissimo illo Medico disputationem, an scilicet ægrotus ille vester exulcerationem in renibus duntaxat, aut vesica, an autem, in vtroque viscere patiatur; putante illo, vt ex tuis colligo in vno, aut altero, non in ambobus locis, vt tu dicebas, vlcus contineri, ac exposita diligenter historia petis à me, vt scribam liberè, quid sentiam. In postremis dubitationem de Vertigine proponis, an semper insequatur obstructionem, vt Altimarus dicere videtur, an aliquando conuenientiam, & compressionem ventriculorum, cerebri, qui in anteriori parte locum habent: multisque authoritatibus comprobas, haud semper ab ipsa obstructione proficisci, idcirco cum difficilis tibi res ipsa videatur, hic etiam meam opinionem audire desideras.

Pro harum literarum responsione, atq; quod attinet ad priores, arbitror tam in renibus, quàm in vesica vlcus adesse, atque alterum, quo cum altercaris, Medicum, quicunque is fuerit, haud benè perspexisse negotium.

Ordo dicendorum.

Pro faciliori intellectione conclusionis nostræ, breuiter afferenda sunt signa, quæ vulcus harum partium demonstrant: dein verò de vrinæ ardore dicemus quædam, ac vltimo loco nostram suspicionem conscribemus.

Quod igitur ad primum attinet, opus est, vt explicentur signa, quibus inuicem distinguantur vlcera renum, & vesicæ: etenim ex hac ipsa thesi cognosces, quid ego sentiam in re proposita.

Vlcera renũ & vesicæ quã distinguenda.

Fœtor vesicæ vlcerũ nota, non renum.

Ex vtraque sede pus effluit, sed vlcerata vesica ante vrinæ profluuium, & aliquãdo citra vrinam sensim, ac sponte educitur, breuique momento subsidet: ex renibus verò, aut nunquam, aut longo tẽpore subsidet sedimentum, ingentemq; permistionem habet cum vrinæ substantia, quę redditur tota à puris conditione lactea. Magnæ huius permistionis caussa est viarum distantia, per quas transitus fit, quoniam vbi breue illud extiterit spacium, permistio illa fieri non potest. Fœtorem addito, qui vt proprius comes, vesicã exulceratam refert, quem ferè nunquam repræsentant renes. Etenim pus, quo magis continetur calido loco, magis elaboratur, idcirco fœtorẽ minus participat, qui fœtor insignem solet repræsentare putrefactionem. pus igitur à renibus vlceratis fluens hanc ob caussam non fœtet. In vesicæ pure contrarium accidit, qui exanguis est, & exiguo calore prædita. Succedit his aliud discrimen ex modo reddendi vrinam: quoniam affecta vesica vrinæ difficultas adest, renibus affectis non adest, nisi fuerit læsus ren vterque, atque ita læsus, vt obstructis omnino viis, per quas in vreteres fit transitus, vrina aut non posset, aut certè cum difficultate, percolari. Dolor adest vlcerata vesica, quia illius ostium sensu exquisito cum sit præditum, & acris vrina, in sensorium affatim agens, immanem necessariò dolorem procreat, dum vrinã emittũt ægri: idque contingit tam in principio, quàm in fine mictionis: quandoquidem sub finem duntaxat apparens dolor haud est perpetuum signum exulceratę vesicæ. Renes verè sensu carent, aut certè habent admodum exiguum, idcirco dicebat Hippocrates in renibus dolor grauis situs, præterea, partium consensus, quæ permiscentur cum vrina, ad exquisitam notitiam aliquid faciunt. Renibus affectis circa quintam spondilim supra caudam dolores adueniunt graues: vesica oblæsa

Renes sensu carent.

ca oblæsa circa pubem & emunctoria. Stupor aliquando aduenit cruri è directo respondenti reni affecto, is in vesica non est necessarius. Sanguis aliquando admiscetur vrinæ, tum vlcere facto, tum etiam, dum fit. Illud semper exæsionem denotat, hoc verò generationem vlceris, sed non est necessarium sanguinis mictum vlcus præcedere, vt audiui quosdam recentiores Medicos arbitrari: quia fieri potest vlcus abscessu iam rupto, ex quo sanguinis nihil, puris autem multum effluat: sed id profectò rarum est. Sanguis itaque ex renibus deducitur multus (illius relatione, qui emanat vlcerata vesica) liquidior, maximè permistus: ex vesica paucus, niger, non ita permistus. Carunculæ ex solis renibus, vt squamæ, & furfures ex sola vesica, & pituita capillorum speciem referens ex vreticis, vt sentio, vel ex renibus, vt dixisse aliquando videtur Galenus. Obiter notabis, Curi, quòd vbi apparent carunculæ, signum est certissimum exulceratorum renum, non tamen ita accipiundum, vt perpetuum signum: adueniunt enim carũculæ, dum vlcera exedunt: possunt itaque vlcera sine carunculis in renibus consistere.

Puris mictũ haud necessario sequitur ad sanguinis mictũ

Sine caruncularũ mictu vlcus in renibus.

Ex his, quæ hoc loco diximus colligendum est, ægrotum hunc vestrũ habere vlcus in vtroque viscere, primum quidem in renibus, mox in vesica: illius indicia fuerunt hæc. Quòd sanguinẽ copiosum citra doloris sensum eminxerit maxime permistum. Quòd vrinã reddidit purulentam, lacteam, vix subsidentem. Quòd crus è regione stuporem patiebatur: quod apparuerint carunculæ, lumbosque dolor grauis fatigauerit: & hic affectus generatione fuit prior. Hunc postea subsecutus est alter, nempe, vlcus vesicæ. Hoc notabat difficultas in mingendo percepta: ardor vrinæ continuus in principio, & in fine mictionis: dolor circa pubẽ: quodque, vt prius ingentem habuit permistionem pus cum vrina, nunc ita aliquando talem non habeat: nam prout maior ex renibus, aut ex vesica deducitur puris quantitas, sic sanè contingit permistionem reperiri maiorem, vel minorem. Quibus autem ex caussis factum fuerit vlcus in vesica, hic non dicam, cum parum postea sim explicaturus; sed affecti loci prætermittere contemplationem nequeo, quia mihi satis artificiosum, difficileque videtur.

Renis exulcerati signa.

Vesicæ vlceratæ signa.

Sciendum itaq; pus educi cum vrina ab hisce partibus. A renibus, ab vreticis, à vesicæ corpore, ab illius ostio, & à ductu penis: quomodo noscendum, cum à renibus, aut vreteris deducitur, iam satis abũdè diximus. ex aliis sedibus in hunc modum distinguito.

Exulcerato vesicæ corpore vrina contineri nequit, assidua meiendi cupiditas perurget, neq; laborans erectus stare potest; ingens cruciatus, & indesinens, vesicam, pubem, peritoneumq; obsidet, maximus varò emictionis tẽpore, crassior aliquanto vrina euadit, & modo sanguine, modo pure exiguo perfusa, pelliculæ aut squamulæ, aut furfurea quædam cum vrina exeunt. At verò si penis ductus exulcerationem contraxerit, quęcunque modo dixi cum turbida vrina emanãt: attamen, vt in illis, sub emictionis finem, verùm vel ipso initio, vel etiam sponte citra vrinæ cursum. Inter meiendũ vrina acrem in pene dolorem parit, præsertim cum fluere vel desinit, vel incipit. At vero perpetuus est dolor, & indesinens, exulcerata vesica. Vesicæ ostium exulceratum, vrinam etiam emittit crassam, graueolentem, sed non ita permistam, confusamque, vt profluens vlcerato corpore, idcirco subsidet in imum breuiori tẽpore; in fluxione vrinæ dolor nullus, aut exiguus; at postquàm fluere desinit, ardor quidam in glande percipitur aliquando immanis. ex hac etiam sede nonnumquam pus citra vrinam ducitur. Colliges ex iis, quæ diximus, quod duo sunt extrema in eiuscemodi vrinis: alterum est maxima permistio cum vrina; alterũ nulla permistio: illa contingit exulceratis renibus; hæc autem exulcerato ductu pudendorum: hanc partem proxime ceruicis, vlcus repræsentat, illam vlcus vreterum habet medio quodam modo vlcus corporis vesicę. hanc ob caussam inuenies antiquiores Medicos, dum harum affectionum signa prosequuntur, scripsisse, confusionem puris cum vrina aliquando exquisitam esse, aliquando autem minimè, & nonnunquã nullam adesse: quæ sanè debent sigillatim intelligi in comparatione iam dicta. Cæterum quam ob caussam hæc appareant symptomata dfficultatem non habet.

Signa distinctiua locorũ exulceratorum.

vero

Solum docendum, cur dolor adueniat acer, vlcerata vesica sub mictionis finem.

Vlcerata vesica dolor aduenit sub finem mictionis, & quã ob caussam.

Notabis itaque, quod est dolor dum fit vlcus, cum verò factum est, nõ est dolor. nam ab iis à quibus alteratur, corrumpiturque natura, dolores fiunt (vt dicebat Plato) non autem, cum natura alterata, & corrupta est. facto vlcere in ceruice vesicæ, dolor non adest, nisi aliquid denuo agat in vlceratam subito, atq; violenter. idcirco profluens vrina, dolorem facit in principio mictionis, sed nõ magnum, qualis aliquando sequitur in fine circa glandem. in fine (inquam) quoniã retinetur semper in locis vlceratis aliqua vrinæ portio, quæ cõsensus ratione dolorem facit in glande.

Dolor circa glandẽ cur accidat.

Pro qua re sciendum est, quod tres nerui oriuntur à spondilibus caudæ, & in musculũ ceruicis vesicę inseruntur, & quadã ducta propagine in ipsa glande terminantur, eorundemve quædam portio ad ani musculum, & ad radicẽ femoris, vterumque appellit. Sic fit consensus, colum vesicæ minus dolet, quia sensum habet magis obtusum, quam partes penis possideant. magna enim adest pinguis cuiusdam substantiæ portio, quæ impedimento est, ne sensibile obiectum illico violenter agens in sensorium, validam actionem faciat. deinde verò natura peni dedit magnam admodum, & (vt sic dicam) deliciosam sentiendi facultatem, cũ debent pro re venerea, atque generatione inseruire: & quamuis certè iidem sint nerui, natura tamen dedit illis circa glandem, ob vsum iam dictum, vim sentiendi maiorem: etsi dicant alii, datos fuisse quosdam à cerebro, præter iamdictos. Quia igitur obiectum sensibile agit in sensorium violenter, atque retinetur in loco, dolor fit: cum verò vrina fluit, dolor non adest, quoniam non retinetur. hæc probabilis mihi videtur maximæ huiuscę difficultatis ratio.

Vrinæ ardor quatuor de caussis contingit.

Porrò ardoris caussæ quamuis explicari soleant quamplures, meo tamen iudicio referri possunt omnes ad duas, nempè ad vrinarum conditionem, & ad effectus instrumentorum, per quæ fit transitus. Ardorem parit acrior vrina. Talis autem euadit quatuor de caussis. Victus ratione calidiori, qualis eorum, qui generoso vino gaudent, & aromatibus, & salsis alimentis, acribusque bilis multa permistione: Adhæc salsi phlegmatis multitudine, quæ res potissimum in senib. contingit. Postremò puris acrimonia rupto abscessu emanantis. Instrumentorũ vitium est vlcus, aut inflammatio ceruicis vesicæ, aut meatus pudendorum. hac transiens vrina acrius ferit. Vide quid ego sentiam in casu proposito, nempè tum in renibus, tum in vesicę ipsius ceruice adfuisse vlcus, sed ob quam caussam contractus fuerit ardor, me quidem fugit. ex tuis enim literis nihil potui colligere, quod me in caussę particularis notitiã deduceret. Verum quia me tibi rem gratissimam facturum scio, si, quid sentiam de caussis propositorum vulcerũ, liberè communicauero, quid suspicer, dicam. Putauerim igitur hunc hominẽ obsessum fuisse calculo: cuius attritu, vehementique motu ex renibus in vreteras, & vesicam, tandem ingens ille sanguinis fluor ex renibus emanauerit, ac huius ipsius caussa putauerim, in ceruice vesicæ genitum fuisse vlcus. Ludouicus pater vir equidem doctrina, iudicio, & artis vsu ætate sua nemini secundus, obseruauit, ex renibus, nisi manifesta causa solutionem fecerit, nunquam sanguinis fluorem contingere, nisi calculi attritu. Idem obseruauit Ioannes Fernelius recentiorum Medicorum citra controuersiam princeps. Egoque hisce vigintiquatuor annis, quibus medicinam feci, id verissi mum esse noui. Placuit admonere te huiusce rei, vt in curando vestro hoc ęgro, aut etiam aliis, diligenter inspicias, an cum vlcere adsit calculus, necne: quandoquidem hoc ipsum cognouisse ad totius curationis perfectionem plurimum refert. Videas interim, quæ de hoc argumento scripsimus libro de medendis calculosis, & exulceratis renibus: & hæc sufficinat de primo capite dixisse.

Augenii suspicio.

vlcerũ

Obseruatio:

Vertigo quid sit.

De caussis vertiginis quid sentiam, breuiter aperio; & quamuis me nouam opinionem conscripturum profitear, hanc tamen verissimam esse arbitror: si non placuerit, tuum sit, communi opinioni adhærere. Vertigo est, qua omnia in gyrum videntur moueri. proxima huius caussa est spirituum inordinatus motus in anterioribus cerebri ventriculis: quoniam igitur hi circumaguntur, omnia pariter sic

ter sic videntur moueri, quia rerum species repræsentatæ cõmuni sensiterio, recipiuntur per modum recipientis: hæc sane formalis ratio est symptomatis huius modo inquirendum, quidnam in ipsis spiritibus faciat circularem hunc motum. duplex caussa, interior vna, exterior altera. interior est permistio alicuius substãtiæ, qua spiritus agitantur. Sunt qui dicunt, viscidos, & crassos humores permisceri, ego sane haud crediderim hos efficere vertiginem, quia cum sint parum proportionati cum spiritibus cerebri, virtus illorum conseruationi maximè intenta violenter, ac subito moueretur, vt eosdem expelleret. hæc ipsa expulsio fit ventriculis contractis, ex quo motu procreatur epilepsia. In vertigine motus nullus ventriculorum adest. Multo rectius dicemus, si vapores misceri statuerimus, qui cum illis familiaritatem habent: fiunt enim spiritus ex vaporibus. si quando igitur contingit hosce permisceri vapores, spiritus mouentur circulariter; exemplo tibi sit aqua, in qua si proiiciatur quidpiam etiam leuissimum, statim illam in gyrum mouebit. quid putabis in spiritibus contingere, qui sanè tenuiores aqua naturam aeriam repræsentant? Hi vapores aliquando ex toto cerebro, aut ex determinata illius parte, capite partim per essentiam læso proficiscuntur. determinatam illius partem dixi, quia in quodam obseruatum est, ab occipitio vertiginem deduxisse originem: pars in eo minima dolebat, quæ si vel blãdissime attingeretur, concitatus humor vaporem in sensus omnes expirabat, quo prorsus effusi tenebantur. In capite morbum per essentiam consistere denotant eius partis dolor, aut grauitas, aurium tinnitus, olfactus, vel auditus oblæsus; aliquando hic vapor ex humore deducitur, qui in ventriculo, præcordiis, aliisve partibus naturalibus continentur. hunc significat nausea, inappetentia, oris amaritudo, cordis erosio (cardiogmos dicta) via, per quam in cerebri uentriculos irrepit hic tenuis, & calidus uapor, sunt uenæ, & arteriæ, aliique ductus conspicui, per quos in ventriculos afferri potest. nam in plexu choroide spiritus, & humor exagitans, ac vane impellens turbulentos sensus, motusque reddit. Hic vapor soboles est intemperiei, vel superiorum, vel inferiorum partium: Quamobrem hoc symptoma, cum interna est caussa, morbum sequitur in intemperie iis intercedentibus, quorum est facta mentio. Si vero caussa fuerit externa, vt contusio, tunc fit vertigo citra intemperiem; sed à uentriculorum conniuentia, quæ tamen, nisi habeat aliunde originem, & fomitem, breui euanescit: possunt etiam humores obstruere ventriculos. Sed hinc fiet comitialis morbus. potest etiam ob eandem contusionem introduci temporis tractu intemperies, quæ iugiter uiciatos vapores procreans, vertiginem facit. Et hæc mea est opinio, quicquid in hac re alii dixerint. Vale. Ex Tolentino die decimaquarta Augusti. Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.

Caussæ vertiginis

Epilepsia quomodo fiat.

Exemplum.

Signa affectus per essentiam.

Vertiginem sequi ad intemperiem & à conniuentia.

varie vel valide

HERCVLI BRANCVTO SENOgalliensium Medico præstantissimo.

In qua de vrinarum sedimentis pertractatur.

EPISTOLA SEXTA.

QVOD fueris publicè testatus cum Angelo Antonino, aliisque pluribus, me talem prorsus edidisse, libro de medendis calculosis, & vlceratis renibus, consultationem illam Cynicam, qualem mihi reddidit Atnoninus, ne apice quidem mutato, eamque fuisse ipsam, quam ad gubernatorem Saxatellum Franceschinus misit, & caussam explicaueris, cur principio caruerit, ac propterea calumniatorem mendacem extitisse: nihil est quod tibi gratias agam; cum hoc factum, non tam in meam gratiam, quam pro veritate, æquo, & iusto recognoscam: id enim fecisti, quod probum virũ decebat. Sed certe immortales habeo habeboque donec viuam, quòd de me multo magis egregiè sentias, quàm ego vel in me ipso nunc recognoscam, vel sperem longis vigiliis consecuturum:

Antoninus.

Plurimũ tamen lætor tua opinione, quam omnes semper plurimi fecerunt. Hoc igitur nomine tibi debeo plurimum, ac magis debere in dies desidero. Accedo ad tuas literas, quibus desiderare significasti, intelligere ex me, quid ego de vrinarum sedimento sentiam; cum audieris à quam plurimis, me nouam quandam opinionem habere. Ego quamuis hoc tempore plurimum sim occupatus in publico munere profitendi, tamen scribam in tui gratiam, quid animo conceperim meo, ea tamen lege ac pacto, vt tuo exactissimo iudicio diiudices, an Augenius in ardua hac materia fuerit veritatem assecutus, quia certè magis iudicium tuũ quàm inanem gloriam desidero. Sed expedit exordiri ab ipsius rei definitione, vt intelligatur quid sit id, de quo proposita tractatio est. Inprimis autem obscurũ est mihi, an Galenus aliquando sedimẽti definitionem dederit, quod si id fecit in primo prognosticorum id eum præstitisse putauerim, vbi fortasse duplex deduci potest definitio. Vna hisce verbis comprehensa. Puri proportione respondet inter id, et naturales humores iniectum.] Alteram in subsequentibus verbis. Quicquid enim alimenti in sanguinis generatione naturæ refugit, confectionem subsidet in vrina, neque vt sanguis ab ea commutatum: neque vt pus caussæ præter naturam particeps.] Prior definitio sic habet. Sedimen vrinæ excrementum est, puri simile, quod non est neque pus, neque naturalis humor.] Posterior. Sedimen est alimentum, quod sanguinis generationẽ in hepate subterfugiens, neque eam suscepit elaborationem, quam sanguis: neque eam alterationem, quam pus habet] vtrãque definitionem simul declaro, quia parum certè, vel vt rectius dicam, nihil inter se differunt. Sedimẽtum esse sub genere excrementorum reponendum, difficultatem nullam habuit in hanc vsque diem: nam si puri proportione respondet, si tanquam inutile expellitur, si nequit in substantiam corporis conuerti, & si conuertitur, id maxima fit intercedente necessitate: sique quod talem naturam habet, excrementum est, merito sub hoc ipso genere collocatur. Idem porrò est in hac materia dicere excrementum] quod alimentum subterfugiens generationem sanguinis.] quandoquidem omne alimẽtum, quod in sanguinem transmutari non potest, naturam adipiscitur excremẽti. Prima notio dicebat, esse medium quiddam inter humores naturales] inter sanguinem scilicet, hic enim verus est humor principaliter dictus: alii vero secũdum quid: quoniam hoc sola nutriuntur partes, vt alibi diximus, aliis verò minimè, & pus ipsum.] quia, quemadmodum sedimentum non est sanguis, sic profecto neque etiam puris substantia: hæc enim semper habet aliquid admistum præter naturam, sedimentum aliquando habet, aliquando non habet. Mediam hanc naturam in posteriori definitione exprimit, dicens, neque vt sanguis ab ea commutatum, neque vt pus caussę pręter naturam particeps.] Si omnia, quæ in humano corpore sunt excrementorum genera perlustres, haud profecto inuenies aliquod, cui possit aliqua ex propositis definitionibus accõmodari. Fæces neque generantur in hepate, neque cum pure proportionem habent, minimeque mediam obtinent naturam inter pus, & sanguinem. Vrina, quamuis fortè dicatur in hepate generari, neque medium obtinet locum, neque puri similis est de sudore idem dicendũ est. Semẽ verò, quamuis vtile quoddã sit excremẽtum, nihilominus non fit nisi à sanguine: idcirco dici non potest subterfugisse illud cõctionem hepatis propriam: neque dici similiter potest mediam habere naturam inter sanguinem & pus, cum re ipsa sit sanguis maxime elaboratus, & concoctus. Ergo si ex Galeni monumentis deduci aliqua potest definitio, quæ concõueniat omnibus sedimentis, tam scilicet sanorum, quam ægrotantium hominum, hæ duæ mihi videntur satis accõmodatæ. Pro quarum intelligentia sciendum est, alimentum esse in vniuersum triplex, vt Hippocrates libro de Alimẽto, significauit his verbis. Alimenti autem, quod alit: hoc alimentum, & quod veluti alimentũ, & quod futurum alimentum.] Proprie meretur nomen alimẽti, quod iã alit: Id autẽ dicitur nutrire, quod iam appositum est, & vnitum, sed nõdum assimilatum, verum qui ad hunc finem tendat. quod enim redditum est simile, cum sit in substantiam corporis conuersum, pars iam factum est, eius quod nutri-

Galenus an dederit sedimenti definitionẽ obscurum est.

Sedimenti prior definitio secunda.

Sedimentũ excrementũ est.

Alimentum quomodo sit aliquando excrementum.

Sanguis verus humor.

Semen quid sit.

Alimentum quotuplex Hippocrati.

nutriri debet, quod autem perfectam assimulationem non est consecutũ, at assequi properat, id quidem iam vere alimentum est. Alimentum etiam dicitur, quod veluti alimentum est, vt sanguis, & quæ cũ sanguine nutrire corporis nostri partes aptæ sunt. Tertia alimenti significatio est, quod futurum est alimentum, veluti chylus in ventriculo elaboratus, externa alimenta, quamuis futura sint alimentum corporis, quoniam tamen longissimè absunt à fine alimenti, ab hac appellatione secluduntur, nisi tamen quis communiori quadam appellatione vsus, ea pariter voluerit alimentum vocare. Quamobrem, quando Galenus dicit sedimentum esse alimentum, non intelligit quod propriè alimentum est, quia hoc non subterfugit concoctionẽ in hepate: quinimo non modo in iecinore, sed etiam in extremis venis, & in solidis partibus suã adeptum est perfectionem. Eãdem ob caussam neque audiuit, quod est quasi alimentum, quia sanguis in hepate perfectionem, qua sanguis est, adeptus est: Relinquitur igitur, vt per alimentum audiat, chylum futurũ scilicet alimentum: hincque adnotabis, quod cum coctiones pro nutritione facienda sint tres, in ventriculo vna, qua in chylũ cibus transmutatur: in hepate altera, qua chylus in sanguinem degenerat. Tertia, in partibus nutriendis, qua apponitur, vnitur, assimulatur: Dicemus hypostasim esse crudum alimentum, quia neque in hepate elaborata, neque in partibus transmutationem aliquam passa est. Concoctum vero, quatenus in ventriculo eam elaborationem acquisiuit, quam debebat: veraque hypostasis concoctionem in ventriculo semper supponit. Alterum præterea notabis, quod ex iam dictis sequitur, nempè sedimentum esse simpliciter excrementum, quia non eius coctionis, quam ventriculi facultas facit, in quo sane chylus perfectionem accipit: nos autem supponimus hoc modo elaboratum ad hepar accedere, vt in sanguinẽ degeneret, ergo huius coctionis respectu dicitur sedimentum esse aliquod excrementum: quandoquidem cum in sanguinem transmutari non potuerit, cum vrina vel expellitur, vel sponte saltem profluit. Porro ex chylo in hepate fiunt humores naturales: Humores excrementitii, & sedimentum: Naturales humores vocamus in præsentiarum sanguinem, & omnes sanguinis partes, quæ succi propriè dicuntur, suntque alendo corpori necessariæ, quia certè, vt ab Arist. optime scriptum est, à solo sanguine nutrimur, alii humores non habent vim nutriendi; hæc sanè præcipua est actio iecinoris, sanguinem scilicet generare. sunt humores excrementitii bilis vtraque, & pituita: vocaui excrementitios, quia, quamuis vsum aliquem afferant corpori, à sanguinea tamen massa secernuntur, & quibusdam propriis in locis reconduntur, tanquam illius excrementa: His accedit sedimentum, quod sane quomodo fiat, declaremus, quæ res à paucis cognita, maximas perpetuo difficultates habuit. Elaborato sanguine, humoribusque naturalibus excrementitiis genitis, in suasque sedes repositis, ea materia, quæ superfluit; & post horum generationem in hepate relinquitur, in venas cum sanguine transfusa, à potulenta materia (talem nuncupamus vrinam) facit sedimentum. Ergo non est sanguis, non bilis flaua, non atra, non pituita, sed chyli pars, potentia, & facultate omnes iam dictos humores referens, quandoquidem ex eadem materia varia ipsius proportione, à caloris naturalis vi, & efficientia illorum constat generatio. si corpus ita sanum imaginari possemus, in quo nulla penitus superuacua relinqueretur materia, quale illud esset fortassis, quod exquisite sanum sibi confingunt Medici, tanquam Polycleti regula nullũ in vrinis sedimentum appareret, atque etiam si ex continuis inediis arefactum corpus vix tantam habet vtilis chyli copiam, quanta sit necessaria pro sanguine, vel etiam mediocriter generando, nulla profecto conspicua esset in eiuscemodi vrinis hypostasis. quia vero neque illa exquisita sanitas vnquam reperitur, corporaque maiori ex parte incontinenter viuunt, hinc fit vrinas ferè omnes suũ habere sedimentum, erit igitur eius generatio in hepate simul cum vrina, qua cũ suam perfectionem nanciscitur. Dum hæc excernitur, ducit secum ipsum sedimentum, in quo aliqua vis caloris insiti inprimitur, ac ita quidem, vt ea vis ab vrinę substantia id separet, atque secernat: pro varia autem caloris huius condi-

Alimentum quasi alimẽtum

Alimentum futurũ alimentum.

pro nutritione tres coctiones.

Sedimentũ quõ concoctum alimẽtum.

Sedimentũ nõ est excremẽtum simpliciter.

Hepatis facultas quos humores procreat.

Succi qui.

Iecinoris actio propria est sanguificatio.

Humores excrementitii qui.

Sedimẽtum quõ in hepate generetur.

Vrina quid.

Sedimẽtum est potẽtia ad omnes humores.

Sedimentũ habet perfectionem in hepate.

Sedimentũ particeps caloris.

tione variis in locis, varioque modo diſpoſitis, apparent ſedimenta, quoniam ſi
validus eſt, materiam ſparſam in vrinæ humorem, ac certe tum, cũ educitur, mi-
nime conſpicuam cito quidem ſegregat, & colligit, inque partes inferiores de-
ponit, & poſtea ſic eius partes in vnum cogit, vt euadat prorſus æqualis

Aequalis quid.

(quod eſt dictu vndique ſui ſimilis) nihil aſperum, nihil diuulſum habens; ne-

Album ſedimentũ quomodo intelligendum.

que præterea huius caloris actione alba. Cum ſic albam dico, non ſimplici-
ter talem intelligo, quoniam ſedimenta etiam ſunt quædam, quorum color
non eſt vndequaque albus, de quibus dicam poſtea: album itaque intelligo co-
lorem eius ratione, qui in hepate præfuit ipſo in chylo: quandoquidem in
venis cum ſero tranſuectus, à vi concoctrice, quæ in illis, hepatis communione
non mediocris viget; colorem mutare poteſt, aliqua ex parte in ventriculo, vt di-
cam, olim genitum, infirmior vrinæ calor craſſamentum hoc tardius ſecernit:
neque id deorſum impellit, ſed facit, vt in medio perpendeat, ſatis quidè diuul-
ſum, & inæquale: ſi vero calor languidiuſculus extiterit, neque poteſt in vnum
contentam ſubſtantiam cogere, neque cito à tenuiori parte ſecernere, ſic ſane fit

Sedimentũ potentia eſt humor.

ſedimentum, vel maxime diuulſum, vel per ſummas partes innatans. Triplex eſt
igitur in vrinis ſedimentũ, quod imas partes tenet, æquale, lene, & album, quod

Excrementũ fit nutrimentũ quõ.

medium locum occupat, aliqua etiã ex parte diuulſum, & quod ſupremam oc-
cupat partem. Hæc de contentorum differentiis idcirco diximus, vt oſtendere-

Sedimẽtum ſubrubeũ ad ſalutẽ optimũ indiciũ

mus, in hypoſtaſi adeſſe calorem quendam, cuius cauſſa à tenuiori vrinæ parte ſe-
cernatur. Diximus ſedimentum non eſſe aliquem actu ex humoribus, ſed potẽ-
tia, primum, quia valet in ſanguinem vrgente aliqua neceſſitate conuerti, vt per
longas inedias, & exercitationes corporis, hac ſane ratione, quod excremẽtum
eſt, nutrimentum fieri poteſt, alimentumque ſubterfugiens ob copiam ſangui-
nis in hepate generationem: propter inopiam in illum cõuertetur. Hinc placuit
maximo Hippocrati ſedimentum ſubrubeum eſſe, indicium optimum ſalutis,
quoniam ſanguinem iam ex ea materia confici ſignificat. hæc ſunt verba illius,

Sedimentũ eſt ſanguis non exquiſita ratione confectus.

Si vero vrina fuerit ſubrubra, & ſedimentũ ſubrubrum, ac leue, diuturnior qui-
dem hæc quam prior eſt, valde tamen ſalutaris.] Galenus locum enarrat his ver-
bis. Quoties ſanguis ſerum ſimul cum vrina excernitur colore, ſubrubra appa-
ret. iudicat autem exuperantiam ſanguinis non exquiſita ratione confecti] quæ
ſanè apertè admodum oſtẽdunt, ſedimentum eſſe partem chyli, quod non po-
tuit perfectè in ſanguinem tranſmutari, & alterius ſententiæ veritatem patefa-

Sedimenti materia in humores excremẽtitios vertitur.

cit, qua dicebat, id eſſe in vrinis ſedimentum, quod ſubterfugit in hepate ſan-
guinis generationem. Deinde quia hæc ipſa ſuperfluitas poteſt in humores ex-
crementitios tranſmutari: Nam ſi calidi, & ſicci chyli magna adfuerit copia, ad-
ueniente putredine, vel ob aliam cauſſam inflammato ſanguine, id in flauam bi-
lem, procedentque vlterius calore, in atram cõuerti poteſt; ſi vero viſcidi humo-

Sedimenti copia, paucitas, priuatio quibus de cauſſis.

ris portionem habuerit, aut craſſiorum, terrenorumque maior fuerit alimento-
rum copia, tum in pituitoſum, tum in melancholicũ excrementum euadet. Hu-
ius itaque materiei copia, copiam; paucitas, paucitatem facit ſedimenti; que mad-
modum defectus priuationem, vt per inedias, & exercitationes contingere do-

2. prognoſt. com. 26.

cuimus: de qua ſic loquitur Galenus. Cæterum vrina nullo pacto ſedimentum

Sedimẽtum in ſanis propter quas cãs deficit.

habet, ſi tenuiter: copioſum vero, ſi largius: exiguum vero, ſi modice viuitur.]
Neque tamen hæc ſolitaria eſt cauſſa, propter quam in ſanis deficiat ſedimentũ,
quia ſæpe, vel ex magna obſtructione, vel ex potu multo ac tenui, qui antea di-
ſtribuitur, quam vllam cum cibo permiſtionem, aut concoctionem acceperit,
tenuis fit vrina, in qua aut nulla, aut admodum pauca cernuntur contenta; quo-

Sedimenti priuatio in ægris mala.

niam iis materia minimè ſuppetat; In ægrotis autem, vtpotè qui laborant humo-
rum vitio, quia habent venas putredine humorum refertas, cum hypoſtaſis defi-

Sedimẽtum propriè quid indicat.

cit, indicat ſemper malum, ſcilicet naturam illorum impediri multitudine. Sed
hæc aliàs. Quærentibus, quarum nam partium affectum indicet ſedimentum,
nos reſpondebimus, ventriculi duntaxat, aut coctionis, quæ perficitur in extre-
mis venis, actionem demonſtrare; ſed potiſſimum, qualis ſit actio caloris natura-
lis in ſubiectam venarum materiam, cũ ſemper indicet robur illius, vel infirmi-
tatem

tatem cum alimenti eiuſcemodi ſuperuacanei cõditione. Dicet fortaſſe aliquis, quæ diximus maiori ex parte veritatẽ habere in ſanis, non in ægrotis, in quibus ſedimentum pars videtur humoris putrefacti. Hic ego volo primum oſtendere opinionis huius falſitatem: mox autem docebo, quomodo intelligenda ſint Galeni verba, quæ facere difficultatem videntur. Supponamus in morborum ſtatu concoctiones humorum fieri, tunc morbos à natura iudicari, fieriq; ſolutiones euacuata materia per ſeceſſum, per vomitum, vrinas, ſudores, ſanguinis fluorem, aut per alias, ſi contingat, vias: ſupponamusq; pariter hominem bilioſa febre corripi: Cũ dico bilioſam in præſentiarum, eam volo intelligere, in qua bilis flaua, aut crocea fuerit putrefacta: His quæſo addamus alterum, quod vigente ſtatu fiat ſedimentum album, lene & æquale: hoc enim minimè fallax eſt indicium coctionis. Adueniat criſis per vomitum, vel per aluum, omnes videbunt, & ſic profecto ab omnibus in hanc vſque diem obſeruatũ eſt, bilem flauo colore tinctam expurgari: cur igitur non educitur alba, lenis, æqualis? ſi namque hypoſtaſis pars eſt illius humoris putridi, bilis iam à conſequente calore edomita, mitificata, concocta, vt ſic dicam, in albedinem tranſmutauit colorem (talem in vrinis videmus repræſentari) cur igitur quæ ducitur vomitu, vel per aluum purgatur, alba non eſt? Cur ſemper ſaporem, & colorem retinet eundem? Ad hęc dubitationem non habet, bilioſas febres, & in vniuerſum ferè omnes acutas adueniente criſi liberari, quòd proxima cauſa febrem faciens vnico motu, ſubito, & veloci exturbetur à corpore: Alba facta eſt concocta materia, ſic ſedimento vrinarum oſtendente, quàm igitur ob cauſſam per ſanguinis fluorem ex nare dextra tam repente perfectiſſime ſoluuntur? Quomodo materiam coniunctam vacuabunt ſudores? quorum ſubſtantia tenuis longo diſtat interuallo à craſſamento vrinæ. Adde his, quòd in ſtatu apparentes eiuſcemodi hypoſtaſes indicant, ſi illis credimus, aliquam vacuari putridorum excrementorum copiam, & hanc coctione craſſiorem fuiſſe redditam: oporteret vrinam in acutorum morborum principiis, & incrementis multo tenuiorem eſſe, quàm in ſtatu, quo tempore craſſiorem fieri oporteret. Sed hoc quotidianis obſeruationibus falſum eſſe deprehenditur, vt enim principio cruda, & confuſa, ita & craſſa cernitur vrina; In ſtatu vero puriorem apparere facile cernimus. Amplius acutæ febres non raro per cutaneas quaſdam affectiones ſoluuntur, quales ſunt exanthemata & phlictęnæ, & vlcera quædam parua: videtur autẽ abſurdum dicere, materiam ex qua hęc fiunt, eandem eſſe cum materia ſedimẽti. Neq; præterea videtur eadem ratio puris in phlegmone geniti, ac ſedimenti in vrinis, quia illud certè in alienam traſmutatur naturam, hoc autem minimè: neq; enim febrilis humoris concoctio, eſt ſuppuratio quædam, neque etiam propriè quædam maturatio, vt placuit pręceptoribus meis, ſed eſt totius putreſcentis ſubſtãtię repreſſio, & cohibitio. Sic in ſtatu tota febris materia adhuc in venis concluſa eſt, & ſi facto iudicio non eſt vacuata, ſedata tamen eſt, & poſita in dominio ipſius naturæ, atq; illius ferocitate mitigata, domitaq;, de cętero illius parere poteſt arbitrio. Et hoc, vt admonui, potiſſimum indicat vrinæ bona hypoſtaſis, dominũ. ſ. naturæ ſupra humores pecantes. Ergo ſedimentũ non eſt portio cocta humoris putrefacti, ſed alimentũ ſubterfugiẽs in hepate generationẽ ſanguinis. Afferamus in medium Gal. verba, his, quæ dicta ſunt, cõtraria, li. 3. de pręſag. ex pulſ. ſic ait: Vbi fuliginoſum natura excrementum expiratione, & cõtractione arteriarũ expellit. Quod verò eſt veluti cineritiũ, non perinde, quia craſſum eſt, poteſt excernere, ſed per inſignes quoſdam meatus educit: hoc in partibus in flãmatis pus eſt; in ipſis vaſis ſedimentũ vrinæ.] Alius pręterea eſt locus primo de febriũ differẽtiis, cap. 4. ex quo videtur ſatis euidenti ratione colligi poſſe, puri proportione reſpõdere ſedimẽtũ, eſſeq; humoris putrefacti partẽ. Verũ quia hiſce in verbis adeſt deceptio, idcirco volumus, hic ſiſtentes ſermonẽ, docere qũo res habeat. ſciendũ eſt itaq;, aliud eſſe, quærere id, quod rebus ineſt per ſe: aliud verò, quod ex accidẽti. Illud enim ex rei natura profluit: hoc autem ab aliquo extrinſecus aduenięte accidit. Illud perpetuum eſt in rebus: hoc autem aliquando adeſt, aliquando non adeſt,

Concoctio potiſſimum fit in ſtatu, in quo etiã Criſis.

Sedimentũ non eſſe partem humoris putridi.

Prima ratio.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Vrina in principio acutorum morborum turbidiores, & craſſiores quàm ſtatu.

Quinta.

Sexta.

Concoctio febrilis materia quid ſit.

Hypoſtaſis indicat dominium naturæ ſupra humores pecantes.

Primus locus Galeni.

Rebus aliud per ſe, aliud per accidens conuenit.

atque hic profectò modus est, quo hæc inuicem distinguuntur: opus est igitur, vt si sedimentum per se est pars humoris putrescentis, quod semper sit pars eius, & non quod aliquando non sit: si enim hoc contingeret, ex accidenti id factum fuisse dicemus. Adhæc notabis, negandum non esse, naturam aliquando humorem superuacaneum expurgare per vrinam, quo tempore sedimentum crassum est, quod pars est humoris putrefacti, hoc potissimum obseruamus declinantibus febribus, natura paulatim illam humoris portionem, veluti quoddam cineritium, expurgante.

Natura humorem superuacaneũ per vrinas aliquando purgat.

Postremo animaduertes, eam materiam, ex qua fieri sedimentum docuimus, posse putredinem recipere, ac etiam citra putredinem permanere, quæ putrefacta est, accedit febrẽ proportionem habentẽ cum humore, cuius dominiũ præ se ferebat: Erit enim biliosa, si chyli superuacanea pars inflammabilis fuerit: pituitosa, si crudior, si verò crassior, & magis terrena, melãcholica. Siquidem non est necessarium, omnem febrem putridam fieri ab humoribus dũtaxat putredinem recipiẽtibus, cum spiritus putridi, solidæ partes, omnesq; humiditates corporis possint suscepta putredine inuehere febrilem dispositionem: Quid itaque ex his colligendum: Duo inquam huic proposito conuenientia; primũ in febricitantibus nõ semper naturam expurgare noxium humorem, per vrinam. cum aliquando per vomitum, nõnunquam per sedem inferiorem, aliquando per sudores: At verò omnes febres salubres concoctionem, & victoriam ostendũt naturæ supra morbum ex vrinæ sedimento; quod si semper existeret pars humoris putrefacti, iam vtique semper natura per eam regionẽ purgaret: cum omnium fide aliter contingere obseruemus: Medicorumq; præcepta passim attestentur, quibus monemur, imitandam esse naturam bene operantem, nosq; debere per inferiorem sedem, vel aliam regionem vacuare humorem putridũ, per quã obseruatum sit naturã iam incepisse vacuationem: alioquin oporteret, quòd semper illius expurgationẽ per vrinã moliremur. Ergo quoniam hoc aliquãdo contingit, & aliquando non contingit, in eorũ numero non debet reponi, quòd per se insit vrinarum sedimentis, sed quòd ex accidenti: Quod res in hunc modum habeat, præter ea, quæ diximus, confirmat euentus rerum, quia in declinatione febrium potissimum hoc conspicitur: non in aliis temporibus, in quibus tamen sedimentum apparet. In augumento quidem satis apertum indicium sui præbet, in vltima eius parte lõgè euidẽtius, manifestissimè in statu: euacuationes autem non cõtingunt in hisce temporibus, sed in prima parte declinationis, aut fortasse vltima vigoris: cumque apparet hypostasis, tunc sanè non indicat nobis per vrinarios meatus purgandum; at naturam superare morbum. Alterum etiam colligimus, non esse duas hasce sententias contradictorias. Educitur sedimentum ex crudiori parte alimẽti tanquam superuacanei in hepate, post generationem sanguinis relicti] & hæc. Sedimentum educitur aliquando ex humore putrefacto] quia certè chylus est humor, si non actu, saltem, vt diximus, potestate: potestque putrefieri, quemadmodum alię nostri corporis humidę substantię, & febrem facere, quòd cũ acciderit (neque enim profectò euenit semper) dicimus tunc sedimentum esse partem necessariam humoris putrefacti; aut saltem eius, qui proximè debet putrefieri. sed non est perinde necessariũ, rem hoc modo sese habere vbi aut sanguis, aut humores excrementitii putrefacti sunt. Hæc cum sic habeãt, iam quidem arbitror optimè satisfactum omnibus locis, in quibus contrarium persuaderi videbatur. nam cum ait: Sedimentum esse veluti quoddam incineritium humorum putrefactorum] Galeni sententia intelligenda est duntaxat de iis sedimentis, quæ ex humore actu putredinem suscipiente decidunt, non autem de omnibus sedimentis, quæ res neque semper accidit, neque omnibus vt demonstrauimus, Idcirco per se nõ inhęret; sed ex accidenti. Adde quòd permistio horum humorum cum vrina talis est, vt simul cum sedimẽto veniant, hic duo sunt, sedimentum, humor putridus, huius permistio nullã habet necessitatem, cum citra hanc febricitantes sedimentum faciant albũ, lene, & æquale.

Feb. putridæ ex materia sedimenti, nota.

Putrida febris non fit necessario ab humoribus.

Humorem putridum per vrinas purgari, esse, quid per accidens.

Cõfirmatio ex rerum euentu.

Hypostasis non indicat purgationẽ. Humor putridus cõtinet potentia chylum putrefactum

Responsio ad locos prædictos.

Cum verò quarto capite primi de febrium differẽtiis dicit, hypostasim puri pro portione correspõdere; eam explanationem recipit, cuius tum supra, tum nostris cõmẽtariis ad eum locum meminimus, quoniam certè tam sedimentum, quàm pus in hoc maximè consentiunt, quod alba sint, lenia, & æqualia, & quàm minimè fœtida. Cum vero addit, ex putrescente humore deriuari sedimentum, non repugnare nostris principiis satis manifestum faciũt, quæ supra diximus in alterius loci explanatione. Experiamur autem nos, an ex Galeni monumẽtis aliquid possimus afferre in medium, præter ea, quæ dicta sunt, quæ huic tractationi lucẽ afferant. Duos proferam locos, qui videntur mihi dirimere omnem litem. Primus est in libro secundo Prognost. commen. 26. in quo ex Galeni sententia de morbis cum febre complicatis habet sermonem, explicansq; modum generationis hypostasis, hæc habet verba. Cæterùm vrina nullo pacto sedimentum habet, si tenuiter: copiosum verò, si largius: exiguum verò, si modicè viuitur.] sed si sedimentum pars est humoris putrefacti. Cum in febribus tenuem victum instituamus, potissimum in tempore coctionis, nullum deberet vrina febricitantium habere sedimentum, sed habet omni tempore vel exiguum, vel largius, prout in tempore sanitatis aut largiori, aut parciori vsi sunt victu. Ergo in febribus caussa paucioris, vel copiosioris sedimenti, non est pauca, vel multa copia humoris putrefacti, sed victus ratio lautior, vel exquisitior, ex qua genitus chylus vel multam, vel paucam reliquit materiã sangnificationis in hepate opificium subterfugientem. Idcirco addit. Porrò sedimentum habent copiosum, quoties morbus ex humorib. crudis fatigat.] Alter locus est in primo de Crisibus, cap. 12. In quo sic ait: Præterea & in puris omnibus ferè, & perfectam ætatem habentibus, qui otiosam vitam degunt, aut quouis alio modo pleni sunt, satis multam habẽt vrinæ subsidentiam, quoniam in his omnibus plus est de inconfecto & crudo humore, his quidem propter desidem vitam, illis vero propter satietatem, pueris vero & ob satietatem (voraciores enim sunt) & ob id etiam, quod vna ventriculi operatio non potest duobus simul sufficere, augendo scilicet, atque alendo: Anteaquam ergo in ipso sufficienter alimentum coctum ipsum ad se corpus trahit, atque hinc fit, plurimum crudi humores coaceruent] hæc verba manifestissimũ faciunt, sedimentum alimentum quoddam esse crudum. & incoctum. Quæ vero subsequuntur, ostendunt, hunc eundem humorem subsidere in vrina, cum febricitant, & putredinem suscipere. sic enim habent: Hæc quoq; caussa est, vt iis, qui ex otio, & repletione febricitant, si sanitati restitui debent, necessario plurimum subsideat, contra iis, qui ex inedia, & labore ruffę quidem, & biliosæ vrinę: soluitur enim morb. priusquam aliquid subsideat plerumque.] Ex his, quæ diximus, hæc breuiter colligenda sunt. Primum, semper verum, sedimentum esse eã partẽ chyli, quæ sanguinis generationem in hepate subterfugit. Secũdum, in febricitantibus aliquando hoc sedimentũ purum esse, aliquando cum humoribus putrefactis permistum. Tertium, hoc sedimẽtum putrefieri posse, & citra putrefactionem nonnunquam manere. Quartũ, potentia continere omnes humores. Quintum habere suę essentię principium in hepate, perfectionem verò in venis ipsis. Porrò quædam hic sunt, quæ dubitationem faciunt non leuem, & primum, quòd nos diximus, in hepate initium esse generationis sedimenti: difficilè enim est videre, quomodo in eo viscere hypostasis gigni possit: quandoquidem albũ non est, sed cruentum: neque eius generatio accepta referri potest venis in hepate; ipso contra Erasistratum dicente; principale iecinorum officium, aut munus, ipsius est carnis, nõ venarum. Preterea, si dealbatur sedimentum in hepate, quæsiuerim perlibenter à Galeno, cur iecur ipsum similiter non dealbat sanguinem, qui præcipuè nutritioni destinatus est, neq; potest ipsas nutrire partes, nisi ad album colorem transmutatum fuerit alimentum. Tertia difficultas est, quod Galenus sedimẽtum, & vrinã affectiones indicare venenosi generis, tradidit. Hoc aũt quomodo fieri possit, vix imaginari possumus, conclusum. n. supra fuit, sedimentum crudũ esse alimentum in hepate post sanguificationem relictum, etenim significabit magis ventriculi, & hepatis cruditatem, quàm vasorum. Adhæc verò

Respõsio ad aliam authoritatem.

Cõfirmatio expositionis ex Galeno.

Sedimentũ à victus ratione prosiciscitur.

Sedimentũ copiosum in crudis humoribus.

Sedimentũ est multũ in pueris & otiosis.

Prima.

Secunda. Caro hepatis generat humores.

Tertia. Sedimentũ indicat affectiones venarum.

febribus inchoantibus continuo deberet eiuſcemodi ſedimentū album, lene, &
Quarta.
æquale apparere, quia ſi cruda eſt pars alimenti, cruditates verò magna ex parte,
quinimo ſemper apparent inchoantibus morbis, vrina inchoante febre habere
ſedimentum deberet: cur igitur illo caret? cur in vigore conſpicuum eſt? quo
tempore cruditates abſunt, & homines non modo tenui, ſed aliquando tenuiſſi-
mo vſi ſunt victu? vnde nam igitur ſedimentum poſt longas inedias originem
habuit, ſi non eſt pars humoris in venis putrefacti? Poſtremo, ſi ſedimentū eſt cru
Quinta. hyeme plus ſedimenti, quã in æſtate.
da pars ex ventriculo delata, non appareret multum ſedimentum tempore hye-
mis: quoniam eo tempore calor eſt maior in ventre, quam in aliis temporibus:
huius tamen contrarium docet experientia, qua docemur maiorem eſſe copi-
am ſedimenti in hyeme, quam in æſtate, aut vere, de qua re in aphoriſmis Gale-
Com. 15.
nus hiſce verbis locutus eſt: In his.n.plus eſt ſedimenti, quam in æſtate, præter id
quod tota vrinarum multitudo, hyeme ſufficienter augetur.] hæ ſanè pręcipuæ
videntur difficultates in propoſita materia, quarum ſolutiones afferendæ ſunt.
Sedimētum quib. de cauſis album. Aliorum opinio.
Quantum ad primam difficultatem pertinet, variæ ſunt opiniones: ſi propter eā-
dem cauſſam, propter quam pus album eſſe docuit Galenus, hypoſtaſis alba eſt,
iam quidem cauſſam habemus admodum manifeſtam, à vaſis inquam ſperma-
ticis talem colorem in ſedimento generari: quam Auerroes lib. 4. ſuorum colle-
ctoneorum confirmauit in hanc ſententiam ſcribens. Dicit albam hypoſtaſim,
Prima quæſtionis ſolutio. Auerrois. Sedimētum cur ſit albū. Variæ opiniones.
quia membra non nutriuntur à ſanguine, niſi poſtquam fuerit dealbatus, & eis
aſſimilatus, & propterea color ſuperfluitatis eſt, ſicut color nutrimenti, quando
nutritiua ſequitur ſuum curſum naturalē. Hoc idem ſignificauit Iſaach Iſraelita
in tractatione de vrinis, cum ait: Reſpondemus duobus modis hoc debere fieri,
vel quia hypoſtaſis fundamentum eſt tertiæ digeſtionis in mēbris, quæ cū ſuam
compleant actionem, & digeſtionem, perfecte membrorum exprimit ſimilitudi
Iſaach.
nem, vel quia hypoſtaſis eſt ſanguis exquiſite coctus, qui ſecundo excoctus poſt
repletum ruborem nō inuenit in quam mutetur qualitatem membris aſſimila-
tam, niſi tantum in albedinem: hæc illi. Hieremias Triuerius vir equidē doctus
Hieremias Triuerius.
putat ſedimentum non eſſe craſſiorem alimenti partem, ſed proficiſci illam ex
leuiori ſanguinis parte, quæ facile dealbatur, dum reliquus ſanguis exquiſitius
concoquitur.] Sed profectò tam illi, quam hic poſtremus decepti ſunt. contra
Impugnatio opinionum prædictarū.
Arabes facit, quod à nobis in alia epiſtola dictū eſt de generatione puris: in qua
demonſtrauimus, nō fieri album à ſolidis partibus, quibus etiam addamus, quod
ſi ſedimentum eſt ſanguis maximè coctus, & ipſa coctione factus albidior, iam
quidem nihil aliud eſſe videbitur, quam ſemen: neque enim hoc aliud habet ſuę
generationis principium, quàm ex ſanguine in partibus ſolidis elaborato, vt di-
Thomas de Garbo.
ſputatione de ſemine demonſtrauimus. Poſtremo arguit falſitatem opinionis,
Galeni ſententia à nobis hactenus declarata, qua commonefecit ſedimentum
eſſe excrementum ſubterfugiens generationem ſanguinis in hepate: ex quibus
non tertiæ coctionis, ſed ſecundæ, vt expoſuimus, quoddam excrementum eſſe
demonſtrauit: hic multa cōminiſcuntur recentiores Medici gloſſematarii Aui-
cennæ, & adeo deprauatè Galeni verba interpretantur, vt nihil magis: illorum
expoſitionē non refero, quoniā omnibus, qui vlouerint illam cum contextu Gręco,
atque etiam Latino bonę traductionis conferre, abſurditas explanatonis
Triuerius.
adeo erit manifeſta, vt nihil magis. Quam vero longe diſtet Triuerius à ſcopo, ea
quæ diximus de ſedimenti natura, manifeſtiſſimum faciunt: quibus ſi addide-
rimus, ſanguinē tenuiorem, leuiori in illo facta tranſmutatione, à calore præter-
Augenii propria opinio de albedine ſedimenti.
naturali primū in flauam, tractu vero temporis in atram bilem tranſmutari, ni-
hil habere poterit, quo ſua opinio confirmetur. Ego igitur in materia difficili
dicam, quod ſentio, breuiter. Illud inprimis ſupponens, quod ſedimentum bo-
num album eſſe debet. Hic nomine ſedimenti albi nō intelligimus, quod ſimpli-
citer tale eſt, ſed quod ſemper habita cōditione ad eum humorem, quem repręſentat,
Hypoſtaſis.
ad eum colorē debet inclinare, quibus id ego rationibus adductus in hāc
opinionē venerim, fortaſſe in ſuperioribus poteſtate ſumus comprehenſi, verū
diſtinctioris doctrinæ gratia nūc apertius explanabitur. Si materia, ex qua gene-
ratur

ratur sanguis,& humores alii eadem prorsus est cum materia sedimenti, fieri non potest, quin nunc magis, nunc minus alba sit: nam si eius fuerit conditionis chylus, vt ex ipso maior pars bilis, quàm sanguinis generari debeat, sedimentum colorem album sanè repręsentabit; sed qui ad colorem luteum declinet, si res habuerit modo contrario ad rubedinem, vel ad alium colorem erit eadem materia procliuis. Exemplum est apud Galenum & Hippocratem satis conueniens: nam in libro secundo Prognosticorum sic inquit: Quinetiam in morbis biliosis ad colorem croceum, in iis verò quos crudi committunt humores ad candidius tendit] hæc verba sunt à Galeno pro expositione huius prognostici in medium prolata. Vrina verò optima est, quando sedimentum fuerit album, lene, & æquale per totum tempus &c.] quibus voluit bonum sedimentum in albedine habere latitudinem, notabis illud, candidius] nam comparatiue, non absolutè loquitur. Audi præterea Hippocratem dicentem. Sedimentum subrubrum ac leue, diuturnior quidem hæc, quàm prior est, valde tamen salutaris.] Memineris que caussam esse, quam Galenus hisce verbis exprimit: Indicat exsuperantiam sanguinis non exquisita ratione confecti.] Eadem ratio excogitari potest de sedimento liuido, modo non fiat à caloris naturalis extinctione. Hæc igitur alba materia non generatur in hepate, vt omnes falso hactenus putarunt, neque sedimentum dici debet in hepate exoriri, quia chylus aliunde præparatus proficiscitur. Qui verò in hepate ducitur pro sanguificationis officio, non est adhuc sedimentum, sed eius est materia remota, dum sanguis fit, quo iam elaborato, quę relinquitur materia inutilis corpori, nisi apud necessitatem magnam per inedias potissimum diuturnas, proximum fit subiectum pro generatione hypostasis, neque etiam dici meretur sedimentum, dum est in hepate, sed tunc potissimum, cum à poculento humore abluitur ab ipso viscere, & per vasa quoquouersum deducitur sanguini permista, tunc sanè per emulgentes venas, aliasque vias admodum patentes, munere distributionis perfecto, ad vesicam defertur. Quāobrem rectè diximus generationis principium in hepate situm, quia in eo viscere, quæ remota erat pro illius generatione materia, proxima fit, permistaque potu in venis adipiscitur perfectionem suam, cum lenis, atque æqualis reddatur per totum tempus. Dubitatio sanè concludit, qua demonstratur ex Galeni principiis in iecinore haud posse sedimentum adipisci colorem album: tum quia talem non habet, tum etiam quia multo conuenientius esset ab hepate dealbari sanguinem pro nutritione, quam tamen nunquam efficiet, nisi antea albus euaserit, destinatum. Ego prætermissis opinionibus aliorum, coloris albi efficientem caussam putauerim esse eandem, quæ in ventriculo alimentum transmutans, chylum facit. Hic quidem albus est in ventriculo, & albus, maiori tamen ex parte, peruenit ad hepar. (Dixi, magna ex parte, quia in venis meseraicis leuem quandam coloris permutationem suscipere, tum à Galeno memoria proditum est, cum etiam veterum obseruatione comprobatum) ergo quæ caussa chylum album facit, eadem etiam sedimentum tale reddit. Quæ verò ea sit, non est inquirendum hoc loco, sed vbi de coctione ventriculi, humoribusque pertractabimus, de hac disseremus materia. Satis nunc sit, nos conclusisse in hepate non fieri colorem hunc album, sed à ventriculo cum chyli substantia transmitti, & hæc de secunda difficultate sufficiat dixisse. Vrina quidem, vel sua chymosi, vel puritate, vel quantitate, vel colore, vel contentis, si nec immoderato potu diluta, aliena permistione coinquinata, manifesto humorum, qui in iecinore maioribusque venis, obscurius verò eorum, qui tum in minoribus, tum in partibus singulis ferè insunt, notam exhibet, eorumque constitutionem indicat. Hinc quidem febriculosi morbi, quia maiorum venarum, & arteriarum sunt affectus (per has enim defertur in vniuersum corpus è corde ille igneus calor) per vrinas diiudicari solent: quicunque verò sine febre affligunt, aut in cerebro, aut in membranulis, aut in thorace, ac pulmone ex aliis indiciis agnoscuntur, siue mitiores breuioresque sint, siue periculosi diuturnique. Nihilominus in his etiam inspiciundæ sunt vrinæ, quamuis extra venas humores contineantur,

quamuis alba, non tamen semper eiusdem albedinis est.

Com. 26.

Sedimētum in hepate nō fit album.

Sedimētum quando suam perfectionem acquirat.

Sedimenti principium in hepate, quomodo.

Secūdæ quæstionis explicatio.

Sedimentū album fit à ventriculo.

Tertiæ quæstionis explicatio.

Febres per vrinas indicantur.

Vrinæ inspiciundæ in morbis extra venas.

vt obseruauimus fecisse Hippoc. lib. 3. de morb. popul. parte secunda in historia apud Tisamenũ: nã patiebatur mulier ileũ dolorẽ, scilicet tenuiorũ intestinorũ ab inflãmatione: Hippocratesque vrinas inspiciebat, & Galenus in eius loci cõmentario hæc inquit: Parua igitur ex vrinis vbi bonæ sunt, vt ita habentes seruẽtur, est spes; non parua verò in exitum vergentia, si malę fuerint] quod etiam libro tertio de Crisi manifestum fecit. Reuersi ergo ad ipsam difficultatem, sedimentum cum effluat, ex chylo sanguinis generationem in hepate subterfugiente: in venisque cũ sero, & sanguine permistum elaboretur, indicabit nobis duo. Primum quomodo sese habeat calor naturalis in humoribus generandis: secundum quales humores dominentur. quoniam sedimentum, quamuis non sit actu humor naturalis, aut excrementitius, est tamen potentia, facultateque omnis humor, vt diximus. Febres putridæ in principio habent sedimentum, & aliquando non habent. Qui enim ordinata ratione victus, plurimumque incontinenter vixerunt in inchoantib. morbis aliquando hypostasim emittũt: & hæc alba, & lenis & æqualis existens, Medicos decipit nonnunquam, vt adnotarunt Medici quidam clarissimi, & in artis operibus apparet. Magna ex parte in principio non adest, quia obstructiones adsunt, clausique meatus, per quos effluere debebat; hi concocta materia latiores facti, & patentes; hypostasim cũ vrina emittunt; estq; vel plura, ac simplex, vel aliarum quarundam substantiarum permistione coinquinata, indicantq; crudiorem illam partem, (vbi extiterit pura) quæ olim præfuit in hepate, non quæ eo tempore gignitur: quandoquidem nulla, aut admodum exigua propter inedias tunc produci potest. Inquinata vero sedimenta, illorum præsentiam, à quibus inquinabantur, significant. Hyemis tempore sedimentum est multum, quia victus rationem adhibemus lautissimam, neque potest calor naturalis tum validus omnem ingestorum alimentorum copiam conficere: potissimum, quod propter ambientis frigiditatem retinentur excrementa. In æstate contrarium accidit; humoribus tenuioribus genitis corporeque vniuerso euacuato per insensibiles difflationes: hac de caussa fit minor quãtitas sedimenti per æstatem, quam per hyemem. Multi viderunt postremas difficultates: at certe admodum pauci extricarunt: quinimo, vt rectius dicam, nemo hactenus scopum attigisse visus est mihi. Maior siquidem pars Medicorum in eam opinionem venit, vt aliud esse in sanis, aliud in ægrotis sedimentum putaret: libro de febrium differentiis tractari de sedimento ægrorum: libro prognosticorum agi de sanorum sedimentis, atq; hoc modo difficiles hosce, & maximè contrarios locos componunt; sed certe quicquid sit de hoc duplici sedimẽto, de quo iam abunde locuti fuimus, solutio difficultatem nõ tollit, cum in prognosticis de omni sedimento in vniuersali locutus est, quod scilicet sit album, lene, & æquale, & quam minimè fœtidum, quod sanè in vtroque statu corporis, tam salubri, quàm morboso conspicitur: neque enim decebat Galenum eo in libro, in quo de morbis acutis agitur, sanorum tantum prosequi sedimenta, iis prætermissis, quorum alioquin propria erat pertractatio. deinde verò in libro secundo prognosticorum de vrinis febricitantium agit, vt Galenus testatur commentario vigesimosexto; in cuius fine docuit, nolle sese docere caussam, cur hoc sedimentũ sit album, lene, & æquale, quia expositum in priori libro fuerat agens in fine libri de pure. Auget suspicionem nostram, quod non videtur admodum conueniens comparatio puris, & sedimenti sanorum duntaxat, quoniam illud semper quędam est putredo: hoc sedimentum nũquam. illud mixta semper est actio: hoc autem amplius concoctum in sanguinem transmutari potest, saltem necessitatis tempore: at si comparatio fiat puris ad sedimentum in vniuersali, optima inter vtrunq; apparet proportio: nam in febricitantibus sedimentum habet eandẽ cum pure in generatione similitudinem: hac de caussa locutus est Galenus eodẽ modo hoc ipso capite, & in primo prognosticorum. Audias, quæso mi Brancute, vtriusque loci verba. In prognosticis. Etenim id quoque obtinet generationem, quæ puri proportione respondeat, inter id, & naturales humores iniectum] in libro primo de febrium differentiis ait: In humoribus autem, qui in venis, & arteriis conti-

Cap. 3.

Quartæ explicatio quæstionis.

Explicatio quintæ quæstionis.

Aliorum opiniones impugnantur.

arteriis continentur, quoddam, quod puri proportione respondet, subsidens in vrinis] vides igitur, quod sedimentum proportionem habet cum pure, quæ proportio non consistit in solo colore, vt quidam putant, sed in substantiæ generatione, vt Galenus affirmat, namque accidentium non est generatio, sed solius substantię; quamobrem his ego ductus coniecturis putauerim, vniuersalem esse Galeni sermonem de sedimento corporum sanorum & ægrotorũ; hocque modo intelligendum, quod scilicet sedimentum, atque etiam ipsum semen in hoc à pure duntaxat differunt, quod pus semper ac quod dici solet, secundum necessitatem, caussam habet præter naturalem calorem: semen & sedimentum non habent hanc necessariam caussam: diuersitatis ratio est, quia pus nunquam reperitur nisi in ægroto corpore: semen vero, & sedimentum in ægro, & in sano corpore continetur; quatenus in sanis adsunt, nullam habent caussam præternaturalem, qua ratione insunt in ægrotis: habent quidem aliquando. De sedimento satis manifestum est: semen vero esse aliquando participem caussæ præternaturalis: omnes qui sunt in artis operibus exercitati, facilè cognoscunt. igitur dum ait, sedimentum non esse in generatione participem caussæ præternaturalis, intelligendum est ex necessitate, collatione habita ad pus, quod talem semper caussam habet: hoc modo componuntur omnes contrariæ sententiæ, quia Galenus in priori libro de febrium differentiis non excludit caloris naturalis actionem, quam tamen necessario vt dixi, minimè includit, in reliquis autem magna est inter vtrunque proportio: neque, quod dixi, ex materia putrescente deduci sedimentum, contrarium est, vt quidem putant, huic propositioni, quod sedimẽtum sit, quicquid natura in generatione sanguinis confectionem subterfugit.

Videor omnibus difficultatibus satisfecisse, atque diligenter, quantum tamen epistolæ modus patiebatur, & ego sentiendum putabam, de sedimento scripsisse: reliquum est modo, vt finem dicendi faciam. Vale ex Augusta Taurinorum die 24. Iunii, 1579.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM LIBER VNDECIMVS.

HERCVLI COZZIO FIRMANO: EPISTOLA PRIMA.

Agitur de Garo, & albo iure, & de potu hydrargiri.



TRIA sunt, quæ scire ex me desideras, in quorum explicatione maximè discordes audiuisti Medicos quosdam. Horum vnum est, quid sit garum, & quę illius conficiendi ratio antiquis extiterit. Alterum quid ius album, & quæ facultas existat eiusdem in medendis morbis. Tertium verò, an putem hydrargirum tuto posse exhiberi. Ego quamuis nunc multis detinear occupationibus, tamen quia debeo amicis omnia, tibi in hunc modum satisfaciundum putaui.

Garì nomen apud antiquos pro quodam liquore salso, ex gari piscis primum interaneis confecto audiebatur: mox etiam quod ex scombro pisce, ex mænis, aliisque pisciculis, ac tandem ex carnibus ipsis defluebat, intelligi consueuit. Plu-

rium authoritate id comprobabimus, qui de hac materia tractarunt. Plinius rerum omnium scientissimus de garo sic loquitur: Aliud etiamnum liquoris exquisiti genus, quod garũ vocare in intestinis piscium, cęterisque, quæ abiicienda essent, sale maceratis, vt sit illa putrescentium sanies: hoc olim conficiebatur ex pisce, quem Gręci garum vocabant] & capite sequenti. Nunc ex scombro pisce laudatissimum in Cartaginis spartariæ, & cæteris sociorum appellatur, singulis millibus nummum permutantibus congios penè binos] ex mænis, quos Aleces vocant, vt Martialis nisi fallor dum ait:

Lib. 31. c. 7.

Cap. 8. li. 31.

Ex quibus piscibus paratur garũ

Cui portat gaudens ancilla paropside rubra
Alecem-

Atque etiam ex eo pisciculo, quem apuam vocant, fieri garum consueuisse testatur Plinius, & multo quidem apertius Cassius Dionysius Vticensis, cuius verba infra citabimus. Ad liquorem etiam ex carnibus fuisse hoc nomen relatũ testatur Dioscorides his verbis: Garum omne, quod ex piscibus, carneque, sale maceratis liquamen est, si ex eo solus fiat, depascentia vlcera sistit] hæc illi. ex quibus tria colligenda sunt, vnum garum liquidum quoddam esse salsamenti genus: hoc confirmat Paulus Ægineta cum scribit, panem purum intingens in garum primarium] & Galenus: Elixus lupinus, ac deinde maceratus in aqua dulci, donec omnem insuauitatem exuerit, si demum manditur cum garo, vel solum cum sale mediocri conditus] Idem Alexander Aphrodiseus confirmans ait: cur oleum, & aqua sæpè & facilè gelu durentur: vinum acetum, garum, aut nunquam, aut rarò congelascunt] frustra enim hoc quæsiisset Alexander, si garum non esset liquida quędam substantia, quam rem apertissime ostendemus, cũ rationem eius cõficiendi ex Dionysio docebimus. Alterum corollarium est, hunc liquorem olim preciosum extitisse, ac magni fieri consueuisse pro delitiis gulæ explẽdis: sic quidem inquit Plinius: Singulis millibus nummum permutãtibus congios penè binos] & parum postea: Transit deinde in luxuriam (ait) creueruntque genera in infinitum: sicuti garum ad colorem musti veteris, adeoque dilutam suauitatem, vt bibi possit] Tertio colligo garum non esse id genus salsamenti, vt putauit Medicus ille, communis alioquin amicus, quod vulgo dicitur cauiarũ: nam hoc fit quorundam piscium interraneis omnibus: garum vero fit ex solis intestinis piscium quorundam paruorum, vt ex Plinio diximus: Adhæc cauiarum non est liquor quidam potabilis cuiusmodi extitisse garũ iam dictũ est à nobis auctoritate Plinii. Putauerim ipsum cauiarũ ad genus ouotartici referendum, vt aliud etiam quod botarghe nuncupatur. Multa siquidem genera salsamentorum inueniuntur ex interraneis piscium facta, certe ex paruis pisciculis neque ouotartica, neque botarghe fiunt, vt garum fieri admonuimus. Doceamus modo rationem compositionis, quam ego, quoniam apud Medicos nondũ vidi ex Cassio Dionysio Vticensi scriptore antiquissimo, & magnæ auctoritatis afferam, atque eo sanè libentius, quod pro dilucidanda obscuritate Plinii plurimum facere videntur. Sic igitur scriptum reliquit:

Gari facultas.

Garum est liquidum salsamentum.

Garum olim fuisse condimentum preciosum.

Garum non est cauiarũ

Ouotartia & botarghe non fiunt ex paruis pisciculis.

Garum liculmen appellatum sic fit: Intestina piscium iniiciuntur in vas, & saliuntur. Parui item pisciculi, maximè atherinæ, aut exigui mulli, aut menulæ, aut lichostomi, aut quicunque tandem parui nisi fuerint, omnes similiter saliuntur, & in sole inueterantur, frequenterque vertantur: postquam autem per calorem fuerunt inueterati, garũ ex ipsis hoc modo tollitur: Cophinus longus imponitur in vas plenum prædictorum piscium, influitque garum in cophinum, atque sic per cophinum percolatum liculmen appellatum garum suscipiunt: reliquum vero retrimentum alex efficitur. Bitini porro sic pręparãt: Accipis mænas, quæ quidem præstant, si haberi possunt, paruas, aut magnas; sin minus lychostomos aut lacertos, aut scombros, aut etiam alecem, & omnium mixturã: immittisque hęc ipsa in alueolum pannarium, in quo farina subigi solet, & additis ad modium piscium salis sextariis duobus Italicis permisces, & cum sale contemperentur, sinisq; per noctem vnam, ac transfers in fictile, quod depertum ad solem exponis ad menses duos aut tres, & per interualla virgis agitas, deinde

Bitinorum præparatio.

deinde oblatum, & coopertum reponis. Quidam etiam vinum vetus adiiciunt, & ad modium piscium sextarios duos. Deinde, si velis statim vti Garo: hoc est non insolare ipsum, sed coquere, sic facies: Muriam stillaticiam, & excolatam accipis sic approbatam, vt coniectum in ipsa ouum innatet. Si verò immergatur, nondũ sufficientem salem habet. Deinde in muriam piscem mittis in olla noua, adiectoq; origano ad ignem sufficientem ponis, donec coquatur: id est, donec inceperit paulatim absorberi. Quidam etiam sapam addunt, postea refrigeratum iterum, atque iterum per colum transmittitur, donec purum euadat, quod 10 operto vase repones. Præstantius porrò harum Hæmation appellatum sic fit. Intestina tinni cum brachiis, cruoreq;, ac sanguine accipiuntur; aspergiturq; sale, quod satis est, & in vase sinuntur post menses duos fermè tunc vas ipsum perforato, affluetq; Garum hæmation appellatum] hæc de Gato:

Alia præparatio.

Harum Hæmation vt fiat.

DE ALBO IVRE.

Passim Galenus albi iuris mentionem facit in methodo medendi, in libris de ratione victus in morbis acutis, de ratione curandi ad Glauconem, de victu extenuante, & de facultatibus alimentorum ac alibi: namque locos sigillatim omnes referre nõ placet: nimis enim lõga institueretur tractatio: sed nolo interim prętermittere quosdam, ex quibus vsus, atq; pręparatio facilius innotescet. 20 Is igitur agens de ratione curandi febrem hecticam, sic locutus est: Opsonium quoque fit ex saxatilibus piscibus; aut ex albo iure asellus. nec non alæ testesq; gallinacei, qui lacte sit altus.] & alibi: sin venter non amplius excernit, suffecerit tum alica similiter ptissanę pręparata: hoc est aceti habens pauxillum, tum ex ea sine aceto sorbitio. tum gallinaceorum testiculi, & saxatiles ex albo iure pisces] præparandi rationem docet his verbis: Quod si carnem quoq; gustare velit, saxatiles pisces, vel oniscos in albo iure bene elixos dabis. Voco ius albũ cum sine Garo, magisq; etiam sine superflua cõditura, cuiusmodi cariciam Gręci vocant, præparatur, aneto, saleq; cum oleo, & porri exiguo in aquam coniectis] & alibi: 30 ad coquẽdum autem (inquit) sunt præstantissimi, qui ex albo iure fiunt, quod ad hunc modum fit.: Copiosam aquam primum iniice: deinde olei, quod satis est, affundito cum pauco aneti, & porri, deinde cum pisces semicocti fuerint, salis tantum inspergito, quo ad totum ius salsum nondum appareat. hęc præparatio vel ægrotis ipsis est accõmoda] in libro de extenuante victu. Cum albo (ait) iure, porrum prolixius miscẽdo, & piperis portiunculam] Rursus in decimo methodi pręparandum iubet addito aceto, cum inquit: Id vero ex aqua, & exiguo porri cum sale, oleo, & aceto] in secundo ad Glauconem sic scriptum reliquit: fit autem in hunc modum, aqua abundãter in ollam infunditur, & paucum olei, cum hoc porrum, & anetum iniicitur] in primo autem de ratione victus acutorum, addit in præparatione marrubium.

Album ius Galenus & quomodo conficiat.

10 meth. cas. vltimo.

8 meth. cap. vltimo.

4. de san. tuen. cap. 10.

3. de alime. facult. 30.

Cap. 8.

Cap. vlt.

Cap. penult

40 Ex his colligendum, variam existere præparationem iuris albi apud Galenum: nam in medendi methodo acetum adhibet, alibi prætermittit. Dum curationem docet elephantiasis sal omittit, nullibi prætermissum: procuranda pleuritide exoptat marrubium, vt nonnulli dicunt, de quo non est alibi locutus, & ego mendosum codicem esse dico vt patum infra: nonnũquam piper admittit, alibi vero silentio inuoluit. Quænam igitur caussa varietatis huius? Possem hic afferre multa, quæ alii dixerunt de hoc argumento, sed non est mihi ocium, idcirco dicam breuibus, quid sentiam. Scias igitur, dum victum extenuantem in sanis docet, piperis meminit, quo extenuantur inciduntúrque humores crassi. Hoc inuoluit silentio agens de curatione morbi calidi, & sicci. Aliquando illi placet acetum, cum desiderat medicamenti penetrationem. O- 50 mittit in pleuritide, quia contrarium pectori, & neruis: idcirco dum curare docet siccam intemperiem, ne verbum quidem. Salis non meminit in pręparandis viperis: quia hæc sunt nimium calidæ, & siccæ natura sua; & morbus pariter apprimè siccus. Marrubium certè nunquam adhibet, nã mendosus est codex. Etenim Græce legitur πρόςσιος] quod significat porrum] non πρόςσιον] quod significat

Galenũ varie præparasse ius album.

Ius album cur varie debeat præparari.

Codex Græcus emendatur.

marrubium] etenim ſi qui faſtidiunt ptiſſanam, debẽt vti albo iure: hoc alimentum, ſi marrubium addideris, fit multò inſuauius, ob amaritudinem praſſii, ipſa ptiſana. Exhibere autem ius album in faſtidientibus ptiſſanam, eius verba manifeſtum faciunt. Iuris albi compoſitio in hunc modum habet. Vſus verò tum in ſanis pro humoribus extenuandis, tum in morbis acutis ad incidendum, detergendum, humectandum, nutriendum: adhæc etiam in diuturnis omnibus, in quibus nutritione, & humectatione indigemus totius corporis.

Quod attinet ad tertium, ego cum quibuſdam clariſſimis Medicis, præſertim vero Mattheolo Senenſi hydrargirum potari poſſe nunc docebo.

Medicamẽta venenoſa quæ dicãtur.

Eorum, quæ potantur, nonnulla ſunt medicamenta: nonnulla vero alimenta: & quædam medicamẽta, & venena ſunt: hæc ſanè quia commoditatem inferũt humanæ vitæ, præſidia dicuntur, medicamentaq́;: At venenata nuncupantur, quia conſtat eorum ſubſtantia, ex iis quæ toto generi noſtris facultatibus opponuntur. Huius generis ſunt, peplion, helleborum, ſcammoneum, ac id genus reliqua, quorum vſus frequentiſſimus eſt alioquin apud Medicos, adhibita primũ conuenienti præparatione: vt venenata facultas obeſſe non poſſit. Aliud etiam hoc loco ſupponendum eſt, nempè medicamenta, quæ veneni naturam ſapiũt, perperam adhibenda non eſſe, ſed tunc cum propter magnitudinem morborũ minatur periculum: vt enim paruis morbis parua conueniunt auxilia, ſic equidem magnis magna cõducunt. Rurſus autem ſciendum eſt, omnia venena haud habere vim occidẽdi, ſed tunc cum ea deſumuntur quantitate, qua ſubuertatur, corrumpaturq́; ſubſtantia natiui calidi, quam rem facere non poteſt quantitas admodum exigua. His in hunc modum ſtatutis dicimus, argentum viuum tutò exhiberi poſſe, cum in ancipiti iam conſtituto negotio, morbus magnus extiterit; quandoquidem etſi venenum ſit, medicamentoſum eſt tamen: quod vt venenum obeſt, vt medicamentum prodeſt multò magis. Quinimo exigua quantitas illius exhibita tautum abeſt, vt noceat: quod maximè prodeſſe fuerit obſeruatum à clariſſimis Medicis, ac ego non ſemel obſeruaui. Horum afferamus teſtimonium. Braſſauolus. Quod etiam argentum viuum venenum ſit, contendũt recentes ex Dioſcoridis, & Plinii ſententia: non animaduertentes dici venenum ſuo pondere, non aliqua lethali qualitate, & nos infantibus vi vermitã ſemimortuis exhibuimus, & illico ſanati ſunt, idq́; in vltima deſperatione] Mattheolus Senenſis. Idcirco mirari non debemus, ſi Braſſauolus tam clarus ætatis noſtræ Medicus ad necandos interaneorum vermes dari pueris argẽtum viuum nullo illorum incõmodo ſcripſerit, & eo tam fęliciter vſus ſit alter quidam clariſſimus Medicus Patauinus: quamquam parandi, dandiq́; rationem neminem vnquam docere voluerit. Atque ego etſi hoc medicamento nunquam ſum vſus, vidi tamen dari ſæpè illud ſcrupuli, vel ſeſquidragmæ pondere à Goritiẽſibus obſtetricibus, ægrè parturientibus mulieribus, nullo prorſus incõmodo, ſed fęlici ſemper euentu. Datur viuum, non extinctum, vt quidam putant: quod enim extinctum eſt, ventriculo hæret, & inteſtinis, & ſæua excitat ſymptomata. lauandum tamen prius eſt aceto acerrimo, mox tenui corio excipiendum, manibusq́; tam diu premendũ, quo vſque per meatus corii excidat. Sic enim purgant, qui eo vti volunt] hæc illi. ex quibus non modo propoſitum, ſed etiã ratio præparandi elueſcit. Sed vt magis ſatisfaciam tibi ipſi, haud pigebit explicare modũ, & in quibus affectibus, quo pondere, & in quibus corporibus: nihil enim apud me tam reconditum eſt, quin illud ſtudioſis communicem etiam, atque etiam libenter. Primùm ſanè puerulis nunquam exhibeo (vt ab hoc poſtremo exordiar) niſi tertium ætatis annum tranſierint. Doſis in his grana iij. ab hac ætate vſque ad primum ſeptenniũ grana ſeptem, vel octo: in grãdioribus verò à ſcrupulo vno vſq; ad drachmã ſemis, quod ſummum eſt: adhibita tamẽ pręmeditatione circa corporis habitum: qui enim ſunt admodum molli, & gracili habitu, vix ferunt (niſi acquiſititio temperamẽto contrario modo præditi fuerunt) qui verò pinguiori ac denſiori, facilius febricitantibus cum aqua graminis, aliis cum vino. Porrò affectus multi ſunt, in quibus egregio hoc auxilio vti ſoleo fęliciſſimè. Prodeſt inprimis

Venenoſa medicamẽta quando ſint adhibẽda.

Venena non ſemper occidere.

Hydrargiri vſus quam tutus.

Argentum viuum eſt venenum & medicamentum ſimul.

Dandi argentum viuum modus ex Mattheolo.

Doſis in pueris.

Argentum viuum quibus conueniat morbis.

primis puerorum vermibus: immo etiam non modo in pueris, sed in brutis animalibus à rustico quodam exhibitum obseruaui, commoditate magna, & ferè incredibili. Exhibetur doloribus cholicis, aliis non iuuantibus, apoplecticis, & comitiali morbo vexatis; in hisce affectionibus hucusq; sum vsus. Addūt his alii pestiferas febres, in quibus ego nondum periculum feci. Quod verò ad præparandi modum pertinet, ego alium non habeo, quàm ex Mattheolo supra descriptum, & is est, quo vtebatur Fräciscus Fisimelica Patauinus Medicus omnium suę ætatis iudiciosissimus. Neque me fugit, aquam macerationis hydrargiri maximam vtilitatem intulisse pro necandis, expellendisq; vermibus, & nullū prorsus incommodum attulisse. Domi semper habeo præparatam: mittam vbi volueris; sed me iudice experiaris. Verum non licet communicare medicamentum vulgo, ne forte tibi scribatur, quod in morbi vehementiam referri debet: patefacito duntaxat iudiciosis Medicis.

Præparatio hydrargiri, quæ.

Admonitio.

Hæc habui, quæ circa ꝓpositam materiā conscriberem: quæ si tibi satisfaciant, lætabor: quia id eueniet, quod voluisti: sin minus, non culpabor certè, quia id præstiti, quod plus potui. Vale.

DVRANTI SCACCHO CHIRVRGO FABRIANENSIVM.

EPISTOLA SECVNDA.

Explicatur caussa propter quam Augenius non diuulget responsionem ad quandam Apologiam Cynicam: & de vlceris definitione quædam.

CORDELLA noster obtulit mihi legendas literas tuas, in quibus ad eū Chirurgum de vlceris natura scribis, qui perinde se habet ad artem, vt ὄνος λύρας. Vix dici potest quàm fuerim ex illarum lectione oblectatus: quandoquidem quod mihi sanè nouum non fuit, docte admodū, & insigni eloquentia, veterum ea de re opinionem explicans, hominis ignorantiam patefacis, & maximam temeritatem obtundis. His certè homūcionem haud responsurum esse scio; quoniam magna vis est veritatis: quemadmodū neq; poterunt aliquando respondere iis, quę contra illū à docto iuuene, & mei amantissimo vulgari sermone scripta sunt (sic enim decebat, vt hominis huius conditio, & morum qualitas innotesceret omnibus) horum copiam habebis, quam primum eam mihi Hercules Fasiaginus pharmacopola remiserit. Quod ad meum institutum pertinebat, te non fugit Scacche, nō fuisse opportunum, vlceris definitionem, & naturam inquirere; quia consultantes iam communi cōsensu in illius gratiam supposuimus, planum illud extitisse vlcus, & nullius ferè momenti: idcircò dum examinarem cōsultationem illam, hæc recordor scripsisse. Cum parū omnino ad ipsam curationem pertineat vlceris definitio abs te proposita: aut si pertinet, cum non fuerit applicata, ipsiq; accommodata negotio, parū potuit satisfacere] rursus verò addideram supra, vlcus & vulnus in Galeni doctrina aliquando cōfundi. Accedamus quæso propius ad huiusce rei demonstrationem. Proponit vlcus existere solutionem continui, cū deperditione substantię à re exedenti facta. Quam rē non conuenire plano vlceri, nemo est, meo iudicio, qui nesciat. Nulla enim erosio adest in hoc vlcere: neque etiā adest deperditio substantiæ, ipsius videlicet carnis, quæ vlceris propriè dicti subiectum est: neque enim cutis, aut cuticulæ diuisio, aut deperditio vlceris constituit naturam, sed carnis, aut alterius rei, quod carnis proportionē referat, vt oēs Medici recepta cōsuetudine passim affirmant. Adfuit (inquiet fortasse aliquis) erosio, à putredine contracta. Hic ego inquā admissurū esse me hęc ipsa illius caussa libēter, sed tamē putauerim aberrasse turpi errore hac in re duplici de caussa: primū, quia inpręsentiarū tale non erat vlcus; de quo tractabamus: idcircò non fuit ad rē eiuscemodi definitio. deinde in erosione est error: quia sanè imaginari oportet duplicē erosionē esse: alteram, quæ conuenit vlceri sub cōmuni vlceris natura; alteram, quæ vnam respicit speciem,

ſiue differentiam vlceris (nunc non curo ſiue ſpeciem, ſiue differentiam dicas) quod propriè vlcus exedens appellatur: hæc differunt toto cœlo. priorem eroſionem facit putredo in ſinu, aut obſceſſu contracta; inſequiturque putredinis naturam, vt putredo eſt in loco aliquopiam circumſcripta: hæc nulla eſt, cum ex vlcere deterſo pure, carneque regenerata operã damus, vt cutis aut cuticula gignatur, vt contingit in vlcere plano. neque poſtulat remedia quępiam aduerſum eroſionem propriè dictam excogitata. At poſterior fit ab acribus humoribus exedentibus, contra quos emplaſticis pugnamus: ſed in propoſita hiſtoria exeſio adfuit nulla: nõ prior, vt iam diximus; neque poſterior, quia planum: quod enim verè exedens vlcus eſt, id ſanè planum eſſe nequit. Verùm ſi quæſieris, quomodo vlceris definitionem, atque naturam exprimendam cenſeam: Ego breuiſſimis admodum explicabo quid ſentiam: tuũ, atque aliorũ erit poſtea iudicium, an fuerim ſcopum aſſecutus.

Bonæ definitiones, quæ.

Principio autem ponamus illas exiſtere definitiones bonas, quæ ita quidem conueniant definito, vt non aliis: hinc proprium dicitur definitio, non tanquam accidens profluens ex rei natura, ſed tanquam ſubſtantialis forma: hic τῆς οὐσίας nomine, eſſentiam intelligo, quæ non modo in prædicamento ſubſtantię, ſed etiam in accidentium generibus continetur; quæ ſuas definitiones habent, quãuis non ita perfectas, & pręcipuò dictas, quas conſtat ſubſtantiarum eſſe, & in harũ prædicamento ſpecierum: Hæc à dialecticis, & Peripateticis olim propoſita cõmunem apud omnes gentes conſenſum habent. Opus eſt igitur, vt vlceris definitionem eiuſcemodi tradamus, quæ non conueniat aliis, ſed illi ſemper ſoli, atq; omni: ex quibus conditionibus, ſi vna defuerit, amplius definitio non erit; at nominis deſcriptio quędam, vel rei notificatio vtcunque haberi poteſt. Exordiamur primum ab ipſo genere, mox cõſtitutiuam inueniemus differentiam: ex quibus bonas conſtare definitiones tradunt. Statuamus ſolutionem continui genus eſſe: tertium ſcilicet illud morborũ genus, commune, alioquin ſimilariũ, & organicarum partium: vnitatis diuiſionẽ idcirco genus eſſe perhibẽt Medici, quia cũ pro partium varietate cõtingat varias ſolutiones fieri, à quib. etiã varię petuntur indicationes curãdi ſpeciales, meritò genus commune ſtatuitur: proprium autẽ euadit genus atque immediatum, ſi ex ſubiecti ratione illius vniuerſitatem (vt ſic dicam) cõmunemque naturam determinabimus. Subiectum hoc fuerit, vt plurimum caro. Nam diuiſio in oſſe fractura dicitur, in carnoſa parte vlcus, ſicuti etiam vulnus, & ruptio, & conuulſio. Vulnus quidem ſolutio quædam ex vulnerando in carnoſa parte relicta. Ruptio, & conuulſio citra vulnerationem, ſed in hoc diſtant, quod ruptio carnoſæ partis diuiſio eſt; conuulſio autem neruoſę. Ex his nullum apparet diſcrimẽ inter vulnus, & vlcus, quod in aliis ſatis videtur manifeſtum, quia neque in oſſis, neque in nerui ſubſtantia conſiſtit vlcus. ac rurſus ruptio nõ eſt, quia hæc fit citra vulnerationem, aut ſenſibus manifeſtam ſolutionem continui: at vlcus nullum tale, cum omne fiat ex vulneribus, vel ex ruptis, apertiſque quomodolibet abſceſſibus. progrediamur itaque ex hoc principio, quod omnes admittunt ad inueſtigationem proximioris generis. Galenus quidem videtur admittere ſolutionem continui in carnoſa parte ex eroſione factã, immediatum eſſe genus. eius enim verba ſic habent: Quod ſi ex corroſione habeat ortum, vt in oſſe τερηδὼν, ideſt caries, ita vlcus, in aliis dicitur] ſed quæ ſubſequuntur, verba obſeruari debent. Non ſic autem, vt non liceat alio etiam modo nominare] hæc enim ſatis manifeſtum faciunt, variam extitiſſe authoris huius tempore de vlceris notione ſentẽtiam, & in iis, quæ dixerat, haud plenam adhibere fidem. At ſiquis mordicus contendere voluerit corroſionem in omni vlcere deſiderari, is quidem duo ſtatuat neceſſe eſt: alterũ, quod nos ſupra de hac ipſa diximus: alterum verò, quod cum inchoante vlcere conueniat, ſtatus dabitur aliquiſpiam vlceris, in quo nõ aderit corroſio eiuſcemodi: quemadmodum etiã quædam inueniet reperiri, quæ corrodentibus medicamentis gaudent. Quamobrem hæc ipſa conditio nec in omni vlcere, nec in omni ſtatu vlceris conſpicua eſt. Porrò non licet eſſentiam rei depromere ab eo, quod non eſt ſemper in rebus,

Inueſtigatio definitionis vlceris.

bus, neq; inest omnibus. Quod nam igitur illud erit, Scacche, annexum generi, quod perfectam notionem compleat? An deperditio substantię carnosæ? neque id verum fuerit, quia cum incremento eiusdem substantiæ vlcera adsunt, vt in dies videmus. An quod cutis, aut epidermis ipsa deficiat? sed hoc proferre admodum absurdum est, quia cutis nō est caro, quæ subiecta semper vlceribus est, vt docuimus: mox quia cum deperditione cutis morbus aliquādo esse non dicitur: etenim morbus est affectus præter naturam actionibus manifestè, ac sensibiliter incommodans. Igitur quemadmodum verum non est dicere, omnem solutionem continui morbum existere, cū possit non lędere sensibiliter actiones, sic neque verum, omnem cuticulæ amissionem esse morbum, cum hæc aufferri possit citra noxam sensibilē: erit autem leuis eiuscemodi diuisio, & cuticulę deperditio affectus quidem, sed non morbosus, verum constitutio quædam medio modo se habens inter sanitatem ac morbum. Proinde haud rectè comprobat Thessalicus ille homo, ex vlcere plano concludi, duplicem esse morbū in omni vlcere, cum planum vlcus morbus non est, sed fuit; deinde verò, quoniam licet duplex insit affectus, non tamen duplex morbus, cum affectus nomen genus sit ad naturalem, præternaturalem, neutramq; constitutionē: mox verò quàm obaudiat locum illum ex quarto methodi medendi iudicādum vnicuiq; relinquimus. Proinde cum sic habeat res, ipsa perquiramus, quid sit sentiendum. Sciendum est itaq; quod vulnus ab vlcere mihi videtur in duobus potissimum differre: vnū quod vulneris caussa semper extrinseca est aut à rebus incidentibus, aut pungentibus, aut collidentibus procreata, idque aut in carne, aut osse, aut membrana, neruo, ac vena: hinc indita sunt nomina, vulnus, punctio, collisio fractura, ruptio: At vlcus non semper ex eiuscemodi caussa proficiscitur, sed vt plurimum interiorem caussam habet, vt corporis vitium. Alterum verò quod omne vlcus, quale cunq; id sit, continet necessario duo illa excrementorū genera, quorum alterum sordes, alterum autem icor nominatur, quæ in vulnere non consistunt, nisi in vlceris naturam degenerāte. Hoc sane illud videtur mihi proprium, quod distinguat essentialiter vulnus ab vlcere, & quod pro differentia specifica nobis ipsis debet inseruire. Cęterum, quod illa duo genera excrementorum in omni vlcere contineantur, quatenus vlcera sunt, prȩterquam quod experientia facit manifestissimum, Galenus in methodo medendi, atque etiam Medici ferè omnes admittunt. Hinc ego sic posse vlcus definiri satis commodè arbitrarer:

Vlcus est solutio continui, vt plurimum in parte carnosa, & vulneris degeneratione, vel abscessu, vel corporis vitio procreata. Dixi, vt plurimum in parte carnosa, quia in venis, & arteriis, & membranis vlcera concitari possunt, quæ tamen carnem propriè dictam non habent: licet dici possit, habere carnem communi appellatione, ideo fortasse dixit libro de morborum differentiis: In omni genere carnoso communiter vlcus.]

Videtur proposita definitio non solum explicare, quid res ipsa sit, sed etiā propter quid: & hæc omniū, vt sciūt Dialectici, perfectissima est; quæ à demonstratione solo situ differre dicitur. Etenim quatenus in carne consistit, à fractura, à cōuulsione differt: quarū altera in osse, altera in neruis cōsistit. quatenus verò est ex degeneratione vulneris factū, distat à ruptione, ac supradictis; quæ non fiunt ex vulneribus, sed ex soluta vnitate carnis sensibus inconspicua. vt sordidum est, à vulnere distat: quia in vulnere solus continetur sanguis, qui excrementū non est corporis, at succus alendo corpori necessarius. multo autem magis specificat eius naturam, quod sequitur, quia nullum vulnus corporis vitio procreatur; quemadmodū vlcus. Intelligo per vitium corporis, vlceris caussas autecedētes, continentesq;. in illarum numero est omnis corporis impuritas & cacochymia, aut ex improbo victu, aut ex viscerum praua affectione contracta. in harum autem continentur ordine, vitiosus omnis humor eo confluxus, omnisq; corruptio in affecta parte consistens, atq; cohærens. Sic ego sentio, mi Scacche, alii quibus maius est ociū, & qui magis possunt ingenio aliud inuestigabunt, quod veterum doctrinæ respondeat: ego certè nequeo potiora. Reliquum est, vt Fabrianensi-

bus omnibus ciuibus meo nomine salutem dicas, potissimum verò saluere iubeas admodum Reuerendum Rogerium Corradinum; & clarissimos Medicos Lucianum Belum, & Hieronymum Donzelum. Tu verò si me amabis (vt spero & scio) te plurimum amantem diligere scias; ac eum qui te ob insignes animi tui dotes carissimum tenet. Vale. Ex Tolentino die 24. Septembris. 1577.

ALOYSIO GRATIOSO, S. D.

EPISTOLA TERTIA.

Explicatur quid spontanea sanguinis vacuatio conferat in morbis.

GRATIAS habeo tibi immortales, quod me tu, qui homo es omni literaturæ consultissimus, de medicinæ difficultatibus consulas: atque id mihi certè ex amore tribuas, quod tibi ex vero debetur. Intelligo interim, Aloysi, quàm tibi debeam, quàm mihi faueas, & quantum mihi tribuas: dicam tamen quid sentio, tibiq; si non rem ipsam, studium certè meum, atque voluntatem probabo. Ad rem venio. Si tuarum literarum argumentum percipio, desiderare mihi videris, ex me cognoscere, an sanguis ex vtero emanãs, aut in puerperio, an sine puerperio adueniente pleuritide venæ sectionem inhibeat

Verùm anteaquam de proposito argumẽto transigam, supponamus duplici de caussa in omnibus inflammationibus sanguinis missionẽ exerceri: primum sanè, vt cõfluentis sanguinis impetũ reuellamus: deinde, vt deriuemus, hoc est, vt vno eodemq; tramite incumbamus vacuationi, & reuulsioni: hoc enim proprium munus est deriuationis, vt diximus libris nostris huic tractationi dicatis, & in commentariis ad Galenum de ratione curandi permissionem sanguinis. Longè distant reuulsio, & deriuatio: nam illa vtimur pro sanguinis validiori impetu, ad contrarium subito, ac affatim retrahendo: Hęc verò pro vacuatione humorum, qui sunt in particula contenti, & pro leuiori motu compescendo: Quæ, vt dixi alio in opere à nobis exposita, hoc loco supponenda sunt, quamobrẽ vtero fluente, si pleuritide prehendatur mulier, considerandum, an ab ipso vtero fluxionis origo fuerit, an aliundè humores fluant, quandoquidem vbi fluxio accidat ex vtero, scopus est attrahere ad vterum fluentem sanguinem: sic enim fluxionis originem respicientes ad contrarium ducemus: quod igitur tunc menses fluant, pro summa gratia haberi debet. Contemplari ad hæc oportet modũ fluxionis: aut enim affatim fit, ac subito, aut lentè: simultanea vacuatio facta ex vtero proportione respondens fluxioni, ad membranas succingẽtem costas, negocium indicat naturæ committendum esse, neque innouandum aliquid. At verò lentam fluxionem adiuuabimus, quo ex ambobus vacuationibus naturali vna, altera artificiali, cõsequamur id, quod quęrimus. Etenim si in magno, & pręcipiti morbo cunctabimur, maxima imminerẽt pericula. Mittemus in casu sanguinem ex venis poplitis, aut malleoli, aut etiã scarificatis cruribus, si parum sanguinis subesse nouerimus & mulier albo colore, & molli carne, & alga modo tenera, venisq; fuerit exilibus prædita An autem hoc, an illud remedii genus sit exercẽdum, docebit rei natura, affectus præsertim magnitudo, & natura ægrotantis cũ aliis, quæ à nobis alibi dicta sunt.

Reuulsione, & deriuatione quando vtendũ

Fluentibus mẽsib quãdo conueniat venæ sectio & minus.

At si fluxionis origo non extiterit in vtero, non ita facilis erit casus: hunc ego extricare soleo, sic distinguens. Vel vterus eo tempore expurgationes affatim, subitoque molitur, vel tardas, ac lentas: Si primum, non mitterem sanguinem, spontanea vacuatione contentus. Nam vterus magnas habere venas, & arterias, quæ cum vniuerso corpori communicent, & maximũ cum thorace consensum habeant, sperandum hinc bonam reuulsionem fieri, quacunque tãdem in parte fluxionis extiterit origo. Non est autem eadem ratio, vbi ex consuetudine, vel etiam ex alia quapiam caussa pręternaturali vterus admodum lentè sanguinem vacuat. Etenim cum celeri quodam indigeamus auxilio, quo vehementia impetusque fluxionis arceatur, hoc autem segne admodum, ac tardum fit, vt illi minimè

minimè debeamus hoc onus committere: quamobrem tunc sanguis mittendus est. Quam igitur, inquies, venam tundemus? Ego sanè vnam quampiam ex superioribus eligerem: primum quia à fluxionis origine inferiores longiori distãt interuallo: neque possunt, nisi longioris tẽporis, quod quęrimus, optamusq́;, fluxionem remouere. Deinde verò cum incumbendum sit ei, quod magis vrget: magis autem, quinimo maxime vrgeat pleuritis: idcirco omni opera, ac diligentia enitendum est, ne phlegmon augeatur: quod fiet secta interiore vena cubiti, quam pro reuulsione conuenire iudicabimus: quod verò suppressis mensibus 10 aduenit incommodum (si fortè cõtingat) exiguum id quidem est, q; alio opportuniori tempore, atque etiam cum facilitate poterit emendari.

At si deriuationẽ desideramus, vbi vel à natura, vel ab arte præcesserit reuulsio, aut hanc etiam nõ postulauerit morbus, hoc vnum profiteor, siue vterus fluxerit, siue non fluxerit, aut etiam siue fuerit copiosè purgata, siue minus: tunc semper incidendam esse venam interiorem eius cubiti, qui affectam particulam proximè respicit: atque eousq; mittendum sanguinem, quousque mutatio illa coloris appareat, quam ab Hippocrate iam primum, dein à Galeno cõfirmatam nouisti. Nihil enim potest esse impedimento nobis, quin statim pleuritidi subueniamus ancipiti, affectu alioquin maximè periculoso. Nam si vestrum est id Medicorum decretum, in affectionibus complicatis iis potissimum debere nos 20 operam dare, quæ magis vrgent, aliis minimè neglectis, dubitationem aliquam habere non videtur, Aloysi, quin multo maiorem prouidentiam nos ipsi debeamus circa pleuritidem adhibere, quàm circa vteri purgamenta, præsertim cum postea prouocari possint, atque id incommodum, quod à misso sanguine fuit exortum, labore nullo resarciri, atque emendari. Hinc patet, quid ego ad propositas difficultates sigillatim respondeam. Ad primam dico, vrgente indicatione de ipsa reuulsione, vtero vehementer & affatim expurgante, siue caussa pleuritidis, origoque fluxionis in vtero constiterit, siue contra in superioribus adfuerit partibus, sanguinem non esse mittendum. Sed si lentè expurget vterus, 30 neque permaneat caussa fluxionis in vtero, sanguis quidem mittendus est, non ex inferioribus venis, sed ex iis, quæ secari solent in cubito. Ac eam eligendam putauerim, quæ originem fluxionis propius respiciens longè distauerit à particula plegmone obsessa. At vigente indicatione de ipsa deriuatione, quæcunque dies extiterit, modo validæ sint vires, opus est ex proxima vena, & vicina loco iam oblæso, ac recipienti mittere sanguinem ea quantitate, quæ fuerit pro abigendo morbo accomodata, siue parum, siue multum vterus fluxerit.

Nunc autem reliquum est, vt quãdo nonnihil de Galeni, & Ioannis Fernelii opinione tetigisti, vt de vtroque breuiter dicam quid sentiam, explicemque tibi pro mea consuetudine liberè, an cum Fernelio conueniam. Quod igitur ad Galenum pertinet, vnus mihi videtur præcipuus locus, qui possit ad hoc negocium 40 accommodari. Is autem est nono libro methodi medendi, dum ait: Sin sequatur necessario vacuatio quępiam, tantum ei de illo, quod superfluum est, relinquendum, quantum est per eam vacuandum. Itaque si tempore mittendi sanguinis menses mouere contigerit, siue etiã hæmorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis impetu ipse satis fore videbitur, qui solus, quod requirit, vacuet, naturæ rem omnem permittes: Sin minus, tantum ipse detrahes, quo ex coniũctis ambobus perficiatur, quod postulas.] Vides quomodo ex his verbis meam opinionem deduxerim: quoniam vbi fuerit sanguinis impetus segnis, ac lentus, morbus autem vehemens, reuulsionem postulat celerem, necesse est artem ipsam adiuuare naturam. Quamobrem cum fluentis impetus non satisfaciat, opus arte perficiun- 50 dum est. Contra vbi satisfecerit, naturæ arbitrio totum cõmittemus, si quę diximus, diligenter consideres, consona inuenies esse iis, quæ à Galeno dicta sunt.

Cap. 8.

Cæterùm, Io. Fernelius cum hoc vnum statuat, inflammationes partium, aliosq; affectus omnes qui supra iecur, & diaphragma consistunt, nihil aut minimum mitescere sanguine ex vtero, aut hæmorrhoide profluẽte] mihi certè non satisfacit, quoniam si phlegmone aliqua fit suppressis mensibus, aut quod ex

Fernelii opinionis impugnatio. v. Fol. p. 524.

hæmorroidibus retentus sanguis profluxione suggerat ad superiores partes materiam: nullum quidem excogitari potest (meo iudicio) certius, & præstantius auxilium, quàm sanguinis vacuatio ex inferioribus partibus: vel scarificatio crurum, vt præcepit Galenus. Sic enim, vt supra admonuimus, sanguine ad supernas partes agitato, ac ad suam originem fluxione retracta, reuulsionem facimus absolutam. Multò autem magis satisfacit idem author, dum libro secũdo methodi medendi ait: Itaque in pleuritide, in febre assidua, si sanguis abundantius ex vtero, ex hæmorroide, vel ex naribus dimanet, iustaq; sit vacuationis quantitas, ex qua æger satis leuetur, venam non incides. Sin autem paruus, aut languidus ex his locis profluant, morbusq; interim vehementius vrgeat, quod deficit, etiam si puerpera sit laborans, venæ sectione supplendum] hæc ille. Quæ sanè optimè conueniunt cum iis, quę à nobis excogitata sunt. Hæc habui, quæ circa propositas difficultates cõscriberem, in quibus tuum iudicium maximè desidero. Vale ex montibus Cingulanis 12. Februarii, 1571.

EIDEM.

Examinantur quædam propositiones cuiusdam Medici, de ratione purgandi, & de morbis deploratis.

EPISTOLA QVARTA.

DVM præteritis diebus responsionem ad tuas literas parabam, fuit mihi statim Cingulo discedendum, vt Iulio Augenio patruo acuta febre laboranti, quæ illum tandem occidit vndecima, opitularer, & quamuis nudius tertius fessus corpore animoq; redierim, duxi tamen accepto calamo satisfaciendum statim, vt cognosceres Aloysi, quanti te faciam. Scribis ortam fuisse discordiam inter te ipsum, & collegam tuum apud Aesinates Medicum, de recto, idoneoque tempore expurgandi: Tandem multis vltro citroque (vt fieri solet in eiuscemodi disputationibus) inter vos habitis, scripsit ille de re controuersa inter vos assertiones quasdam, de quibus meam audire sententiam desideras. Me non fugit Aloysi, quàm difficile sit inter amicos litigãtes iudicium interponere, cùm si vni faueas, amicum amittes: si neutri, veritatẽ occultas, quia vna veritas est. Tamen volui scribere ipsa in re quid sentiam, tua caussa libenter, sed libentissimè, vt veritatem aperiam, qua nihil est apud me carius, & antiquius. Verùm, vt quid sentiam, apertum fiat, positis primum illis ipsis aduersarii tui propositionibus, meam opinionem statim annectam. Illius igitur propositiones habẽt hoc modo. Prima, non solum in peracutis morbis, verùm etiam in acutis, & diuturnis, vacuatio in morbi principio tutior est, quàm in statu. Secunda in vno quoque morbo tum in cura regulari, tum coacta in principio vacuatio tutior, quàm in statu. Tertia in morbo desperato, nec in principio, nec in statu vlla tentanda est vacuatio, aut remedium. Quarta, in morbo salubri in principio tentanda est vacuatio, non in statu. Quinta in morbi principio materia peccante in quale, & existente furiosa, non est tentanda vacuatio, multò minus in statu.

Quod igitur ad primam pertinet, maiori ex parte in peracutis assentior morbis, quandoquidem rarum est, quin ii, vel à turgente materia, vel mobili, vel malignis, & pestiferis humoribus, vel à maxima succorum malorũ abundantia originem ducãt: in quibus vt eadem die medicari tutum est, sic periculosum est regrediendum... tardare. At vero in acutis morbis non item. Quoniam in his inchoantibus morbis mouẽdum est, si quid videtur mouẽdum: sed tunc potissimum videtur, cum sanguinis copia, vel fluor adest, aut mali succi turgeant, aut quomodolibet moueantur, in priori casu sanguis mittendus est euacuationis caussa, ob multitudinẽ, aut reuulsionis ergo, propter motum: in posteriori purgãdũ. haud enim paucа imminere solent pericula humoribus turgẽtibus: idem sit iudicium, cum humoribus minimè turgentibus eadem appareant incommoda. Rarus autem est, nec

nec frequens accidit casus, atque inter casus raros, multo frequẽtior accidit ratione vtriusque multitudinis, aut ratione motus: & hac de re Galenus secundo Aphorismorum dicebat. Sunt autem hæc maximè venę sectio, nõnunquam vero & purgatio. Nam in acutis passionibus rarò, & in principio medicamẽtis purgantibus vtendum, hocq; cum præmeditatione faciẽdum, quia expedit, vt plurimum concocta medicari & mouere, non cruda. Quoniam verò principium (quod attinet ad pręsentẽ disputationẽ) id esse definitur, in quo humores crudi sunt, fit quod rarò liceat purgare hoc tẽpore. In ipso statu concoctis humoribus, & à natura edomitis, euictisq;, si ex eorum numero non extiterit morbus, qui à
10 natura per crisim finiri debeat, à Medico mouendũ est. aut etiam si natura iudicauerit morbum, sed non perfecerit, adiuuare oportebit eam per conferentia loca. Tunc igitur in statu abstinendum à purgatione, cum natura perfecte iudicat, vt Senex hoc admonet oraculo. Quę iudicãtur, & iudicata sunt integrè, neq; mouere, neq; innouare aliquid, siue medicamẽtis, siue aliter irritãdo, sed sinendum] itaq; si purgationes tutiores, & fœliciores fiunt, cum naturam adiuuantem habemus, idq; contingit cum humores fuerint concocti & euicti: affirmamus vigente morbo, potissimũ in vltima illius parte tutiorẽ esse, quàm affectu inchoante, expurgationem. Audio quosdam, qui in principio cõcoctos esse humores prædicant, sed qua ducti ratione, aut qua illustris Medici authoritate confisi, id sentiant, ipsi viderint: ego enim id percipere non possum. Ergo qui semper
20 crudos humores à morborum principiis expurgandos esse iudicant, id quidem citrà præmeditationem faciunt: qui verò in diuturnis eandẽ medẽdi rationem insequuntur, non solũ faciunt sine præmeditatione, sed etiam, vt pro mea consuetudine liberè dicã quod sentio, veniunt nomine temeritatis arguendi, quia nos docet Hippocrates, in morbis longis semper oportere humores concoctos medicari, tantum abest, vt hoc ipsum conueniat, vt neq; etiã pręparantibus medicamentis, quæ incidant, detergantq; egregiè incipiente morbo vti conueniat: namq; præstat gradatim peruęnire à leuioribus ad validiora præsidia. Sic post primos dies redundante pituita vtendum oximelite: admonuit libro primo de ratione curandi ad Glauconem, atro autem humore, postquam ab initio mediocriter, & leuiter præparauimus ad ea, quæ calefaciunt, & insigniter exiccant, &
30 certis diebus concoctionisque indiciis pręcedentibus peruenimus, atque ita expurgamus. Quicunque enim aut ab initio aliquod ex iis medicamentis exhibuerũt, aut omnino ante statum difficiliores grauioresq; morbos reddiderunt. Noui autẽ Medicũ (inquit Galenus) qui ausus est homini, qui simplici quartana laborabat, medicamẽ ex viperis exhibere, quando nondũ in statu esset morbus: dein autem, vt par est, auctis omnibus, febris continua subsecuta hominem occidit.

Accedo ad secundæ propositionis examen, si ad ipsius naturæ imitationẽ instituta est, excultaque Medicina, videre nequeo, quomodo expurgandi ratio, quæ fit crudis humoribus existentibus Methodica, & regularis (coactam enim
40 excipio, quia difficultatem non habet) tutior sit illa, quæ post humorum coctionẽ celebrari solet. Recordor enim nostrum Hippocratem dixisse: inchoantibus morbis, si bilis atra, siue supra siue infra exierit, lethale.] Galenumq; sententiam interpretantem hæc literis cõmendasse. Quãdo aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tum excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia hæc casus præter naturam earum, quæ sunt in corpore dispositionum: quo enim tempore à caussis quidem morbum facientibus natura grauatur: adest autem humorum cruditas, tũc aliquid bene vacuari est impossibile: igitur, si atra bilis, & alius om-
50 nis eiuscemodi humor sine signis coctionis excernatur, exitialis est casus. Quare cum in morbi principio semper sint cruditates, mala est tum instituente arte, tum natura talium humorum vacuatio.

Tertiam non simpliciter admitto. Equidẽ rectè admonuit Galenus deploratos prognosticis relinquendos esse, ne illa præsidia, quæ plurimos adiuuarunt, paruipendantur. Sententiam ego sic interpretari soleo. Morbus deploratus, vel

re ipsa talis est, vel cum talis non sit, sensus tamen iudicio ab optimo Medico talis iudicatur: in priori vtendum sola prædictione: in posteriori autem nulla remedia tentanda non sunt, vt opera ipsius artis sanati, viis videãtur omnibus admiranda: quæ res contingit mihi diebus preteritis, quibus hominem in religiosorum manibus commissum, & iam iam moriturum, iudicio non modo vulgarium, sed docti cuisdam Medici magna sanè artis admiratione persanaui: cæterum, quos dicam sensus iudicio deploratos, alibi dicam.

Audias nunc, quid mihi in quarta displiceat, si per morbum in quo speratur salus, intelligit toto genere salubrem. Thesis ipsa multis peccat nominibus: primum quidem quoniam fieri potest, vt nullo horum morborũ tempore expurgatio conueniat, cum ipsa natura materiam, aut ad pristinam suam bonitatẽ reducat, aut si id fieri nequeat, saltẽ edomitã, & concoctã expurget. Deinde, quia si purgatio adhibenda est, hanc in salubri affectu nunquã, nisi materia concocta adhibebimus. Adde preterea, ꝙ salubres etiam sunt morbi, qui citra humorũ affluxũ fiunt, in quibus indicatio purgationis non adest: sed semper iis alterationẽ contrariis qualitatibus adhibemus. At si audiat grauem & ancipitem morbum, in quo tamẽ suo tẽpore adhibitis auxiliis operatur salus, dicimus non satisfacere positionem: quoniã in his tutũ est, vt plurimum expurgare materiã concoctam, nunquã autẽ crudã, quia in salubri morbo nulla imminent pericula, neq; turget materia: quod si hoc accidat, vt prædiximus, inchoantibus morbis purgandum.

Cæterum, vt de postrema breuiter dicam quid sentiam, falsum est, & inconsiderantię plenum, quod humores qualitate peccantes nullo sint morbi tempore purgandi, quoniam purgatio, sic Galeno, & communi vsu attestante, humorum est sua qualitate peccantium vacuatio: hoc ipsum tanquã axioma est, quod subuertere non licet: Audio hic nouam quandam opinionem, & irrationabile paradoxum in surgere, quod per materiam peccantem in quali intelligere humorem debemus primis qualitatibus peccantem, quibus debetur alteratio, non purgatio. Duplex hic adest error. primus quod ea voce audire cacochimiã semper antiquiores consueuerãt, quorum decretum subuertere perinde est, ac nouam medicinam condere. Secundus est, quod vbi humores qualitatibus offendunt, quod etiam purgatio salubris est: nam vt qualitas alterationes corrigitur, sic humoris copia purgatione tollitur. Vale.

PETRO POLLASTRO SPOLETANO.

Agitur de bile æruginosa, de duplici cruditate, de febre acuta: An semper in pleuritide dolor sit necessarius, de Theriacæ vsu in morbis acutis, de mißione sanguinis in morbo Gallico.

EPISTOLA QVINTA.

MVLTA sunt, PETRE, quæ ad te amandum iam pridem impulerũt: vnum, quod te non modo medicam artem profiteri, sed in ea plurimum profecisse animaduerti: à natura enim institutum est; vt fit.

Ὁμοιότης τῆς φιλότητος μητήρ.

atque, vt inquit apud Plutarchum senarius antiquus.

Γέρων γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει
Ταῖς παισὶ καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή,
Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξία.
Ληφθεὶς ἐπῳδός ἐστι τῷ πειρωμένῳ.

Alterum verò, ꝙ ex eo natus es patre, cui ego plurimum debeo, quia cum olim Camerini cum Sebastiano Augenio fratre medicinam facerem, vix dici potest, quantũ in me officiosus fuerit. hoc certè ausim proferre, ꝙ si tu, qui tunc eras admodum puer, eius in me animi propensionem iudicasses, equidẽ perspexisses, vix aliquam inter me, propriosq; filios fecisse differentiam: Decet igitur me iam senescentem, amore te ipsum prosequi mutuo, ne videar erga illũ ingratus. Deinde verò cum nouerim te cũ doctrina mores coniunxisse cãdidissimos

(quod

(quod desiderare infœlici hoc seculo licebit, sed consequi certè non facile fuerit) neque id ego solus, sed Tolẽtinates etiam nouerint, eo potissimum tempore, quo mihi Romam proficiscẽti, tu meas in ciuitate partes egisti, maxima amoris erga te mei accessio facta est. Quamobrẽ tibi persuadeto, esse mihi carissimum, & fore in dies cariorem, si quemadmodum occepisti, eandem insequaris viam: habebis autem me senem in Piceno, & vbicunque fuerim; de quo haud secus, ac de Valerio parente omnia possis polliceri, sed tamen illud etiam, atq; etiam debes cauere, tum ne mihi nimis tribuas, aut à me quicquam petas, quod præstare non possim: illud enim te nimio amore deceptum significaret, hoc autem fortasse importunum; Ego certè dum tibi satisfacere conabor, si id nõ assequar, venia dignus reputabor, non sponte, sed tua caussa scribens.

Quantum igitur ad primum pertinet, quod iuquiris, sciendum est, varias esse præternaturalis bilis differentias, inter quas hæ quattuor potissimum recensentur, Porracea, Aeruginosa, Cærulea, Atra. quæ distant colore, & qualitate. Porracea enim porri colorem refert: Aeruginosa herbarũ: Cærulea verò glasti effigiem habet, idest viridem quendam obscurũ: Atra verò nigra est: hæc omnium calidissima, atque deterrima: huic proxima ἰσατιδής: hanc sequitur ἰώδης herbacea, & viridis: qua minus calida est porracea, πρασοειδής Grçcis dicta. Alimenta quædam mali succi eiuscemodi biles generant, cuius generis censentur allium, porrum, cæpa, nasturtium, ac sinapi maximè eorum folia: dum enim à ventre superari nequeunt, neque in chylum transmutantur, ac suum magna ex parte retinẽt calorem: primũ ex illis gignitur porracea, quç si diu hçreat infixa, & commoretur, præexistente ventris incẽdio, in çruginosam fit transmutatio: hæc demum in eam, quæ glasti colore tincta apparet, minus quidem viridis, quam superiores, sed tamen illis deterior, quanto propius ad nigrum colorem accedit. Gignuntur & hæc genera nonnuquã in venis, ac iecinore, idq; per morbos graues, & ardentissimos, qui vehementi caloris incendio bilem vitellinam exurunt & in hæc genera deducunt, prorsus quidẽ pernitiosa, & exitialia, ex his demum summè vstis fit atra bilis, eaq; est omnium humorum deterrima. Percipere potes ex iis, quæ diximus, æruginosæ bilis colorem viridem esse, ac herbaceum, & non præseferre colorem rubiginis ferri: vt illi tecum disputantes Medici perperã cõtẽdebãt, quos certe in hac re fuisse deceptos ꝓfiteor. Nemo enim est, q̃ nesciat, sic sentiendum esse secundum Galeni decreta, si tamen illos duntaxat excipias. verum quo hæc euadant clariora, non grauabor afferre quçdam ex prognosticis Hippocratis. is quidem ait: Valde tamẽ aquosum, vel album, vel chlorum, vel vehementer rubrum, vel spumosum deiicere, omnia hæc mala sunt] Galenus vocem hãc, chlorum, explicans inquit: Porro ad modum chlorũ idest viridis, aut crocea (id enim vtrouis modo vertas licebit) quia gemina significat, vt antea dictum iam est, in altera significatione bilis croceæ copiam permistam esse, in altera æruginosæ significabit] & in sequenti commẽtario. si verò ait subviridis sit, de çruginosa bile (id enim vt antea dictum est secundum voculã chlori, idest viridis, aut croceæ significatum est) vehementis consumptionis indicium est.] Adnotandum, Græcam hanc vocem χλωρόν] latinè exprimi non posse: quia Latina haud extat vox, quç simul significet nobis çruginosum siue viridem colorem; & pallidum siue croceum: habere antem promiscuam hanc significationem Galeni verba testantur superius posita: atq; adhæc quæ in cõmentariis de popularibus morbis significauit his verbis. Videmus enim etiamnũ hac tempestate, vt in Co ipsa Hippocratis patria, ita & in tota nostra Asia viridia quidem appellari olera, & arbores, & stirpes, veluti χλοερὰ idest herbida, & pecudes Græci χλωνείζιν dicunt, quod significet herbis verno tempore vesci. Dicunt quidem & homines quosdam virides, non quod herbç similem quidem colorẽ habeant, sed potius pallidum Incertum est igitur vtrum Hippocrates subpallidum colorem viridem, atque herbaceum dixerit, quod permultis accidere conspicitur: an herbæ coloris similem, quod valdè rarò accidisse visum est] hçc ille. ac rursus in prognosticis. Sæpenumero dictũ iam est, vt chlorũ (id enim vertimus viride)

2. prognost. 20. & 21. comment.

9. epid sec. 3 com 18.

2. prorre. 47. & 3. prorret. 7.

2. de rat. vict. acu. cōment. 22.

de croceo dicere solitum sit, & item de eo, quod à nonnullis vocatur æruginosum. Hæc manifestum faciunt, quàm aberrauerint, qui bilem æruginosam dixere similem rubigini ferri; cum sit similis herbæ & ærugini æris. Collige etiam alium errorem, quod putauerint semper exitialem esse casum, vbi porracea bilis apparuerit, nulla caussarum, à quibus concitari solet, adhibita distinctione: ego certè æruginosam nondum obseruaui sanitatis tempore excretam; sed porraceam sine aliquo prorsus incommodo benè valentibus excretam vidi: quod Galenus testatur dum ait: nullam porrò ex his omnibus porracea excepta, nisi in corpore admodum ægrotante excerni videmus: flaua verò, pallida, & porracea valentibus etiam nobis uomuntur sæpenumero, ac deiiciuntur] quam rē quotidiana experientia facit apertissimam in pueris lactantibus. 10

Duplicem esse cruditatem.

Cruditas duplex. v. pag: 17.

Circa cruditatem ipsam nodum in scirpo quærere videntur mihi, quinimo, vt rectius dicam, prima ferè artis nostræ ignorare principia, qui cruditatem à caliditate modum excedente fieri negarunt: Nam quorsum attinet hoc inquirere Medicis rationalibus? quorum hoc decretum est, omnem immoderatam discrasiam actum euertere propriæ virtutis? si concoctio à temperato fit calido secundum propriam naturam concoquentis, cur dicemus fieri cruditatem à diminuto solum calore, minime autem ab eo, qui modum excedit proprię temperaturæ? vtriusq; signa sunt euidentia. illius, quod acidi ructus apparent frigiditatem significantes: huius autem, quòd fumosæ exhalationes, ac nidorosæ conspiciuntur? de quibus Galenum passim locutum fuisse in methodi septimo, ac alibi adeò certum est, vt me ipsum pudeat in re manifestissima tēpus conterere. 20

Febris acuta duo complectitur, vt (iam ad tertii problematis explanationem veniam) vnum velocem motum, alterum verò periculum: quandoquidem hæc duo constituunt naturam acuti morbi, quatenus propriè acutus est. Nec ab re diximus propriè: quia acuti quidam sunt morbi ex dimidio tales: qui scilicet celeriter mouentur, ac ad finem properant citra magnitudinem, & periculum, de quibus infra. Primum extitisse Archigenem, sciendum est, qui naturam acuti morbi expressit, vt Galenus in libris de diebus decretoriis manifestum facit his verbis. Acutum morbum Archigenes hunc esse ait; cui motus velox est, & subita adueniunt pericula.] Et Galenus huic assentitur eodem libro, & in aphorismis dicens: Acuti morbi pręter id, quod celeriter iudicantur, statim magnitudinem habent.] Adnotabis hoc loco, Petre, Acutorum morborum ordinem esse duplicem: nam aliquando carent febre vt cholera, conuulsio, distentio, apoplexia, ac si qui sunt eius generis alii. Hi non sunt propriè acuti morbi, sed communi quadam appellatione, vt Galenus significauit, dum inquit; Verū ipsi propositū est in prænotionibus de his, qui propriè acuti nominantur, facere sermonem: sunt autem tales, qui omnino cum febribus continuis fiunt, velut ipse in libro de victu acutorum ostendit, sic scribens: Sunt itaque hi acuti, quales veteres nominauerunt, pleuritim, peripneumoniam, & phrenitim, & caussum siue febrem æstuantem, & alii quicunq; his consimiles, quorum febres omnino sunt continentes] opus est igitur, vt morbus acutus habeat velocem motum, inferat periculum, sitq; cum febre continua, & hic propriè dicitur acutus. Qui non habet febrem continuam, non est propriè acutus, quamuis alias duas conditiones fuerit sortitus. Porrò, quibus desunt conditiones, quæ febris continua, & periculum, multo minus erunt acuti morbi, quamuis cōmuniori quadā appellatione acuti nuncupari possint. Reuertamur modo ad febrem acutam, in quā diximus duo adesse cōpletiua illius essentiæ, motus scilicet velocem, & ex velocitate motus periculum adueniens: hic non oportet meminisse febris continuæ, quoniam febrium intermittentium etsi quædam habeant velocem motum, nulla tamen habet periculum: etenim rectè admodum dicebat bonus Senex, vt ferè omnia, quocunq; intermiserint, periculo vacant] hæc igitur conditio potestate cōtinetur, includiturq; in superioribus. Quomodo igitur quispiam tertianam exquisitam, tutissimam, & omnino intermittentem nuncupare poterit propriè acutum morbū? scio quid hic dicat Altimarus, & alii pro eius defensione cōmentati sunt: sed 30 40 50

2. aph. 19.

3. de def. re. 3

3. De ra. vic. acut. 8. tex.

Febres intermittētes vacant periculo.

ſed nihil concludere teſtatur, quæ ſcripſimus in libris de febribus, in quibus ab-
ſurditatem opinionis huius manifeſtam fecimus, quamuis alii etiam antea id fa-
cere diligenter tentauerint. Quod vero Galenus acuto morbo non ſemel oppo-
nat diuturnum, potiſſimum libro primo de ratione curandi ad Glauconem, id
quidem nihil concludit contra ea, quæ iam determinauimus, quia non loquitur
ſecundum propriam ſignificationem, ſed communiori quadam appellatione
vſus eſt, quatenus acutus morbus ſignificat eũ, qui breui tẽpore ſua tranſigit tẽ-
pora, qua notitione vſi ephemeram febrem nuncupabimus etiam acutum affe-
ctum, ſimul cum tertiana exquiſita, ſed de hoc argumento ſatis plura leges in ali-
is lucubrationibus noſtris.

Acuto morbo quo diuturnus opponatur.

Quarto loco diſcutiendum proponis, an ſine dolore pleuritis aliquando con-
ſiſtat, quæſtioni reſpondens dico, quod aliquando pleuritis adeſt, ægroto dolo-
rem non percipiente. Pro notitia huius rei animaduertere oportet, quaſdam cõ-
ditiones requiri, ſine quibus dolor non fit: vna eſt, quod obiectum ſenſibile ſu-
bito, & affatim agat in ſenſorium: quæ enim ſuauiter agunt, & paulatim iucũda
cum ſint, & voluptuoſa, dolorẽ inferre nõ poſſunt, vt cum Platone dicebat Ga-
lenus: idcirco recte admonuit, quod fiunt dolores ab iis, quæ alterant, corrum-
puntque naturam. Altera conditio eſt, vt pars, quę dolore affici debet, ſenſu prę-
dita ſit: ſi enim agens in aliquodpiam ageret inſenſibile vt lignum, aut lapidem,
vt ſenſus nullus fieret, ſic neque aliquis poſſet dolor proficiſci. Adhæc vero opus
eſt, vt facultas, quæ debet percipere obiectum agens (eſt enim dolor perceptio
rei moleſtantis ſenſum) benè ſe habeat ad ſenſationem percipiendam: tunc autẽ
benè ſeſe habere dicetur, cum fuerit valida, aut certe non erit ad extremum de-
bilis, ac etiam, cum non fuerit intentata alio operi: tandem cum nullum adfuerit
impedimentum, quo ſenſatio percipi non poſſit: hæc ſi vera ſunt, quæ tanquam
veriſſima non modo à Galeno dicta ſunt, ſed etiam ab omnibus Medicis confir-
mata, patere iam cauſſa poteſt, ob quam contingat adeſſe pleuritidem ſine ali-
quo ſenſu doloris. Porrò multiplicem fore hanc dico cauſſam: vna eſt ratione fa-
cultatis perceptiuę, de qua illud Hippocratis intelligendum eſt. Quicunque do-
lentes parte aliqua corporis dolorem nõ ſentiunt, iis mens ægrotat] ſenſus apho-
riſmi eſt, quod qui habent cauſſam, ob quam neceſſario affici dolore deberent,
vel etiam antea afficiebantur moleſtia, nunc vero eadem præſente, non per-
cipiunt dolorem, ægrotare mentem ſignificat. Etenim à cerebri facultatibus
animalibus (quas communiori voce mentem ille vocauit) vis ſenſitiua profici-
ſcitur, quæ cum non tranſmittitur ad eum locum, in quo dolor exercebat, dolor
deſit. Videmus quod qui attente aliquid agunt, aut meditantur, quę illis ob ocu-
los offeruntur, obiecta non percipiunt: ſic ſi pleuritide læſus in phrenetidem in-
cidat, coſtarum pungitiuum dolorem non percipiet, quo prius plurimum labo-
rabat. Alia cauſſa eſt cum obiectum ſenſibile ſenſim agit: pone in membrana
ſubcingente paulatim pituitoſum excrementum cumulari, hunc putrefieri, ade-
rit inflãmatio ſine dolore ſaltem aliquo tempore: de qua re audire Galenum ex-
pedit, ſic ſcribentem. Quocirca Plato iterum dixit, quod paſſio violenter præ-
terque naturam ſimul tota confertim adacta doloroſa fit: Rurſus quæ in naturã
confertim, & abunde reuertitur, ſuauis, iucundaque eſt.] Inquies autẽ fortaſſe,
ex propoſito caſu fieri non poſſe pleuritidem: hæc enim ex fluxione oritur, non
autem ex congeſtione paulatina: Hic dicam, primum, ſi admiſerimus tumorem
adeſſe præter naturam, qui in abſceſſum aliquãdo vertatur: affectum à loco ſem-
per pleutiridem nuncupabimus, licet non exactam. mox dato, pleuritidem o-
mnem à fluxione cõcitari, ſupponamus cũ magna copia pituitæ paulatim conge-
ſtæ, exiguam portionem fluere bilis præbentis aditum: ac vbi effluere deſierit,
fieri abſceſſum, certiſſimum eſt in aliquo tempore pleuritidem eſſe citra dolorẽ.
Hunc caſum de abſceſſu, & de materia non amplius fluente, iam permutata mẽ-
bri temperatura videtur mihi animaduertiſſe Galenus dum ait: Qui verò circa
coſtas abſceſſus colliguntur, hi in capacitatem erumpunt pectoris, ac muſculorũ
quidem abſceſſus ſub cutem, viſcerum verò arterias, & venas, quas in ſe conti-

Pleuritis ſine dolore lateris.

2. de. lo. af. 2

Pleuritis multis de cauſſis ſine dolore.

2. Aphor.

Lib. de trẽmore cap. 6.

Lib. de inæquali intemperie, cap. 3.

nent, vel in membranam, qua operiuntur, quæ ipsis pro cute est: at si victæ à fluxione particulæ fuerint, in tantam deuenient intemperiem, vnde tum earum pereat actio, tum ipsæ spatio corrumpantur: porrò desinent tum primum dolere, quum mutatrici qualitati fuerint assimilatæ] est autem admodum frequens hic casus, & quotidiana experientia cõfirmatus: quia videmus in dies tumores in abscessum terminatos dolorem non facere: de qua re scripsit etiam Hippocrates diligenter in primo libro prędiction. capite huic tractationi dicato. Addamus his aliam caussam non minus frequentem, cuius meminit Galenus in loco iam citato. Nempe cum pars phlegmone aut abscessu affecta corrumpitur: iam enim prorsus mutata natura membri ipsius extinctoque calore, sine quo nõ fit sensus, dolor omnis cessat. Hoc frequentissime accidit in pleuritide maligna, & pestilenti, in qua est humorũ fluxio adeo ingẽs, vt carnem subiectam corrumpat omnino sphacelo, & cancrena iam genita. Dolent primis diebus nondum extincto sensu, mox cessat dolor, & in quibusdam adueniente delirio, in quibusdam mẽte optimè constantibus ægris, mors aduenit in sexta, aut octaua, rari quidem vndecimam transeunt. Neque mirum est, si ex pleuritide fit sphacelus: quia cum tumor sit pręter naturam à sanguine genitus abundantiori, vt videmus in extrinsecis tumoribus contingere, sic profecto in internis contingere omnino admittendum est. Ob has igitur caussas potest adesse pleuritis aut tumor præter naturam in membrana subcingente costas, aliquando ipso dolore nullum negocium faciente. Aduertas tamen, duplicem fieri posse considerationem pleuritidis, vnam scilicet dum fit, ipsa scilicet fluxione vrgente: Aliam, postquam iam facta est fluxio: in priori casu dicendum sine dolore nullam adesse pleuritidem, & hac ratione intelligendos esse authores, quando dicunt dolorem signum esse quod nunquam ab hoc morbo separari potest. Alia vero ratione non est inconueniens, nonnunquam inueniri ægrum non dolentem. Dicere etiam possumus quod loquantur authores de pleuritide nullo alio affectu concomitãte, aut subsequente: quia si non fit phrenitis ex pleuritide, si solida substantia non corrumpitur, si abscessus non fit, durante pleuritide exquisita dolor adest: sed parum laboro, quomodocunque aliorum sententiam interpreteris, quia hoc vnum compertum est mihi rem habere, vt scripsi.

Tumores in abscessum terminatos sine dolore

Sphacelus ex pleuritide genitus.

Explanatio quo dolor semper sit in pleuritide.

Theriaca ã conueniat acutis morbis

Theriaces antidotum potest conuenire acutis morbis, potest non conuenire: vtrunque verum esse diuersorum respectu breuiter explicabo. Acutis in febribus non pestilentibus abstinendum (nisi quædam curandi rationem optima methodo stabilitam subuertere conentur) cum enim à calidissimis excrementis ducant originem, hocq; sit apprime calidum præsidium, merito quidem prætermittendum. At in pestiferis aliud omnino statuendnm: in his ingens adest humiditas: hanc corrigit Theriaces antidotum siccitate: adest putredo summa, quinimo, vt rectius loquar, corruptio: hanc emendat pharmacum ex viperis, quod est vt ignis quidam purgatorius contra pestilentem, malignamque constitutionem. Pestilentes statim substantiam cordis labefactant: antidotus virium nostrarum essentiæ adeo quidem efficaciter iacturam omnem reparat, vt nihil ferè magis. Sed caue ne malorum Medicorum consuetudine sine pręmeditatione id facias: idcirco hasce opus est tenere præceptiones. Prima quod in calidis, siccisque constitutionibus aeris, in temperamentis eiuscemodi, atque in humoribus, & regionibus similibus non exhibeas: postulante tamen necessitate id obserues, vt ante quod ego libro de præseruatione à pestilenti febre admonui. Secunda, vt ante quod humorum præparationem, & diligentem purgationem non vtaris; atque quod magis ex ratione videbitur institutum, non des antidotum, nisi declinante morbo. Quod si coactus fueris ordinem subuertere, memineris eorum, quæ à me conscripta sunt libro de ratione curandi pestiferas febres. Interim admoneto pauci iudicii Medicum, qui in acutis exhibet, vt diligenter legat, quæ à Galeno scripta sunt, tum libro de ratione curandi ad Glauconem, agente de curatione febris quartanæ: tum libro de Theriaca ad Pisonem: inueniet enim sese in maximo fuisse errore constitutum.

Regulæ in exhibenda Theriaca.

Cap. 12.

Proponis

Proponis adhæc sexto loco, an semper conueniat in morbo Gallico sanguinē mittere. Respondeo si adfuerint ea, à quibus vera indicatio de sanguinis missione desumitur, quod non modo in hoc ipso affectu, sed in aliis etiam omnibus venam incidere conueniet, ac iis absentibus, prorsus abstinendum. qualia sint indicantia non explico, quia libro de sanguinis missione secundo, & in cōmentariis ad Galeni tractationem sum omnia diligenter prosecutus: Verùm difficultas est apud me haud parua, ex qua vena debeamus vacuare sanguinem: Omnes, qui de hoc argumento scripserunt, in eam veniunt opinionem, vt putent ex interiore dextri cubiti venę vacuationem faciundam; cum putent hepar basim esse luis huius, ac fundamentum. Ego autem, vt hoc illis admittam controuersiatum plenum, vt in tractatione de morbo gallico demonstraui, arbitror tutum non esse eandem venam semper tūdere: audias quæso distinctionem, & memoriæ commendato. Gallicus affectus, aut iam vniuersum obsedit corpus, aut in hepate incipiens (id pono, ne videar in aliorum fundamentis non conuenire, quæ hic alioquin subuertimus medendi rationem docentes) à valida virtute ad infimas partes, potissimum ad ipsas adenes, inguina, & vocata emunctoria transmittitur. Si totum corpus inuaserit, ex dextro cubito vacuato sanguinem: si vero in ipsis inguinibus malum transmissum fuerit, cane peius & angue, vt est in prouerbio, euitanda est eiuscemodi venæ sectio: primum, quia natura opus imitandum est, non subuertendum, quod faceremus, si ipsa deorsum pellente, nos sursum traheremus, mox quia non licet virus, aut materiam ab hepate transmissam ad emūctoria reuellere, ad eumque trahere locum, à quo expulsa fuerat: idcirco vbi eiuscemodi contigerit casus, tundere iubeto venas malleoli, aut poplitis, quod erit saluberrimum: Caueto purgationes per vomitum: abstineto à suffumigiis ab vnguētis, ac etiam à ligno guaiaci, aut salsæ pariliæ, aut radicis chinarum decocto: corpus frequenter per inferiorem aluum purgato, viscera corroborato naturalia, atque, quo ad eius fieri poterit, diligenter attrahito ad infimas, ignobilesque particulas. Hic ego non explico, qua ratione cognoscere debeamus, si lues venerea per vniuersum corporis habitum firmas radices egerit, nec ne, quia arbitror hoc tibi notissimum, dein verò, quia certè nimis longum esset negotium, quod epistolæ rationem excederet. Vale, & me, quod facis, ama.

De vena sectione in morbo Gallico.

Vena quæ secanda in morbo Gallico.

Nota hanc methodum.

EIDEM.

Explanatur sententia Hippocratis de missione sanguinis sub lingua pro anginæ curatione. Damnatur venæ sectio euentatiua. De sanguinis corruptione quadam.

EPISTOLA SEXTA.

NON potui, cum meas ad te darem nudiustertius, omnia explicare, atque quod dici solet, ad viuum resecare, quę desiderabas: ægrotorum enim multitudo maximè vrgebat: egoque maximè defessus eram. Hodie igitur satisfaciā: Scribebat dubitationem tibi facere Hippocratis verba (aut quisquis author is fuerit libri quarti de ratione victus in morbis acutis) de angina, quæ sic habent. sanguinem ergo ex brachiis detrahes, mox venas, quę sub lingua sunt, secabis] in quibus admonet, vt statim secemus venas sub lingua post vacuationem ex cubito factā. At Galenus libro de ratione curandi, per missionē sanguinis vult id ipsū fieri debere transacto principio anginæ, humorib. scilicet, aut non fluentib. aut admodum lentè: verba sic habent. Quocirca quæ in gutture, & arteria graui torquentur inflammatione, in principio quidem aperta in cubito vena; post principium autem in ipsa lingua magnifice prodest, incisis videlicet venis, quæ in ipsa sunt, ambabus.] Dico, vtrunque habere veritatem posse, nam author libri quarti de victus ratione supponit, transiisse principium inflammationis, post sanguinis

Venæ sectio sub lingua in angina quo fieri debeat tempore.

missionem ex cubitu factam. Sed res acri iudicio extimanda est. cauere enim oportet, ne intempestiuè sanguine misso sub lingua, maiorē ad locum fluxionem concitemus: pariter etiam cauendum, ne hac prętermissa, sinamus ægrum à sanguinis multitudine suffocari: vtrunq; vitari periculum docebit fluxionis impetus, nam vbi ingens fuerit, & congruam pro vacuatione totius, pro reuulsione humorum fluentium ex cubito bis, ter, ac etiam si oportuerit quater effeceris, eodem die interpositis quibusdam horis, in quibus quiescendum est (quia non est semper in retrahentibus pręsidiis permanendum, sed aliquid tempus vacans interponere oportet, vt succum, qui inhæserit in affecto loco excerni permittamus) ambas venas sub lingua apparentes secato. Verum si tam ingens non fuerit fluentium humorum impetus, optimum fuerit antea quàm locales aperiamus venas, non solū aperire maiores in cubito, & quę de reuulsione in alio opere admonuimus, obseruare, sed etiam vniuersum tum validioribus clismatis, frictionibus, & deligaturis purgatum reddere: sic enim omnia fuerint in tuto constituta.

Gal. verba 6. epid. sec. 2. com. 8.

Sunt qui sanguinis missionem admittāt nullo vacuationis, reuulsionis, ac deriuationis vsu existente in corpore, sed solum, vt intemperies hepatis calida refrigeretur, vtq; humores calidi, & sicci contemperentur: obstructioq; tollatur: hanc vacuationem vocant euentatiuam, atque idcirco, cum huius ipsius non meminerim in libris de venæ sectione iampridem editis, quosdam audiuisse te scribis id mihi ipsum vitio vertentes. Sed sanè quid alii sentiant de lucubrationibus meis non curo, quoniam scio maiorē ferè partem ad maledicendum potius cōparatam, quàm quod labores, vigiliasq; studiosorum hominum, boni, & ęqui consulant: id erit semper mihi iucundissimum scire, quod pauci, & probatissimi iudicarunt me in ea de sanguinis missione operam, & oleum, vt in prouerbio est, non amisisse lucubratione. Venio ad rem, vt satisfaciam tibi. Omisi Petre euentatiuam sectionem, quia hanc nihil indicat, quia huius nunquam Galenus meminit, & quia si forte necessariam iudicemus, in iis quæ libro secundo eius tractationis diximus, potestate continetur. Intemperies calida, vt eius generis humores, quatenus calidi sunt, solam alterationem volunt, atque per se indicant. Venæ sectio vacuatio quædam existit; immo dicitur vacuatio simpliciter. Alioquin si intemperies hanc postulat, cur hanc in simplici hepatis intemperie non admittunt? cur non in omnibus febribus ephemeris? cur prætermittunt in febre hectica calido, siccoque totius affectu? Vide quomodo naturam indicationum peruertunt, Quod indicat, semper indicat pro natura sua, aut vnum, aut multiplex, prout fuerit natura eius, quod indicat simplex, aut composita. Sed quis aliquando fuit tam pauci iudicii Medicus, qui statuat ab intemperie per se indicari vacuationem? Puerilia sunt hæc, & indigna, vt audiātur. Quòd verò attinet ad Galenum, vbi quæso aliquando huius meminit: cur vitio dabitur mihi, si ad illius imitationem prætermiserim. Dicunt fortasse refrigerari corporis habitum haud semel dixisse, id vltro fateor, sed non per se, verum ex aliquo accidenti vacuatis humoribus calidis, nempè sanguine, & iis, qui ab huius natura non distant: Hæc sunt decreta Galeni. Multitudinem sanguinis missione vacuandam: sanguinis motum reuulsione, & deriuatione emendādum: succos malos, siue calidi fuerint, siue frigidi purgantibus indigere medicamentis. hinc semper admonuit, considerandum, an humores quantitate, an qualitate faciant negotium, illis opponit sectionem venarum: his pharmaca purgantia neque aliter loquentem inuenies Galenū. Falsum est insuper, quod omnis missio sanguins refrigeret, quoniam quæ rectè instituitur, refrigerat illa quidem: at non omnis eiuscemodi effectum facit, cum aliquando excalefaciat, vt demonstrauimus libro tertio de missione sanguinis. Adhæc falsum est, venas pertundere, vt obstructio tollatur, quia quędam obstructio curatur missione sanguinis, vt quę fit à plenitudine, vel à caussis cum plenitudine cōnexis: quædam alia postulat remedia, quemadmodum ea quam visciditas cōmittit, aut crassities humorum, nā detergentia, & incidentia desiderat, non vacuantia: sunt hæc axiomata medicinalia, quæ

Euentatiua vena sectio quomodo est admittenda

Intēperiem non indicare vacuationem.

Vena sectio quomodo refrigeret.

Vena sectio non semper refrigerat.

quæ à Galeno passim in methodo medẽdi, libro ad Glauconem, & de phlebotomia explanantur: nemoq; hactenus fuit, aut ex Græcorum, aut Latinorum, aut Arabum familia, qui subuertere conatus fuerit. Sic ego sentio de venæ sectione euentatiua.

Ad hæc verò dubitationem tibi faciunt, quæ scripsimus in libro de præseruatione à pestilentia; dicentes caussam proximam, & essentialem esse corruptionẽ substantiarum internarum nostri corporis; corruptionemque affectum esse, qui non possit, neque artis, neque naturæ beneficio in pristinam bonitatem restitui. Dicis primum omnes in pestilentiis interituros, quodq; frustra à Medicis tractaretur modus curandi pestilentiã. Deinde quod videar Galeno contrarius, qui libro aduersus Iulianum dicit, corruptionem sanguinis à Medico curari non posse. His breuiter ego respondens dico, substantiam corruptam non posse amplius instaurari, at quæ corrumpi debet, impedire potest, ne affectũ recipiat. Præcepta Medicorum sunt optima ratione instituta, quia docent modum remouẽdi è corpore substantias hasce corruptas; & præseruãdi, quæ sanę sunt. Galenus non habet quicquam contra nos, quia dato casu, totum, & vbique corruptum esse sanguinem, æruginosumque factum, nullus est medicinæ locus: at si pars sanguinis eiuscemodi fuerit, nec vbique malum educet, purgabitque Medicus, & de cęterò operam dabit egregriam, vt bonus conseruetur. Hæc sunt, quæ vt tibi morem gererem, scribenda duxi. Tu interim tuo exacto iudicio, hæc diligenter examinabis; additoque pro arbitrio calculum album, vel nigrum: nam vtrumque boni, & æqui accipiam: modo tamen me ames: quod, vt facias, vehementer obsecro. Vale. Ex Tolentino die 24. Augusti, 1577.

De corruptione sanguinis quædam.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM LIBER DVODECIMVS.

FABRITIO AVGENIO FRATRI AMANTISSIMO I. V. D. ac Generali Vicario Potentino.

EPISTOLA PRIMA.

Ratio explicatur, ne arenulæ in calculum transmutentur: & de aqua Tyberis quædam.



ACCEPI nuper literas tuas, quib. me certiorem facis, te discessisse ex vrbe Roma ad Vicariatus officium Potentiæ sub Illustrissimo, & Reuerendissimo Tiberio Caraffa exercendum: petisque à me exposito tuo arenularum affectu, vt tibi ad sanitatem tuendam aliquid conscriberẽ de arenulis expurgandis, ac vt curari ab hoc malo, optimaque victus ratione instituta præseruari valeas. Primę parti breuiter respondeo, vt semper tuus ab vrbe discessus mihi displicuit: ita nunc tuus ad eas gentes accessus affecit me dolore maximo. Fortunet tibi Deus, quæcũq; egeris: me certe tua in absentia hic dũtaxat consolabitur, quod & cognita animi tui magnitudo, ac prudẽtia omnia superabit: & in te ab omnibus in illis partib. tuẽdo illustrissimus Tiberius Caraffa sui generis memor, atq; naturę te semper proteget, & ad maiora te, nostręq; familię digna promouebit. Ad secũdam tuarũ literarum partẽ accedẽs, opus est in primis nõnulla de natura, modoq; generationis arenularũ edisserã, ex quib. apertis indicationib. curãdi remedia opportuna cõscribã. Sciendũ est itaq;

Arenulæ quibus ex caussis fiant.

arenulas fieri à materia crassa caloris ignei actione in sabulum conuersa. Dixi crassam, nõ viscidam, quia vbi hęc crassescit, calculum facit: cum vera concrescendi caussa sit viscicitas. habere possunt originem in renibus, instrumentis vrinariis, 'ac vt alii dicunt, in vesica, cum scilicet eiusmodi materia friabilis, non continua, magnam caloris actionem experitur, fiuntq; etiam, vt dicunt quidam, in uenis. Distinctionem afferre solent eiuscemodi: quod illę cum vrina confusæ statim residẽt: hæ verò adeo diligentem permistionem habent cum omni substantia vrinæ, vt nunquam subsideant: sed vel in superficie enatent, vel matulæ adhæreant. Conueniunt inuicẽ, quod hæ, & illæ calorem igneum indicant, aut in toto corpore, aut in renibus, materiamque crassam, caloris actione in partes fere minimas redactã. Tertium hic addamus modũ, cum vis medicamentorũ calculum diminuens, arenulas procreat: quæ res à calido quidem fit, non autem igneo, sed temperiem parùm excedenti, aut etiam à frigido cum tenuitate substantiæ. & aliquãdo etiam facultate quadã indicibili, atq; tandem postremo fiunt ab ipsa natura lapidem dissoluente. nam quidam sunt duri, quidam friabiles: illos ars ipsa raro, natura nunquam uertit in sabulum, hos autem potest quidem natura & ars in arenulas couertere. His in hunc modum statutis, non putauerim tuas arenulas à toto corpore ducere originem: tum quia ignea caliditas nõ præcessit in uenis, qualis imprimi solet per febres ardentes: tum quia scribis, rubeas illas in imum subsidere. Similiter videor mihi certissimus, non deduci illas à renum, aut vesicæ calculo, quia cum hic affectus notas habeat maxime conspicuas, harumque adfuerint nullæ, opus est, vt statuamus non adesse lapidem. Sed contra nostrã sententiam instat Hippocrates in aphor. dum ait: Quibus in vrinis arenosa subsident, iis vesica laborat calculo] & Gal. in com. dicit, non modo significare calculum vesicæ, sed etiam renum posse. Quid igitur aut vera est Hippocratis, Galenique sententia, aut nostra: sed vtranq; veram esse arbitror. Nostrã quidem, quoniam docet experientia, multos laborante sabulo, qui non laborant calculo, & huic certè credendum est, cum nulla certior cognitio haberi põt, quam ea, quam nobis suggerunt sensus. Deinde verò extat Auic. sentẽtia, maximi quidem Medici, & Philosophi acutissimi, quo remouet suspicionem omnem. [Quando (inquit) semen est arenosum, aggregatur lapis, propterea quod materia non est coarctata, nec multa materia] adhæc verò consimilis adest Galeni locus lib. de patientib. loc. Qũo itaq; interpretabimur Hippocratem? Dicam hic, quod mihi videtur probabile, paratus mutare sententiam, vbi meliorem cognouero. Lapis in vtroque viscere, aut factus, aut futurus. Si factus, arenulę ex lapidis substantia fluentes illum necessariò significant: si futurus, nõ significant factum, sed fientis suspicionem ingerunt. Arenulæ itaq; ex friabili lapide deductæ, lapidem indicant, aliæ futurum portendunt. laborare igitur vesicam calculo audiri põt aut præsenti, aut futuro: hæcq; vera est loci huius explanatio. sic dicimus, quod morbus magnus indicat missionẽ sanguis, qui tamen aliquãdo pręsens, aliquãdo futurus est. Quamobrem ad negotium reuersus, dico te non habere calculum, sed adesse futuri suspicionem, quia si crassior illa materia fuerit visciditati permixta, certè generabitur calculus: eadẽ etiam adesse poterit suspicio, si effluere desinant. nam cum glutinis semper adsit aliquid in solidis partibus, retentum id sabulũ in lapidis naturã transmutabit: non sic certè (vt dixi) dũ valida fit expulsio.

Solutio difficultatis de arenulis ex Hippocra. ex Gal.

Arenulæ quando calculum significant.

Locus in quo fiunt arenulæ.

Victus ratio. Quamobrem ne magnum hoc adueniat incommodum, Frater carissime, oportet primum, vt diligentiam adhibeas magnam in sex reb. non naturalibus, ex quorum vsu pęrseruaberis. hanc in præsentiarum non scribo, quia recordor me aliàs de hoc argumento scripsisse, atque tę ipsum non modo legisse, quę scripsi, sed memoria optimè cõmendasse. non possum tamẽ pretermittere, quod eorũ præceptorũ, quę ad alui lenitionẽ faciũt, & ad vomitũ, perpetuò recorderis, quia certè in his consistit summa præseruationis. Tum etiam, vt à lacte, ac eduliis ex lacte præparatis, quo ad eius fieri potest, diligenter caueas. Volo vt delicatissimum hoc auxilium pro hepatis & renum refrigeratione excogitatum, ac pro excrementorum omnium purgatione ex viis ductuum sine aliquo labore pręparatum, semper habeas: compositionem vt eam parare tibi facias Potentinis il-

Lac nocet arenulosis.

lis egregiis, vt audio, pharmacopolis, refero, quæ sic habet. Rec. pruna damascena dulcia nu. x. maluæ, violæ, mercurialis, helxines an. m. i. polipodii è quercu, seminis cartami, radicis altheæ, passarũ expurgatarum, glycyrrhizæ, an. vnc. s. foliorum senæ mundatorum vnc. x. coquantur ex aquæ lib. v. dum supersint duæ: dein omnia torculari exprimantur, tum adde zuchari rubei lib. i. s. coquantur rursus igne lento in electuarii solidi consistentiam, aspersis sub finem pulueris aromatici rosari maioris drac. iii. concinentur tabellæ pondere vnc. s. Has quocunque ieris, deferas tecum; assumitoque singulis octo diebus tabellas duas hora vna, aut duabus, quod summum sit, horis ante prandium: nam tutissimum est auxilium in vehementissimo cœli æstu, pro arcenda siti, rarum ac omni ætati vtile præsidium. Hoc iacto fundamento, necesse est, vt remediis quibusdam leuioribus, pro conditione morbi, crassam hanc ex renibus materiam, ac arenulas ipsas detergas, renesque refrigeres. Optimum erit, si quotannis Vere, & Autumno expurgeris, quia certè arbitror, te ipsum tum propter negotiorum multitudinem, tum etiam propter humanæ vitæ conditionem fragilem, non esse ad unguẽ obseruaturum præcepta iam tibi conscripta. Exemplum sit. Rec. flor. cas. n. t. vnc. i. s. cinamomi drach. s. fiat bolus ante prandiũ hora vna assumẽdus, pro die postero instituatur syru. talis. Rec. syr. ex nenufare, violacei an. drac. vi. ex glycyrrhiza vnc. s. decoctionis adianthi vtriusque, agrimoniæ, radicum graminis, maluarum hordei vnc. iiii. insequatur vsque ad septem. Deinde diacatholico purgationem instituas assumptis drac. x. medicamenti cum agarici troc. drac. i. in Vere: in Autumno autem confectionis amech, tantundem fiat bolus cum zuc. vel dissoluto cum senæ decoctione. Expediret in vere sanguinis missio ex cubito apetta iecoraria: copia. n. sanguinis abundas, & eusarcham viuendi rationem tibi placere scio. idcirco die post assumptam cassiam vnc. viiii. aut x. extrahi facito. Hæc nisi fallor, sufficient. Verum si tibi in animo fuerit alia tentare præsidia, quibus fieri certior possis, ne in posterum lædaris, duo sunt, quæ hic suadeo tibi, vnum sanè leuissimum, & primum in opere: aliud tutum quidem, sed non ita leue. Illud fuerit vsus seri caprini optimi, à quo non caseus modo, sed etiam collostra extracta fuerit. Hoc aũt aqua medicata. Serum vim habet refrigerãdi renes, deobstruendi, abstergendi, & leuiter aluum mouendi. Hactenus haud inueni, qui in exhibendi modo mihi satis faceret: ego sic vti soleo. Expurgato (vt dixi) corpore, diebus cõtinuis viginti exhibeo ea forma, qua medicatæ exhiberi solent apud quosdam viros clariss. aquæ: e. g. exhibeo primo die lib. sex cum vnc. ii. syrup. rosati solutiui, aut tantundem mellis rosati, & trib. drac. salis. at secundo simplex adhibeo serum adaugendo eius dosim vsque ad libras nouem, aut decẽ & ita insequor vsque ad finem.

Diaprunon simplicis Io. Fernelii descriptio.

Purgandi ratio.

Venæ sectio in arenosis renibus.

Seri vires.

Seri exhibẽdi ratio.

Vigesimo primo die ad feliciorem expurgationem faciendam, ne forte reliquiæ aliquę excrementorum in viis ductuum permanserint, assumito mellis rosacei solu. vnc. v. cum vnc. ii. aquæ cap. ven. Mirum est dictu, Frater, quantas vtilitates afferat modus hic assumendi serum: & quam bene cõueniat proposito affectu: singulis igitur dieb. hora matutina serum potabis, sumendo vnum cyatum actu calidum successiue semper leuiter ambulando: neque prandeas, nisi sẽseris ex præcordiis fuisse expurgatum: per aluumq; & vrinam redditum. A sero ad cibum horæ intercedant quinque. Cæterum præparato serum, Dioscoridis consuetudine, quia sic multo facilius distribuetur, & aluũ mouere poterit mira fęlicitate: si non mouebit quicquam, aut prima, aut secunda, abstineto. Verum neq; in his insistendũ fuerit, sed vt possis melius præseruari, opus esset vt decocto vteris ad dies quindecim, tũ eringii radicis, tum stellariæ meæ ad vnc. sex pro vice cum vnc. vna syrupi ad calculosos renes, cuius descriptionem habebis in calce harum literarum. Sic. n. nihil erit quod verearis, ne arenulę in calculum transeant, aut si quispiam frangibilis factus erit, ne indurescat, nam omnino illius purgatioem per vrinas videbis. neque admireris, me hanc solere ingentem quãtitatem seri exhibere: quia primum id facio, quod longissimo vsu sic faciendum esse animaduerti: mox quia imitatus sum Dioscoridẽ: tertio, quia sic nõ ablutio-

nis, & penetrationis persuadet. Si vero aut hoc tibi displicuerit, aut morbo impar iudicaueris, accedito ad medicatas aquas: in quarũ numero eas potissimum eligas, quæ ferri mineram à prædominio habeant cum aliquo vapore sulfuris, & aliqua etiã aluminis miscella. Aa nliquę apud Potẽtinos inueniantur naturæ huius, me quidem latet; consulito ciuitatis Medicos, & Neapolitanos. Si vero non adfuerint, ego præstantissimas esse scio, tum S. Cassiani in agro Senensi, tum Lucanę de villa dictę, quę sunt, me iudice, pręstãtiores: haud dabo assumẽdi modũ, quia vbi ad locũ perueneris ab ipsis incolis, ac iis qui assistunt balneis, eris ad omnia necessaria ad rectũ harum vsum edoctus. Neque hic omittam, quid tu mihi in eisdem literis scribis, te libentissime ex Roma discessisse, quod communis quidam sit cõsensus, aquam Tyberinam ex commisto aniene arenoso, & sulfurata Tyberis aqua, solere omnib. vrbem diutius incolẽtibus arenulas gignere, & inde sępe in maximis etiã viris immedicabilia renum vlcera caussari. Nolo te falsam hanc opinionem concipere, quandoquidem hanc, vbi optimè fuerit expurgata (de hac.n.loquendum) non modo facere calculos non puto, sed ab illis pręseruari arbitror: duę sunt coniecture, quæ id mihi persuadent: vna est quod aqua hęc copiosè etiam bibita nullũ in præcordiis vitium relinquit, sed ob leuitatem, subtilitatemq; substãtiæ facile penetrat: inepta est ad calculorum prouentum, quæ talis est. Alia vero, quia inter omnes aquas nulla fere inuenta est, quæ imputrida longissimo perduret tempore, quo hanc perdurasse maiorum testantur monumenta: indicium est, hãc aquam exactam habere temperiem, & naturæ cuiusdam participem, quæ à putredine conseruet; hæc quatenus frigida excalefactos renes corrigit, vt leuis, tenuisq; facile penetrans abluit, & fluuiorum quorundam permistione sulfuris mineram ferentium abstergit multò certius. Adde his quod Paulus Tertius Pont. Max. fœlicis memoriæ, vt in rebus omnibus erat diligentissimus, sic in victus ratione alios suę ętatis homines, vt fama est, superauit: quocũque ibat, secum hanc deferri aquam curabat: at vero cum senes renum lapidi sint maximè obnoxii, mirum fuisset, si ex aqua Tiberina in hunc ille affectum non incidisset. Confirmatur experientia, qua videmus, hãc aquam faciem, ac manus, aliasque partes plurimum dealbare, quæ res si non haberet facultatem abstergentem, fieri non posset. Ego, frater, sic sentio, saluo semperaliorum meliori iudicio. Hæc sunt quæ ad tuas literas breuiter respondenda esse duxi. Reliqua de quibus in tuis, quamprimum sequenti anno Iubilei ad vrbem redieris, & nos viseris, absoluentes exequemur. Interim Vale, & me, filiosque meos, præsertim Iulium, & Ludouicum merito amore prosequaris. Ex Septempeda kal. Mar. 1574.

Medicatæ aquæ pro arenula.

De aqua tyberina digressio.

Aquam tyberinam renibus arenosis nõ obesse

Tyberis aqua fere imputrescibilis

Pau. iii. Põ. Max. semper vtebatur tyberina.

Tyberis aqua detergit

EIDEM.

Describitur quidam syrupus ad frangendum calculum renalem, & agitur de apozemate quodam ex eringio, & stellaria.

EPISTOLA SECVNDA.

Quia necessarium est, vt qui arenularum copiam patiuntur, ex quarum recẽtione aliquando in renibus fit calculus, paratum habeat familiare aliquod pharmacum, ex cuius vsu optime possit præseruari: hic ego in tui gratiam scribere volo, tum syrupum, tum decoctionem accomodatã, vltra ea, quę ad te alias scripsi. Syrupus igitur ad renum calculum frangendum, si tamen non fuerit confirmatus, sed friabilis extiterit, ad arenulas expurgandas, ad detergendos renes, & vesicam, & ad supressam vrinam, sic fiat. Rec. radicum saxiphragiæ, rusci, liuistici, oringii, anonidis, alteæ, feniculi, petroselini, graminis an. vnc.s. raphani siluestris vnc.ii. foliorum betonicæ, pimpinellæ, cimarum alteæ, vrticæ, pulegii, nasturtii, calaminthæ, poligoni minoris, helxines an. m.i. aliacacabi num.xx. bestẽn num.xv. corticum radicis lauri drach.iii. seminum ocymi, bardani, petroselini, seseleos, dauci, milii solis an. drach.ii. vuarũ passularũ, liquiritiæ an. drach. vi. capill. ven. politrici ann. man.i. coquãtur, quo decet ordine, in aquę capill. ven. libris

libris x. donec sex supersint in duplici vase. E quibus cum zuchari fini libris iiii. & mellis despumati li. ii. fiat syrupus perfectè coctus, & aromatizatus vnc. i. cinamomi, & vnc. s. nucis muscatæ. Curaui vsu huius syrupi fere sexcentos à lapide renum, & ab aliis incommodis, quorum supra meminimus. Modus utendi est, vt vniuersalibus præcedentibus circa totius corporis prouidentiam, quæ tu nosti, dentur vnc. tres cum unciis sex decoctionis radicum eringii, & stellariæ meç, factæ in duplici vase ex aqua stillaticia graminis, continuetque diebus quindecim, hora ante prandium quinta. Hactenus non inueni aliquem, qui ex hoc decocto cum syrupo supra scripto non fuerit præseruatus. stellariam autem voco carduum stellatum, cuius flores sunt purpurei, & mense Maio potissimum viget, estque vt ego sentio, species quædam cardui syluestris, & à me vocatur stellaria, quia spinas quinque facit maxime pungentes, quæ circundent florem, Est certè tota planta mirabilis, in radice, in foliis, in flore. Sebastianus Paparella frequentissimè vtebatur flore ad drach. vnam pro doloribus nephriticis sanandis. & ego illius persuasione cum aliquando fuissem vsus, inueni plantam esse efficacissimam. Vale.

BERARDINO MONTIRONO NEPOTI. EPISTOLA TERTIA.

Agitur breuiter de diabete, & vrinæ ardore, horumq; curatione.

SCRIBIS, Berardine Nepos charissime, vt explicem tibi quibus remediis diabetem curare soleam: atq; vt aliquod auxilium conscribam pro ardore vrinæ mitigando. Te quidem non fugit, remedia ex morborum naturis, caussis, & differentiis desumi. Ego vero cum ex tuis literis nihil horum exploratum habeam, tibi satisfacere vix potero. Tamen vtcunque res habent, volui de vtroque hęc breuiter scribere, alio fortassis commodiori tempore reliqua perfecturus. Supponamus itaque diabetem immoderatum esse vrinæ profluuium, quo quæ potatur, penitus nihil immutata, profundatur: fit affectus renum vitio, illis scilicet laborantibus intemperie admodum calida, violenter ac subito serosum humorem attrahente, vigente plurimum facultate attractrice, prorsusque languescentibus alteratrice, retentriceque: & hinc vniuersum corpus ad tabem sensim perducitur. Sunt indicationes. Renum refrigeratio, fluentium humorum retractio per partes contrarias, adhæc deriuatio per vicinas: tandem verò incrassatio tenuiorum humorum, vt inepti reddantur ad motum. Victus igitur rationem incrassantem, & emplasticam instituito, vt in ventriculo diutius contenta alimenta celerem illam attractionem ad renes distributionemque prohibeat. Tu nosti qualis existat. Ego alica vtor familiariter, addito aceto antiquorum consuetudine: lacte ouino chalibeato, recenti caseo, amilo, ac aliquibus indulgeo, vt cibaria ex pastilibus assumant: Sint carnes difficilis coctionis: Laudantur extremæ partes, collum, capita, pedes suum, & verueci, & vituli. Abstineant à vino, huius locum obtineat hordeacea chalibeata, aut etiam simplex calibeata pluuialis, qua cum succus granatorum ea sit portione permistus, vt sapiat palato. Principium curationis sit vomitus: Iubeto vt cum maximè siti torqueatur, copiosam deuoret frigidam, hancque repente euomat: fiat in singulis quatuor diebus. Certum auxilium pro reuulsione, ac refrigeratione. haud erit opus medicamentis ad prouocandum vomitum, quia pronam habet naturam ad hunc motum, vt scripsisti. Singulo quoque die degustet aliquid, quo fluida reddatur aluus. Placet mihi diaprunō simplex: satisfacit zucharum maluatum cum reubarbaro, aut cassia, hora semis ante prandium. vnc. i. pondere vorata. Si nimia videbitur quantitas, detur vnc. s. quotidie, nisi cum vomitum facit, quia tūc abstinendum. Leues clisteres placent. Missio sanguinis displicet, quia corpus gracile est, & non abundat sanguine, in diabete diuturno semper obest. Caueto ne acria medicamenta exhibeantur Incumbito prouocationi sudoris facto balneo ex aqua dulci, vt præcepit Aetius, hunc legito: Placerent sudatoria, vaporaria scilicet, quæ vocantur stuffæ, in quibus parum commorari debet, ne vires

Indicationes curandi vnde sumātur.

Diabetes quid.

Diabetem curādi indicationes.

Victus ratio

Potus in diabete.

Vomitus

Sang. mis. nocet diabeticis.

Lib. 11. ca. 10.

dissoluantur: spatium igitur sit sexta, aut septima pars horæ vnius: abstineto tanquam à mortifero veneno ab omnibus iis, quæ vrinam prouocant, à salitis, ab omnibus aromatibus, & ab acribus. Vbi iam dies quindecim, aut viginti reuulsioni per vomitum, aliquando per sudorem, deriuationi autem per inferiorem aluum semper incubueris, expertum est, sequentem potum vtilitatem afferre maximam in hoc affectu. Rec. syrup. ex nenufare, ex papauere, an. vnc. i. specierum trocis. de spodio scrup. ii. Filonii persici, drach. i. decoctionis farfaræ, equiseti poligoni in aqua chalibeata factæ, q. s. dissoluatur. Tepidum horis quinque ante prandium debet exhiberi. Iteretur bis singulis diebus, ac rursus transactis octo decemve diebus rursus bis. Sic successiue tertio ac quarto: diuturnus enim affectus est: In aliis affectionibus narcoticorum vsus suspectus: in hoc affectu salubris, quia refrigerat, incrassat humores tenues, motum impedit, somnum necat, quamobrem si recenter apparatis (constantibus viribus) vti velles, haud esset ab re. Aetius adhibet augescente affectu, sed non est extra rē vigente morbo exhibere, iis præcedentibus, quorum facta est mētio. Intermediis diebus lac chalibeatum ouinum, aut bubulum dato eadem hora. Hepati continuo epithema refrigeratorium admoueto: Renibus hoc salubre. Rec. succi lactucę, portulacæ, an. vnc. i. s. farinę hordei, vnc. s. gūmi draganti in aqua rosata macerati, drach. iii. cremoris sem. citoniorum, drach. iiii. olei rosati, mirtini, an. vnc. i. s. corral. amborum, sumach, an. drah. i. aceti & ceræ parum, fiat lenimentum pro renibus: in hunc etiam vsum cataplasmate vtiror ex refrigerantibus herbis & adstringentibus. Hæc de diabete. Pro ardore vrinæ illius Asculani, quid certi afferam non habeo, sed pro varietate caussarum quędam proponam admodum vtilia. Si ardor duxerit originem à lapillis, arenulis, atque etiam vlcere vesicæ, renumque, cum phlegmate etiam salso, & vrinę acrimonia, præcedentibus vniuersalibus, tibi notis, accedito audacter ad syrupum ex althea, & eiusdē decoctum. Nam certè optimum erit auxilium, si à simplici vlcere harum partium, potus lactis maximè conducet, atque multo magis si humorum adfuerit acrimonia, neque huic caussæ nocet quicquam supradictum medicamentum. Si ostium vesicæ exulceratum ardorem facit, quæ assumuntur, vim habere debent abluendi, acrimoniam obtundendi, vlcus glutinandi, qualia diximus, sed certe maiorem vtilitatem sentient ægrotātes ex iis, quæ iniiciunt per siphonem vrinarium, quorum vis eadem sit, vt lac cuiusque generis humanum præsertim, ptissanæ cremor, hordeacea, qua cum album collirium dissolutum fuerit, aliaque id generis, quorum magna est sylua. Et hæc tibi scripsisse volui currenti calamo, magis vt tibi, quàm vt mihi satisfacerem. Vale.

Narcotica in Diabete conueniunt.

Ardoris vrinæ breuis curatio.

BERNARDINO ALOYSIO SEPTEMPEDANO
Compatri & Medico insigni.

EPISTOLA QVARTA.

AGITVR DE NATVRA, ET VSV DIVRETICORVM.

QVAMVIS æstiuis hisce temporibus in factitanda medicina labor sit mihi datus multò maior, quàm corpus imbecillum, & valetudinarium ferre possit: Nihilominus tibi satisfaciundum duxi. Quis enim non morem gereret amicissimo? Accipio igitur prouinciam abs te mihi commissam, non certè vt aliqua ex parte minuam numerum beneficiorum tuorum erga me, (sanè foret hoc impossibile) sed vt ostendam habere me animum gratum, atque memorem. Tu interim, Aloysi, excusatum habebis Augenium, si in propositis problematis non attigerit scopum: in quorum explicatione voluntas certè non defuit, nec studium: Quamobrem culpabis potius rei difficultatem, tuamq; auctoritatem, qua apud me plurimum potes: Cogitabis post hac meliora excitatus mea opinione: sed iam aggressus propositum dico, esse tria, quæ abs te discutienda proponuntur primum

Primum, an omnia, quæ vrinas mouent, menses prouocent.
Secundum, an vretica calculo obsessis conueniant.
Tertium, an vsus vreticorum pro corporibus præseruandis, ne in calculum incidant, sit accommodatus.

De quibus agendum. Primum. Secundum, Tertium.

Verum, quia propositæ difficultates explanari nequeunt, nisi fuerit antea cōpertum, quid per medicamenta vretica intelligamus, idcirco primo loco de his, pro euitanda homonymia dicamus.

Eorum igitur quæ vrinas mouent, non vnica, & simplex mihi videtur natura; quædam enim id faciunt, quod renes abstergunt, vt terebentina, qua magno vtimur successu pro expurgatione renum, & vesicæ. hac ratione radix ipsius ononidis vrinas mouet, quoniam (inquit Galenus) abstergit. Alia rursus id faciunt, quod aquosam corpori materiam suppeditent, quæ a renibus per vesicam attracta extra ducitur, simulque icorosi humores in renibus & viis vrinariis contenti mouentur: hoc modo traditum est à Galeno, vina aquosa, & tenuia expurgare per vrinas. Radix graminis idem facit, eundem etiam semina frigida, præsertim quæ maiora nuncupantur, effectum præstant: aliæ sunt rursus, quæ vtraque de caussa id efficiunt, & abstergendo, & simul suppeditando aquosam substantiam qualia sunt aquæ medicatę, vt nitrosæ, & sulphureæ, ac salsę, aliæque eius generis multæ. Dicuntur ad hæc quædam prouocare vrinas, quæ caussas remouent, ob quas vrinæ impediri solet excretio; hinc quæ incidendi facultatem habent, aperiendi, calefaciēdi, possunt mouere vrinas, qualia sunt etiam omnia menses mouentia. Alia vero sunt, quæ sanguinem non attenuant duntaxat, sed fundunt, fusumque secernunt, & coacta in vnum, crassiori parte illius serosiorem per vrinas ducunt: hæc quidem non solum excalefaciendi vim habent, sed intensam possident caliditatem, exiccantque ordine satis intenso, de quibus Galenum sic fuisse locutum recordor. Vrinas expurgant, quæ vehementer extenuāt] atque dū simplicium medicamentorum facultates inuestigat, inquit: A quibus sanguis nō extenuatur duntaxat, sed & funditur, & secernitur, non secus atq; lac quod coagulatur, seroso videlicet, & tenui seorsū segregato, crasso vero in sese coeunte.] Hęc profecto verè sunt vretica. Alia verò nomine solo, non re ipsa talia nuncupantur: quam rem confirmare mihi videntur eiusdem authoris verba, quæ sic habent: Proinde ea peculiariter dicantur vretica, siue vrinam mouentia, non quia solùm moueant vrinas, sed quia promouent etiam menses, aut lac] ex his, quæ diximus colligendum est, calida esse omnia medicamēta, quæ vrinas prouocant: sed quia calida etiam sunt, quæ lac, & menses promouent, horum differentiā doceamus. Calidorum medicamentorum quædam sunt, quæ calorem temperatū habent, aut certè supra mediocritatem parum excedentem in passiuis qualitatibus, vt siccitate, ac humiditate symetra sunt: dicuntur hæc ad lactis generationē idonea. At verò quæ maiorem habent calefaciendi potestatem, & simul manifestè desiccāt, quamuis non plurimum, hęc equidem menses mouent, mouent etiam vrinas: quæ igitur intensius calefaciunt, & non multùm desiccant medicamēta, vtranq; facultatem habent, nempe prouocandi menses, & vrinam: at quę potentiorem habent calefaciendi, & exiccandi vim, prouocant solas vrinas: de quibus in hunc modum locutus est Galenus. Si quidem excalefactio tribus generibus medicaminum communis, vt puta quæ lacti procreando succurrunt, quæq; ciēdis mensibus, & vrinæ conueniunt: differunt tamen caloris mensura, tum etiam quod quædam desiccant, quædam non. si quidē quæ non desiccant, & modicè calefaciunt, lacti generando vtilia sunt, quæ verò plus calefaciunt, non tamē valenter desiccant, mensibus eliciendis sunt congrua, verùm & vtraque hæc vrinas prouocant, & adhæc cū primis ea, quæ desiccantia etiam calefaciūt.] Quod si gradus perquirendi sunt in hisce medicamentis, dicerem calida in primo gradu, aut parum supra; in passiuis temperata, lac generare calida in secundo, vel parum excedentia secundum; sicca vero in primo, aut parum supra primum, prouocandis mensibus idonea, & vrinis promouendis esse: at verò, quæ gradu tertiò, tum calefaciunt, tum desiccant, propriè vretica nuncupari.

Vretica multipliciter dicuntur.

Terebētina, & ononix quō vrinas moueant.

Vina aquosa, gramina, semina frigida, quō vrinas mouent.

Aquæ medicatæ vreticæ quomodo.

Menses mouentia mouent vrinas quomodo.

Vretica proprie, quæ.

Li. 5. de sim. med. fac. 12.

Eod. li. c. 22.

Vretica vti differunt à menses mouentibus, & lac generātibus.

Medicamēta, quæ lac generant, prouocant vrinam & menses qualiter differant.

5. de simp. med. fa. c. 22.

Soluendæ sunt hoc loco dubitationes, quæ contra Galeni opinionem negotium facere videntur. Ad primum, quod dicunt frigida, & sicca quædam vrinas potenter mouere, haud benè concludunt esse hæc vretica præsidia. Mouere vrinam, & esse vreticum distant, vt genus à specie: Omne vreticum mouet vrinas: at vero haud omne vrinam mouens vreticum est: quæ lac generãt, Galeni testimonio, possunt prouocare menses, parum detentos, possunt etiam ducere vrinã, sed vretica non sunt, omnium iudicio. Quę lac generant, sunt Eruca, Feniculum, Anetum, Smirnium, Appion, Sion, Polium. Dico autem ipsas herbas etiamnum virentes, & humidas, iuuant hæc, vt sanguis eat in mamillas: adiuuant etiam deficientes, ac imperfectas purgationes, vt idem testatur. Frigida, & sicca, vt leporis ossa cremata, & in pluerem redacta, hircorum pilus puluerizatus; ecchinus, rosarum siluestrium, vrinam prouocant, calculo ipso secundũ totius substantiæ proprietatẽ, aut, rupto, aut diminuto, viisq; hac de causa apertis, quæ obstructę impediebant vrinæ transitum. Certè rosarum ecchinus ille maximã ad vrinæ prouocationem possidet efficaciam, quia in ipsis generantur cantharides: quarũ cõtra renes, & vesicam deleteria facultas ab ecchino fortè deriuatur, hoc enim videtur multò probabilius, quàm putare ecchinum acquirere hanc facultatem à cantharidibus ipsis: sed hæc πάρεργα.

Lac generãtia, & menses mouentia, & vrinã quo gradu calida.

Mouere vrinã & esse vreticũ differt.

Rursus autem adnotandum est, quod medicamentum vreticum habet hanc vim, non solum quia calidum, & siccum est, sed quia totius substantiæ proprietate hoc possidet, vt vrinas ipsas, non menses prouocet. Etenim debet sanguinem fundere, fusum secernere &, secretũ purgare per meatus vrinarios: in qua re differunt, quæ plurimum detentos menses ducunt: nam hæc neque fusionẽ faciũt, neque segregationem in sanguine, sed ipsum attenuãt duntaxat, atque incidunt. Hinc verò colligito, vere vreticum auxilium non attenuare, neq; subtiliare sanguinem solum, sed certè post attenuationem, & fusionem magis incrassare: nam si sanguinem tenuiorem facit icorũ præsentia, si pręterea crassescit illis absentibus, quis dubitabit, quin vretica icorum substantiam purgantia, crassiorem sanguinem faciant? pro qua re cõfirmanda Galeni exemplum accõmodatissimum est, ac ipsum coaguli permistione, aut alterius cuiuspiam eiusdem virtutis, crassescit diuisa serositate à caseosa substantia. Hoc sanè quod paradoxum est, verissimum tamen esse non dubito, quod à nemine hactenus, quod ego tamen sciam, obseruatum admitto: Extat etiam alter Galeni locus, in quo satis apertè idẽ edocuit: nam ait, quippe cum ea quæ desiccant humorem sanguinis depascentia, ipsum crassiorem simul, pauciorem q; efficiunt] quod autem necessario proprietas formæ concurrat, non modo coaguli exemplum in lacte apertum facit, sed ipsa Galeni verba, quæ admonent, fundi sanguinem ab his segregari, & icores excerni. Adhæc vero, quod Mesues inter Arabes haud infimæ notæ Medicus idem apertissime confirmat. Idcirco vreticorum natura continet proprietatem totius substantiæ, & qualitatem calidam, siccamq; ordine tertio admodum acrem; quæ sanè complent horum præsidiorum essentiam.

Vreticũ sanguinem potius incrassat.

Nota confirmationẽ ex Galeno.

Diceret autem forrasse aliquis hoc loco Galenum velle ab vreticis extenuari sanguinem, quoniã sic loquitur, à quibus sanguis non extenuatur duntaxat, sed & funditur, & secernitur.] Respondeo, ibidem quorundam meminisse vreticorum, de quibus dixit, nõ extenuari duntaxat sanguinem, ad eorum differentiam quæ mouent menses: quia non faciunt hoc, nisi extenuando solum, sed vretica extenuando, fundendo, ac expellendo icorem ipsum, crassefaciunt sanguinem, quod autem vera sit explanatio Galeni, exemplum de lacte coagulato manifestũ facit: nam inquit, non secus atque lac, quod coagulatur seroso videlicet ac tenui seorsum segregato, crasso verò in sese coeunte] etenim lac ipsum crassescit, non extenuatur facta diuisione tenuioris à crassiori substantia, fitque crassius, non quatenus coagulum insigniter calidum est, cum alia eiusdẽ ordinis calida id facere non possint, sed quia sortitum est talem speciem, ac formam, quæ coagulandi vim possidet.

Dubitationis ardua solutio.

Vretica per

Hisce principiis positis, respondeo primæ quæstioni, nempè quod verè vretica per se

ca per se non prouocant menses: responsionis hæc ratio est, quod ea, à quib. sanguis redditur crassior, minusque fluxibilis, prouocare menses nõ possunt; ab vreticis cogi sanguinem, quæ in superioribus diximus, manifestum faciũt: etenim si tenuior sanguis redditur ab icoribus, iam equidem horum absentia crassiorem faciunt. Hic sermo institutus est de iis, quæ verè vretica sunt, qualia existere diximus calida, & sicca ordine tertio, tenuiorum partium, & acria. nam si de aliis vreticis loquamur, dicemus, posse hæc quidem simul vrinã mouere, ac menses, in quo genere hæc potissimum reponuntur, sabina, iris, calamintha, pulegium, dictamnum, costus, cassia, cinamomum, aristolochia, bunium, & si quæ sunt alia propria facultate menses mouentia: hæc enim impropriè vretica sunt, cum non habeant tantam caliditatem, siccitatem, acrimoniam, quantam habere diximus verè vretica: hac de caussa rectè admodum Galenus concludebat.

Vretica per se nõ prouocãt menses.

Quæ vretica moueant simul mẽses & vrinam.

Proinde ea peculariter dicuntur vretica, siue vrinam mouentia, non quia solum moueant vrinas, sed quia solas absque etiam vt menses, aut lac.

Insurgit hoc loco difficultas maxima, ab aliis (quod sciam) minimè comprehensa, ea est, quod Galenus vreticorũ naturam explicans, postquàm dixit oportere esse calida & sicca, dum enumerat quæ sint, ea recenset, quæ simul menses mouent. afferre præstat eius verba. Nempè cum plurimum mouere vrinam annitimur, non admodum dictis vtendum pharmacis, sed quæ acriora sunt, & magis excalefaciunt, dictum quidem supra est, acre omne esse calidum; eius generis sunt semen apii, petroselini, feniculi, dauci, agrioselini, smirni, & sanè ipsum quoque seseli, & ammi, & phu, & meon, & assaron, & acoron] porrò si quis diligenter fuerit cõtemplatus, quæ à Dioscoride, & Galeno de horum simplicium medicamentorum facultatibus dicta sunt, inueniet profectò hæc vrinam scilicet & mẽses mouere. Videbitur fortasse multis nodus inextricabilis, & Gordiano similis, cuius tamen solutio (nisi fallor) in hunc modum habet.

Maxima difficultas.

A medicamentis varii effectus fiunt, prout ipsorum substantia fuerit variè cõmista, & composita. Absinthium adstringit, expurgat, aperit: terrea substantia facit adstrictionem; tenuis aperit, proprietas expurgat, aut substantiæ similitudo. Reubarbaro inest vis expurgandi, & roborandi. Plantago astringit, aperitque: sed quid prosequor singula, cum satis superq; constet omnium consensu nõ modo quædam secundum naturam dissimiles actiones facere ob dissimilitudinem substantiæ, sed etiam idem medicamentum eiusdem, similisq; naturæ ob variam præparationem artis, & subiecti corporis aptitudinem contrarios effectus facere. Hæc eo pertinent, Aloysi charissime, vt ostendam, non esse absurdum ab vreticis moueri menses: nam si vretica sunt calida, si tenues habent substantias, si obstructiones aperiunt, cur non poterunt prouocare menses? præsertim cum fuerint sicca? nam virẽtes plantæ etiamnum humidę, habent aliquid, quod eiuscemodi actionem impediat. Vt plurimum humores crassi, viscidi, obstruentes vteri vias, menstrui sanguinis retentiones faciunt: ideo, quæ his humoribus, & dispositionibus opponũtur horum caussa procreatis, adiuuare haud parum mẽsium prouocationem possunt. Sed hæc res non accidit vreticis, qua ratione vretica sunt, quia horum propria ratio est fundere sanguinem tenuiorem, acriorem à crassiori secernere, ac diuidere, diuisum per canales vrinarios purgare: hoc per se inest vreticis, vt vretica sunt, formamque propriam medicamenti huius, quod vreticum dicitur, complet. Quamobrem prouocare menses non est opus vretici auxilii, vt vreticum, sed huius quatenus calidum, tenuium partium deobstruens, pituitosum humorem, crassum, aut lentum incidens, ac detergens, quę sanè ideam haud complent vreticorum pharmacorum, vt iam diximus. hac de caussa rectè dictum est, vretica per se non prouocare menses, quod est dictũ, qua vretica sunt, cum ex accidenti possint. Galeni verba sic interpretata difficultatem nõ faciunt: hæc mea sententia est circa prioris quæstionis dilucidationem, in qua certè contumeliosum Auerroem, admittentem omne vreticum pharmacum prouocare menses, maximè deceptum arbitror.

Difficultatis propositæ explicatio.

Vretica quõ menses moueant.

Vretico vt vreticũ est, quid insit per se.

Accedo nunc ad secundam, in qua inquiritur, an vretica calculo obsessos iu-

Vretica an iuuent calculo obsessos.

uent. anteaquam dissolutionem quæstionis afferam, varium huiusce quæstionis aperio sensum.

Dicimus itaque, cum variæ sint in homine calculoso indicationes, circa vnāquamque contingere posse dubitationem. Harum vna est, calculum frangere: alia, fractum purgare; communis indicatio pluribus prouidere, vt medicamentum, in quo inest vis præcipua, facile perueniat ad locum. Adhęc vero audiri potest disputatio de vreticis citra aliorū pharmacorum misturam, vel cum aliorum permistione exhibitis, tum etiam vel de iis, quæ proprie talia sunt, vel quæ communiori appellatione vretica nuncupantur.

Vretica proprie dicta nō conueniunt pro frangendo calculo.

His in hunc modum se habentibus, dicendum, vretica, quę propriè talia sunt 10 pro calculo frangendo nullo modo conuenire. Etenim, quæ maximam habent calidatem siccitate connexam, multo magis indurant materiam, quam induratam confrangant, de qua re sic Galenus ait: Atque renes expurgant, & ipsa quidem incidentia sunt, verū larga humiditate non indigent: porro quæ calculosas, seu tophaceas consistentias incidere sunt idonea, & ipsa vtique admodum incidunt, sed minimum caloris possidēt, quippe caliditas callum, porrumque ipsum contrahit, ac procreat, non incidit, atque diuidit: at quæ minus calida sunt, cum hoc quod incidere valeant, meliora quoque sunt] ac rursus: Nam & præter alia, & reddendis ex pectore, pulmoneque excreationibus incōmoda sunt disiccantia, postulant quidem & ipsa incidi, at non siccari, ceu & renum, vesicæque calculi] 20 Paulus Aegineta maximus Galeni imitator in hunc modum locutus est. Cæterum in renibus, quæ calculos comminuant, atterant, incidantque, vtendū medicamentis est, neque tamen immodice, & excellēter calorificis.] Placet hic citare Auicennam authorem quidem grauem, & nisi meum me fallit iudicium, non modo Arabum omnium præstantissimum, sed cum Græcis præcipuis comparandum: is enim Medicinæ (ait) comminuentes cum sint, secundum plurimū medicinæ amaræ, quæ non sunt valde vehementis caliditatis, & addunt in caussam, & omne cuius incisio est vehementior, & euius caliditas est minor, est melius] ex his quidem locis (potuissem alios referre, sed studio breuitatis prætermisi, nam hi satisfaciunt pro multis) satis manifestum est, vreticis non esse vtendū 30 vt lapidem frangamus, cum hæc plurimum tum calefaciāt, tum deficcent, quorum neutro in hac indicatione exequenda indigemus.

Vretica fracto calculo conueniunt ad expurgationem.

An igitur si pro frangendo calculo vretica non conuenient, poterunt conuenire illo iam rupto, ac in minimas partes redacto, vt à renibus, aut ab ipsa vesica expurgetur; sanè conuenire tunc arbitror: nam nisi quis illis vtatur voti compos reddi non potest. Hic notandum est non semper vtendum esse solis vreticis: at vbi casus vrgeat, nulla adhibita cunctatione id faciundum. Vrget certe cum timemus virtutis dissolutionem. non vrgente autem sensum, ac blande tentanda est renū expurgatio à fracto lapide, vreticis quem vterer maxime contemperatis aut contrariorum admixtione, aut illa seligendo, quæ vrinam mouere latiori 40 vocabulo dicuntur. Addamus hic, quod neque mihi suspecta sunt vretica, dum fractioni operam damus, quia, & si nō frangunt, fractum tamen educunt: habētque facultatem deducendi vim pharmacorum ad renes, & vesicam. nullaq; possunt hodie componi medicamenta pro lapide frangendo, quę vreticis careant, vt scripsi de ratione cōpositionis huius in quadam epistola ad Scacchum. Galenus hanc vreticorum necessitatem explicauit his verbis: At quia fieri nequit, vt hæc celeriter ad renum loca perueniant, ideo ipsi medicamenta, quæ ad vrinam ciendam sunt, admiscemus] & hic pariter obseruabis, Aloysi, quod semper supponimus vreticorum potū ex artis præcepto fieri iis præcedentibus, quæ necessaria sunt: haud enim de his loquor, quoniā non est institutum propositę tractationis. 50 Tandem verò in leniori affectu, qui scilicet sanari possit citra fractionem abstergētibus dūtaxat sensim ac blāde lapillos, sabulumque: deducerem pharmacis temperatis, vt syrupo ex althea, eiusque decocto, aut etiam simplici aliquo medicamento, aut medicatis aquis, aut ea ratione, quam sum prosecutus, agens de sero lactis in epistola ad Fabricium fratrem iuris vtriusque consultissimū.

Vretica pro distributione pharmacorum ad frangendū lapidem vtilis.

Vreticorum vsus quid supponat.

Quam-

Quamobrẽ licet solis vreticis pro frangendo calculo non sit vtendum, permiscenda tamen sunt cum frangentibus duplici de caussa, tum vt medicamentorum vis feratur ad vesicam, & renes; tum vt confractus extergi calculus possit. Sane quæ verè talia non sunt omni ferè tempore pot issimum, diligenter antea purgato corpore, in rem pręsentem accõmodari possunt. Cęterum quod ille noluerit vti syrupo, ex althea tãquam vretico propter asparagi & graminis radices; dogma est dignum risu, quod neque etiam Thessalus insulsissimus, omniumque imperitissimus inveheret: obiicias illi compositionis authorem, qui sic ait: Crassam obstruentemque renum pituitam, lentam purulentamque eorum saniem, & arenulas blande, & elementer expurgat, citra manifestum calorem, vrinæ præterea demulcet ardorem] sed qui potest vreticum esse pharmacũ, quod non excalefaciat, exiccetque vehementer? obiicias Galenum de asparago sic loquẽtem: At, quæ minus calida sunt, cum hoc quod incidere valeant, meliora quoq; sunt, veluti radices regiorum asparagorum, & rubi, & betonica, & polium, tum ocra, & vitrum vstum, & ex scilla confectum acetum, & quæ sunt eius generis] rursus audiat Galenum inuestigantem illius temperamentum, Asparagus petreus, & myachantinus abstergendi vim habet, idque citra manifestam, aut caliditatem, aut frigiditatem] idem author gramen collocat inter medicamenta refrigerantia, & siccantia. Postremo rogato illum, vt diligenter perlegat, quæ nos de illius syrupi examine diximus, libro nostro de medend. calcul. renib. cap. 4. Sed prætermittamus hosce homines, sinendi enim sunt, (indigni enim quibuscum disputemus) vt insaniant more suo: quemadmodũ illos pariter omittamus, qui puluerem vitri combusti in renum calculo abhorrent, vt medicamentum nimis calidum, ac illorum iudicio, venenatum. Dent pro calculo abradendo, ac diminuendo lac asininum, abstineãt à vitro combusto, à syrupo ex althea, ab aliis antidotis nephriticis longissimo vsu à veteribus, ac recentioribus summo iudicio comprobatis: sic enim dabit illis Deus Opt. Max. breui admodum, pro hac medendi ratione peruersa, condignas pænas.

Vretica frangentibus misceantur.

Cinicus refellitur.

Vitrum combustum vel calculum.

Erat tertia difficultas, an pro pręseruatione à calculo vti liceat diureticis: quãuis hanc tractauerint clarissimi Medici, Petrus Apponensis, atque Montanus: tamen quia vniuersalius de hac re locuti sunt, nos habita ratione ad calculum breuibus quæstionem dissoluemus; si plura desiderabis, vtrunque leges. Dico igitur quod præseruantur à calculo, tum illi à quibus calculi extracti sunt aut medicamentis, aut sectione, aut natura: tum qui parati sunt, ne in illum incidant, de vtrisq; disseramus: atque primum ab vltimis exorsi supponere volumus à cruditatibus ventriculi suppeditari, vt plurimum viscidam materiam ad calculi procreationem idoneam, oportereque omni opere prouidere, vt eam antea præparatã expurgemus, ac de cætero ita ventriculum roboremus, vt amplius id excrementum non generet, de qua præseruandi ratione, quia diximus alio in opere, quantum ferebat tractatio, hoc loco nihil edisserentes, eas perquiremus caussas, quæ in renibus, aut vesica essentialiter continentur.

Vretica an conueniant pro præseruatione a calculo.

Calculus extractus solet vlcus procreare in renibus, in viis ductuum in vesica, nam certè tanquam miraculum haberi debet, si quis à calculo liberabitur, prętter quam quod vlcus patiatur: accidit etiam aliquando, quod renes materiam sabulosam post fractionem, & expurgationẽ calculi suppeditent, ac nonnunquã quod viscidam pituitam, & vitream in quibusdam contineant. Qui ergo voluerit eiuscemodi corpora præseruare, ne in calculos incidant, debet caussas omnes sigillatim extirpare, quod fiet auxiliis ab ipsa rei natura indicatis in hunc modũ.

Consolidandum est vlcus, quod cum fieri nequeat, nisi prius duo illa excrementorum genera, quæ in omni vlcere generantur, sordes inquam, & icor, inprimis remoueantur; hæc enim naturam ipsam impediunt, ne scilcet caro generetur, & agglutinentur diuisæ partes. Porro postulant hæc excrementa detergentia, & exiccantia, sed quia vrina per hasce partes profluẽs acris, ac etiam fortasse humorũ qualitas irritare potest vlcus, cauendũ est, ne quę detergunt, & sic-

cãt aeria sint: ex his concluditur, proprie dicta vretica minime cõuenire, quãdo quidem etsi fortè detergant & siccent, acrimoniam tamen vlceribus inimicam habent. Adde quod medicamenta debent anodynum quippiam complecti, quoniam etsi renum vlcera dolorem haud inferant, tamen vreterum caput, & vesica solet inferre magnum cruciatum: at certe vretica, quatenus talia sũt, anodynam facultatem non habent. has conditiones in medicamentis harum partium esse necessarias alibi docuimus. ergo vretica non conueniunt vlceribus. Dixi, vt talia, quia alterius commoditatis caussa possent conuenire, nempè vt vis pharmaci ad renes duceretur, sed hoc non accidit ratione vlceris, sed ratione distributionis.

Vretica non conueniunt vlceratis renibus per se.

Secus dicendum de his, quæ improprie vretica dicuntur: nam cum hæc non habeant acrimoniam, detergant, & exiccent, atque horum quædam dolores mulceant, fit vt illorum vsum accommodatum esse putem. syrupus ex althea primas partes habere videtur mihi, huic terebentina succedit, vt quę acrimoniam eluamus ab vlcere, abluere solemus. quædam rursus prosunt detergẽdo, leniendo, & obtundendo, non exiccando, vt ptissana, serum lactis, adhæc lactis genera, quæ liquidissima sunt, vt equarum, asinarumque. Quædam rursus existunt emplastica vi, & glutinante magis proficua, quam detergente, vt lac crassioris substantiæ. Sic Medici pro ut variæ vigent indicationes, variis vti consueuerunt auxiliis, vt in epistola ad Cirochum demonstraui.

Vretica impropriè conueniunt vlcerib. renũ.

Hoc vnum admoneo te, si vtendum sit lacte pro detergendis renibus, pręterquam quòd tenuissimum eligendum est, exhibeas illud in tanta quantitate, vt per vias vrinæ expurget: fit hoc cum assidue quinque, aut etiam sex heminas statim egredienti ægro ex balneo, aut etiam ipso in balneo propinaueris: vbi enim videris vrinam copiosam mouisse, & lac per vrinarios meatus effluxisse diebus quinque, aut sex continuis, putato expurgationem ex renibus factam fuisse satis conuenientem, tunc equidẽ paulatim quantitatem minuito, vt vlcus agglutinare possis, corpusque nutrire longis alioquin vigiliis conflictatum, & hoc semper ipso in opere memoriæ commendabis. Quoniam ex multis Medicis, inuenies paucos, qui ægris lactis potum bene administrent. hæc sane, vt alia multa, ad renes vlceratos conueniunt, quæ simul viscidam detergent pituitam, sabulosam substantiam, exiguosque lapillos. Nisi quod in posteriori hac caussa suspectus est mihi vsus lactis, etiam asinini: nam haud situm est in nostra potestate, vt effluat id per vias vrinæ; at retentum propter caseum lapillos exiguos posset in vnum cogere, vt etiam sabulum. Ergo quoniam calculus fieri ex pure solet, ex viscidis excrementis renum, & vesicæ, ex sabulo, paruisque lapillis, qui hæc detergit, ex iis partibus à calculo ægrotos optime præseruabit.

Nota de quantitate lactis exhibenda pro vlceribus renum.

Medicorum abusus in exhibendo lacte.

Epilogus dictorum.

Præseruatio à calculo in homine, qui nunquam passus est calculum.

Sed si passus æger nunquam est calculum, sed illi timemus considerandum, an in renib. contineatur aliquid præter naturam, cuius caussa fiat, vel nihil adsit, sed aliunde confluendum ad imbecillas partes vereamur. Si primum contigerit, abluendi sunt, detergendique renes ab omni incommodo, ac labe non vreticis medicamentis calidis, sc. ac siccis ordine tertio, sed temperatis. Etenim illorum vsus suspectus est, primum quia efficientem caussam adaugent: demum quia materiam magis indurant. Si vero nihil adsit in renibus, aut vasis vrinariis, quod detersionem postulet, etiam atque etiam çauendum ab vręticis quomocunque desumptis, quia tunc expedit auertere in contrarium, neque per affectum locum excrementa deducere. sic sentio circa difficultates propositas.

Valetudinem tuam cura, & coniugi tuæ cõmatri nostræ,
tum meo, tum Domicillæ vxoris meæ nomine
salutem plurimam dicito. Ex
Tolentino 4. Februarii, 76.

BARTHO-

BARTHOLOMEO CAESAREO SARNANENSI MEDICO.

EPISTOLA QVINTA.

DE ratione præseruandi à doloribus articularibus.

PERTVRBATISIMI animi mei signum cumulatissimum esse potest, Bartholomæe carissime, quod ego tuis literis, quæ mihi non Tolentini, vbi reddi debuerant, sed in Monte Sancto datæ sunt, antea minime rescripserim. quandoquidem vt prætermittam Equitis Aloysii Augenii nepotis mortem acerbissimam, fuit mihi quam pluribus diebus noctibusque incumbendum, vt matris meæ, Aureliique Guarnerii sororii mei Auximatis patricii commodis inseruirẽ, ac tandem aduenientibus maximis præter spem tum publicis, tum priuatis occupationibus, vix respirandi idoneum tempus dabatur. Igitur non admiraberis tarditatem hanc meam, nec vitio des mihi, si non satisfacio tibi (cui tamen vellẽ maximè) atque persuadeto nunquam me scribendi prouinciam tot perturbationibus agitatum fuisse, nisi caussa tua, suscepturum. sed, ne præfatio narratione sit maior, accedo ad rem ipsam.

Quęris, vt scribã, quomodo pręseruari debeat admodum illustris cõmissarius Apostolicus à doloribus articularibus, quorum origo fuit (vt asseris) humor à capite, in articulos defluens frigidus, atque viscidus, & quemadmodum recte sentis, cum aliqua portione bilis. Vt igitur hoc ipsum methodo fiat, inuestigandæ sunt indicationes præseruatiuæ, mox illi annectẽda medica materia. Itaque duæ (nisi fallor) indicationes vigent: vna ne de cætero à capite humor defluat: Altera, ne artus fluentem recipiat. Caput ex omnium Medicorum consensu origo statuitur fluxionis huius in subiectas particulas, quæ pro vario situ, atque consensu nõ ab vna capitis parte, sed à duab. interna & externa fluxionẽ suscipiũt. Ab externis quidem partibus fluxio fit in externas prope modum omnes in oculos, in maxillas, in dentes, in extimam cutem, ac tandem in singulos artus. Voco externas partes, quæ craneum ambiunt, vt pericraneum, venæ, arteriæ, caro, cutis, quæ vbi excrementis abundauerint (abundant autem ob loci conditionem, & crassitiem cutis admodum frequenter) in externas enarratas partes destillationem profundunt. Hæc certe vna est origo fluxionis ad articulos, sed non sola, quia, vt alias docui, ab aliis etiam partibus materia transmitti potest. Quæ vero interiores in capite partes existunt, cerebrum, meninges, venæ, arteriæ, ductus cauitates, vbi repletæ sunt excrementis, eructant illa in partes internas, vt in fauces, in organũ aurium, narium, in thoracis cauitatem, & substantiam, in ventriculum, vterum, renes, ac in genus alias, Hoc ipsum cognouisse ad præseruationis integritatem consequendam plurimum conducit. Igitur prima indicatio est ne caput mandet de cætero in articulos excrementa, sed quia hoc fieri nõ potest, nisi tollantur caussæ, à quibus excrementorum prouẽtus generatur: opus est, vt omnem diligẽtiam, & operam adhibeamus, ne positæ supra craneum partes, humores superuacaneos generent. Quia vero ex hepate, & ventriculo plurimum cumulari scribis eiuscemodi humores ex cruditatibus, & euaporationibus earum partium, prouidendum est in primis sedulo, ne quicquam mali ab hisce partib. transmittatur, quamobrem in vnum colligentes hasce indicationes, tres præcipue videntur mihi, prima omnium executioni demandanda est, ne partes naturales crudorum hnmorum copiam generent: secunda externas capitis partes ita quidem roborare, ne recipiant aliunde influxum, vtque quod iam receptum est, discutiatur. Tertia & postrema articulis prospicit, ne recipiant.

Indicationũ omnium inuentio methodo resolutiua, & inuentarũ ordo in executione.

Nunc itaque de medica materia differamus: in primis ventriculum, mi Bartholomæe purgabimus, non modo qnotãnis Vere & Automno, sed etiam leuioribus quibusdã medicamẽtis fere singula quaq; hebdomada, eisdem tẽporibus

vt explicabo posthac in tui gratiam libenter: mox dicendum, qualem instituere vict. ratione sibi debeat, ne scilicet superuacanei humores de cætero generetur.

Vera purgatio pro præseruatione ab articularibus doloribus vtilis

Ineunte vere, si tibi videbitur corpus sanguinis abundantia refertum, secato venam exteriorem (cæphalicam vocant) dextri aut sinistri cubiti, pro vt opportunum videbitur, ea prius adhibita præparatione, quam ars exigit: humores dein expurgentur: si vero corporis conditio venæ sectionẽ non postulabit, abstineto. Corporis expurgatio in hunc modum tuto institui posset.

Lenitio.

Rec. specierum hyeræ.s.drach.i. diacatholici vnc.i. pulpæ cartami scrup.ii. cum zucharo fiat bolus, vel dissolutio cum decoctione betonicæ, iuæ, sticados, & mentæ: capiat horis ante prandium duabus: & pro die sequenti. 10

Præparatio

Rec. syrup. de Betonica vnc.i. mellis rosacei zucharini, sy. ex endiuia ana vnc.s. Decoctionis betonicæ, iuæ, barogini, sticados, mentæ vnc.iiii. mis. pro vno & sic pro aliis, donec humores videbuntur optime præparati.

Expurgatio

Si aluus non fluat sponte diebus intermediis, enematis vtatur, præparatum corpus sic expurgato.

Rec. Diacartama .drah. vi. diacatholici ellect. lenitiui ana: drach. iii. dissoluito cum decoctione supradicta, qua cum efferbuerint foliorum senæ vnc.i. & assumat seruatis seruandis pro die sequenti vtatur enemate ex decoctione cõmuni, florũ sticados, betonicæ, camomillæ, & furfuris in lib.i. liquãdo, diafenici vnc. s. zuc. rubei vnc.i. mellis rosacei zuc. vnc.iii. hæc quidem, aut similis esse poterit 20 purgandi ratio Vere, & Autumno, nisi quod in Autumno à venæ sectione ex cubito abstinerem, cuius loco venas hæmorrhoidales aperirẽ, si passionibus melancholicis fuerit obnoxium, aut fluore sanguinis ex illis venis assuetus: tum vero humorem ab æstatis calore exarefactum purgarem additis melanogogis medicamentis optime artis præscripto præparatis.

Purgatio mediis temporibus.

Intermediis autem temporibus excepta canicula assuescat catapotiis ex agarico partibus duabus, & reubarbaro par. vna cum syrupo de betonica reformatis pilulis, quas capiat eunti dormitum singulis diebus quindecim bis, sc. quolibet mense.

Placeret autem sumopere, vt ter in mense post leuem cænam assumeret optimi mitridati scrup.ii. castorei. scrup.s. in bolum cum zucharo redactis. Vigente 30 cane duabus horis ante cibũ assumat zuchari rosati vnc.s. reubar. optimi scrup. i. erit enim præsidium efficacissimum pro roborandis partibus naturalibus.

Hyeme quibus vtendũ.

Hyeme nullum excogitari potest præsidium efficacius pro explendis omnibus indicationibus propositis, quàm frequens vsus terebentinæ optimæ laricęę, quam exhibere soleo magna fælicitate: modum in alio opere tradidi, &, si bene recordor, oretenus communicaui tibi, cum mecum de hac re olim loquebaris.

Victus ratio instituatur ad contrarium caussæ, de qua ego pauca conscribam, quia tibi, viro in artis operibus exercitato, notissimam esse non dubito, vt reliqua. Sed certè tacitus non prætermittam, quod pro præseruatione à doloribus 40 articularibus abstinendum sit à vino generoso, & oligophoro. Illud namque vapore suo caput ferit humores flux: biliores facit, caput præparat ad destillationes, humores frigidos procreat. Hoc autem non roborat ventriculum, nimisque velociter humores ad articulos distribuit. Eligamus itaque medium, ac minime fumosum, quod semper temperabitur aquę portione dupla, aut etiam pro consuetudine hominis. Obseruet tamen, cœnam oportere prandio minorem esse: quodque hora vespertina siccioribus alimentis vtatur, caueatque ab aceti vsu immoderato: atque hæc satis de indicatione primo loco proposita.

Secundæ intentionis remedia.

Accedamus modo ad caput in quo oportebit corrigere intemperiem humidam, & corroborare ne recipiat. Hic quamuis proponi soleant remedia quam- 50 plurima, sane maxime in duobus confido, in ablutionibus capitis, & posthac in aquis medicatis.

Capitis lotio.

Abluat caput singula quaque hebdomade ante cœnã (hoc enim præstat multo magis propter occupationes publicas, & ambiẽtis iniurias, quam hora matutina) ex decoctione florum camomillæ, saluiæ, sticados, mentæ simul cum furfuribus

ribus in lixiuio prædulci facto ex cinere vitium in quo agarici optimi dragm. x. in panno lineo ligati decoquantur simul, opus est, vt pluribus diebus hanc abluendi rationem sequatur, nam certè vtilitatem summam percipiet.

De medicatis aquis haud loquor: cum debitum fuerit vtendi tempus, dicam copiosius.

Huc etiam spectat reuellendi ratio ad partes maxime distantes sese particulę, sed certe maximè vicinas demandanti, vt in tractatione de reuulsione diximus, tum etiam libro quarto commentariorum ad Galeni librum de ratione curandi ad Glauconem.

10 Reuulsio fit, pro natura, & conditione humorum confluentium. qui enim affatim confluunt, subitam reuellendi rationem postulant, quæ vero continuo, & paulatim, exigunt reuulsionem continuam: quo in numero proposita est fluxio.

Porro non proficientibus reliquis, quorum hactenus facta mentio est, cauteriis vterer ad brachia vtraque: neque abhorerem sinapismata, ac dropaces in coronali sutura: à quibus optima fieret reuulsio, hac tamen lege, vt innouarentur sæpe, vt puta semel singulo quoque mense, donec renascentis affectus omnis penitus remota esset suspicio.

Pro tertia indicatione consequenda, quædam proponentur vtilia, primum est, vt foueat articulos decocto aliquopiã astringẽti, simulque temperate discu-20 tienti, quale est quod sequitur.

Tertia indicatio.

Rec. rosarum rubrarum, foliorum plantaginis cupressi an. man. i. pomorum cupressi contusorum. nu. iiii. aluminis vnc. ii. Absinthii vnc. i. vini subastringentis, lib. quinq;, fiat decoctio in qua abluat iuncturas calidas eunti dormitum, & à lecto resurgenti: sanè iuuabit multum.

Fotus proroborandis articulis.

Aliud est remedium, vt crura in vinaceis calidis immergat, iis obseruatis conditionibus, quæ de hac re à Medicis scribuntur.

Medicamen, quod à podagra tutos reddit, quantum in illo est: hoc est, si ne intemperantes, nec incontinentes vtantur.

30 Rec. betonicæ, mirrhæ optimæ, aiugæ, radicum gentianæ singulorum drac. i. pimpinellæ, aloes, camedrios singulorum drachmas duas, Croci drachm. Rediguntur in puluisculum, melleque excipiuntur rosato, & stillatitia saluiæ aqua, vt in massam coeant. Vtendi modus, quarto, aut quinto quoque die si pilulæ ciceris magnitudine septem inde deuorentur toto Veris tempore: reliquo bis terve mense sumpsisse satis fuerit.

Aliud ex eodem catapociorum genere, atque ad eosdem vsus accipit. Succi aiugę spissati, succi camedrios vtriusque sextantem hyssopi, seminis hipericonnis singulorum semiunciam. Redacta in puluerem excipiuntur terebentina, quantum satis est, vt fiat magdaleon: datur quotidie eiusdem magnitudinis pilula.

Hæc habui quæ scriberem in proposito casu, vt tibi solum satisfacerem, qui 40 meam audire sententiam desiderasti. Curato mihi harum literarum copiam. Sunt enim ex tempore conscriptæ, ac ferè indignæ, vt in manus veniant clarissimorũ hominũ, quos hic suæ salutis authores habet. Scribito, si placet distinctius, quale illud sit, quod de Cordella scripsisti ex Ioanne Fernelio, nam haud plane intelligo: audire desidero, quia iudicio, & doctrinæ hominis huius multũ tribuo. De gentiana nihil dico, quia scies, cum indiguero: tu postea vt fiam voti compos, operam nauabis. Vale. Ex Tolentino die 16. Aprilis, 1276.

50

LVCIO BELLASPICÆ CINGVLANO.

EPISTOLA SEXTA.

Exponitur ratio curandi fistulam ani, cum tumore præduro sphincteri.

AFFECTVS, qui pro cæcis hæmorrhoidibus à præstãtissimis Medicis, potissimum autem à Hieronymo Vitelesco habitus est, adeò manifestam præbet cognitionem sui, vt admirari etiam, atque etiam nõ desinam, quod illos præterierit: sed ne in aliorum opinionibus reprobandis, tempus, quod mihi occupatissimo, exiguum datum est, conteram, aperta veritate, indicationes curandi, remediaque illis respondentia elicere, quo ad eius fieri potest, conabor diligenter. Accipe igitur (compater charissime) hanc pro tuo commodo institutam qualẽcunque lucubrationem, eo animo, ac vultu, quo me recipere præsentem soles, tibique certissimè persuadeto, ex omnibus existere neminem, quem diligam te ipso magis, & cui magis me debere desiderem.

Vlceris & tumoris in musculo podicis cognitio.

Quamobrem dico te nõ pati hæmorroides illas cæcas, sed morborum genus duplex; vlcus nempè, & tumorem præter naturam in interna podicis parte constitutum. Continua enim per menses multos, simulq; dura, qua vsus fuisti equitatione, factum est, vt sanguis è vena caua per hæmorrhoides in partes inanes, quæ circa podicem sunt, affluens, ac pro loci imbecillitate, externæque caussæ vehementia cõfluens in dies magis tumorem præter naturam effecerit, oculato Medico, omnibusque conspicuum. Hic eo temporis interuallo, quod satis longum intercessit, pro parte ad abscessum perueniẽs, in rectum intestinũ, vbi propter molliorem, tenerioremque substantiam, multo quam in extremam cutem frequentius erumpere solet; pus, & saniem eructans, vlcus in ea parte sordidum reliquit: atque vtinam vlcus reliquisset solum (foret enim curatio facilior) & non permansisset simul tumor præter naturam. Si quidem confluxus sanguis non omni ex parte transmutatur in puris substantiam, sed sanguine tenuiori degenerante, portioneque crassiori permanente, durus quidam tumor permansit, qui nunc etiam perdurans ab omnium excrementorũ illuuie, & sanguinis atri fluxione fotus, conseruatus, auctusque cum vlcere ingẽtem perhibet molestiam. Pondus, grauitas, dolor, vrinæ reddendæ difficultas, labor in fæcibus emittendis à tumore præternaturali proficiscuntur. Hic mole substantiæ pondus & grauitatem facit: dolorem distendendo, atq; compressione ad vesicæ musculum facta, mingendi laborem: & latas alioquin, ac patentes vias coarctando in excrementis reddendis difficultatem procreat. Viscidam, aliquando subpallidam, & cruentam saniem, tenasmum, sanguinis stillacidiũ exiguum, vlcus in ea sede contentum, ostendunt. Absolutum pus numeris omnibus, quod scilicet album sit, leue, & æquale, & minimè fætidum, vbi tantorum excrementorum prouentus adest, oriri non potest, sed pro illorum diuersitate varium redditur: Inanes verò egerendi cupiditates adueniunt, quia feces non stimulant, sed acris in intestinum substantia ex vlcere defluxa, quod si aliquando ab alui durioribus excrementis locus irritari contigerit, guttæ sanguinis emittuntur, & que sanies subcruenta. Porrò diuturnũ est vlcus, cauum, cacoethe, malignũ, & fistulosum: pars enim illa calida, & humida, sordida excrementorum vacuationi destinata, & continuis laboribus obuia eiuscemodi affectus producit, qui paulatim exedendo superiores partes fistulam fecit, quę sanè terminari videtur in spina dorsi, vt obseruauimus præteritis diebus. iam verò tumor, quamuis non sit exquisitus scirrhus dolet enim, neque insignem duritiem, dum tangeremus, habere obseruauimus; tamen nè in illius naturam, aut etiam peioris transmutetur (nisi auxilia præsto sint) timendum est. Esset enim admodũ leue negocium, cum à crassiori sanguinis parte abundante, tumorem fuisse procreatum, fuerit à nobis demonstratum, atque in dies tenuiores partes, vel sponte, vel medicamentis dissol-

Caussæ redduntur omnium, quæ in sunt præter naturã.

dissoluantur. His videor complexus omnia, quæ ad naturas, caussas, & symptomata affectuum propositorum attinent. Horum methodus curandi habere in hunc modum videtur mihi.

Fluẽtes humores vacuatione reuellendi sunt: qui verò in affecta sede continentur, per viciniores partes deriuandi, discutiendi, particulaque affecta corroboranda: vlcus replendum, detergendum, glutinandum.

Indicationes curatiuæ

Præseruatiuæ autem proprium fuerit prohibere, ne posthac noua fiat humorum congeries: vbi vero non poterit præstari, modum inuenire oportebit: quo multo salubrior, quam antea permanere possit: Habet enim difficultatem 10 apud me maximam, an sanari possit, nec ne. Quia multis de caussis vitia sedis ægri curationem recipiunt. Primum, quia affectus consistit in parte sensu admodum exquisito prædita: Dictumq; à me sępius est, id genus corpora facile ab austeris, & acribus medicamentis irritari: quin etiam recrementorum transitus, & ipse per se mordax est: & magis quod tum bilis ipsa, tum quædam sanies interdum permanet. Propterea adhuc, quod Medici statutum tempus non habent quo applicent medicamẽta, sed ægri magna ex parte intempestiue, & quãdo non cõuenit, ad excretionem irruant. Iam humiditas, caliditasq; loci siccantium, pariter & refrigerantium indigna, haud mediocriter curationis difficultatem auget. Sigillatim autem hi duo affectus, & difficultatem, & diuturnitatem 20 curationis apertissime indicant, fistulosum vlcus sanari certe non poterit, sed fortasse mitigationem aliquampiam recipiet: scirrhus vero qui propterea minatur grauiorem affectum, quo cum peruentum fuerit, misere discedẽdum è vita, atque si adhuc ipsum non terminetur, tamen suapte natura diuturnam, ac difficilem, eo autem in loco impossibilem curationem obtinet. Attamen tentari debet curatio, non quod speremus posse te hoc affectu liberari, sed vt saltem viam aliquam ineamus, qua possis minus male habere, & vt quod reliquum est vitæ, melius transigatur.

Vitia sedis multis de caussis ægro sanabilia sunt. Ex Gale. 9. de cõp. medic. loc.

Itaque primum omnium crassiorem sanguinem secta vena interiore sinistri cubiti, ac satis amplo foramine à toto corpore fluentem ac potissimum à splene 30 vacuantes ab affecta sede reuellemus: si crassus non fuerit sanguis, qui secta vena educitur, illico supprimere vacuationem expediet: nec fuerit extra propositum incidere venas malleoli pro vacuatione, & deriuatione: qui vero qualitate molestiam faciunt, humores purgatione reuellendi sunt, & vacuandi: si prius illam quam suo iure postulant, præparandi rationem adhibuerimus, optime factu fuerit apozema constituere ex lupulis, fumiterrę foliis, buglossi vtriusque radicibus & floribus, adianto vtroque, & scolopendrio, cui vt vires de se validiores promat, addendum serapii ex melissa, & alterius è scolopendrio, portio, quæ satis coueniens videbitur: ac vbi semel, iterumque, ac si oportuerit tertio præparationem adhibuerimus, tunc humores purgatione per vomitum reuellendi sunt: 40 nam absurdum est per locum ducere, qui fluxione, vel tentatur, vel tentari solet: Intestinis laborantibus per superiora, ventriculo autem per inferiora medicari debemus. Varia pro expurgando per vomitum corpore olim antiquitas excogitauit auxilia, sed mehercle omnes antiquorum omnium compositiones, omniaque auxilia superat Diassarum Ioannis Fernelii, quod nullo labore quibusdam interuallis tuto vomitum ducit omni ætati, omni sexui, atque etiam prægnanti tutum, & familiare. Affero in tui gratiam, medicamenti compositionem, atque etiam, vt medicis satisfiat, quibus mea hæc legere continget.

Rec. syrupi violati, de menta singu. vnc. viii. coquantur in mellis crassitiem. & in fine igne subducto asperge, radicis peponis arefactæ, seminum raphani, & 50 vrticæ maceratorum in aqua rosacea arefactorum, atque tritorum an. vnc. i. radicum assari contritæ, & cretæ vnc. ii. cinamomi, semin. fæniculi an. drag. iii. confice electuarium liquidum: dosis est drag. iii. ex sero lactis, aut mulsa.

Diassari compositio.

Mirum est quantas habeat vires medicamentum, & quanta facilitate vomitum ducat, in his etiam, qui huic vacuationi assueti non sunt.

Hoc tibi sit summum, maximumque artis huiusce nostræ mandatum (com-

pater) vt vomitum adeò familiarem tibi facias, vt semel in mense hanc purgandi rationem ineas: qua ab inferis partibus fiet reuulsio, & crudorum humorum expurgata colluuie optimā præseruandi rationem habebis.

Hæc vbi præstiterimus, haud ab re fuerit per eandem sedem purgare, sed magna tamen diligentia, & iudicio excogitanda, in id opus sunt auxilia, ne illorum temeritatem imitemur, qui quomodocunque validioribus pharmacis purgantes, & se ipsos, & miseros ægrotos præcipites dederunt. Medicamenta sint ex eorum numero, quæ atrum sanguinem respiciant, vacuentque aut leniendo, aut parum attrahēdo, quorum, quamuis copiosa sit apud omnes silua, ego tamē præ- 10 cæteris decoctum ex senę foliis, aut ex mirabolanis dempto helleboro, Montani Veronensis præceptoris mei, quem semper honoris caussa appellandum duco, tanquam summè proficua extollo. Iuuabunt hæc plurimū, sed certè affectus vndequaque minimè discutient: quamobrem alia generosa præsidia excogitanda sunt. Sed vt reliqua taceam, maximè confido in vsu decoctionis radicis Chynarum; nam reliquias crassi humoris per sudorem validissimè vacuans, eum etiam, qui in tumore continetur, educere, extenuareque sanguinem valebit, cumq; id citra sensum caloris faciat, habeatque medicamentum ad affectus diuturnos, & ægre curabiles persanandos facultatem, & sympathiam admirabilem, arbitror nullum reperiri posse magis conueniens. Medicamēto igitur ex radicis Chinarum desumpto, nos ad locum propinquius accedentes, vbi ne noua in affe- 20 ctam sedem irruat materia, certi fuerimus, localibus auxiliis tumor discutiendus, vlcus detergendum, carne replendum & consolidandum est: atque primum duabus hirudinibus appositis in sinistra parte podicis, qua tumor extrinsecus prominet, atrum sanguinem educerem: mox ad insessus peruenirem: ex herbis, floribus, radicibus, ac aliis id genus, quæ vim emolliendi, ac discutiendi, corroborandique possideant, vt floribus camomillæ, melliloti, acanthi, altheæ floribus, & foliis, radicibus verbasci, absinthio, aliisq; facultatis eiusdem: pro materia non eligerem oleum, quia vlceribus inimicum, non aquam propter eandem caussam, sed vini partes treis, aquę pluuialis par. i. Addito his insessum in luto Diui Bartholomæi, à quo memini olim nonnullos à tumoribus durissimis fu- 30 isse mire liberatos. Cæterum quomodo vlceri prouidere debeamus, non scribo, quia opus est, vt chirurgum expertum inueniat, quia quotidie locum abluat, detergat: tandemque faciat opportuna. Sed tamen duo sunt hoc loco silentio minime inuoluenda: primum vt in partibus externis fistulosi vlceris exitus procuretur: huius consilii hæc ratio est, quod sordes retentæ ipso in vlcere cauo & in sinibus, facto emissario in procliuiori parte facile quidem, & cum ingenti vtilitate purgabuntur: etenim ad huius operis perfectionem non est temere vtendum quocunque artifice: qui enim doctrina, & iudicio parum valent male consulentes ægrum commodo, deterioris conditionis vlcus faciunt quam præfuerat: in aliorum numero, quibus nostra abundat Prouincia, pri- 40 mas partes tenet Durantes Scacchus Nursinus: cuius fide, & industria, committens negotium minimè aberrabis. Alterum est, quod admoneo, vt sanationem huius fistulę non cures, quia primum erit fortasse impossibilis, mox data possibilitate, corrupti humores, aut quomocunque superuacanei, in ipso corpore, quorum expurgatio erat per sedem, facile refluent ad superiores partes, emissario iam clauso, tamen si quis id facere tentauerit, consulat præ cæteris Hippocratis librum de fistulis.

Insessus.

Lutum diui Bartholomæi.

Putauerim itaque operæ pretium esse callo omni ex parte deterso, vti puluere plumbi in hunc modum præparati: plumbum in laminas, quam tenuissimas de- 50 ducitur, hæ minutissimè conciduntur acetoque, quam acerrimo immerguntur, maceràturq; triduo, mutato quotidie, si videbitur, aceto: postea exēptę, & igne siccatę citra vstionem in mortario laboriose teratur, vt tandem in tenuissimum leuissimumque puluerem redigantur: hic malignis vlceribus inspersus blandè corrigit illa, & expurgat, & abstergit, atque ad cicatricem citra vllum sensum doloris successu vere admirando perducit: Audacter vtitor medicamēto in modum

dum sequentem, & mihi adhibeto fidem, quantumve posset, ingenti tuo commodo experieris.

Recipe pulueris huius dragm.iii. decoquantur in hordeacea, vel mulsa si maiorem facere detersionem volueris: mox iniiciatur per siphonem in fistulã, vel:

Recipe pulueris vnc.s. dissoluito cum lacte asinino, aut caprino & iniicito: si volueris fluentium humorum acrimoniam obtundere, & dolorem mitiorẽ reddere. Quo verò tempore magis desiccare volueris, hunc eundem puluerẽ vino nigro dissolutum iniicito. De ipsa curandi ratione satis diximus: nunc verò rationem præseruationis doceamus.

Plumbi pulueris vtendi modus.

In medicamentorum genere tria potissima sunt. Alterum de quo meminimus nempè vomitus: nam quæ circa ventriculum aceruari solent excremẽta expurgantur singulis mensibus. ex quo certè remedio vtilitatem, vt dixit, non mediocrem consequeris. Secundum est mirabolanorum vsus frequens conditorum, præsertim chebulorum. Tertium, cauterium in exteriori parte vtriusque cruris. In ea verò medicinę parte, quæ victus ratione, ac lege medetur, hæc potissimum obseruanda.

Primum, vt omnis aëris extremæ qualitates deuitentur, nam vbi modum excesserint, malę. Deinde, vt ab omnibus alimẽtis abst nęas, quæ crassum generare, & fęculentum humorem possunt: quod explico qualia sint hæc, quia tibi notissima sunt, si eorum, quæ alias tibi significaui literis meis, recorderis, in quibus omnem, quæ ad hanc rationem attinent, expositam alimentorum, potusque legem habes: ac rursus si oportuerit, cũ inuicẽ loquemur, explicabitur. Laboriosi motus deuitentur, præsertim equitatio, quæ tanto magis oberit, quando fuerit durior, leuis idcirco ambulatio proderit, quæ tibi pro exercitatione sufficiet. Alui excrementa, quæ sponte, libereque non affluant, procurãda: quæ res lenientehumectanteque victu fiet admodum bene, nisi fallor. Vbi verò alui expurgatione indiguerimus, id pręstabit prę cæteris simplicis electuarii ex mixariis vsus: aut Medicamentum diacatholicon, quę non solum pro educendis fęcibus, sed pro tumore loci discutiendo, & educendo sanguine crasso, & fœculento ex ipsa fistula egregiam præstabunt operam. Omnem ciborum plenitudinem etiam, atque etiam caueas: meminerisque quod somnus, & vigilia vtraque cum modum excesserint malum. Animi affectus omnes, gaudio duntaxat excepto, obesse non parum possunt. Hæc sunt rerum capita, quæ mihi tuo commodo duxi in præsentiarum scribenda. Interim vero Deus Optimus Maximus pro insigni erga mortales omnes pietate, tibi sanitatem tribuat: mihique eam elargiri gratiam dignetur, vt actiones meæ in humani generis vtilitatem, & animæ meæ salutem dirigantur. Vale.

Victus ratio

haud

HIERONYMO LANDEO.

EPISTOLA SEPTIMA.

Quid sit hystericus affectus, siue vteri suffocatio, quæ illius differentiæ, quibus de caussis fiat, quæ curandi methodus, quæ materia medica, ac postremo quam ob caussam odorata naribus admota obesse credantur, suffita vero prodesse.

INTER eas caussas, quæ me ipsum ad tui amorem maximè impellunt, duæ sunt præcipuæ, mi Landee: Vna est quod hanc artem, quam communiter exercemus, plurimum diligere mihi videaris, cum diu noctuque laborans intactũ nihil relinquas, quod tũ ad artis perfectionem, tum ad animi tui cultum faciat: Altera est, quod iam pridem cognoui te moribus suauissimus præditum, qui faciunt apud omnes amabilem: idcirco nihil est, quod ab Augenio sperare possis,

quin ſtatim ſcias, te id omne conſecuturum: proinde quodcunque volueris, petito, ac dabitur: interim admoneo te, vt memineris.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Hymeneum non gaudere muſis.

Hymeneus non gaudet muſis: his ſi tu dabis operam, qualem conſueuiſti, incumbere non valebis illi: aut ſi conaberis, in perniciem tuam omnis eiuſcemodi conatus terminabitur: nam vt optimè Heſiodus in Theogonia.

Τῶν καὶ ἀπὸ βιεφαρον' ὄσις ἤβετο δ' ἐσιλωμεάον.
λυσι μελὴς.

Ac pariter meminiſſe illius expediet, quod in ſecundo epigrammaton incerto authore ſcriptum eſt.

λυσιμελῦς βάυχυ καὶ λυσιμελῦς φροδίτης
γεννάιε θυγατὴρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

Sed ego certè ſim ridiculus, qui tam aperte noctuas Athenas. Excuſatum habebis Augenium, qui nimio erga te ipſum amore ductus, admonere voluerit: ſed his prætermſſis accedo ad eorum, quæ ſcripſiſti, explanationem.

Quæris vt explicem tibi, quibus ex cauſſis proficiſcatur vteri ſuffocatio, & quibus remediis malo huic atroci ſubuenire conſueuerim: atque rurſus, cur contingat odorata naribus adhibita hũc augere affectum, minuere autem, inferioribus partibus ſuffitu adhibito, quæ res tibi plena videtur controuerſiarum.

Igitur tibi ſatisfacturus, paulo altius repetito principio nonnulla primum dicam de natura affectus huius, quę mihi alioquin ſatis ambigua videtur: mox breuiter de cauſſis, & indicationibus ediſſeram, ex quibus elucent remedia, ac methodus curandi, quam deſideras. Affectus hyſtericus eſt (vt iam de primo ediſſeram capite) inanis ſuffocationis metus, ob vapores malignos, venenatoſque ex vtero ad ſuperiores partes aſcendentes procreatus. Hyſterici affectus nomine duo intelligere conſueuimus, omnem ſcilicet vteri affectum, quicunque ſit, & à quacunque cauſa proficiſcatur: atque etiam particularius, veluti per excellentiã, eum, qui ſuffocatio ab vtero, aut ſtrangulatio, aut præfocatio dicitur: nos hac poſtrema ſignificatione vtimur, quia priores fœminæ artẽ medicã profeſſę, à quibus nomen ipſum audire potuit, hyſtericas ſeipſas, id eſt, vt Galenus interpretatur, ab vtero ſuffocatas, nominare ſolebant. Aliis ἄπνυς ſeu ἄπνοια reſpirationis priuatio, nuncupatur, de qua librum ſcripſiſſe Heraclidem Tarentinum Galenus commemorat ſexto de locis affectis. Putauit Paulus Aegineta hũc affectum eſſe vteri ad ſuperiores partes recurſum, qui mihi in eo diſplicet, quod eſſentiam non videatur aſſequi ipſius rei de qua agitur: recurrit quidem vterus ad ſuperiores partes, quando mulier ſtatim enixa fuerit. dum enim emittit fœtũ, ad inferiores tendit, motu etiam adeo valido, vt nonnullis quidem non potuerit poſtea ad ſuum ſitum reuerti, at hic ad ſuperna recurſus, mulierem non reddit ex vtero ſuffocatam. Adde quod cauſſa quædam eſt affectus, non autem natura & eſſentia, aſcenſus ipſe: neque ita cauſſa ſtatuitur à nobis, vt immediata ſit, quia id vitium patiuntur illæ ex vtero, ſiue moueatur, ſiue non moueatur. Neque mihi admodum placent, qui ex Moſchionis ſententia dixerunt, præfocationem impedimentum eſſe reſpirationis cum omnimoda quiete. Nam apoplectici, & catoche obſeſſi, alii ve plures reſpirationis habent impedimentum, atque immobiles manent. Me quidem non fugit multa ſymptomata ſub hoc nomine cõprehendi, quatenus ab vna communi origine ortum ducant, inter quæ metus ille continuus ſuffocationis primum locum habet, à quo ex communi omnium conſenſu nomen inditum videtur, Eſſentia rei debet reſpondere communibus notionibus, & quo magis reſpondent, eo melior iudicari debet definitio. Quid autem ſit, quod animo concipio, id nunc explanandum cenſeo. Eſt itaque animaduertendum, quod quamuis tota labes affectionis in vno conſiſtat vtero, tamen per conſenſum non modo læduntur omnes humani corporis partes, ſed propriè ac principaliter cerebrum læditur, quia habent omnes imaginationem quantam corruptam, putantes ſtrangulari ab aliquo intrinſecus violenter fauces conſtringente, cum id tamen nuſquam

ſit verum

sit verum: nam si vterus ascendit, inferre nullum potest detrimentum faucibus: si vapor, is multo minus habet hanc efficiendi potestatem: itaq; cum semper arbitrentur suffocari, corruptam esse imaginationem constat, atq; propterea definientes diximus inanem esse metum suffocationis. Huius effectrix caussa proxima statuitur, non motus vteri ad supernas partes, sed vaporum perniciosorum ascensus, qui duobus modis cõtingere potest, vel cum vteri motu, vel citra motũ: Si quando mouetur vterus, vapores tamen cum ipso motu ad superiores partes minime transmittãtur, nequit fieri ex vtero suffocatio, quamobrem simplex motus vteri, quemadmodũ supra dicebamus, continens esse nequit caussa hysterici affectus: At si concurrat cum vaporum ascensu, caussæ potestatem ita auget, vt perniciosissimum, maximumq; affectum procreet. Hîc quædam de motu vteri dicamus. Moueri hunc admittunt omnes, sed quomodo moueatur maxime cõtrouersum est. Galenus contra Platonis decreta disputans, parum omnino moueri illum autumat, motumque non esse illius proprium, at proficisci ratione ligamentorum, cum nimia plenitudine referta secum vteri substantiam attrahũt: alioquin esse animal quoddam videretur, vt idem Plato scripsisse visus est. Ego sane huius authoritate motus, aliquando censui nõ dimoueri, aut parum è sua sede, vterum: at ægrotãtium mulierum modo querimonia, modo precibus adductus, hunc sæpe tactu deprehendi instar globi cuiusdam in ventriculum efferri, eumq; grauiter opprimere; Hinc & sæpe manu deprehensus est, manifestoq; in propriam sedem propulsus. At quamuis sponte (vt reor) mouetur vterus, aut errat, non propterea animal videri debet: nam & ventriculus pars plane naturalis, sine arbitrio, sine iussu nostro mouetur, cum rei alienę lacessitus iniuria magno impetu hanc vomitionem repellit, aut cum fame exinanitus iucundo cibo, quasi gestiens, occurrit, huncque ab ore vix dum præmansum eripit, ereptumque adeo auide continet, & arcte amplectitur, vt vndiq; contractus, in eum quasi totus incumbat. Hæc, si in ventriculo conspicua sunt, multoq; magis in corde, cur non similiter in vtero fiant? Hunc enim scimus prima fœtus conceptione semen attrahere, genitumque fœtum nouem mensibus continere, & maturum (quasi cognitione sit præditus) extrudere. Proinde non parum demiror Galenum, qui contra Platonem scripserit, ac præsertim Hippocratis fuerit vsus testimonio, quod sanè multo magis Platoni, quàm Galeno fauet: nam certè quę ab illo producuntur ex libro de articulis, si diligens eorum adhibeatur discussio, nihil amplius continent, quam errare vterum, & moueri: quam rem fieri posse ratione vinculorum, & appendicum, quibus adhæret vterus, negabit nemo, sed quod hanc duntaxat tum ibi, tum alibi caussam admiserit, non admittet ille, qui multo apertiores locos Hippocratis pro se ipso ferre potest: horum quosdam afferemus. Si vteri ad hepar accesserint (inquit libro de natura muliebri) muta derepente fit, & dentes conserit, & color niger fit: patitur autem hæc derepente dum sana est. fit autem eiusmodi affectio virginibus maxime antiquis, & viduis, quæ iuuenculæ sunt, ac pepererunt, ac viduæ manent, cum sic habuerit: depulsione per manum infra facta sub hepate, aut sub præcordiis fascia deligato, & aperto ore vinum odoratissimum infundito] ac rursus eodem libro. Si ad cor progressi vteri suffocent, & non procedant &c.] & alibi. Si vteri ad viscera conuersi strangulauerint.] &, si vteri ascendentes suffocarint] at libro de morbis muliebribus primo, inquit: Vbi vero apud hepar, & præcordia fuerint vteri, & strangularint: mulier albas oculorum partes subuertit, & frigida fit] & libro secundo: Si vero ad cor progressi vteri suffocent &c.] ac rursus. cum autem ad pręcordia allapsi strangularint] cum vteri apud præcordia constituerint, suffocatur veluti &c.] & alibi, cum vero ad hepar cõuersi fuerint vteri, mulier derepẽte voce destituitur. &c.] sed si vellem omnes locos recẽsere, superuacaneũ videretur: poterit vnusquisq; obseruare apud hunc authorem, vterum ipsum modo ad diaphragma, modo ad ventriculum, modo ad præcordia, nunc ad leuam, nunc ad dexteram partem moueri. Statuemus itaque hoc esse verum, quod experien-

tia, obstetricumq; longa obseruatione, Platonis deinde, & Hippocratis, mox autem iuniorum Medicorum authoritate confirmatum est.

Verum nolim putes, ita moueri vterum ad superiora, vt eius substãtia, aut iecur, aut ventriculum, aut diaphragma, aut cor pertingat: id enim est omnino impossibile, sed quia vterus neruosa pars est, atque exsensilis, vbi offenditur aliqua caussa præternaturali, ac etiam naturaliter citra læsionem aliquam, moueri cõtingit modo infra modo supra, modo ad latus: idq; adeò sensibiliter, vt q in artis operibus exercitatus est, id frequenter obseruauerit. Naturalis autem motus est, quemadmodum ventriculi, & intestinorum, diciturque superiores partes contingere, quod distendatur, ac distentus communicatione partium illias afficiat, haud secus, quàm vtero gerentes vltimis mensibus ob magnam extensionem, vt plenitudinem vteri factam sentiunt pręcordia pertingere, & grauare.

Hic motus vteri ad supernas partes iis potissimum contingit, quibus habenę, & appẽdices vteri laxiores sunt: tunc enim vbi lacessitur vterus, modo in hanc, modo in illam partem aberrans irruit. Irritatur autẽ aut rei pręter naturam, præsentia, quam in se continet, aut externæ, eiq; aduersæ molestiæ: tum quippe lacessitus, & quasi succensẽs de proprio loco decedit, vt quod infensum est, inimicumve fugiat, quod verò iucundum, ac blandum insequatur.

Hoc autem loco rursus adnotandum est, varios exister egradus eiuscemodi affectus: vnus est cum premitur mulier quodam præcordiorum dolore, spirandi difficultate, & nõnunquam lipothymia, qua tamen vix pulsus immutatur: nausea sequitur, quam nunquam, aut certè admodum raro succedit vomitio: sæpè tædinm quoddam, ac ciborum fastidiũm, vt plurimum cũ murmure, ventrisque rugitu. Metus hinc & desperatio ægram conceutit, ac plerumque tanta, vt se mox suffocatione interiturã putet, nullaq; ratione in spem erigi, recreariq; potest, hæc sigillatim omnia, aut horum pars maior succedit, cũ læuior est morbi caussa, vapore scilicet, qualem explicabo infra, nondum fauces, cerebrumq; obsidente.

Secundus gradus.

Alter est cum iam vapor malus, immo venenatus fauces occupauerit, quas tunc manifestius multo videtur, veluti vinculo constringere, aut manu præcludere, ac intercepto spiritu magnum inferre miseris mulierculis metum suffocationis. Illoque rursus ascendente cerebri arcem, varia atque admodum diuersa producit symptomata: hinc enim aliàs furor gignitur vterinus, quo cum garrulitate, iracundia, & in quietudine mouẽtur, aliaque fiunt plura desipientiæ genera, metus, horrorisque plena: atque hic gradus sæuitia omnes excedit, vtpote qui vel melancholicum affectum primum ex consensu affecto, ac postea per essentiam, cerebro, vel maniam, vt aliquando obseruatum est, prænunciare soleat.

Tertius gradus.

Postremus affectionis gradus est, cum vapor inducit soporem quendam, & veternum, quo mulier corruens veluti attonita iacet, sine motu, sine sensu vllo, auditione nõnunquam superstite, ac semper memoria præteritorum, permanente respiratione adeo parua, & rara, vt interdum nulla esse credatur, tãquam iam mortua extinctaq; sit; at nihilominus pulsus in his, interdũ constat, validusq; est, interdum obscurus, paruusq;, vt ne percipi quidem possit.

Porro sub accessionis finem humor quidam ex muliebribus locis excurrit, murmur in intestinis percipitur, attollũtur oculi, restituitur intellectus, sensus ac motus, corpusque firmari incipit: sæpè etiam deprehensum est frigus tunc temporis è capite per ceruicem, & scapulam, & brachium illabi, quod stuporem, ac difficilem motum redderet, exhiberetq; speciem quandam paralysis, sed quæ non multo post discuteretur. Ex his colligito, quid ego sentiam de natura affectionis hystericę: nempe hanc pertinere ad imaginationem corruptam, consensu vteri procreatam: quandoquidem cum varia sint accidentia hystericas consequentia mulieres, vnum duntaxat est in omnibus perpetuum, suffocationis metus, aut certè mortis timor quidam perennis cum aliis eiuscemodi signis imagi-

imaginationis deprauatę: alia vero minimè perpetua sunt. hinc affectus nomen ab illo deductum est, liceat vnicuique sub alio reponere genere symptomatum: enim nos reclamabimus, modo rerum consensus adsit.

Quod attinet ad ipsas caussas, iam essentiales, ac proximas dixisse videor: in quibus consentiunt omnes; præterquam in modo motus vteri, quem nos violenter, at multum dicimus moueri, & aberrare vndequaque: Galenus vero moueri quidem, sed attractum à plenitudine vinculorũ arbitratus est: at verò nondum particulares prosecuti sumus (quarum pro exacta scientia haberi debet notitia) reliquum est igitur, vt de illis transigamus. Caussę, ob quas vterus ascendit, multæ sunt, morbi ferè omnes instrumentalium partium, atque etiam communes, vt vlcera, & vulnera: humorum perniciosorum aut qualitate, aut quantitate cõcursus; à quibus etiam appẽdices vteri laxari consueuerunt; quemadmodum à contusione vehementi, à ponderosa gestatione fœtus, ac partu plurimum difficili: igitur vbi vincula eiuscemodi fuerint laxiora, à quauis caussa agitatus vterus, primum illum facere gradum suffocationis consueuit, si malæ euaporationes simul petant superiores partes, quemadmodum etiam alios, si multo altius vapores ipsi penetrauerint. Nec id fuerit mirum, quia vterus venas, & arterias magnas habet, plurimisque neruis refertus est. venæ hepati, arteriæ cordi, nerui cerebro compatiuntur.

Veteri suffocationis cã.

Vapores autem (vt dixi) penetrant multo altius, nam vterus per se nequit ad cerebrum, aut ad cordis peruenire substantiam, quam attingunt vapores, non solũ per eos, quos dixi ductus, verũ etiam per meatus cœcos, atque latentes. Deduci autem nequeunt vapores, nisi adsit materia, quę in flatuosum spiritum conuertatur. Vetus iam opinio increbuit à Græcis primum incepta, mox autem ab omnibus, quod sciam Arabibus confirmata, duas caussas hosce vapores facere: mensium scilicet retentionem, & seminis, in iis, quæ gaudere virorum consuetudine solebãt, & postea priuatæ sunt; atq; in virginib. ętate grandiorib. nullas præter has cognoscũt caussas, sed tamen experientia manifestum facit, aliam etiam adesse. obseruarunt patres nostri, & nos cum illis non infrequenter vidimus, mulieres, quæ optimè purgantur, & viros habent admodum pro veneris vsu validos, & quæ quotannis fętum edunt, vtero præfocari: certa quidem coniectura aliam ab hisce duabus subesse caussam: Potest quinetiam vnusquisque obseruare virgines multas eodem cœnobio clausas ab hoc affectu permanere immunes, quorum in numero consistunt quædam viragines, & quędam parum rectè purgatæ per vterum: attamen ex multis vix vnam videbis, aut alteram hoc genus symptomatũ detineri. Quamobrem statuantur caussæ tres particulares, vna scilicet mensium retentio; alia seminis cohibitio; tertia humorum malignitate participantium in vterum abundantia; ab his equidem vapores emitti solent pro hoc affectu concitando, sed adhuc distinguendum est, vt perfectam notitiam habeamus. Vapores, qui sursum ascendunt, naturam eius repræsentant, à quo fluxerunt, ex eo quod benignum est, educitur benignus vapor, vt ex venenata substantia flatus prodit venenatus: talem imaginari oportet esse materiam, ex qua proficiscuntur vapores hysterici: sanguis menstruus perniciosam, & malignam naturam suscipit, qualem ferè habet: multo magis semen, vtpotè q; facilius alteratur: hinc grauiora multò aduenire cõsueuere symptomata à semine, quàm à sanguine retento, vt optimè Galenus prodidit (quamuis id non facile admiserit Auerroes) ex aliis humoribus, cum perniciosam, & malignam naturam suscipiunt, idem contingere statuimus, qui humores possunt in venenatam naturam transmutari: venenatos autem esse vapores eiuscemodi id præ cæteris testatur, quod nos videamus illico substantiam cordis oblædi, pulsu omnino, aut maiori ex parte languescente, vel euanescente, atque tam breui temporis spacio id efficere, meo iudicio, ferè non valet, quod venenatum non sit, adde statim refrigeratur totum corpus, & veluti attonitum corruit. Cęterum si quæsieris, quam temperiem habeant vapores elati? respondendum putauerim cum Galeno, aliisq; Medicis, existere illos quidem frigidos, & melancholicos:

Vteri suffocationis cãs communes.

Nota contra cõem & vulgãta opinionem.

ſic demõſtrãte nobis effectu refrigerationis corporis totius, & melancholicis illis deliramentis, quibus perpetuo illorum mens obuerſatur, & perpetuo ſuffocationis metu.

Tria autem hoc loco declarãda ſeſe nobis circa cauſſas offerunt: primum an ſuffocatio hęc ab ariditate fiat: ſecundum, cur viris nõ accidat eiuſcemodi caſus: tertium, cur Galenus duas duntaxat cauſſas recenſuerit, menſtrui ſ. ſanguinis, atque ſeminis retentionem, à ſiccitate quidem fieri poſſe Hippocrates ipſe videtur teſtari libro de morbis mulierum, cum ait: Si ſuffocatio derepẽte acceſſerit. Fit autem maximè iis, quę cum viro non coeunt, & ſenioribus magis, quàm iunioribus. Leuiores enim vteri ipſarum ſunt. Fit autem potiſſimũ tunc vbi mulieri vaſa vacuata fuerint, aut plus ſolito laborauit, reſiccati à labore vteri conuertuntur, vt qui vacui ſint, ac leues: Eſt enim ipſis locus ſpacioſus, vt conuertantur, vt pura ventre vacuo exiſtente. Dũ antea conuertuntur impetunt hepar, & iuſta conſiſtunt, & ad præcordia irrunt: corruunt enim, & progrediũtur ſurſum ad humiditatem, tãquam à labore magis, quàm opportunum eſt, reſiccati] hæc ille. Admittunt quidam eiuſcemodi opinionem putantes hunc affectum ſpeciẽ eſſe quandã conuulſionis, omnemq; conuulſionem fieri, vt cenſet Hippocrates, aut ab inanitione, aut à plenitudine: alii verò ad conſenſum cerebri cum vtero confugiunt, putãtes vtero exſiccato in conſenſum trahi cerebrum, ſicq; ſuffocationem fieri. Ego veró non ita ſentio, cũ ducam impoſſibile prorſus à ſiccitate hunc affectũ fieri. Moueor, vt ita credam, primũ ex modo ſanationis: nam vt dicebam omnibus ſub finẽ acceſſionis ex vaſis muliebribus excurrit humiditas quædam ſanitatem prænuncians, & ſimul eiuſdẽ cauſſa. Deinde ex medendi modo: nam ſanantur nunquam, niſi vel ſeminis copia minuatur, vel menſium purgatio promoueatur, vel humores corrupti expurgentur: cõmuneq; remediũ eſt omnium ſuffocatarum vteri corroboratio, quæ magis fit ſiccis, quam humidis. Tertiò fidem facit huic opinioni breuis ſanatio, quandoquidem nõ amplius in acceſſione permanent, quàm horarum æquinoctialium trium, ac vt plurimum, quatuor ſpatio: nonnulla verò neq; per horam malè habent, inuadereq; ſolet affectus per circuitus, quæ videntur maximè repugnare, q fiat ex ſiccitate, vt puta quæ neq; ſubito fit, ſed paulatim, atque ideo neq; ſubito diſcutitur. nulla certè eſt curatu difficilior diſpoſitio, quàm à ſiccitate, vt Galenus ait lib. 7. de methodo medendi. Addo, Galenum li. 2. de locis malè affectis apertè admodum demõſtraſſe, hunc affectum à ſiccitate fieri non poſſe. Neque conuulſio eſt vteri ſtrangulatio, imo potius videtur paralyſim imitari: licet aliquãdo conuulſiui motus accidãt, quod perinde accipi non debet, vt eſſentiã ſequatur eius de quo agimus affectus. Hippocratis verò ſententiam longè diuerſam eſſe ab horum hominum ſententia ſatis aperte declarauit Remenſis explanator illius loci, quem per ocium leges. Ego tamen dico, ab vteri ſiccitate hoc ſymptoma concitari poſſe, ſed non à quacunq; ſed ab ea duntaxat, quę priuat vterũ humido ſuo iucundo, ac delectabili. Vteri humectantur cum quidem fluunt menſes, cum ſemine tum proprio, tum alieno perfunduntur, vtraque priuati humiditate patiuntur: atque hæc ſiccitas eſt, de qua locutus fuit Hippocrates. Secundum problema fuit, ſi à retentione ſeminis mulieribus contingit ſuffocari, cur viris ab eadem cauſſa non contingit? an quia liberiores illi ſunt, licetq; magis liberè ſemen profundere, fœminis non ita licet. Deinde ſimile quippiam contingere viris Galenus demõſtrauit ſexto de locis malè affectis, at nõ eiuſdem vehementiæ, magnitudinisq;, quia vitium hoc nõ eſt proportionatum virili ſemini calido, ac acri: magis vero proportionatum fęminis eſt, ob frigiditatem ſeminis, & ob multam cacochymiam, qua perpetuo abundant. Cæterum Galenus duas duntaxat remouit cauſſas, tum quia duę illæ potiores exiſtunt, tum etiam quia malorum, & venenatorum humorum pręſentia eiuſdem fere videtur naturæ, atque ſeminis putredo.

Indicationes curatiuæ.

Indicationes hæ ſunt: Prima quidem, vt aſcenſum vteri ac vaporum ad ſuperiores partes impediamus, virtutemque ipſam ſopitam ac dormientem (vt ita dicam) excitemus. Secunda, vt cauſſis ſigillatim obſiſtamus, quæ morbum

bum efficiunt contrariis remediis. postremam hanc dum præseruationi operam damus, exequimur. Priorem autem cum earum, quæ actu hystericæ sunt, curationem tractamus: neque enim tunc abolere caussas tentamus vndequaque, sed ab accessione liberare ægram volumus: de vtraque indicatione dicamus quomodo remedia possint in rem præsentem accõmodari, docentes primum, quomodo hystericis subueniri possit, quæ actu symptoma patiuntur.

Vteri suffocatio nisi in actu curat.

Omnem adhibere diligentiã debemus, vt à supernis partibus reuulsionem moliamur cucurbitulis coxis, inguinibus, & natibus appositis, deligaturis validioribus extremarum partium, eorũdem calefactione, & fotu. Naribus præterea, quę fœtidum odorem habent admouenda, vt castoreum, sagapenum, galbanum trita, acetoq; leuigata; aut etiam acetum acerrimum per se, aut cum ruta, quæ pariter sola integra, aut contusa habet facultatem admodum egregiam. Ad hæc verò puluis castorei & sagapeni in nares sufflatus, aut etiam albi ellebori puluis: ex his enim concitantur sternutationes, quæ ob validum motum solent retropellere vterum ascẽdentem, vaporesq;. Imo sternutationes etiamsi non fierent ex iam dicta materia, sed vel ex alia, vel per se fierent, plurimum hystericas iuuant. Sunt qui iubent aperiri os ægrotantiũ, impositisq; digitis cogendas esse ad vomitum, sed mihi non satisfacit: quia hoc haud esset reuellere, sed attrahere materiam morbificam ad eã regionem, à qua volumus auertere. consilium quidẽ prudentius datur ab Hippocrate libro de natura muliebri, iubens, vt cogantur vinum odoratissimũ deglutire: hoc enim tum odoris suauitate cor recreat, tum etiam tenuitate substantię ad vterum penetrat, & caliditate frigidos vapores dissoluit: neque fuerit ab re si plectorica fuerit mulier, & à retentione sanguinis menstrui suffocata scarificare crura, vt alibi ex Galeno docuimus, vel incidere inferiores venas. Nostrum experimentum, quod nunquam fefellit, est, vt deuoret musci optimi gr. v. cinamomi, garyophillorũ, nucis muscatę, an. scru. i. vino odoratissimo dissoluta. Adhæc verò per infernas partes suffitus adhibendi sunt vtero pessi immittendi, prouocanda vacuatio corrupti humoris ex vtero: nec non sedi tum glandes, tum enemata eiicienda sunt, suffitus fiant ex rebus odoratis ex stirace nuce myrepsica, cinãomo, garyophillis, ligno aloes, gallia muscata; ac id genus aliis, quę vim habent laxandi, calefaciẽdi, & discutiendi flatus, quorum silua magna certę est apud omnes authores. At hoc ipsum experientia compertum est mihi valere plurimum.

Augenii experimentũ.

Suffitus.

Rec. melanchii seminis, vnc. s. stiracis calamitę, succini squinãti, calami aromatici, spicę nard. ana, drach. iii. rosarum rubrarum, drach. ii. galliæ muscatæ grã. vi. fiat puluis ad suffitum.

Pessaria.

Pessaria ex eisdem rebus fiunt, ex quibus parari solent, quę menses euocant; adde tamen his odorata, & vterum corroborantia: hoc equidem præstantissimum. Rec. liquoris cyrenaici, iridis, rosarum rubrarum, ana vnc. s. zibetti, ambaris, an. gran. iiii. musci. gran. ii. fiet puluis, qui syndone exceptus in balanos, aut pessus aptetur.

Digiti in vterũ obstetricis impositio.

Obstetricis auxilio in viduis indigemus, etenim si digitum medium oleo de rosetis, vel de garyophyllis, aut alio id genus odorato profumariorũ, inunctũ in vteri ostium iniecerit, diu multumque confricando vndique plurimum iuuabitur. nam sic teter ille humor, strangulationis efficiens caussa, foras euocabitur magno commodo. Glandes omittendæ non sunt ex picra, & succo rutæ, & melle: neque etiam enemata ex hyera diacoloquintide, & agarico, si modo commoditas dabitur aliqua, vt possint recipere. Præcordia sunt arctè deliganda, non tamen ita, vt impediatur respiratio: manus comprimenda est in ventre, vt possit, quod sursum repit, descendere. infernas partes locato procliues, supernas autem acclilues admodum. Caput oxirodino corroborabitur, ne recipiat nouum ascensum vaporũ, atque vt iam receptos discutiat. Displicet mihi vsus aspersionis rosaceę permistę cum vino optimo odorato circa faciem in suffocatis: quãdoquidem adiuuant hæc vaporum incrementum ad caput? præsertim vero, quod

Glandes, enemata.

Situs.

Oxirodinũ.

ſciam vinum caput replere, quod nos conamur exinanire. his iuuabitur ſtrangulata mulier.

Vteri ſuffocationis præſeruatio.

Præſeruandi ratio pro cauſſarum varietate inſtituenda eſt: alia enim debetur ſi ex humorum pernicioſorum præſentia, aut ex retentis menſtruis: alia ſi à retẽto ſemine proficiſcatur. de his breuiter dicam, & per capita: quoniã omnia proſequi non eſt inſtitutum huius negotii, nec tu ipſe id quæris, cum ſolum audire deſideres, quæ propria ſint apud me pro remouendo affectu remedia: accipe igitur idonea, accommodataq; præſidia.

Vteri ſuffocatio à retẽtis menſibus.

A menſibus retentis vteri ſtrangulatio eadem poſtulabit remedia, quæ ipſorum menſium ſuppreſſio requirit. Duo tamen ſunt peculiaria, primum venæ ſectio ex inferioribus venis, quæ ſunt in poplite, aut in malleolo, iis obſeruatis, quę tu noſti à me olim conſcripta libris de miſſione ſanguinis, & in commentariis in Galenum. Aliud verò, vt poſt eorum, quæ detergunt, & extenuant, vſum, frequenter exhibeas picram, aliquando quidem per ſe, aliquando autem aliis permiſtam, vt agarico, cuius egregia eſt cum primis facultas pro hoc affectu ſanando; neq; catapotiorum vſum abhorreo ex ſagapeno, & fœditarum, aut per ſe, aut cum hiera; nã vtrunq; genus particulari priuilegio videntur opitulare ſuffocatis: præſertim ex ſagapeno, quæ poſſunt etiam fœtum mortuum expellere: iuuat has maximè fotus calefaciens, roborans, & diſcutiens: Inſeſſiones ex iis, quæ menſes ducunt: frequẽs vſus trociſcorum ex mirrha, frictiones, & calefactiones extremarũ partium, ac alia id genus, quorum numeroſa ſylua eſt tibi notiſſima. Cæterum hæc fieri debent parum ante ſtatutum tempus fluxionis ex vtero: aut etiam ipſo in tempore.

Vteri ſuffocationis curatio à ſemine retento.

At verò ſi à retento ſemine originem ducat, omnes in hoc vno conuenire videntur, vt à ſanguinis miſſione abſtineant: cauſſam hanc eſſe ſtatuunt, quia cum magna inſequatur corporis totius refrigeratio, ac vacuatio per venæ ſectionem adhuc magis refrigeret: periculum ingens videtur, ne hepate ſic affecto, hydrope ſuperueniente, miſerè admodum ægrota moriatur. Ego autem hic adhibendam eſſe diſtinctionem arbitror. Affectus hyſtericus, aut recens eſt, aut inueteratus: in hoc abſtinerem à remedio, quoniam totius corporis frigiditas iam nimium præualuit: at ſi fuerit recens, conſiderandum eſt, an euſarco victu vſa ſit mulier, ſanguinisve plenitudine laborat, an ſecus. in priori caſu ſecarem venam inferiorum partium, (nunquã enim pro hyſtericis curandis ad ſuperiores accedere venas conſueui, quicquid alii dicant) in poſteriori autem minimè. Quæ ſic laborat, niſi religio, aut quidpiam aliud impedimento ſit, nubat in domino; ſi nõ poteſt, iis vtatur inſtrumentis pro viro quæ obſtetricib. & matronis cognita ſũt.

Aliorum opinio.

Vinum luxuriam parit.

Abſtineat à vino, in quo eſt luxuria: pro vino vtatur decoctione radicum nenupharis, & coriandrorum. Abſtineat ab iis omnibus, quæ ſanguinem generant, ex quo fit ſemen. In vniuerſum tum victus, tum medicamenta conferunt, quæ ſiccandi poteſtatem habent, ſiue calida ſint, ſiue frigida, & quæ totis ſubſtantiis facultatem habent ſemen extinguendi. Quòd verò ad totius corporis purgationẽ pertinet, videtur ea quidem nõ conuenire: quoniam nullum extat medicamentum, quod ſemen purget: quamuis multa ſint, quæ extinguant, ſed tamen haud erit abſurdum purgare bilem, quæ ſtimulum addere poſſet ſemini, hæcq; res facienda leuioribus præſidiis.

Vteri ſuffocationis à venenatis humoribus.

Si verò principium ab humoribus fuerit corruptis, ac venenatis, nullum præſtantius auxilium, quàm corpus crebro expurgare, pro conditione, ac natura humoris peccãtis: hic opus eſt, vt animo diligenter perluſtres, quibus è partibus eiuſcemodi excrementa effluãt in vterum, & quæ ſint, vt poſſis ingenti malo ſubuenire. Vomitus hic peculiariter cõuenire videtur mihi: quandoquidem omnibus expurgatis primarum viarum excremẽtis ab vtero fit reuulſio. in aliis cauſſis non item: cum neq; ſanguinis copia, neque ſeminis poſſit vomitu emendari, niſi ex accidenti.

Porrò ſi bilioſo temperamento prædita fuerit mulier, ac ipſa ſuffocatio potiſſimum originem ducat ab humoribus bilioſis prauiſq; in vtero exiſtentibus, à quibus furor ille fiet vterinus, expedit quidem omni diligentia hunc humorem ex to-

ex toto corpore purgare, acrimoniam obtundere, ac etiam refrigerantibus vti. quæ res memoriæ cōmendanda est tibi, quia nō semper curantur omnes hystericæ calefacientibus, attenuantibusq; præsidiis. Docebo quidem aliàs id ipsum diligentius in hoc habitu corporis, & calidissimorum humorū pręsentia, quibus vti soleam pręsidiis, benè nosti, propterea non explico, iis tamen addo solere me satis feliciter exhibere dragm. vj. singulis diebus decem, aut duodecim sequentis electuarij cum aqua decoctionis radicum artemisiæ, cū zucharo compositionē affero, quam author donum Dei appellauit. Rec. Polipodii quercini lib. j. senæ, violarum, prunorum, sebesten, tamarindorum, passularū, an. vnc. iij. Aquæ fon-10 tis lib. x. macerentur per diem naturalem: mox decoquātur ad medietatē, deinde colentur, ac exprimantur solemniter, & addito decoctioni calidæ psilli li. j. & ibidem premantur vsque quo mucilago conuenienter extrahi possit: tunc coletur, ac exprimatur fortiter. dein colato iuri addantur zuchari secundæ coctionis li. iiij. pulpæ tamarindorum, & cassię extractorum cum prædicta decoctione ana lib. s. iterum lento igne coquantur vsque ad inspissationem conuenientē, & cum infrigidari cæperint, addantur infrascriptæ species. Rec. spodii, reubarbari, sandalorum amborum, rosarum, violarum, seminum papaueris albi, sem. portulacæ, endiuiæ, lactucæ, scariolæ feniculi, draganti, amili, rasuræ heboris, gummi arabici, berberis, fumiterræ, liquiritiæ, anisi, an. drac. iij. diagridi, drach. v. mira-20 bolanorum indorum, emblicorum, an. drach. vj. omnia per se subtiliter puluerizata addantur, & in mortario diutissimè conterantur, ac in bonam electuarii formam redigantur.

Pilula de musco valida. Si quis alternis diebus ante cęnam per horas duas assumpserit scrup. duos pilularum de musco, adeò præseruabitur ab omni suffocatione, vt nullum sit inuentum efficacius præsidium. Rec. sileris, rubeæ tinctorum, pulegii, calami aromatici, medullę granorum peonię, an. drac. vj. musci electi, scrup. iij. spicę nardi, drach. j. fiant pilulæ cum succo artemisiæ, dosis est scrup. ij. vsque ad iiij. abstinēdo tamen æstiuis, calidisq; temporibus, & in affectu à biliosis humoribus pro-30 creato, de quo parum supra loquuti sumus: iuuat maximè in omni inueterata suffocatione à mensibus retentis, & à seminis vitio, assumptis pilulis dādum est apozema ex decoctione artemisiæ, & mentæ siccæ cum vino odorato, vt recorderis me vti consueuisse.

Cerotum ex Galbano. Præstantissimum etiam est cerotum ex galbano. Rec. galbani electi, vnc. j. bdelii mollis, & subalbidi, drac ij. puluerum matricariæ, drac. j. s. mirrhæ scru. s. dissoluto galbano cum aceto, & aliis permistis cum cera fiat cerotum, applicetur super vmbilicum, & non remoueatur nisi per se ceciderit. Castoreū prodesse plurimum omnes Medici tradiderunt: dosis est vsque ad scrup. iiij. cum vino odorato. Et hæc sufficiat de remediis dixisse.

40 Cęterum quæstio, quomodo odorata naribus admota vterum ascendentem lædant, fætida vero iuuent, plena est controuersiarum, ac sanè, nisi fallor bene à paucis extricata in hanc vsq; diem: ego iam quædā scripsi lib. 3. cōmentariorum ad Glauconē, quo loco Stephani Atheniensis opinionem probabiliorē esse aliis omnibus demonstraui, quamuis nec illa suis difficultatibus careat. Dicā nihilominus hoc loco quod mihi videtur veritati maximè cōsonum. *Cur fætida naribus iuuent admota, & odorata noceāt.* Sciendū est itaq; in omni sensu adesse dolorem, & tristitiam, quia hæ sunt passiones sensus, vt etiā voluptas, quemadmodū Peripatetici tradiderunt: nō possunt autem hę fieri, nisi actio fiat confertim, atq; simultanea. Cū ea, quę odorem habent fætidū, ingratū, & olfactui inimicū, sese offerūt narib. spiritus animales, qui multi sunt pro sensorii munerib. destinati, retrahuntur ad suū principiū simul cum vitalibus spiriti-50 bus, & sanguine, hæcq; res fit violento quodā impetu. *Augenii probabilitas.* Hinc vtero obuiam facti vim habent propellendi ipsum ad infernas partes, quoniā verò calidi sunt, frigiditatem iam genitam in vtero, aut à retentis mensibus, aut à semine, possunt corrigere: & cum aperiant, laxentque simul apertis viis, virulentiam illam extra vterum propellere. At vero quæ iucundum odorem habent, contrarium efficiunt: vis sensibilis cum spiritibus, & sanguine affatim mouetur ad obiectum

Elect.m Doni Dei dictum:

percipiendum, & tunc sanè relinquitur centrum corporis calore ferè destitutum, illo nempè supernas partes petente: hincque insequitur vteri refrigeratio, & ascensus minimè impeditur. Sed tamen notandum, quod non contingũt hæc ad omnem odoratarum rerum, & fętidarum occursum, quia, quæ odorem habent exiguum, aut fętorem, violẽtum hunc facere motum in spiritibus, & influente calido nõ possunt, quæ faciunt maximè odorata, & fætida: sic primã problematis partem persoluere solemus: quòd verò ad alterã attinet, dicimus, quod odorata, sed quatenus partes tenues habent, quibus calefaciunt vterũ, & laxant, qualem vim habent omnia aromata: idcirco Galenus non dixit, odorata simpliciter supponenda mulieribus hystericis: verum addit, & quę laxare, & calefacere possint] atque bene olent, & vehementẽ odorem habent, tum tenui sunt substantia, tum caliditatem habent. quapropter in Aphorismis scriptum est ab Hippocrate, quod suffitus aromatum mouet menses. Hæc mea est sententia, quæ si tibi non satisfaciet, acri iudicio tuo meliorem excogitabis, nam certe tractatio est, vt dixi, maxima ardua. Vale.

FINIS TOMI I.

EPISTOLARVM ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM SECVNDI TOMI;

Libri XII.

Auctore

HORATIO AVGENIO MEDICINAE PRACTICAE IN SCHOLA TAVRINENSI DOCTORE PRIMARIO.

In quo non ſolum maximæ difficultates ad Medicinam & Philoſophiam pertinentes dilucidantur: Sed etiam morborum grauiſſimorum fere omnium curationes abſoluuntur.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISS. LVDOVICO MILLIETTO, MAGNO SABAVDIÆ CANCELLARIO, FAVERGIARVMQ. BARONI,

Horatius Augenius S. P. D.



VO *sunt, quæ apud omnes nationes, quantumuis barbaras & incultas, (Illustrißime Cancellarie) ab initio mundi, vsq; ad hodiernum diem summo semper in pretio & existimatione fuerunt, rerum præclare gestarum amplitudo, & literarum eruditio: quotquot enim vnquam in excelso dignitatis loco positos titulis honorificis decorari, & nobilitatis splendore cæteris anteferri legimus, omnes illos doctrinæ, scientiæ, prudentiæ, & factorum illustrium, veluti alis subnixos ad tam sublimes gradus & honorum fastigia peruolasse, ex omnium ætatum & nationum historiis compertum habemus. Testes huiusce rei locupletißimi sunt duo illa Græciæ & Italiæ lumina, Demosthenes & Cicero: quorum alterius pater cognomine Machæropeus, officinam gladiorum fabricandorum exercuit: alter vero & se nouum hominem scriptis suis fatetur, & maioribus suis virtute sua præluxisse prædicat. testes sunt vniuersi fere Romani proceres, qui ex infami illo pastorũ & latronũ asylo prodeuntes, rebus egregie gestis eo tandem peruenerunt, vt magnitudine laborarent sua. Quæ nobilitas semel virtute parta, ad posteros suos hæreditario iure transfunditur, & in ijs, qui se inertiæ & ignauiæ dedunt, penitus extinguitur, in alijs, qui industria, consilio, prudentia valent, sæpius augetur. Cum igitur, quo aliquid antiquius est, eo plus venerationis habere soleat, hinc euenire videmus, vt sanguinis nobilitas per longam maiorum suorum seriem nexa, nouis hominibus, etsi præstantißimis & nobilißimis, non immerito ea tantum de causa præferatur, quod perpetua quædam, & quasi à natura insita, in illa familia & gente nasci nobilitas videatur: cum noua nobilitas, quæ cito interit, non tam natiua, quam ascita existimari, nec tam gentis, quam personæ propria dici debeat. Et quemadmodum apud Iurisconsultos tuos seruitutes aliæ sunt rerum, aliæ hominum, illæ perpetuæ & rebus affixæ, nec nisi re interempta pereunt: hæ ad breue tempus permanent, & separabiles sunt, & simul cum homine occidunt. Sic nobilitatem duplicem esse puto, aliam personarum, quæ cum illis & nascitur & moritur: aliam gentis & familiæ, quæ si non perpetua, saltem diuturna est, nec fere vnquam, nisi sublata familia deletur. tale fuit illud Fabiorum genus, quorum trecenti sex magno exercitui se solos opponentes, fortißime vna eademq; pugna, simul pro patriæ defensione occubuerunt: adeo vt ex vniuersa illa familia testetur Liuius, vnum solum prope*

puberem ætate relictum, stirpem genti Fabiæ, dubiisq; rebus populi Romani sæpe domi belliq;, vel maximum futurum auxilium. Talis est gentis tuæ, (Illustrissime Cancellarie) longa continuatio, seriesq; Illustris, quæ à maioribus tuis incepta, diutissime in posteris eorundem virtute & meritis conseruata est. nam ne nimis antiqua repetendo longitudine sim molestus, Petrus Milliettus, auus tuus à consiliis intimis fuit Carolo I. Sabaudiæ Duci, & quatuor aliis Ducibus, sibi ex ordine succedentibus, & in diuersissimis locis, grauissimis de causis Legatus. Claudius Milliettus, Pater tuus, non solum Reipub. & Ducum consilia participauit, verum etiam Senatorum Antesignanus, & Coriphæus erat, & Ducis Caroli II. Legatus in Gallia apud Regem Franciscum I. vixit, & plerasq; alias in Heluetia legationes obiit. Sed quid? an te his inferiorem dicemus? Qui & Ducis Philiberti Emanuelis eras, & Caroli Emanuelis Consiliarius es, & primus Excellentiss. Senatus Sabaudiensis Præses, & maximus totius Sabaudiæ Cancellarius, olim apud Christianissimum Regem Carolum IX. & Heluetios legationibus defunctus. Filii demum tui parentum vestigiis insistentes, & omni doctrinæ genere exculti, & moribus integerrimi, non solum recto tramite iam ad honorum gradus tendere incipiunt, verumetiam prope in supremo eorundem fastigio consistunt. Postremo ad hanc nobilitatem tuam ornandam & illustrandam, accedit singularis tua doctrina, & sapientia, morum probitas, comitas, humanitas, benignitas, & in quibus officii tui cardo vertitur, in causis decidendis acumen, & in consultationibus mira prudentia. Hæc tam insignia ornamenta in vno homine coniuncta & colligata, incredibilem quandam admirationem in animis intuentium concitant, & omnium ora & oculos in te conuertunt. Quapropter cum superioribus hisce annis, Tomum primum Epistolarum & Consultationum Medicinalium, sub Serenissimi Ducis Caroli Emanuelis auspiciis edideram, iam secundum Tomum, quod me facturum promisi, prelo mandaturus, tu mihi secundum Ducem dignissimus, plurimis de causis occurrebas, cui hasce meas lucubrationes consecrarem. nam præterquam quod virtutum tuarum & nobilitatis amplitudo, & obseruantia in te mea, & merita in me tua, hoc officium à me tibi præstandum, & donum offerendum postulant, & exigunt: non mediocriter etiam in Medicina versaris, & horas aliquot de tuis consuetis occupationibus remittis, quas in amœnis Medicorum hortis impendas, vt ita te ipsum variis negotiis defatigatum redintegres, & vires debilitatas reficias. quam vtilitatem & delectationem ex istis nostris libris te maxime percepturum existimo, cum de variis quæstionibus, tum Medicinalibus, tum philosophicis, iisq; iucundissimis & familiaribus à diuersis hominibus mihi propositis, non sine subtilitate & suauitate tractent, & præterea, quædam alia contineant, quæ Iurisperitis ad causas decidendas adiumento (nisi fallor) esse possint, vt sunt illæ disputationes, quas instituimus de virginitate dignoscenda, & impotentia coeundi, & de inspectione, ac alia eius generis plura. Adde, quod cum vniuersa Reipub. salus ex Iurisperitorum & Principum virorum sanitate pendeat, salus vero illorum arti Medicinæ, & Medicorum operæ accepta referri debeat, maxima est Iu-

est Iurisperitorum & Medicorum cognatio, & in salute Reipublicæ tuenda coniunctio, cum illos Medicina conseruet, sine quibus Respub. salua esse nequeat. Præcipua tamen causa, quæ me ad hos meos labores tibi dedicandos impulit, est ardor incredibilis, quo animus meus conflagrat testimonium aliquod exhibendi, & mei in te amoris, & obsequij non vulgaris: fateor etiam me plurimum tibi debere, & tam multis nominibus me tibi obligatum & obstrictum esse, vt me non soluendo esse, facile agnoscam. Noui etiam non minimum auctoritatis, ex nominis tui celebritate, huic operi meo accessurum, & eo libentius & alacrius ab omnibus legendum, quod dignitatis tuæ præsidio munitum in publicam lucem prodiret. Suscipe igitur grato animo hoc paruum munusculum, quod tum debiti exoluendi gratia, tum obseruantiæ ergo, quam erga te habeo, tibi offero, meritis quidem tuis impar, sed viribus meis plane par, & illud potius, quæso, ex animi mei promptitudine & amore, quam ex rei magnitudine & pretio, metire & æstima.

MICHAEL COLVMBVS LECTORI BENEVOLO.



APIENTER olim summus vates Homerus homines epitheto perquam accommodato ἀλφησὰς, hoc est, indagatores, repertoresq; appellauit; est enim hominis hoc maxime proprium inuenire semper aliquid, & quæ abdita diu latuerant, in lucem proferre. Hinc artes inuentæ omnes initio rudes, deinde vero aliis alia semper excogitantibus sensim elaboratæ, excultæ, atque ad insignem non summam tamen perfectionem deductæ; Siquidem veterum inuentis incrementa semper ingeniosa posteritas adiunxit, locus vbique semper est nouarum rerum inuentioni, est quod noua semper ingeniorum lumina veluti è cymeriis tenebris primum eruant, proferantque. Id cum in omni facultate conspicuum est, tum præcipue in Medicina inter præcipuas artes nobilissima compertissimum, quæ cum eò perducta hodie sit, vt nihil magnificentius, nihil ornatius, nihil illustrius aut dici, aut excogitari posse videatur, haud tamen adhuc obstructa est nouis rebus inueniendis via, nec multa etiamnum desunt, in quibus præstantissimi viri mentis aciem ingeniiq; neruos intendant, siue in vltima manu operibus imponenda, siue in inuolutis grauissimorũ authorum sensibus explicandis, iisq; aperiendis, quę obscure tradita per arduos habent explicatus, vt Delio videantur egere natatore, siue in vetustis eorum fragmentis, quæ ad nos mutila, cariosa, situque oblita permanarunt, nitori suo restituendis, siue in mendis ac deprauatis temporum iniuria principum authorum locis, qui sese passim offerunt, illustrandis, siue deniq; in his perscrutandis, quæ aut vix tetigere, aut plane silentio obruta veteres reliquerunt. In eiusmodi prouincia graui ea quidem & perillustri, magno cum publicæ vtilitatis commodo, inter alios hodie, qualis olim in scena Roscius, felicissime versatur Horatius Augenius, qui vt ingenio pollet inprimis acri & feruido, sic assiduis grauissimisque lucubrationibus tantum medicæ facultati splendoris adfert, vt alterum medicinæ parentem, aut eximium certe restauratorem, vindicemque non immerito dixeris: nam præter publicum docendi munus, quo in Taurinensi Gymnasio è sublimiori cathedra, Diis, hominibusque plaudentibus iam multos annos perfungitur, mirum dictu est, quot, quantaque præclaris conatibus in hanc vsque diem conscripserit librorum volumina, quorum nonnulla in hominum manibus iam dudum versantur digna cedro, & quæ immortalitatem maxime promereantur, quales sunt de Peste, de Renum morbis, de Curatione per sanguinis missionem commentarii absolutissimi, & Epistolæ medicinales altissimis plenæ mysteriis, quas nunc denuo incudi redditas, & permultis libris adauctas multorum precibus, atq; hortatu adductus typis excudi curauit, vna cum pulcherrimo de virginitate tractatu, in quo quæcunq; in huiusmodi materia sub Medicum cadunt, negotium luculenter sciteq; prosequitur. His dum magno cum studiorum tuorũ fructu perfrueris, Benigne Lector, alios complures ingenii sui fœtus, quos iam sibi edidit, nunc lambit, expolitq;, quiq; iam claues, iam sigilla odisse incipiunt sinet prodire, vt propensissimo est in bonos animo, & litterariæ reipublicę iuuandæ studiosissimo. Eorum nomina, iam enim te obnixe id postulare video, æternum simul iubens valere, subiicio, suntq; disputationum medicarum libri, de febribus, de partu hominis, de his quæ contingunt in partu, & post partum, de placitis Auerrois & Galeni, commentarii adhæc in Galeni libros, de differentiis febrium, de locis affectis ad Glauconem, de ratione curandi per sanguinis missionem, in Methodum medendi, in libros de composit. medic. sect. locos, in libros de Crisibus.

AD

AD STVDIOSVM LECTOREM DE OPERE HORATII AVGENII MEDICI PRÆSTANTISSIMI;

Titus Prosper Martinengius Monachus Casinensis.

MORBORVM causas si quis vel scire laborat,
Vel præsens ipsis ferre leuamen auet;
Huncce legat Librum, relegatq; adtentius omnem,
Atq; huius compos nobilis artis erit.
Quippe auctor solers scite congessit in vnum,
Priscorum in scriptis vtile quidquid erat.
Quæcunq; Hippocrates nobis monumenta reliquit,
Corpora curandi, fessaq; membra virûm.
Et quæ Phyllirides, & Iamblicus, atq; Galenus,
Et quæ Nicandri docta camœna canit.
Tum quæ Pausanias docuit medicamina mitis,
Doctus Oreibasius, Prothagorasq; pius.
Multaq; præterea memoranda, ac digna notatu
Addidit ingenio rite reperta suo.
Vix numeranda ergo si vis statuisse trophæa
Morborum, his armis vtere, victor eris.

DE EODEM.

PRÆ multis aliis, Medicum pollere peritum
Mæonidæ magni Musa diserta refert.
Quod mors innumeros, quos immatura domaret,
Seruet, & a mortis limine restituat.
Vnde Asclepiadas veteres dixere salubres,
Siue etiam Graio nomine ἀλεξικάκους.
Ac veluti quædam cœlestia numina habebant,
Qui miseris possent ferre salutis opem.
Ergo qui tradunt rationem, vsumq; medendi,
Sint itidem nobis tali in honore viri.
Ac veluti Patres proprios veneremur, auosq;,
Corpore ab humano qui mala dira fugant.
Insanisq; animis morbos, furiasq; repellunt,
Atq; illos sanos reddere sæpe solent.
AVGENIVS *tali cum noster* HORATIVS *arte*
Præstet, eum amplecti nos decet, & colere.

Εἰς τὸν αὐτόν.

Εἴ τις ἀνάβλησιν θανάτου κρυεροῖο δαῆναι,
Πάντα τ' ἀπὸ χρωτὸς νοῦσον ἄκικυν ἐλᾶν,
Ἠθ' ὑγίειαν ἄγχι ὀδυνήφατον ἄψεσιν ἀνδρῶν
Τειρομένοις ποθέῃ κήδεσιν, ἠδὲ δύαις,
Τῆς δὲ τέχνης ἀρχηγὸν ὅ ἐστί που ἀκροσόφοιο
Αὐγένιον μετίῃ, καὶ πόθου αἰπάσῃ.
Καὶ βίβλον κτήσαιτο, κάμεν τὴν ἄκρος ἀκέστωρ,
Παντοίης σοφίης ἄνθεα δρεψάμενος,
Οἷα μέλισσα φιλεργὸς ἀριστοπόνοισι μερίμναις,
Λειμῶνας προτέρων πάντας ἐπερχόμενος.
Ὅσσα γὰρ ἐν πτηνοῖς μέγας αἰετὸς ἀγκυλοχείλης,
Τόσσον ἐν ἰητροῖς, οὗτος ἄριστος ἔφυ.

AD DOMINVM HORATIVM AVGENIVM,

Danielis Alsuorti Angli Carmen.



Obilis Augenius scriptis Hippocratis auctus,
Quæ terit aßidua nocte dieq; manu.
Amplificat totam Medicinam gratus, & auget
Responsis doctis, consiliisq; suis.
Vt Sol attollens alte à tellure vapores,
Fœcundam pluuiis denuo reddit humum:
Vt Luna accepto & reflexo lumine Solis
Jllustrans terram, noctis opaca fugat.
Haud secus Augenius lymphis Hippocratis haustis,
En Medicorum hortos irrigat, auget, alit.
Eruit è tenebris multa obscurißima densis,
Ingenii illustrans eruta luce sui.
Pellendi morbos normam, augendiq; salutem
Instruit, ex paruo semine magna struens.
Quod valet ingenio, quod mentis acumine pollet,
Quod falsa expugnat, dogmata vera docet,
Quod sese semper superat cognomine vero,
Maximo ab ingenio dicitur Augenius.
Dum scribit, dum præstat opem mortalibus ægris,
Auget splendorem nominis atq; decus.
Semper laudis honos, defuncto augebitur ingens,
Haud sese augendi terminus vllus erit.

Eiusdem ad eundem.

Ὀρθῶς Αὐγένιος λαμπρῆς ἀπὸ ἤλνεος αὐγῆς
Ἢ πυρὸς αἰθομένη τοὔνομα πλουτὸν ἔχει.
Ἠΰτε ἥλιως φοτίζει ἀπείρονα γαῖαν,
Αὐγῇ αὐγάζει ὥς ὅγε ἰατρικήν.
Ἠΰτε πῦρ σκεδάα νυκτὶ ζόφον ἠερόεντα,
Ὥς ὅγε αὐγῆσιν ψεύδεα πολλὰ σκεδᾷ.
Τοὔνεκα Αὐγένιος θάρσει φρεσὶ βιβλία γράψον,
Αὐγῇ γὰρ κόσμον σὴ διὰ πάντα ῥέει.

AD HORATIVM AVGENIVM PERILLVSTREM MEDICVM ATQVE PHILOSOPHVM.

SEXCENTI *cum nostra premant iam corpora morbi,*
Exitiumq; ferat, quod fuit ante salus:
Te merito præsens Augeni suspicit ætas,
Qui mira tantis prospicis arte malis;
Te pia posteritas mœsto mihi crede triumpho
Eruet, atq; tuum grata fouebit opus.

Aliud de eodem.

Artis dum Medicæ splendorem Augenius auget,
Vitæ lux nostræ gratior ipsa micat.
Languentum purgat dum tetro sanguine venas,
Ingenii monstrat vimq; decusq; sui.
Corpora dum retinet mortis casura periclis,
Se celsa æterni nominis arce locat.

Aliud.

Sedibus à Patrijs Romanus Horatius hostes
Innumeros vnus consilio, ense fugat.
Morborum solus hostes sæua agmine pellit,
Artubus è miseris, ingenio, & calamo.

SVMMA EORVM, QVAE IN HOC SECVNDO TOMO EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM AVGENII CONTINENTUR SINGULIS LIBRIS.

LIBRO I.

I. Epist. Ostenditur, virgines fœminas eam non habere ex natura membranulam, quam nonnulli interseptum: nonnulli claustrum virginale: alii ὑμὴν vocant. Nullū proprium certumq; signum virginitatis esse. Quod olim Medicarum mulierū, quas hodie obstetrices vocant ex Platone & Galeno, extiterit officiū. De cruentato linteolo in primo cum sponsa ingressu. Locus Deuteronomii explanatus. Cur instituta sit inspectio de iure Pontificio. 323

II. Responsio pro homine in carceribus detento pro suspicione exhibiti veneni: quo ostenditur, venenatos morbos interna de causa generari posse, ex Galeni sententia. 338

III. Pharmaca expurgantia, tum ante cibum, tum cum cibo, tum post cibum aliquando tuto exhiberi posse, & quæ sint Hippocrati sorbitiones attractoriæ. 342

IIII. Galenum non fuisse inconstantem in explicāda materia pro sanandis humoribus semiputridis. Concoctionē artis beneficio iuuari posse. Eandem contrariam esse putrefactioni. Humori putrefacto, & semiputrido concoctionem deberi. Non differre inuicem genere, nec efficiente: sed particulari duntaxat fine. Quomodo concoctio sit alteratio, & qualis. 345

V. De magno & antiquo totius corporis pruritu, siti ingenti, inappetentia, & vrinæ ardore stillacidio coniuncto. 350

VI. Epist. Explanatur contextus vndecimus libri secundi de ratione victus in morbis acutis contra Galeni sententiam. Refellitur eorū opinio, qui dicebant agere Hippocratem ibi de materia turgente: Huic semper secundum placita vtriusque authoris purgationem, & nunquam venæ sectionē deberi. 353.

VII. Temperamentum in Galeni doctrina sumi aliquando pro forma substantiali: aliquando pro accidentali: & quam, vtraq; pro curatione, indicationem præbeat ex Galeno. 363.

VIII. Disputatur de vini vsu in febribus acutis contra Marcum Antonium Capellettum: in qua de vini natura, & differentiis ex Galeno quædam explicantur. 367

IX. De radicis chinæ natura, viribus, & exhibendi modo, pro Illustrissimo D. Angelo Ferretto diuturna cordis palpitatione, cum metu melancholiæ hypochōdriacæ affecto. 376

X. Cur aqua bilescit, an nutriat, an falsa vim habeat purgandi aluū magis, quam sistendi. 381

XI. Disputatur de motu primæ sphæræ: & ostenditur, cui nam prima sphæra innitatur, & an sit in loco. 386

XII. An cutis, vel caro, vel neruus, vel cor sit sensus tactus organum, secundum Aristotelis sententiam. 388

XIII. In reuellendo naturę motum esse imitandum. Reuulsionem aliquando fieri medicamento purgante. Venæ sectionē humorem omnē retrahere non posse: purgandum in augmento, ac in omni status parte in diuturnis morbis. 390

LIB. III.

XIIII. Epist. Responsum pro præseruatione à sputo sanguinis è pulmonibus ex erosione, ac ruptura. 394

XV. In cõuulsione & paralysi partem affectam nõ esse omnino eandẽ, nec ab eodem humore concitari. Quomodo conuulsio statim fiat, statimq; soluatur facta ab humoribus viscidis. Cur post debilem apoplexiam sequatur semper paralysis, post epilepsiam vero nunquam. Cur in putridis febribus exhibito medicamento purgante aliquando statim sese offerunt signa malignitatis. Cur in febribus aliquando maior fiat exacerbatio diebus paribus. An hydrops à calida concitari possit intemperie. Postremo disquiritur an sanguis singulis mensibus ex vtero effluens ducatur ex venis internis vteri, ac ex venis in eius ceruice apparentibus. 396

XVI. Responsum in causa dissolutionis matrimonii ad Iudices sacræ Romanæ Rotæ. 401

XVII. Disputatur an venæ sectio poplitis, aut malleoli sit aliquando salubrior, quam ex cubito. An crurum scarificatio sit vtilis in pestilentibus febribus, de cornu Monocerotis viribus, quædam. 405.

XVIII. De cauteriorum, & synapismatum vsu disputatur, an magis conueniant in catarrho calido, quam frigido. & qua parte fieri debeant. 409

XIX. De vsu vini in catarrho: & de remedio quodam præstantissimo pro sanando asthmate. 416

XX. De ganglii curatione in carpo sinistræ manus responsum. 419

XXI. Qui humores à sanguinis natura parum, aut multũ distare dicantur ex Galeno. Hunc in docenda causa diabetis fuisse negligẽtem, Auicennam, Aretæũ, & Aetium in eadem materia fuisse deceptos. Veram causam esse calidam, & siccam duntaxat renum intemperiem. 421

XXII. De muliere vtero gerente patiente picam, siue malaciam cum diarrhœa complicatam. 425

LIB. IIII.

XXIII. Epist. De consultandi, siue, vt vulgo dicunt, collegiandi ratione, qua Medici passim vtuntur, tractatio. 429

XXIIII. Pestis variæ significationes ex Galeno, & Hippocrate afferuntur. Ostenditur ex regulis Methodi diuisiuæ, & ex Hippocrate non pestem modo, sed omnem etiã pestem esse febrem. Omnem morbum proprie acutum, aut febrem esse continuam, aut cum illa consistere. Rursus, quomodo pestis non sit febris: & quomodo pestis sine febre contingat. Maximæq; difficultates in hac materia contingentes explicantur: pro eorum defensione, quæ olim scripsit Augenius in principio libri primi de præseruatione à pestilentia. 459

XXV. De asthmatis pręseruatione, & curatione. 468

LIB. V.

XXVI. Epist. Ostenditur, æqualibus in gradu remediis vtendum pro curatione morborum. Resistentiam nõ esse proprie reactionem: & quid proprie sit. Cognitum fuisse in igne adesse siccitatem ab effectu. Binas habere singula elementa qualitates, vt in proprio loco possint conseruari. pro eorũ defensione, quæ scripsit Augenius primo tomo Epistolarũ Medicinaliũ Epistola tertia. 471

XXVII. Quid sit vinum. Quę illius facultas. Non esse duntaxat potum, sed etiam cibum. Quid proprie potus. Nutrire vinum, non solum spiritus, sed etiam carnem, atq; solidas partes. 503

LIB. VI.

XXVIII. Epist. Quod sanguinis è naribus stillicidium perpetuo malum signum nõ sit in ardentibus febribus. 520

XXIX. Febres ardentes ſanari poſſe fluore ſanguinis è naribus aduerſus Fernelium. 523

XXX. Oſtenditur paſſerculum troglodyticum nõ eſſe vulgo vocatam, caudatremulam: ſed auem longe minorem: quod à paucis animaduerſum fuit. De illius viribus, & exhibendo modo. 525

XXXI. De ſcirroſo tumore in dextra mamilla. 527

XXXII. De cauſa mortis repentinæ Domini Franciſci Caſtruccii è Monte regali, Equite Hieroſolymitano. Pro defenſione D. Michaelis Chirurgi, qui mortis cauſam extitiſſe accuſabatur ex duplici cauterio facto in vtroq; brachio, ad excellentiſſimum dominum Ioannem Antonium Boccum Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis Archiatrum. 528

XXXIII. Explanatur hiſtoria admiranda vermis cucurbitini longitudinis cubitorum viginti quinque. 530

XXXIIII. Febrem epialam eſſe ex dimidio febrem. Rigorem aduenientem febricitantibus non eſſe principium febris, contraria in eodẽ ſubiecto adæquato contineri non poſſe. 532

XXXV. De vſu aquarum acidularum Goſſipienſium, pro præſeruatione ab arenulis, & calculi, & ani fiſtula. 537

XXXVI. De curatione eius ſpeciei procidentiæ oculi, quam Græci μυοκέφαλον vocant. 540

XXXVII. De vnguento ex alabaſtro, & eius viribus. De calculo veſicę contra Fernelium. 541

XXXVIII. Partum dierum 168. vel 174. & naturalem, & vitalem exiſtere. 542

LIB. VII.

XXXIX. Epiſt. De ſingultu aduenientе ſingulis mẽſibus, dolore capitis periodico, & maxime contumaci, nauſea, hyſterica ſuffocatione, ac menſium retẽtione pro illuſtriſſima Matrona. 544

XL. De vrinis, ac deiectionibus colliquatiuis, deq; generibus febriũ colliquatiuarum. 548

XLI. De oris tortura in adoleſcente gracilis habitus, & reſolubilis, calido & ſicco totius corporis temperamento prædito. 555

XLII. Diligentius medica deſcribitur materia pro ſananda oris tortura. 556

XLIII. De vertigine per conſenſum à ventriculo à bilioſis humoribus, De nauſea, inappetentia, atque immoderata ſiti. 557

XLIIII. De ferinæ tuſſis ab humoribus ſalſis, & craſſis, cũ febre continua, lenta, curatione. 559

XLV. Quam ob cauſam, & quibus morbis potus frigidæ conueniat: quæ conditiones neceſſariæ ſint pro recto illius vſu. Qui effectus ab illa fiant: atq; dubitationum omnium in hac materia contingentium dilucidatio. 561

LIB. VIII.

XLVI. Epiſt. De capitis grauitate, & vertigine, memoria imbecilla, & de ſcialiſmo pro nobili Bononienſi, reſponſum. 570

XLVII. De epilepſia per eſſentiam in nobili puero duodecim annorum nato. 573

XLVIII. Vtero gerenti octauo, aut nono menſe non eſſe mittẽdum ſanguinem ratione præſeruationis ac abortu. & de facilitãdo partu quędã breuiter ſcribũtur. 576

XLIX. Præter quatuor facultates naturales adminiſtratrices nempe alteratricem, ſiue concoctricem, retentricem, expultricẽ, & attractricem, non dari quintam ſecretricem cõtra Auerroem. Et quomodo allium ab Hippocrate dicatur flatum efficere. 578

L. Nunquam exquiſitiſſime vacuandum. Quando confeſtim & paulatim inſtituẽda purgatio ſit. Vſq; ad animi deliquium antiquiores purgaſſe. Hunc tamen purgandi modum non eſſe tutum, nec a iuuenibus aliquando exercendum. 581

LI. Quomodo hydrops à caliditatis exceſſu fiat. Fernelii ſententia de Aſcite reprobata. Dolor, alui fluor,

fluor, & adstrictio, quomodo fiant in hydrope. 585

LIB. IX.

LII. Epist. Quod medicamenta componere aliquando non deroget nobilitati artis. 592

LIII. Ostenditur, neq; sal, neq; oleum oliuarum contagionem recipere pestilentem posse. 597

LIIII. De sanguinis ibicis, & hirci domestici facultatibus, & de exhibendi methodo. 599

LV. De medicamentis ad extirpandam carunculam, in ostio vesicæ nascentem: & de morte reuerendi patris fratris Magistri Ambrosii Barbauaræ Theologi præstantissimi. 603

LVI. Ne generetur polypus præseruatio. 605

LVII. De præseruatione à sputo sanguinis, à pulmonibus, ab erosione potissimum creati in habitu corporis admodum gracili, ac temperamento totius calido & sicco. 607

LVIII. De stupore vtriusque brachii minante paralysim. 608

LIX. Agitur de remedio præstantissimo ad frangendum vesicę calculum: atq; de modo incisionis faciendæ pro extrahendo calculo ex vesicâ. 609

LX. De suffusione alterius oculi. 611

LIB. X.

LXI. Epist. Explanatur definitio concoctionis, lib. 4. Meteorologicorum, ab Aristotele proposita. 614

LXII. In causa dissolutionis matrimonii, vbi multa explanantur de naturali potentia vel impotentia ad venerem. De magnitudine & paralysi virgæ, de maleficiatis ac frigidis, atque sigillatim causæ omnes recensentur, quę impotentem aliquem ad coitum reddant, 624. & seqq.

LIB. XI.

LXIIII. Epist. De fistuloso vlcere in ano, nō solum penetrante in cauitatem intestini, sed varios cuniculos habente in spina dorsi cum luis venereæ suspicione in habitu corporis sicco atq; denso. 639

LXV. De quadam specie melancholiæ per consensum, quam veteres ignorarunt, aut non aperte explicarunt. 642

LXVI. Humores artificiali purgatione educi duntaxat alienos, non familiares ac intimos, nisi ex accidenti, per venas, & ex venis solis eductionem hanc fieri: naturam pharmacum & humores vt efficientes causas cōcurrere: huius autem operis primarium opificem esse pharmacum: quomodo pharmacum humores expurget ex sententia Asclepiadis, Erasistrati, & Galeni; Aristotelem à Medicorum placitis aut nihil, aut parum dissentire. 644

LXVII. Cum quo humore pharmacum purgans, maiorem habeat affinitatem: an corrupto, aut non corrupto. Qui humor facilius purgetur. Corpulentam substantiam pharmaci necessario non transmitti ad humorem purgandum, sed duntaxat virtutem attractoriam deferri à calore influente. 651

LXVIII. De curatione febrium omnium contingentium à partu. 655.

LXIX. De muliebri profluuio, inappetentia, cruditate, decoloratione faciei, tumore pedum œdematoso, & dolore capitis periodico. 659

LIB. XII.

LXX. Epist. Quibus de causis medicamentis stuporem inducentibus vtendum sit, & quæ sint obseruandæ regulæ in recto ipsorum vsu. 662

LXXI. An vtero gerentibus acuto morbo laborantibus medicamēta purgantia danda sint: quæ, & gestationis tempore: nunquam decere fœtum occidere. 668

LXXII. Cur Galenus tertium men-

sem in vtero gerentibus pro expurgatione ferenda, aliisque incommodis facile tolerandis addendum putauerit: an tertius & quartus sint tutiores reliquis, nẽpe quinto, sexto, & septimo: de victu vtero gerentium cum acuto morbo detinentur. 675

LXXIII. Quomodo pleuritis aliquãdo citra venæ sectionem sanetur: explicatus difficilis Hippocratis locus, atque Galenus defensus contra recentes Medicos, de fotibus adhibendis in dolore lateris: localibus, nonnunquam sine vniuersalibus, & nonnunquam ante vniuersalia vtendum. 679

LXXIIII. De diarrhœa biliosa, & tussi magna pro muliere puerpera. 683

LXXV. Agitur de ratione curandi exulceratos renes.

Finis Epistolarum Tomi II.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER PRIMVS,

TOMI II.

Reuerendissimo in Christo Patri, Domino Domino SERAPHINO Oliuario, S.D.N.PP. Capellano, eius Sacri Palatii Caussarum Auditori, Domino suo colendissimo.

Ostenditur virgines fœminas eam nō habere ex natura membranam, quam nonnulli Interseptum, alii Claustrum virginale, alii Hymen vocant. Nullum certum, propriumq́; signum esse virginitatis. Et quod olim Medicarum mulierum, quas hodie Obstetrices vocant, ex Platone, & Galeno, extiterit officium.

CAP. I.

Occasio disputationis, tractationisq́; diuisio.



NIHIL erat, quod ad te scriberem, Oliuari Clarissime, nulla inter nos, aliquando intercedēte, aut vitæ familiaritate, aut literarum, & professionis vinculo, nisi tu ipse occasionē scribendi dedisses mihi. Recordatis, arbitror, te olim literis commendasse, Medicorū de intersepto virginali, quod Hymen dicitur, atque de certo signo virginitatis, valde temerarium extitisse iudiciū. Vtique, si illorum sententiam non admisisses, æquo ferendum fuisset animo: sed, quia non modo non admisisti, verùm etiam temeritatis nomine incusasti, atque, quod fortassis admiratione videbitur dignum, sententiam proferre voluisti tuam, de iis, quæ nihil ad te, de rebus inquam Medicis, de quibus Iurisconsulti antiquissimi non solum audire, sed vltrò decretum recipere Medicorum consueuere: Non admiraberis, si hasce meas, ad te dare cōstituerim. Ego enim is fui, qui in Augustissimo, & celeberrimo Taurinensiū Gymnasio, primus omnium ita censui; & alii postea celebres in hac Academia professores, libentissime subscripserunt. Neque velim putes, me hanc scribendi prouinciam, vt propriam opinionem tuerer, suscepisse: est enim id à mea consuetudine alienissimum: sed veritas ipsa, qua nihil apud me fuit aliquando antiquius, me, negociis plurimis occupatissimum, de hoc argumento tractare impulit. Placuit tibi nuncupare tractationem, vt ex me primum nosceres, quid sentirem, oculataque fide meam prospiceres caussam. Deinde etiam, vt (si ita fortè contingat,) vel aberrantem Augenium in viam reduceres, (quod si fiat, præter quam, quod mihi erit gratissimum, immortales etiam habebo tibi gratias,) vel vt tu ipse opinionem postea mutes, ac vt virum prudentem decet, omnia boni, & æqui consulas. Ad ipsius igitur rei explanationem accedens, primum summam nostræ disputationis patefaciam: Secundò dubitationes afferam cōtra meam sententiā. Tertiò loco veritatem docebo: ac postremo satisfaciam dubitationibus.

CAP. II.

Quæstiones, circa quas versatur disputatio, earumque ex Augenio perbreuis explicatio.

IAM igitur, Oliuari, vt à priori exordiamur capite, quæstiones duæ sunt inter nos controuersæ. Vna, an virgines partem habeant corporis vllam, qua mulieres careant. Alia, an certo aliquopiam signo virgo à muliere distingui possit. Tria supponunt quæstiones. Primum, nomine mulieris, fœminam corruptam, venereoque congressui assuetam: Virginis autem, intactam, intelligendum. Hac appellatione Vlpianus I. C. vsus est, cum dicit: Quod, si ego me virginē emere putarem, cū esset mulier, emptio valebit. Hinc. M. Cicero obiurgantibus, quòd sexagenarius, Popiliā virginem duxisset, Cras (inquit) erit mulier. Hāc significationē tanquam propriam retinemus, licet idem Vlpianus, ac alii non rarò, quæ nondū fecit virginitatis iacturam, nuncupet mulierem. Præterea quæstiones audiendæ sunt de statu secūdum naturā, hoc potissimū sensu, an scilicet virgines, secundum naturæ principia, partem corporis habeant aliquam, ita illis conuenientem, qua sunt virgines, vt ea, postquā mulieres factæ sunt, careant. ac rursus: An aliquod certum sit virginitatis indicium à natura constitutum. Postremo supponunt, sermonem institutum esse de signo distinguēte, notitia quadam scientifica, Virginem à Muliere: quo scilicet posito certū habeamus de virginitate argumentum: atque remoto, mulierem esse statuamus. Quam ob caussam hæc ponenda sint, infra explicabimus. Hisce quæstionibus mihi de scripto propositis ab illustrissimi, & Reuerendissimi Vincentii Laurei S.R.E. Cardinalis amplissimi Auditore, in hunc etiam modum de scripto satisfaciendum putaui.

Virgines non habent aliquam corporis partem, qua sint destitutæ mulieres. Deinde. Nullo signo distingui possunt virgines à mulieribus.

Hæc mea fuit responsio, à Taurinensibus Medicis, in omni scientiarum genere præstantissimis, (vt dixi) confirmata: quam responsionem tu ipse temerariam iudicasti.

CAP. III.

Dubitationes, quæ contra nostram sententiam afferri possunt.

DIFFICVLTATEM primo loco faciunt, quæ scripsisti hisce verbis, in ea sententia, quam pro illius matrimonii dissolutione tulisti.

Attestatio (inquis) quoque Medicorum est valde temeraria: est enim contra textus apertos, qui inspectionem admittunt, in capit. Proposuisti. & in capit. caussam matrimonii, de Probationibus. Hæc tua verba sunt Oliuari. Quibus licet videaris maximum quidpiam contra meam opinionem attulisse, nihil tamen, vt sentio, profecisti: imò dum nos temeritatis incusas nomine, non modo simul arguis præstantissimos Medicos, & de hac arte vbique terrarum optimè meritos, sed etiam Iurisconsultissimos quamplures quidem in iure Pontificio, at in ciuili vnum præ cæteris eminentissimum Iacobum Cuiacium. Cum igitur tuæ parum cogant, validiores afferre volo dubitationes in medium: hinc verò fiet, veritatem vltro citroque agitatam, admodum reddi conspicuam. Conabor prius persuadere, virgines habere eiuscemodi membranulam: mox dari signum aliquod certum virginitatis. Ac primum ex communi ferè omnium consensu: Est enim omnium menti infixa opinio, virgines habere in ostio vteri quandam cartilaginem claudentem os ipsum, datam à natura illis pro custodia virginitatis, ac veluti eiusdem claustrum, sigillumque: vocant Græci ὑμεν, hanc primo concubitu rumpi, ac sanguinem ex ruptura fluere, iam peruulgata sententia est. Porrò, vt Aristoteles in Topicis asseruit, quod omnibus placet, aut pluribus, aut sapientioribus, id falsum esse nequit: Partem igitur habebunt virgines, qua mulieres destitutæ sunt. Præterea Medici præstantissimi hoc admiserunt. Auicenna quidem libro tertio sui Canonis tra-

ctatu

ctatu primo fen.xxi.capite primo,adeo apertè de hac loquitur membranula, vt nihil apertius. Verba illius habent in hunc modum:

Et ante violationem puellæ virginis, sunt in ore matricis paniculi contexti ex venis, & ligamentis subtilibus valde,ortis ex omni membro eius, quos destruit violatio,& currit quod in eis est,ex sanguine. Hæc Auicenna,qui certe facere fidem videtur manifestissimam,erroneam esse opinionem nostram. Amplius experientia rem facit manifestissimam: nemo enim est, in artis operibus exercitatus,qui nesciat,in virginibus nasci membranam eiuscemodi, hanc temporis
10 diuturnitate ita densari in quibusdam, vt à viris etiam robustissimis deflorari, corrumpiq; non possit. Solet hæc mensium exitum impedire, tumentem reddere vterum,dolores etiam aliquando inferre vehementes,atque si parturientis essent, videturque vna ex necessariis caussis sterilitatis, cum seminis ingressum in sinum ipsius vteri impediat: quamuis obseruatum fuerit aliquando clausas (ita enim vocantur)concepisse, at non est obseruatum,aut illas, aut fœtum fuisse postea vita superstites, vt Auicenna inquit hisce verbis:

Et quandoque accidit, vt clausa retineat per accidens conceptionem, quare moritur ipsa, & fœtus eius proculdubio, si non regitur. Et hoc quidem non est possibile, nisi aliquo modo, aut, vt sit illud, quod opponitur ori matricis de
20 clausura raræ texturæ: aut habens foramina plura, ita quod possibile sit matrici attrahere de spermate aliquid, licet paruum sit tamen, ex illo paruo fit conceptio.

Ergo si in virginibus nasci potest eiuscemodi membrana densissima,cur negabimus nasci posse tenuiorem, frangibilioremque? at verò cum primum nascitur,non potest esse crassa,& dura, sed eam esse frangibilem necesse est.

Ex recentioribus Medicis Iacobus de Carpo, insignis sua ætate Chirurgus in commentariis suis in Mundini Anatome, clarissime testatur in omnibus virginibus inueniri hanc membranam in ostio vteri.

Signum porrò certũ virginitatis dari, demonstrariq; potest ex historiis pro-
30 fanis, & ex sacræ Scripturæ testimonio, Catholicorumq; patrum authoritate,ac tandem ex obstetricum sententia. Scribit Leo Apher grauis Author libro tertio Historiarum Aphricæ,apud incolas Faxæ Mauritaniæ Ciuitatis præcipuæ, quod simul atque sponsus & sponsa ex solemni apparatu sponsalium domũ reuersi sint,obserato conclaui, dum nuptiale paratur conuiuiũ, pro Hymenei celebratione simul congredi. Perhibetque annosam mulierem præ foribus expectare: hæc porrectum sibi à sponso,iam marito, cruentatum linteolum in mediam conuitatorum turbam ouans defert,tanquam raptæ virginitatis opimum spolium, ac symbolum. Hacque ratione licere tum discumbere,tum cõuiuari. At si forte genio, fortunaque sinistra, illo coitu nihil cruoris sponsæ per ge-
40 nitalia stillauerit, redditur illa parentibus,quibus magnum inde accidit dedecus: inuitatorum verò turba tristis, & mæsta, & impransa domum reuertitur. Hanc seruari consuetudinem non in Aphrica modo, sed in Europa: præsertim verò in quibusdam Italiæ regionibus nonnulli commemorant. Ex quibus colligendum est, si fides dari debet Historiis, cruentatum linteolum signum esse certum virginis defloratæ.

Idem ex sacris literis demonstremus. Extat casus de cruentato linteolo in Deuteronomio cap.xxii. maxime confirmans,dari certum signum virginitatis. Placet afferre verba contextus magni alioquin momenti: quæ sic habent: Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasionem,
50 qua dimittat eam, obiiciens ei nomen pessimum,& dixerit: Vxorem hanc accepi,& ingressus ad eam, non inueni virginem; Tollent eam pater, & mater eius & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, qui in porta sunt, & dicet Pater: Filiam meam dedi vxorem huic, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, vt dicat,non inueni filiam tuam virginem: & ecce, hęc sunt signa virginitatis filię meę,& expandet vestimentum coram senioribus ciuitatis. Hæc ibi. Ex quibus dubio procul duo colliguntur contra nostram sententiam;

Vnum dari certum aliquod signum virginitatis, alioquin seniores populi iudicare non potuissent, an virgo fuisset illi desponsata: Aliud hoc signum esse cruentatum linteolum ex primo concubitu ita affectum, quod diligenter parentes, ac religiosè ob honorem filiæ asseruare solebant.

Id ipsum præterea ex catholicorum patrum verbis demonstremus. Nicolaus Lyranus ex communi catholicorum expositione declarans ea verba; Et expandent vestimenta coram senioribus ciuitatis, ait: Dicunt expositores Catholici communiter, quod Pater, & Mater sponsæ asseruabant linteum, in quo eorum filia à viro suo fuerat deflorata, sub sigillo authentico, vt per hoc ostēderet signa virginitatis, si vir eius velit postea obiicere malitiosè, quod eam virginem non inuenerit. Hæc verba(. Signa virginitatis ostenderet) manifestissimum faciunt ex communi Catholicorum explanatione dari aliquod certum signum virginitatis. 10

Simile ritu hodie etiā apud Saracenos regni de Fez servari phibet Alfonsus de Fontecha in libro suo qui inscribitur Medicinæ Christianæ Speculū: capitulo primo Luminaris tertij. ubi plura hac de re legi sunt.

Postremò ex obstetricum testimonio confirmatur. Dicunt obstetrices, & passim confitentur, virgines habere hanc membranulam, ab illis vocatam, *la telletta* vulgari voce. ideo non est eis in artis operibus exercitatis deroganda fides. Vnusquisq; enim magis rectè de propria, quàm de aliena arte iudicat, propterea cauetur, ne sutor vltra crepidam. idcirco in iis, quę ad obstetrices pertinent, multò magis standum est earum iudicio, quàm aliorum. At illæ continuò dicunt adesse hanc membranulam, profitenturq; in primo congressu illam frangi, ex ruptura emanare sanguinem. hocq; certum esse signum virginitatis. Audi quid de obstetricum iudicio scribat Hippocrates libro de carnibus. Ego quidem hoc vidi, & quidem frequenter: si quis autem hoc deprehendere vult, facilè est obstetrices adire, quæ parientibus adsunt, & ex ipsis percontari. Idemque libro de septimestri partu scribit: Ergo si in iis, quæ ad partum pertinent, Hippocrates obstetricibus fidem præbet, cur quæso nosipsi eisdem derogabimus fidem de virginitate iudicantibus. Hæc, Oliuari, suppeditarunt mihi, quæ contra meam sententiam pro tua confirmatione in medium afferrem. Nunc quæso, pro humanitate alioquin tua, aures benignas præbeto mihi veritatem explanaturo. 20 30

CAP. IIII.

Virgines carere membranula, ac intersepto virginali secundum naturam.

DVo cum sint instrumenta tum inueniendę, tum cōfirmandę veritatis, experientia inquam, & ratio, nos vtroque vtemur, ostensuri virgines carere membranula, ac intersepto virginali. Experientiam primum adhibeo ex ipsa anatome, ac fide clarissimorum authorum confirmatam: deinde rationes proponam. Quod igitur ad anatomicā obseruationem attinet, nō semel interfui sectioni virginum, nunquam tamen inueni eiuscemodi interseptum. Dum olim Romæ profiterer medicinam, orta fuit discordia inter Bartholomæum Eustachium Sancto seuerinatem, & Realtum Columbum, anatomicos quidem, vt eorum testantur monumenta pręstantissimos, negante illo, hoc autem affirmante adesse interseptum virginale. Disputationis explicatio ex communi consensu perducta fuit ad sectionis experientiam. Secuit igitur Realtus in Xenodochio D. Marię Consolationis virgines duas: quarum vna nonum, duodecimum altera agebat annum: atque magna prospicientium corona, cùm eam non inuenisset membranam, publicè testatus fuit: (animo enim erat candidissimo, & ingenuo) sese in ea re aliorum fuisse authoritate deceptum. Obseruaui etiam idem Ferrariæ demonstrante Canano anatomico doctissimo. Potest vnusquisq; cum libuerit, id perspicere. Quamobrem si danda est sensibus fides, iam omnis inter nos, Oliuari, cessat controuersia. Sed, vt maiorem adhibeas mihi fidem, præsertim cùm tibi in dirimendis litibus occupatissimo, inspiciendi accōmodatum fortasse non suppetat tempus, illustrium Medicorum testimoniis tecū agēdum duco. 40 50

C: Bauhinus in historice suæ Anatomicæ Capite de vtero, hæc de re, margini defixa hæc habet verba: Hymen nunquā reperiri statuunt Avicenna, Rhasis, Fernelius. / Alij reperiri semper, vt Fallopius ex Aver: i: Collect: qui venulas facere panniculū in ore matricis dicit. / Alij reperiri aliquando, aliquando non, vt Columbus. / nunquā vidit And: Laurentius. in duabus observavit Bauhinus vt in capite citato videre est. /

duco. Franciſcus Valeſius Philippi Secundi Auſtriaci Hiſpaniarum, & Indiarum Regis potētiſſimi, primarius Medicus libro de ſacra Philoſophia capite vigeſimoquinto, ſic ſcribit: Certè, & cuiuſuis ſectionis perito conſtare poteſt (quamquam ſunt quidam diſſectores, qui eſſe in ore vteri virginibus membranulam quādam annuli forma affirmant) nulla pars eſt in vteri ore, aut ceruice, quę virginitatis cuſtodia ſit, & in corruptione pereat. Sed anguſtia tāta, & ſymphyſis, ſeu coaleſcentia, & adſtrictio labiorum tanta, vt ſine dilaceratione partium, quæ ſymphyſi coierunt, admittere virile membrum non poſſit: hæc Valeſius. Ludouicus Vaſſæus Catalanenſis in ſuis de re anatomica tabulis, ita ſcribit: Circa medium huius colli corpus vt nonnulli anatomici dicunt, iis quę nondum venerem expertæ ſunt, paniculum, virginale dictum, eſſe, qui hymen, aliis hymenæum vocatur, &c, vt aiunt, in primo coitu rumpitur. Quod non videtur veroſimile. Nam in diſſectione virginum non apparet, nec vſquam, quod legerim, meminit Galenus. Huius etiam opinionis eſt Ioannes Fernelius libro primo ſuæ medicinæ capite ſeptimo. Vteri (inquit) ceruicem mediocri progreſſu plerique tradunt in virginibus exili membrana dirimi venulis conſperſa, quæ primo concubitu profuſo ſanguine diſrumpi ſolet, vnde hymen, & hymenæon græcè appellatur. At potius cenſeo ceruicis latera nondum venerem expertis duntaxat, quaſi conglutinata conniuere, quæ primus concubitus magna ex parte diuellit. Ambroſius Pereus Pariſienſis libro vigeſimotertio ſuæ medicinę, capite vigeſimoſecundo hiſce verbis rem facit manifeſtiſſimam: Quibuſdam virginibus in ceruicis vteri orificio membrana reperitur, hymen veteribus dicta, quæ quia viri ingreſſum arcet, ſterilitatis cauſſam mulieri infert. Hanc plerique non vulgares modo, ſed docti Medici virginibus omnibus tanquam virginitatis clauſtrum ineſſe credunt: ſed illam ego cum in pleriſq; virgunculis omnis ferè ætatis à trimatu, vſque ad duodecimum annum, quorum mihi in Noſocomio Pariſienſi, plena copia erat, ſtudioſè exquirerem, dum rem anatomicam commentarer, inuenire non potui. Et parum infra: Ipſam (ait) ſemel tantum licuit mihi obſeruare in virgine ſeptendecim annos nata, quam cum mater viro deſpondiſſet, ſciretque nihilominus ipſi in pudendis ſubeſſe aliquid, quod, quo minus mater, & fœcunda eſſe poſſit, impediret; rogauit me, vt ipſam inuiſerem. Reperi igitur membranam quantam tenuiſſimam, ſub nymphis proximè ad foramen, per quod mulieribus proximè vrina effluit præ foribus, vt ſic loquar, orificii ceruicis vteri medio: ſed exiguo foramine membrana illa peruia erat, qua menſes defluere poſſent: contemplatus ergo membranulæ illius tenuitatem ipſam adactis volſellis reſcidi, quicquid ad reliquam curationem facto eſſet opus matrem admonui, certe nupſit illa parum poſt, & prolem peperit: Hactenus Pereus. Ex hoc diſcurſu duo colligas velim, Oliuari, vnum quidem, non ineſſe virginibus ſecundum naturam eiuſmodi membranam. Alterum verò, nihil impedire, quin præter naturæ ordinem innaſcatur illis, quemadmodum etiam alii innaſcuntur morbi innumero, vt calculus in veſica, & ſextus digitus. Non ſunt prętermittēda Realti Columbi verba, cuius in principio capitis huius mentio facta eſt, qui libro ſecundo capite decimoſexto, rem tam apertè confirmat, vt nihil apertius dici potuerit. Sub nymphis (inquit) in nonnullis virginibus, non omnibus, alia membrana cernitur, hymen à veteribus appellata: quæ cum adeſt, (raró autem adeſt) obſtat, quò minus pœnis in vtero immittatur: nam craſſa eſt valde, ſupra veſicam foramine donatur, per quod menſes effluunt. Atque hic notanda ſunt Realti verba: Quæ, cum adeſt, impedit, quò minus penis in vtero immittatur: ac rurſus hæc: raró autem adeſt. Nam ſi hymen ſecundum naturam inexiſteret virginibus, non impediret ingreſſum penis in vtero. Deinde non raró, ſed ſemper, non quibuſdam, ſed omnibus ineſſet pro eorum, quę ſecundum naturam inſunt, cōſuetudine.

Præterea ſcribit Almanſor, virginibus ductum, ſiue ceruicem vteri valde anguſtum & rugoſum eſſe, rugas verò illas venulis, & arteriis intertexi, quas

[Marginal manuscript note: quod idē multis se fecisse fatetur Riverius in suis Observationibus.]

[Manuscript note: Hanc controversiam satis copiose tractat Andr: Laurentius Anat: lib. 7. Capite ultimo.]

primus concubitus diuellat. Sed quid plura in medium affero testimonia? satisfaciant mihi pro omnibus duo, Galenus, & Oribasius, quibus nulla ratione deroganda fides est. Scripsit Galenus librum ex proposito de vuluæ dissectione, in quo ne verbum quidem fecit huius membranulæ. Imò neque in aliis anatomicis lucubrationibus inueniri aliquid potest, quod huic virginali intersepto faueat. Oribasius verò magnus Medicus, & Iuliano Imperatori carissimus, suscepit data opera prouinciam reprobandi eos, qui hanc in virginibus membranam admittebant. Expedit in medium afferre eius verba, ne gratis loqui videar, quæ sic habent libro 24. suorum Collectaneorum medicinalium capite trigesimoprimo:

Quippe cum nonnullæ collum habent propensius, nonnullæ verò admodum curtum aut mutilum; plurimis verò earum, quæ ad perfectam ætatem peruenerunt sex digitorum est. Concidit tamen, augustiusq; est in virginibus amiculis occultatum coniunctis inter se per vasa, quæ productiones à vulua capiunt, quæ quidem concubitu dolorem afferunt, apertis ipsis amiculis. Rumpuntur enim, & sanguis eo importatus de more excernitur. Putare autem tenuẽ membranam quandam exortam esse, quæ sinum intercipiat, eamq; in excretionibus rum pi, & dolorem afferre, aut citius purgationes commouere, cumq; in corpus inuaserit eum morbum gignere, quẽ ἀτρυπῶν hoc est, cũ genitalia concreta sunt, nec vllum habent foramen falsum est. Primum enim ex dissectione nihil tale inuenitur. Præterea in virginibus deberet hęc membrana aliquantulum specillo resistere, sed specillum in profundum vsque ingreditur. Tertio, si cum vitiatur hæc membrana rupta, doloris est caussa, necesse profectò erat, vt in virginibus, anteaquam vitiarentur, cum purgationes apparerent, dolor quoque sequeretur: in ipsa verò excretione non item. Iam verò si membrana genita morbum creat, quo genitalia coalescunt, opus esset vt perpetuo eodem modo inueniretur, quo cæteras partes suo quasque certo, & definito loco sitas intuemur. At in non perforatis mulieribus, membrana hæc intersepiens, quandoque in partibus labrorum, quę in promptu sunt, inuenitur: quandoque verò in medio cũno, quandoque in medio vuluæ. Huc vsque Oribasius. Videor hactenus, Oliuari, ex anatomica obseruatione, & ex illustrium authorum testimonio demonstrasse, virgines no habere membranam in ostio vteri genitam, pro virginitatis, vt asserunt, custodia, sed si quid reperitur ibi vel esse veluti accidens quoddam separabile à virginitatis natura: nunc relinquitur, vt idem rationibus comprobemus.

Ad hominem igitur hanc admittentem membranam, sic argumentor: Si hæc membrana pars quædam est virginis, opus est statuere, vel esse partem essentialem, vel quantitatiuã, vel accidentalem. Admitti non potest primum, quia pars essentialis constituit substantiam rei, qualis est materia & forma: inest præterea omnibus per se, & secundum quod ipsum. at membrana hæc, neque materia est neque forma, neque omnibus, neque per se inest. Deinde, pars quantitatiua non est, nam hæ partes totum absoluunt, integrantque, neq; totũ esse potest, aliqua deficiente particula: atqui constat, si vera sunt in superioribus demonstrata, non inesse omnibus virginibus hymen, nec illis inesse continuo: pars igitur quantitatiua recte nuncupari non poterit. Sequitur dicendum partem esse accidentariam, quod vltrò admittimus, quia eiuscemodi pars potest adesse, & abesse præter subiecti corruptionem, vt calculus in vesica, sextus digitus, melicerides, atheomata, stareomata, & si quæ alia sunt huius generis: itaque tam poterit vocari virgo, quæ hanc habuerit, quàm quæ non habuerit membranulam.

Secundò, frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æque bene: atqui natura virginis tam poterit seruari, cum eiusmodi claustro, quàm sine. frustra igitur illud admittemus tanquam necessarium. Symphysis ipsa magnaque adstrictio, & cortugatio oris vteri in omnibus adest virginibus, magis tamen, ac minus, prout magis ac minus fuerint nubiles: quæ enim sunt admodum

maturæ

naturæ haud tantam habent, quantam tenellæ, corrugationem. Cur igitur præter hanc adstrictionem, cõniuentiamq; adhuc illam requirimus membranam?

Tertio quando natura aliquam procreat humani corporis partem, certissimum est, ipsam alicuius finis gratia creasse illam, atqui hymẽ hoc, nullam afferre poterat vtilitatem, sed potius damnum affatu dignum: non est itaq; credendum, illam fuisse à natura constitutam primaria, vt Philosophi dicere solent, intentione: sed quemadmodum natura monstra, & in homine gignit vermes, sic in mulieribus aliquando eam gignere membranam. Naturæ institutum in creatione fœminæ fuit, Oliuari, vt opportunè mater fieret: at quia procreare in vtero 10 fœtum non poterat, nisi viro iungeretur, insitum fœminæ dedit appetitum coniungendi viro. Erat etiam futura inutilis hæc amborum coniunctio, nisi sanguis ad vterum flueret, & ex vtero efflueret, idcirco dati sunt menses mulieri. At verò hæc membrana præ foribus vteri, vt ita dicam, existens, impedire quidem omnino conceptionem posset, tum quia prohiberet ingressum seminis in vtero, tum quia prohibe tegressum sanguinis extra vterum: non igitur illa virginibus inest membrana secũdum intentionem naturæ.

Postremò, quæ partes ex naturæ intentione gignuntur, eæ quidem semper locum habent, positionemq; determinatam, & magnitudinem certam: at membrana hæc quando nascitur, neque eundem situm, neque eandem seruat quan-20 titatem, vt ex magno Oribasio parum antea dicebamus. Quid inanem hic referam obstetricum inconstantiam? nam ex multis vix inuenias duas in hac materia concordes. Audies quasdam referre, situm illius positum esse statim in primo pudendi limine. Alias, in media ceruicis vteri via. Alias, in extrema parte ad vteri interius orificium, imò quasdam in ea hæresi existere obseruaui, vt non vereantur affirmare illam inaspectabilem, & imperceptibilem ante primum partum. Quasdam etiam audiui iureiurando affirmare, nunquam sese vidisse hanc membranam, sed aliarum muliercularum relatione didicisse. & quid mirum tanta vti varietate, in re tamen grauissima, ignarissimas, & rudissimas vetulas, solum nomen obstreticis habentes, re verò ipsa ad hanc artem exercen-30 dam, vt cum Græcis loquar ὄνοι λύραι sed de harum officio loquemur infra.

CAP. V.

Cruentatum linteolum ex primo concubitu non esse certum, ac verè proprium signum virginitatis.

IAM nostræ disputationis aliud examinemus caput, quod de cruentato linteolo pertractat. Crediderunt hactenus multi, hoc signum proprium esse, ac inseparabile virginitatis: ego autem ab his, quàm dissentiam, nunc explico. Vir-40 go in primo concubitu sanguinem, quo linteolum coinquinetur, potest emittere, & non emittere. Tenella virgo valido viro nupta emittet, annosa non emittet, magno afficietur illa primo congressu dolore: hæc autem nullo, vel certe perquam exiguo. Hæc pro maiori parte intelligenda sunt, latitudine quidem in eo, quod magis ac minus euidenti. Nam, si annosa, vt dixi, virgo in virum incidat, cuius penis cum illius ostio proportionem non habeat, excedente scilicet in longitudine, & magnitudine, vtique dolebit, & sanguinem copiosum effundet ex violenta impulsione pœnis: at vbi proportio adfuerit inter ipsos, vel etiam virile membrum minus fuerit, nec dolebit in coitu mulier, nec sanguinem reddet. è contra tenella sponso tenello iuncta, proportionatum habente 50 colem, non profundet sanguinem, nec afficetur dolore, aut certè quàm exiguum habebit. Expendantur horum caussæ diligentius. Diximus ostium vteri conniuere in virginibus, esseque maximè adstrictum, & quo magis tenera virgo est, eo maiorem simphisim, & adstrictionem habere, rugasque in ostio existentes, arteriolis & venis multis constare. Igitur in primo concubitu penis rigidus intro impulsus conniuentia labia, adstrictaque,

adaperiens venas, arterias abrumpens in caussa est sanguinem ipsum profundi: & verè in hoc potissimum naturam consistere virginitatis profiteor, nō in membranula claudente, non in vocata nympha, non in sarcosi, cum scilicet in caudæ modum caro intus nata prominet, non in thymis, non in condolimatis, quæ superari à natura nequeunt, sed consistit in naturali adstrictione labiorum, & coalescentia euincibili, ac superabili secundum naturam à virili membro, ex cuius violento impulsu videmus emanare sanguinem. Dixi hanc symphisin, & adstrictionem non esse æqualem in omnibus virginibus, magnam habere tenellas, minorem annosas: cuius rei hæc est caussa. A natura constitutum est, vt partes illæ aperiantur, dilatenturq; in conceptionis beneficium: idcirco probabile est, virginem ante mensium eruptionem, vterum habere magis adstrictum, quàm vbi iam apparere cœperint: & quo magis annosior est, eo magis prædita naturali desiderio concipiendi, marisq; coniunctionem perpetuò desiderans, vt Aristoteles inquit, ostium vteri paulatim dehiscit, dilataturque: propterea primum concubitum non esse illis perinde difficilem, atque tenellis mulieribus. Atque hinc velim obseruari, non statim iudicandum corruptam esse virginem, quæ primo congressu non emiserit sanguinem, vt vulgo creditur, magno alioquin damno, non mulierum modo, sed etiam familiarum. Etenim, neque in grandioribus natu, neque in tenellis id perpetuò contingit. Nupsit olim virgo annorum nouem, cum sponso vndecimo anno nato cohabitauit, & ex frequenti consuetudine inter eos habita sponsa anno decimotertio gestauit vtero, neque vnquam sanguis, aut ex congressu venereo, aut ex fluentibus mensibus ex vtero illius apparuit. Quoniam igitur in primo concubitu necessarium non est, omnes virgines emittere sanguinem, hinc fit, cruentatum hoc linteolum signum non esse proprium, & inseparabile virginitatis. Addo his, quod profundere sanguinem ex vtero cōtingit etiam aliis, quæ pollutæ sunt: nam si quispiam cum pollutam rem habēs, contingat in actu venereo menses erumpere, reddere illā quidem cruentatum linteolum, non tamen erit virgo. His pręterea addo, posse corruptas prostitutasq; mulieres, medicamentis ita corrugatas, adstrictasque reddere pudendas partes, vt virgines appareant, potestque sanguis ex iis emanare ob violentam dilacerationem: ac etiam, vt fit frequenter dolo malo, quod lene faciunt, vt rerum venerearum triunculo imponant deflorasse virginem. id quidem efficere solent illæ dupliciter, tum medicamentis, vt dixi, corrugando, adstringendoque os vteri, tum vesicis felleis, aut vtriculis piscium sanguine plenis, & artificio illis cognito intus in vuluam accomodatis: atque vt magis inexperti harum artium virginem credantur deflorasse, iubent prostitutas mixtis cum gemitu suspiriis, fœmineisque vlulatibus, & crocodili lachrymis, viri ferre commercium. Tantum possunt eiuscemodi fraudes, vt viderim sex probatæ famæ obstetrices, mulierem quandam iudicasse intactam virginem, quæ septem antea mensibus puerum pepererit. Videat iudex prudens, ac doctus, quam harum muliercularum renunciationibus fidendum sit, & quàm firma signa sint virginitatis. Quia igitur hoc signum non inest omnibus, solis, ac semper, concludo non esse indicium proprium, & inseparabile virginitatis. Huius opinionis etiam extitisse collegium Putauinum, relatum mihi fuit à Michaele Columbo Centalensi Medico doctissimo, qui etiam mihi per literas significauit Hieronymum Mercurialem eiusdem etiam opinionis extitisse. Postremo Iacobus Cuiatius lib. 17. suarum Obseruationum cap. xx. apertè scribit, cognoscere virginem esse admodum difficile, aut fortassis impossibile, munusq; cognoscendi nunquam de iure ciuili datum fuisse obstetricibus, eius verba refero:

An sit virgo (inquit) est in difficili, ac pęnè impossibili. nec huius rei vnquam legitur obstetricibus delatum arbitrium.

Verum quia videor hactenus, Oliuari clarissime, satis de interсepto virginali, & de cruentato linteolo egisse, nunc ad aliorum explanationem aggredior.

CAP. VI.

De obstetricibus, earum institutione, & officiis.

ANTEAQVAM ad explanationem accedam propositarum quæstionum, prius dicendum est, quam ob causam introductæ fuerint obstetrices, & quod proprium illarum extiterit officium: nam hæc non mediocrem vtilitatem præstabunt iis, quæ deinceps explicanda supersunt. Causa igitur, ob quam primum institutæ sunt Medicæ mulieres, ea potissimum fuit, vt ego sentio, vt proprii illarum morbi maiori commoditate sanarentur: (Voco proprios mulierum morbos iis partibus aduenientes, per quas à viris distinguuntur) cum enim 10 ob verecundiam non auderent viris suas detegere molestias, nec tamē haberent vnde consequi vtilitatem possent, remediis destitutæ interibant. Hinc addiscere cœperunt medicinam, ac tandem exercere. Omniumq; prima post promulgationem, obseruationemq; Atticarum legum contra mulieres latarum, medicinam facere aggressa est Agnodice puella, & virgo, vt refert Iginus lib. fabul. cap. 274. Historiam lectu dignam, iucundamq; recensere placet hoc loco. Athenienses aliquando suis legibus cauerunt, ne fœminæ artem medicam addiscerent, hacque de caussa non habuisse obstetrices, idem author testatur. Cum autem virgo quædam nomine Agnodice medicinam addiscere cuperet, tonsis sibi capillis, viri habitu sese Herophilo cuidam Medico erudiendam 20 tradidit: quæ cum artem perfecte didicisset, & fœminam audiuisset laborantem, qua parte à viris distinguitur, ad eam accedens, suam pollicebatur operam. Illa vero nolens ei, putans virum esse, adhibere fidem, tunica sublata sese fœminam ostendens, curationem illius absoluit: atque ita curabat cæteras. Quod cum audiuissent Medici, se non amplius ad fęminas admitti, Agnodicem incusarunt, dicentes: Eum Glabrum esse, & mulierum corruptorem, illasque ægritudines dissimulare. Tum illa tunica ablata sese ostendit fœminam. Tunc multo magis Medici accusationi incumbebant, legem obiicientes. Conuenerunt ad iudicium præcipuæ fœminæ, dixeruntque Areopagitis: Vos coniuges non estis, sed hostes: quia, quæ salutem nobis inuenit, eam damnatis. Hac mo- 30 ti Athenienses vxorum admonitione, eam emandare legem cœperunt, & ingenuas mulieres artem addiscere medicam, & exercere permiserunt. Hucusque Iginus.

Videor ex hoc discursu docuisse causam, ob quam obstetrices iam primum fuerunt introductæ. Quæ vero prima omnium fuerit obstetricum, diuinare quidem non possum. Nam ante leges ab Atheniensibus promulgatas Medicas extitisse mulieres, satis superque constat, tum ex eisdem legibus, quæ alioquin non prohibuissent fœminas artem discere, & exercere, si nullæ antea extitissent, tum etiam ex veterum monumentis: nam, vt prætermittam quamplures, Ocyroe Chironis illius medicinæ (vt asseuerant) inuentoris, filia, medicam artem 40 didicisse testatur Ouidius libro secundo Metamor. dum ait:

Filiæ Centauri, quam quondam nympha Caici
Fluminis in rapidi ripis enixa vocatur
Ocyroen. Nam hæc artes contenta paternas
Edidicisse fuit.

Æsculapii quoque filiæ medicinam calluerunt, inter quas præcipue fuerunt Hyggiæa, & Panacea, quarum meminit Hippocrates in iureiurando, & Aristophanes in Pluto. Polisdamna vxor Tonis Ægyptii, commendata Homero lib. 4. Odis.

50 *Tindaris (ait) hæc habuit summo Ioue nata venena,*
Quæ Polidamna dedit coniux Aegyptia Tonis,
Commoda consulto medica composta sub arte,
Multa legens vario solers tellure venena
Noxia permixtim carpens quoque commoda multa.

Medica etiam fuit Aspasia Diuini Platonis, & Periclis magistra. Imo Phanerote Socratis illius Atheniensis mater obstetrix fuit, Laertio teste in eius vita,

& Valerio Maximo lib. 3. cap. 4. & Raphaele Volaterano lib. 13. At postquam leges Atticæ contra mulieres Medicas habere locum desierunt, primam omnium obstetricem fuisse Agnodicem arbitramur: Hanc aliæ in artis operibus claræ postea insecutæ sunt, quarum hodie conseruatur memoria in Galeni, Scribonii Larghi, Pauli Aeginetæ, Aetii, Marcelli Burdegalensis, Flauii Vopisci, Theodori Prisciani, ac aliorum monumentis. Hisce quidem Medicis mulieribus, & obstetricibus, quemadmodum etiam viris Præses Prouinciæ ius de mercede dicere solebat, Vlpiano teste lib. 1. §. 1. de extraordinaria cognitione. Ac etiam male actæ curationis puniebantur, vt constat per l. item si obstetrix. D. ad legem Aquiliam. Eisdem erat delegatum arbitrium noscendi, an mulier vtero gereret, vt manifestum est per l. 1. D. de ventre inspiciendo, duum fratrum decreto. Sed de his satis multa, nunc de harum officiis dicamus.

Duplex earum officium extitisse ex supradictis constat, vnum quidem commune cum aliis Medicis, aliud vero proprium. Exercebant illæ medicinam opem ferendo mulieribus, non solum cum vtero laborarent, sed etiam aliis morbis afficiebantur, in quo munere non distabant à Medicis. rem sic habuisse manifestum faciunt pharmaca ab ipsis mulieribus composita, quemadmodum ex Galeni aliorumq; Medicorum testimonio constat. Iam vero proprium ipsarum existere officium dicimus, cum opera impenditur solum circa muliebres morbos, ac alios affectus ad eas duntaxat pertinentes, vti est conceptio, partus, puerulorum educatio, aliaq; eiusdem generis. Hoc vero officium diuiditur in tres partes, secundum sententiam Platonis, & Galeni. Harum prima, & potissima est, apta ad liberorum procreationem corpora conciliare inter sese, & vna coniungere atq; simul posse cognoscere, qui sint infœcundi viri, quæ ve steriles mulieres, quæ cognitio haberi non potest, nisi præcesserit longa exercitatio in dicernendis temperamentis totius corporis, & partium, præsertim vero vteri, & genitalium. Præstat hoc loco Galeni verba recensere, qui authoritate Platonis de hoc obstetricum officio, ita locutus est lib. 5. aphor. comment. 62.

His nobis veluti elimentis comparatis, deinceps dicamus id, quod supra in hunc dicendi locum distuli in Thæetheto à Platone propositum. inquit enim hoc præcipuum esse munus obstetricum apta ad liberorũ procreationem corpora conciliare inter se & copulare. simulque posse internoscere, qui sint infœcundi viri, quæ ve steriles mulieres. Sed de hoc officio verba afferamus Platonis.

Soc. Nunquid & hoc de illis audiuisti, quod tanquam pronubæ in conficiendis coniugiis aptissimæ sunt: quippe quæ optime calent, quam cui copulare ad generosæ prolis procreationem oporteat. THE. Haud satis id noui. Soc. Imo scias in hoc gloriari non minus, quam in vmbilici ipsius pręcisione. Quid enim? Alteriusne, an eiusdem artis esse putas curare, colligere ve terræ fructus, & rursus dignoscere, quod in solum quã plantam, quod ve semen iacere debeat? THE. Eiusdem. Soc. In fœminis autem, ò amice, alterius facultatis hoc, alterius illud existimas? THE. Haud sane conueniens est.

Hæc Plato, & Galenus de potissimo obstetricum officio. Est autem hoc non parum difficile: quia non solum communẽ omnium naturam cognoscere oportet, pro hoc obeundo munere, sed etiam propriam, ac indiuidualem vniuscuiusque: quę res quam sit difficilis, satis superq; omnium constat iudicium, & à Galeno explanatum fuit lib. 1. ad Glauc. cap. 1. & 7. de Methodo medendi scribit. Si hominum particularem naturam cognoscerem, vtiq; me talem esse arbitrarer, qualem Æsculapium fuisse ferunt. Colligitur etiam difficultas maxima ex iis, quæ pertinent ad conceptionem, de qua Galenus in hunc modum scribit.

Nam immodicæ discrasiæ, id est, intemperantiæ horum sunt causæ: modicæ vero si sint, & contrariis iungantur, tunc grauidæ fiunt mulieres. Si vero cum similibus copulentur, non concipiunt. Neq; enim fieri potest, vt semen frigidius, in frigidiore vtero fœcundetur, neq; siccius in ficciore, & de aliis qualitatibus vtrobiq; similiter. Sed frigidius quidem semen tanto calidiori vtero indiget, quanto

quanto ipsum longius abest ab optima temperatione, humidius vero sicciore, & de aliis qualitatib. vtrobique similiter.

Porro aliud obstetricum officium est, parturientibus opitulari, fœtus educere vel intus retrudere ac obtundere, emollire partus dolores, tum medicamentis, tum etiam operatione manuali. Quod officium non fuit concessum omnibus medicis mulieribus, sed illis duntaxat quæ cum antea concepissent, parturiissentque, ac propter ætatem ineptæ ad fœtus procreationem essent de cætero: nam donec vtero concipiebant, prorsus ab hoc abstinebāt opere, quæ pulchrè eleganterque à Platone in eodem explicantur Dialogo, cum ait:

10 Soc. Scis enim, quod nulla ex his quandiu concipit, paritque, parturientibus opitulari: sed cum iam ad fœtum ineptæ sunt ipsæ. THE. Prorsus. Soc. Caussam huius Dianam ferunt, quæ cum sterilis sit, partuum tutelam suscipit: steriles obstetrices fieri vetuit, quoniam humana natura imbecillior est ad artes earum rerum quas nunquam experta est: iis autem, quæ propter ætatem concipere non possunt, id imperauit similitudinem sui honorans. THE. Et parum postea addit. Soc. quia etiam medelis, & incantationibus obstetrices excitare, mollireve partus vexationes valent, & ægrè parturientibus opitulari, fœtusque educere etsi intempestiuum fore videatur, obtundere, atque retundere. THE. Vera narras. Tertium ac postremum officium est, acutius prospicere, quæ prægnantes 20 sint, aut non sint mulieres, propterea lex à DD. fratribus promulgata, iubet tres obstetrices probatæ fidei, & in artis operibus expertas ventrem inspicere, ferreque imprægnationis iudicium. Plato de hoc officio hisce verbis locutus est.

Soc. An non id quoque probabile est, ac necessarium, quæ prægnantes sint, & quæ non acutius ab obstetricibus, quam ab aliis animaduerti? THE. omnino.

Hactenus de obstetricum officiis, quæ à nobis dicta sunt, vt fieri possit comparatio nostrarum obstetricum cum antiquis: nam tunc certè cognoscemus, quàm distent ęralupinis, vt est in prouerbio. Ignarę sunt nostra tempestate mulieres medicæ, nec aliud meo quidem iudicio sciunt, quam nascentem puerum gremio recipere: vmbilicum rescindere, & alligare: at ad alia, quorum scientiam 30 habebant antiquiores, sunt profecto vt asini ad lyram.

CAP. VII.

Inspectionem mulierum, quæ admittitur de Iure Pontificio, signum fallax existere ipsius virginitatis.

LICET ex iis, quæ proximè diximus, facilè deprehendi possit, qua ratione propositis dubitationibus debeat satisfieri, tamen vt omnem in hac materia moueamus lapidem, vt que ceruicosi nihil amplius habeant, quod sit de cætero controuersum, nunc id ipsum apertius, distinctiusque efficiundum est, principio 40 sumpto ab examine rationis tuæ, doctissime Oliuari, ex qua postea progressum ad reliqua faciemus. Videris igitur mihi im hunc fere modum contra meam sententiam ratiocinari.

Ea valde temeraria sententia est, quæ est contra text. Iuris Pontificii admittentes mulierum inspectionem.

At vero qui dicunt virgines non habere hymen, & non dari signum propriū ac certum virginitatis, contra Iuris Pontificii textus id asseuerant. Ergo ea sententia fuit valde temeraria. Vt huic tuę satisfaciam argumentationi, quatuor potissimum explicanda suppetunt mihi. Primo inspectionem ab obstetricibus factam esse admodum fallacem. Mox nostram sententiam non contradicere tex-50 tibus Iuris Pontificii. Tertio, quam ob caussam de iure ciuili eiuscemodi non admittatur inspectio. Postremo rationi satisfaciam.

Quod igitur (vt ad prioris explanationem capitis accedamus) obstetricum, & oculus, & manus sæpissime decipiantur, admodumque fallax habeatur de Iure Pontificio hoc experimentum, multi apertissime testantur Canones. Textus est dilucidissimus in cap. caussam matrimonii, de probationibus, in quo, non

obstante prima matronarum inspectione, permittitur secunda inspectio, quod certe non fieret, si ex tali inspectione virginalis deflorationis certa deprehenderentur signa: prima enim sufficeret visitatio: Sed quia hæc visitatio tuta non est, vt puta, quæ admodum frequenter fallat, Ecclesia, quæ in similibus pro animarum salute, & tanti sacramenti confirmatione, omnem adhibere diligentiam solet, cautionemque, mandat iterum inspiciendam esse puellam: nouæ huius inspectionis caussam afferens addit, quia sæpe obstetricum manus, & oculus falluntur: Iubetque probas, honestas, & prudentes deputari matronas.

Consimilem habemus contextum in capit. Nec aliqua, vigesimaseptima, quæstione prima, vbi hæc verba leguntur: SÆPE FALLITVR OCVLVS, ET MANVS OBSTETRICVM. Hoc idem probat Abb. in c. Vltimam, de frigidis, & maleficiatis: vbi licet talis præcesserit puellę visitatio, Iudicibus tamen præcipitur, vt etiam septimam propinquorum manum adhibeant. Argumentum, nisi ego fallor, Oliuari, irrefragabile, ex ipsa scilicet inspectione mulierum non posse certa, inseparabiliaque sumi signa virginitatis. si enim possent, superuacanea dubio procul esset diligentia tot adhibendi testes: at quia fallax est sæpe oculus, & manus obstetricum, propterea eam exhibendã esse curam, sancti Canones voluerunt. Ita quidem sentit ibi Glossa communiter approbata in verbo, Septima: vnde absolutam huius quæstionis decisionem colligere possumus, & ibi scribit etiam Abbas Panormitanus nu. 10. in fine, iuramentũ propinquorum semper fore necessarium, quia virginitatis probatio argumẽtum est fallax. Hæc tuam euidentissimè subuertunt, Oliuari, machinam; quam etiam quæ subsequuntur, annihilabunt.

CAP. VIII.

Augenii responsum non fuisse contrarium Iuri Pontificio, & rationis Oliuarij contra Augenium explicatio.

NVnc reliqua prosequamur. Nostrum responsum minime contradicere Iuri Pontificio nunc breuiter demonstremus. primum admittimus inspectionẽ ipsam fieri debere, sed eã dicimus signum existere fallax, quod scilicet coniecturam duntaxat, minime vero exactam notitiam efficiat: vbi enim res maxime cõtrouersa est, multa solent adhiberi vt fidem faciãt, in quorum numero inspectio est, non vna, sed multiplex ex sacrorum Canonum præcepto. Propositiones nostras sigillatim examinemus. Diximus, Virgines non habent aliquam corporis partem, qua sint destitutæ mulieres. At vbi, quæso, fuit hoc à summis Pontificibus reprobatum? aut quis ex Canonum professoribus hanc tanquam falsam reiecit? Deinde cum dicebamus: nullo certo signo distingui posse virgines à mulieribus, an videmur hoc statuisse contra Canones Pontificios? si manus, & oculi obstetricum sæpè fallunt, quomodo admittes, Oliuari, certum aliquod dari, & inseparabile signum virginitatis? vbi certitudinis huius facta fuit à Pontificibus mentio? Temerè quidem, Oliuari, nos incusasti nomine temeritatis.

Nec obstat c. Proposuisti. de Probationibus, quia non admittitur ibi eiuscemodi visitatio, ad simpliciter probandum: nam si ita res haberet, hæc duntaxat visitatio præualeret iuramento viri asserentis sese sponsam cognouisse. Sed illa visitatio præsumptionem adiuuat ex iuramento mulieris resultantem. Iurauerat maritus nouisse vxorem, iurauerat vxor non fuisse cognitam. Mulieris iuramentum iuuatur ab ipsius visitatione: idcirco præualet iuramento viri, vt puta munitum coniectura, & præsumptione non leui. Propterea in textu præcisè non dicitur, intentionem mulieris remanere probatã. Sed VIDETVR NOBIS, (inquit Pontifex,) q; iuramento puellæ, & testimonio illarũ septem fides est potius adhibenda. Ponderanda sunt hæc verba contextus, VIDETVR NOBIS, & hoc, POTIVS FIDES, quæ videntur non mediocriter nostro fauere proposito.

Si

Si quispiam quæsierit ex me, cur eiuscemodi visitatio magnam fidem faciat? Responderem, ex pudore & verecundia id contingere, quę duo maxime decent virgines. Nihil certe turpius, nihil verecundius iudicari debet, quam virginem denudari: atque hinc nascitur opinio illius pudicitiæ, cum scilicet præstito iuramento vult sese videri nudam, ac eas prospici partes, quas natura occultas esse voluit. Non certe pateretur denudari, aspicique ab obstetricibus, ac postea à matronis, si fuisset polluta. Inspectio igitur coniecturam virginitatis præbet, non certitudinis, quam hoc loco quærimus.

10 Merito dubitaret aliquis, cur de Iure ciuili non admittatur huiusmodi inspectio, nam iuris huius professores demandarunt obstetricibus, vt inspiciendo ventrem, iudicium ferrent, an mulier vtero gereret? de virginitate autem iudicanda nunquam illis demandatum fuit arbitrium, vt ex Cuiacio supra dicebamus. Fortassis diceremus id contigisse, quia libellus diuortii erat de iure ciuili concessus, idcirco vbi eiuscemodi casus inter virum, coniugemq; contigisset, non deferebatur iudicium ad arbitros, sed diuortio interueniente omnis inter illos cessabat controuersia. At Canones Pontificii non admittunt diuortium: cōsideraturq; apud Iuris huius professores, Matrimonium, vt Sacramentum Ecclesię factum à Deo Opt. Max. hocq; coniugibus ipsis viuentibus separari non 20 posse, nisi magna sese offerat necessitas. Sed ne videar me alienam, quod dici solet, ingredi messem, hoc aliis relinquo iudicādum, accedens interim ad examen rationis tuæ.

Temerarium iudicas contradicere iuri Pontificio. Non dissētio, non contradixi. Sed quid si contradicerem in iis, quę non pertinent ad fidem, aut ad Sanctę Ecclesiæ præcepta? Cur quęso, licebit incusare Medicum nomine temeritatis de iis agentem, quę duntaxat ad ipsam medicinam pertinent: si de medicis rebus aliqua sit inter Medicos, & Canonum professores discordia, cui credendū? certe magis censuerim Medicis. At nulla ipso in casu discordia est, Oliuari, sed summa consensio, ideoq; fit, vt nunquam sit fides deroganda Medicis.

30

CAP. IX.

Quod probabile est, tum verum, tum falsum esse.

ERAT aliud argumentum sumptum à communi omnium ferè gentium consensu, quod quantas vires habeat, est omnibus in dialecticis disciplinis exercitatis manifestissimū. Summa explicationis argumenti in hoc consistit, vt quod placet omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, aut ea in arte magis probatis, ac expertis, probabile sit. Ex quo sequitur non esse ex necessitate falsum. Sed caue, ne dicas, esse ex necessitate verum. Probabile id est, quod ad vtrumlibet sese habet, potestq; tum verum, tum falsum esse variis rationibus. Ad nostrā 40 tractationem accedamus. Virgines habere membranulam illam non admittunt, qui in arte periti sunt, aut qui præcipuas partes habēt, aut sapientes; sed vulgares duntaxat: horum opinio non vera est, si de statu secundum naturam intelligamus: at vera, si de statu præter naturam audiamus. hac distinctione argumento respondetur ab experientia. Quandoquidem certissimum est, virgines aliquando incidere in hunc affectum, cum præter naturam sese habent, alioquin esse omnino impossibile profiteor.

50

Cap. X.

Quod signum sit virginitatis, cuius mentio fit in Deuteronomio, tum secundum Hæbreos, tum secundum Christianos.

NVNC quid sibi velint significare verba in Deuteronomio scripta c. 22. perpendamus. In iis quidē mentionem fieri signorum virginitatis constat, vt dicitur: ET EXPANDENT vestimenta coram senioribus ciuitatis. ac deinde: ET ECCE, hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Hębrei explanantes hunc contextum non sentiunt esse intelligendum de signis virginitatis. Rabi Salamon inter Hæbreos scriptor grauissimus, & magni nominis, ait, ea verba metaphoricè intelligenda, cum pręcipuè dicat: EXPANDENT vestimenta coram senioribus ciuitatis, sensumq; hunc elicit. Quod quēadmodum expansionem, & dilatationem vestimenti, quicquid in eo continetur, clarè & manifestè apparere potest: sic in accusatione huius viri monet seniores, vt rem diligenter inquirant, num adulterium fecerit mulier, an vir illius odio ductus, malum imponat nomē. neq; ferendam esse in re graui sentētiam, nisi prius res ipsa in propatulo sit, illisq; manifesta, vt pannus expansus omnes maculas inexistentes patefacit.

Aliorum etiam opinio est, puellam, licet primo congressu cum suo viro cruentatum nō reddiderit linteolum, non esse pęna legis afficiendam, nisi per testes probatum fuerit, illam adulterium fecisse, anteaquam viro fuisset nupta: quę explanatio videtur mihi cōuenire cum sententia Rabi Salamonis: nimirum, quod requiratur alia veritatis indagatio, quàm per signa virginitatis: quorum defectu non fore puniendam capite, vt illorum lex decreuerat. Dicunt alii, cùm virgines ad annum duodecimum peruenerint, nō esse necessarium inueniri sanguinem in primo concubitu: immò non esse locum marito, vt illam de adulterio incusare possit, quamuis nihil sanguinis emiserit. Posse tamen illam duntaxat accusare, si in primo coitu visum illi fuerit rem veneream secū habuisse sine aliqua difficultate, neque inter coeundum inuenisse tantam locorum angustiam, quanta videri posset necessaria. Ex iis vnicuique constare potest, quid ex Rabinorum sententia de cruētato linteolo, ac certo signo virginitatis, sentire oporteat. Addo nunc quæ dixerunt nostrates Theologi, vt omnis è medio tollatur controuersia. Nicolaus de Lyra Glossematarius veteris nouique testamenti, locum interpręțatur etiam metaphoricè. Nam postquam communem aliorum Theologorum sententiam retulit, quam nos in prima disputationis parte citauimus, hæc habet verba:

Sed hoc videtur valde turpe, q. pannus talis expanderetur coram iudicibus, propterea non est verisimile, quod vir eius auderet falsò accusare, cum sciret parentes vxoris habere testimonium prædictū suæ virginitatis; quia erat consuetudo communis sic seruare pannum, secundum istam opinionem, & ideo aliter exponunt Hebræi dicentes, quod hæc est locutio parobolica, cum dicitur: ET EXPANDENT vestimēta. &c. idest per verba testium declarabunt, & explicabunt virginitatem filiæ suæ: sic explicatur pannus.

Hæc ille, ex quibus apertissimum redditur, id signum, tanquam certum necessariumque, non esse admittendum.

Cap. XI.

An secundum Medicos signum aliquod statuendum sit virginitatis proprium.

ACCEDAMVS nūc ad Medicos, doceamusq; an ex illorū decretis aliquod signum statuendum sit virginitatis proprium: sed distinguere prius oportet quid nomine signi proprii audiamus, vt omnis è medio tollatur ὁμωνυμία. Signi proprii significatio duplex: alia qua significatur signum verè proprium, vt loquūtur Dialectici, q. omni, soli, ac sēper conuenit. Alia verò, qua notamus, quod vbi

vni soli conuenit. Hacq; notione frequentissime vtuntur Medici fere omnes. Etenim ex Galeni sententia, signorum quædam sunt propria, quędā inseparabilia, quædam propria & inseparabilia simul. Propria conueniunt vni duntaxat soli. Inseparabilia conueniunt omnibus. Propria & inseparabilia ōnibus, ac solis. E.g. incipere febrem à caussa aliquapiam progressa, inseparabile quidem est diariarum febriū signū, quia inest omnibus, sed non est propriū, quia non cōuenit solis; nam putridæ aliquando ab eiuscemodi caussa originem ducunt. Proprium erit earundē suauitas caloris: omnes.n. diariæ calorē habent adeo mitem, vt fere similis videatur sanorum calori. Inseparabile ac proprium diariarum est, in vrina coctionis euidens prima die apparere signum. Hisce suppositis ad rem accedamus. Linteū illud cruentatū, de quo mentio fit in sacris literis, admitti certè à Medicis debet pro aliquo signo virginitatis. At non est dubio procul signū verè propriū, quia non adest omnibus neque adest solis, quia, vt demonstratum fuit supra, omnes virgines in primo congressu non emittunt sanguinem. nec ēt solę virgines cruentatū reddunt linteum. Etenim iam corruptę, ac ēt prostitutę dolo malo sanguinē, coeuntes emittunt. At remotis malis artibus, ac fucis, caussisque accidentariis sanguinis ex vtero emissio ex violentia primi coitus, signum erit secundum Medicos proprium? quia cum istis circumstantiis solis competit virginibus. Atque ita quidem affirmatiue licebit argumentari. Negatiue autem non licet, vt si dicamus: Huic non effluxit sanguis ex vtero, ergo hæc ante primum congressum non fuit virgo: hæc inquā ratiocinandi ratio nō valet, quia obseruatum est multis virginib. hunc euenisse casum. Quamobrem Galeno hoc signū nuncupabitur proprium, sed non inseparabile. Adhæc duo pro tractationis huius absolutione adnotari debent. Vnum nō semper in omnibus rebus dari signa certa, adeo vt illis positis ponatur, remotis remoueatur res significata, in quorū numero signa pleuritidis, ac dysenterię aliquando à Galeno reponuntur: habēt enim quædam signa adeo obscura, vt in illorum notitiam peruenire sit necessarium ad coniecturas; in horum numero repono virginitatem: Hanc ex coniecturis cognoscimus, vbi cruentatum illud linteolum aliquam nō efficiat fidem. Sunt autem sumandę coniecturæ, à virgine, vt ex magno dolore primo concubitu genito, ex viro, si adstrictas eas partes nouerit ex moribus virginis, ex matris conditione, ex parentibus, ex illius consuetudine, ac ex aliis, quæ inuestigabunt alii. Hoc ego certo certius pronunciare possum, inspectionem obstetricum certum non esse virginitatis indicium. Deinde vero animaduertendum est, artes ferè omnes semper id contemplari, quod maiori ex parte accidit, perinde atque si semper accideret. Quia verò maiori ex parte primo concubitu solent virgines defloratæ sanguinem emittere: propterea Medici fortassis id signum tanquam proprium corruptæ virginitatis recipient. Et in hoc etiam consisi vulgo ita sentiunt: at minime licet negatiuè ratiocinari vt diximus.

Cap. XII.

Quibus obstetricibus fides adhibenda sit.

FIDES nunquam deroganda est iis, qui exercitati cum sint in artis operibus, de propriis rebus ferunt iudicium. Hac de re diuinus Hippocrates obstetricum desiderauit audire sententiam, de partu septimestri. Iuris Pontificii professores, illarum etiam iudicium quærunt. Illarum standum renunciationi, an vtero gerat mulier, iure ciuili præcipitur. & id sanè meritò, quia supponuntur artem propriam cognoscere, & in omnibus esse ad ipsam pertinentibus exercitatæ. Supra docuimus, quale debeat esse earum officium, idcirco iis in hunc modum explanatis, hoc vnum profiteor, eiusmodi non reperiri obstetrices nostra ætate; præsertim verò in Italia, ac omnium minime in hac Pedemontana regione, in qua rudes quædam mulierculę omnium rerum ignarissimæ hanc faciunt artem. Deberent saltem incumbere dissectioni corporum, aut huius tantam habere notitiam, quantam illarum postulat officium. Propterea Hispani cogunt

obstetrices interesse, cum secantur corpora; quæ res vbique deberet obseruari. Nullam igitur his ego fidem adhibendam censeo; probatis autem, doctis, & expertis maximam.

CAP. XIII.

Aliarum difficultatum explicatio, & tractationis epilogus.

IACOBI Carpi auctoritatem, quamuis non sit rudis anatomicus, non admittimus; quemadmodum neq; aliorum, qui re non perfecta, idem scribere ausi 10 sunt. An Auicennam etiam hoc nomine incusabimus; cur non? Multa enim circa dissectionem corporum scripsisse constat, quæ longè secus habent, vt anatomica docet obseruatio. At si placuerit Auicennę sententiam tueri, dicendum primum, locutum fuisse illum de membranula in vtero nascēte pręter naturam, quæ in suæ generationis exordio tenuis est, adeò vt facilè dilacerari, & rumpi possit à virilis membri ingressu. Hæc vbi multum dēsatur, atq; crassescit, dilacerari non potest, ferro indigens, aut igne. Deinde verò dici posset, illum hisce verbis, Sunt in ore matricis paniculi contexti ex venis, & ligamentis subtilibus valde ortis,] non intelligere cartilaginem, hymen vocatam, quia illa non est contexta ex venis, & ligamentis valdè subtilibus: quia omnis virgo habēs eiuscemodi 20 membranam, facilè deflorarετur, cum tamen omnes summa difficultate possint corrumpi: imò est impossibile superari à membro virili, sed per paniculos illos valdè subtiles, intelligit rugas, & angustiam factam in ore vteri, ob rugarum copiam, quę ex multis venulis, & arteriolis contextę sunt, vt dicebat Almansor. Sed iam receptui canendum, Clarissime Oliuari, quia exposita occasione disputationis nostræ, & summa veritatis declarata, videor proposuisse omnes difficultates, & docuisse quid pro veritate sit sentiendum, & satisfecisse omnibus quæstionibus, ita vt rectè fuerit à nobis responsum, non temerè, vt scribis, nullam partem habere virgines, qua mulieres destitutę sint, atque nullum dari certum, ac proprium signum virginitatis. Tu interim pro tua prudentia, & modestia omnia bo- 30 ni, æquique consulito. Taurini, die 6. Iulii. 1587.

SENATVI PEDEMONTANO.

Responsum pro homine in carceribus detento, ex suspicione exhibiti veneni: in quo ostenditur, venenatos morbos à caussa intrinseca generari posse.

CASVS propositus mihi fuit, Senatores amplissimi, vt facta circa ipsum diligenti, vt par est, cousideratione, veritatem vobis aperirem, an scilicet Filiolus admodum illustris Domini N. ex poculo venenato mortuus fuerit. Duplici 40 nomine prouinciam recusare non potui: primùm, quia nullo habito respectu, vbique, & apud omnes, patefacienda veritas est. Deinde, quia Illustrissimo viro, qui meam in hac re pro veritate, operam desiderat, desse neque possum, neque debeo. Demonstrabo igitur vobis, Patres, puerulum minime fuisse mortuum ex venenato poculo, sed caussam mortis extitisse corruptionem humorum malignam: cuius caussa tandem in hydropem incidens, vitam cum morte commutauit. Quæ vt facilius ostendam, iuuat recensere, quæ assistentes Medici, vnanimi consensu de natura morbi scriptis mādarunt. id verò fuit: Puerum malignam, & venenatam passum fuisse febrem. Ex hoc fundamento, quod admittere in 50 præsentiarum volo, non potest deduci, poculū exhibitum illi fuisse venenatum. Venenatorum enim morborum duplex in vniuersum est caussa, externa inquam, & interna. Externa, animalium ictus, aeris venenata qualitas, vt in pestilenti constitutione contingit, potus aquæ venenatæ, ac postremò venenum dolo malo datum. Interna caussa est humorum tanta putredo, vt ad naturam bonitatis pristinæ reuerti non possint, addita specifica quadam & deleteria facultate

tota

dresse

tota substantia contraria calori naturali. Hanc putredinem ego, meis de Pestilentia discursibus, nomine venenatæ corruptionis appellandam censui. Quæsitum olim ab antiquis fuit, an possit quispiam statim interire, eisdem superuenientibus symptomatis, quæ fieri solent ex veneno, aut potato, aut ab animalibus inflicto. Statuerunt id fieri posse. Primusque omnium Pelops Galeni præceptor fidem fecit, mox verò Galeno confirmante, posteriores Medici ad vnum, admisere. Cum igitur venenatus morbus duplici de caussa fiat, videre nescio, qua ratione quis in affectu huius pueruli, venire in suspicionem debeat exhibiti veneni: Dicent fortassis, signa adfuerunt venenati affectus, nempè tumor corporis totius, nigredo, liuiditasque: adde, quod nona die circa dextram maxillam, ac superficiem liuiditas, & nigredo apparere cœpit, & vndecima totum intumuit corpus: quod videtur fidem facere, poculum datum fuisse puero venenatum. Sed certè aberrant, ac maximè, qui hoc modo colligunt. nam, vt admittam, hæc signa quædam esse veneni, cur illud intrinsecus genitum esse non potuit? Sed ne putetis, Patres amplissimi, me gratis loqui, demonstro nunc vobis, quæ de duplici venenatorum morborum origine dixi, ex Galeno, ac aliis Medicis præstantissimis. Ille sic ait libro sexto de loc. aff. cap. 5.

Reliquum est, vt inuestigemus, an in animantibus corruptio aliqua nasci possit adeo vehemens, vt veneni tum qualitates, tum vires æquet. An id iam Medicis discussum enodatumque esse videatur, qui hanc solent proponere quæstionem, vtrum propriæ sint notæ veneni, necne. Nam, qui maximè videntur super hac ambiguitate disputasse, ii eosdem fieri affectus contendunt, & à lætalis veneni potione, & à corruptione, quæ à corpore ortum habet.

Ac rursus parum infra:

Igitur (inquit) si eiusmodi affectibus nos infestari fateamur, qui nobismetipsis accepto suæ originis impetu similes sunt iis, qui pernicioso epoto veneno eueniunt: nihil mirum, si vitiatum semen, aut menstruum huiusmodi cum retinentur, aut putrescunt corporibus, vt afficiantur idoneis, grauia inferunt accidentia. Idem repetit lib. 3. eiusdem tractationis, cap. 7. ex Pelope sui Præceptoris autoritate, dum agit de epilepsia per consensum Neque (ait) mirandum esse, dicebat Pelops, validam vim esse humori, qui in affecta parte præter naturam genitus fuisset, qualis perniciosarum ferarum venenis inest.

Et rursus:

Itaque Pelops non impossibile esse inquit, in corpore similem aliquam essentiam generari, non accedente caussa extranea. Eiusdem etiam opinionis est Auicenna libro tertio suæ medicinæ, fen prima, tract. 2. c. 6. & tract. 5. cap. 8. & Auerr. tertio collectaneorum. cap. 9. atque alii propemodum omnes Græci, Latini, & Arabes Medici.

Iacto in hunc modum nostræ opinionis fundamento, nunc doceo, pueruli affectum non esse redigendum in vehementiam externæ caussæ: id verò facilè demonstro ex signis, quibus inuicem hæ duæ caussæ distinguuntur. Nam venenum externum caussare mortem cognoscimus, primò quod homo sanus derepente moritur, vt fieri solet ex veneno sumpto. Secundò, corpus liuescens est, aut nigricans. Tertiò, varium est, ac defluens. Quartum signum est fœtor ingens corporis statim demortui. meminit horum signorum Galenus 6. de locis aff. ca. 5. cum ait;

Si quispiam sanus, & probis humoribus abundans, sanorumque more educatus, derepente moriatur, vt lethali sumpto veneno fieri solet, dein corpus, aut liuens, aut nigricãs, aut varium est, aut diffluens, aut putredinem molestam olet, hunc venenum sumpsisse aiunt.

Sunt hæc Galeni verba diligenter consideranda, quia omnẽ è medio remouere controuersiam omninò videtur mihi. Etenim non apparuerunt hæc signa in homine sano, sed in ægroto: non etiam in eo, qui probis humoribus abundabat, sed contra, cum malorum humorum abundantia. Tertiò, puer non est derepente mortuus, verùm die 27. aut 26. postquam apparere cœpit liuiditas, &

nigredo in maxilla, ac palpebra. nam assistentes Medici DD. Contarenus,& Brocardus, asseuerant mortuum fuisse puerum 37. vel 36. à primo accubitus die. Quarto, nulla afferri caussa potest, cur tot dierum spatio æger superuixerit, præsertim puer, cuius corpusculum ob nimiã humiditatem facilè corrumpitur, venenisq; resistere non potest: nam si sanus repente moritur, cur ęgrotus non morietur statim? si validissimum corpus habens, optimisq; humoribus præditus, nõ resistit veneno, quam resistentiam faciet puer annorum nouem, aut decem iam febre putrida detentus? Quintò, veneni signa elucescunt in toto corpore, quia venenum totius substantiæ proprietate commune omnium operationum corporis instrumentum, calorem scilicet influentem, ac spiritus corrumpit, 10 propterea totum corpus apparere solet nigrum, aut liuidum, aut alia eius generis mala qualitate affectum, aut pueruli corpus minime liuens, at nigrum, aut variegatum sese obtulit: hæc enim in Historia leguntur verba.

Huic nona die tumescere cœpit oculus dexter, eiq; respondens maxilla cum supercilio liuido, & nigricante. Vndecima totum intumuit corpus, & parum postea.

Mortuus est trigesimoquinto, aut sexto die gula labio inferiori nigricantibus ac superciliis maximè intumescẽtibus, quæ plena videbãtur albuminibus ouorum, ita erant perlucida.

Hæc fidem certè faciunt manifestissimam. At dicent aduersarii, eam nigredi- 20 nem venenũ indicasse, quia quoddam venenum inuenitur, quod vnam magis, quàm aliam respicit partem, vt lepus marinus pulmones, cantharides vesicam. Sed hoc inane subterfugium est. Nullum est.n. veneni genus, quod supercilium duntaxat, ac labia particulari proprietate inuadat. Deinde circa partem primò affectam veneni adfuissent signa, si venenum ex eorum extitisset numero, quorum experientia cognitam habemus naturam. Sextò, magnam inuenio in hac historia contradictionem: nam prius dicunt, supercilium fuisse nigrum, & liuidum nona scilicet die, deinde die 35. aut 36. qua mortuus fuit, asseuerant supercilia maxima fuisse tumefacta, & perlucida, adeo vt albuminibus ouorum plena viderentur. Non possunt hęc inuicem cohærere, perlucidum & nigrum, 30 nam si referebãt supercilia albumina ouorum, quomodo erãt nigra? aut si prius fuerunt liuida & nigra, quomodo euanuit illa nigredo? quæ ratio afferri potest transmutationis huius, nempe ex nigredine, & opacitate ad albedinem, atq; diaphanam naturam? si nigredo illa caloris insiti extinctionẽ significauit, cur quęso maior reddita non est iam ipso calore prorsus extincto? Hæc licet mihi videantur certissimam fidem facere, nullam adfuisse veneni suspicionem, nihilominus tamen placet in gratiam vestram, Senatores integerrimi, qui hac de re iudicium breui ferre debetis, rursus explicare diligentius à sufficienti enumeratione partium: atq; in hunc modum ratiocinari volo.

Externa venena, aut ab animalibus infliguntur, vt à cane rabido, phalangio, 40 scorpione, lepore marino, ac id genus aliis, vel intus sumuntur. Non controuertitur de animalium veneno. Iam verò, quæ sumuntur, has habent differentias. Quędam septicam habent naturam, i. exedentem, & corruptiuam. Quædam his contraria frigidissima sunt, vti stuporem inducẽtia. Amplius quędam nimia officiunt siccitate. Nonnulla vires habent totius substantiæ proprietate nobis infestas. Horum exemplum sit: Euphorbium, Oppium, Gypsum, Aeris squama, Torpedo, Lepus marinus, aliaq; eius generis multa. At verò constat, dici nõ posse aliquod ex hisce venenis datum fuisse puero. Primum exedentis veneni symptomata apparuerunt nulla, nulla stupefacientis: nemo ambigit de exedẽtis veneni exhibitione. Audio quosdam suspicari de veneno stupefacienti. At ex pro- 50 priis symptomatis constat inanem suspicionem esse.

Hoc.n. veternosum stuporem infert, à quo ægrotus aut nunquam, aut vix excitatur. Aliquando sic cerebrũ turbat, vt æger indecoros multos motus efficiat, ore, oculis, brachiis, & cruribus: citra loquelam, atque si mutus esset, permanet, accidit sudor frigidus, flauescit fačies, quæ semper aspectu horrida conspicitur,

citur, ſtupet vniuerſum corpus, breui moriuntur. Quid recenſeo ſingula: certiſſimum adeo eſt, nullum ex hiſce adfuiſſe ſymptomatis. deinde vna febris continua eius generis venenum aperte redarguit. Mox vero, quod fuerit eo in morbo ferè ſemper vigil, vt curatio à præclariſſimis illis Medicis facta oſtendit. Nam D. Brocardus ad ſomnum prouocandum non ſemel vſus eſt ſyrupo de papauere; atque vnguento populeone, oleo violato, oppio, & croco linierunt tempora, & pulſus. Tertio neque ſuſpicio adeſſe poteſt veneni ſiccitate oblædentis: quia corpus ipſum toto morbi progreſſu nimia humiditate abundaſſe, tum omnibus fuit notum, tum quæ explicabuntur à nobis poſtea, apertiſ-
10 ſimè teſtabuntur.

Vnicum fortaſſis habebunt refugium aduerſarii dicentes, eius naturæ venenum extitiſſe, vt ſolum totius eſſentiæ proprietate, non autem qualitatibus manifeſtis vim necandi habuerit. Quibus ego in hunc modum reſpõdeo, qui ſic dicunt, obiiciuntque, aut certo ſciunt veneni ſpeciem, aut eandem ignorant. Si norunt eam, detegant illam nobis alioquin paratis oſtendere impoſſibilitatem facti: ſi ignorare dixerint, certe iudico omnem ſuperare temeritatem ferre iudicium de rebus incognitis.

Poſtremo neque adhibita à Medicis curatio noſtræ opinioni aduerſatur: quoniam lapis Bezaar, cornu monocerotis, bolus Armena, terra lemnia ab o-
20 mnibus paſſim exhibentur pro curandis putridis, malignisq; febribus; nam quo ſiccandi poteſtatem habent, corruptioni reſiſtunt; qua totius ſubſtantiæ beneficio ſunt nobis amica, ſolent malignitatem in humore contractam obtundere. Nunc igitur, quia demonſtraui ex veneno mortuum non fuiſſe puerum, doceamus, ex quo morbi genere mortem contigiſſe ſuſpicemur.

Si quiſpiam igitur conſiderate diligenter hunc voluerit caſum, inueniet profecto mortis cauſſam extitiſſe hydropem acuto morbo ſuccedentem: quam rẽ, vt facilius oſtendam, ſupponere in præſentiarum volo, quæ Medici curationi aſſiſtentes, de febris illius natura, memoriæ commendarunt. Ambo in eam venerunt opinionem, febrem ex malignarum, pernicioſarumque fuiſſe genere, at-
30 que duplicem tertianam, extenſamque vocarunt, ac nunquam ad ipſam infebricitationẽ perueniſſe. Addit D. Contarenus aliam ſimul adfuiſſe febrem lentam ſeſe obſeruaſſe. Vterq; crudum admittit morbum toto progreſſu ex maxima pituitæ copia, vrinasq; toto morbi progreſſu eminxiſſe crudas. Ex quibus deducor in coniecturam, imo, vt rectius loquar, in exactam morbi notitiam. Nuncupo ego hanc febrem Homitritæam, id eſt, ſemitertianam. ex lenta febre pituitoſa quotidiana cõtinua, & ex duabus tertianis intermittentibus continuis alioquin, vt rectè D. Brocardus dicebat, per ſubintrantiam. Eſt autem omnis ſemitertiana periculoſa, Galeni teſtimonio libro de Typis, vt puta, quę non ſolum ſtomachum, & neruoſam eius ſubſtantiam attingat, ſed etiam letargicas animi
40 delationes, attonitasque vigilias inuehat, interim & ad ſyncopem vſque corpus deducat, animi defectum afferat, quæ in alto ſunt, commoueat; in ſummá, eius naturam concludens, ait: in vniuerſum Typus hic & ferus eſt, & periculoſiſſimus. At ſi ſemitertiana conſtans ex tertiana ſimplici, intermittente, & quotidiana continua fera eſt, & periculoſiſſima, qualem iudicabimus conſtantem ex duplici tertiana? & ex vtraque continua per ſubintrantiam? Tres extiterunt continuæ febres in puerulo, ac ipſa in hyeme, idcirco non potuit ille quidem liberari: morbus fuit magnus, acutus, neque ætati, nec temporibus anni proportionatus. Mirum ſane fuit, tandiu perduraſſe illum. Porro facta fuit degeneratio in hydropem: omnes enim adfuerunt cauſſæ ad hanc degenerationem accom-
50 modatæ. Primum omnis ſanguinis profuſio ex naribus quantas habeat vires ad totius corporis perfrigerationem, nemo eſt qui neſciat: at de hac profuſione ſic ſcribunt Medici:

Fluxit ex naribus triduo ſanguis craſſus, & nigerrimus, & maximè copioſus.

Addito his abundantiam pituitæ, ob ætatem puerilem crapulis, & gulæ deditam, atque ob anni tempus frigidiſſimum, regionemque frigidam, & hu-

midam. Adfuit præterea dissolutio continua, & magna caloris natiui, atque spirituum facta in puero triplici de caussa: quarum vna naturalis est temperamenti scilicet, humiditas iuncta caliditati, tum ratione ætatis, tum etiam ratione propriæ constitutionis: nam Medici dicunt, calido, humidoq; prɇditum temperamento fuisse. at certum est, magnam fieri dissolutionem in eiusemodi constitutione, vt Galenus passim testatur, præcipuè, quando de vacuatione in pueris mollienda meminit. Duæ caussɇ prɇternaturales extiterunt febris, & vacuationes, & inediæ. Hinc necesse fuit refrigerati iecur, ac ex huius imbecillitate impediri sanguificationis officium, nasciqueipsam hydropem iis signis concomitatam, quæ assistentes Medici in processu retulerunt.

Hydrope mortuum fuisse puerum, tumor iam primũ apparẽs in facie, præsertim in dextra illius parte, quæ significabat imbecillitatem iecinoris, tumor labiorum, superciliorum, tandem corporis totius, qui tumor in vndecima apparens, semper increuit vsque ad 36. diem, qua mortuus est. Hydropem hanc anasarcam voco, quia totũ corpus humore pituitoso abundabat, quod non contingit in aliis speciebus.

Relinquitur, vt doceam ex acuto morbo generari solere Hydropem, eamq; lethalem esse, sic omnia fient cõspicua. Affero igitur pro confirmatione Hippocratis verba libro secundo Prognosticorum, quæ sic habent: Aquæ inter cutem omnes, quɇ ex acuto morbo existunt, malæ sunt: non enim à febre liberant, dolorosɇque sunt valde, & lethales: incipiunt autẽ plurimæ à partibus inanibus, & lumbis, hæc ille. Quibus si addamus, quæ puero contigerunt, & quorum supra à nobis facta mentio est, nullus erit dubitandi locus. Postremò si rationem medendi consideremus à D. Contareno factam, dubitabit nemo, puerum ex Hydrope fuisse mortuum. Exhibuit ille die decimasexta ex reubarbaro extractum, quod verè subducere solas aquas, humoresque serosos, testari possum, qui rationem conficiendi scio ab illo vsurpatam. Eosdemq; fuisse purgatos idem D. Contarenus testatur. At verò aquæ, & seri expurgatio non erat conueniens, in venenata potione. Sed quid de stillatitia aqua florum sambuci dicemus? an hæc fuerit alexipharmacum aduersus venenum pugnans? quid de succo Indis depurato? quid tandem de aliis pharmacis ab illo exhibitis pro hydrope sananda. Certè sambuco, iridique, nemo vim tribuit contra venenum Alexipharmacum. Iam receptui canamus, Senatores prudẽtissimi, quia satis demonstratum à nobis fuit, null omnino venenatɇ potionis haberi debere suspicionẽ, sed obitus caussam extitisse, magnam humorum corruptionem, ex qua subsequente summa iecinoris refrigeratione, hydropeque supraueniente puer mortuus est. Hæcque ad Gloriam Sanctissimɇ Trinitatis pro solius veritatis tutela, Ego Horatius Augenius volui scripsisse, De cætero vestrum sit iudicium. Taurini die 25. Septembris, 1587.

IVLIO PICHINO.

Pharmaca expurgantia tum ante cibum, tum cum cibo, tum post cibum aliquando tutò exhiberi posse, & quæ sint Hippocrati sorbitiones attractoriæ.

EORVM opinio mihi non placuit, Iuli Pichine, qui medicamenta purgantia nunquã simul cũ cibis fore permiscenda mordicus cõtendunt, nec etiam eorum, qui semper horis quatuor à cibo singula censent exhibenda. Est enim in vtraque cõsuetudine non mediocris error: id nunc in filii tui Ludouici gratiam explanandum suscipio.

Statuendum est primo loco, quod in purgandis corporibus, licet obseruanda sint multa, quorum dilucidatio, ad aliam tractationẽ pertinet: duo tamen prɇcipua meo conueniunt scopo, pharmaci scilicet electio, ac eius virtus, qui sumere cogitur. Pharmacorum ordines multi sunt: quædam enim validissimè purgant, quædam purgatoriam habent mitissimam facultatem, quædam extre-

extrema mediocrem, illa deleteria ferè sunt, omninoq; nostræ naturę inimicissima; alia benignissima, medio modo sese habent alia. Non magna erit inter nos de vehementissimis controuersia: nam hæc, vt plurimum, ante cibum longo tempore exhiberi solēt, quo ad illorum naturam attinet (secus enim aliquando agendum suadent vires, vt parum infra demonstrabo) Agamus primo loco de mitissimis, ac mediocribus. Vocamus in præsentiarum mitissima, cassiam fistularem, tamarindos, mannam, prunorum decoctum, ac eius generis alia. Mediocria, reubarbarum, aloen, agaricum. Inter composita pharmaca mediocria sunt, quę vocantur lenientia, vt diaprunon simplex, diasebesten, electuarium lenitiuum, diacassia, diamanna, & quæ huius generis existunt. Mitissima parum ante cibum, & cum cibo: mediocria verò etiam aliquando post cibum exhiberi possunt. Ante cibum Galenus dat mora, & pruna, vt ille scribit libro secundo de alimentorum facultatibus, his verbis: Mora primum, & ante omnem cibum sumenda, nempè illud nouisse præstat, eduliorum scilicet deiectionem procurantium, quæ tardè commeat, postremo sumenda esse ordine: quæ vero celeriter subsidunt, primo ante omnia loco. De prunis autem sic loquitur: Aluum pruna mouent, prę sertim, si prandium nō statim, sed aliquanto post interuallū inchoetur, & ipsa sola comedantur: hæc enim cōmunia omnium laxantium præcepta meminisse oportet. Ex quib. constat laxātia alimēta parū ante cibū sumēda, eademq; obseruanda est regula in medicamentis lenientibus, quorum supra meminimus. Si caussam quæras, dicam id potissimum contingere, quod alioquin non subducunt, si multo antea exhibeantur, nam conuertuntur in substantiam corporis, quoniam non sunt pura pharmaca, sed etiam nonnihil habent alimenti. Hinc qui mannam, cassiamque horis à cibo quatuor, aut quinque propinare solent, perpetuo suo fine frustrantur, cum in corporis naturam vertantur. De his quidem pharmacis loquutus est Galenus 3. de simpl. medic. facult. cum inquit: Quin nec cnicum quoque à pituitę natura alienum esse diffidendum est, vti calore suo præsefert; sed tamen calore suo, quàm pituita, potentior est, vt trahere, quàm trahi magis par sit. Ad eundem modum granum cnidium, si quando forte à corpore nostro vincatur (id quod assiduo cnico videtur, rarius grano cnidio nimirum ob robur) vice purgationis alimentum efficitur, veluti veratrum semper coturnicibus. hæc ille. Ex quibus constat pharmaca aliquando verti in substantiam corporis, propterea, ne id contingat, mitibus, quorum alioqui natura multo magis ad eiuscemodi mutationem præparata est, conuenit exhibere illa parum ante cibum. Sic cassiam, mannam, electuarium lenitiuum, diaprunon, ac alia id genus, cum iustam illorum quantitatem damus, hora vna, aut, quod summum est, duabus ante cibum solemus, ac successu semper bono propinare. Reubarbarum pręterea masticare iubemus, cū passulis drag. vnius pondere, & aliquando scrup. iiii. horula ante prandium, quo non solum laxa ventriculi substantia firmatur, roboraturq;, sed etiā deterguntur latera ipsius: & quicquid in eo excrementi, ac in mesenterio continetur, blandè expurgatur, iecurq; obstructione liberamus. Aloem hoc etiam modo sumi pro deponendis fęcibus, à quo munere stercorarium dicitur pharmacum, ambigit nemo. Imò Gręcorum inuentum, ac dogma est fęliciter pro aluo leniendo vsurpari simul cū cibis, neq; hoc duntaxat efficit, sed etiam præseruat à putredine, non alimentum modo, quo cum sumitur, sed omnes venarum humores: estque in constitutione pestilenti remedium præstantissimum pro corporis præseruatione. Idem facio iudicium de pharmacis compositis, in quibus aloes ingreditur, vti sunt pilulæ alephanginæ, masticinæ de tribus, cum reubarbaro. Pueros nihil æquè à vermibus pręseruare noui, quàm cum cibo frequēter miscere aloem: id fit inaurando exiguas pilulas, quæ scilicet ob exiguitatem sensum decipiant puerorum, sic exhibemus quatuor, & quinq;, plures ac pauciores pro natura illorum, & consuetudine. Hęc si vera sunt, etiam facile persuadeat statim, à cibo exhiberi posse, aut parū postea. Hinc eunti dormitū aloem dedisse antiquos tū Græcos, tū Arabes, ac pilulas pro purgandis humoribus à capite excogitatas, adeo certum est,

Ratio pilulas dormituro exhibendi.

vt nullus dubitationi sit locus. idq; iure, ac merito fecerunt. Solida enim illarum substantia postulabat diuturnam actionem, & magnam ipsius caloris, vt vis purgatoria ad actum deduceretur, durumq; corpus liquesceret, calor in somno longo maior, quam in vigiliis id præstat, ac ex mora à longinquis partibus multo facilius attrahunt. Neque circa horum vsum dubitandum est, vt quidam faciunt, putantes corrumpi alimenta, crudaque distribui. Nam primum corruptio alimenti (si admittatur) obesse non potest, quia, quo tempore corrumpitur, eodem expurgatur: atq; si expurgatur, distributio crudi humoris fieri non potest. Deinde non semper corruptio sequitur: nam ex aloe præseruatio fit à corruptione, vt etiam à permistis cum aloe. Potabile pharmacum datum post cęnam fuisse nondum obseruaui. At sorbitionibus mistum non obseruaui solum ab antiquis scriptum, sed etiam ego in artis operibus non rarò administraui. Nomine sorbitionis intelligo liquidum alimentum, vt ptissanam, contritum panem, contusam carnem, iuscula ex ouo, ac alia id genus plura: id verò potissimũ vsu venit in validissimis pharmacis, at quam ob caussam hic modus medendi exerceri debeat, quibus vtendum medicamentis, & qui authores extiterunt institutionis huius, docendum. Validum aliquando medicamentum postulat morbus: at vires sunt nonnunquam imbecilliores, quàm ferre possint huius impetum, tamen periculum est in mora, dum procrastinamus, morbus increscit, adauctus porro locũ nõ habet remedium. tunc ars ipsa excogitauit modum, quo tuto possit exhiberi: modus est refrangendo summas vires medicamenti aliqua ex parte, quæ res fit permiscendo ipsum cum sorbitione aliquapiam alimentaria, quia simul aliquid nutrimenti exhibetur ægroto, & purgatio fit humoris noxij magna securitate. Validiora eligimus per hoc perficiundo munere pharmaca, vt diacridium, trociscos alandal, garion costinum, antimonium pręparatum, & quę horum misturam continent, ac alia eiusdem generis, e.g. si quispiã antimonij præparati grana nouem, cum totidem anisorum granis, & mastices scrup. 5. macerauerit horis 24. in iure optimæ pullæ, aut etiam carnis vitulinæ, mox facta expressione ex eo iure ptissanam hordeaceam fecerit, hęc vtique valide purgabit, sed citra noxam. Trociscos ex coloquintide eodem modo ex ptissana præparatos, me non semel dedisse profiteor. In summa regula sit, quæ nunquam falsi dentur, sine horum mistura, præstiterit horis duabus à potu illorum transactis, statim exhibere aliquampiam sorbitionem: vterque modus accomodatus est pro illorum vi mitificanda. Porrò hoc magni fuit Hippocratis inuentũ, à Galeno primum, olim vero ab aliis Medicis obseruatum. Ille quidem libro secundo de Rat. victus in morbis acutis, explanans rationem curandi dolorem colicum (vt ego sentio,) aut aliũ consimilem à flatuoso spiritu procreatum, vel ab humorib. viscidis, & crassis, vel ab vtraq; caussa simul, postquam dandum esse pro purgatione veratrũ nigrum, vel peplium dixerit, vel vtrunq; simul: addidit sanari etiam posse hunc affectum ex sorbitionibus purgatoriis. verba illius in hunc modum habent.

Dubitatio.

Solutio.

Nota:

Ratio cur med[ta]: purgantia cum sorbitionibus danda sit. v. 670.

v. pag. 342. ☿ pro

falsa dicat[r]. (vt arbitror) rectius.

Optima autem sunt hęc eorum, quę ego noui: alioquin & ea, quę in sorbitionibus dantur aluum subducentia prosunt, quæcunque non valde insuauia sunt, aut ob amaritudinem, aut aliam insuauitatẽ, aut ob multitudinem, aut colorem, aut aliquam aliam suspicionem, hæc ille. Quibus verbis hoc innuere videtur mihi, si vires non videbuntur ferre posse veratrum nigrum, aut peplium, aut vtrumque simul, quibus sanabitur dubio procul eiuscemodi dolor, vtique eadem, aut proportionata illis pharmaca dari poterunt aluum subducentia sorbitionibus mista. Hæ sunt, Iuli Pichine sorbitiones, quas attractorias vocauit idem author libro quarto acutorum, dum agit de curatione ardentis febris à pituita salsa; atque licet Galenus maxime ambigat, & ferè inuenire nesciat, quid sint sorbitiones attractoriæ, facilis tamen videtur mihi sententia venerandi Senis. Nempe dandam esse sorbitionem, id est, alimentum sorbile attractorium, id est, permistum cum medicinis purgãtibus: hoc modo viribus imbecillis succurritur, aut saltem tuti reddimur, ne multũ labefactetur ex purgationis vehementia, atque ex malignitate pharmaci. Hoc præceptum maxime obseruandum in maligna-

Sensus Hip[is]: v. 670.

malignarum febrium curationibus, in quibus vires sunt imbecillę, ac in inflãmationibus viscerum. idcirco Galenus hanc obseruauit regulam lib. 3. de Methodo medendi in inflãmatione iecinoris, cum de purgatione tractans, sic inquit capite decimoquinto:

Magisq; in remissionibus tum his ipsis audacius, quàm antea vtendum, tum verò quæ his sunt valentiora partim in ptissana incoctis, partim tunsis: atque in mollissimum puluerem redactis, exhibenda vero & hæc sunt, vel ex ptissana, vel ex aqua. ego autem etiam filiculæ aliquid in ptissana aliquando incoxi, & veratri nigri corticem. Hæc Galenus.

Qui videtur mihi admodum apertè significasse, quid Hippocrates per sorbitiones attractorias significauerit, licet in huius loci explanatione titubauerit. Quia igitur hactenus docuimus, medicaměta leniětia, & mediocria ante cibum, cum cibo, & post cibum exhiberi posse, explicauimusq; pharmaca valida sorbitionibus tutissimè misceri, hic finem dicendi facio. Cura vt valeas.

FRANCISCO CIROCHO FVLGINATI MEDICO CLARISSIMO.

Galenum non fuisse inconstantem in explicanda materia pro sanandis humoribus semiputridis: Concoctionem artis beneficio iuuari posse. Esse contrariam putrefactioni: Humori putrefacto, & semiputrido coctionem deberi. Non differre inuicem genere, nec efficiente, sed particulari fine: quomodo concoctio sit alteratio, & qualis.

TVIS nunc satisfacio quæstionibus, cùm antea, priuatis negotiis impeditus, non potuerim. Quomodo humor semimalus, ac semiputridus ad naturæ prioris bonitatem redigi debeat, licet nõnullis Galenus anceps videatur: tamen ego, vt sæpe aliis, sic tibi nunc demonstrabo, ea in re fuisse maxime constantem. Affero prius locos, qui occasionem dederunt dubitandi: Scribit in arte medica 89. capite, hosce humores corrigi coctione. verba illius in hunc modum habent. Esto enim, si ita contigerit, in humoribus putrescentibus accendi febrem: indicatio in huiusmodi est vacuatio, atque alteratio. Hæc quidem, quæ putredinem finiat, manente adhuc substantia: vacuatio verò, quæ totam è corpore substantiam educit. Sed dicta quidem alterationis species concoctio existit, quã vbi inuenerimus, à quibus caussis fieri contingat, tunc vtiq; eorum, quæ hoc pacto salubria sunt, sciẽtiam tenebimus.] Hic quidem constat, pro hoc perficiundo munere solius coctionis mentionem fecisse. Alibi verò hãc prętermittit, vbi ex proposito hoc argumẽtum pertractat: nempe vndecimo Methodi med. cap. 8. cum ait: Tanquam igitur in iis corporibus, quæ non viuunt, ac putrescunt: primum, quãtum eorum iam computruit, separant: deinde ei, quod reliquum est, in frigidum aerem sublato, perspirationem refrigerantem moliuntur: ita vtiq;, & putredinem, quæ in viuis est orta, adornabimus, id scilicet, quod iam corruptum est, omni ratione vacuantes: quod reliquum est moderatis motibus, & refrigerante perspiratu, ad exactam symetriam reducentes.] hisce verbis duas proponit materias huius auxilii: nempe motus moderatos, & liberam perspirationem frigiditati coniunctam. Rursus eodem lib. cap. 13. tres explicat caussas corrigentes humores semiputridos, nam supradictis duabus pro tertia coctionem adhibet, cum inquit: At verò in humorum putredine, & excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & semiputridorum concoctio ex aduerso respondet.] Hæc satis manifestum facere videntur, Galenum in hac materia fuisse non parum, vt dicunt, ancipitem. At verò, cur ego non ita sentiam, nunc in tui gratiam explanaturus, primum suppono (ex Galeni verbis supra positis, ac etiam secundo. Aphoris. com. 17.) idem contingere in viuentibus corporibus, quod etiam in iis, quæ non viuunt. in his enim cum putrescunt, primum pars, quæ omninò computruit, statim vacuanda est: alia verò præseruanda est à putredine. atque ita in

humore putrido duæ sunt partes, vna prorsus mala, quæ non potest amplius reuerti ad propriam naturam: huic euacuationem tanquam contrarium remedium Galenus vbique opponit. alia verò incepit quidem moueri ad putredinem, sed adeò leuem progressum fecit, vt artis, ac naturæ beneficio ad integritatem suę naturę reuerti potest: huic tria opponit coctionem, euentationem, ac refrigerationem: quoniam ad constituendam putredinem concurrunt tria, nempè calor præter naturam, impedita transpiratio, imbecillitas caloris innati: horum contraria sunt refrigeratio, euentatio, & calor naturalis validus, à quo fit concoctio. Ergo, vt refrigeratio excessum caloris retundit, ac cohibet: sic ventilatio (quo nomine motum temperatum, & perspirationem audio) calorem innatum promouet, atque confirmat. Tandem huius beneficio, dispositionibus putredinem efficientibus remotis, humor ad priorem bonitatem reuertitur. Dicitur autem recursus hic & Galeno, & Aristoteli, concoctio, idest motus quidam humoris ad esse perfectum in sua specie. In arte medica solius concoctionis meminit duplici de caussa: primum, quia licet duo illa concurrant ad eiuscemodi præseruationem; tamen nunquam sola possunt efficere. nam, quamuis humor moderatam habeat frigiditatem, perspiretq́; , nisi calor naturalis ita sit validus, vt formam coercere intra suos terminos humoris valeat, non dicetur ille pristinam acquisiuisse bonitatem. Deinde breuiloquum, & compēdiosum scriptorem decebat præcipua capita prosequi. At in capite octauo vndecimi, in quo incipiens docere præseruandi rationē dixit, fieri moderatis motibus & refrigeratione, satisfuit proposuisse partes quasdam auxiliorum: nec opus fuit in principio doctrinæ singulas differentias proponere. At ideo concoctionem, licet omiserit, non tamen negauit eam non esse necessariam. In capite autem decimotertio absolutam, & integram omnium auxiliorum cognitionem docet. Sic arbitror me demonstrasse vbique Galenum idem sentire. Sed longè maiorem difficultatem esse suspicaberis, quo modo concoctionem tanquam caussam salubrem admittat, quæ ad Medicum pertinere non videtur: etenim innatus calor dunt axat opifex, concoctionis est, non medicamentum, non aliud extrinsecus auxilium, quod etiam definitio illius manifestissimum facit ab Aristotele proposita quarto libro Meteor. cum ait: Coctionem esse perfectionem caloris naturalis, ac proprii in humido, vel ex oppositis passiuis. Huic dubitationi respondent docti quidam, & subtiles viri nempè, quòd quæ coctionē faciunt, duorum sunt generum, quędam aiunt calida, & humida: quædam frigida, & sicca. Putant isti, quòd quæ putrefiunt, ab externo calore tracto humido, secundum extimam superficiem, humectari: intro verò deficiente humore, cum caliditate refrigerari, & siccari: coctionem promoueri à materia duplici: nempè à frigido, & sicco ob extimam, & superficiariam humiditatem: & calido, & humido ob intimam siccitatem frigiditatemq́ue, ideo acetum concoquere dicunt, & omnia acida, ac fomentum, & quietē: quia verò maior ratio habenda est excessus interni, quàm externi, frequentius Galeno calida, & humida pronunciantur coquentia. Videntur ii mihi magis suam opinionem afferre, quam veram Galeni, aliorumq́ue authorum sententias interpretari. Quandoquidem constat calorem innatum concoctionem solum efficere: ac quæ frigida, & sicca sunt, putredinē impedire, non coctionē facere; quemadmodum, quæ adhibentur pro humoribus ad purgationem parandis, nō dicuntur purgare illos, sed pręparare. Et verò, per quendam consensum, aut communitatem nonnulla medicamenta etiam concoquere dicuntur, quotquot leni calore humiditati coniuncto coquētem partium calorem fouent, roborant, augent, quantitate, non qualitate. Numerantur Galeno, fomenta, operimenta, balnea, quies, modica exercitatio, vinum, cathaplasmata, moderata cibatio. Quemadmodum enim fructuum maturatio, & abscessus primariò ab interno calore proficiscitur: à simili tamen cœlesti, aut externo, non parum promoueri, & experimenta, & Aristoteles docent, ita humorum vitiosorum, aut crudorum coctio dictorum accumulatione, accessuq́; velocior fit, & fœlicior, quo nomine ceu augentia agentis potentiā coquentis, & ipsa coquere

v. 34. 26. / 40. 16. / et 39. 25. / 614. et deinceps.

Concoctio quid.

& ipsa coquere dicuntur. Legitur etiam nonũnquam apud probatos authores, aliud magis remotum coquentis significatum, quo scribit Auicenna, Psilium bilem erisipelatis concoquere: & Galenus. 5. aph. 70. febrem quartanam melancholiam concoquere: & cum medicamentum tollit ab humore coquendo noxas, impedimentaque inducendæ coctioni: quę si vera sunt, non damnamus qui dicunt, syrupum violaceum concoquere bilem, & oximel ipsam melancholiam; quoniam hæc expungunt immoderantias humorum naturæ repugnantes. Demum quæcunque, vel agens fouent, vel materiam coctioni parant, quia coctioni auxiliantur, iure coquentia nuncupabuntur. Ex quibus collige, non putare 10 me dictum fuisse secundum Galeni sententiam, à doctissimo Manardo, coctionem solum iuuari à calidis, & humidis: sic enim ille scribit libro decimotertio Epistolarum Medicinalium. Ex syrupis igitur tantummodo ii ad cõcoctionem conferunt, qui ad quodpiam eorum, quæ numerauimus, cooperantur, caloremque naturalem aliquantisper roborant, quod in paucis admodum agnosces, si eorum vires methodo quadam inuestigaueris. ac nonnullis interpositis concludit. Ex his autem omnibus soli hi coctioni seruiunt, qui calore, odore, adstringendi vi, vel somnum augendo, calori naturali adminiculum ferunt. Quæ cum paucis insint, sequens est, vt pauci sint, qui vel ex accidenti mereantur dici coctioni deseruientes.] hæc ille. A quo, quam distent, manifestum est tibi. Ad-20 do nunc iis. A Galeno scriptum fuisse octauo libro de methodo medendi, aquæ frigidæ potum conferre biliosis ad concoquendum. Et sexto Epidemiorũ commentario secundo ait, concoctionem fieri per contrarias qualitates. ac alibi passim extenuantia, parsimoniam, inediam, refrigerantia, acriaq; iuuare coctionem apertè dicit. Verum quia hæc videntur clarissima, aliam dilucidationem non exigunt.

Quod pertinet ad secũdam dubitationem dico, coctionem indicare motum quendam, & hunc esse contrarium putrefactioni. Vtrunque nunc breuiter doceo. Aristoteles quidem nomine perfectionis definiuit, dicens: Coctio est perfectio à proprio, & naturali calore ex oppositis passiuis. Alexander Aphrodiseus, 30 Beatus Thomas, ac alii etiam Peripatetici præstantissimi ita interpretantur nomen perfectionis pro transmutatione ducẽte ad esse perfectum. & merito, quia Aristoteles distinguit ibidem terminum coctionis ab ipsa coctione, cũ dicat terminum in quibusdam esse naturam, idest substantialem formam, vt in alimento: in quibusdam verò vtilitatem quandam, vt in abscessibus puris generatio. itaque si coctionem à suo fine, vt termino separauit, non potest ab eo sumi pro termino, sed omnino sumitur pro motu. Porrò motum ipsum vocauit perfectionem, fortassis duplici de caussa. Vel à perfectione finis. est enim perfectior iis, quæ sunt ad finem, ideo motus omnis à fine denominatur. Vel à perfectione caloris. nam omnia, coctionis motu recipiunt calorem, quæ concoquuntur. hic enim, vt fri-40 gore perfectior est, sic reddit, quod concoquitur, tempore concoctionis perfectius. Galenus verò coctionem vocauit speciem quanqam alterationis, quæ facit cessare putredinem manente substantia. De contrarietate putredinis, & coctionis ita statuo. Nomine contrarii intelligimus vel exactam contrarietatem, vel oppositionem, & repugnantiam quandam. Certum est habere inuicem repugnantiam, si absolutam non habent contrarietatem. hæc autem in curandis morbis sufficit, vt ex Galeno colligitur vndecimo methodi cap. 12. repugnantiam adesse ex eo potissimum demonstrari potest, quod coctio roborat calorem innatum: at robur huius tollit putrefactionis caussam. temperatũ esse calorem innatum, à nobis fuit alibi demonstratum: at temperatus calor contrarius est ex-50 traneo, tanquam medium extremo, ideo tollet excessum extranei: est præterea validus, imbecillus autẽ redditur in putredine. idcirco dũ fit coctio, cessat caussa putredinis: duo enim ad illius constitutionem concurrere diximus, ignei caloris excessum, & naturalis, ac proprii diminutionem. Cæterùm, si consideramus putredinem, quatenus salua rei forma motum quendam dicit rei putrescentis, non mutationem, corruptionẽq;, dubio procul concoctio est contraria putredi-

ni, in qua humor nondum mutauit propriam formam, quod tibi ita persuadeo,
Ciroche. Via & motus mixti ad generationem, est verè contrarius motui & viæ
ad corruptionem & interitum. Atqui, concoctio est via ad generationem mixti,
putredo est via & motus ad corruptionem, atque interitum. Ergo concoctio, &
putredo motus contrarii sunt. Dixi de hoc argumento plura in libro de conco-
ctione. Accedo ad tertiam dubitationem.

Non dicebam ego, vir excellentissime, humorem putrefactum non indigere
coctione: at solum profitebar, conuenientem illi eam non esse, quæ cessare facit
putredinem manente substantia, coctionem omnino admittens in eo humore
putrido, postquam substantia putrefacta & simul concocta, statim debebat va- 10
cuari. illudque addebam, coctionem vtramq; non differre, aut genere, aut effi-
ciente caussa, sed particulari fine pro varietate humoris subiecti, quia vtraque
perfectio quædam & alteratio erat: verũ in vna manebat substantia adhuc vti-
lis, in alia inutilis, propterea purgationem indicare vnam, aliam verò minimè.
Hæc planius explicanda sunt, atque distinctius, vt æquum de hac re, vt spero, fe-
ras iudicium. Humor putrefactus cum omnino sit præter naturã, ac etiam si con-
coctus fuerit, nunquam nutrire, aut aliquam corpori vtilitatem afferre possit, va-
cuari debet. Vacuationem facit aut sola natura, aut ars & natura simul. Natura,
cum crisim molitur. Ars, cum purgans exhibetur pharmacum. At nũquam benè
vacuat natura, nisi prius humorem putrefactum concoxerit, à bonoq; segrega- 20
uerit, vt Galenus ait libro quarto Aphor. com. 22. cùm scribit: Siquidem vt bona
crisis fiat, coctionẽ præcessisse oportet, & secretionẽ sequutam fuisse, tandemq;
vacuationem.] Ad huius imitationem naturę, ars ipsa vacuare cõtendit eo tem-
pore, quo fuerit humor cõcoctus, & segregatus à natura: alioquin admodum la-
boriose vacuatio redditur. Hæc, quæ omnem vacuationem bonam, & exquisi-
tam præcedere debet concoctio, equidem nihil est aliud, vt benè nosti, Senex
venerande, quam victoria caloris innati (idem sit in præsentia calor insitus, quod
natura) supra humorẽ, quem cum expurgare debeat, euincit antea, id est, repri-
mit omnes qualitates illius malas, prohibetq; ne fiat deterior, neve coinquinet
suo commertio alios: idcirco segregat à bono, & cum per se expellere aliquando 30
non valeat, expellit auxilio pharmaci manum porrigentis, vt Galenus ait primo
aphorismorum. Concoctio igitur humoris putridi est victoria caloris insiti supra
malas conditiones putredinis: quę victoria, si bene iudico, in tribus potissimum
consistit, primum in mitificatione malarum qualitatum nocentium corpori; se-
cundũ, in segregatione eiusdem mali humoris à bono; tertiũ verò in bonorum
humorum conseruatione; quæ non fierent, nisi calor insitus longè validior esset
calore extraneo in materia putrefacta existente. Accommodatum soleo mihi
ex Galeno alioquin proponere exemplum, sit bilis flaua putrefacta. Hęc ratione
caloris ignei acris admodum euadit, supra conditionem naturę suę euadit etiam 40
fætida, pro natura putredinis: atque admodum fluida: humidum enim in putre-
dine, veluti sui iuris redditum, quo maior fuerit putredo, eo magis fluxibile red-
ditur, minusque coercetur terminis naturalibus. Quid calor solidarum partium
innatus facit? agens in humorem conatur assimilare partibus, cum non possit in
substantia admodum mala, potest in colore, ideoque ex admodum flaua, albam,
seu pallidiorem facit, ex malè olente, minimè olentem malè, ex acerrima, mitio-
ris qualitatis, ac tandem ex fluida ac interminata, eandem reddit cõpactiorem,
terminatamq;. Mutatio hæc concoctio nuncupatur à Galeno. Finge præterea
in abscessu contineri materiã putridam, hęc caloris actione melioris conditionis
redditur, sanguis putridus mutat ibi colorem: fit enim albus ex fętenti, redditur 50
minimè malè olens, deponit omnem acrimoniam, ac proprio circumscribitur
phlegmonis termino, mediocrem sumẽs crassitiem. Quæ hic dixi, Galenus con-
firmat libro secundo de ratione victus in morb. acut. com. 44. hisce verbis vsus:

Nempè biliosa cruda ita appellauit, quoniam & excrementorum coctionem
appellat, quamquam mutata nutrire non possunt, vt bilis vtraque, & qui Græcè
ἰχῶρες dicuntur. Verumtamen quoniam & talia euincit natura cocta quidem vo-
care

re consueuit Hippocrates excrementa huiusmodi, quæ natura ipsa euicta sunt, cruda verò, quæ non sunt euicta.

Ex iis constat transmutationem hanc, siue alterationem à natura factam circa humorem omnino malam, qua euincitur, & superatur illius malitia, vocari concoctionem, generali tamen significatione. Parum postea declarat, in quo eiuscemodi naturæ consistat victoria, dum ait:

Sic igitur biliosorum humorum concoctio existit, vt sanguinis, qui in phlegmone est, in pus migrantis, intelligētibus nobis concoctionis nomē in suo vniuersaliore significato. Est autem vniuersalius, cum natura caussis fortior fuerit, permutaueritq; eas pro suo robore.

Vltima contextus huius verba videntur mihi apertissimè significare naturam concoctionis huius: quam bilis putrefactæ exemplo adhuc diligentius explicuit, cum inquit:

Adhuc modum, & bilem vel crudam, vel incoctam, vel coctam pronunciamus. Cruda quidem flaua admodum est, & acris, & malè olens: cocta autem & pallidior, & minimum malè olens, hæc ille. qui, nisi decipior, omnem è medio difficultatem tollit. Concludo igitur humori putrido hanc deberi coctionem, qua à bonis humoribus segregetur, omnes malas qualitates deponat, pomq; à putredine, & inquinamento præseruentur.

Nunc ad humorem semimalum accedo. Idem calor vtriusque est opifex, ac idem omnino est agendi modus. at distāt inuicem in materia, & in termino materia huius est humor bonus, naturæ vtilis, alteratus tamen à caussis præter naturam, conseruans adhuc suam formam. Illius materia est humor omnino putridus, ac naturæ inutilis. Terminus humoris putridi concoctionem naturæ recipientis, est melior natura, quàm antea habuerit, nā puris forma est melior, quàm putrefacti sanguinis, & sedimenti in uenis, quàm humoris putridi. At in semiputrido terminus non est melior natura, sed eadem prorsus, qua nunquam fuit priuatus: hic naturę alteratione eandē conseruat formam, quam prius habebat, hoc duntaxat amplius consequitur, quod malę dispositiones, & qualitates remouentur, quę ducere potuissent illum ad putredinem: ideo, vbi coctus hic fuerit, suam retinens formam easdem corpori vtilitates præstat, quas antea præstabat, quàm malas dispositiones haberet; duo autem potissimum in hoc semimalo humore alteranda sunt, calor igneus, & humiditas modum excedens, ille agentis caussæ, hæc patientis naturam refert; vtraque modum excedens caussa, putredinem necessariò facit: si non excedat modum, solum disponit: igitur dum calor insitus dispositiones hasce remouet, concoquere semimalum humorem dicitur. Hinc ego putauerim constare, genere non differre eiuscemodi coctiones inter se, primum ratione agentis, mox ratione modi agendi, tertio ratione termini, & finis, à natura intenti. Agens in vtraq; est natura, siue calor naturalis, actio prorsus eadem, vniuersalis terminus idem, scilicet rem concoquendam perfectiorem efficere: sine enim humor sit putridus, siue semiputridus, siue prorsus vtilis ad nutritionem, natura concoquens perficere conatur illam, semperque verum erit dicere, illius concoctionem esse perfectionem à proprio, & naturali calore ex oppositis passiuis, vt Aristoteles definit. Differentia solum inest in modo perfectionis: quia humor putridus perfectiorem coctione sumit formam, quæ licet priore melior, inutilis tamen existit corpori, semimalus perficitur, non acquirendo nouam, sed veterem conseruans formam, remouendo malas dispositiones reddentes imperfectum ad proprium officium: Humor alimentarius perficitur, cum ex potentia ad actum deducatur. Ergo communis natura cuiuscunque coctionis est, vt sit quædam perfectio, vt Aristoteles testatur libro quarto Meteorologicorum hisce verbis vsus.

Finis autem his quidem natura est. Natura autem, quam dicimus, vt speciem, & essentiam: his autem in subiectam quandam formam, finis est concoctionis, cum humor, vel per assationem, vel per elixationem, vel per putredinem, vel per aliud caloris genus, talis redditur, & tantus. Siquidem vtile tunc est, ad cōcoctio-

nem venisse dicimus, vt mustum, & quæ in tuberculis colliguntur cum in pus sunt mutata, & lacrymas cum in libras cōuersæ sunt. eadem ratione aliorum est. Atque hoc quidem in omnibus vsu venit, cum materia atque humor superatur. Is enim calore naturali circumscribi solet, atque natura tantisper est, quoad ille secundum proportionem est.

Videor igitur ex Aristotele demonstrasse, concoctiones hasce non differre inter sese genere, non agente, non vniuersali fine. At quomodo distinguuntur, dices? distinguūtur ratione proprię perfectionis, vt Aristoteles dicit, quia in quibusdam constat perfectionem ad naturam, ac veram formam terminari, in quibusdam ad quandam formā pro varietate materiei, circa quam versatur; statuamus humorem esse omnino putridum: hic vbi cōcoctus fuit, acquirit aliam formam, vel sedimenti, si in venis putrefactus fuerit, vel puris, si in abscessu, in coctione verò mutantur malæ qualitates, vt diximus, fætor, acrimonia, caliditas ingens, color. Si fuerit semimalus, terminus non est alia forma, ac natura, sed eadem forma, quā habebat antea, sed melior: idest melius disposita remotis omnibus qualitatibus ad putredinem disponentibus. Atq; hic etiam aliqua differentia est; nam aut humor est excrementitius, aut alimentarius. Si excrementitius, finis est melior forma, vtilis corpori, sed inepta ad nutriendum. Si alimentarius, vtilis redditur, ac ad nutriendum aptus, vt sanguis, & pituita.

Ex iis facile constare potest, omnem coctionem esse alterationem secundum Galeni placita. Quandoquidem facultas generatiua sanguinis vocatur illi proprio nomine Alteratrix: si actio, quæ ab hac facultate proficiscitur, vocabitur Alteratio, & merito, nisi decipior. quia concoctio sumendo ipsam pro motu, & dispositione pręuia, nihil aliud facit quàm remouere qualitates cōtrarias in re concoquēda, & introducere, quo ad eius fieri potest, similes, pro nouę formę introductione, at hoc est alterationis officium. at si quispiam voluerit sumere coctionem pro dispositione iuncta termino, tunc mutatio quædam erit in substantiam, quod fortassis non est in vsu apud Medicos. Cæterùm cum dicimus coctionem esse alterationē, eam potissimum intelligimus, qua acquiritur similitudo cum re coquente: sunt enim quædam alterationes, quæ id non faciunt, propterea non ab re nonnulli dixerunt, coctionem nō esse simplicem alterationem quandam. Cur sic sentiam, duo mihi persuadent, vnum est, quod experiētia videmus contingere in iis, quę concoquntur: aliud vero Galeni sententia, qui de concoctione agens libro octauo de compositione medicamentorum secundum locos, capite de iecinoris affectibus, coctionem dicit esse alterationem, quæ eo vsque procedit, donec in similitudinem partis, quod coquitur sit transmutatum: ibiq; dicit, concoctionem esse assimilationem.

Hæc igitur, vir clarissime, meæ disputationis fundamēta sunt. Tuum est modo iudicare, an recte senserim. Ego certè qualecunque fuerit iudicium, in bonam partem accipiam. Vale. Et meo nomine Vincentio Cibo salutem dicito plurimam. Ex Montibus Cingulanis 24. Decemb. 1571.

MEDICIS PATAVINIS.

De magno, & antiquo totius corporis pruritu, siti ingenti, inappetentia, & vrinæ ardore stillacidio coniuncto. Pro Illustrissimo Comite. N.

NISI saluti Illustris. Comitis, quoad eius fieri potest, diligenter incumberem, & mihi certe mulū, & Serenissimo eius Principi defuisse plurimum viderer: Tanta enim est illius erga me ipsum beneficiorū amplitudo, vt si etiam eius gratia vitam effunderem, vix exiguam persoluisse partem arbitrarer; serenissimus autem Princeps eius officio, & opera destitutus haud leue damnum susciperet. Adeo enim eum carum habet, vt maximorum ferè omnium negotiorum summam illi tribuerit. Vt igitur meo satisfaciam muneri, satisfaciamque desiderio Principis, communicabo vobis, quid sentiam de natura affectuum & caussis atque de remediis, deq; materia remediorum accommodata.

Suppo-

Suppono primum, quod vos vltro admissuros non dubito, calidum & siccum iecinoris habere ab incunabulis temperamentum, à quo magnam bilis prætorridæ copiam quotidie generari, non solum probabile est, sed etiam si externæ caussæ non impediant, omnino necessarium. Contingit porro superuenientibus multis caussis, quod naturale illi fuit, factũ postea morbosum temperamentum adaucta caliditate ex habitu quodam acquisititio, ob inordinatam rationẽ victus contracto. Deliquit multum in cibo & potu: nam assuetus fuit vesci, vt plurimum, assatis, & aromatis, maxime vero pipere conditis, & potu generosi vini; addo etiam deliquisse in exercitatione, qua in hanc vsq; diem vsus est immoderata, ac in omnibus passionibus animi, vt curis, & cogitationibus continuis, quas afferre secum solet maximorum negotiorum expeditio. Mirum igitur non est, si in hac iuuentutis ætate adeo increuerit ex tot caussarum concursu, bilis exustæ generatio, vt eos affectus procreauerit, de quibus conqueritur Illustrissimus vir, & à nobis auxilium postulat, nempe pruritum totius corporis, sitim, inappetentiam, ardorem vrinæ, atq; stillacidium: hi enim ab eadem caussa (nisi fallor) habent omnes originem. Pruritum fieri ab humoribus acribus vel à vaporibus eiusdem qualitatis exitum non habentibus, nemo dubitat, cum scilicet expurgari à meatibus cutaneis non possunt. Horum multitudinem suppetit iecur calidissimum, retentionem vero siccitas totius corporis, addita densitate habitus: est enim nigro colore præditus, quem semper meatuum strictura concomitatur: Audio præterea in aqua aluminosa olim lauisse, ex qua satis probabile est, maiorem factam densitatem fuisse, caliditate coniunctam. exitum igitur quærens humor & vapor acris, neque inueniens viam peruiam, pruritum efficit. Sitim vero, tum iecinoris ignea caliditas, tum etiam bilis ad ventriculum fluxio: huius etiam ipsius excrementi præsentia inappetentiam creat. Cum vero eadem permiscetur vrinæ bilis, acriorem illam reddere non est ambigendum, ac propterea stimulari expulsiuam ita, vt non possit ipsam vrinam diutius retinere. In summa, omnium symptomatum caussam continentem refero in intemperiem calidam & siccam totius corporis, ac iecinoris cum copia sanguinis biliosi, ac feruentissimi. Quæ, si vera sunt, remedia demonstrant nobis à rei natura petita. Primum enim est refrigeratio, & humectatio totius, ac iecinoris: Alter vero bilis, & humorum acrium vacuatio. Quorum materia continetur in ratione victus, in pharmaceutica, & in chirurgica medicinæ parte. Agam de singulis breuiter.

In primis ab aere calido cauendum est, cauendum à laboribus, ac omni immoderata exercitatione: non est corporis habitus excalefaciendus, aut pannis multis, aut armis; indulgendum somno, & magis de cætero in otio, quam in negotio vitam transigat. Nihil vtilius, quam aluum habere humidam: satis enim accommodata per intestina fiet deriuatio acrium humorum. Vescatur frequenter lactuca cruda, portulaca, cicorea, atriplice, cucurbitis, ac etiam melonibus in prima mensa. Acida cerasa vtilissima, azarola mala, aurantia, succus limonum, citri, & mala punica omnia conceduntur; Cibi sint boni succi, sed qui facile alterantur corrumpunturq;, nõ multum vtiles. non exhiberem illi vitellos ouorũ, quia facile in bilioso ventriculo vertuntur in nidorosam qualitatem: neque lac, neq; contusum carnium, neq; ptissanam, nisi tamen acetum adderemus, magis conuenit halica, & cum & sine aceto. Carnibus vescendum vitulinis, & veruecinis, ab auibus abstineat. Vinum sit oligophorum, ac etiam aqua mistum, ne vaporatio caput petat. si spatio duorum, aut trium mensium abstinere vellet à vino, vtiq; saluberrimum esset pro vino bibere aquam hordeaceam, vel coctam ex iulepo violato, aut rosato acido, vel ex succo malorum punicorum. Ferenda illi non est sitis, sed æstiuis temporibus, etiam si frigidam aliquando ad satietatem biberet, non displiceret.

Venæ sectio ex iecoraria dextri cubiti, qua sanguis feruentissimus vacuetur administranda est, quoad eius fieri potest, citissime ad libram vnam, atq; sequenti die ex eadẽ vena repetenda est ad eandem quantitatem: ita enim repetita venę

sectio, tutissimè vacuabit multitudinem huius sanguinis, at refrigerabit iecur, & vniuersum corpus. Quoniam audio olim sanguinem consueuisse fluere ex hemorrhoidibus, & nunc suppressum esse, fortassisq; hosce affectus, hęc suppressio non mediocriter auget, maxime vero pruritum, non ab re iudicauerim, ex iis venis prouocare sanguinem saluberrimum, potissimum in Autumni principio. Tertio in hoc genere succedunt cucurbitulæ cum scarificatione, dorso, spatulis, coxis, & natibus, & suris applicatæ, præsertim illæ paruæ, quas cornettas vocare consueuerunt: nam vbi ab humoribus excrementitiis expurgatum totum fuerit corpus, hæc videntur mihi in Chirurgia inueniri vtiliora, si modo illis rectè vti voluerit, vt speramus. Nunc verò ad ipsam pharmaceuticam accedens. 10

Primum omnium vias communes detergerem ex drachmis decem electuarii lenitiui, & vnc.ii. syrupi rosati solutiui ex aqua endiuię. Mox vero omni opere, ac diligentia incumberem præparationi humorum, ac eorundem expurgationi. Eos igitur, quia calidi sunt & acres, ac etiam ex adustione crassiores, refrigerantibus, & humectantibus obtunderem, atq; moderate inciderem, vt puta ex syrupo de endiuia, & succo acetosæ an. vnc. s. de melissa, & pomis an. drach. vi. decoctionis endiuiæ, cicoreæ, lichenis, florum cordialium, melissæ, lupulorum vnc. iiii. Erit præstantior decoctio syru. si drach. i. addiderimus radicis chinarum, & vnc. i. radicum graminis, ita fiet tutior detersio. 20

Dum hisce vtitur syrupis, accommodatum tempus erit incidendi venam ex cubito: prouocationem quidem sanguinis ex hæmorrhoidibus in Autumnum remitterem.

Expurgarem materiam ex vnc. v. decoctionis senæ, & vnc. s. confectionis amech. & syru. de capil. veneris vnc. i. s. vel etiam ex hoc syrupo, quo vtor sæpe.

Rec. buglossi, boraginis, hepaticæ, cicorei, endiuiæ, lupulorum, acetosæ, nenupharis, an. m. i. Radicum cicorei, graminis, plantaginis, polipodii quercini, an. vnc. i. Quattuor seminum frig. maior. an. drach. ii. Florum cordialium epithimi, an. p. i. coquantur in duplici vase in aquæ fontanæ optimæ ad vncias quindecim; mox colentur. Ac tum postea macera horis 24. mirabolanorum citrinorum, & chebulorum, & indorum grosso modo contusorum, & fricatorum manibus intinctis in oleo amygdalarum dul. an. vnc. s. Corticum radicum hellebori nigri, drach. iii. Foliorum senæ mundatorum vnc. iii. s. Agarici albissimi vnc. ii. Zinziberis drach. ii. leuiter bulliant, mox fiat expressio. in quo adde zucari fini lib. i. fiat syrupus perfecte coctus, qui reponatur ad vsum. dosis est vsque ad vnc. iii. cum vnc. v. seri lactis, octauo quoque die. Vbi hoc, vel alio eiusdem generis pharmaco, purgatum diligenter corpus fuerit, expediet quidem vti alterantibus, atq; ab ipsa cute vacuantibus: tuncq; idoneus erit cucurbitularum vsus. 30

Pro materia huius remedii propono vobis tria. Vnum est potatio seri caprini ex Dioscoridis consuetudine præparati, sumendo ipsum in magna quantitate, ita vt per vrinarios meatus exeat: sic abluet iecur, renesq;, & vacuabit, & refrigerabit omnia acria corporis excrementa: qui exiguam illius quantitatem potant, frustrantur vtroque fine, nempe alterationis, & expurgationis. sit quantitas vsq; ad libras octo, aut nouem. scripsi aliàs diligenter de modo exhibendi. 40

Aliud est aqua Lucensis, quæ de Villa nuncupatur: aut etiam Chalderiana: sed illa mihi magis placet: vos, si ita videbitur opportunum, alterutrum eligetis. Adest etiam in eadem villa balneum, in quo maxima commoditate totum corpus lauare poterit.

Postremum est dulcis aquæ balneum: quo certe non modo refrigerabitur corpus, sed etiam bilis, & humores acres omnes è corporis habitu vacuabuntur, non sine magna ipsius ægroti vtilitate. 50

Hæc habui, quæ currenti calamo ad vos scriberem, quorum iudicium maximè desidero. Valete.

LIBRI PRIMI FINIS.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER SECVNDVS.

PETRO CRISPO MEDICINAM THEOriticam, quam ordinariam vocant, in Vrbe Roma, profitenti.

Explanatur contextus vndecimus Libri Secundi, de Ratione victus in morbis acutis contra Galeni, & aliorum fere omnium Medicorum sententiam. Refellitur eorum opinio, qui dicebant, agere Hippocratem ibi de materia turgente. Atq; huic secundum Placita Hippocratis, & Galeni purgationem semper, nunquam vero deberi venæ sectionem.

Cap. I.

Scribendi occasio de quibus agendum, & quo ordine.



ONGISSIME distamus inuicem, Petre Crispe: tu enim explanationē Galeni contextus vndecimi Secundi libri de Ratione victus in morbis acutis, verissimam esse profiteris: ego autem non recipio. Tu pleuritidem inferiores costas, quas mendosas vocant, occupantem, à materia turgente concitatam dicis: Ego autem à materia quidem fluente, ad determinatam particulam, at à turgente minime fieri, asseuero. Tu humori turgenti venæ sectionem ex doctrina Hippocratis & Galeni vtilem esse putas: Ego inutilem, & contra illorum decreta excogitatam arbitror. Quia igitur absoluere inceptam disputationem, nocte suprauenieute, non licuit; decreui dare hasce ad te literas, vt eam tandem absolueremus, vtq; pacatiori animo de rebus maxime seriis, & ad medicinam faciendam vtilissimis, veritatem ipsam, qua nihil debet apud nos esse antiquius, simul disputantes, inuestigaremus: ac id ipsum eo facio libentius, quod Iustinianus Finettus vtriusque nostrum Pręceptor scripturas hasce nostras legere desiderat. Agam tecum prius de Galeni sententia, quam mihi maxime suspectam esse demonstrabo: Considerabo deinde, quæ tu pro illius confirmatione attulisti: Postremo loco, an Pleuritis illa à materia fiat turgente: & an huic venæ sectio conuenire possit aliquando, disputabimus. Ad rem aggredior.

Cap. II.

Galeni explanatio circa textum vndecimum secundi, de ratione victus in morbis acutis.

PROPONAMVS primum, pro Thesi disputationis institutæ, Hippocratis verba: sic enim facilius iudicari poterit, an Galeni explanatio sit rationi consona. Sic ille scribit?

Si vero eas, quæ sub septo transuerso sunt partes, dolor infestat, nullumq; ad clauiculam signum fecerit, ventrem vel nigro veratro, vel peplio emollire oportet. Sed veratro nigro, vel daucum, vel seseli, vel anisum, vel aliud quidpiam boni odoris miscebis: Peplio vero silphii succum: quanquam & hæc inter se

mista non dissimiliter agant. Cæterum veratrum nigrum tum melius, tum ad iudicationem iuuantius, quàm peplium ventrem soluit, sed peplium flatum magis excutit. Dolorem præterea ambo hæc sedant. Sedant quoque & alia multa, quæ expurgant medicamenta. Verum omnium, quæ nouerim, viderimque, hæc potissima existunt. Nempe & quæ in sorbitionibus dantur purgantia medicamenta soluere possunt: quæcunque scilicet non valde insuauia existunt, vel propter amaritudinem, vel aliam quampiam iniucunditatem, vel quantitatem, vel colorem, vel suspicionem aliquam.] Hæc Hippocrat.

Galenus quidem arbitratur hisce verbis docere Senem, pleuritidis octo costas inferiores occupantis curationem, ad alterius differentiam superiores costas afficientis, de qua superiori textu decimo egisse commemorat: cum enim debeamus humores ducere, quo natura vergit modò per locos conuenientes fiat vacuatio, vt primo Aphorismorum vigesimoprimo dicebat, in pleuritide ascedente venę sectionem imperat è directo, vultq; multum sanguinis vacuari, donec scilicet mutetur color, quæ mutatio indicat euacuatum sanguinem in ipso phlegmone contentum. At in alia pleuritide consulit purgandum per inferiores partes elebro nigro, aut peplio, prout magis cõuenire videbitur: vel etiam sorbitionibus purgatoriis vtendum, quæ scilicet purgantia pharmaca habeant permista. Sic Galenum interpretatum fuisse hũc locum, eius verba manifestum faciunt in principio decimi commentarii, quæ sic habent:

Nempè superiores ipsius partes, cum inflammantur ad claiculã, brachium, & mammam condolentiam extendunt: inferiores verò ad septum transuersum, & hipocondrium. Cum igitur superiorum condolentia signum fecerit, venam in cubito secare eam oportet, quæ sanguinem ab affecta parte, & magis & velocius tum reuellere, tum vacuare possit. Verùm si in partibus infernis affectus constiterit, purgatione vacuare expedit.]

Declarat deinde cur non ęque iuuet vtranq; pleuritidẽ venę sectio. Deinde, cur magis iuuet purgatio. mox docet tutius esse in pleuritide descedente venam in cubito incidere, quã veratro nigro, aut peplio vti: licet purgatio sit magis vtilis. De priori capite in hunc modum scribit: Quo fit, vt dolores huiusmodi non admodum vitet, quæ in cubito fit vacuatio, corde scilicet medium occupante, nempè venam, quæ inferiores alit partes, infra cor emergere supra audiuisti,] quasi quod aliam huius instituti non inuenerit caussam, quam quod vena sine pari, quę sub corde oritur, nutriat octo inferiores costas: neque dubium esse sanguinem multò ægrius sequi ex his locis, quàm iis, qui supra cor consistunt. De secundo autem dicebat in principio commentarii. Pro eorum, qui inflammationem pariunt, humorum vergẽtia, inclinationeque vacuationes facit Hippocrates, nempè quod dicitur, quo natura vergit per loca conferentia eo ducere, id verissimum existit.]

Propterea in vndecimo commentario ait:

Quod verò necessitas purgationis sit, si humores deorsum repant: est quoq; ratione scitum, animaduersumque.]

Quod attinet ad postremum in fine commentarii in hunc modum scribit:

Vbi igitur non solum acutus morbus fuerit, cuiusmodi est pleuritis, verùm & cum febre vehementissima, multoq; magis vitanda est purgantis medicamenti administratio, atque per venæ sectionem vacuandum magis, etiam si ad hipocondrium dolor pertingat. Nempè & si minus quidem auxilium, quàm per purgationem sequatur: tutius tamen existit; imo nullum ex eo, quod per venæ sectionem fit, periculum impendet, eo discrimen maximum subeunte, quod per purgationem fit.] Hæc Galenus. Ex quibus certo certius elucescit, quomodo Galenus vndecimum hunc explanet contextum.

Dubita-

CAP. III.

Dubitationes contra explationem Galeni.

VERVM ne facile Galeni explanationem admittam, multa quidem in causſa ſunt, quæ hic in tui gratiam recenſere placet. Primum illud facit apud me dubitationem maximam, quod verba Hippocratis eius contrarium ſignificare videntur mihi, quod à Galeno, & paſſim ab omnibus Medicis ponitur: nempe in omni pleuritide ſanguinem mitti debere, ſiue ſupernas, ſiue infernas coſtas inuaſerit, rationem ex illius verbis in hunc modum propono.

10 Sanguis quidem tunc mittendus eſt, quando ſignificationem præbeat dolor ad clauiculam, aut grauitas in brachio, aut circa mammam, aut ſupra ſeptum tranſuerſum. Atqui omnis pleuritis ſignificationem eiuſcemodi præbet. Ergo in omni pleuritide ſanguis mittendus eſt. Itaq; ſi fomenta non ſanauerint dolorem, protinus in omni pleuritide ſanguinis miſſio exerceri debebit. Audias nunc Hippocratis verba.

Verum, ſi fomentis dolor non ſoluatur, ne diutius calefacito: ſiccat enim id pulmones, atq; ad ſuppurationem excitat. Si vero dolor ad clauiculam pertigerit, vel moleſta ſit, vel brachio, vel mammæ, vel partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus grauitas, internam cubiti venam ſecare expedit: neque, vt copioſe 20 ſanguis detrahatur, eſt cunctandum, ſed eouſq; auferendum, donec rubidior multum, vel pro puro rubido liuidus flueret: nam vtrunque contingit.]

Hæc maioris propoſitionis veritatem demõſtrant: minorem vero putauerim nullam habere difficultatem. Nam omnis pleuritis eſt inflammatio membranæ ſubcingentis coſtas; quæ membrana tres partes habet, ſuperiorem, mediam, & inferiorẽ, quæ poſſunt aut ſeorſum, vt fere contingit: vel omnes ſimul, quod raro, inflammari. præbent autem inflammationis ſigna propria: nam ſi ſuperior affecta fuerit, extenditur dolor ad iugulum, ſiue clauiculam, & aliquando etiam dolor communicatur brachio, cum inflammationem in altiori parte patitur. Si vero in media parte conſiſtat morbus, dolor exercet ægrotum in medio thorace; propterea moleſtiam infert circa mammam. at inferiori membranæ parte 30 inflammationem habente, tunc quidem grauitas apparet in partibus ſupra ſeptum tranſuerſum. partes autem ſupra ſeptum hoc conſtitutæ, ſunt octo coſtæ inferiores, vt omnibus conſtat: verba igitur hæc: Si vero dolor ad clauiculam pertigerit, aut moleſta ſit vel brachio, vel mammæ, vel partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus.] omnem complectuntur pleuritidem, quia nulla prorſus eſt, quæ vnam ex hiſce partibus non afficiat. quod ſi ita eſt, venæ ſectio vtiliſſima eſt, etiam in pleuritide occupante inferiores coſtas, Hippocratis præcepto.

Secundò, ſuppono nullam pleuritidem eſſe affectum infra ſeptum tranſuerſum: nam infra ſeptum non adeſt membrana ſubcingẽs coſtas, ſed ſupra, vt anatomica obſeruatio manifeſtum facit: hoc ita conſtituto ſic inſtemus. Hippocra- 40 tes iubet purgandum veratro nigro, aut peplio in affectu conſiſtente infra ſeptum tranſuerſum: at hic affectus certè quidem non eſt pleuritis: ergo Hippocrates non iubet purgandum veratro nigro, aut peplio in pleuritide. affero Hippocratis verba.

Si verò eas (inquit) quę ſub ſepto tranſuerſo ſunt, partes dolor infeſtat, nullumque ad clauiculam ſignum fecerit, ventrem vel nigro veratro, vel peplio mollirẽ oportet.] Vides hic, doctiſſime Criſpe, non amplius loqui de pleuritide, aut dolore afficiente vel ſeptum ipſum, vel partes ſupra ſeptum: ſed ſolum de affectu partium infra ſeptum tranſuerſum, adeò efficax videtur mihi hæc ratio, & certa, vt non habeam, quid reſpondeam. Tu fortaſſis dices, loqui de dolore per con- 50 ſenſum afficiente partes infra ſeptum tranſuerſum conſtitutas: at imaginaria explanatio eſt, quæ nullo pacto poteſt conſiſtere, diuiſione vtitur Hippocrates eiuſcemodi. Dolor aut eſt ſupra ſeptum tranſuerſum, aut infra ſeptum tranſuerſum, eo modo debet intelligi in vno membro diuiſionis dolor, quo in alio. At in vno, nempè in priori membro intelligitur ſententia de dolore

per essentiam, & per consensum simul: ergo in posteriori membro de dolore per essentiam principaliter loqui debet. Adde, quod responsio supponit, dolorem supra septum transuersum in secunda sectione: sed tamen verba Hippocratis excludūt eiusce modi dolorē, cum dicat: Si verò eas, quæ sub septo transuerso sunt, partes dolor infestet.] tu verò putas loqui de dolore principaliter infestante supra septum transuersum consentientibus partibus infra septū transuersum.

Tertiò, inflāmatione existente in septo transuerso, aut in partibus supra septum trāsuersum, aut iecinore, aut liene, à principio cōuenit venę sectio, secundum sententiam Hippocratis, & non purgatio. Ergo verba huius contextus nequeunt interpretari de inflammatione septi transuersi, vel membranæ subcingentis inferiores octo costas. Consequentia nullam omninò habet difficultatem, quia vult Hippocrates hic purgandum peplio, & eleboro, at non vult mittendum esse sanguinem, vt testantur eius verba, & Galeni commentatio. Antecedens probatur ex verbis eiusdem libro quarto, eiusdem sectionis, cuius series habet hoc modo.

Inflammata hipocondria, non spirituum interceptione, septi transuersi intensio, vel spirituum protensiones, quibus orthopaca sicca pus non subit, sed à spirituum interceptione pathemata hæc superueniunt: potissimum verò & iecinoris dolores, & lienis grauitates, atque inflammationes aliæ, & superiores septo dolores, morborumq; collectiones, quas συσμοφαί vocant, solui nō possunt, si quis prius medicari aggressus fuerit: nam venæ sectio in his præferenda venit, dein clismis est opus, si vehemens & magnus fuerit morbus: si verò non, & postea medicamento opus sit, sanè id post sanguinis missionem securè, ac mediocriter porrigendum.] hæc ille.

Quæ videntur adeò apertè significare, in pleuritide inferiores costas occupante, venæ sectionē prius conuenire, & hanc aliquando solam administrandam, aliquando verò simul cum purgatione, vt plurimum admirer, quomodo hanc explanationem excogitauit Galenus.

Quartò, inflammationem principio, pro vacuatione humoris in phlegmone contenti, non cōuenit medicamentum purgans: sed pleuritis occupans costas inferiores est inflammatio: ergo in principio ipsius non conuenit pharmacum expurgans. maior propositio est Hippocratis eodem quarto acutorum, in quo scribit, quod qui per initia tentare voluerit ex inflammata parte vacuare materiam pharmaco purgāte, nihil proficit: sed contra maximè obest, quia non educitur humor, sed caro liquescit, ac morbus postea remedium non habet. illius dictionem apponamus:

Quicunque autem ea, quæ inflammantur, statim morborum inter initia medicamento soluere conantur, ii non solum ab intensa, inflammataque parte nihil adimunt, cùm non cedat, obsequaturq;, quæ adhuc cruda est affectio: verum quoque, & quæ morbo resistentia, & sana sunt, absumunt, colliquantque: vbi autem corpus imbecille sit, morbus præualet: & vbi morbus corpori præualuerit, remedium non habet.]

Porrò in curatione pleuritidis scopum Hippocrates, dum iubet secandam esse venam, & in dolore infra septum transuersum purgandum veratro nigro, vel peplio, alium non habuit, quàm vacuare materiam in phlegmone contentam, vel coniunctam, vt vocant: vt colligitur ex sententia Aphorism. 21. quem citat, & ex mutatione coloris, atque Galeni testimonio. Purgat igitur dolore occupante partes infra septum transuersum, vt materiam continentē morbi caussam expellat, vt etiam docebimus parum postea. Maior itaque procul omni dubio verissima est; minor non adeò certa, vt absurdissimum sit eam probare. Relinquitur, secundum doctrinam Hippocratis, in pleuritide occupante octo inferiores costas inter initia pro vacuanda materia coniuncta non conuenire peplium, aut veratrum. Quia verò ille conuenire dixit, certissimum est, non esse locuturum de pleuritide.

Quintò, remedium purgationis ab Hippocrate proponitur, vt statim dolorem

rem soluat. Atqui dolorem pleuritidis statim sanare non potest purgatio. Ergo pro sananda pleuritide remedium purgationis non est propositum. maiorem propositionem declarat ille his verbis.

Dolorem prętere a ambo hęc sedant, sedant quoque & alia multa quæ expurgant, medicamenta. Verum omnium, quæ nouerim, viderimque, hæc potissima existunt.]

Minorem verò tum ratio, tum experiētia manifestam faciunt; ratio, quia pleuriticus dolor sanatur, remota caussa ipsum concitante, quæ humor est distendēs particulam sensu præditam, subitò ac violenter alterans. At materiæ purgantis 10 remedii, vt peplium, ac veratrum non possunt hanc distentionem, & alterationem sanare: imò contrarium accidit: nam calida cum sint, atque sicca, magis alterant, crudusq; morbus non obsequitur purganti pharmaco, quemadmodum supra dicebamus ex eodem Hippocrate: ideoque neque dolorem mitigare, neque sanare potest eiuscemodi materia.

Sextò, dolor pleuriticus mitigatur statim in principio, vel quādo spatio trium dierum expurgari incipit materia phlegmonis per sputum: vel quando impeditur fluxio: at neutrum fieri potest ex veratro nigro, & peplio: nam certè non habent aliquam vim expectorandi materiam in phlegmone confluxam: nec etiam impediendi fluxionem; quia fluxio fit ab humoribus acribus, tenuibusq;: 20 hanc impediunt, ac retardant, arteriaca incrassantia, & moderatè refrigerantia, vt e. g. syrupus violatus, de nenuphare, violatus, ac eiusdē generis alia: sed veratrum, & peplium sunt calidissima pharmaca, quorum vsus potest magis augere, quàm sedare fluxionem.

Septimò, purgantia pharmaca cibis, ac sorbitionibus mixta, nunquam sedare possunt dolorem pleuritidis. Ergo non exhibentur ab Hippocrate huius rei caussa. Dixit enim: Nempè, & quæ in sorbitionibus dantur purgantia medicamenta, soluere possunt.] Porrò tantum abest, vt hęc ipsa soluere possint dolorem pleuriticorum, vt mea sententia omninò augeant. caussa est, quia dum purgans reiectatio per sputum impeditur, hinc dolor augetur, & suffocationis pericu- 30 lum. De qua re audienda sunt eiusdem authoris verba, lib. 3. de Morbis, quæ sic habent.

Si verò iam expuat biliosa, medicamentum ne dederis: si enim dederis, sputum rursus prodire non poterit, sed septima, aut nona die suffocabitur; maximè, si præcordia doleant.] Hæc ille. Videor ex iis apertissimè, nisi meum me fallit iudicium, demonstrasse, Hippocratis verba non posse interpretari de pleuritide.

CAP. IIII.

Verus Hippocratis verborum sensus ex propria sententia proponitur. 40

RELIQVVM est modo, vt explicemus verum sensum verborum Hippocratis. Dico igitur illam diuisionem eiuscemodi fecisse. Dolorum, qui morbos acutos insequuntur, quidam sunt supra septum transuersum: quidam infra consistunt. Qui superiores partes exercent, equidem omnes, si fomentis non sanantur, venæ sectionē postulant, siue fuerit in superiori, siue media, siue vltima thoracis parte: qua circumscribit partes per dolorem ad clauiculas, aut brachium pertingentem: vel mammam, vel supra septum transuersum. At verò si dolor exercuerit ægrotum infra septum transuersum, considerandum est, an aliquam significationem sui præbeat ad iugulum, vel nullam. Si condolentia extenda- 50 tur vsq; ad clauiculam, maxima suspicio se se offert inflammationis, aut iecinoris, aut lienis: (decipiuntur enim multi, putantes esse pleuritidem, vt Medico cuidam olim contigisse Galenus commemorat) tunc venæ sectionem adhibere oportet, vt infra quarto acutorum dixit: si autem nullam significationem sui præbeat ad clauiculam, suspicari oportebit materiam, à qua fit dolor, in intestinis contineri, esseque aut flatuosam, aut pituitosam, aut mistam: Quia verò

eiuscemodi dolores acuti sunt, propterea statim illis operam dare oportebit; si non fuerint sedati fomentis siccis, à quibus potissimum flatus dissoluitur, & humores crassi, ac viscidi attenuantur. remedium verò est purgatio, quam instituemus ad imitationem naturæ; cum enim illa soleat sanare eiuscemodi affectum per fluorem alui, aut per eandem sedem erumpente flatu, propterea ad illius exemplar dabimus aut veratrum nigrum, aut peplium, aut vtrunque simul permistum. Veratrum pro corpore purgando magis, pro flatu discutiendo minus potest. Peplium pro flatu magis, pro purgatione minus. Duo eligit pharmaca alternatiuè; quia si flatus minus efficiat negotium, veratrum dandum est, si maius peplium: at si æqualis vtriusque suspicio sit, vtrunque simul miscendum est. Verùm etsi ambo misceas, eiusmodi sunt, inquit: quod perinde est, ac si diceret: Si propositum fuerit vacuare humorem crassum & viscidum, atque simul flatum discutere, miscendum est vtrumque, eo quod consimilem habeant facultatē, & purgandi eosdem humores, & eodem etiam tempore. Hoc sanè modo miscela duorum pharmacorum ex arte optima succedit: at si hæ non adfuerint conditiones, mala est, vt declaraui aliàs ex authore libri, cum quibus, quos, & quando purgare oportet. hoc igitur dicere voluit iis verbis: Eiusmodi sunt.] quia verò vtrunque horum pharmacorum validum erat, ac poterat inferri noxa corpori si citra preparationem fuissent exhibita, docet præparationem vtriusque. Helleborum quidem corrigemus odoratis, & corroborantibus, ac simul miscendo pharmaca flatus discutienda, propterea dicit: Nigro veratro quidem daucum, aut seseli, aut cuminum, aut anisum, aut aliud quidpiam eorum, quæ benè olent miscendo.] Peplium verò corrigit ex silphii succo. Pro corrigendis hisce pharmacis idonea non sunt quæcunque odorem habent, sed quæ bene olentia corroborant, vt supradicta ab Hippocrate, quibus etiam adde cinamomum, gariofilum, spica: aut certè muscus, ambra non satisfacient. Est autem succus silphii nuncupatus Galeno succus cyreniacus, qui educitur ex laserpitio. Galenus in commentario duobus hisce pharmacis, aut seorsum, aut simul mistis, substituit Hieram diacoloquintidos. Cæterùm, quæ in fine dictionis huius proponuntur, consideranda sunt, vt, quę aliquid etiam ad nostræ opinionis confirmationem conducunt.

Sedant autem & alia multa aluum subducentia: optima autem sunt hęc, eorum quæ noui. Alioquin & ea, quæ in sorbitionibus dantur, aluum subducentia prosunt: quæcunque non valde insuauia sunt, aut ob amaritudinem, aut aliam insuauitatem, aut multitudinem, aut colorem, aliquam aliam suspicionem.]

Difficultatem habere aliquam videntur mihi hęc verba: quia si optima sunt omniū pro sedandis hisce doloribus, veratrum nigrum, & peplium, vel seorsum sumpta, vel simul mista; quam ob caussam nunc proponit pharmaca cibis permista, quæ mitem admodum habent facultatem purgandi, obtundente ipsorum virtutē alimento; quorsum igitur à validissimis ad mitissima transitum facit? Mirum semper fuit artificium Hippocratis, quod, vt sępe aliàs Galenus manifestissimum fecit: sic ego nunc in hac dictione facilè ostendo. Curatio dolorum lædentium partes infra septum transuersum constituas, & nullum signum, vt dicit Hippocrates, ad clauiculam facientium, variari contingit, ex varia doloris conditione, atque virium statu. Statuamus itaque dolores magnos esse, aut paruos, & virtutem ipsam, aut validam, aut imbecillam. Si fuerit dolor magnus, ac vires validæ, magnis remediis vtendum proportione respondentibus magnitudini morbi: tunc certè multum proderit veratrum, aut peplium aut hiera diacoloquintidos, aut eius generis aliud. Si morbus fuerit exiguus abstinendum à remediis validis, ac vtendum mitioribus, quales potissimum sunt sorbitiones attractoriæ, idest sorbitiones, quibus cum purgantia pharmaca permista sint. eadem ratio purgandi conueniet, si morbus extiterit magnus, & vires imbecillæ, vt in pueris contingit, in valetudinariis, in senibus, in vtero gerentibus: in hoc casu, quia morbus exigit validam purgatio-

purgationem, eam vires nō admittunt, cogimur vtrique ſubuenire: dolori quatenus purgamus, viribus autem, quatenus purgantium pharmacorum vires refrangimus ex alimentorum miſtione. atque hoc ſummum eſt Hippocratis artificium.

Quæ poſtea ſequuntur, pertinent ad modum miſcendi medicamenta ſimul cum cibis, vult in medicamentis ſuauitatem procurari debere (quo ad eius tamen fieri poteſt) maximè in medicamentis alimentoſis. Nunquam eſt eiuſcemodi lex prætermittenda. Idcircò non ſint medicamenta ſorbitionibus miſta amara, neque ingratum habeant alium ſaporem nec exhibeantur copia intolerabili. immo hac in re ita gratificandum eſt ægrotis, vt nihil omninò in eiuſmodi ſorbitionibus contineatur, quod illis diſpliceat aut in colore, aut quantitate, aut odore, aut ſapore: poſtulat enim medendi ratio, vt citò, tutò, & iucundè ſanemus: atque hæc mihi dicta ſint ſatis circa intelligentiam contextus huius.

Cap. V.

Quæ pro Galeni explanatione afferri poſſent, ac illorum reprobatio.

PORRO autem pro confirmatione explanationis Galeni hęc poſſunt in medium afferri: primum, quod libro quarto acutorum, text. 72. eandem ſententiam repetens, clariſſimè oſtendit Hippocrates, ſeſe de pleuritide locutum fuiſſe. Verborum illius ſeries habet hoc modo:

In peripneumoniis, & pleuritide ita conſiderare oportet, ſi febris acuta fuerit: ſi dolores lateris, vel alterum, vel vtrunque infeſtent: & ſi æger in ea, quæ ſurſum fit, ſpiritus latione laboret: tuſſeſque adſint, & ſputa educantur ruffa, vel liuida, vel tenuia, & ſpumoſa, & florida, & ſi quidpiam aliud diſcrepans præter ea, quæ didicimus: Si dolor ſurſum penetrauerit, vel clauiculam, vel mammam, vel brachium, venam brachii internam ſecare oportet, qua dolor afficit parte: ſanguinemque auferre pro corporis habitu, anni tempore, ætate, & colore: ampliusq́; non veritus, ſi dolor acutus fuerit ad animi defectionem detrahes: clyſterem poſtea exhibebis. Si verò dolor ſub thorace fuerit, valdeque infeſtauerit pleuritico ventrem ſubpurgabis: nihilq́; dum purgabitur dabis, à purgatione autem oximeli.] hęc Hippocrates: qui pleuritidem admittit dolore exiſtente ſub thorace, quod eſt idem, atque ſi diceremus, infra ſeptum tranſuerſum, quia thorax continetur ſupra ſeptum.

Addunt pręterea iis vacuationem in pleuritide, occupante coſtas inferiores, non eſſe per ſanguinis miſſionem tutam. quia, cùm ſanguis inferiores coſtas nutriens ſit educendus ex vena ſine pari, & cor medium intercedat, per quod tranſitum habere debet ſanguis vacuandus, contra regulam medicam facere videmur, quę præcipit in vacuando non eſſe humores ducendos per partes nobiles: at omnium præſtantiſſima eſt cor.

Alii etiam dicunt, pleuritidem inuadentem ſuperiores coſtas concitari à ſanguine tenuiſſimo, & bilioſiſſimo: occupantem autem inferiores generari à ſanguine terreo, & melancholico. Hinc verò naſci remediorum diuerſitatem. nam in prima ſpecie ſanguinis miſſio per ſuperiores partes fieri debet, quia naturam adminiculatricem habemus mouentē per eaſdem: in alia vero purgandum per inferiorem ventrem, quia natura humoris tendit deorſum; ideo ſi in vacuationibus naturæ motum imitari debemus, nulla videtur præſtantior poſſe inſtitui curationis ratio. Poſtremò tu quidem mecum diſputans contendiſti, venæ ſectionem non eſſe vtilem in deſcendente pleuritide, quia materia turget: humori autem turgenti purgationem ex Hippocrate conuenire nemo neſcit. Hæc pro Galeni explanatione defendenda, imaginari ſolent. Quæ quoniam conſiſtere non poſſunt, dicendum, quomodo iis ſatisfacere oporteat.

Pleuritidis nomen ambiguam ſignificationem habet.etenim aliquando propriè ſumitur pro inflammatione membranæ ſubcingentis coſtas:aliquando pro omni dolore ibidem contingente, ſiue ab inflammatione, ſiue ab humoribus viſcidis,ſiue à flatu fuerit:interdum vero hoc nomen extenditur ad inflammationem muſculorum intercoſtalium tum intrinſecorum, quæ proxime ad veram & exquiſitam accedit pleuritidem:tum externorum, quæ longius abeſt: adde his communiſſimam quandam ſignificationem pro omni dolore lateris, à quacunque materia contingat. Lateris autem nomine intelligendo non ſolum thoracem, ſed etiam partem dextram, aut ſiniſtram thoracis, & hypocondrium; qua notione vſus eſt Hippocrates ſtatim in principio ſecundæ ſectionis libri de ratione victus in morbis acutis, dum agit de fomentis: Vocatur autem nomine pleuritidis hypocondriorum affectus, quia dolorem infert perquàm ſimilem pleuritidi,& quia vulgo ita putant,Medicique aliquando decipiuntur arbitrantes ęgrotum pati pleuritidem, cum inflammationem iecinoris habeant, vt Galenus in hiſtoria Siculi Medici declarauit.Hac poſtrema notione vſus eſt Hippocrates in eo loco, cum dicit, Pleuritico ventrem ſubpurgabis.quod eſt dictu. Si dolor infra ſeptum tranſuerſum faciat negotium,ſiue communicet aliquid ſuperioribus partibus, ſiue non communicet, ſi venter murmurauerit,purgare oportet veratro nigro,aut peplio,aut vtroque,aut ſorbitione attractoria.legito quæ ſcribit in textu 64.& cum hoc ipſo conferas.

Dicimus præterea maxime ambigua eſſe apud quoſdam Anatomicos, quæ à Galeno dicuntur de vena ſine pari, ita vt in re controuerſa non multum illi fidant, inficianturque in medio ipſum eſſe cor inter cauam & cubiti internam, licet Bartholomeus Euſtachius Galenum tueatur.Sed in medio eſſe concedamus, quid hinc ſequatur incommodi non video.certe neceſſe non eſt, ſanguinem, qui in ſpatiis coſtarum inferiorum venæ ſectione in cubito interiore effunditur per cor medium tranſire:atque ſi tranſiret,non quidem læderet, ſi firmam ſedem ibi non habeat: quia per maiores venas, quæ medium corporis tenent,eiuſcemodi tranſitus non fit,ſed per venulas ac ramulos per carnem deductos, qui rete quodam texunt, ſanguinem educi (vt inquiunt Anatomici præſtantiſſimi,quibuſcum ſentire videtur Euſtachius) profiteor. Deinde, demus illis tranſitum fieri per cor medium, nihil tamen ſequeretur incommodi. Non licet (aiunt) humorem vacuandum tranſire per nobilem partem. Sed, quando pulmonis vomica expurgatur per vrinam,aut aluum, aut tertio de locis affectis Galenus docet,quam viam, quæſo, ſibi parat natura? Cum phrenitis aut ardens febris iudicatur fluore ſanguinis è naribus, an ſtatuemus tranſitum non habere per nobilem partem?cum præterea ardens febris iudicatur rigore ſupraueniente, vt is aliquando in aphoriſmis dixit, fluore alui, & vomitu, an id fieri poteſt alia via,quam tranſitu per ſubſtantiam iecinoris? Fateor ſemper ducendos eſſe humores,quoad eius fieri poteſt, lõgiſſimè à nobilibus partibus: ſed ſi ratio viarum impedimẽto eſt,nulla infertur illis ex tranſitu noxa,ſi non firmentur, retineanturque. Tandem, qui hanc comminiſcuntur cauſſam, non vident illi, quam ſuo Galeno contradicant, qui commentario vndecimo vult, venæ ſectionem longe tutius exiſtere, purgatione remedium, hanc tamen vtilius.

Ridicula etiam mihi videtur ratio, quam de humorum qualitate Barbari quidam authores proponunt, experientiæque prorſus contraria. Crura vidimus frequenter eriſipelate occupari: Labia,nares mammas, cancro: Collum, ceruicum,clauiculam œdemate.Craſſum deinde ſanguinem, & melancholicum venę ſectione fœliciter vacuari à Galeno ſcriptum eſt lib.de ra.cur.per ſanguinis miſſ.& ex artis operibus conſtat. Adde humorem tenuem qualis flaua eſt bilis, facile purgandi pharmaco educi. Amplius quid impedimento eſt, quod humores tenues inflammationem non faciunt in membrana inferiori pene ſceptum tranſuerſum?ſi iecur, ſi renes, ſi veſica, ac vterus inflammari quotidie cernimus? Cur ipſum cor in ſuperiori exiſtens parte, iecur, lien inferi-

inferiori non prohibebunt calefaciendo, ſemper fieri ab humoribus frigidis inflammationem in membrana ſubcingere inferiori? Plura contra hanc opinionem dici poſſent, ſed hæc potiſſima ſunt.

Cap. VI.

Pleuritidem inferiores coſtas occupantem non fieri à materia turgente.

10 EAM pleuritidem, in qua purgandum conſulit Hippocrates, fieri à materia turgente, dicis, quæ ſententia mihi maximè videtur ſuſpecta. Si enim putas, ſimul cum pleuritide materiam turgere poſſe, ita vt duo affectus coniuncti ſint, humorum inquam turgentia, & pleuritis, caſus quidem admittendus eſt, ſed non erit purgatio remedium pleuritidis, at affectus cum illa coniuncti. nec eiuſcemodi imaginatio poteſt accommodari contextui Hippocratis: ille enim, ſi Galeno credimus, agit duntaxat de pleuritide occupante inferiores coſtas. Verùm, ſi putes concitari pleuritidem à materia turgente, hoc certè non eſt admittendum. Primùm, quia, vt veriſſimum eſt, omnem pleuritidem fieri à fluxione: ac nullam eſſe materiam turgentem ſine fluxione; ſic falſiſſimum omnem fluxionem eſſe turgentiam, cum humores inordinatè mouentur modo ad vnam, modò ad aliam partem, vt Galenus ait primo de criſib. cap. 9. dicuntur turgere: at inordinata non eſt fluxio in pleuritide, ſed ad vnicam partem appellit motus, nempè ad membranam ſubcingentem coſtas. Præterea quarto aphoriſ. com. 10. Galenus ait, materiam etiam turgere, quę licet non moueatur ad diuerſas partes; tamen ad præcipuas fluit, vt ad cor, cerebrum, iecur. at membrana ſubcingens coſtas, non eſt pars præcipua. Tertio humores raro turgent primo aphoriſm. 22. at inflammationes, fluxioneſque ſunt frequentiſſimæ. Amplius de natura humoris turgentis eſt, quod ſit mobilis, immo, vt actu moueatur ad partes indeterminatas, aut nobiles: opus eſt igitur hunc 30 eſſe calidum, tenuem, & acrem, & à ſanguine ſecretum, eiuſcemodi humor potiſſimum eſt bilis, vel alius ſaltem excrementitius humor multa bile permiſtus. At omnis pleuritis fit à ſanguinis fluxione, vt à Galeno paſſim explanatum fuit. qua cum fluxione, ſi aliquid bilis excrementitiæ permiſtum fuerit, equidem euadit longè vehementior. Prætermitto alias ſignificationes turgentiæ, quæ non ſignificant purgationem, ſuntque omnino extra rem.

Hic ego nequeo prętermittere, quę de hac materia dixiſti mecum diſputans, & in tuis ad Finettum ſcripſiſti. Ais non pertinere ad materiam turgentem, vt actu moueatur, ſed ſatis eſſe, ſi ex ſui natura apta ſit eductioni: quia materia quieſcens poteſt turgens nuncupari, vt colligitur ex Hippocrate libro tertio de fra-40 cturis. commen. 18. in quo pus ipſum in affecta particula contentum, turgens appellat. Galenus verò primo aphoriſ. commen. 22. humorem turgentem dicebat, plerunque moueri vehementiori impetu. ex quibus verbis deducis, humorem turgentem non ſemper moueri actu plerunque. Tua hæc imaginatio, Criſpe, mihi non ſatisfacit. Primum, quia Galeni verba non dicunt humorem turgentem plerunque moueri, vt tu ais. Sed ſupponens ille ſemper eſſe in motu humorem turgentem, & ratione motus periculum inferre, docet motum illum plerunque vehementiorem eſſe: quia aliquando minus vehementer ad diuerſas partes mouetur, vt cum humores fuerint minus acres, ac tenues. Veram exiſtere hanc explanationem eiuſdem verba declarant, quæ ſic habent: Tales ergo 50 vacuare oportet, hoc eſt, qui mouentur, & quoquo verſum feruntur per corpus, & fluunt.] Deinde humores in aliqua corporis parte firmati, licet ſuaptè natura ſint apti ad motum, non debent purgari, niſi prius concocti fuerint: at turgentes crudi vacuandi ſunt, vt Galenus ait hiſce verbis: Qui verò parte corporis quapiam firmati, impactique ſunt, eos nec medicari, nec alio vllo auxilio mouere oportet, prius quàm cocti fuerint.] Vrget præterea, quod omnes

febres ex bile intermittentes, & continuæ turgentes nuncupabuntur: quia concitatæ sunt ex humore maximam habente promptitudinem ad motum, quod quam absurdum sit asserere, nemo nescit. Amplius bilis concocta in venis ex huius opinione appellabitur turgens, quia apta est ad motum, & ab aliis humoribus secreta, atque ita nulla differentia foret inter humorem concoctum & turgentem. Præterea caussa, ob quam celeriter adhibere purgationem conuenit, est, vt caueantur pericula, quæ accidunt ex vehementi ac inordinato motu (quæ duo absoluunt essentiam materiæ turgentis) ipsorum humorum. 4. aphoris. 20. at qui non mouentur humores eiusmodi, non ferunt periculum. Verba Galeni ex lib. 3. de fracturis nihil ad propositum conferunt: quia pus contentum in abscessu dicitur turgere, quatenus festinat ad exitum extra abscessum: at hoc ipsum non indicat in pure purgantis pharmaci per inferiorem ventrem administrationem, sed vel sectionem abscessus, vel vacuationem insensibilem. Postremo tuam hanc imaginationem Galenus arguit in fine vndecimi commentarii, in quo dicit, venæ sectionem in ea descendente pleuritide tutiorem esse, licet non ita vtiliorem: at vero materiæ turgenti solum purgatio conuenit, minime autem venæ sectio.

Cap. VII.

Sanguinem non turgere, nec materiæ turgenti conuenire venæ sectionem, ex doctrina Hippocratis & Galeni.

v. Julii Caesaris Claudini Responsi: Medicinal: 2a pag: 86. ubi haec copiose tractant.

VT vim postremi huius argumenti deuitares, scripsisti Finetto, sanguinem etiam ipsum turgere posse, atque turgentiæ huius caussa venæ sectionem conuenire: ac idcirco Galenum in commentario dixisse, venæ sectionem securius, purgationem autem vtilius remedium existere. Quia vero vtrunque dictum videtur mihi falsum, in calce disputationis institutæ examinandum.

Primum sic insto: Humor turgens ab aliis seiunctus est; nam ita scribis: Hinc possumus conditiones, deinde signa materiæ turgentis explicare: est enim prima conditio & adęquata, vt ex sui natura aptissima sit eductioni, vt ex dictis constat: ex qua possumus reliquas methodo resolutiua inuestigare; neque enim aptissimus est vacuationi peculiaris humor, nisi à reliquis sit separatus, iuxta Galeni sententiam.] Atqui sanguis non est ab aliis humoribus secretus: ergo sanguis non turget. Secundo omnis humor turgens, calidissimus est, tenuissimus, & admodum acris, vt tu ipse etiam admittis: verum sanguis nec calidissimus, nec tenuissimus, nec acerrimus est. Tertio, vbi humor concoctus est, secundum tua principia, turgere potest aliquando; sed si demus, sanguinem esse concoctum, impossibilis est in ipso turgentia. aut enim sanguis naturaliter affectus concoquitur: aut præter naturam. In prima concoctione resultant humiditates secundæ alimentariæ, quæ singulis partibus apponuntur, agglutinantur, assimilantur. at has ipsas non turgere, certissimum est. In secunda vero coctione fit sedimentum in venis, & pus in abscessu ex sanguine putrefacto. Horum neutrum aptum natum est fluxioni. non pus, quia in abscessu, vt in ergastulo continetur. non sedimentum, quia semper in venis cum sero permistus est, turgere autem proprie dicitur, quod secretum ab aliis modo vnam, modo aliam partem petit. Quarto: Materiæ turgenti proprie debetur purgatio: Sic enim ait Hippocrates, concocta medicari & mouere, non cruda, nisi materia turgeat: plurima vero non turgent. Ac rursus: Vtero gerentes, si materia turgeat à quarto vsque ad septimum purgandæ sunt. & alibi: In morbis acutis si materia turgeat, eadem die medicari oportet: tardare enim malum est. Atqui sanguini nunquam debetur purgatio. Quinto, materia raro turget: at sanguis fluit frequentissime, non igitur turget. in omnibus enim inflammationibus sanguis vehementer fluit, suntque inflammmationes affectus frequentissimi. Sexto, si in pleuritide costas inferiores inuadente humor turget: turgebit etiam in pleuritide oc-

de occupante superiores; quia idem est affectus, materia, generationis modus, pars affecta, symptomata. Sed illam non vis fieri à materia turgente. Septimo, si sanguis turget in pleuritide inferiorum costarum, ergo venæ sectio principaliter illi conuenit, tanquam remedium magis iuuans. Verum Galenus contrarium dicit in commentario illius loci: nempe, purgans pharmacum magis iuuare: venæ sectionem minus, sed tamen esse magis tutam. Desideratque in recto pharmaci vsu cognitionem propriæ naturæ, quam si quis habuerit, illud efficaciter exhibebit. imo neque negat illius exhibitionem, etiam si incognita sit propria ægroti natura. In summa, mi Crispe, ita sentio, ac profiteor. Nunquam Hippocratem & Galenum, aliosque probatos authores dixisse turgere sanguinem. Humori turgenti solam deberi purgationem: nunquam autem venæ sectionem. In vtraque pleuritide ex sententia Hippocratis & Galeni conuenire venæ sectionem. Non fuisse locutum Hippocratem in vndecimo contextu libri secundi acutorum, de pleuritide occupante inferiores costas, sed de dolore hypocondriorum causato ex materia viscida & flatuosa. Vter autem nostrûm rectius sentiat, excellentissimus Iustinianus Finettus iudicabit. Vale, & me te plurimum amantem, redama. Ex vrbe Roma, die 24. Augusti. 1568.

ANTONIO LOBETTO MEDICO PRÆSTANTISSIMO.

Temperamentum in Galeni doctrina, nonnunquam pro substantia, nonnunquam pro accidenti sumendum: & quam vtrunq. pro curatione indicationem exhibeat.

TEMPERAMENTI nomen duobus modis apud Galenum sumi, vno pro substantiali forma; alio pro accidentali; atq; pro varia illius natura variam præbere indicationem curandi, nunc breuiter demonstrabo, non quidem vt tibi, viro doctissimo, id persuadeam, sed, vt tu ipse meas hasce legendas præbeas illis, qui mihi de hoc argumento disputanti, adhibere fidem recusarunt. Dico igitur, substantias elementorum ad mistionem venire suis qualitatibus præditas: neque enim possunt qualitates duntaxat ipsæ per se misceri, vt quæ per se consistere non possunt: cum vero substantiæ per se subsistant, harum proprie mistionem esse, atque temperationem dicimus. At substantia triplex est, materia, forma, & corpus ex materia, formaque compositum. formæ substantiales non dicuntur misceri, quia à materia seiunctæ, consistere non possunt; neque materia etiam potest ad mistionem accedere, quia actu nunquam est sine forma. Hinc solum ad mistionem idonea sunt corpora simplicia ex materia & forma consistentia, qualia sunt elementa, & quæ ex elementis constant, vt aqua & vinum: possunt enim in sese consistere, & rursus à mistione dissoluta abire in propriam naturam: de qua re locutus est Aristoteles libr. 1. de ortu & interitu, contextu 83. hisce verbis: non enim omni miscibile est omne, sed oportet esse vtrunq; separabile mixtorum, passionum autem nulla separabilis.] quod etiam Alexander Aphrodiseus libro de mistione statim à principio apertissime scribit. Quando igitur corpora inuicem miscentur, quæ per se substabant, ac in vnam naturam coeunt, tunc illa dicuntur mista, possuntque rursus segregata ad propriam subsistentiam, vt dicebat Hippocrates libro de hominis natura, reuerti, atq; hoc proprie dixerim esse κρᾶσιν, id est, temperamentum, quod Aristoteli mixtio est, nempe rerum miscibilium vnionem. Porro substantiæ ipsæ ad mistionem accedentes, alterantur quidem secundum se totæ, ac simul etiam alterantur illarum qualitates. Ego enim recipere non possum illorum opinionem, qui dixerunt, in mistione ipsa manere substantiam citra alterationem, cum adhæream antiquioribus contrarium statuentibus. Galenus quidem libro secundo de nat. facult. cap. 2. ita scribit: Iam quæ nutriuntur omnia, quod per tota se nu-

triantur: & quæ miſcentur omnia, quod per ſe tota miſceantur: pari modo, quæ alterantur omnia, quod per ſe tota alterentur Hippocratica ſimul, Ariſtotelicaq́; ſunt.] Hinc quidem fit, ſubſtantias ipſas miſcibiles per ſe totas inuicem eſſe miſtas, alteratas, confuſas: atque ſimul cum illis earundem qualitates erunt per ſe totæ miſtæ, alteratæ, confuſæ. ex his duplex reſultat in mixtis temperamentum: vnum ſubſtantiarum, aliud qualitatum. Illud nuncupari ſolet à Galeno nonnunquam forma & natura. eſtq́; illi authori ſubſtantiale temperamentum. Hoc autem formæ nomine nunquam donatum fuit, ſed nomine generis temperies appellatum, quæ accidentalis eſt forma. Illud ſane formam & naturam vocat, quia omnium naturalium operationum eſt author, quantum aſſequi ſenſus poteſt, atque vnumquodque miſtum tale eſt, ob temperiem calidi, frigidi, humidi, ac ſicci, aliorumq́ue ad ipſius conſtitutionem, miſtionemq́ue concurrentium: atque ob id vocatur etiam temperies, vt Galenus docuit primo aphoriſmorum, ac libro primo ac ſecundo de temperamentis. At longe ſecus ſtatuendum eſt de qualitatum commoderatione. Sed ne quid in hac materia ſit ambiguum, afferamus Galeni verba, quæ omnem è medio difficultatem tollent: ac primum quidem eos proponamus locos, qui agunt de ſubſtantiali temperamento. Primus locus ſit ex vndecimo methodi, capite primo, in quo agens de virium noſtrarum ſubſtantia, poſtquam dixit illas conſiſtere in ſpiritibus, ſubſtantia ſolida & carnoſa, addit, ex iis fieri temperamentum: de cuius loci explanatione alibi mihi diſputatum fuit. Deinde primo libro de elementis ſecundum Hippocratem cap. nono in hunc modum ſcribit. Et propterea, quo pacto ea, quæ miſcentur, per tota temperentur, ſolisne qualitatibus, vt Ariſtoteles ſentit, an potius ipſis etiam corporeis ſubſtantiis in ſeſe mutuo penetrantibus. &c.] quibus verbis notauit miſtionem, & craſim fieri potius ſubſtantiis ſeſe mutuo penetrantibus. præterea ſcribit etiam alibi, vires ipſum eſſe temperamentum, aut in temperamento conſiſtere: verba afferre placet in medium ex libro de plenitudine cap. 3. & de præſagione ex pulſib. primo cap. 4. ac primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, cap. primo. At in libro de elementis iuxta Hippocratem oſtendimus, ſubſtantiam eorum omnium, quæ generationi & interitui obnoxia ſunt, à quatuor qualitatibus immutari per totam. humore inquam, & ſiccitate, calore, & frigiditate: & ex harum certa quadam temperatura, omnium corporum ſubſtantiam, & proinde etiam virium earum, quæ corpus noſtrum gubernant, conſtare: quippe quæ non ſit, niſi ipſius temperamenti quędam proprietas.] Ac rurſus. Facultatis eſſentia ſingularum partium in ſingularum illarum poſita, commodo temperamento eſt. nam tum demum ſuum quæque munus obit ſtrenue, vbi ſit temperatiſſima: contra malè fungitur, ſi intemperata ſit: atque hactenus malè, quatenus ſit intemperata. ad eundem modum cordis corpus cum immodice refrigeratum ſit, calefactum, humectatum, deſiccatum, pulſus pro ſuæ intemperiei modo facit languidos, id quod illi eſt offenſam eſſe facultatem.] Poſtremo ita ſcribit alibi: Quare & nos, quia in libro de elementis ſecundum Hippocratem, ex calido, frigido, ſicco & humido cum aliorum omnium corpora, tum animantium conſtare oſtendimus, has effectricium facultatum eſſentias, tum in aliis omnibus, tum in medicamentis ſtatuemus. Sic autem & in tertio de temperamentis oſtenſum eſt.] Amplius de hoc temperamento ſecundum ſubſtantiam conſiderato loquitur Hippocrates libr. I. de hominis natura, text. II. cum ait: Niſi calidum cum frigido, ſiccum cum humido, mediocriter, mutuò, & æqualiter ſe habuerint: ſed alterum alteri plurimum præualeat, nulla vnquam generatio fieri poterit.] ac propterea paucis interpoſitis, concludens dicebat, craſim ipſam ex calido frigido, humido, & ſicco naturam eſſe tum animantium, tum cæterarum rerum omnium. Nempe (inquit) talis eſt tum animantium, tum cæterarum omnium natura.] porro nomine calidi, humidi, frigidi ac ſicci, conſueuiſſe Hippocratem ipſorum elementorum corpora intelligere, eſt vnicuique manifeſtum, & à Galeno apertiſſime declaratum primo de elementis, cap. 8. Confirmatur

natur tandem, quod Galenus calidum innatum vocauit naturam corporis, vt 1.aphoris.com.14.cum ait: Neque enim aliud quicquam est natura animalium præter innatum calidum, secundum Hippocratis opinionem: quoniam neque aliud quicquam animal ab initio afformauit, sicut neque rursus adauxit, ac vsque ad mortem enutriuit, præterquam iste calor innatus, de quo habetur sermo: hic enim est omnium operum naturalium caussa.] quod etiam repetit libr. 8. de placitis Hippocratis, & Platonis, ac libr. 6. de Morbis vulgaribus. Porrò si calidum innatum est natura, natura verò temperamentum, calidum innatum erit temperamentum. Atque calidum innatum semper substantia est, Galeni te-
10 stimonio lib. de conuulsione & palpitatione, cap. septimo. ac passim alibi. Porro sunt loci ferè sexcenti, quibus ille dicit, vnumquodque esse, quale est ob calidi, frigidi, humidi, ac sicci temperatione. quos de industria, vt notissimos prætermitto. igitur aliquando temperamentum pro substantia sumitur. Plura possem in huius opinionis confirmationem afferre in medium: sed hæc sufficiant. Nunc itaque sumi temperamenti nomen pro acccidentali forma, nempè pro dispositione, aut passione, ac vniuersaliter pro qualitate demonstremus eiusdem authoris testimonio. Quarto aphorism. comment. 39. ita scribit: Temperies naturalis est sanitas.] atqui sanitas in eodem genere cum morbo reponitur, quia contrariantur inuicem: contraria vero sunt, quæ po-
20 sita in eodem genere maxime distant, vt Aristot. inquit cap. de oppositis. Si ergo morbus accidens est, accidens etiam erit sanitas, & temperies. Deinde lib. 2. de nat. facult. cap. 8. multo apertius inquit: Temperies, & intemperies contrarię sunt, & sese mutuo expellunt.] at vero substantię nihil esse contrarium ex Aristotele constat. Huc pertinet quæ ab eodem scribuntur lib. 2. de tempera. c. 4. Intemperies (inquit) alia sanitatis, alia morbi est intemperies; morbi intemperies, quæ à media temperie lōgissime abest, sanitatis quæ paulum.] Rursus 1. de temperam. c. 3. Qualitas aliqua in ipsa temperatura si exuperet, intemperies, si amplius, morbus, si plurimum mors est.] ac denuo scribit lib. 5. de sanit. tuen. cap. 11. intemperies, quæ intra sanitatis limites sunt emendandæ, nem-
30 pè contrariis, si in otio sunt; similibus, si in negotio.] Vndecimo methodi meden. cap. 3. ait: Qualitatem ex ipsa temperie indicari, ac substantiæ repositionem ex deperdita substantia. Postremo eiuscemodi temperies, quatenus primarum qualitatum vnionem indicat altera excedente, aut calida, aut frigida, aut humida, aut, sicca, aut ex his compositam. Morbificæ caussæ rationem habet dum concors cum morbo, ac in vniuersum affectu præter naturam extiterit: quod affirmare de viribus, atque substantiali temperie non licere, adeo conspicuum est, vt de hac re dubitare neminem putauerim. Iam igitur videor explanasse duobus modis nomen temperiei à Galeno sumi, & aliquando significare naturam, formam, ac substantiam corporis: aliquando vero qualitatem,
40 dispositionem, ac in vniuersum accidens. Cæterum, quia frustra hæc videbimur fortassis inuestigasse, nisi vtilissimam esse hanc tractationem ad methodum medendi, ostenderemus, nunc demonstremus, indicationes curandi sumi diuersas, & vero maxime necessarias, ac vtiles, pro curandis corporibus, quod etiam nostram simul thesim confirmabit. Sed ne à Galeno, consuetudine alioquin nostra discedamus, primum ex eius decretis, illud scire volo, tria esse, quæ curationem omnem absoluunt. Affectus præter naturam, quem Galenus morbi nomine significauit. Affectus secundum naturam, qui ab eodem naturale temperamentum appellatur: ac postremo ambiens nos aer .Morbus quidem contraria indicat pro sui propulsione. temperamentum naturale, tan-
50 quam metrum, & mensura morbi. quantitatem remedii insinuat, ac terminum mensuramq; permutationis describit, atq; etiam sanationis facilitatem, & difficultatem. Aer ambiens inspirandi, ac expirandi necessitatem ostendens, maiorē minoremq; permutationis modum, & opportunitatem adhibēdorū remediorum indicat. Sed duobus prætermissis de quibus agere in præsentiarum nostra

non intereſt, de ſolo temperamento agentes, illud primo loco ſtatuere volo, Galenum hic temperamenti nomine ſignificare accidentalem diſpoſitionem, conſtitutionemq́ue corporis, hancq́; vnam ſumere, tanquam principium, curationem indicans: quod, vt planum fiat, illius verba afferenda ſunt in medium ex 9. lib. de methodo medendi, quæ ſic habent: Quoniam id, quod ægrotat, ei, quod valet, eſt contrarium, vtique per contrarium eſt ab illo in hac via. At quomodo, inquies, in contrariis inuenietur modus? non enim ſatis eſt calido affectui admouiſſe frigida, niſi id debita fiat menſura: cum alioquin metus ſit, ſi intra modum id fiat, ne morbi reliquum quidpiam relinquatur. Sin modum excedas, contrarium morbi genus inducas. Qui enim ſupra quam par eſt, calidum morbum refrigerat, is ſanitatis mediocritate tranſmiſſa, alium excitabit morbum, qui frigidus eſt, quod, quo minus accidat, naturam curandi corporis ſcias oportet: quo, quantũ corpus ab illius ſymmetria diſceſſerit, intelligens menſuram refrigeranti præſidio imponas. At fieri non poteſt, vt quantũ à ſe inuicem diſtent, inuenias, niſi compertum habeas, quam eſſet corpus, aut humidũ, aut frigidum, aut calidum, aut ſiccum cum valeret, quantumve ex his exceſſerit, poſtquam ægrotauit. quippe quod plurimum à naturali habitu receſſit, id vehementibus egeat contrariis, quod non plurimum leuibus. Quare ex vtriſq; indicatio curationis præſtetur, ex ſtatu inquam ſalubri & inſalubri. Ex iis deduco, quam ob cauſſam temperamentum naturale, quod idem omnino cum ſanitate ex Galeni placitis conſtituimus, ſit menſura ſtatus morboſi, atque ſanationis, permutationisq́; ipſius terminus. Eſt mẽſura, quia morbus à naturali ſymmetria recedit, aut per exceſſum ab illa, aut per defectum: ſit exempli gratia ſanitas conſtituta in exacta omnium qualitatum temperie, ita vt non magis, quam alia qualitas non deficiat, nec ſuperet. Morbus erit ex Ariſtotelis ſententia, quicquid à naturali ſymmetria deflectet: ſi vel vna qualitas abundet, excedatq́;, vel diminuta ſit: & prout, vel parum, vel multum, vel mediocriter excedit, deflectitq́ue à medio, ita ſtatuendus erit morbus aut paruus, aut magnus, aut mediocris. Quamobrem dum fit collatio ſtatus præter naturam cum ſtatu naturali, cognoſcimus quantitatem lapſus, eiuſq́ue magnitudinem ac paruitatem: in hunc modum temperies naturalis eſt menſura morbi. Eſt autem adeo neceſſaria cognitio menſuræ huius, vt ſine illa neque morbus cognoſci, neq; curari valeat. notitia quidem morbi pendet ex collatione cum ſanitate, ac propterea in relatione ad ſanationem, ſanationiſq́ue modum dicitur terminus. dum enim morbum propulſamus, aliud non quærimus, quam eam ſanitatem acquirere, quam homo habebat, anteaquam ægrotaret: ad quam, vbi peruentum fuerit, abſoluta curatio eſt. Rurſus quemadmodum alteratio facta à naturali temperie, tanquam à termino, à quo ad intemperiem conſtituit naturam morbi, ſic regreſſus ab intemperie ad ipſam ſanitatem, qui fit contrario motu, vt Galenus docet, ſanationis modus eſt, curationiſq́ue terminus. eſt poſtremo terminus, quia remedii quantitatem limitat, quia morbus calidus tot poſtulat pro ſanatione gradus frigiditatis, quot gradibus receſſit à naturali temperie: alioquin ſi adhibeamus plures, extincto calido morbo, frigidum introducemus: aut ſi paucioribus vtamur, omnino calidum morbum non propulſabimus. Hæc ſi vera ſunt, Lobette clariſſime, quis non cognoſcet, referri non poſſe hæc ad ſubſtantiale temperamentum? quis admittet hoc eſſe menſuram, metrum, terminumq́ue curationis? vel vt in ſumma dicam, vnum eſſe ex tribus principiis indicantibus curationem? Quid enim aliud eſt hoc ſubſtantiale temperamentum quam ſanitatis ac morbi ſubiectum, quod indifferenter modo illam, modo hanc ſuſcipiat: quamuis certe maiorem habere cum ſanitate, quam cum morbo familiaritatem videatur, longioriq́ue tempore cum illa conſiſtere appareat. Hinc corpora dicuntur aut ſana, aut ægrota. Si quiſpiam petierit ex me, quid ſit, quod proprie indicatur à temperamento ſubſtantiali, dicerem, quod cum re ipſa diuerſam habeat naturam ab ipſa ſanitate, ac naturali temperie ex qualitatum miſtione reſultante, diuerſam etiam indicationem exhibere: ea vero eſt continuo ſuam propriam conſeruare ſubſtantiam

per ſe

per se quidem, propriaque natura: cum in ipso animali nihil sit aliud hoc temperamentum, quam spirituum influentium, ac insitorum solidarum partium & carnosarũ symmetria, à qua curatiua quidem indicatio per se non sumitur, licet fortassis ex quoddam accidenti nihil impediat statuere, vires ipsas ad curationem conferre, curationemque indicare, vt Galenus hisce verbis libro 9. methodi medendi, cap. 13. significauit. Prima igitur indicatio est, quæ à virtute sumitur, verum non sic prima, vt quę curationem doceat, cum ex numero curatricum indicationum non sit. Verum (vt ita dixerim) vitalium, siue quæ ad vitæ custodiam pertinent: nam neque vt valeamus, neque vt à morbis vindice-10 mur ab ea quisquam primum desumimus, sed vt viuamus. additum autem est in sermone illud primum, quod ex accidenti aliquando virtutis roboratio ad affectus curationem conducit.] Hæc ille. Porro vt indicatio curatiua non est idem cum indicatione vitali, vt idem non est vita, quod sanitas: sic neque indicans curationem erit idem, quod indicans vitale. Temperies igitur, quatenus vnum est ex tribus primis, ac generalibus principiis indicationum curatiuarum, est mensura excessus intemperiei præter naturam, terminum curationis indicat simul cum remediorum quantitate. At temperamentum, vt supponit pro viribus, non est mensura excessus morbosi status, neque terminus sanationis, neque remediorum quantitatem indicat, imo neque remedia per se indicare po-20 test: sed propria indicatio ipsius substantiæ conseruatio ac impedimentum, ne nimis properè euanescat aut corrumpatur: at aliquid ex accidenti ad curationem confert, quæ diuersa esse inter se constat. Audiant ceruicosi illi Medici, qui in rebus alioquin, vt demonstraui, apertissimis adhibere consensum noluerunt, quid Galenus dicat primo acutorum com. 44. sic sane & cibandi scopum vnum communem prorsus, tum sanis, tum languentibus esse demonstrauimus: is autem facultatis vitalis custodia est, quam nunc manifeste explicuit, cum dixit, si validus fuerit. Ob eam sane facultatem sani edimus, bibimus, aliaq; omnia vitæ munia exequimur: propter hanc eandem & ægrotantes ad cibos potusq; procedimus. Nempe morbus suæ affectionis indicat auxilia: Vir-30 tutis verò custodia solam indicat alimoniam.] Sed quia de hac re satis videor dixisse, ac demonstrasse, temperamenti nomen sumi à Galeno quandoque pro dispositione & passione; aliquando pro substantia, nempe pro ipsis potissimum viribus & natiuo calido; habereq; singulum temperamentum, propriam indicationem distinctam. Relinquitur, vt iis acquiescant, qui mordicus contendebant; aut saltem, vt ego fidem illis adhibeam, meliora scribunt. Tu interim cura, vt valeas.

NICOLÆ CASANOVÆ A MONTE SANCTO MEDICO.

40

De vini vsu in febribus acutis disputatio aduersus Marcum Antonium Capellettum Calliensem, Camertium primarium Medicum, in qua de vini natura & differentijs ex Galeno quædam.

QVID de vini potu Marcus Antonius Capellettus in curatione febriũ, præsertim vero acutarum ad te scripserit, tum ex aliis audieram antea, tum nuperrime ex tuis audiui literis. Sed quia hominẽ aberrare puto, quid ego sentiam, accipe. Eritq; mihi certe quidem gratissimum, si de mea illum sententia certiorem feceris. Quia vero ille multa de vino docte videtur disputare, nunc duntaxat eam partem impugnandam suscipio, qua de vino exhibendo in acu-50 tis morbis agit. De aliis postea aliàs tractabo. Qui ergo scire voluerit, an vinum sit febricitantibus dandum, quale, quando, & quantum, hic quidem tria potissimum habere ob oculos debet. Primum, quid sit vinum, quæ sit eius facultas, & quæ differentiæ, (quantum tamen ad propositam tractationem per-

tinet) alias enim inuestigare superuacaneum est. Secundo loco morbi naturã, quem sanandum suscepimus, considerari debet. Postremum est virtutis robur, aut imbecillitas. ex horum enim notitia citra laborem, rectam methodum dandi vinum acute febricitantibus consequemur: de singulis capitibus agam, quoad eius fieri potest, breuissimis. Illud vero in primis statuamus, vt omnis è medio tollatur ambiguitas, non loqui nos de musto, id est, succo recenter ab vuis expresso; quia hoc ipsum naturam vini adhuc adeptum non est, ideoq; neq; nomen habere debet, nisi æquiuoce, vt homo pictus vel mortuus: hic liquor nullũ affert vsum ob crassitiem & flatum in medicina, siue pro sanis, siue pro ægrotis. Nomine igitur vini intelligimus liquorem ab vuis domesticis expressum, aut destillantem, ac in doliis proprio calore, & natura concoctum, ab omnibusque excrementis repurgatum. Huius duplex differentia est (quantum spectat ad tractationem nostram.) Aliud quidem aquosum, aliud vero non aquosum est. Declaro singulas differentias cum suis facultatibus. Aquosum Græci appellant ὀλιγόφορον, videtur autem natura vtriusque inter sese plurimum diuersa, vinum vtrumque re vera est, quia succus est, qui ex vuis vel exprimitur, vel liquatur: at vero temperamentum vtriusque non est idem. Nam aquosum frigidum est, aliud vero calidum. Nisi fortasse dixeris, vtrunque calidum, sed magnam latitudinem esse in eo, quod magis ac minus: frigidum nuncupari oligophorum alterius relatione, & ab effectu refrigerationis, quem facit ob caliditatem exiguam. Galenus de hoc edisserens vino, dicit, esse tenuis substantiæ, nullo prorsus sapore participare, & colore, album quatenus tenuem habet substantiam, facile penetrat, in visceribus ipsis non moratur, sudores, & vrinam mouet. Quatenus autem nullam habet qualitatem aut vinosam, aut dulcem, aut acerbam, aut acidam, aqueam habere naturam dicitur: nam aqua omnis qualitatis expers est. quod si in vino hoc posset adeo reperiri, vt in aqua, quis ambigeret frigidum esse temperamento, non quidem in comparatione ad aliud vinum, sed absoluto sermone. Et certe nunquam inuenies oligophorum vinum, ita ab omni qualitate nudatum, vt aquam referat: semper enim offendes aliquid saporis continere aciduli, aut acerbi, aut alterius. dixi aliquid, quia si multum habeat, iam quidem amplius nuncupari oligophorum non debebit. Et postremo album colore, cuius ratione distinguitur à nigris, à rubeis, & à flauis, siue fuluis, aliisque coloratis vinis. Atque licet color aliquam significationem præbeat, aut coniecturam temperamenti, ea tamen leuis est, minimeque necessaria, siquidem duplex vinum album est, vnum oligophoron, aliud vinosum: quemadmodum Hippocrates docuit libro tertio de ratione victus in morb. acut. dum sic ait: Etenim minus hoc vrinas mouet, quam vinosum album.] & paucis interpositis de eodem agit vinoso dicens: Album autem vinosum vinum laudatum quidem, & vituperatum plurimis, & maximis iam est in dulcis vini enarratione, ad vesicam vero vino altero magis penetrat, & diureticum existens. &c.] At vero de alio sic in fine illius tractationis concludit. Hoc vero insuper intelligere oportet, aquosum vinum supernas partes omnes, & eas, quæ circa vesicam sunt, minus lædere.] Hæc si vera sunt, manifestum faciunt quædam ex albis vinis reperiri vinosa, ideoq; calido temperamento prædita: Cum tamen Galenum id aliquando negasse constat, nam libro 12. Methodi medendi proponit tanquam vniuersale Theorema, non inueniri ex alborum genere calidum vllũ: quod sane præterquam quod pugnat cum Hippocrate, & cum se ipso in explanatione tertii acutorum, repugnat etiam experientiæ; cum in nonnullis regionibus Italiæ gustauerim vinum album vinosum: recensetq; etiam Brassauolus in Calabria fieri vinum album vinosum, quod colore ita aquam repræsentabat, vt positum in mensa deciperet conuiuantes. Quid igitur pro huius contradictionis explanatione statuendum est? An scilicet Galenum ibi locutum fuisse de vinis albis oligophoris, non autem in vniuersum de albis omnibus? Equidem loquebatur ibi de vinis, quę pro curatione syncopis conueniebant: dicitque non conuenire illis vina crassa, ceu noxia, quia non penetrabant cito vniuersum corpus: neque

Oligophorũ an distet tẽperamento ab aliis.

Oligophori conditiones.

Oligophorũ non esse expertem prorsus omnis qualitatis.

Color vini non præbet necessariam significationem temperamenti.

Vinum albũ duplex, vnũ oligophorũ, aliud vinosum.

Contradictio in Galeno de albo vino.

Contradictionis explicatio.

neque vtilia esse aquosa, & tenuia, & alba, quia licet facilem penetrationem haberent, tamen temperamēto sunt frigida, indigeatque affectus à crudorum humorum copia genitus calefacientibus, de oligophoris igitur duntaxat locutum fuisse cum dicit, nullum vinum album esse calidum asseuero. Sed satis de vinis albis tum oligophoris, tum vinosis diximus. Porro aliorum vinorum differentię sunt multę, quarum aliæ à saporibus, aliæ à caloribus, aliæ, rursus ab odoribus sumuntur. A saporibus, quia vinorum quoddam est dulce, aliud acidum aliud austerum, aliud variis saporibus præditum. A colore, quia aliud est rubeum, aliud nigrum, aliud fuluum. Ab odore, quia aliud est odoratum, aliud nō odoratum. Dulce quidem vinum minus grauat caput, quam vinosum, & minus mensem ferit, & magis deiectiones mouet per intestinum, quam alterum: facit autem viscera magna, vt iecur, & lienē. Non est igitur (inquit Hippocrates) conueniens picrocolis, quia siticulosus est talibus. Verū & flatuosum intestinis superioribus: non quidem inimicū intestinis infernis secundum rationē flatus. Atqui non valde penetrans est flatus à dulci vino, sed moratur circa hypocondria. Sputum autem magis educit, quod dulce est, quam alterum. et sane quibus epotum siticulosum est, his minus, quam vinum alterum educit. Hæc notari velim, quæ significant abusum in vinis dulcibus vsurpandis pro facilitando sputo: in corporibus. n. multa abundantibus bile non conuenit dulce vinum, cum in illis conuertatur in bilem: sitque siticulosum, minus educat sputum, quam vinosum, resiccat pulmonem, auget bilem, morbum reddit sicciorem. Ergo si multa in thorace adsit cacochymia biliosa, vel pleuritis, vel pneumonia huiusmodi, vel ex destillatione aggregata, caueri debebit vsus vini dulcis: imo etiam aliarum omniū dulcium potionum, & elegmatum: neque vbi magis facilitare sputū debemus, augenda est in potionibus dulcedo citra delectum: in biliosis quidem semper minuenda est, ac multoties obseruatum est exiguum zuchari, aut mellis multo magis expurgare thoracem multa aqua mistum, quam zuchari, aut mellis multa quantitas, cum exigua portione ipsius aquę; imo non raro vsu venit solam aquam ex hordeo decocto paratam iuuare magis, quam elegmata, aut mulsam aut syrupum, aut aliud eiusdem generis. Cæterum quod attinet ad vina fulua, & nigra, præstat pro Hypothesi habere, quæ ab Hippocrate dicuntur, quorum, summa est. Illud capitis grauitatem inferre, mentem percutere, impedire sputum, vrinam non prouocare, aluum humidum, ac fluentem iuuare: in vniuersumq; vinum omne, excepto oligophoro, calefacere, & exiccare. licet quidam dixerint, vinum humectare quatenus alimentum est, vt vero medicamentum siccare: præsertim vero vinosum ipsum, idest odoratum, & calidissimum hisce facultatibus esse præditum. Satis multa de vinis, plura ad hanc tractationem non pertinent, de quibus diligentissime tractarūt alii, præsertim vero Ludouicus pater Philosophus, & Medicus præstantissimus. Quod attinet ad morbum, duo scienda sunt, vnum illius genus quod febris est. Aliud est particularis febris natura. Febris in vniuersū passio est calida & sicca: quæ aliquādo plurimū vrget, aliquādo parum: vrget plurimum, cum in corpore calido & sicco consistit, in consimili ceęli statu, in humoribusq; calidis inhærescit. Non viget ita cum incidit in corpore contrariis dispositionibus prædito. Iam vero speciatim considerare febrē oportebit, vt tertianam, continuam ardentem, intermittentem, exquisitam, notam cum his aut illis symptomatis annexam: ex quorum varietate vsum vini continget variari. Postremum vero illud animaduertendum est, an vires valeant, vel imbecillæ sint. Valere illas cognoscemus, si corpus multo abundauerit sanguine, si ætate floruerit, si bono fuerit temperamento prēditus, ac, vt vno verbo dicam, si spiritus solidæ partes, & carnosæ bene temperatæ fuerint. At si vitiosis humoribus refertum, si puer, aut senex, si malam temperiem habuerit, colligemus imbecillitatē adesse viriū. Hæc quę dixi de validis ac imbecillis viribus, exempli duntaxat gratia proposita sint: diligens enim illarum tractatio pertinet ad aliud institutum: Nunc satis sit admonuisse vires prout sunt validæ, aut imbecillæ vini vsum aut admittere, aut interdicere. De qua re sigillatim disse-

Aliorum vinorum differentiæ.

A saporibus à coloribus ab odorib.

Vini dulcis facultas.

Vinum dulce non conuenit picrocolis.

Fuluorū rubrorū, & nigrorum vinorum facultates ex Hippocrate.

Circa morbum quæ cura[n]*da sint.*

Vires validæ ac imbecillæ ex quibus nō[s]*cendum.*

Vinum non est vtile se-

rere incipio, indicatione ſumpta à febre, vt febris eſt, vinum non videtur vtile febricitantibus: quia illius remedium perpetuò indicatum à rei, de qua agitur, natura, eſt refrigeratio, & humectatio: ideoque aquæ potus eſt materia remedii indicati à febre, ſecundum propriam naturam qua febris eſt, vt paſſim docuit Galenus ſeptimo, & octauo methodi medendi. Vinum quidem calidum, præſertim vinoſum inter morbificas cauſſas febris recenſeri debet: Oligophorū tamen hic excipiamus: quod omnibus ephemeris, ac hecticis vtiliſſimum cēſetur: in his nullo tempore non conuenit: in illis verò vbi declinauerit febris, aut omnino intermiſerit. Neque in putridis illud impediri debet, quando facta fuerit humorum vacuatio, tunc enim refrigerando, vrinas prouocando, non mediocrem afferre poterit vtilitatem. De acutis porrò febribus diſtingendum cenſeo: aut enim iuuadunt citra inflammationem viſcerum, aut cum inflammatione, ac rurſus inflammatio vel in thorace conſiſtit, vt pleuritis, ac pneumonia; vel in aliis partibus, vt in iecinore, & renibus. His in hunc modum ſuppoſitis, nunc videamus, quid ille de vini potu ſtatuat. Affero primùm eius verba. In acutis febribus (inquit Capellettus) vinum aquoſum ſemper dari poteſt: quia cum ſemper vigeat indicatio refrigerationis, nulla quidem cauſſa adeſſe poteſt, quæ illius vſum impediat, cum eiuſcemodi vinum refrigerandi vim ſemper habeat. Additque præterea, ſi illius copia non ſit (neque enim vbique reperiuntur, & verò Picenum, quod alioquin vinis atque iis generoſis abundat, aquoſo caret vino) dandum eſt generoſum, vinoſumque, ſiue fuluum, ſiue rubeum aqua temperatum. Hæc dum ille dicit; Nicolae cariſſime, magis videntur mihi Liberi Patris, quàm Medici munera ſuſcipere. Age ſecum diſputemus. In acutis morbis conuenire poſſe oligophorum non eſt ambigendum: quia vt prætermittam Hippocratis atque Galeni teſtimonium, ratio ipſa manifeſtam fidem præbet. at in eo adeſſe errorem manifeſtiſſimum video, quòd dicat ſemper dari poſſe: Secundo quod pro oligophoro generoſum, vinoſumque ſubſtituat aqua dilutum. Tertio, quòd rubeum generoſum admittit. Quis. n. oligophoro vino vteretur non antea diligenter vacuato corpore? iam quidem opus eſt, anteaquam ad detergendas obſtructiones accedamus, prius vacuationem totius corporis adhibere; nā alioquin non leue periculum imminet, ne obſtructiones ipſas magis impingamus, vt Galenus declarauit octauo methodi medēdi capite quarto, & vndecimo methodi cap. 10. At oligophorū vinum deobſtruit, detergitq;: ergo non conuenit illius adminiſtratio, niſi prius vacuatio præceſſerit. Deobſtruere eiuſcemodi vinum illius ſubſtantia indicat, & effectus. Subſtātia, quia tenuis eſt, & penetrans; Effectus, quia Hippocrate authore, ſudores ac vrinā mouet. Periculoſum autem eſſe vrinam, ſudoremque mouentibus vti; non vacuato antea corpore, axioma eſt Medicum. Confirmo, quæ dixi, ex eiuſdem Galeni verbis primo libro ad Glauconem, capite de curatione quotidianæ, in quo ille dicit, vtēdum eſſe oximelite poſt primos dies; quæſierim cur illud primis diebus non exhibeat. primis (inquam ego) diebus non dat oximel, quia in illis vacuationi incumbit totius corporis, vt impediat affluxum humorum ad obſtructionis locum. Habebit ille fortaſſis aliquid, quod reſpondeat, nempè vinum oligophorum propriè non mouere vrinas, quod enim huiuſmodi eſt, calidum eſt receſſu ferè tertio, aut etiam parum ſupra: at hoc vinum nō eſt huiuſmodi. Verum hæc inanis reſponſio eſt. An oximel vrinam propriè mouet? certum eſt, non eſſe propriè vreticum, tamen Galenus præcipit dandum non eſſe illud pro curatione quotidianæ in primis diebus. An alia deobſtruentia diuretica verè ſunt? certè nihil eſt ambigendum. Deinde verò licet propriè diureticum non ſit huiuſmodi vinum, ob tenuitatem ſubſtantię accedit ad illud: at quidem nunquam poſſunt vſurpari hæc ſine periculo. Hactenus expugnauimus primum illius agmen: Non erit fortaſſis magis operoſum expugnare ſecundum. Vinoſum vinum omne odoratum eſt: & quo vapores multos emittit, capiti maximè noxium eſt, caliditate porrò ſemper febrem auget. Aqua, inquit, dilutum amittet odorem, ſaporem, in ſumma vinoſitatem, vt ita dicam, ſuam. Hic ego primum

Oligophorū ephemeris, hecticis, ac putridis vtile, & quando dari debeat.

Capelletti opinio de vino exhibendo in acutis febribus.

Oligophoro vino non vtendum anteaquā corpus vacuatum fuerit.

mum petierim ab illo, qua vrgente indicatione eiusmodi vinum bibendum prębeat in morborum principiis: quia (inquit) coctionem adiuuat, roborat, putredini resistit, Galeni testimonio octauo de composit. medic. local. cap. 7. Responsio certè egregia, & authore digna. Multa quidem remedia sunt, quæ suo tempore data, iuuant, at contra, alieno non modo non prosunt, sed maxime omnium lædunt. Vinum coctionem adiuuat, eandem promouet aquæ potus, balneum frigidæ, quies, somnus, & alia eius generis multa, quorū meminimus, vt scis, in vniuersali methodo. at nisi quispiam distinctionē adhibeat, inuenire non poterit, quomodo ab iis, vt à contrariis, vnus affectus originem habere possit. Adiuuant coctionem nonnulla quidem calorem naturalem, ac proprium roborando, vt in hydrope contingit, in malo habitu, καχεξίαν Græci vocant, in summa vbi ex caloris imbecillitate cruditates adsunt, in hoc genere multa sunt, præcipuè quæ cum caliditate amica sunt naturæ nostræ, in quorum numero vinum primas partes tenere non dubito, de quo etiam proposita ab illo ex Galeno sententia intelligenda est: qui etiam tertio de temperam. c. 2. ait: vinum verò, vt assimiletur opus desiderat minimum, quo fit, vt tum nutriat, tum roboret celerrime.] Adiuuant præterea quædam calorem ignitum contemperando, & supremum caliditatis gradum remouendo, cuius caussa à sua naturalitate deflectebat calor naturalis: in hunc modum, quæ refrigerant, coctionem adiuuare dicuntur: vt frigida potus & syrupi, aliaque, vt summatim dicam, refrigerantia medicamenta, quæ in febribus huius indicationis caussa sunt exercenda. Sed si vinum exhiberetur, vtique non corrigerentur caussæ putredinis, sed augerentur: Duæ enim illæ sunt, vna ex parte agentis, vt calor igneus, siue præter naturam: alia materia humida. vt ergo calorem emendemus alienum, refrigerantia sunt vtilia, non calefacientia. Præterea, vinum oligophorum coctionem non adiuuat augendo calorem naturalem, sed potius refrigerando. Sed Galenus libro 8. de comp. med. loc. agit de vino generoso & vinoso: at vult Capelletus, vinum dilutum habere eandem vim, quam habet oligophorum: quia substituit illud in alterius loco: Galeni vero sententiam de huiusmodi vino non esse intelligendam, omnes norunt, quia accurate legere voluerint eum locum. Quædam addere volo, vt ceruicosissimis quibusdam satisfaciam Medicis, Galenus eo loci examinat Andromachi antidotum cyphoidem nuncupatam ac hepaticos, & varia thoracis vitia, quæ antidotus vino excipiebatur. Declarat examinatque singula simplicia pharmaca, & postremum agens de vino, hęc dicebat: & ob id etiam vinum conuenientissimum est citra inflammationem, aut erisipelas, aut abscessum, aut calidam intemperaturam, ęgrotantibus. Nam & nutrit, & concoquit, & roborat, & putrefactioni resistit.] hęc Galenus. quæ adeo manifestè indicant illum extra omnem rationem eum locum protulisse, vt, nisi fallor, dubitandi locus non sit. notet, Galenum dixisse, citra calidam intemperaturam illud vinum conuenire: ergo generosum vinum adhibet calefaciensque, & ex eo cyphoidem antidotum parat. Amplius, si ardens febris est intemperies maximè calida totius corporis, è cordis incendio procreata, iam quidem cur non exhibeantur refrigerantia pręsidia? cur pro potu magis non dabitur aqua mulsa dilutissima, aut hordei decoctum, aut aliud id genus? à quibus contemperato calore atque ad suam symetriam reducto, putredinis caussa efficiens è medio remoueretur. Postremo vrget illum, quod quantumuis generosum vinum diluas, tamen semper vaporosum est: si pauca aquæ portio misceatur, vapores magis edit vinum, imo tunc potentius redditur ob exiguam contrarii mixtionem. nam dictum aliquando fuisse ab Aristotele, noui vinum exigua mistum aqua magis inebriare. *Si vero multa sit aquæ perfusio*, neque corroborabit, neque concoctionem iuuabit, neque etiam præterea desinet vaporosum esse; nihil autem in acutis febribus inueniri potest detestabilius, in quibus dolores capitis facere solent negotium frequentissimum ægrotis. Rem in hunc modum habere colligere possumus ex verbis Hippocratis, libro tertio de ratione victus in morbis acutis, in quo vult vinum oligophorū,

Coctionem iuuari à calidis & à frigidis.

ne caput tentet, aqua miſcendum eſſe. Quid ergo fiet in generoſo? oportebit tã-
tum aquę miſcere, vt omnino vini natura corrũpatur: atq; tunc, quomodo robo-
rare, & concoquere poſſit non video. Pręterea vinã generoſum aqua mixtũ
fit diureticum: aqua enim vino penetrationem addit: verũ, vt ſupra dicebamus
, de oligophoro, diuretica nõ conueniunt in principio putridarũ febriũ. Hacte-
nus de vi generoſo limphato, vt ille dicit. Reliquum eſt, vt de nigro, rubeoq; di-
camus. Ait ille. Vinum generoſum, fuluum, aut rubeum, aut nigum aqua tem-
peratum dari poteſt in acutarum principio pro vino oligophoro] Hic niſi, deci-
pior, multo magis aberrat. Vina enim fulua maximè vinoſa ſunt, caputq; feriunt,
(vt Hippocrates inquit,) & craſſarum partium videntur, ita vt neque febris ar-
dorem extinguere, neq; vrinas prouocare, neq; ſudores mouere poſſint. Si quæ
vero dulcia ſũt, nõ in hoc modo genere, ſed in aliis omnib. in bilioſis febrib. qua-
les acutę perhibentur, minimè conueniunt, cum adaugeant bilem, vt ex Hip-
pocrate ſupra demonſtratum fuit. Porro ex vinis rubeis, quędam generoſa ne-
que minus nobilia conſpiciuntur in monte Caleno apud Pedemontanos, quam
antiquitus fuerint Romanis Cecuba illa, ſpumantiaque Falerna, quæ ſi febrici-
tantibus exhiberentur, ſtatim occiderent. Quę vero non ſunt adeo generoſa,
adſtringunt illa quidem ita, vt nequeant pro ſanandis eiuſcemodi febribus vſur-
pari: ac multo magis nigra. adde quod vtrunque multum nutriens copiam auget
ſanguinis at inchoantibus hiſce febribus indigemus euacuantibus ſanguinem
deobſtruentibusque, ac refrigerantibus: ſed de Capelletti opinione ſatis. Ego

Augenii opinio.

putauerim abſtinendum à vino omni, indicatione ſumpta à morbo vſque ad
14. diem. acuti enim morbi Hippocratis teſtimonio libro ſecundo Aphoriſmo-
rum in quatuordecim diebus terminantur, aut certè habent dies quatuordecim
vehementiæ vt Galenus dicit in explanatione illius aphoriſmi. in hoc igitur ſpa-
tio temporis, quoniam multum viget febrilis ęſtus, ſymptomataque ſęua ſunt,
dolor pręſertim capitis negotium facit, vigilię inſtant, quibuſdam delirium, aut
naturę iudicium adeſt, tunc abſtinentes à vino dabimus pro potu hordeaceam
miſtam ſyrupo acetoſo ſimplici, aut iulepo violato, aut oxizachara, aut ſyrupo de
ſucco limonum, aut aliud id genus refrigerans excogitabimus pręſidium. Poſt-
quam vero natura euicerit morbum, tunc, quia defatigata eſt, iamque reddita
aliqua ex parte imbecilla, oportebit reſtaurare illam vino, & pleniori victu.
Quamobrem abſtinedum eſt à vino vſque ad vltimam partem vigoris: dandũ-
que in hac parte, per totam ve declinationem vtendum eſt, eligendumq́ue vi-
num inter oligophorum, & vinoſum, mediocre: eſtq́ue miſcenda aqua ea pro-
portione, quæ iudicari poſſit extincta vini acrimonia: putauerim ſufficere terti-
am partem: aut dandum eſt vinum meracum, atque ſtatim poſtea aqua ſuper-
bibenda eſt, quemadmodum ſcribit Hippocrates lib. 3. de morb. acutis tex. 41.
cum ait: Suſpicanti aut in his morbis capitis grauitatem fortem, aut mentis per-
culſionem, omnino abſtinendum eſt à vino: aqua vero in huiuſmodi vtendum
ut aquoſum, & album omnino dandum eſt vinum, & omnino ſine odore, &
poſt illius potum aquæ parum ſuperbibendum eſt. Ita enim robur vini minus
percutit caput, & mentem. Hæc Hippocratis verba de induſtria afferre volui
vt omnes intelligant, quam ille ſit veritus potum vini oligophori in morbis a-
cutis, cum præcipiat, poſtea bibendam aquam ad frangendum robur ipſius vini.
nam ſi timet ab huiuſmodi vino, cur non magis timebit à vinoſo? deinde, vt ſig-
nificarem nos ab illius mente nõ diſcedere cum pręcipimus noſtris ęgrotis poſt
meum aquam bibere: in mediocri vino ſufficiet tantundem aquę, in oligopho-
ro tertia, aut quarta pars. Duo hic videntur mihi facere difficultatem, alterum
quidem, an abſtinendum à vino vbi vires imbecilliores ſeſe offerunt, quam iu-
dicari poſſit, vſq; ad vigorem poſſe conſiſtere. Aliud eſt conſuetudo bibẽdi vi-
nũ, & abſtinentia ab aquę potu. Nonnullos quidem olim noui, qui perpetuò
vomebant ex aquę potu, reſtituto illis vino, poſtea vomitus ceſſauit. Reſpon-
deo in huiuſcemodi caſu dandum eſſe vinum non indicatione ſũmpta à morbo
eiusq; cauſſis, ſed à virib. Magis enim incũbendum eſt indicatione vitali, quam
curati-

De aqua portione miſcenda cum vino

Dubitationes duæ.

Explicatio dubitationis primæ

curatiuæ: quia illa respicit vitam, hæc vero sanitatem, vt ex Galeno docuimus in annotationibus in nonum librum de Methodo medendi. Scio à quibusdam fuisse scriptum, si in ægroto adsit promptitudo ad syncopin, atque ad phrenitidē, cōueniatque uinum ratione illius, interdicaturque huius respectu, tunc quidem magis incumbendum esse syncopi, phrenitidi, vt puta præbenti indicationem vitalem, qua nulla præstantior est in artis operibus.

Vino vtendum existente virtute imbecilla.

Quod attinet ad consuetudinem, hanc etiam plurimi facere oportere, ab Hippocrate scriptum fuit, libro tertio de ratione victus in morbis acutis, nosque quotidie obseruamus in factitanda medicina.

Vinum consuetis quando sit exhibēdum.

Ergo si quispiam abhorreat ex natura aquæ potum, semperque assuetus fuerit vino, vtique etiamsi acuta detineatur febri, conueniet dare vinum oligophorum, quod etiam si circa caput male habuerit ægrotus, tantillo aquæ permistum tutiorem illius reddemus potum vigorem, vt Hippocrates dicit, vini obtundentes. Hoc tamen semper caueri velim, vt anteaquam id exhibeatur, experiamur medicatas potiones alias, præsertim acidulas, quæ gustui solent esse admodum gratæ, atque si neque has ferre poterit ægrotus, culpa non erit dignus artifex, si hac vrgente necessitate vinum eius generis exhibeat. Aliud etiam memoriæ commendandum est, cuius supra meminimus, tutissimum esse ante vsū vini, euacuare, expurgareque vniuersum corpus. atque hæc mihi dicta sint de vini potu in acutis febribus sine inflammatione. Si vero acuta sit febris cum inflammatione, distinguere (vt diximus) oportet, quia aut in thorace, aut extra thoracem consistit. De vtroque affectu petractemus, ac primum. In pleuritide, atque pneumonia, quid sentiendum sit, doceamus.

Dulcia vina conuenire pleuritidi & pneumoniæ.

Si, quæ faciliorem reddunt sputum, vtroque morbo conueniunt, vt conuenire docet illorum natura, vinum quoddam erit, vt medicamētum vtile: quod scilicet adiuuare poterit huiuscemodi expectationem. Hoc autem vinum dulce est, quemadmodum ex Hippocrate demonstrauimus. Quia vero dulcium vinorum quędam alba, quædam rubra, quædam nigra, quędam flaua sunt, aut fulua, non videtur facile explicari posse quodnam exhiberi debeat: & quando pleuriticus potare vinum debeat: ac postremo, an in omni pleuritide, pneumoniaque conueniat. Si ergo vinum desideratur solum vt medicamentum, quod expectorandi facultatem habebat, album videbitur cęteris præstare:

Vinum an album dare debeat.

nam aliorum quædam ob substantiæ maiorem crassitatem, & similitudinem, & affinitatem cum sanguine, magis nutriunt albo: & quo tempore expectorationem molimur, nutritioni non est incumbendum. Album vero, licet quatenus dulce, crassum etiam sit, non tamen æque crassum est. At hic addere etiam placet, vina rubea, & nigra habere vt plurimū adstringendi facultatem, quæ pro expectoratione est invtilis, ex vinis porro dulcibus vinosa, & vaporosa deuitanda sunt, licet dulcia, vt plurimum non sint vinosa, propterea ex vino dulci non facile inebriari solent potatores, quia ille sapor vini proprius non est, sed alienus videtur Aristoteli, libro 3. problematum. flaua, & pallida post alba, sunt magis vtilia; quemadmodum rubea magis, quam nigra. Etenim in hisce postremis generibus vix tanta inueniri potest dulcedo, quanta in albis, pallidis, ac flauis: habent etiam, vt prędixi, non nihil astrictionis multum cum dulcedine. Considerari præterea debent vina secundum regionem.

Vina generosa apud Pedemontanos.

In Cismontanis regionibus, præsertim prope Taurinum, quæ omnium metropolis est, alba vina, flaua, pallidaque generosa, & vinosa nondum obseruaui. Dulcia rarissima sunt. Optima tamen in Marchia Montisferrati gustaui, præsertim Riualbæ, quod oppidum est sub ditione Dominorum de Ruere, & in Casali Borgono, aliisue circumuicinis oppidis. Nigrum vero ac rubrum in Monte Caleno omnis generis adeo præstans inuenitur, vt ausim dicere superare Cecuba, & Falerna, & si quæ alia memorauit antiquitas vina preciosa. Rubeum præstantissimum claretum est, maxime vero Castri veteris: Quod substrata vulgo dicitur, minus rubeum, ex eisdem tamen vuis factum potissimum, generosissimumque experimur. referunt hæc rubinum colore, substātiam tenuissimam habent, quæ facile etiam per vrinam reddi solēt. Nigra crassiora sunt magisque adstringentia.

Vina Piceni

At in Piceno, in quo vina adsunt nobilia, palli-

dum, flauumque præstat. Rubeum quidem ac nigrum omne ibi adstringens est, crassius longe, quam apud Pedemontanos, Cingulani tamen montes excedunt omnes, vt ego arbitror, regiones: in iis quidem montibus gustabitur omne vinorum genus nobilissimum, præsertim vero dulce, admodum simile Falerno, quod Romæ, nisi decipior, nuncupatur Magnaguerra. In Aluacina oppido Fabrianensium vinum fit omnibus numeris absolutum. Reliqua montanarum regionum, quæ coctione vina solent asseruare, non ita laudari possunt. admittuntur nihilominus in curandis morbis ratione consuetudinis: imo incolæ montium degustare vix posśũt citra damnum, quod in maritimis oris fit citra coctionem vinum, quod in eorunt ventriculo acescere profiteantur, & èccontra harũ 10 incolæ, odorata illa vina, maxime sicca, & terrestria coctione, vt dixi parata, coquere, & transmutare non possunt. Habemus etiam in Monte Sancto communi patria vinum tum p̱ sanitate conseruanda, tum pro morbis propulsandis optimum. Aquosum quidem est, quod infra sanctum Girium fit: vineæ vero collium, Orientem potissimum aspicientium, in omni genere nobile vinum proferunt. Hæc dico tibi, quia oportet Medicum, ne singula prosequar, naturam cognoscere ipsius regionis, in qua facere medicinam debet. Nõ est porro vtile, inchoante pleuritide vinum gustare, sed tunc, cum iam incipit os ipsum humectari, & materia in thorace contenta expectorari. & quanto magis augetur expurgatio, tanto magis augere sorbitionem debet ægrotus, vt Hippoc. ait primo 20 libro, & tertio de ratione vict. in morb. acut. nisi enim Medicus, morbo existẽte sicco, prius reuellat fluxionem, vacuetque multitudinẽ sanguinis vtiq; exhibẽs vinum, præcipitem dabit in mortem ægrotum: imo neque conuenit huic ptissana, vt olim declaraui in tractatione de hoc argumento, ad Ludouicum Patrem. At vbi morbus concoqui incipit, vinum dulce lambat, idque calidum (sic enim facilius promouebit sputum) nam frigidum thoraci obest. Illud vero facere difficultatem videtur, quod Hippocrates in siccis inflammationibus thoracis damnet ptissanam, at vinum laudet: quod si ita sit, cõueniet potare vinum in pleuritide cruda: tunc enim, vt alibi declaratum est mihi, siccus affectus est. Affero senis verba ex primo libro de Ratione victus in morb. acutis: De adiectione autem 30 in sorbitionis multitudinem, si sane siccior sit morbus, quam quis existimet, non oportet mulsamdare, sed præbere ante sorbitionem aut mulsam, aut vinum aut quodcunque magis quadrabit: quod sit autem accommodatissimum, in singulis modis dicetur.]hæc ille. Ex quibus constat exhibere vinum anteaquam det potandam & sorbendam ptissanam, aut mulsam loco vini. Vtrum autem magis expediat, pollicetur declaraturum in sequentibus. Est locus difficilis, quia nullibi quod sciam docuit, quando ante sorbitionem ptissanæ sit vtile vinum bibere: eoque magis videtur difficilior, quod non videatur Galeni explanatio satis conueniens: si inquit, morbus maiori humectatione indiget, quam inferri 40 possit à ptissana, antea vtendum est aut mulsa, aut vino, nam certissimum est, non esse mulsam, aut vinum magis humidum ptissana. Sebastianus Augenius Paparella locum hisce verbis interpretatur: Insuper animaduertendum (inquit) quod Hippocrates, & Galenus libro primo, de rat. vic. in morb. acut. 22. admonent, in pulmonis subcingentisq; membranæ inflammatione, vbi oris, fauciumque siccitas aderit, os vino lymphato abluendum esse ad fauces humectandas, & præcipuè ante sorbitionum assumptionem, & nihil inde mali formidãt.]hæc fratris mei explanatio, licet satis videatur ingeniosa, est tamen, nisi fallor, reiicienda: quia non agit Hippocrates de morbo, quatenus oris inuehit siccitatem, sed quatenus crudus, & siccus ęst, ita vt nihil per tussim ipsam reiectet: aut pauca expurgatio non sit, propterea non ad os abluendũ, vero ad humectãdas, ac detergẽdas 50 thoracis partes illis vtitur. Deinde os ipsum siccum multò magis humectaretur aqua hordei, aut lotione ptissanæ, quã mulsa, quę magis ob mel siccat, aut vino, q̃ natura sua est calidũ & siccũ in relatione ad medicamẽt. um Aliud igitur animo concipio, quàm vel à Galeno, vel ab aliis explanatorib. dictũ sit, nẽpè in hoc ipso

Pleuriticis, & pneumonicis quo tẽpore dandũ sit vinum.

Explanatio sententiæ Hippocratis aduersus Galenum.

contex-

contextu non negari vſum ptiſanæ, ſed ſolum interdicere eius incrementum, neque etiam colligi aliquando poſſe, in principio pleuritidis vinum Hippocratem præbuiſſe. Declaro vtrunque. Non agit in ea particula de danda ptiſana, ſed de augenda quantitate ſorbitionis: at certum eſt, incrementum quantitatis vſum ſupponere illius, propterea dicit de adiectione autem in ſorbitionis multitudinem.] quæ verba ſtatim opinionis meæ veritatem indicant. ſtatuit morbũ iam concoctum eſſe, non tamen abſolutè: alioquin non iniret conſilium de augenda ptiſana: crudo enim morbo exiſtente, in quo nihil prorſus exſpuitur, victu exactè tenui vtendum, ac etiam tenuiſſimo: at cùm concoqui incipit morbus, ſorbitio augeri debet. Quantum verò debeat augeri, & quomodo, hic admodum dilucide ſignificauit, ſumpta potiſſimum indicatione à natura rei: nam aut multum concoquitur, aut parum, ſi multum, nullam difficultatem habet, quin pro natura expurgationis à thorace debeat augeri ſorbitio, vt ipſe declarabit infra. Sed ſi exigua ſit concoctio, adeo quod morbus licet remittat aliquid ex thorace, tamen cum difficultate id remittit, eſtque glutinoſum, tunc non oportet multam dare ptiſſanam illam ſcilicet augendo, quia ptiſſana non poteſt detergere materiam admodum viſcidam, & nihilominus tamen indigemus magis detergentibus, humectantibusque thoracē; augenda quidem tunc ſorbitio eſt, dando ante ptiſſanam eodem die, hora videlicet vna, aut duabus antea, vel mulſam, vel vinum, prout magis expedire iudicabitur. vel etiam immediate exhibendo ante ptiſſanam, aut vinum, aut mulſam, in hunc modum ſorbitionem augebimus pro detergendis pulmonibus & non augebimus ptiſſanæ cremorē: ideo dicit in textu hæc verba. Si ſane ſiccior ſit morbus, quàm quis exiſtimet:] id eſt, ſi morbum cognouerimus iam concoqui, tamen coctio ſit exigua, ſpuitioque ſit ex humore admodum viſcido: tunc inquit non oportet mulſam dare:] nempe ptiſſanam: hic ergo non interdicit ptiſſanam, ſed mulſam dũtaxat, itaque tantundem dari debebit, quantum prius. Sed quomodo viſciditatem humorum emendabimns? quomodo coctionem iam inceptam adiuuabimus? id fiet, inquit Senex admirãdus, ſi ante ſorbitionem.] id eſt ante cõſuetam ptiſſanam, aut mulſam, aut vinum, aut quodcunque magis quadrabit, exhibuerimus.] Videtur mihi ſatis dilucida eiuſcemodi explanatio, cum omnes prorſus è medio difficultates tollat, ſitque maxime conformis contextui. Cæterum quia tum pleuritidis, tum pneumoniæ nõ vna ſpecies eſt, merito quæſierit quiſpiam, an vtile ſit in omni vinum dare. Sentio in pneumonia, vt plurimum omni, in pleuritide ferè nulla conuenire vinum. Pneumonia maiori ex parte originē ducit à ſanguine pituitoſo, pro quo expectorando vinum obeſſe non poteſt: at ſi ex bilioſo ſanguine duceret originem, quod rariſſimum eſſe non dubito, abſtinendum conſulerem. Dixi rariſſimum eſſe, quia mollis pulmonum ſubſtantia, atque rara bilioſum ſanguinem effluentem vix retinet: viſcidum vero craſſumque facillime? Contrario modo res habet in pleuritide, quandoquidem licet ab omni ſanguinis parte fieri poſſit, raro fit illa à melancholico pituitoſoq; ſanguine; frequentius à temperato, frequentiſſimè à bilioſo: propterea vinum concederem in pleuritide melancholica, pituitoſa nunquam: quia vero hęc ſolet contingere maiori ex parte, propterea rectè arbitror dictum, in pleuritide ferè nulla conuenire vinum. Huius opinionis fundamentum explicatum mihi fuit ſupra, cum de vini dulcis facultate, ex decreto Hippocratis diſſerebã Nam dicebat ille, vbi bilis copia aderat, minus eſſe vtile vinum dulce, quam alia vinorum genera, vtpote quod facile bileſcebat. Aliæ porro inflammationes, vt iecinoris, renum, cerebri, maxime vinum deteſtatur quodcunque vſq; ad ipſam declinationem. quia nunquam poteſt eſſe accõmodata materia indicati curatiui aut vitalis: non curatiui, quia nec vacuationi, nec reuulſioni humorum inſeruit, nec humoris acrimoniã obtundit, neq; fluorem cõpeſcit. At vbi iam concocta phlegmone eſt, afferre vtilitatē poteſt, tum quatenus diſcutit reliquias, tum expurgat per vrinas, ac ſudorē. Dulcē vinum nunquã eſt hiſce inflãmationibus vtile, ſed aquoſum ſit, aut flauum, aut pallidum tenuemq; habeat, penetrantem

Pleuritis, & Pneumonia an in omni ſpecie vinũ poſtulent.

Vinum quãdo dari debeat in inflãmationibus extra thoracem.

Vinum in febribus intermittētib. quando exhibendum

que ſubſtantiam. Poſtremùm, quod attinet ad febres intermittentes acceſſione durante non dabitur vinum, tūc enim humores nimiū efferueſcunt. Declināte ſi ab humoribus frigidis concitata ſit febris, vtique maximè iuuabit. ſi verò à flaua bile, ſatius eſt abſtinere, niſi quidpiam contrarium diſſuadeat, vt imbecilla virtus. In interuallo detur, ſed nunquam anteaquàm appareant ſigna concoctionis, fueritq; corpus maiori ex parte à ſuperuacaneis expurgatum: & quanto euidentiora apparuerint ſigna coctionis, eo quidem vberius dandū eſt, vt Galenus docuit primo libro ad Glauconem de curatione tertianæ exquiſitè agens. Illud autem, vel me tacente conſtat, in bilioſis hiſce febribus oligophorum, eligendum eſſe. In aliis verò magis vinoſum: quod in illis refrigerare magis propoſitum ſit, in his autem magis concoquere, & calefacere indicatione ſumpta à cauſſa febris. Atque hæc mihi de uinorum vſu in febribus ſufficiant. 10

IOANNI BAPTISTÆ CESANO AVXIMATI; MEDICO.

De radicis Chinæ natura, viribus, & exhibendi modo, Pro illuſtriſs. D. Angelo Ferretto. diuturna cordis palpitatione cum metu melancholiæ hipocondriacæ affecto. 20

MEVM de exhibenda Chinæ decoctione conſilium, nō Hieronymo duntaxat Vitteleſco, ſed in vniuerſum omnibus Anconitanis placuiſſe Medicis gaudeo. id enim certè contigit, quod coniectabar. Nunc tibi ſatisfaciendum eſt, qui curationi aſſiſtens illam pro tua prudentia, ſummoq; iudicio ad finem vſque perduces. Quia peregrinum illud fuit apud te medicamentum, ex me ſcire deſideras quid ſit Radix china, quas vires habeat, & quis exhibendi modus. De ſingulis breuiter dicam, quid ſentiam. Radix eſt, quam aduehi dicunt ex ampliſſimo Chinarum Regno arundinis cuiuſdam propè maritimas oras naſcentis, vt dicit Manardus: Acoſta verò non dicit eſſe radicem arundinis, ſed cuiuſdam plantæ ſerpentis ſupra arbores, adhærentiſque illis haud ſecus, quàm hedera, 30 præbet ramuſculos edere paruos, & ſpinoſos, ac multos inuicem implexos, ſmilaci aſperæ maximè ſimiles, craſſioremque ramulum, ſurculumq; nō excedere craſſitudinem digiti manus minimi, folium habere ſimile plantaginis maioris, radicemq; ipſam æquare magnitudinem pugni, aliquando etiam paulo maiorem, minoremque: ſolidam quidem eſſe, grauem, intus albeſcentem, foris verò giluum colorem habere: inſipidam præterea, recentem tamen adeo ſuccoſam tradit, vt incolæ cum carnibus elixent, haud ſecus, atque nos elixare rapas, nauonesque conſueuimus; conſtare radicem ex multis veluti appendicibus commemorat: hæc quidem ille. Ex quibus de bonitate huius radicis facere iudicium licebit: nam peſſima eſt carioſa, leuis, palleſcens, aut nigricans intus. Videbis in noſtro Recinenſium Emporio multas, licebitque tibi eligere optimam pro Illuſtriſſimi Domini ſanitate. Temperamentum illius mihi perluſtranti, ipſam radicem ſiccam eſſe putauerim, cuius rei duplex habeo argumentum: Aliud quidem, quoniam morbis omnibus humidis magnam afferre vtilitatem experientia conſtat: nulla enim certior inueniri poteſt via ad facultates ſimplicium medicamentorum explorandas, quemadmodum Galenus teſtatur: Aliud verò argumentum eſt, quod denſam admodum ponderamque ſubſtantiam habet: hincque colligitur, parum habere illam aquei, humidique elementi: terrei verò multum: quod etiam confirmari poteſt eo, quod puluis illius vlceribus aſperſus, ſanare conſpicitur: & ſpuma inter coquendum remota, 50 tum ipſis vlceribus prodeſt, tum etiā duris tumoribus. Si hæc vera ſunt, dignum eſt admiratione, quomodo quidam noſtræ ætatis Medici dixerint abundare ipſam multo humido pingui, & ſubſtantifico, atque propterea roborare omnia corporis mēbra, omnes confractas (ita illi loquuntur) ſolidasq; partes permeare, atque permutare poſſe. Nam ſi humida eſt natura ſua eiuſcemodi radix,

China radix quid ſit.

Electio.

Emporium Recinenſe.

Hieronymū Cardanum intelligit.

dix, multo quidem maiorem acquireret postea humiditatem ex aqua multa, in qua coquitur: hac de caussa non poterit humidos morbos sanare: sed solum egregie pugnabit contra siccos morbos: eritque remedium præstantissimum contra febrem hecticam, omnemque marasmum. imo quia illorum sententia parum calida est, poterit sanare febres omnes etiam ardentissimas.. Verum quam absurda sint hæc, ipsa experientia fidem facit, omnium Medicorum consensu ferè confirmata. Nemo enim hactenus ausus fuit hoc remedii genus tentare pro corrigēda intemperie sicca totius, aut partis: nemo exhibuit hoc decoctum in hectica simplici, aut marasmo: nemo in febribus ardentibus. Dixi in hectica simplici non conuenire hoc decoctum, quia me non fugit, in hectica ex vlcere pulmonum caussata, iuuare mirum in modum, non quidem, vt asserunt, humectando corpus, sed potius exiccando, & sanando vlcus, illiusq; prohibendo putredinem. statuamus itaque temperamento siccam esse. Quod verò attinet ad qualitates actiuas, hoc videor certè pronunciari posse, habere aliquid caliditatis, cuius caussa deobstruit, atque prædurος tumores dissoluit, & per omne corpus breuissimo tempore penetrat. Verùm eiuscemodi caliditas exigua est, quia aut primum gradum non transit, aut vix pertingit ipsum. Ducor, vt ita credam, potissimum, quòd decoctum à china colorem solum flauum recipit, saporem autem nullum. Medicamentum, quod nullam qualitatem gustui affert, videtur aut frigidum, quale est aqua, aut temperatè calidum. Ideo magis prodest in morbis curandis siccando, vel insensibiliter, vel sensibiliter sudore multo prouocato, quàm calefaciendo. Est igitur radix chinæ calida, aut temporatè, aut in primo gradu, in tertio verò sicca, tenuis substantiæ deobstruentis, penetrantisque: ac etiam nonnihil roborantis ob terream substantiam, quæ licet in radice exigua non sit, ob multæ tamen aquæ admistionem obtunditur, mitigaturque. Ex illis colligere potest vnusquisque, quibus morbis opitulari possit. Nam primum generatim omnibus prodest, in quibus necessaria siccitas est. sigillatim verò singularissimum esse pro sananda lue venerea præsidium, quo multos, qui tanquam incurabiles solo prognostico relictos extra omnem spem sanitati fuisse restitutos nonnulli testantur, quibus ego rem ita facile assentior: caussam aliàs audies. Prodesse tamen noui paralysi, tremori, conuulsioni humidæ, hemicraneæ, cephalææ, mirum in modum vlceribus pulmonis, ac pthisi obseruatum fuit iuuasse plurimum. Vidi ego duos vere pthisi laborantes, qui ex decocto chinæ sanati sunt, adeoque pristinas vires recuperarunt, vt restituta carnosa substantia, quæ continuo extabescebat, mire fuerint impinguati. Perhibent nonnulli sanare calculosos, extirpareque carunculam in vesicæ ostio nascentem. An calculum frangere possit decoctum, ambigo: tum quia adhuc non vidi periculum: tum quia nondum legi, qui sese fateantur obseruasse. At in renibus abundans sabulum detergere posse, non dubitauerim. Carunculæ conducit prohibendo humorum concursum, exiccandoque: at non quia absumat illam, nam fit huiuscemodi absumptio medicamentis corrodentibus, de qua re, vt scis, aliàs scripsi. Porrò pro sanandis doloribus iuncturarum, quicunque sint, adeo confert, vt ferè nihil magis; in hisce.n. morbis potissimum desiderari solet eiuscemodi decoctum, in tremore cordis vocato, quem nos palpitationem appellare solemus: cui ferè annexa est melancholia hypocondriaca, vt in Illustriss. D. Angelo contigit, frequentissimè obseruaui vtilitatem attulisse multam, vt consultans cum clarissimis Medicis demonstraui. Postremò in omni contumaci destillatione prodest, siue ab humoribus acribus, siue frigidis, atque siue tenuibus, siue viscidis proficiscatur. iuuare multum in crudis, frigidisque excrementis non est ambiguum: at verò in acribus tenuibus vtilitatem afferre, id potissimum testatur, quod exiccando omnis destillatio corrigitur, tum demum, quod per cutaneos meatus expurgando materiam ipsam accommodatissima fit reuulsio. dein quia excalefaciendo nullam afferre noxam potest. Docui generatim, ac sigillatim, quibus morbis prosit decoctum radicis huius: nunc de exhibendi modo transigamus. In primis expurgare, vacuareque corpus oportet, anteaquam

Impugnatio opinionis Cardani.

Chinam tēperatam aut parum calidam esse.

Chinæ decoctum quib. morbis opituletur.

ad ſumendum ipſum decoctum ægrotus accedat: exemplum vacuationis in ægroto tuo exercendum ſit huiuſmodi: Recipe ſyrupi roſati ſolutiui, in quo tum ſena, tum agaricus, tum reubarbarum ingrediuntur vnc. iii.s. electuarii lenitiui vnc.i. decoctionis communis fl. ac fr. q.s. ſumere incipiat pro die ſequenti ſyrupum, qui habet ſyrupi noſtri è ſuccis cardiacis vnc.ii. decoctionis florum cordialium, meliſſæ, lupulorum, endiuiæ, cetrach vnc.iiii. miſceantur pro vno, & ſic pro aliis, donec perfecta appareat præparatio mitificatioque humoris acris, & pernicioſi: ſyrupum vero cardiacum ſic præparabis: Rec. ſuccorum ceraſorum acidorum (quæ anconæ vocantur maraſche) bugloſſi, acetoſæ, granatorum acidodulcium depuratorum an. vnc.iiii. zuchari fini vncias xvi. fiat ſyrupus mediocriter coctus lento igne aromatizatus, ſub fine drachm. ii. ſandalorum citrinorum ſumpto ſecundo ſyrupo ſanguis mittatur ex hepatica ſiniſtri cubiti, ad lib. vnam, duabus tamen vicibus, nempe hora matutina ſexta, totidem veſpertina ante cęnam vacuantes vncias. Purgabitur poſtea hoc pharmaco. Recipe infuſionis ſenæ vnc.iiii. in qua macera horis decem reubarbari electi. ſcrup. iiii. agarici troc. ſcrup. ii. cinamomi drac. i. & in expreſſione diſſolue confectionis amech drac iiii. ſyrupi de cap. veneris, & violati ſolutiui an. vnc.i. mannæ electæ vnc.s. detur in auroram ſeruatis ſeruandis. Quia vero ſanguis ex hęmorrhoidibus effluere conſueuit, atque iam pridem ſuppreſſus eſt, fuitque (ſi bene recordaris) concluſum, huius copiam non mediocriter augere melancholicam hanc hypocondriacã, haud ab re fuerit, tres aut quatuor iis venis apponere hirudines & ex illis pro conſuetudine vacuare ſanguinẽ. Hæc præparatio antecedat decoctionem chinæ, quam in hunc modum faciendam curabis. Radicem ipſam tenuiſſime incidere oportet: mox ſumi debet vncia vna, & ſemis: & macerãda in aquæ fontanæ libras 12. quamoptime calentis, horis 24. in vaſe vitreo, aut ſaltem quod vitro obductum ſit. Tranſactis horis decoctio fiat igne lento ſine puluere ac fumo, donec remaneant libræ ſex, atque tum coletur & repõatur. Eodem die, quo fit coctio, noua maceratio inſtituenda eſt modo ſupra dicto, ita vt ſingulo die fieri debet maceratio, & coctio vſque ad finem curationis, qui trigeſimus eſſe conſueuit. Hoc vnum ſibi proprium habet coctio radicis chinæ, quod non poſſit perdurare vltra ſpatium horarum 24. ſtatim.n. putreſcit: idcirco ſingulis diebus tota debet bibi quantitas, & præparari. Radix ſemel cocta, in vmbra ſiccari debet, vt ſecundo, ac tertio, ſique oportuerit quarto decoquatur, atque tunc non oportet ipſam amplius macerari. Sumitur bis in die decoctum hora matutina, horis quinque ante prandium, & veſpertina hora tertia ante cænam, calidumque ſemper potandum, vt e.g. hora octaua ſumitur matutina, prandium vero inſtituitur hora 13. rurſus hora 20. ſecundo ſumitur, hora 23. cœnabitur. Cibus ſit panis biſcocti vnciæ tres, & dimidium pullæ paruæ matutina cibatione elixatæ: veſpertina vero aſſatæ, aut huius loco ſumat vncias duas paſſularum corinthiacarum cum eadem biſcocti panis quantitate. Potus ſit idem decoctum, de quo etiam licebit bibere poſt cibum, ſi placuerit, ad ſatietatem: anteaquam comedere incipiat, bibat rurſus vncias quatuor aut quinq; eiuſdem decoctionis: expedit.n. principium cibationis à potu inſtituere, ita præcipientibus authoribus, qui primi de huius radice vſu ſcripſerunt, ſiruporũ quantitas ſit libræ vnius, aut vnciarum decẽ, pro vice. quæ ſuperſũt, poſtea quatuor libræ inſeruiant pro vino loco potus. Præparatum ingrediatur lectum calidum, ſumptoque decocto bene coopertus horarum duarum ſpatio ſudabit: mox detergatur linteis mollibus, veſtib. induatur ſuis, non egrediatur domum, ſed leuiter ambulando, aut ludendo ſpatium cõſumat trium horarum, quæ reliquæ ſunt vſque ad prandium: poſt omnem cibum illi vtiliſſimum fuerit comedere, aut vnciam coriandrorum præparatorum, aut tantundem diacitonitis. Interdiu dormiendũ ſiue aſſuetus ſit, ſiue non ſit aſſuetus, ſomnus.n. non ſolũ in eiuſcemodi, quem curare volumus, affectu vtiliſſimus eſt, ſed particulariter chinæ decoctum potantibus ſaluberrimus cenſetur. Caro pullæ, quam elixatam cõceſſimus coquenda eſt, ex decocto chinæ ſecundo; quod ſcilcet fit ex china

ſemel

Præparatio ãte decoctũ chinæ

Syrupus Cardiacus Augenii.

Chinæ decoctum quomodo paratur.

Chinæ decoctum poſt 24 horas putreſcit.

Experientia docuit dies 4 [illegible] non [illegible]. saxonia. lib. 9. cap. 25.

Sumẽdi modus.

Cibus potus

semel cocta, & in vmbra siccata, & seruata. certe mirum videri debet de hac radice, quam si decies coquetur, etiam aliquampiã haberet vim. Solet aluus reddi sicca, ex multitudine sudoris, ideo cõsueuimus tertio quoque die, etiam si aluus adstricta non sit, clysterem iniicere ex decoctionis huius lib. vna, zuchari rubei vnc. ii. & mellis anthosati vnc. iii. deinde singulis decem diebus expurgamus, ex vnciis duabus, cum dimidio syrupi nostri, quem infra describemus: ac ita quidẽ in toto spatio dierum triginta solemus ter expurgare: quove die sumitur syrupus, non est sumendum chinæ decoctum. Non eam postulat in victu exquisitã rationem, quam ligni guaiaci, aut salsæ pariliæ decoctũ exigit. Nam Indi, & Hispa-
10 ni negotiis etiam extra domum incumbunt, dum hoc potãt decoctum, & quid uis obuiam comedunt, etiam pisces ipsos. Nos vero in Italia nunquam tantã nostris concedimus ægrotis licentiam, quia non permittimus exire domum, nec pisces edere, nec alia sanorum alimenta: licet exquisitum abhorreamus viuendi modũ, quẽ etiam, atque ẽt in guaiaco commendamus. Triginta porro transactis diebus paulo pleniori vtẽdũ est victu, & spatio dierũ quadraginta cauere debet, ne in cibo potuq; ac aliis, ad victus rationem pertinetib. aberret. Vinum tunc potandum est album, dilutum tamen ex secunda chinæ decoctione, sit vini pars vna, decoctionis duæ, aut vtriusque tantundem, si vinum fuerit fere oligophorum. Inter eas noxas, quas inferre chinam omnes commemorant, est, quod ad
20 venerem maxime stimulet, ea de caussa vnanimi consensu præcipiunt, non solum ab ipso coitu abstinendum, sed etiam prohibent ne mulieres ingrediantur ægroti cameram. quod præceptum tanto magis obseruabit D. quando magis scimus ipsum in venerem esse maxime procliuem. Singulo quoque die semel sumat vnciam semis huius conditi horis duabus ante prandium, bibendo statim vncias duas decoctionis. Rec. pulueris radicis chinæ, drac. ii. zuchari fini dissoluti ex eiusdem decocto vnc. ii. s. fiant tabellæ: capiat vt dictum fuit. Hoc quadragenario fercula omnia coquantur, ex chinę decocto. Rursus singulis decem diebus capiat vncias duas, & semis syrupi catarctici: cuius descriptio habet in hunc modum. Recipe melissæ, lupulorum, cuscutæ, cetrach, boraginis, betonicæ, ci-
30 coreæ, an. m. i. passularum expurgatarum drac. vi. polipodii cerquini. vnc. i. quatuor seminum frigid. maior. an. drac. i. florum cordialium, epithimi an. pug. i. fiat decoctio ad vnc. xv. in collatura infunde foliorum senæ, & folliculorum mundatorum vnc. ii. s. agarici electi vnc. ii. zinziberis, drac. ii. bulliant parum, mox fiat expressio, in qua dissolue zuchari fini libram vnam fiat syrupus perfecte coctus. Dosis erunt vnciæ duæ, & semis cum vnciis tribus decoctionis chinæ. Sed ne quid desit, tria explicanda sunt: alterum, an aliquando conueniat, cum china miscere aliquid, vt lignum guaiacum, vel eius generis aliud. Deinde explicanda caussa est, cur nos in decoctione adauxerimus quantitatem chinę. Om-
40 nes enim præcipiunt vnciam vnam coquendam in libris duodecim aquæ: nos vero addimus vnciam semis. Postremum quibus signis cognoscemus abstinẽdum ab eiuscemodi decocto: non enim raro accidit in artis operibus, vt quod quis cœpit aliquando remedium exhibere, intermittere cogatur: de singulis breuiter dicam. Manardus aliquid misceri posse contendit, quod proportionale sit particulæ, in qua curandus insedit morbus: vt si iecur obstructione laborauerit, apii radices, simul cum china coquit: in affectionibus neruorum, rosmarinum, aut rosæ: in iecinoris ardore, cicoreum: in affectu vesicæ liquiritiæ radicem, aut hordeum simul concoquit: huius quidem ego hac in re opinionem admitto. at vero, quod facit controuersiam est, an lignum guaiacum possit decoqui simul cum china, aut eius ligni cortex: Putauerim id fieri non posse, duplici de caussa:
50 prima quia non sunt miscenda, pro effectu aliquopiam propulsando, quæ dissimilem habent naturam, vti sunt china, & guaiacum, quod potissimum colligo ex vtriusq; decoctionis duratione. chinæ quidem ipsius decoctum non perdurat vltra horas 24. quin statim putrescat. at ligni guaiaci perdurat vsque ad octo dies. Dicebat Hippocrates 2. acutorum text. 11. si quispiam peplium, & helleborum simul misceat, non referre quicquam, quia sunt vniusmodi, idest eodem tem-

Victus exquisitus non cõuenit in chinæ decocto

Chinæ decoctum stimulat Venerẽ

Syrupi expurgatorii descriptio.

Chinam, & lignũ guaiacum non esse simul coquendum.

pore expurgant,& eosdem humores, sed si quid facile putrefit, miscentur cum eo quod non putrefit ita facile ex se, periculum est, ne ad putredinem disponat alterum,ac ita vtrunque putrefactum, noxam inferat. Verum fortassis dicent, decoctum ligni,ac radicis vnum esse duntaxat,& non amplius quàm die vno illo vtendum;sicque impediri periculum putredinis, hoc admiserim, sed non fit propterea,quin suspecta sit huiuscemodi permistio:quia decoctum chinę facile putrescens suam exercet operationem:at si admisceatur aliquid quod mutet naturam huius decocti, mutabitnr etiam eiusdem operatio quæ semper connexa est cum propria decoctionis natura. Deinde vero dicerem experientiam docere inuicem non sese compati duo hæc pharmaca: volui aliquando in gratiam quorundam Medicorum admittere,& certe nunquam inueni bene contulisse. Præterea vrget maxime,quod opus est antea caussam percipere, ob quam miscēdum sit lignum cum china:si caussa eiuscemodi desit, vtique nō debebit cōponi cum aliis pharmacis. Prima igitur caussa mistionis variorum medicamentorū est,cū deest simplex aliquod pharmacum morbo propulsando idoneū,tūc quidem ex aliorum additamento vnum fit morbo oppositum: vt si intemperies affligat duabus numeris calida,desitque totidem numeris frigidū; tunc ex iis quæ primo ordine,& tertio frigida sunt, accommodatum redditur ordine secūdo. Alia caussa est,quando vis medicamenti est aut maligna,aut imbecilla:tūc.n. cogimur imbecillam validiorem reddere alterius eiusdem generis additione: malignā vero benignioris alexi pharmaci mixtione corrigere. In hunc modum reubarbarum spica,& squināto validius redditur:scāmoniū masticę, & draganto corrigitur. Tertia est affectę partis conditio,circa quā cōsideramus distantiā, pręstantiā illius,atque acuitatem sensus. Si distaret pars, vt renes, ac vterus basis medicamēti, vt puta consolidātis nequit penetrare, idcirco diuretica miscemus. Nobilis pars exigit mistionē eorū q̃ illā roborāt. Exquisito sensu prædita quam acrimoniam obtundant medicamenti. Postrema cōpositionis caussa est affectuū varietas:cum.n.pro iis propulsandis vnum nō sit satis pharmacum aliorum mistione oppositū omnibus morbis redditur: vt e.g.si adsit intēperies calida,& obstructio à viscidis humoribus facta,cogimur intemperiē refrigerātib. emēdari: obstructionē attenuātib.ac detergētibus. Ergo si ad has caussas debet artifex animum intēdere in componendis pharmacis,oportebit considerare,an aliqua adsit in chinę vsu,atque si desit, simplici vtendum decocto: si adsit, addendum pharmacum,quod iudicabitur opportunum. At certe nō video adesse aliquam:nam primum chinę decoctum per se sufficiens est ad tollendum morbum, in eo genere non est malignum, non ignauum pharmacum: penetrat propter tenuitatem substantiæ distantissimas partes, non est acre,non maligna qualitate pręditum. Fateor quidem adesse aliquando affectus complicatos, qui ex chinę decocto curandi proponuntur, sed tamen ipsa per se sufficiens est ob varietatem facultatum ad omnes affectus propulsandos;& si aliquando iudicabitur sufficiens, vim quidem ex ligni guaiaci pręsentia poterit reddi pharmacū magis accommodatum. Longe igitur satius duxerim hac in re imitari eos, qui priores decocto chinę vsi sunt, quam recentiores, qui videantur aliquid pręstare cæteris, innouare voluerūt. Quod secundo loco proposuimus, hinc facilè explicari potest,quod non habeamus radicem chinę ita recentem, quemadmodum habent Indi, aut Hispani. Cum enim ad nos portatur, iam fere anni duo pręterierunt, quibus defossa fuit. merito igitur illi in vnc. vna radicis, libras 12. aquę, & nunnunquam 16. nos vero vnciam vnam, & semis coquimus. Hic mihi displicent, qui vncias tres coquendas iubent, nimiam enim esse hanc quātitatem experientia manifestum fecit: atque neque satisfacient mihi, qui vnciā in libris sex decoquūt; quamuis iis proxime accedant, ad verum exhibendi modum. Cæterum vbi quis vti cœperit decocto, non semper ad dies 30. insequi debet, sed aliquando cogitur intermittere primis diebus. id vero accidit duabus de caussis, quarum vna est, quando ipsum decoctum non redditur ea quantitate, quod minimum esse debet, qua potatur: neque sit spes decoctum ipsum reddi,

Mistionis medicamētorum caussæ potissimum quatuor statuuntur..

Augendam dosim chinæ in Italia.

Cur decoctū chinæ iā cœptum intermittere oporteat.

di posse. In chinæ quidem decocto, vt plurimum sudore solet expelli: & obseruaui nonnullis mouere aluum, aliis vrinam, aliis vtrunq;. At quibus mouetur vrina, aut aluus redditur fluida, in iis quidem nullus sudor apparet, & è contra. Nequit natura prouocare sudorem, aluumq; humectam reddere, ac simul materiam per sudorem ducere. Ergo si quispiam viderit nullam ex iis tentare vacuationem, protinus ab opere desistendum, excipio tamen casum, quando scilicet pro sanando pulmonis vlcere quis decoctum chinæ exhibeat, aut admodũ gracile sit corpus, quod tum instaurare propositum sit, tum ab obstructionibus liberare, tunc licet non prouocetur sudor, aut alia via non reddatur decoctum, possumus insequi, imo tunc cum iure pullæ, ac aliquando cum sero lactis chinam paramus. Alia etiam est coniectura, si decoctum in ventriculo innatare cognoscatur, ibiq; diu permanens, grauitatem efficiat, & laborem & aciditatem, tunc enim cum non excipiatur à viis communibus, aut à iecinore & renibus; aut à venis & toto corporis habitu, atq; in ventriculo corrumpatur, absurdum est subsequi remedium, etiam si videatur aliquando sudorem prouocare: hæ quidem regulæ non in chinæ duntaxat decocto, sed etiam in ligni guaiaci, & salsæ pariliæ sunt obseruandæ. Satis dixi de hoc argumento, vt tibi satisfacerem Cesane; tu me vicissim amabis, meoq; nomine dicito salutem plurimam Vittelesco, Medicisq; Anconitanis, Auximi. Die 13. Octob. 1577.

EIDEM.

Cur aqua bilis fit. An nutriat. An salsa vim habeat purgandi aluum magis, quam sistendi.

SENTENTIAM Hippocratis libro tertio de ratione victus in morbis acutis, qua contendit aquam ipsam in bilis naturam conuerti, neque sitim extinguere; merito quidem tibi difficultatem facere significasti. Videtur enim vtrunq; maxime controuersum: nam si quod in alterius naturam transmutari debet, illi quodammodo simile, & quodammodo contrarium esse debet, in principio contrarium, in fine autem simile, vt ex Aristotelis doctrina libro secundo de anima colligitur: Aqua certe in bilis naturam verti nunquam poterit, vt puta, quę nullam omnino similitudinem habeat cum bile: sed illi omnibus qualitatibus opponatur, propterea augere non poterit bilem, sed contra corrumpere pro natura alioquin omnium contrariorum, quæ sese mutuo destruunt, vt non modo à Philosophis, Medicisq; vnanimi etiam aliorum consensu scriptum fuit, sed etiam ipsa experientia continuo manifestissimum facit. Deinde vero ardentissimarum febrium remedia duo sunt præcipua, venæ sectio vsq; ad animi deliquium, & potus frigidæ. At frustra Galenus tanti faceret frigidam, si in bilem verteretur. Cur multis moror, an contrariorum contraria remedia non sunt? si calida & sicca bilis est, cur eam non extinguet, aut non contemperabit aqua, frigida & humida existens? cur præterea non extinguet sitim? si præsertim sitis, vt ait Aristoteles, appetitio sit frigidi atq; humidi, aqua vero eiuscemodi sit præ cęteris? Me non fugit, Cesane, quid antiqui atq; recentiores pro dissolutione huiusce difficultatis dixerint, quos ego missos facere in præsentiarum volo, tum quia non illorum sententiam, sed meam duntaxat desiderare scribis, tum quia mihi in factitanda medicina occupatissimo, tempus deest accommodatum. Candido igitur animo dicam, quid sentiam. Aristoteles libro primo de generatione & corruptione hunc nodum soluere videtur: nam capite vltimo agens de iis, quæ miscentur, dicebat, oportere miscibilia esse quodammodo paria: nam si imparia plurimum essent, vtique stare inuicem non possent, sed vnum contrarium potentius alterum corrumperet: dabat ibi exemplum de vino aqua permixto, dicens: Actiuorum autem & passiuorum quæcunque sunt facile diuisibilia, multa quidem paucis & magna paruis composita, non faciunt mixtionem, sed augumentationem dominantis: transmutatur enim alterum in dominans. Ideo gutta vini in mille millibus amphoris aquæ non miscetur: soluitur

Aqua an vertatur in bilem disputatio.

Quæ miscētur esse debent quodammodo paria.

enim species, & transmutatur in totam aquam.] hoc Aristotelis exemplum, maxime nostro idoneum videtur proposito. Nam quemadmodum multa aqua vini exiguam portionem corrumpens, in propriam naturam vinum transmutabit; sic è contra, vini multum, exiguum aquæ mutabit in vinum. Statuas, vinum esse bilem: magnam enim cum illo similitudinem habet. Magna sane quantitas vini ab aquæ guttulis mitigari non poterit, multo minus extingui. Neque vini tantillum extinguet amphoram aquæ: Tale quidpiam dicere volebat Hippocrates, quando significauit aquam bilescere: Supponit enim multam adesse in præcordiis bilis copiam, cuius causa ægrotus plurimum sitiat. Est, inquit, in his aqua siticulosa, quia in exigua quantitate potata, cum euincere non possit abundantiam bilis, accidit ipsam euinci, ac superari à bile dominante: perinde res habet, atq; in igne. Nam quo illius actionem reddant validiorem, solent fabri aspergere tantillum aquæ: at vero quando postea volunt corrumpere, non tantillum, sed maiorem proiiciunt copiam. Sic ardente febre obsessis potus aquæ exiguus maximo est detrimento, cum in bilem vertatur; at potus frigidæ ad satietatem vsq;, calorem & febrem extinguit, iugulatque, vt cum Galeno loquar, & biliosum excrementum iam mitificatum expellit per sudores, per vomitum, deiectionesq;. Germanam esse hanc loci huius explanationem, præterquam quod satis consonum est rationi, & rerum euentis: idem etiam ex verbis colligitur Hippocratis. Duo supponere videtur in contextu, vnum, aquam non penetrare præcordia, quod significat, obstructionem adesse magnam transitum impedientem. Alterum supponit, hominem scilicet siticulosum esse, at vero sitis potissimum fit à copia bilis existentis, æstuantisq; circa præcordia. Tunc statuamus illud contrariorum mutare aliud in propriam naturam, quod fuerit altero potentius: atqui bilis in proposito casu potentior est aqua: bilis igitur transmutabit aquam in propriam naturam, atq; ideo bilescet, vt ait Hippocrates. Fortassis dices, me vnum supponere, quod in contextu ab illo non dicitur. Nempe bilem aqua potentiorem esse. At certe, si quispiam voluerit recte contemplari verba, cognoscet suppositũ esse Hippocratis. Etenim parum supra exiguæ mentionem aquæ fecit, de qua dixit, si inter oxymeli & melicratum sorbeatur, sputum educere propter mutationem qualitatis potuum, inundationẽ enim quandam facit. hoc igitur commodum est aquæ exiguæ, quod si demus, aliam afferre commoditatem nequit in morbis acutis: quia alioquin (inquit) neq; sitim sedat, sed irritat.] sed cur, quæso, non sedat sitim, quia exigua portio est: ad extinguendam autem sitim in morbis acutis pauca aqua non conuenit, vt puta contrarium minime proportionatum ad multitudinem bilis concitantis sitim. cur irritat? quia adaugetur bilis, aqua illa in bilis naturam facessente. ac propterea meritò addit Hippocrates: Biliosa enim biliosæ naturæ,] quod est dictu. in bilem vertitur, vbi magna copia extiterit bilis, à qua corpus ipsum biliosum nuncupetur. Ideo inquit: Nempe ei, qui suapte natura biliosus existit, ea est biliosa.] nemo autem nuncupatur suapte natura biliosus, nisi qui magnam bilis coaceruet quantitatem. Iam declaraui sententiam Hippocratis, ex quibus etiam patet, quomodo explanari debeant dubitationes à te propositæ. Prima enim de nutrimento agit: at vnum contrarium non est alterius nutrimentũ: propterea potest augeri contrarium ex alterius transmutatione: atq; licet facilior sit transitus in habentibus symbolam qualitatem: ea etiam, quæ nullam similem habent, mutari possunt, non tamen pari facilitate in alterius naturam. Ad secundam admitto, aquam esse contrariam bili, at non est adæquatum contrarium, ideo non semper extinguit bilem: sed contra aliquando extinguitur à bile, vt à contrario dominante. Fateor præterea, contraria contrariorum esse remedia: verum operæ pretium est contraria in eodem gradu adhiberi, vt morbo propulsato, æqualitas ipsa, quam in præsentia sanitatẽ nuncupabimus, possit introduci, vt demonstratum alibi fuit mihi aduersus Mercenarium Philosophum. Potus frigidę sanat ardentem febrem, sitimque tollit, non in pauca quantitate, sed ad satietatem bibita.

Aqua quomodo vertatur in bilem.

Similitudo accommodata.

Explanatio verborum Hippocratis.

bibita. Secundo loco examinas, quæ notaui libro de elementis, vbi dicebam, nutrire aquam. Quod citra rationem dictum videtur tibi, atq; etiam contra Galeni decreta. Ratio tua sic habet: Ex eisdem nutriuntur animalia, ex quibus constant. Atqui constant animalium corpora ex quatuor elementorum mistione. Ergo nutriuntur ex mistis. Verum aqua simplex est corpus, non igitur nutrit. Ob hanc caussam neque alia elementa nutriunt, quia simplicia corpora sunt. In confirmationis opinionem Galenum affers, qui dicens, cur aqua non nutriat, asseruit id contingere, quia elementum est. Præterea (inquis) quod nutrit, non transit quidem totum in substantiam corporis, sed excrementosum est pro parte. At aqua nullum excrementum potata facit, vt colligitur ex verbis Hippocr. 3. acut. cap. de aqua: in quo dicit, ipsam non facere stercus. non igitur nutrit. Rursus lib. 4. de vsu partium: & 4. aphor. 13. clarissime contendit, aquam solidis partibus nullum præbere alimentum. hęc tu contra notam decimam sextam primi de elementis. Ego veritatis gratia, qua nihil habui antiquius in eam olim opinionem veni; nunc eandem recipio, cum videam oppugnatam abs te validissimis machinis, expugnatam tamen minime fuisse. & vero primum, quæ tua ratio est, antea mea fuit, quæ pro potissimo fundamento vtebar. Nullum (dicebam) purum ac simplex elementum nutrire potest. At si concedamus elementa, in quibus animalia viuunt, simplicia non esse corpora, sed mixta omnibus inuicem concurrentibus, hæc nutrire posse inficiari non debemus. Sic pisces quosdam nutriri aqua scribit Guilielmus Rondoletius in sua historia de piscibus. Aere quandam auem conseruari manucodiatam à noui orbis habitatoribus appellatam dicunt. In igne quædam nasci animalia, & viuere in Ægypto scriptum reliquit Scaligerus in exercitationibus ad Cardanum: in terra lutosa ac pingui nasci, viuere, ac eadem nutriri animalia, & plantas certissimum videtur. Oportet, si hoc fundamentum veritatem habet, aut admittere aquam hanc mistam nutritioni esse aptam: aut communi illud axioma subuertendum, quod Aristoteles, omnesque hactenus admiserunt, nempe viuentia ex eisdem nutriri, ex quibus constabant. Nunc vero iis addo alia pro confirmatione non minus certa. Primum eiuscemodi affero instantiam. Aqua transmutari potest in bilem, ergo nutrire potest: quoniam bilis nutrit. Argumentum, nisi decipior, videtur admodum efficax: quia, vt panis, caro, offa, vinum, ac alia alimentorum genera nutriunt, quatenus ex illis humores generantur, qui nutritionem efficiunt, eadem ratio de aqua statuenda est. Si vero quispiam negauerit nutrire bilem, hic non propterea argumenti vim deuitabit, quia vt bilis generari potest ex aqua in corporibus biliosis, sic etiam sanguis tenuissimus gigni poterit: quia longè facilior est transitus ab aqua in sanguinem biliosum, quam in bilem excrementitiam: minus enim siccus est ille sanguis, minoremque caliditatem habet, quam bilis flaua excrementitia. Deinde, inquit Galenus libro de instrumento olfactus, quod etiam repetit passim alibi, præsertim vero lib. 2. aphor. & Hippocrates apertissime significauit libro de alimento, aerem nutrire, potissimum quidem regenerare spiritus ipsos, in quibus pars vna continetur essentiæ nostri corporis: hoc autem, si receptum est ab omnibus, quid impedimento esse potest, quin etiam aqua nutriat: si enim corpulentiam inspiciamus, maioremque mistionem, certe corpulentior est aqua, & mixta videtur magis ipso aere. Præterea quod naturalem appetitum sedat, extinguitque, illud vim habet nutriendi: at aqua esse huiusmodi, certum est. Hic animaduertere oportet pro nutritione corporis, datam fuisse animalibus appetitionem eius rei, quæ debebat nutrire: quia vero nutritio fiebat, vt Aristoteles docuit, ab iis, ex quibus animal constabat, nempe ex calido, frigido, humido, & sicco; duplex appetitus datus est, vnus alimenti calidi ac sicci: alter frigidi ac humidi: ille vocatur fames, hic autem dicitur sitis. At sitim vere extinguit aqua, cur igitur appetita, atq; à natura desiderata, non habebit vim nutriendi? Dices hic nomine appetitus frigidi ac humidi intelligendum esse alimentum fluidum, actu humidum, non aquam. amitto priorē partem: posteriorem minime, quia aqua ita sitim ex-

Aqua an nutriat.

Aquam nutrire ex Angenio.

Lib. 1. c. 12. & 13.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Quinta ratio.

tinguit, quemadmodum alia huius generis. Amplius animalia bruta manifestissime ex aquæ vsu, & instaurari & impinguari videntur: quod potissimum de aqua Tiberis dici solet: ea enim equos mulosq; impinguat mirum in modum: cum aliæ quædam ea vi priuatæ sint. Hanc differentiam in aquis abstemii etiam cognoscunt, vt qui ex vnius maxime nutriri, ex alterius vero vsu reddi longe imbecilliores cognoscantur. Quid de oleribus dicam? quæ irrigatione aquæ pinguis & stercoratæ plurimum vigere, adolescereq; conspiciuntur? Hæc quidem, Cesane, notam manifestam faciunt meam in librum de elementis. confirmat postremo Aristoteles in prima sect. probl. 13. vbi quærit, cur mutatio aeris grauis, aquæ autem non grauis existat? Respondet, an quod aqua corpori alimento est, quo habito complexoq; peregrinamur. Aer autem nullo se exhibet alimento.] Hæc ille. Nunc ne quid amplius difficultatem faciat, ad eorum, quæ in contrarium proposuisti, dilucidationem accedo. In primis quod attinet ad rationem ipsam, iam quidem certus es, quomodo debeat interpretari, admittimus enim illam, & omnino demonstrare profitemur de aqua, vt simplex elementum est, non autem de mixta, qualem hanc nostram esse profitemur. Secunda ratio sumpta ab excrementis, maxime deficit. Sic enim interrogare possumus: si omne alimentum excrementum aliquod sensibile facit, cur aer nutriens spiritus non facit eiuscemodi excrementa? non est igitur vniuersalis regula in omni alimentorum genere, sed quorundam propria, eorum scilicet alimentorum, quæ crassa sunt, quæve solidas partes nutriunt, humectantq;: vinum enim, aqua, iura carnium, aer, vtiq; excrementa huius generis non emittunt. Addo eum locũ Hippocratis ex 3. acut. maxime indicari difficilem: quia certe, cum ait, neque deiectiones faciens, neq; vrinam mouens; lædit autem nonnihil & ob hoc, quod sine stercore est natura,] vix diuinari potest, quid sibi voluerit, atque Galeni, vt scis, explanatio anceps est ac dubia; recentioresq; tot afferunt explanationes, quot illorum sunt capita. Agerem pluribus, sed non est huius loci. Accedo ad Galenum, qui 4. aphoris. 13. dicebat, aquam solidas partes non humectare, pro cuius loci, & aliorum explanatione sciendum est, Hippocratem lib. 2. aphoris. scripsisse facilius esse impleri potu, quam cibis, quandoquidẽ si quis citissimam nutritionem desiderauerit, hic instaurabitur aere & euaporatione; si non ita subitam, huic potus subuenire solet: cibus non instaurat cito, sed longiori tempore, ergo si spiritus instaurandi, ex aere & vapore: si humores deperditi, & aliqua ex parte carnosum genus, ex potu: si solidæ, seminalesque partes ex solido alimento, vti cibus est, ita per excellentiam vocatus, id consequenter: quemadmodum in commentario eius loci Galenus testatur: ac multo apertius lib. 11. de methodo medendi, cap. 3. in quo scribit spiritus nutriri ex substantia tenuissima, solidas partes ex crassissima, carnosas autem ex mediocri. Ad nostram referantur hæc disputationem. Aqua, inquit Galenus 4. de vsu partium, & 4. aphoris. solidas partes non humectat, id est, non nutrit. Hoc ego admitto libentissime. Quid enim tum postea? an valebit eiuscemodi consecutio: non nutrit aqua solidas partes, ergo nullas nutrit? ergo priuata est facultate nutriendi? potus non implet solidas partes, ergo nullas implet? quomodo igitur facilius est impleri potu, quam cibis? Rursus odor spermaticas non instaurat partes, ergo nullas instaurabit? absurda est prorsus eiuscemodi consequutio. Veritatem hanc Galenus obseruans, scriptum reliquit 1. lib. de simp. medicam. facult. cap. 8. Aquam vasorum corpora, & carnosum genus humidius reddere: idemque repetit 5. de simplic. cap. 4. vbi notari velim, non sine maxima caussa à Galeno dictum fuisse, carnosum genus humectari, non solidum, quia carnosum mediam naturam habet inter spitituosum, & vere solidum genus eodem authore lib. 11. meth. cap. 3. Scio, quid alii dicant pro explanatione loci huius, de duplici scilicet humiditate, qualitatiua & substantifica. Aquam humectare qualitatiue, non substantifice. at mihi non certe placet ob rationes iam dictas; præsertim quia hectici licet postulent qualitatem humidam, multo magis substantiam exigunt humidam, quia ex huius deperditione introducta siccitas est. Neque enim febris hectica

Potulenta nutriunt facilius quam esculenta.

Aquam solidas partes non nutrire.

Aquam nutrire carnosum genus.

ctica consistit solum in qualitate sicca, humida substantia superstite: sed multo magis in substantiæ deperditione, à qua postea affectus nuncupatur siccus, vt Galenus docet lib. 7. de metho. med. cap. 1. ergo reponenda primum substantia humida est, qua cum succedit qualitas: propterea balneum aquæ dulcis humectat carnosam substantiam substantificè, hancq; ex balneo acquisitam conseruare, postea desiderat Medicus balneo frigido, vt nō Galenus modo, sed omnes Medici asseuerant in curatione febris hecticæ. Iam igitur meam audiuisti sententiam de secundo problemate pro meæ annotationis defensione, nunc de reliqua transigamus. Postrema dubitatio versabatur circa aquas salsas: nam quia dysenterico maxime conuenire statuebam, ambiguum id tibi videbatur, quomodo aut potatę, aut clysteribus iniectę possent aliquid afferre commodi: vt puta, quæ ventrem moueant. Respondeo, conuenire illas maxime hisce nominibus. Primum, quatenus multitudine sua potatę possident vim detergendi & abluendi intestina in transitu. Deinde, quatenus habent suapte natura potestatem siccandi: hocq; nomine possunt sanare vlcus in intestinis existens: quia omne vlcus sub propria ratione postulat exiccantia. Tertio, quia exiccando vim habebunt aluum fluentem constipandi, quæ omnia pro curatione dysenteriæ plurimum necessaria sunt. Si quispiam sanare voluerit medicatis hisce aquis eiuscemodi affectum, modo febris absit, duæ sunt viæ præstantissimæ: vna est lactis caprini & asinini vsus: alia est salsarum, quæ vulgo Lucenses, aut potius de Monte catino appellantur, tum potatio, tum iniectio. De lacte scripsi aliàs, quantum exigere ea tractatio videbatur. De salsis, quid nunc sentiam, accipe. In omni dysenteria, præsertim in ea, quæ fit ab vlcere in superioribus, aut mediis intestinis genito, præstat aquæ huius calidæ libras sex aut septem potandas tradere: hæ quidem copia distendunt ventriculum, implentq; ita, vt in eo contineri non possint, sed contra effluendo, per omniaq; excurrendo intestina abluunt illa, ac detergunt insigniter, simulq; ducunt acria, quæcunq; adfuerint in ipsis intestinorum anfractibus excremento vlcus intestinorum, aut generantia, aut certe non mediocriter fouentia. atque ita quidem (licet non primaria ratione) expurgatio fit. Dein, quia satis non est exhibuisse duntaxat semel hanc aquam, sed opus est secundo ac tertio die eandem, aut etiam (si bibere poterit) maiorem quantitatem potandam dare: soletq; iudicari à medicis experientia claribus spacio hoc triduano, satis accommodatam factam detersionem expurgationemq; fuisse. Imo non solum detersionem, sed etiam exiccationem. Obseruaui, Cesane, adeo vtilem extitisse hanc materiam, vt non oportuerit amplius aliquando aliis vti remediis. Nam siccitas in ipso transitu relicta in intestinis vim habuit sanandi vlcus. Si vero affectus in intestinis inferioribus consistebat, aut etiam mediis, vtique tunc saluberrimum est, clysterib. curationem absoluere iniectis ex eadem aqua: præcedentibus nonnunquam solum detergentibus, non siccantibus, vt ex decoctione hordei & zucchoro, vel ex sero lactis, aliisq; id genus præparatis: cum ex medicata aqua abluere simul in animo fuerit, & siccare, magnam iniicimus copiam, nempe vsque ad vncias viginti, plus aut minus, prout ægrotus pati potuerit. At vero si duntaxat siccare, & consolidare vlcus voluerimus, tunc exiguam quantitatem iniicimus: sic retinetur illa quidem in intestinis diu, moraq; ipsa multo fœlicius suas vires exercet: ideo detergit illa minus, at consolidat magis: in maiori vero quantitate detergit magis, abluitq; : at consolidat & exiccat minus. Habes caussam instituti huius, pro cuius confirmatione audire oportet, quid scripserit Hippocrates libro de aere, locis, & aquis, de facultatibus aquę salsæ, cum doceat, manifestissimè illam habere vim exiccandi, aluumque magis constringendi, quam emolliendi. Verba Senis in hunc modum habent. Quicunq; autem morbi gratia, eam, quæ commodissima est, bibere volet, is si ita fecerit, maxime sanitatem assequetur. Quorum quidem ventres duri sunt, & idonei ad hoc, vt amburantur, his dulcissimę & leuissimæ & splendidissimę conducunt. Quorum vero molles ventres & humidi & pituitosi sunt, his durissimæ & crudissimæ & subsalsæ aquæ conferunt. Quæcunque enim aquæ opti-

Hectica febris consistit in siccitate substantiæ.

Aqua salsæ an adstringant aluum: disputatio tertia.

Vlcera intestinorū sanantur lacte, & salsis aquis.

Salsarum aquarum sumendi modus.

Clysteres ex salsis aquis, quomodo parandi.

mæ coctu sunt, ac facillimè liquescunt, eas par est ventrem maximè exoluere, & eliquare. quæ verò crudę sunt, & minime coctu bonæ, hæ magis constringunt ventres, ac resiccant. Etenim mentiuntur homines de salsis aquis propter imperitiam, in eo quod per aluum secedere, eamque soluere putant: maximè enim contrariæ sunt ad alui egestionē, ac secessum: sunt enim crudę, & coqui non possunt. Quare venter magis ab his adstringitur, quàm euacuatur.] hæc Hippocrates. Qui sub salsas aquas pro potu vtilissimas contendit esse iis, qui aluum habent humidam, vt quæ exsiccandi vim habeat. rursusq; dicit aberrare illos, qui putant salsas habere facultatem aluum mouendi, hoc potissimum ducti argumento, quod videant aliquando à Medicis vsurpari pro eiusçemodi effectu. aberrant (inquit ille) quia non secedunt per aluum, neque soluunt: vt quæ maximè contrarię sunt ad alui egestionem, & secessum. Cæterum, qua ratione aluum subducant, non exponit, quia tanquam notum relinquit. Quis enim est, qui dubitat, salsas mouere aluum ex accidenti, tum scilicet ratione salis expulsiuam irritando, tum ratione multæ copiæ abluendo, ac detergendo. At verò quando artis beneficio aluus à salsis mouetur, tunc quidem multo magis aluus adstringitur (inquit) quàm vacuatur.] sic ego interpretandam esse postremam huius contextus particulam putauerim, quasi dicere voluerit, liçet aluum ex accidenti salsa moueat, per se tamen exsiccando aluum postea relinquit adstrictam: idcirco mouet breui tempore, at siccat, adstringitq; diuturno. Videor tuis difficultatibus satisfecisse, nunc relinquitur, vt finem dicendi faciens, te etiam atq; etiam rogatum velim, vt scribas ad me diligenter, quæ caussa sit controuersiarum, quæ versantur maxime inter Vittellescum, & Federicum Seuerinum, quæso, non obliuiscaris: nam erit mihi gratissimum. Auximi die 22. Decemb. 1587.

Explanatio verborum Hippocratis

10

20

PETRO SIMONI FAVSTO.

Cui nam prima sphæra innitatur, & an sit in loco.

LICET ex debili apoplexia nunc iaceam in lecto paralyticus, ita tamen adhuc viget, Dei gratia, mens, vt possim etiam in re literaria amicis inseruire: in quorum numero, cum, tu ipse, & merito tuo & commendatione Leotii Vrselli, viri quidem integerrimi, primas partes teneas, tibi non satisfacere statim non potui; atque cum scribere non possim, dictabo Octauio filio, quæ mihi pro responsione ad tuas literas, necessaria videbuntur: ea qualiacunque sint, in bonam accipias partem, oro. Nam, quemadmodum non ego mihi (vt liberè pro mea loquar consuetudine) sic neque fortasse tibi, aut aliis satisfaciam. Accedo ad quæstiones tuas, quarum primam hisce verbis proponis.

30

Illud igitur in primis aperies, cui nam vltimæ sphæræ motus, vt moueatur, innitatur. Omnis namque motus alicui innitur, dicebat ille. Non ad polos confugiendum, quia cum puncta sint indiuisibilia, iis inniti non potest.

Prima hæc quæstio, mi Fauste, non satis considerate proposita esse videtur mihi, in qua quæritur, cui nam innitatur, siue inhæreat motus primæ, siue vltimę sphæræ: cum procul dubio motus omnis sit in mobili, eiq; inhæreat: eius enim actus est, Aristotelis testimonio lib. 3. Physicor. text. 6. & 18. Itaque si hoc verbo, innitatur, sit vtendum, motus primæ sphæræ innititur, siue inhæret ipsi sphęræ, vt subiecto proprio, cum eius sit actus. At, nisi fallor, de sphæra ipsa, quæ mouetur, & non de ipsius motu quæstio institui debet, vt sit sensus, cum id omne quod mouetur, ab aliquo immobili moueatur: sphæra autem vltima motu agitetur, à quo immobili moueri dicetur? Vel enim à se, vel ab alio mouetur: non quidem à se. Vel enim tota à se tota moueretur, vel pars vna ab altera. Tota autem à se tota moueri non potest. Quoniam quicquid mouetur, ab alio moueri necesse est, siquidem fieri non possit, vt idem respectu eiusdem simul actu sit, & potentia. Quod autem mouet, actu est; vt quod mouetur, qua parte mouetur, potentia. Neque etiam vltima sphæra sic mouetur, vt pars eius vna moueat & altera moueatur. Hoc enim solis animantibus est à natura tributum, vt Aristoteles

40

50

teles inquit 8. Phyſ. cap. 4. Suprema autem ſphæra animata non eſt, ſaltem anima informante, & quæ partem illius conſtituat: alioquin vnà cum ipſo cœlo, quemadmodum anima in animantibus moueretur. At quodcunque motus principium eſt alicui, id quieſcit, neque eſt pars eius, quod mouetur, nec in eo continetur. Hæc pluribus ab Ariſtotele docentur lib. 7. Phyſic. cap. 1. octauo eiuſdem capite quarto. duodecimo metaphyſicæ, & libro de communi animalium progreſſu, vbi ex inſtituto hanc quæſtionem tractat Philoſophus. Cum itaque ſupremum cœlum ab aliquo quieſcente & immoto, nec totum à ſe ipſo moto; nec ab aliqua eius parte moueatur, profectò extrinſeca aliqua cauſſa quęrenda erit, quæ immota ipſum moueat, quod facit Ariſtoteles in eo libro, quem de communi animalium motu inſcripſit: vnde & ipſa quæſtio, de qua agitur, eiusq; quam affers confirmatio deſumpta eſſe videtur. Quod ſi dixerim, Axem immobilem, eiq; vniuerſum cum circumfertur inniti; nihil fortaſſis ab inſtituto alienum dixerim (niſi quod Axis amplexu cœli cõtineatur.) Verum, quoniam hoc magis Platonicum eſt: potiusque Mathematicos, quam Phyſicos attingit, lubens ſilentio prætermitto: & cum Ariſtotele non inuitus affirmabo, ſphæram à primo motore, & immobili, continuo, & ſempiterno motu agitari, ſi quid eius demonſtrationibus credimus 8. lib. Phyſic. cap. 6. in libro de communi animalium motu. Neq; hic motus primus alio externo principio inniti poteſt, ſiquidem extra ipſum nihil ſit, cum omnia complexu & ambitu ſuo contineat. qua ratione quoq;, vel ipſum vniuerſum, quod mouetur externo principio corporeo inniti, nec ab eo fulciri poteſt, quemadmodum qui in nauigio eſt, ipſum mouens, externo principio quieſcenti innititur. Neq; enim extra vniuerſum vllum aliud corpus eſt, cum omnia corpora contineat, alioquin vniuerſi nomine minime donandum, vt Ariſt. ait lib. 1. de cœlo, text. 4. Ad id igitur, quod ſcribit Ariſtoteles: omne mouens alicui immoto inniti, vt motum alii adferre poſſit: Reſpondeo, hoc tantũ de motu locali, atq; de mouente moto & finito, extra quod aliud eſt, cui inniti poteſt, intelligendum eſſe. Terra enim, quamuis immota ſecundum locum manet: eiq; cætera omnia innituntur, variis tamen commutationibus agitatur. Nec extra ſupremam ſphæram aliud corpus eſt: primumque mouens ita mouet, vt ab omni motu liberum ſit, & alienum: eoq; modo ſeſe habet ad vniuerſum, quod mouetur, quo terra ad animalia, quæ ſuper eam mouentur, gradiunturq;. At terra immota loco manet. Si enim cederet, vt iis, qui in arena iter faciunt, nullus progreſſus futurus eſſet, vt nec volatus, nec natatus conferretur; niſi vel aer, vel mare obnixè reluctarentur. Hæc ſuprema ſphæra, quæ omnia corpora complexu ſuo continet, à primo motore immobili mouetur ac ſuſtinetur. Et quoniam mouens, & mobile ſimul eſſe dicuntur, vt inquit Philoſophus 7. Phyſic. text. 9. non immerito ab Ariſtotele 8. Phyſic. text. 22. & 84. in circumferentia ſupremæ ſphæræ præcipue habitare dicitur, quæ maxime eius vim ſentit, & vna quæq; deinceps, prout ſituum ordo ad noſtrum vſque locum natura conſtitutus eſt. Ariſt. lib. de Mundo, & cap. 12. lib. 2. de Cœlo: atq; hæc de primæ quæſtionis explicatione.

Secundam quæſtionem hiſce verbis proponis.

Deinde eadem cum ſit corpus, continuam & connexam partem habens, aiunt, in loco eſſe, actiue ſecundum concauam, & non paſſiue ſecundum connexam. Petam connexa cum ſit terminata, quonam modo in loco adhuc ſit ignoro.

Conuexã

Huius quæſtionis, Fauſte, explicatio videtur facilior, ex iis, quæ Ariſt. in ſcriptis de loco reliquit, cap. 5. lib. 4. Phyſic. à cont. 43. vſque ad 50. Nam ſi locus ſit ſuperficies corporis continentis Ariſt. 39. context. quarti Phyſic. Suprema autem ſphæra à nullo contineatur corpore, ſed reliqua omnia contineat, vt ibidem ait Philoſophus, & primo cœli. 4. & 99. Profectò ſecundum nullam ſuperficiem nec actiue, nec paſſiue in loco eſſe, rectè dici poteſt. Adde, quod ſcribit Ariſt. lib. 1. de cœlo. cap. 9. eſtque in contextu 99. & 100. extra cœlum, & ſupremam ſphæram neque locum, neque tempus, neq; vacuum eſſe: ſed entia beatiſ.

ſima vitam per omne ęuum degentia. ex quibus planè ex Ariſt. ſententia efficitur, neque ſupremam ſphæram, neque eius ſuperficiem in loco eſſe, aut eſſe per ſe: neque ſempiternus eius motus rectè in tempore eſſe dici poteſt: quoniam nihil à tempore patitur ex Ariſtotele. Aeternus eſt, nec æterna in tempore, eo ipſo quod ęterna ſint, eſſe conueniunt, vt conſtat ex 4. lib. Phyſic. tex. 116. 117. Sed quid ſit ſuperficiem vllam in loco eſſe, non intelligo, niſi ratione corporis, cuius eſt ſuperficies: ſiquidem ſola corpora Ariſtoteli, & ſi non omnia propriè, & per ſe in loco eſſe dicuntur. Qua enim ratione de ſuperficiei loco eadem etiam de lineæ, & puncti loco, atque etiam accidentium omnium, quæri poſſet Ariſt. cap. 1. lib. 4. Phyſic. tex. 9. vt igitur accidentium nullus ſit, ſic ſuperficiei locus per ſe nullus eſt, aut eſſe poteſt.

Dictare amplius non poſſum, tum quia inſtat hora ſumendi decoctum ligni guaiaci, tum, quia publicus tabellarius diſceſſum feſtinat. Emendato errores, quos ſcribendo fortaſſis plurimos commiſit ſcriba hic negligentiſſimus. Aliis quęſtionibus reſpondebo cùm potero. Vale, & meo nomine Leoctio Vrſetto ſalutem plurimam dicito. Taurini 12. Iunii. 1590.

EIDEM.

An cutis, vel caro, vel neruus, vel cor ſit ſenſus tactus organum ſecundum Ariſtotelis ſententiam, expenditur.

REVERTOR hodie, Fauſte, ad quæſtiones tuas. Proponis de organo tactus diſputationem hiſce verbis.

Tertiò, quod nunquam Præceptor meus Conterraneus tuus, & alii clariſſimi Philoſophi determinare potuerunt, eſt, quodnam, ſecundum Ariſt. dogmata, ſit origanum tactus.

Maximè admiror, quod ſcribis: nam Archangeli Mercenarii conciuis mei citra omnem controuerſiam Philoſophi præſtantiſſimi, & de Philoſophia optimè meriti, tanta fuit doctrina, taleque acumen ingenii, vt nihil in Ariſtot. aliorumque Peripateticorum libris adeo obſcurum exiſtere cenſeam, vt vel ille non dilucidauerit hactenus, vt eius monumenta teſtantur, vel certè explicare, & (quod dici ſolet) ad viuum reſecare non potuerit: ſed eſto hoc Problema determinare, vt dicis non potuiſſe; an fortaſſe poterit Augenius? qui totius Galeno, & Medicinæ addictus, Philoſophiæ ſtudia iam diu intermiſit: non certè ſpero me ſcripturum quicquam, quod ſapiat tibi, & tamen facere periculum volo, vt Leoctio meo oſtendam, quantum ille apud me poſſit. Tu poſtea, ſi non ſatisfecero, non me ipſum argues, ſed pro tua modeſtia in bonam partem accipies.

Anceps fortaſſis videbitur quibuſdam, Ariſtot. hac de re ſententia, cum vario modo de eiuſcemodi organo loqui videatur: aliquando enim tactus organum carnem eſſe dixit, vt conſtat 1. de hiſto. animalium, cùm ait: Inſimulari ſubſtantia, vt carne, vel aliqua proportionali parte locatur vis contangens: Idem confirmat in ſecundo de par. ani. c. 5. 8. & 10. quibus in locis ille dixit, nec ſanguinem, nec vllum excrementorum vim tactus habere, ſed tantummodo carnem ipſam: rurſus verò lib. 2. de anima. contex. 116. neruum locum eſſe huiuſce ſenſorii apertiſſimè ſignificauit, dum inquit: Intus & carne intectum tactus organum eſſe, id eſt, ipſum neruum, carnem verò medium, ibidem aſſeruit eſſe, per quod tactus fit. Poſtremò quam plures etiam extant loci, quibus vtranque opinionem reprobare videtur mihi, ſcilicet neque carnem, neque neruum organum eſſe tactus, ſed quidpiam intus exiſtens iuxta cor. Affero hic nonnullos lib. de ſenſu, & ſenſilib. vbi ita ſcribit: Tactus terræ aſſignatur, cumque guſtus ſpecies quædam tactus ſit, vtriuſque ſenſorium cor eſt, quod cerebro eſt oppoſitum, & cęteras partes calore vincit. Idem etiam in 2. de partibus animalium, c. 2. & 3. eiuſdem tractationis, cap. 4. libello de ſeneƈt. & iuuent. de ſomno & vigilia, Locus virtutis tactiuæ, dicebat, eſt cor, nec duntaxat tactiuę, ſed cuiuſcunq; ſenſitiuæ facultatis, quinimo mouendi, nutriendique.

Magna hæc summi Philosophi verborum dissonantia, maxime ancipites reddidit eius interpretes, & minime in hac materia cōcordes: inuenio enim tres adesse illorum sententias. Auic. quidem lib. 6. natural. part. 2. c. 3. dicebat, tactum & gustum absque medio sentire, & carnem esse organum. Experimur enim dicebat, acu supra carnem posita immediatè sentire. Sensatio non fit, nisi cum obiectum sensibile vnitur organo: at vnito tangibili cum carne, statim perceptio fit illius. Alexander Aphrodiseus in Paraphrasi de anim. c. de contactu idem scribit, hancque demonstrationem affert. Enimverò (inquit) tactus natura in quadam symmetria consistit primarū qualitatū, hæc verò nō inest nisi in carne. Philoponus omnino eandem admittit sententiam in 2. de anima, in explanatione contex. 116. Auerroes in hoc commentario ait, neruum esse hoc sensorium, non carnem: motus duabus rationibus Aristotelis. quamuis postea alibi se ipsum retractauerit, quemadmodum arbitror te nouisse. Sic putauit Themistius libro secundo de anima, cap. 38. Galenus libro secundo de temperam. ac sæpè alibi. hac de re in libello de vsu pulsuū dixit statim in principio: Si funiculo religentur nerui corporis particulæ prorsus insensibiles remanent. Auerroes autem hanc potissimum demonstrationem adhibet. Tactus (inquit) medio, atque organo indiguit, quemadmodum alii sensus. hæc igitur duo, vel sunt omnino idem, vel non. Quod sint idem, impossibile est dicere. erunt igitur diuersa: ideoque caro medium erit, neruus autem instrumentum. Tertia opinio est eorum qui contendunt, cor esse organum sensus huius, quam inter Græcos Simplicius in secundo de anima, tex. 116. substinet, & alii nonnulli ex Latinis explanatoribus.

Ego quidem putauerim hasce tres opiniones concordes reddi posse in hunc modum, nempè vt statuamus circa sensus considerari posse tria. Originem ipsorum, præcipuumque fundamentum: proprium, ac immediatum instrumentum: Tertium verò medium. Si originem contemplemur, dubio procul tactus, imo vniuscuiusque sensus, ac etiam motus, nutritionisq; principium ex Aristotele statuitur cor ipsum. Sed prętermissis aliis sensibus idcirco tactus originem cor esse ex illius sentētia putauerim, quod cum terreus sensus existat, plurimoq; indigeat calido, cor ipsum calidissimum est, simulq; densum, benè compactum, ac planè terreum: ita enim conueniebat, quia alioquin contraire, & resistere calori non poterat, nec benè continere, & conseruare. Etenim calidi natura est rarū facere & dissipare. Hinc putauerim dictū ab Arist. fuisse lib. 2. de anima, sensitiuum omne cum calido esse, i. ad omnes sensuum actus vitales requiri, repeririq; spiritus: qui subtilissimę sunt corporis partes ex purissimo, & defœcatissimo sanguine geniti in ipsius cordis substantia, ad omnia sensuū opera procul dubio concurrentes, & per quàm necessarii. Quam ob caussam clarissimè patere potest omnium fundamentum, & originem sensuum esse cor. hoc dicere voluit Philosophus lib. de Sensu, ac sensibil. cum ait: Tactus autem potestas terræ est. Gustatiuum verò tactus quædam est species. & idcirco iuxta cor ipsorum est sensiterium, gustus inquam, & tactus. Cerebro enim oppositum est cor. Et omnium est partium calidissimum.] de principalissimo igitur, & originali organo, fundamentoq; omnium sensuum, ita sentio secundum Aristotelem.

Aliud verò proximum est instrumentum, quo mediante iudicium facit sensitiua potestas de obiecto sensibili: nam quemadmodum lingua iudicium de saporibus facit: sic neruus à corde originem ducens, ac vniuerso corpori distributus, iudicium facit de qualitatibus tangibilibus. Atque hic propriè locus est sensorii virtutis tactiuæ. de qua re pulchrè scribit in lib. 2. de part. ani. c. 10. hisce verbis: A corde manifestè tactus dependet, atq; vniuerso corpori distribuitur.] Animal igitur mediante hac virtute distributa à corde per ipsos neruos tactilia iudicat. ideoque ab eodem scriptum legimus lib. 3. de anima, prope finem, hanc virtutem animali à natura fuisse traditam, vt se ipsum tueri posset à caussis illius substantiam corrumpentibus: iuisset enim in ignem & aquam. Quapropter totum, animal, & quælibet eius pars de tactilibus qualitatibus iudicium facit.

Cæterùm caro ipsa medium est, quo fit eiuscemodi sensatio: est quidem veluti quoddam vehiculum facultatis huius, quód vniuerso corpori distribuit sensum. caro enim idcirco sentit, quia neruum insitum habet. Tollas enim à carne ipsum neruum, certè, vt Galenus aliquando dixit, non sentiet. propterea rectè concludere videtur mihi in secundo tractationis de anima, carnem non esse organum tactus, sed medium: licet non ita videatur Toleto. Quando igitur ille scribit. Carnem sensorium esse, & locum virtutis tactiuę: inquit magnus Commentator ipsum apparenter fuisse locutum. Apparet enim sensorium tactus esse carnem, cum verè sit neruus per carnem dispersus, à quo illa sumit sentiendi potestatem. Quod autem Alexander inquit, Symmetriam quandam reperiri in carne, qua perficitur tactus natura. hoc magis denotat medii perfectionē, quàm instrumenti. Cum igitur Aristoteles in libris de historia animal. & de partibus, carnem pro instrumento recipit sensus tactus, dico non fuisse exactè locutum, sed probabiliter, vel, vt Auerroes dicit, apparenter: quemadmodum sæpe in iis libris loqui consueuit: at in libris de anima scientificè, vt ita dicam, loquitur. De hac controuersia, quæ magna est, ita sentio secundum Aristotelis dogmata. quę an sint à Medicis admittenda, alterius est contemplationis: Tu verò solum sententiam Philosophi ex me quærebas.

Breuissimè satisfacio postremæ difficultati. fit purgatio pharmaco attrahente, ac natura expellente. Ex venis, & extra venas humor deducitur. Per venas trahitur, & extra venas: per canales apertos, & cæcos ductus. Vis pharmaci necessariò semper transmittitur ad humorem purgandum. Non tamen substantia: quamuis aliquando transmittatur. Per easdem vias, per quas alimentum partibus mandatur, ac etiam per alias. Purgant pharmaca proprietate totius substantiæ. deducitur hæc ex particulari elementorum permistione, quam aliqui proprietatem temperamēti vocarunt, nō sine facultate cœlitus communicata. Sunt hæc, Fauste, libro tertio more tractationis de purgandi ratione diligenter, nisi fallor, explanata: ac libro 12. epistolarum medicinalium alterius tomi ad Fauorinum Palestinorum Medicum duabus epistolis. Ex iis, quid sentiam de hoc argumento plenius consequeris. Vale, Taurini 24. Iunii. 1590.

PETRO CRISPO ROMANO, IN GYMNASIO MEDICINÆ THEORITICÆ PROFESSORI.

In reuellendo, naturæ motum esse imitandum. Reuulsionem aliquando fieri medicamento purgante. Venæ sectionem humorum fluxionem omnem retrahere non posse. Purgandum in augumento, & in status omni parte in diuturnis morbis.

NON sunt admodum stabiles, quæ sermone solo disputationes instituuntur: nam aut non bene auditum, aut non dictum, aut linguæ transcursum adfuisse, dicere plerique solent. At certè semper manet scriptura. Prætermitto hac de caussa, quod mecum disputans, dixisti; vel, vt rectius fortassis loquar, dicere voluisti: atque hisce literis scribo quid sentiam, vt si non placuerint tibi, audacter possis, quod te facturum pollicitus es, disputare mecum. Hac enim ratione potissimum inueniri posse veritatem putauerim: & spero, te vel his ipsis manum daturum, vel me tuis rationibus admonitum, aliquando palinodiam recantaturum.

Aphorismum vigesimumprimum sectionis primæ, in quo ita scribit Hippocrates. Quæ ducere oportet, quo maximè natura vergit, per loca conferentia eo ducere. Soleo interpretari non solum de vacuatione, & deriuatione, sed etiam de reuulsione. Oportet enim Medicum naturæ motum animaduertere, & si quidem idoneus fuerit, ei conuenit subministrare, & adminiculari. si verò contrarius, & noxius, prohibere, transferre, atque diuertere oportet: atque in vtroque motu naturam semper imitabitur. nullam tibi faciunt difficultatem, deriuatio, & vacuatio: at maximam reuulsio, vt qui consequi non valeas, quomodo imitemur

imitemur naturam dum reuellimus, si in contrarium humores ipsos retrahimus: atque scripserit Hippocrates libro de humoribus. Deriuatio in latera, qua maximè vergit: at reuulsio in supernis deorsum, in infernis sursum. quibus verbis deriuationi videtur tribuere, quod fiat, qua maximè vergit natura, non reuulsioni. Sicque, nisi decipior, argumentari videris mihi. Qui humorem attrahit in contrarium, quàm ab ipsa natura moueatur; hic sanè motum naturæ non imitatur. At qui reuellit humorem, trahit in contrariũ situm, quàm à natura moueatur: ergo qui reuellit, non imitatur motum naturæ, neque ducit, qua maxime illa vergit. Ratio hæc, licet videatur primo aspectu difficilis, ac illi non mediocrem Senis verba lucem afferre, tamen à nobis facilè explicabitur, tum, ex natura ipsius rei, tum ex verbis Galeni.

Natura sanat morbos & vacuando, & deriuando, & reuellendo. in primis operibus, quia controuersum non est, ita rem sese habere supponamus. Versemur in posteriori. Iecinoris inflammationem, ac lienis non raro incipientem fluxu sanguinis è naribus sanatam nouimus, ex dextra nare in iecinoris, & ex sinistra in lienis affectu. Nephriticos affectus non parum iuuari vomitu, quemadmodum etiam hystericos experientia manifestissimum facit. Cardialgiam liberat vomitus, vacuationis gratia, at reuulsionis alui fluor. Sanatam mulierem vidi vomentem sanguinem superueniente purgatione menstrua. Sufficiant hæc pro exemplo. Quæ si vera sunt, cur non debebit Medicus suas in contrarium ad exemplar naturę moliri vacuationes reuulsorias. Semper imitanda est natura in iis, quæ bene operatur: quemadmodum vbi motus facit noxios, & ad partes, ad quas nõ debet, oportet (dicebat Galenus) prohibere, trãsferre, atq; diuertere.

Quia ita placere tibi scio, Galeni verbis confirmabo. is enim habet libro de humoribus, sect. prima, comment. 13. hæc verba. Medicus autem debet naturam imitari. Id ipsum autem ipsa facit persæpè, vt est in aphorismis conscriptum. Si, inquit, mulier sanguinem vomat, menstruæque purgationes superueniant, morbus soluitur.

Quocirca nos cum menstruę purgationes vehementius, & confestim euacuantur, & cum sanguis ex vtero fluit, sursum reuellere consueuimus; quod cucurbitula maxima, sub mammis affixa, facimus. Sanguinis verò ex naribus profluuium, inita ratione contraria, hoc est maximas cucurbitulas pręcordiis adhibentes, cohibemus.] Rursus quinto Aphor. com. trigesimosecundo, inquit explanans Aph. Mulierem sanguinem vomenti, menstruis erumpentibus solutio.] Non absque ratione. Erit enim retractio simul, atque vacuatio sanguinis ad superiora tendentis. Hoc quidem igitur, & experientia comprobat vtiliter fieri. Nos verò ex ipsa permoti naturę opera, quę benè gerũtur & imitabimur: & mulieres hac passione laborantes, misso sanguine ex vena vacuabimus.] hæc Galenus. Plures possem in confirmationem opinionis huius afferre locos, sed hi sufficiant, cum nullam omnino habeant dubitationem.

Cæterùm in hoc deficit ratio, quod non distinguit motum naturæ, à motu morbi: non enim natura humores mouet, cum fit inflammatio: sed ratione morbi fit humorum fluxio, vel ob calorem, vel dolorem, vel acrimoniam, vel malam qualitatem, vel multitudinem: propterea non ducimus in contrarium, quàm moueat natura: sed instituimus motum contrarium humori fluenti ob aliquam occasionem morbificam: natura alioquin irritata, & stimulata: ideoq; non est bonus ille motus, propterea non imitandus, sed reuellendus in contrariam sedem, ad quam natura cum benè operatur, mouere solet: & hunc dicimur instituere motum ad imitationem naturæ.

Reuulsionem aliquando fieri medicamento purgante docui aliàs, nisi meum me fallit iudicium, diligenter, nempè in epist. 2. prioris tomi Epistolarum Medicinalium. eam, si placet, per otium legito. Nunc volo iis addere alios Galeni locos non minus dilucidos, vt tu, qui eius doctrina delectaris, apertissimè noscas, hunc admirabilẽ authorem semper fuisse in hac materia sibi consonum. In libro de humoribus sectio. 1. com. 13. in hunc modum scribit, de reuulsione agens.

Ita etiam in libro de vlceribus ſcriptũ comperies. In omni, inquit, vlcere, cui ignis ſacer ſuperuenit, purgandum corpus eſt, qua vlceri maximè prodeſt ſiue id per ſuperna, ſiue per inferna fiat. Ac nobis eandem obſeruandam eſſe diſtinctionem tradit, vt ſciamus ad ea loca materiam eſſe reuellendam, ad quæ maximè vergit: quare ſi vehementer fluxio feratur, eam ad contraria reuellemus, vt ſi in ſuperioribus vlcus ſit, per inferna purgemus. Si in inferioribus conſiſtat, ſuperiorem ventrem vacuemus.] hæc ibi: quę videntur multò manifeſtiora, quàm quod debeant explicari. Alius locus eſt libro de fract. com. 2. t. 27. vbi inſcribitur. Melius etiam eſt, vt veratrum bibendum, aut eodem die, aut poſtridie exhibeatur: tertio verò die ſoluatur, ac rurſus ligetur.] Galenus in commentario ait. Non ſolum ea ratione, vt excrementa expurgentur, veratrum bibendum tradi iubet, ſed etiam vt reuellantur: nam ſatis patet, quod album veratrum ciendi vomitus gratia præbet,] & parum infra. Porrò quod excrementitios humores, tum vacuari his, qui ita affecti ſunt, tum etiam ad contraria loca auerti, ſummopere conducat, ſatis euidens eſt.] En igitur Galenum vomitum prouocaſſe ex veratro albo ratione reuulſionis: conſimiles inuenies in eodem authore ſententias ex ſecundo, & tertio de fracturis, & ſecundo de articulis. Quid hic reſpondeas neſcio. An fortaſſis dices aliud eſſe prouocare vomitum, aliud per inferiorem ſedem purgare: ſi ita putaueris, quod non reor, Galenus te ipſum arguet: nam in ſuperiori loco meminit vtriuſque reuulſionis tum ſuperioris, tum inferioris, cũ dicit, vt ſi in ſuperioribus vlcus ſit, per inferna purgemus: ſi in inferioribus conſiſtat, ſuperiorem ventrem vacuemus.] Deinde verò vrget maximè ratio ipſius reuulſionis: quæ vt fieri poteſt per ſuperiorem partem, ſic per inferiorem nihil impedit exerceri, vt puta, quæ dependeat à fluxione. Mox ſi veratrum album pro vomitu efficiendo exercetur, cur non poterit exhiberi aliquodpiam minus efficax, at longè tutius pharmacum pro expurgatione inferioris ventris. An etiam dices, reuulſionem eſſe tutam, vbi non adſit febris, medicamento purgante? At cur Hippocrates in ſecundo acutorum com. pro curatione pleuritidis occupantis inferiores coſtas, purganti vtitur pharmaco gratia reuulſionis, ſecundum explanationem Galeni in commentario decimo & vndecimo? aut enim illius admittis ſententiam, aut nouam imaginaris. Si admittes, iam concluſum fuerit, licere pro reuulſione vti pharmacis purgantibus etiam ſi febris adſit. Sin admittas, iam ſcies te diſcedere ab explanatione Galeni, à quo nefas eſſe putas, vel latum vnguem diſcedere. Dices Galenum laudare magis venæ ſectionem. At rem non ita ſeſe habere cognoſces facilè, ſi acuratè volueris legere, quæ ibi conſcribuntur. Galenus contendit purgatione longè tutiorem eſſe venæ ſectionem: hanc verò aliquando tutiorem. nempè quando febris eſt ardentiſſima, & incognita ſit ægroti natura: in quo etiam caſu nec planè interdicit ab vſu pharmaci. Sed ſi febris ſit mediocris, vel non acutiſſima, purgari omnino vult corpus, aut helleboro & peplio, aut hiera diacoloquintide. Præterea in vlceribus malignis, in quibus de congrena viget ſuſpicio, cur non aderit febris? at in hiſce vlceribus ille veratrum album exhibet. In magnis etiam vlceribus, ſi cum eriſipelate complicentur, neceſſario aduenire febrem non eſt dubitandum: Audias modo, quæ Galenus 4. metho. cap. 6. ſcribat eadem repetendo, quæ libro de humoribus. Quare in omnibus his nõ immerito purgare per aluum iubet. in progreſſu verò hęc inſuper adiicit. In omne vlcere, cui eriſipelas ſuperuenit, purgari corpus oportet, qua parte vlceri maximè conducit, ſiue id per ſuperna, ſiue per inferna ſit. cuius etiã ipſius rei diſcrimen in libro de ſuccis non edocuit, auertere nos iubens ad contrariam, deriuare verò ad latera, quin etiam cum maximè influit, tum ad diuerſa reuellere. Dictum verò de hoc & in eo libro eſt. Quare & nunc quoque ſi etiamnum fluxio vehementer irruat, reuellere ad contraria ſtudebimus; vtique ſi in ſuperioribus vlcus conſiſtat per inferna purgantes: ſin autem in inferioribus ſit, ſuperiorem ventrem vacuantes.] Hactenus ille.

Hic ego etiam atq; etiam admiror, putare te venæ ſectionem in omni fluxione va-

ne vacuationem pro reuulsione exigente præponendam purgatione: atque quod statuas phlebotomiam in materia turgente purganti pharmaco longe tutiorem. Si enim ad exulceratam particulam confluat flaua bilis, corpusq; plectoricum non sit, quomodo venæ sectio conueniet? regula est. Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & facile ferunt. sin minus contra. At cur sanguinem vacuas, si nullum in sanguine vitium? si non multitudine corpus aggrauat, non putredine, non motu? sic certe confundentur prima principia artis de purgandis corporibus institutæ: ea quidem sunt, purgandum esse, si cacochymia adfuerit: venam secandam, si aut sanguinis multitudo, aut eiusdem motus fecerit negotium.

Morbis ex materia turgente proficiscentibus phlebotomiam esse vtilem, nouum decretum est, quod in hanc vsque diem te duntaxat authorem habuit. Scio enim, Hippocratem & Galenum frequenter mentionem fecisse horum affectuum, at iis conuenire purgationem duntaxat scripserunt: vt puta, qui semper prætermiserint phlebotomiam, quam nunquam prætermisissent, si necessariam iudicassent. Num fortassis dices, turgere sanguinem? rectius fortassis diceres moueri ac fluere: nam id verbum, si recte iudico, ad humores excrementitios refertur. ac si turgere admiseris, etiam purganti pharmaco educendi concedas oportet, quod quam sit absurdum, alii iudicabunt. Pleuritidem occupantem inferiores costas turgentem vocare non conuenit: quia sic etiam erit turgens, quæ superiores occupat. Deinde omnes inflammationes fierent ex materia turgente. Haud negauerim, Crispe, in complicatis indicationibus præponendam aliquando venæ sectionem purgationi: sed hoc non est opem ferre turgenti humori. de qua re fortassis plura.

Medicamenta purgantia in iis morbis, in quibus natura iudicare non solet, vti sunt diuturnæ quædam febres, inflammationes quædam internæ, lues venerea, morbus comitialis, vertigo, aliisque consimiles, dari tuto possunt in augumento, & in statu. Idcirco non adhæreo illorũ opinioni, qui contendunt nunquam purgandum, nisi in fine status, & in declinationis principio. Multis probare possem meum hoc institutum, sed ero paucis contentus. Primo ad Glauconem cap. de curat. quartanæ scribit. Etsi coctionis notæ apparuerint, tunc purgare oportet iis, quæ humores atros exinaniendi vim habent, non semel tantum, sed & sæpius, si fuerit necessarium. lib. 13. meth. c. 15. agens de iecinoris inflammatione, sic inquit: Procedente autem tempore, vbi phlegmon iam concoquitur, etiam valentioribus vrinam mouentibus medicamentis in cibis vti licet, nempe assaro, & celtica nardo, & phu, quod vocant, & petroselino, & smirnio, & meo. sicut etiam per ventrem vacuare, si iecinoris cauum afficitur, cnico cibis admisto, & vrtica, & mercuriali, & epithimo, & polypodio, & omnibus præterea, quæ modice aluum deiiciunt, magisque in remissionibus, tum iis ipsis audacius, quam antea vtendum: tum vero quę iis sunt valentiora partim in ptissana incoctis, partim tussis, & in tenuissimum puluerem redactis. Exhibenda vero & hæc sunt, vel ex ptissana, vel ex aqua: ego namq; etiam polypodii aliquid in ptissana aliquando incoxi, & nigri veratri corticem.] Hæc ille. Auicenna in curatione epilepsiæ Hieramhermetis quotidie bis exhibendam præcipit. Dioscorides anno integro Brioniæ radicis drachmam vnam comitialibus, vertiginosis, & attonitis potandam suadet. Postremo clarissimi Medici in sanatione luis venereæ, si quando sudores ex ligni guaiaci decreto prouocari non possint, miscent pharmaca purgantia quotidie, vel alternis diebus magno successu, quam medendi rationem tanquam tutissimam, pro curatione viri illustrissimi, multis etiam reclamantibus Medicis iniui.

Hæc habui, quæ occasione disputationis nostræ scriberem ad te, non vt contradicerem tibi, sed vt tecum disputans, veritatem inuenirem. Vale, & me quod facis, ama.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER TERTIVS.

10

Augenii responsum pro præseruatione à sputo sanguinis, è pulmonibus, ex erosione & ruptura. Pro admodum Illustri Comite Polongheriæ, & Rignani D. Filiberto Costa.



VIA præseruatio eisdem fit remediis, quibus curatio in eo duntaxat existente differentia, quod, qui curantur, celeriorem postulent operam præsente morbo, qui præseruantur tardiorem imminente morbo, idcirco ex caussis deducendæ 20 sunt indicationes præseruatiuæ, remedia, & medicinalis materia. Thesim vero hanc ponere in primis debemus, nempe reiectationem hanc sanguinis, cuius præseruatio quæritur iam ex erosione incepisse: mox autem ob sanguinis copiam, & ob tussim vehementem ruptam fuisse venam: eandemque adhibitis remediis tandem consolidatam fuisse, ac regeneratam carnem, huius rei duo facere mihi videntur fidem manifestissimam. alterum quod amplius non expuit sanguinem, nec etiam purulentum quidpiam: alterum vero quod omnino febris iam diu desierit: ad de his, quod tussis non est amplius illi molesta, difficultasq; respirandi nullum 30 facit negotium. Quæritur igitur præseruatio, ne rursus in eundem affectum incidat. Præseruabitur causis remotis erosionis & rupturæ. Erosionem fecit salsa & acris materia è cerebro destillans: rupturam sanguinis multitudo, & tussis vehementia. Primum incumbendum cerebro, ne materiam tenuem & acrem mittat pulmonibus, reuellendo ipsam ad superficiem capitis, forasq; deducendo: mox, quæ in pulmonibus impacta est, contemperanda & educenda etiam est. Tussis vehementia mitiganda, & sanguinis inanienda multitudo est, si de cętero facere videbitur molestiam. Nunc enim ob sanguinem tussiendo reiectatum, ob venæ sectionem sæpius repetitam venę sectioni non est incumbendum. Materiam medicinalem proponamus, & rectum illius vsum.

Primum omniũ abraso diligenter capite in tota sutura coronali vesicatorium 40 est adhibendum, & octauo quoq; die innouandum vno mense cum dimidio. Serosos & acres humores è cerebro confluentes in pulmonum substantiam hac ratione citra incommodum reuellemus, fiet vesicatoriũ ex cantharidibus præparatis, & euphorbio, aceto, & fermento, atq; vbi horas 12. permanserit, vesicasque generauerit, rumpēdæ sunt, sanies detergenda, & butyro loto locus illinendus, ne statim consolidetur: mox septimo aut octauo die repetendum. Dum vero iis incumbit, bilis vacuanda per inferiorem sedem colalogis leuibus, vt cassiæ flore, & tamarindis in hunc fere modum. Recipe floris cas. no. extractæ drach. x. 50 pulpæ tamarindorum vnc. s. fiant boli cum zuccharo sumendi decimo quoque die horis duabus ante prandium: suspecta est mihi etiam atq; etiam expurgatio aut per errhina, aut per masticatoria, quia licet deriuando aliquid prodesse valeant, ob viciniam tamen affecti loci pulmones repleri possent. Atq; suffitus imperandi ad acres tenuesq; fluxiones accommodati eunti, scilicet dormitum, ac etiam surgenti à lecto, vt Rec. rosarũ rubearũ, mastiches, vernicis, succini singulorum contusorũ vnc. s. pro suffitu misceatur in quatuor doses, vel ex foliis siccis tussila-

tussilaginis, vel, quod erit longe præstantius, ex foliis tabacchi suffitus fieri possunt. Eodem suffumigetur cucullus, quo noctu caput integitur. Zuccharum præterea rosaceum post cœnam sumptum inire opitulabitur, si præsertim ipso ad multos menses obstinate vtatur.

Verum quia in vniuerso corpore humores adsunt acres, non modo biliosi, sed etiam salsi ac melancholici atræ fortasse bilis naturã præ se ferentes, hac de causa omni opera ac diligentia sunt contemperandi medicamentis & alimentis. Præ cæteris lac asininum laudandum, quod tum humectare gracilem habitum corporis poterit, tum nutrire, ac etiam humorum poterit acrimoniam contemperare. Nescio, an aliquod possit, vel in genere alimentorum, vel pharmacorum inueniri magis accommodatum præsidium. Sumat vnc. quinq; hora matutina recenter munctum, & addito zucchro, ne aut in grumos vertatur, aut in qualitatem nidorosam aut acidam. Non est dormiendum assumpto lacte, sed leuiter in cubiculo ambulandum, non sufficiet mense integro, sed duobus mensibus continuis diebus sumendum. Prandium tunc leue sit post illius potum horis quinq;. Repetendum in fine veris & vigente canicula, & in autumno: nisi forte temperatiori constitutione anni aquas Villenses potare voluerit: tunc abstinebimus lacte vere & autumno: sufficiet dedisse canicula vigente: sane putauerim Villenses aquas non parum profuturas, quia refrigerant corporis habitum, roborant, exsiccant temperate, ac si quæ vlcera in corpore continentur, ea conglutinat, vbi antea diligenter deterserint. Obseruaui sanguinem reiectare solitos, & ad phthisim dispositos mire cõualuisse ex Villensium aquarum potu. Quamobrem, si meo standum sit consilio, ineunte vere accedet audacter ad illarum vsum. Non est præterea hoc loco prætermittendum aquæ dulcis balneum, quo acria excrementa in habitu corporis contenta euacuantur & mitigantur: hoc vtendum etiam Nouembri proximo, dum tamen domi sese contineat, caueatq; ab omni ambientis iniuria. Tempus opportunum vtendi erit matutinum, post lactis potum horis duabus vel tribus: satis erit in balneo contineri per tertiam partem horæ vnius, mox detersus balneo in molli lecto accumbere, donec veniat prandendi tempus. In cane repetendum simul cum lacte asinino.

Cæterum pro humoribus, si qui remanserunt, ê thorace detergendis, atq; pro pulmonibus præseruandis, ne rursus in eundem incidant affectũ. hæc iudicantur præstantissima. syrupus ex symphito & pulmonaria hoc modo præparatus, Rec. radicum, & cimarum consolidæ maioris & minoris an. m. iiij. pulmonariæ foliorum man. iij. rosarum rubearum, plantaginis, pimpinellæ, polygoni, scabiosæ, tussilaginis an. m. ij. è tusis omnibus recentibus exprimatur, succus coquatur ad lib. iij. & addendo zucchari fini lib. ij. s. fiat syrupus. Hic enim blande malos omnes humores detergit in pulmonibus existentes citra metum erupturi sanguinis. sæpe lambendo sumendus est. efficax est præterea conditum ex conserua rosacea & symphiti an. vnc. s. trochiscorũ de carabe, de terra sigillata an. scrup. j. corallorum, & margaritarum electarum an. scrup. s. cum syrupo supradicto, aut myrthino, q. s. fiat conditũ sumendum cochleare pro vice hora vna ante cibum. Si vero simplicius voluerit medicamentum, conseruam symphiti curabit præparari, eaq; vtatur assidue. fit autem conserua ex radice eo modo, quo fit ex buglossi radice & acori. Hoc autem tempore autumnali colligenda radix. Hanc etiam siccatam, & in puluerem redactam, si cum mulsa biberit, quæ facta fuerit ex aqua chalibeata, ad drach. j. pro vice mire iuuabitur. Tandem si hanc radicem coquet cum alimentis, optimam pro ipsa præseruatione præparationem habebit, quia quomodocunq; hæc vtatur quispiam, semper iuuabit.

Nunc victus rationem breuiter expedio. Extrema duo cauenda sunt in aere, nimia scilicet caliditas, & frigiditas, quæ duo diuerso respectu inducunt sputum sanguinis, caliditas quidem fundendo & generando acres humores; frigiditas comprimendo & condensando. Venti Australes ob fusionem, & ob capitis plenitudinem suspecti. Boreales ob condensationem. Hyeme igitur in locis permaneat calidioribus: Æstate vero frigidioribus: magis conuenit in passiuis qua-

litatibus aer siccus quam humidus. Caueat à multa locutione, à vociferatione alta & rixosa: silentium adeo conuenit, vt nihil magis. Accumbat in locis non admodum luminosis: deuitabit equitationem nocturnam, præsertim sub radiis lunæ: imo sciat insolationem illi esse perniciosissimam. Inter animi passiones ira maxime obnoxia est. Motus omnes corporis euitandi sunt: frictiones extremarum partium admittimus. Somno vtendum liberaliori nocturno duntaxat, non diurno. Non dormiat, nisi duabus aut tribus horis à cœna. Omnem vitabit plenitudinem, persuadens sibi studium sanitatis esse non satiari cibis. si alui excrementa non reddantur quotidie, enematis vtatur non admodum acribus: minus cœnandum illi, quam prandendum. Vitentur omnia alimenta salsa, amara, acria, acida, nimiumq; tenuia: & in summa omnes cibi calefacientes, vt qui aromatis conditi sunt. in frigidorum ordine maxime vitetur acetum. Nocet caseus antiquus, laudatur recens non salitus: nam salis vsus modo id fieri possit, omnino intermittendus: Inter legumina laudantur hordeum, lentes, cicera, milium, panicum, oriza, far, zea, amylum: inter plantas optimæ sunt portulaca, plantago, endiuia, lactuca: inter carnes admittantur quæ participant siccitate & adstrictione, vt capreolorum, lepusculorum, cuniculorum, vitulorum, & suum pedes, rostra, aures, gelatina: aues omnes montanæ, vt turdi, & fasiani, & starnæ nuncupatæ, præsertim quæ paruæ sunt. Pullæ, & capi, & gallinæ vtiles: coctura sit, vt plurimum elixatio, sic indicante sicco habitu corporis, & acrium humorũ copia: non tamen interdicendus est omnino assatorum vsus. Pisces saxatiles vtilissimi, vt trutta, & lucius fluuiatiles. Gustare poterit aliquando in vltima mensa pyra austera cocta, mala cotonea, azarolas, mespillos, & sorbas. Vtendum vino pro potu, sed sit rubeum, maturum, non mustum, mediocris ætatis, temperatum aqua chalybeata. In qua etiam continuo sua decoquenda sunt fercula. Perplacet chalybem ignitum quinquies extingui in aqua, cauendo ne statim post prioris extinctionem alter imponatur, sed tantum interponi debet interuallum, vt amplius aqua non ebulliat. Soleo simul incoquere cortices malorum citoniorum, quæ tum odorem suauissimum, tum colorem præbent aquæ, imo vim corroborantem tribuunt. Oua sorbilia vtilissima sunt, cauenda frixa in sartagine, aut quomodocunq; præparata. Hæc summatim ea sunt, quibus ab imminentibus malis præseruabitur admodum Illustris Comes, ac etiam à reliquiis præteriti morbi liberabitur ad laudem & gloriam sanctissimæ Trinitatis.

FABIO APICELLÆ NEAPOLITANO MEDICO CLARISSIMO.

In conuulsione & paralysi partem affectam non esse omnino eandem: nec ab eodem humore prorsus concitari. Quomodo conuulsio statim fiat, statimq; soluatur facta ab humoribus viscidis. Cur post debilem Apoplexiam sequatur semper paralysis, post epilepsiam vero nunquam. Cur in putridis febribus exhibito medicamento purgante aliquando statim sese offerunt signa malignitatis. Cur in febribus acutis aliquando maior fiat exacerbatio diebus paribus. An hydrops à calida concitari posit intemperie. Postremo disquiritur, an sanguis singulis mensibus ex vtero effluens, ducatur ex venis internis vteri, an ex ijs, quæ apparent in eius ceruice.

PRO RESPONSIONE AD APICELLÆ PROBLEMATA.

EXPERIAR, an opera mea septem illas perdifficiles quæstiones abs te (Apicella doctissime) propositas, dilucidare possim, an eo quidem consilio, vt putem aliquid scripturum esse me, quod non multo antea tibi cognitum persuadeam, sed quia malo parum doctus, quam inofficiosus videri. Certe si non satisfecero, excusatione sum dignus, cũ hoc tempore publicæ, tum lectiones, tum disputationes reddant me occupatissimum: ad rem tamen veniens, sigillatim conabor

nabor respondere quæstionibus eodem inscribendo, seruato ordine, quem tu in proponendo obseruare voluisti.

Prima quæstio est, quomodo inuicem differant conuulsio & resolutio: caussa quæstionis est, quia affecta pars est eadem, musculi inquam ac nerui: humorque concitans idem humor, scilicet crassus ac viscidus. Respondeo, nec omnino eandem esse partem affectam, nec humorē, propterea affectus inuicem differre specie. Iam quidem si consideramus conuulsionem, quatenus essentialiter fit, non quatenus oritur ex consensu cerebri aut paraconphalidis, musculorum affectus est, qui tum breuiores ratione longitudinis, tum graciliores vel pleniores ratione latitudinis fiunt: nam aut affluens materia illorum imbibit substantiam, aut deficiens exiccat, tunc quidē semper & longe breuiores fiunt. Hinc deprauatus fit motus, dum scilicet musculus impletur, & exinanitur ex eorum potissimum numero, qui fiunt à solo morbo, nihil ad illorum efficientiam natura concurrente, quemadmodum Galeno placuisse scio. At vero postquam materia impacta est, ac musculorum substantia latior & angustior est reddita, actio deprauata conuulsio non est, sed morbus, vel in figura, ac magnitudine membri, vel etiam fortassis in intemperie & solutione continui: vel, quod affirmare audeo, compositus euadit morbus, quatuor inuicem concurrentibus morborū generibus. Admitto libenter conuulsionem proprie dictam fieri ab humoribus viscidis: sed non à solis fit humoribus: quia eandem efficit siccitas, vel humoris substantifici penuria: propterea Hippocrates conuulsionis duas differentias attulit, dum fieri asseuerat à plenitudine vnam, ab inanitione aliam. Quæ nunc dicta sunt, cum ipsa paralysi conferamus: hæc in primis non fit affectis musculis, sed neruis: atq; licet vtrunq; organum neruosum nuncupetur, musculus tamen proprie neruus non est, sed ratione similitudinis neruosum corpus nuncupatur, officiumq; distinctum à neruo habet: est enim instrumentum motus voluntarii, at neruorum, quidam non solum huic muneri destinati sunt, sed etiam quidam solum sensum, quidam vtrunq; officium complent; quæ vero sit ratio diuersitatis huius, alio in opere à nobis explanatum est. porro nerui efficiunt paralysim, id est, motus deperditionem, aut sensus, aut vtriusq;, non quod illorum substantia mucosa imbibatur materia, sed quia obstruitur meatus, per quem transit spiritus ad particulas corporis: vel quia impeditur transitus facultatis. Duæ sunt, vt nosti, Medicorum sectæ circa neruorum substantiam. contendunt quidam perforatos esse, ducique spiritus ipsos per meatum, quorum beneficio motus ac sensus exercetur. Alii vero integros contendunt inueniri neruos, facultatem vero per illos ferri, haud secus, quam lumen feratur per aerem, ac quemadmodum radii solares per diaphana corpora expanduntur: sic spiritus radiosam habentes qualitatem per neruos distribuuntur toti corpori: Si priorem sectam imitari placuerit, iam obstructio meatuum & cauitatis neruorum parit paralysim: si nerui motum præstant, solo motu pars priuatur: si vero sensum, admittit sensum: at si vtrunq; præstatur, & sensus & motus perditur. Si vero secundam admittere sectam placuerit, ex nerui præcisione, condensatione, ac compressione resolutio accidit. Neruus vndiq; præcisus non potest recipere facultatem: vt neque condensatus ac adstrictus res perinde habere videtur mihi, atque in sole, cuius radii domum clausam, aut subterraneas partes non penetrant. In hoc affectu musculus nihil patitur: solum neruus. Atq; hic non euadit breuior, vt semper in musculo, dum conuellitur, accidit: neq; fit amplior, aut gracilior, sed eandem omnino longitudinem ac latitudinem in paralysi seruat. Neque præterea ab eisdem caussis fiunt. Nunquam enim paralysim facit innanitio neruorum, sed semper à plenitudine gignitur. Videor hactenus primæ quęstioni satisfecisse.

Secunda dubitatio est, quod Galenus 3. de loc. aff. c. 7. conuulsionem dicat semper fieri à crasso humore, eo potissimum argumento, quod statim fiat, & statim soluatur: cuius oppositum contingere deberet, quia crassi humores non ita subito soluuntur, quemadmodum tenues.

Agnoſco, Apicella, difficultatem ab Auerroe contra Galenum propoſitam: ac certè quod dici ſolet de Galeno, & Ariſtotele, id dico de Galeno & Auerroe; veritatis inquam inueſtigationem non eſſe facilem, vbi inter ſeſe diſſentiunt. Duo tamen dicam, horum alterum eſt, Galeni ſententiam intelligi quidem debere de epilepſia duntaxat, non in vniuerſum de omni obſtructione in ſingulis partibus contingente: addo neque locum habere in vera conuulſione de qua agimus, nam epilepſia licet ſit conuulſio, impropriè tamen id nomen meretur, cum à natura fiat eiuſcemodi agitatio totius corporis conuulſiua, quatenus irritatur à cauſſa morbifica, vt alibi declaratum à me fuit. Porrò epilepſiam ipſam fieri contendit Galenus ab obſtructione ventriculorum cerebri: qui ab humore viſcido impleri ſtatim poſſunt, at à tenui minime, vtpotè qui non ita inhærеant meatibus, vt viſcidi, ſed facilè effluant: viſcidus humor, vt corpulentia magis implet, ſic viſciditate maxime adhæret, ſtatim vero ſoluitur obſtructio eiuſmodi, quia magnus adeſt naturæ conatus ad expellendum humorem in præcipua parte conſiſtentem: nequit enim obſtructio diu perdurare in loco præſtantiſſimo genita, vbi magna capacitas, & naturæ expellẽtis robur adſit. Quamobrem ſubita generatio obſtructionis fit ab humoris qualitate, ſubita ſolutio ex nobilitate partis & robore naſcitur expultricis: à tenuibus humoribus non ita facilè implentur ventriculi, quamuis vbi pleni fierent, ob eandem cauſſam cum facilitate exinanirentur. Sic nodus ex Galeni placitis diſſoluendus eſt. Alterum verò, quod tibi communicare placet huius dubitationis occaſione, eſt, me à Galeno in hac re longiſſimè diſſentire: nam epilepſiam non fieri à ventriculorum infarctu: ſecundò neq; ab humoribus viſcidis tanquam à cauſſa proxima concitari, ſed duntaxat ab euaporatione aliquapiam tenui, quæ faciat negotium cerebro aut acrimonia, aut maligna, deleteriave qualitate, quod demonſtratum à me fuit in tractatione de comitiali morbo. Vbi etiam illud dilucide arbitror me oſtendiſſe, epilepſiam propriè non eſſe conuulſionem.

quod ide statuit Fern: lib. 5º de partiu morbis. cap. 8. pag. 522.

Tertia quæſtio eſt, cur poſt apoplexiam inſequatur ſemper paralyſis in aliqua corporis parte, modo tamen imbecilla ſit apoplexia: quia fortem ſoluere, inquit Hippocrates, eſt impoſſibile. At verò nunquam obſeruatum fuit poſt epilepſiam paralyſim contigiſſe. Ingenioſa quidem difficultas eſt, quam ſecundum Galeni placita diſſoluere facilè, meo iudicio, non eſt. Nam ſi vterque affectus ab obſtructione ventriculorum cerebri gignitur, cur materia apoplexiæ miſſa à cerebro ad neruos facit paralyſim: cur eadem non ſequitur epilepſiam? imò deberet magis ſequi epilepſiam, quod in hac multò maior exiſtat conatus expultricis facultatis, quàm in apoplexia. Conſimilem quæſtionem olim propoſui Boldono Ticinenſi Medico, vt arbitror te nouiſſe, præſtantiſſimo, cur ſi à viſcidis humoribus obſtruentibus fit epilepſia, frequenter non accidit ſenibus, quos ab hoc ſymptomate immunes exiſtere tum experientia docet, tum Græcorum teſtantur monumenta. Affero tibi, quid probabiliter pro explanatione dicere conſueui. Epilepſia licet à viſcida fiat materia, in relatione ad apoplexiam non ſupponit multam copiam excrementorum: cumq; magnus adſit naturæ conatus ad expellendum, fit illius expulſio ex ventribus cerebri ad inferiores partes, & ad baſim: non verò ad poſteriores partes cerebri; hinc illa materia deſcendit per colatorium, parsq; in gulam, pars in thoracem, ac pars ſpumæ modo reiicitur: Hinc adueniente ſpuma ferè ſolutio adeſt epilepſiæ.

Magnum adeſſe conatum Galenus docet, dum potiſſimum aſſerit, cerebrum ſeſe concutere, & facultatem expultricem inſurgere ad expellendum. At in apoplexia magnus hic fieri conatus nõ poteſt, quia aut magna apoplexia eſt, aut debilis: ſi magna, ſtatim ægrotum occidit: ſi debilis, facultas partem materiei obſtruentis poſteriores ventriculos eructat in paracemphalide, & nuca; qui motus facilior eſt ratione vicinitatis locorum. Senibus verò non accidit epilepſia, ſed apoplexia frequentiſſimè, quia facultates habent imbecilliores: qua enim humoribus abundant viſcidis, facilè ventriculi implentur: qua imbecillas habent vires, facilè ſuffocantur. At in iuuenibus, ſi contingat obſtructionẽ fieri, ac-

cidit

uidit à robore virium fieri subitam expulsionem, cerebrumq; ipsum concuti sese, & violentissime moueri: ex quo affectu nascitur epilepsia: in hunc modum putauerim secundum Galeni principia satisfaciendum. haud ab re dictum fuit, secundum Galeni principia, quia aliter sentiendum in alio opere demonstrauimus. Cogor multa prætermittere studio breuitatis.

Quarto loco quæris, cur in febribus, quæ à principio nullam præbuerunt notam malignitatis, exhibito medicamento purgante, statim signa sese offerant malignitatis: quæ causa igitur obscurari eiusmodi signa fecit ante vsum cathartici? aut quæ vis fuit in cathartico, vt ea signa in lucẽ prodirent? Potest id con-
10 tingere duabus de causis, vna est robur virtutis: alia vero pharmacum. Exonerato corpore eo, quo veluti sarcina premebatur, de cætero natura facta potentior vndiq; expellere conatur, quod expelli debet, & concoquit, quod coctionẽ potest recipere: accidit quidem frequenter non posse naturam in principio, & in aliqua incrementi parte aggredi pugnam cum morbo, propterea tunc signa delitescunt malignitatis: at expulsa parte excrementorum, minoriq; iam reddita materia, vt cum Galeno loquar, apparent morbilli, maculæ illæ, quas vocant petichias, aut bubones in inguinibus, aut alia id genus, quæ licet malignitatem indicent, bona tamen & salubria signa censentur. Hic memineris magnitudinem febris, ac symptomatum sæuitiam fieri à naturæ vi & robore materiei coctionem
20 aggrediente, vt diximus in tractatione de febribus ex Galeno & Hippocrate. Secundo possunt eiusmodi perniciosa signa contingere ob pharmacum, aut non recte administratum, aut malæ qualitatis: tunc enim qui morbus benignus erat, sua natura euadit malignus: obseruaui diebus præteritis febrem tertianam fere exquisitam omnino salubrem ex pharmaco acriori & importune exhibito, euasisse continuam, vrinas perturbatas & crudas apparuisse, quæ prius admodum concoctæ videbantur; tandẽ vndecima post catharcticum interiisse: huius causæ meminisse Hippocratem libro tertio de ratione victus in morbis acutis, tibi notissimum esse putauerim. Quinta quæstio est, cur aliquando in febribus diebus paribus maior fiat exacerbatio, cum deberet contrarium contingere, præ-
30 sertim quia febres acutæ biliosæ videntur, ac idcirco exacerbationes efficiant de tertio in tertium. Pro dilucidatione huius quæstionis explanandus est locus abs te mihi propositus ex libro 3. epidem. sect. 3. Com. 74. in quo sic habet: Vel huius offendens omnia ab initio symptomata, & signa lethalia fuisse, & accessiones diebus paribus, vt ipse indicauit Hippocrates cum decimidiei narratione, quo obiisse illum dicit, addit diebus huic paribus labores (etenim mortem generale iudicii significatum amplectitur) vt est ostensum. Iam seruatum in hoc etiam est ægro, vt iudicia iis essent fere diebus, quibus grauiores labores, nam cum in dies pares inciderent, mors quoque in die est consecuta pari.] Hæc ille. Ex quibus duo potissimum colligo, vnum accessionum circuitum, à quibus
40 morbus exacerbabatur, diebus paribus factum fuisse. Aliud, mortuum fuisse decima die, non autem vndecima, aut alia impari die. Ita enim obseruatum est, impari die iudicaui, quorum circuitus fiunt de impari: atque iudicaui die pari, quorum exacerbatio fit die pari, siue ad bonum, siue ad malum ipsa fiat iudicatio. Videbitur fortassis obscurum, ne impossibile dicam, admittere me bonas fieri posse iudicationes die pari, cum infida sit illa dies, & tyrannicum quidpiam præferre videatur. Id vtique admitto, maiori ex parte contingere, falli tamen aliquando regulas vniuersales nemo est, qui nesciat, vel etiam mediocriter in artis operibus exercitatus, propterea Senex noster admirandus tertio de morbis vulgaribus asseruit, virginem in Larissa sexta die integre & perfecte ab
50 acutissimo morbo fuisse iudicatam: consimiles notaui casus, in libro obseruationum Cingulanarum & Taurinensium. Dices, te id confiteri, sed quærere causam, cur paribus diebus moueatur morbifica dispositio, quæ secundum propriam naturam moueri diebus debebat imparibus. Responderem, iudicia naturæ fieri in imparibus diebus, cum nihil omnino deficit ad iudicationis absolutionem; at si deficiat aliquid motum pari die fieri, idq; potissimum contingere

profiteor, cum natura nimium irritatur, tunc si valida fuerit, vt in virgine Larissæ commemoraui, morbus benè iudicari potest, sed si fuerit imbecilla, iudicium erit ad mortem, quod vt plurimum contingit. Leges enim naturę proportionantur humoribus, statutosq; habent dies, hebdomodas, menses, & annos, non sine concursu cęlestium corporum, præsertim Lunæ. Sic videor breuiter explicasse, cur diebus non paribus nunquam morbi exacerbentur, atque iudicentur.

Sexta dubitatio duas habere partes videtur mihi, quarum altera postulat an hydrops à calido affectu concitari possit, atque in vtramque partem doctissime disputas: alia verò paradoxum proponit, tympanitem scilicet non fieri iecinore affecto, vt perperam sentire tibi videtur Galenus; sed potissimum fieri ex affectu ventriculi, & intestinorum, cum magna in hisce partibus pituitæ copia, quæ postea in flatum conuertatur à caliditate maxima, contineatur: Pro responsione huius problematis volens prętermitto dissolutionem postremæ partis auidissimè expectans lucubrationem hac de re tuam, quam mihi polliceris, & certe arbitror magna artis nostræ vtilitate, & ęgrotorum commodo, te illam communicaturum. Sed non prætermittam suspectam mihi videri caussam de flatus generatione propositam, cum dicas, à maxima caliditate fieri. Duo enim sunt generationem flatus inhibentia; vnum calor ingens: Aliud frigus immoderatum. Ille quidem dissipat prorsus digeritq; materiam flatus: hoc autem attollere illam non potest, quamobrem, vt sine calore fieri flatus non potest, ita sine caloris imbecillitate conseruari nequit. Res perinde habet, vt nosti, atque in generatione ventorum, qui, nec hyeme, nec æstate multum vigent, sed vere duntaxat, & autumno. Sed hæc obiter, ad primæ quęstionis explanationem nunc aggredior. Quid Apicella impedimento esse potest, quin ascites ex acuto morbo statim fiat? quemadmodum ab Hippocrate in prognosticis, & à Galeno scriptum fuit? si, vt optime scribis, omnis immoderata intemperies actum impedit propriæ virtutis, cur non impedietur ex intemperie calida sanguificatio? Generabitur (dices) ex eiuscemodi intemperie humor acris, non aqua. Hic ego inquam non prohibere, quin acres etiam humores, potissimum salsi fiant, vt in hac hydropis specie generari profiteor: Sed aquę illius vbertas, quæ prominentem ventrem efficit, non gignitur ex intemperie calida; sed genita iam pridem ex vasis, veluti percolata transmittitur in capacitatem abdominis, omnisque ascites gignitur ex alia solutione continui per quam, veluti per emissarium sensim effluens aqua serosa additum sibi præbet in abdomine, sanguine crassiori in venis permanente. Hinc solum prominet abdomen in ascite: aliæ verò partes omnes maximè gracilescunt, sanguine scilicet nimis condensato, atque destituto ea substantia, quam illi pro vehiculo dedit natura. Promptissimi idcirco sunt ad ascitem, quibus rupta, aut exesa aliquando vena fuit, suppressaq; vacuatio sanguinis, diuisionis præteritæ adhuc aliquid conseruetur. Ac etiam ii, qui iecinoris potissimum scirro laborauerint. Atqui hæc mea est de proposito argumento sententia, quam in artis operibus esse admodum veram quotidie cognosco.

Postremum in medium affers dubitationem, an sanguis effluens prægnantibus ex vtero deducatur ex venis internis vteri, an ex iis quæ apparent in illius collo. Galenus satisfacere quæstioni videtur quinto aphorismorum sexagesimo, dicens, effluere sanguinem ex venis ipsius ceruicis, non ex internis, eo potissimum argumento, quod ostium vteri muliere vtero gerente, vndique clausum existat, sed multò magis, quia venæ vmbilicales in fætu desinunt in orificia acceptabulorum, ea implantantur secundis, quę rursus reliquas duas membranas, totumq; fœtum complectuntur, & circundant, ita vt ferè videatur impossibile, effluere posse sanguinem ex vtero. Quæ Galeni sententia, quemadmodum tibi, sic etiam mihi suspecta est: In primis extat Hippocratis sententia libro de morbis mulierum, qua dicit, quibusdam grauidis mulieribus hiare os vteri, ita vt effluere possint menses, quod si ita habet, nihil impedimento esse potest, quin sanguis effluat è cauitate vteri. Præterea Aristoteles libro quinto de historia animalium scribit, quibusdam tempore gestationis vteri fluere menses,

menses, quæ imbecillos, paruos, ac etiam parum vitales gignere solent fœtus: adde quod frequenter visitur sanguis effluere vtero gerentibus in magna quantitate, quam ex venis ceruicis exiisse videtur impossibile. Illustrissimam Marchionissam Planitiarum tertio mense gestationis supra octo libras sanguinis repente purgasse incolumi fœtu, & saluo obseruaui, multis etiam idem contigisse omnibus notissimum arbitror; neque obstat Galeni ratio, quia licet ostium vteri clausum sit, potest nihllominus emittere aliquid sanguinis per venas vteri capacitatem subeuntes, non planè occlusas, nec omnino fœtui membranis annexas, quæq; fœtum non continent, nec illi sanguinem suppeditant pro alimento, (neq; enim omnes venæ per quas sanguis ad vterum descendebat, ad fœtũ alendum perducunt sanguinem.) Deinde verò vrget non solum vtero gerentem superfœtare posse, vt scribis, sed etiam quod clausæ mulieres, vt in tractatione de virginitate scripsi, aliquando concipiant, quod fuit etiam ab Auicenna obseruatum: non erit igitur absurdum, os vteri aliquando non nihil hiare, cum ex capacitate sanguinem eructat. Quid igitur, an propterea arbitrabimur Galenum aberasse? non ego quidem id inquam, sed prosecutum fuisse illum putauerim, quæ plurimum contingunt vtero gerentibus, quæ singulo quoque mense expurgantur, in quibus sanguis magis ex venis in ceruice existentibus quàm ex vteri capacitate solet effluere.

Hæc sunt, quæ pro maximarum, quæ abs te mihi propositæ sunt, dubitationum dilucidatione, scribenda duxi: quæ si tibi viro doctissimo non satisfacient, vitio certè vertendum non erit Augenio, qui multis negotiis tum publicis, tum familiaribus implicitus, id certè præstitit, quod potuit. Interim te etiam, atque etiam oro, vt dubitationes contra Medicinales Epistolas olim meo genero, & me inscio editas, ad me, vt polliceris, scribere digneris: erit enim id mihi adeo gratum, quam quod gratissimum: cum sciam multò maius lucrum fieri à victo, quàm victore. Gratias tibi habeo immortales, quod me in tuorum amicorum numero cooptare volueris: reciprocam polliceor tibi amicitiam. Vale, & me, quod facere cœpisti, mutuo amore prosequaris. Taurini. 15. Aprilis. 1589.

Responsum in caussa dissolutionis Matrimonii inter Dominum & Dominam. Ad Auditores Romanæ Rotæ.

v. 624. hanc rem fusius tractatam?

AN contractum olim matrimonium inter Dominum N. & Dominam N. & post cohabitationem annuam, atq; concordem dissolui debeat, quæsitũ de me fuit. Ex vnico duntaxat fundamento dissolutio pendet quęstionis huius (nisi tamen decipior) nempè ex cognitione caussarum, quæ matrimonium ipsum vel confirmant, stabileq; reddunt, vel certè dissoluunt. Harum verò duplex differentia est: quędam enim pertinent ad Theologos, diuinorumq; Canonum professores: quædam ad Physicos, Medicosq;. De prioribus non tractabimus, quia in illis nihil, quod sciam, controuertitur: Agam igitur duntaxat de caussis ad Medicos pertinentibus, præsertim quia in hac controuersia illorum perquàm necessarium iudicium est. Duæ sunt, contrariæque omnino sententiæ, quarum vna contendit dissoluendum esse matrimonium, quod Dominus N. non possit vti re venerea. Alia verò id non admittit, putans non debere fieri inter ipsos diuortium. Ego adhæreo huic postremæ: quod ne videar gratis dixisse; primum validissimis, nisi fallor, rationibus demonstrabo, sumptis à principiis caussisque necessariis, Dominum N. naturalem habere potentiam ad exercendam rem veneream. mox verò propositis rationibus alterius opinionis, illis conabor satisfacere.

Suppono autem in primis ad exercendam rem veneream cum sponsa, primò requiri generationem seminis: Secundò eiusdem iaculationem in vtero. Duo hæc adeo necessaria sunt, vt si aut ambo, aut horum alterum tollantur è medio, congressus inter sponsos fieri non possit. Porrò ad seminis generationẽ ex com-

muni omnium Medicorum consensu, concurrunt vasa seminaria, ac testes, vt proxima generationis instrumenta: sed cor, iecur, cerebrum, vt remota, quamuis membra principalia sint, ac maxime necessaria, facultatem scilicet semini vitalem, naturalem, animalemq; communicantia. Renes & lumbi, aliæq; partes intermediæ coadiuuant, vel deferendo materiam, vel erigendo penem, (nam in præsentia de viri dubitatur impotentia.) Quibus etiam ex veteris Magistri sententia venas addere iugulares oportet, quæ, si forte fortuna amputentur, (vt ille aliquando dixit) tum seminis generatio, tum omnis virilitas tolleretur. Nequit porro fieri congressus vtilis, nisi semen genitum eiaculetur in vuluam: eiaculari non potest, nisi virile membrum, erectum, atq; perforatum fuerit: ad vuluæ igitur ingressum erectio necessaria est, & quędam violentia, impetusve, vt quo fieri possit, penitius penetret. Perforatio autem penis eiaculationi seminis viam præbet accommodatam. In hisce partibus bona requiritur constitutio, id est, temperies, compositio, vnitasq;. Hæc sunt à Philosophis ac Medicis in hac materia vnanimi consensu concessa principia: quorum quædam in conspicuo sunt, quædam abdita. conspicua quidem, testes ac pudenda, quæ nemo non videt: occulta vero internæ partes, tum præcipuæ, tum intermediæ. Occultæ ita quidem illæ sunt, vt harum status non sensu, sed iudicio ac ratione debeat extimari: propterea si quis circa testes ac pudenda male fuerit affectus, si omnibus pateat, notoria vocari solet dispositio, vt puta si quispiam pene careat, si monstruosum, si non perforatum habeat, si ex dimidio amputatum, si nulli sint testes, aut male conformati, hunc certe, dicent omnes, notoriam habere ad venerem exercendam impotentiam.

At vero, si impotentia occultis de causis contingat, hunc nemo dicet notoriam habere, conspicuamq; impotentiam. Iactis in hunc modum ex communi omnium consensu nostri responsi fundamentis, iam ad propositi argumenti dilucidationem aggredior.

Prima ratio sic habeat: Qui præditus est omnibus principiis, tum proximis, tum remotis ad venereum congressum necessariis, ac bene, & secundum naturam dispositis, ex quibus tum generatur, tum eiaculatur in vuluam semen, hic naturalem habere potentiam dicetur ad venerem exercendam. Atqui Dominus N. eiuscemodi habet principia: Ergo Dominus N. naturalem habet potentiam ad venerem exercendam: Maior patet ex Thesi superius proposita: minor probatur testimonio, ac verbis eorum Medicorum, qui scripserunt, Dominum N. esse omnino impotentem. Visitarunt illum iussu Reuerendissimi Episcopi quatuor Medici, & vnanimi consensu renunciarunt descripto (vt in actis actitatisq; legere vnusquisq; potest) hæc verba: Dominum N. dicimus habere membra principalia, cor nempe, iecur, cerebrum, bene constituta, & secundum naturam: testes vero ac pudendum optime sese habere profitemur. Quæ verba adeo validam fidem meæ faciunt demonstrationi, vt putem nullum amplius existere dubitandi locum.

Secunda ratio: Quicunq; membrum erigit virile, semenq; emittit, hic ad venerem exercendam omnino idoneus censendus est. Atqui Dominus N. erigit membrum, semenq; emittit. Ergo ad veneris vsum idoneus est. maior nullam habet difficultatem, quia ex principiis necessariis deducitur. Minorem vero comprobamus testimonio ex verbis Dominæ N. suæ sponsæ, quæ ab ipso iudice interrogata, an aliquando suus sponsus erigeret membrum: atq; an pene erecto emitteret semen, & quamdiu erectum teneret. Respondit, suum virum sæpe erectum habuisse penem, multoties emisisse semen, sed pauco tempore erectum illi permanere membrum. Hæc si vera sunt, adeo manifestam hac in re fidem faciunt, vt nulla certior imaginari possit: iamq; omnis controuersia cessare videtur mihi. At vero dicent fortassis aduersarii profiteri sponsam, nunquam sui viri penem ingressum proprium fuisse vas. Deinde, non sufficere erectionem virgæ ad deflorandam virginem, sed oportere ipsam diu erectam continere.

Sed quemadmodum primum nullam omnino probabilitatem habet, sic secundum

cundum prorsus falsum est, vtrunq; doceo. Quæsierim à sponsa, an vir frequenter erecto pene, & cum illa coniunctus, semenque vt illa testatur, emittens, illud eiaculauerit in vas proprium, an contra extra illud effuderit. si admittat primum, constat matrimoniũ fuisse inter ipsos consummatum: si non admittat, doceat illa (quæso) quid impedimento fuit, quin erectus penis suum vas ingrederetur. Obediebat illa mariti voto: parata erant instrumenta: lata erat in exterioribus partibus vulua, aditusq; patebat facilis, licet angustior in penitioribus partibus existat. idcirco omnino impossibile iudico, aut certè non probabile, cũ eiusce modi circunstantiis, tunc virile membrum non fuisse ingressum suum vas.
10 Alterius autem responsi falsitatem omnes norunt, qui de rebus apertis iudicare sciunt. Quis enim ex omnibus Medicis aliquando extitit, qui diu erectam teneri virgam oportere scripserit? Mulieres fortassis hanc sibi vellent obseruari legem: nam, vt materia prima semper appetit formam, sic fœmina semper cum viro coniungi desiderat, iunctaque continuo permanere vellet, vt Aristoteles ait primo libro de auscultatione physica, textu vltimo.

Tertia ratio, Dirimi non debet matrimoninm inter eos, inter quos non apparet notorius aliquispiam defectus in genitalibus membris. Atqui nullus in Domino N. apparuit. ergo illius caussa dirimi non debet matrimonium. Censent Medici vbi notoria, omnibusque conspicua in pudendis apparuerit noxa, quæ
20 copulari inuicem sponsos prohibeat, matrimonium fore irritum. atq; sic etiam fortassis putant sacrorum canonum professores, quod ipso in casu nihil adsit eiuscemodi, Medicorum visitantium verba testantur, quæ sic habent: Habet Dominus N. pudendum, suos testes, vasaque omnia seminaria benè & secundum naturam dispositos, & alia quę sequuntur.

Quarta, morbus qui curari possit adueniens vni ex sponsis, ex quo ad tempus prohibeatur vsus matrimonii, non facit illius separationem diuisionemq;. Atqui Dominus N. vt Medici illum visitantes dixerunt, in morbũ incidit eiusmodi. ergo separatio thori inter ipsos fieri nõ debet. maior euidentissima est, ex communi omnium consensu: minor ex illorum decreto pendet, (falso tamen, vt de-
30 monstrabo) nam aiunt: Pati Dominum N. paralysim virgæ, & esse frigidum: idest, vt illi dicunt, habere frigidam intemperiem in partibus veneris vsu destinatis. Est autem (vt hoc admittamus) vterque affectus sanabilis. Ergo antequam fiat thori separatio, cohabitent simul, omnique diligentia ac studio experiatur ille an sanari possit. Atque vbi constiterit insanabilem affectum esse, ac matrimonium antea non fuisse consummatum, tunc dirimatur.

Propterea præcipiunt diuini Canones, vt triennio cohabitent simul frigidi, atque maleficiati, quo spatio, si nequunt fieri voti compotes, ad separationem accedunt. Porrò paralysim virgæ sanari posse, ac etiam aliquando frigidos ma-
40 leficiatosq;, quis dubitat: affectus ergo ab illis Medicis propositi separationem non indicant. Quintò vbi magna suspicio adest maleficii, thori separatio fieri non debet. At huiusmodi suspicio adfuit inter sponsos; ergo thori separatio facienda non est: minoris propositionis veritatem demonstrabimus infra. Ob hasce rationes affirmo matrimonium hoc validum esse, neque posse separari, si ex artis medicæ fundamentis res ipsa explicanda, decidendaq; est.

Quid nunc alii obiiciant, videamus. Dicunt omnino adhibendam esse fidem mulieri, quæ iureiurando affirmauit, virile membrum sui domini, nunquam ingressum fuisse vas suum, ob coeundi, vt illa dicit, impotentiam. Secundò, Medici argumentantur hoc modo. Dominus N. non erigit, ergo est omnino impotens ad rem veneream exercendam: antecedens probant illi dupliciter: pri-
50 mùm, quia iusserunt, vt aliquando Dominus ostenderet illis penem erectum, quod duorum mensium spatio nunquam præstitit. Deinde placuit illis, vt hac de re faceret periculum cum sua sponsa: cumq; solus cum sola, & nuda spacio horarum duarum permansisset, nunquam tamen potuit erigere. Postremò addunt caussam impotentiæ duplicem esse: vnam dicunt existere paralysim virgæ: aliam verò frigiditatem, excluduntque ab hisce caussis maleficium.

Contendunt itaque Dominum N. impotentem eſſe ex natura, idcirco hoc matrimonium fore ſeparandum. Hæc ſumma eſt horum opinio.

Verum enimuerò hæc non obſtant. non primum, quia fides non eſt adhibenda mulieri, quæ virum ſuum odio proſequitur immortali: fuit autem odii cauſſa, quod eam alapis percuſſerit, vt in áctis apparet: tuncq́; illa ad ſuum patrem fugiente, factum fuit diuortium: apparetq; ſuum obiurgaſſe virum, minatumq́; fuiſſe amplius ad ſuam domum non eſſe reuerſuram.

Deinde non valet Medicorum ratio, tum quia argumenti propoſitio eſt falſa: tum quia propoſitionis explicatio æquè falſa eſt. Non enim hanc admitto. Dominus N. non erigit: nam falſam eſſe conſtat in actis, & ſuæ ſponſæ teſtimonio. Dein Medicis erectum penem nunquam demonſtrauit: quia noctu potiſſimum erigebatur illi: atque ii, tunc non aderant. mox non eſt hominis, ſed beluæ.

Dicent, in congreſſu cum ſponſa non potuit erigere. Fateor: ſed caue ne aberres: ex hoc ſcilicet actu concludens, nunquam antea erexiſſe, nec de cętero erecturum. Quia certè neque hominibus maximè venereis ſemper erigitur, cum volunt. hoc quidem non eſt in noſtra poteſtate. Repeto, ex eo quod quiſpiam aliquando non erigat, non tollitur erigendi potentia alio tempore: alioquin omnia dirimerentur matrimonia, cum neminem eſſe ſciam profitearq́;, cui aliquando eiuſcemodi non contingat caſus, præparata etiam habent in lecto, qua cum ſexcenties coiuit.

Prętereа manifestę adfuerunt cauſſæ à Medicis conſcriptę, impedientes erectionem, odium ſcilicet, commemoratio rerũ præteritarum, quæ vel maximè ad illius honorem pertinebant. Rixa, tumultus cum ſocru, & ſocero, & verecundia. Sciebat enim pro foribus aſſiſtere obſtetricem, Archiepiſcopalem Notarium, quatuor Medicos, vt magnam aliorum turbam prætermittam. Recordabatur præcepiſſe Medicos illi, vt erectum oſtenderet penem, anteaquam cum coniuge rem haberet. Quis ſi hæc vera ſunt, erigeret penem? aut coeundi deſiderium non ſtatim amitteret? Sed hactenus illorum Achillem expugnauimus: nunc de reliquis.

Quod de Paralyſi dicunt, falſum eſſe ex communi Medicorum decreto colligitur: qui paralyſim virgę patitur, hic non erigit illam, hic ſemen non emittit, hic non ſentit, huic tandem in frigidam immerſa virga non coanguſtatur: nonne hæc veriſſima ſunt? quomodo ergo habere paralyſim dicunt.

Frigidum verò corpus eſſe, qua ratione demonſtrabunt? an quia ſenex exiſtat? at hic anno natus eſt xxvi. an quia pharmacis venerem extinguentibus vſus eſt? at verò illi dicunt, vſum fuiſſe remediis venerem ſtimulantibus: an quia tabe, vel atrophia laboret? at certè corpus benè habituatum eſt, & ſanguine abundat: an poſtremò, quia præcipuę partes frigido temperamento languent? at quomodo ſtatuerunt illas optimè ſeſe habere, vt ex viſitatione conſtat. Vnde igitur hæc frigiditas originem duxit? quibus ſignis ducti ſic putarunt? an dicent frigidum ob membrum virile paralyſi affectum: ſed neque hoc poteſt afferri in medium ab illis, quia dixerunt pudendum eſſe naturaliter conſtitutum. At concedamus, quod proponunt extra rationem, an propterea, poſtquam anno vno cohabitarunt ſimul vnanimi conſenſu, hoc irritum eſſe debet matrimonium? & cur quæſo, omnia non erunt diſſoluenda matrimonia, ſi ſic loqui, & argumentari liceat? quis eſt, qui ob aliquem affectum non reddatur aliquando impotens ad coitum? Paralyſis diſpoſitio morboſa eſt, frigiditas etiam præter naturam iuueni ineſt, cur igitur artis beneficio tentanda ſanatio non eſt?

Nunc de maleficio breuiter diſſeramus. Certe ſi Medici aliquam rationem attuliſſent in medium, qua probaſſent non adeſſe ſuſpicionem maleficii, eam perpenderemus, & fortaſſis manus dediſſemus. at cum nullam omnino proponant, non erit vitio vertendum mihi, ſi non adhibeo illis fidem: atque ſi noua hac demonſtratione maximè vrgeo.

Qui coitum exercere non poteſt, nulla cauſſa naturali concurrente, ac etiam nulla præter naturam eo in corpore exiſtente: hic quidẽ magnam de maleficio ſuſpi-

suspicionem præbet. At Dominus N. hoc modo affectus fuit. ergo magna adest suspicio de maleficio. Hic ætate floret. Optimo corporis temperamento præditus est. Omnes partes pręcipuas bene temperatas habet: intermediæ partes nullo laborant morbo. Vasa seminaria, testes, pudendum bene constituta habet. Medicamentis stuporem inducentibus non extinxit venerem. Non tabem, non phthisim, nō hecticam febrem patitur. Tamen erigere nunquam potest, vt vos dicitis, ergo magnam præbet suspicionem maleficii. Nescio videre, quomodo ab hoc nodo extricabimini.

10 Liceat vestrum in medium afferre subterfugium. Quemadmodum (inquitis) licet Augenio vti testimonio sponsæ pro suis decretis roborandis. sic liceat nobis pro responsione ad suas rationes vti testimonio Domini N. Ille quidem dicit sese millies nouisse suam sponsam: ergo non est maleficiatus. Bene dictum. admitto responsionem verissimam, ex qua sequitur consummatum fuisse matrimonium. Magna certe vis est veritatis, quam nolentes etiam coguntur admittere. Cognouit Dominus N. olim suam sponsam, quia à primo maleficio euasit liber, mediantibus sacramentis sanctæ Ecclesiæ, ieiuniis, orationibusque vt patet in actis. Denuo cum eadem congressurus, maleficio fuisse affectum suspicandum est propterea coire non potuit, licet maximo afficeretur coeundi desiderio. & fortassis coiuisset, si eadem sacramenta ieiunia, rationesque præcessissent hunc actum: debitaq; reuerentia, ac omni inter ipsos odio deposito ad con-20 gressum peruenissent. Hactenus de hoc argumento.

HIERONYMO VITTELESCO FVLGINATI PRIMARIO ANCONÆ MEDICO.

De venæ poplitis, aut malleoli sectione: De scarificatione crurum in pestilentibus, & acutis febribus: atque de viribus cornu Monocerotis quadam.

30 DISPLICVISSE tibi meam opinionem significasti, Hieronyme Vittelesce, quam præterita hebdomada, dum Anconę pro salute admodum Illustris, & Reuerendissimi Antistitis, inuicem consultaremus, liberè, pro mea alioquin consuetudine, proposui. Ego, qui te ipsum senem, virumque doctissimum, semper iuuenis obseruaui, licet rationes tuæ non validæ viderentur, pro mea tamen modestia, & erga te obseruantia, tunc contradicere nolui. Sed Auximi reuersus, vt veritatē addiscerem ex te, hasce meas scribēdas duxi, te etiam, atq; etiam orans, vt pro summa doctrina, qua te præditum esse profiteor, me aberrantem (si ita contingat) admoneas. Sed vt mea dilucidior euadat disputatio, historiam supponam primum, mox de singulis agam, quæ tibi non placuisse in consultatione dixisti. Historia sic habuit. Illustris admodum Antistes post diuturnam laboriosamq; nauigationem Anconæ peruenit, ac plurimum ea ciuitate delectatus indulgens genio, in victuque multum delinquens, maximè in potu vini generosi, 40 & melonum vsu, anno suæ ætatis 36. plenitudineque sanguinis abundans, decimaquinta Augusti incidit in febrem malignam, & pestilentem, sæuis quidem, pro illius conditione symptomatis comitata. Quarta die, qua facta fuit inter nos consultatio, leuiter, vt dicebas, delirauit. Inspicientesq; corpus inuenimus iam apparuisse maculas illas non omnino rubras, sed fere nigricantes, ac liuescentes: paucas tamen in dorso, plures ac latiores in coxis, & cruribus, virtute tamen adhuc constante, ac vrinis haud omnino perniciem minantibus. Die consul-50 tationi destinata hic status morbi fuit. In consultatione verò inter nos habita multis vltro, citroq;, vt fieri solet, habitis discursibus controuersa fuerunt tria. Vnum an venæ sectio in poplite, aut malleolis conueniret. Aliud, an scarificanda essent crura. Tertium, an puluis cornu monocerotis, siue alicorni, vt vocant exhiberi debuisset. Ego quidem affirmans, proposui. Seuerino verò ambigebat. Tu autem ex his nullū admittere voluisti remedium: hactenus de historia. Nunc sigillatim agamus de singulis.

Putaui ex inferioribus venis mitti oportere sanguinem, multis de caussis:
Primum, vt à corde, ac cerebro reuellerem: deinde vt naturæ motum imitarer:
ac postremò, vt plenitudinis affectum vacuarem. quibus addo, ex iis quæ contra
iudicare dicuntur, cum nihil mea sententia ipso adfuerit in casu, remedium illud
fuisse omnibus numeris absolutum. Nemo enim nescit febres pestilentes à pu-
tridis differre ob excellētiam putredinis, qua scilicet humores à propria natura,
ita alieni euaserunt, vt restituere illos in integrū ferè impossibile sit, quemadmo-
dum impossibile est vinum, quod iam in acetum transmutatum est, posse rursus
acquirere vini naturam, vt à Galeno declaratum fuit libro secundo aphoris. 17.
idem est autem cōsummata hæc putredo, atq; affectus tota substantia vitæ con-
trarius, quæ cum ex corde potissimum proficiscatur, mirum non est, si pestilens
febris cordis facultates omnes obruat, dissoluat, ac mira quadam celeritate la-
befactet. Basis corruptionis huius in humoribus aliquando consistit, & aliquan-
do in ipsius cordis corpore, vt Galenus dicebat libro tertio de pręsagione ex pul-
sibus. Certissimum est semper ad focum putredinis confluere sanguinem, ex
eoq; motu augeri febrem, quòd materiei putrefactæ incrementum non medio-
cre fiat, vt idem author est libro secundo de feb. diff. c. vlt. Multò autem magis
ad cor, tanquam ad fontem influentis caloris, spiritus, & sanguis perpetuò con-
fluentes, augere nō mediocriter febrem, & corruptionem possunt præsertim in
corpore plectorico. Hæc si vera sunt, quemadmodum esse verissima, te virum
doctissimum ambigere non arbitror, duplex sese offert indicatio executioni de-
mandanda. Vna, vt multitudinem, à qua corrupta materia fouetur, vacuemus:
Alia, vt fluentem sanguinem reuellamus: quæ duo fieri simul ac statim debent
in morbo acutissimo: fientque citra laborem secta vena poplitis, aut malleo-
li. Postulat reuulsionis ratio, vt nosti, fieri illam in contraria parte, & motu in-
stituto ad contrarium, quàm humor ipse moueatur. Quamobrem statuere o-
portet à toto corpore, maximè ex venis maximis, qualis caua est, ac illi adiacen-
tes. proximæq;, sanguinem ad cordis mouere substantiam. Qui ergo deorsum
trahit illum, & contrarium motum, & contrariam, ratione situs, partem eligit,
Porrò vacuari multitudinem sectis venis superioribus ac etiam inferioribus
adeo certum est, vt neminem dubitare putem. Quid igitur impedimento esse
potuit, quin eo quo inuicem consultabamus die, sanguis ex infernis venis mit-
teretur? Nam regulam hanc esse scio, & profiteor. & præsente, scilicet indi-
cante, nulloque repugnante semper indicatum ipsum, quod remedium est, ac
vtile; excutioni demandari debet: iam vero virtutem tunc non modo constitis-
se, sed validam esse communi nostrum consensu sancitum fuit. Vrgere præte-
rea videtur mihi natura morbi, quam venenatam esse tradidistis: at vbi vene-
num cor obsidet, nihil inueniri potest præstantius, quā attrahere illud ad partes
maxime distantes, & quæ ignobiles existant: fieri posse tractionem venenati hu-
moris à venis inferioribus vacuatione facta, multoque tutiorem esse, quam
si quis cubiti venam incideret, non est meo quidem iudicio ambigendum. Mo-
tus etiam naturæ in pestiferis hisce febribus indicat nobis, quid agendum sit:
solet enim materiam venenosam in inguibus expellere, à quibus repellere
non licet, & ad quæ attrahere semper expedit: cur igitur nos illius imitatio-
ne non ducemus humores malos ad infernas partes? cur si in his febribus vni-
ca spes salutis est naturæ ad huiusce locos expulsio, nos omni opere, ac in-
dustria non conabimur exonerare naturam, ita vt ad eos omne virus expel-
lat? Et vero in proposito casu aliquod signum habuimus propensionis natu-
ræ: nam maculæ rubræ maiores, & copiosiores in inguibus, in coxis, in cruri-
bus apparentes, quid aliud indicabunt nobis, quam statim adiuuandum esse
naturam, ac illi manus porrigendas demonstranti, veluti digito nobis viam
salutarem, per quam expelli debuissent venenati humores? Meæ opinionis
rationem dixi: quam firmissimam putabo tandiu, donec pro tua eruditio-
ne meliorem docueris. Interim, quæ abs te in consultatione dicta sunt, exami-
nabo.

Putaſti eiuſcemodi vacuationem nullius eſſe vtilitatis; primum, quia natura per cutaneas partes malignam expellere materiam incepit, non oportere hunc motum impedire: & verè impediri poſſe à venæ ſectione. Deinde ſecunda die factam fuiſſe vacuationem ex cubito, atque idcirco non eſſe repetendam. Mox ſi neceſſaria repetitio deberet iudicari, magis quidem ex cubito, quam ex crurum venis fore vacuandum: cum ex vena caua ſanguis ebulliens longe facilius ex cubito ducatur, quam ex poplite, aut malleolis. Poſtremo neminem ex antiquis authoribus pro curatione putridarum febrium ex inferioribus, omnes ex ſuperioribus ſanguinem vacuaſſe. Atq; facturis medicinam, non temere nouis legibus propoſitis antiquas prætermittendas: propterea concluſiſti, multas humeris, dorſo, ac naribus cucurbitulas cum ſcarificatione applicatas certiſſimam vtilitatem polliceri: hæc tua fuit, vir doctiſſime, opinio. Quæ licet videatur maxime conſona rationi, mihi tamen adhuc ſuſpecta eſt multis nominibus: Atque illud quidem primo loco difficultatem patitur, quod aſſerere videaris, motus ſymptomaticos adiuuari debere, quod non facile admiſerim. Etenim quod non fit à natura dominante, ſed potius ſtimulata, ac fortaſſis euicta, à Medico nunquam in artis operibus imitandum. Quarta die in Epiſcopo illo noſtro maculæ ſymptomatis ratione, vt dixiſti, ex vna tecum omnes admiſimus, apparuerunt, qua die iudicari acutus morbus non poteſt: imparibus enim non partibus iudicationes fieri ab Hippocrate, & Galeno, ac in vniuerſum omnium in hanc vſq; diem experientia confirmatum eſt. Addo colorem illum fere nigricantem ſignificare, aut breui caloris extinctionem adfuturum, aut magnam ineſſe adustionem humorum: vtrunq; autem peſſimum eſſe non ignoras: ac idcirco tantum abeſt, vt ad naturæ perperam mouentis exemplum, per eandem viam putem inſtituendam eſſe vacuationem, vt omnino contendam contrariam eſſe incundam. Neque venæ ſectio naturæ ad cutaneas partes propenſionem aut impedit, aut remoratur, imo vacuata multitudine, qua veluti ſarcina premebatur, de cætero ad expellendum fit propenſior. Arbitror te recordari hiſtoriæ Simonis latas puſtulas in vniuerſum corpus patientis, cuius Hippocrates meminit libro tertio epid. in enarratione. Galenus phlebotomiam, ac etiam purgans pharmacum ante illorum curationem, neceſſariam eſſe affirmauit. Moderata vacuatio ex venis motum ad cutem impedire non poteſt, qualem nos potiſſimum deſiderabimus. At magna vacuatio, vel vſque ad animi deliquium inſtituta, id efficit, vt ex Galeno conſtat lib. 5. de ſanitate tuenda in curatione laſſitudinis. Quod dicas ſecunda morbi die vacuaſſe, ad rem noſtram nihil facit. nam licet præceſſerit vacuatio per venæ ſectionem, parcior tamen fuit, quam affectus natura poſtulauerit. Quam enim vtilitatem in euſarco, plenoque corpore afferre poteſt miſſio ſanguinis ad vncias quinque? expediebat (meo iudicio) viribus conſtantibus, de quibus neque ambigebamus quarta die, vſque ad animi deliquium vacuare: vel certe maiorem ſanguinis quantitatem educere. At impediebat humorum corruptio, & venenoſa qualitas. admitto. Sed quid impedire potuit ad libram vnam, aut duas vacuationem, repetitis viribus factam? Neq; facile cōceſſerim tibi plenitudinis affectum facilius ex ſupernis, quam infernis partibus exhauriri: nam quemadmodum caua ſuos emittit ramos ad cubitum, ita in duas præcipuas maximasq; partes deducta ad crus vtrunque peruenit: quod etiamſi admiſerim, non tamen ipſo in caſu pari ſecuritate, atque vtilitate fieret. Quod poſtremo loco dixiſti, id quidem conſtare non videtur mihi: ſum enim infra oſtenſurus, antiquiores Græcos meminiſſe non modo huius remedii pro curandis febribus, ſed etiam pro peſtilentibus ſummopere laudaſſe, ſed eſto nouum remedium. An propterea reprobandum? an omnia ſciuit antiquitas? an omnia ſciuerunt Græci, nihil Mauritani? quomodo quæſo artes fiunt per additamentum? cur ſcripſit Hippocrates, inuenire quæ nondum inuenta ſunt, pertinere ad artem? cur idem ſignificauit Ariſtoteles? Ego ita ſentio, Hieronyme, id remedium ſemper admittendum, quod alicuius indicantis poſtulatum eſt. quia, quod indicat neceſſario, & ſemper indicat: vt ex 9. meth. medendi alibi decla-

raſſe memini. ſi neceſſario indicat, non poteſt aliter ſeſe habere. Sic in propoſita hiſtoria perpendendum, an à corde expediat reuellere materiam virulentam: ſi expedire nouerimus, an conueniat fieri in parte contraria longiſſime à corde diſtanti, & quæ non ſit ex numero principalium, cum præſertim in ipſo tranſitu nullum ſit impedimentum. hæc vbi conſtiterit, quid opus impedire poteſt? Hactenus de primo capite.

Erat ſecundum de crurum ſcarificatione propoſitum. Dicebam, ſi vobis venæ ſectio ex inferioribus partibus non placuiſſet, ſaltem mittendum ſanguinem veterum conſuetudine ſcarificatis cruribus: addidiq́; , obſeruaſſe me & Auximi, & in Cingulanis montibus hoc ſaluberrimum extitiſſe remedium. Manus 10 tibi dare non placuit: qui ſummis extuliſti laudibus communem vſum Medicorum ſcarificandi dorſum, cucurbitulis (inquam) antea pro more impoſitis. Ego, vt in hac materia dicam, quod ſentio, primum oſtendam, antiquum hoc fuiſſe inſtitutum. Mox rationi conſonum. Tertio de ſcarificatione quædam dicam, in rem præſentem neceſſaria. Poſtremo de communi conſuetudine ediſſeram. ne, quæſo, pro tua modeſtia legere graueris.

Lib. 7. medicinalium, collect. c. 20.

Quod attinet ad primum. Extat Appollonii ſententia, quam irrefragabilem eſſe arbitror, ab Oribaſio Iuliani Imperatoris Medico ſcripta, hiſce verbis: Et ſane dum peſtilentia vehemens Aſiam deprehendiſſet, multoſque perdidiſſet, 20 meque etiam morbus attigiſſet, ſecunda morbi die remiſſione febris facta crus ſcarificaui, duasq́; fere ſanguinis libras detraxi: hacq́; de cauſſa periculum vitaui. Pleriq; etiam alii hoc remedio vſi ſuperſtites euaſere: illiq́; præcipue ſaluabantur, qui ſanguinem copioſe extrahebant.] Hæc ille. Dixi, hunc locum eſſe irrefragabilem, quia Galenus, vbi ſeſe offert occaſio, Appolloniũ arguit: at nulli, quod ſciam, hoc decretum illius reprobauit. Addo videri mihi admiſiſſe & laudaſſe, ſi vera ſunt Aetii verba lib. 3. cap. 21. quæ ſic habent: Capitis titulus eſt, De ſcarificatione ex Galeno. Probo igitur (inquit) vt ab ignobilioribus partibus, veluti ſunt crura, per ſcarificationem detractio fiat. Optimum autem eſt hoc auxilium ad conſeruationem ſanitatis, & ad eandem recuperandam, ſi fuerit præ- 30 uaricata.] Ex his facile colliges, antiquum eſſe remedium, & pro morbis, maxime vero febribus peſtilentibus curandis vſitatiſſimum. Hoc eodem remedii genere vſum fuiſſe Galenum pro plenitudine vacuanda, conſtat ex verbis eiuſdem authoris lib. 4. de ſanitate tuenda, & de ratione curandi per ſanguinis miſſionẽ: præſertim ſi plenitudo fuerit ſanguinis tenuioris, & originem habuerit ex retentione menſium in mulieribus albis, & algæ modo teneris: ſanguis vero craſſus & melancholicus, non ita quidem facile per ſcarificationes educi poteſt, quia in corporis habitu, quem ſcarificamus, tenuis vt plurimum ſanguis continetur. At vero hunc potiſſimum vacuare in animo erat in reuerendiſſimo Antiſtite, vt puta, qui magis fluit, efferueſcitq́; , ac ad putredinem facilius diſponitur, genitus ex 40 melonibus multis, & fructuum horariorum vſu.

Idem Oribaſ. lib. 7. cap. 19.

Rationi conſonum fuiſſe remedium ſic perſuadeo. Expedit ſemper à præcipuis partibus reuellere ad ignobiles: atqui id fit cum corde febre peſtilenti affecto, ſcarificamus crura: antecedens non habet difficultatem: conſequens vero patet ex ratione reuulſionis, atq; ex verbis Aetii: Probo (inquit) vt ab ignobilioribus partibus, veluti ſunt crura, per ſcarificationem detractio fiat.] Secundo: Materia venenata, qualem eſſe dicitis, quæ facit peſtilentem febrem, & in corde continetur, eſt quidem retrahenda ad partes maxime longinquas. at vero longinquæ partes ſunt crura: ergo ad crura fieri debet retractio. ſed qui crura ſcarificat, ad crura trahit, ergo crurum ſcarificatio maxime vtilis. Maiorem ſuppono 50 veriſſimam ex fundamentis tuis, cum profitearis differre peſtilentes febres ab aliis non peſtilentibus, quod ex materia virulenta, venenataq́; peſtilentes; putridæ ex benigniori fiant. Tertio, vbi plenitudo eſt ſanguinis tenuioris, & fere aquoſi, magis conuenit ſcarificatio quam venæ ſectio. At eiuſcemodi fuiſſe Epiſcopi noſtri plenitudinem, tu ipſe primus omnium dixiſti, & opere probaſti, cum ſanguinem miſſum ex vena intueris aquoſum, & fere vix concreſcentem:

nosq; etiam vnanimi admisimus consensu. Maiorē Galenus probat libro de venæ sectione, cum ait: Cæterum quæ inter mulieres candidiores sunt, hæ sanguinem magis tenuem conseruare solent: quapropter malleolorum scarificatione magis iuuantur: at quæ nigriores sunt, secta vena curato. crassiorem enim, & magis melancholicum sanguinem congregant.] Hæc ille. At dices, Galenum supponere sanguinem ex vtero effluere assuetum retineri. id inquam, verissimū esse non inficior, hoc tamen non cogit, quin conueniat scarificatio, vbi cor venenatis humoribus refertum est, multo magis quam ex superioribus partibus.

Cap. 11.

Quod attinet ad tertium, duobus modis exerceri solet scarificatio: vel nostra consuetudine, vel antiquorum. Nos quidem consueuimus post frictiones cucurbitulas, aut vocata cornetta, apponere primum siccas: dein vero attractum ab illis sanguinem scarificata cute vacuamus. Antiquiores citra cucurbitularum vsum scarificabant.

Hic ego putauerim parum referre, quo modo quispiam sanguinem eliciat, dum tamen copiosum vacuet: solet autem ob venarum multitudinem in cruribus existentium multum sanguinis educi, vt ad duas, ac etiam tres libras sine aliquo virium damno aliquando viderim vacuatum. Certe si magis copiosam desideramus inanitionem, cucurbitulæ cum scarificationibus profundis magis id præstabunt, quam solæ scarificationes profundæ, & frequentes.

Cæterum si conferamus scarificationem crurum cum scarificatione dorsi, multum differre inter se cognoscemus. Illa certe vim habet reuellendi, hæc vero aut non reuellit, aut certe parum, ita vt magis cuiusdam deriuationis nomen mereatur. illa maiorem multo quantitatem educit sanguinis: hæc minorem. quia quantumuis profunda fiat scarificatio, tamen nunquam sanguinis vacuare poterimus libram: cuius rei caussa est, quod non adsunt in superficie dorsi venæ, neq; tam magnæ, neq; tam multæ, quam adsunt in cruribus. Tertio, illa in pestiferis febribus longe tutior est, vt ego sentio, hæc autem longe periculosior. tuta quidem est, quia dum illas partes scarificamus, vtiq; ob dolorem ac ob situm attractio fit deorsum sanguinis sursum effluentis: nec periculum est in transitu aliquod: at sane periculum est in dorso scarificatione facta, ne maior fiat humorum attractio, quam vacuatio, sanguisq; postea venenatus hęreat in via, multo grauiorem affectum faciat.

Postremum de cornu vnicornis vocati, si tibi suspecta est facultas illius, aut quia incognitum adhuc sit, an inueniatur huiuscemodi animal, licet Ælianus, qui de animalibus scripsit, illius mentionem faciat, aut quia si inuenitur facultas illius cornu ad venenorum curationem, non sit tibi perspecta, parum in pręsentia curo. Hoc solum dicam, quod qua ratione cornu cerui inter cardiaca reponitur remedia, eadem quidem hoc cornu reponi posse non dubito, nam qua frigidum & siccum est, putredini resistit: hoc etiam addo, me oculatum esse testem, ex puluere huius cornu puerum à vermium copia pessime habitum, mira celeritate fuisse sanitati restitutum. vidit etiam Andreas Baccius Elpidianus amicus meus, qui nunc Romæ medicinam facit. id obseruaui in aliis multis. Hęc placuit mihi, Hieronyme clarissime, ad te scribere, non vt tuam opinionem arguerem, sed vt meam libere communicarem, hacque de te occasionem haberem addiscendi ex te, quid pro veritate sentiendum sit, quem semper loco patris & præceptoris habui, habeboque, donec viuam. Auximi, die 4. Septembris. 1569.

FRANCISCO CIROCHO FVLGINATI MEDICO PRÆSTANTISSIMO.

De cauteriorum & synapismatum, siue phenigmorum vsu scribendi occasio.

CAP. I.

De vsu cauterij & synapismatis.

SCRIPSI tractationem diebus præteritis de cauteriorum & synapismatum
vsu, in catarrhi potissimum curatione, obseruando, quia Medicos noscebam
quosdam, generosis hisce remediis abuti: eam edere sub tuo nomine placuit,
non vt tu ipse addisceres aliquid, cum iam totius artis palmam sis consecutus:
sed vt memineris, meminisse me tibi debere, quod iam diu promiseram, & sol-
uere quandoque velle, quod debere cognosco. Præsertim cum non tam hoc
ipsum debeam. quia promisi, quam id promiserim, cui cuncta debeam. Sa-
tis hæc.

Explanare in animo est, an in catarrho conueniat cauterium atq; synapismus:
pro qua re dilucidanda, tria declaranda sunt: Primum, quis horum sit reme-
diorum vsus. Secundo, quo loco fieri debeant. Tertio, soluendæ sunt dubita-
tiones. Est itaq; triplex horum vtilitas: nam aliquando adhibentur reuulsio-
nis, aliquando alterationis, & aliquando euacuationis caussa. Reuulsio duplex
est, vna localis, quæ proprie latinis nuncupari debet deriuatio: alia vniuersalis,
quæ generis nomen habet. vtraq; fit per contrarium. Sed reuulsio simpliciter
dicta, maiorem: Deriuatio minorem contrarietatem exigit, quemadmodum
lib. 7. docuimus de ratione curandi per sanguinis missionem. Vtroq; remedio
reuellere & deriuare possumus. Alteratio vero depulsio est qualitatis contractæ
à contraria qualitate, vt frigidum depellendo caliditate alterare dicimur, & è
contra, atque sic de reliquis qualitatibus. Postrema vtilitas est vacuatio humo-
ris in aliqua particula continenti, ac tenacissime inhærentis, qui scilicet aliis re-
mediis euelli non potuit. Cauteria igitur, siue ignito ferro, siue caustico medi-
camento admoueantur reuulsionis, euacuationis, & alterationis gratia fieri non
solum experientia omnium hodie medicinam factitantium, sed etiam veterum
authoritas testatur. Paulus Ægineta libro suæ medicinæ sexto, cap. secundo,
sic ait: In oculis humore ex supernis influente, & indifficulter spirantibus ob
superfluæ humiditatis redundantiam, quæ ex capite deorsum ad thoracem de-
mittitur, & partes, quæ isthic sunt, sua assiduitate affligit vstionē circa medium
capitis, faciunt hoc modo.] Hæc Paulus. Idem confirmat Aetius lib. 6. cap. 28.
& 50. Agens enim ille de resolutione, sic inquit: Ego vero ne crustas quidem
inducere non dubitarem, vel cum igne, vel cum medicamento, vnam in con-
cauitate occipitis, vbi spinalis medulla incipit: duas in vtroque ipsius latere:
tres aut quatuor in vertice: vnam in ipso capitis meditullio: tres in circuitu: vl-
ceribus enim copiam materiæ deriuantibus integram salutem non desperaue-
rim:] hunc Aetii locum de industria in medium afferre volui, vt cognoscerent,
Græcos authores non modo fuisse vsos cauteriis, sed etiam adhibuisse multos,
audacioresque fortassis ipsis extitisse Arabibus. Deinde agens de cephalea &
hemicranea ex Archigene in hunc modum scribit: Nam & locis pustulas in-
ferunt, & materiam è profundo ad superficiem euocant: nec parum facit mala-
gma è baccis lauri. Nos vero linimento ex cantaridibus vtimur, ac mirum in
modum prodest, sanie ab vlcusculis medicamento illatis diutius emanante. O-
portet tamen interea lactis potione, & congruis irrigationibus vesicam munire:
adhibito enim ex cantaridibus linimento, proprietate quadam vesica facile in-
iuria afficitur,] & quæ sequuntur. Postremo Cornelius Celsus Latinæ medici- *Lbi. 4. c. 2.*
næ pater, vtriusque remedii meminit his verbis: Illa in omni vetusto capitis do-
lore communia sunt, sternutamenta excitare, inferiores partes vehementer per-
fricare, gargarizare iis, quæ saliuam mouent, cucurbitulas temporibus & occi-
pitio admouere, sanguinem ex naribus detrahere, resina subinde tempora per-
uellere, & imposito synapi exulcerare ea, quæ male habent, ante linteolo subie-
cto, ne vehementer arrodat, candentibus ferramentis, vbi dolor est vlcera ex-
citare:] hæc Celsus. qui indifferenter videtur admittere synapismata, & cau-
teria in cephalea, & hemicranea: cur vero ita sit, explanabimus infra. Sunt,
qui

qui contendunt ratione reuulsionis non conuenire synapismata, Galenumque huius indicationis exequendæ caussa, nunquam vsum fuisse illis. Ego vero obiicio hanc illius authoris dictionem, libro quinto methodi medendi c.13. Sed iussi, vt acri vteretur clystere, tum crura, manusq; calefacienti pharmaco plurimũ fricaret, & vinciret: mox caput raderet: cui deinde medicamen, quod ex palumbi stercore constat, imposui: interpositisq; tribus horis in balneum duxi, ac laui, & parum postea eodem capite bis eiusdem meminit emplastri supra rasum caput apponendi: ex quibus certissimum est, Galenum fuisse vsum synapismate pro reuellendo humore acri ex cerebro in thoracem destillanti. Synapismis porro vsos fuisse Græcos authores, vt frigidam intemperiem alterarent, non est dubitandum. In hunc enim modum scribit Galenus lib. 2. de com. medic. per locos. Ego autem in quibus vel intemperies quædam humida, & frigida particulis patientibus inest ipsa per se, aut propter frigiditatem ex huiusmodi humorum obortam, medicamenta, quæ ex synapi, & tapsia, & similibus præparantur, ipsis admoueo: calidis autem & siccis non admoueo,] idem sexto de sanitate tuenda, & 13. method. scriptum reliquit. At vero pro vacuatione humorum, qui altiores partes occuparunt, eisdem emplastris rubificantibus vsos fuisse Græcos, satis constat ex curatione isciadis: nam dicebat Hippocrates, dolorem doloris medelam esse in epidemiis, & Galenus addebat, fieri in coxis dolentibus vstiones aut à medicamentis, aut à ferro: imo recordor dixisse illos, quod, nisi vrantur, claudicant. Legito, quæ de radice Hiberide scribit Dioscorides, & Galenus ex Armocratis authoritate: vt alios taceam locos ferè sexcentos. Itaque demonstratum à nobis fuit cauteria, & synapismata tribus de caussis ab antiquis fuisse vsurpata Vna harum est reuulsio: Alia vacuatio: Tertia alteratio. His in vniuersum ita explanatis, de loco tractemus, in quo fieri, & exerceri debent.

Vesicatoriis antiquos pro reuulsione fuisse vsos.

Synapismata alterationis caussa adhiberi.

Synapismata conuenire pro alteratione.

Nota

CAP. II.

Quibus locis fiat cauterium, & synapismus.

CAVTERIVM, & Synapismus fieri possunt in omnibus fere partibus, præcipue quidem illud fit in cruribus, in brachiis, in occipitio, in capite, humore nimium confluente, si alia remedia non conferunt, reuulsionis caussa in brachiis, qua parte musculus adest epomoides nuncupatus, cauterium fit, si vrgeat multum catarrhus: si vero lenta fluxio fuerit ad partes longinquiores sub vtroque genu, vbi scinditur musculus in duas partes, ac sensibilis apparet concauitas, exerceri solet. Considerandaest destillationis conditio. materia enim aut fluit per interiores partes, aut per externas. Interior fluxio vix quidem ex eiuscemodi emissariis aliquod affatu dignum recipit commodum: quia viç accommodatæ non adsunt, per quas materia ab internis ad externas partes possit demandari: propterea nunquam laudare potui cauterium earum partium in asthmate, in orthopnea, in tussi, in empimate, ac in aliis eiusdẽ generis destillationibus. experientia enim ipsa frequenter comprobauit inanem laborem extitisse: At magnum certe nascitur ægrotis commodum ex cauterio in externis destillationibus: eæ vero sunt quando humor supra pericraneum cumulatum destillat in maxillas, in dentes, in extimam cutem, in omnibus articulis: emissarium loco accommodato factum intercipit fluxionem, quandoquidem humor ex illo foras educitur, neq; ad affectum locum peruenit: hoc modo conueniens fit deriuatio: vt, si forte humor descendat in pedum articulos inueniens sub vtroq; genu viam, aut totus ex ea foras excurrit humor, aut maior eius pars: hinc vel tollitur, vel mittigatur morbus. Incipientem podagram sanari in Ægidio Franceschino Secretario Apostolico, ac aliis cauterio facto in vtroque crure: eadem fit deriuatio, si ad manus appellat fluxio cauterio facto supra cubitum in cauitate illius musculi. quidam eligunt internas partes, quidam externas: vtrique placent mihi, sed in externis obseruaui prodesse magis. Reuulsio fit optima

Nota

Nota

fluxionis ad dentes, ad maxillas in brachio directo, aut in vtroq; si affecta pars vtraq; sit dextra sinistraq;. Addendum etiam iudico, fluxionis primam considerari oportere occasionem. Nonnulli enim sunt catarrhis obnoxii, qui ex iecinore nimium calido, aut ex toto corporis habitu perpetuo ad cerebrum euaporante in illos incidunt. Hoc ipso in casu est quidem saluberrimum cauterium in dextro crure, si ex iecinore, aut in vtroq; si totius habitus vitio contingat. Mulieribus certe frequentissima occasio est vterus, aut ob suppressos menses, aut ob corruptos vitiatosq; humores, aut ob malignam qualitatem, destillationem prouehens, tunc vero in vtroq; crure cauterium à capite reuellit, fluxionem ad inferiores trahendo partes.

Vtile in occipitio cauterium censetur, quando materia negotium facit in anterioribus partibus capitis, vt in affectibus oculorum, quemadmodum in suffusione, in optici nerui obstructione, setanum vocatum, solet ab omnibus exerceri Medicis, aut huius loco inurunt occiput, qua parte adest Inium. Secundo in antiquis doloribus eiusdem partis: nam vt dolenti posteriorem capitis partem secta frontis vena iuuat: sic dolenti anteriorem cauterium occipitii sanare potest. Tertio conuenit ratione vacuationis, quando scilicet materia à cerebro destillat per spinam dorsi, tunc in spinalis medullæ principio factum cauterium, omnem materiam descendentem per eam viam, vacuat.

In ipso capite fit cauterium ratione vacuationis, & ratione reuulsionis. ob vacuationem quidem, si materia continetur supra craneum: eam enim dubio procul euacuat, & cum magna facilitate, siue calida, siue frigida materia fuerit, hanc tamen multo tutius, quia dum cauterium ignito ferro exercetur, aut caustico medicamento, tunc sane materia in contrarium statum alterata, facilius vacuationi cedit. non tamen propterea tutum non est in calida: quia licet imprimatur caliditatis affectus, non tamen diu durat, vtilitasq; ex vacuatione multo maior est, quam ex leui & breui alteratione damnum. Deinde ratione reuulsionis fit cauterium in capite, quando materia continetur in partibus internis, quæ si calida fuerit, acrisq; & tenuis, maiori facilitate per suturas reuelli poterit, per quas alioquin solet educi secundum naturam, vt experientia constat, & à Galeno lib. 9. de vsu partium declaratum fuit. At si extiterit frigida, faciatq; negotium membranis internis (ita enim suppono, cum materiam in substantia cerebri contentam per eiusmodi cauteria vix educi posse existimem) hæc etiam extrinsecus deduci poterit, aut à natura in halitũ conuersa, aut propria substantia per suturarum capacitatem. Cęterum locus, in quo fieri solet ipso in capite, multiplex est: in anteriori parte, in posteriori, in lateralibus partibus, & in medio. Nosti, quid mense præterito successerit Illustrissimo Cardinali, cui factum fuit cauterium supra aures, quod penetrauit vsq; ad craneum? recordaris inuenisse nos ibi pericraneum totum corruptum ac fœtidum: os nigrum & cariosum: sic vnà liberauimus illum ab antiquissima cephalea. In obseruationibus Cingulanis plerosq; huic similes notaui casus. Hactenus de cauterio.

Synapismus vero adhibetur magna vtilitate coxendici, capiti, ventrique inferiori, ac in vniuersum omnibus partibus, quando non solum calefacere propositum fuerit, & exiccare, sed etiam humores in alto delitescentes ad cutem trahere & discutere; quos neq; emollientia, neq; attenuantia, neq; attrahentia dissoluere valuerunt. Coxendici adhiberi demonstratum fuit supra, imo nonnulli volunt in aliis etiam articulorum doloribus vtilem esse. porro hic animaduertendum est, ne contingat in ipsorum nominum vsu error, vocari multis nominibus solere eiuscemodi remedia, quæ vesicas inducunt; nempe vesicatoria, rubificantia, phenygmi, synapismata: vesicatoria & phenygmi à vesicis dicuntur: synapismi à synapi, quod vt plurimum solet ingredi, quamuis etiam sine synapi fiant: rubificantia vero ab effectu, quia in omnibus corporibus rubeam cutem faciunt; præstat horum exempla quædam proponere in rem præsentem vtilia. primum ex sapone sine synapi hoc modo fit. Saponis nigri & salis communis pares immisceto particulas, dum incorporentur, & emplastri formam recipiant

v. e regione. ꝙ.

piant imponito: vesicas enim excitat nullo sensu doloris,& aquam ducit. Cantharides in exquisitum leuorem tritæ parti imponuntur, iam frictioni rubenti,& excalefactæ. At tutius vnguentum fuerit, quod in portione vna tritarum cantharidum axungiæ, vel ceræ liquidæ quadruplum contineat. Tutius quoq; & moderatius fuerit cataplasma, quod habet canthatidum præparatarum partem vnam, seminis synapi contusi partes tres, pulpæ ficuum, aut fermenti acris partes sex. Cuicunq; autem parti è cantharide phenigmus insederit, vrinæ ardorem dysuriamq; ciet. Rupta & aperta pustula humor sensim emanat, inductoq; pingui ac lenienti vnguento, non antea finitur exulceratio siccari, quam
10 omnis humor ex affecta sede sit exhaustus. hæc solent coxendici adhiberi. Neque minori fœlicitate, quod præparatur ex radice hiberidis & axungia, quo Aetius, & Galenus, & Dioscorides, Archigenesq;, & Democrates, ac alii antiquissimi authores pro sananda isciade vsi sunt. Capiti autem raso hæc eadem admoueri possunt: sed præstantissimum obseruaui synapismum huiusmodi ab Aetio descriptum. Ficus pingues (inquit) in aqua tepida pridie macerentur: in sequenti die valenter expressæ leuigentur curiosius: deinde acre sinapi priuatim teratur, interq; terendum paululum ex diluto illarum affundatur, quo commodius hoc teri possit, sic tamen, vt non aquosum fiat. Postea vtraque seorsum in massas redigantur, & inter se commisceantur, prout vsus requiret. Nam si va-
20 lētem synapismū inducere voluerimus, duas partes sinapis cum vna ficuū temperabimus. sin imbecillum, vnam partem sinapis, cum duabus partibus ficuum miscebimus: si mediocrem, æquales vtriusque portiones committemus. In delicato, & tenero corpore, externo affectu, panis, vice caricarum, sinapi admisceri potest, aut id prius in aceto macerari; nam hoc illius efficaciam imminuit. Prodest maxime omnibus diuturnis affectibus, in quibus caliditatem inducere oportet, humoresque ex centro ad superficiem ducere, vt cephaleæ, vertigini, lethargo, paralysi, comitiali morbo, ac aliis id genus. Sed vbi calidus aliquispiam affectus sit, ac intus delitescat in cerebro, ex quo acris destillatio procumbat in pulmones, hic idem synapismus licet adhiberi possit, tamen indigemus
30 validiori auxilio, quod citissime vesicam attollat: idcirco Galenus vtebatur stercore columbino trito, & tapsia: nos vero aliquod vsurpabimus ex supradictis, in quibus canthatidum puluis ingrediebatur. Si totum caput affectum sit, toto capiti raso applicandum, vt monui. Si vna pars, aut dextra aut sinistra, illi identidem imponendum est auxilium. At ventri vesicatoria applicantur, pro detrahenda aqua hydropicorum extrinsecus. Recentiorum quidam laudant ranunculum tusum, alii titimalum. sed compertum habeo vtrunque aquam ducere, sed neutrum extrinsecus: nam ex alto mouent aquam, deducendo illam per vesicam: Quod ex sapone nigro & sale paratur, est in rem præsentem admodum vtile, vt puta quod vesicas facit nullo, aut certe perquam minimo do-
40 loris sensu, vt supra dicebamus: non debent vno duntaxat loco mouere vesicæ, sed pluribus, vt æqualis fiat vacuatio aquæ. Validius est, quod ex cantharidibus fit: sed non ita tutum, vt quod propter vicinitatem potest non exiguam inferre noxam vesicæ. idcirco præcipiebat Aetius cap. 50. lib. 6. oportere tamen interea lactis potione, & congruis irrigationibus vesicam munire. Lac vero eligendum est asininum, vtpote magis aquosum, ac penetrans. Si Aetius hanc adhibendam esse diligentiam præcipit, cum quispiam in capite vtitur canthatidibus, cur non eandem faciemus in ventre applicando? Dixi, hoc genus remedii esse minus tutum, quia lac ipsum hydropi non conuenit, atque dum hoc vtimur,
50 hydropis prætermittere curationem videmur: licet lac ipsum asininum multo sit melius ob tenuitatem: imo antiquiores illud exhibeant in hydrope.

Cap. III.

Dubitationum explicatio.

IAM vero dubitationes occurrunt dilucidandæ: Prima, an cauterium in imo fieri debeat, id est, in ipso occipitio: caussa dubitationis est, quod Galenus videatur detestari hunc locum, lib. 2. de comp. medicament. per loc. cap. 2. in quo hæc habet verba: Neq; enim facile exuritur capitis ea pars, quæ occiput, & Græcis Inium appellatur: neq; etiam citra molestiam refrigerantia sustinet, propterea quod isthic principium spinalis medullæ existat ad stipitis modum in multos ramulos diuisæ in sexaginta fere iuxta numerum neruos.] Hæc ille: Ex quibus colligunt quidam ex Galeni doctrina, non esse occiput cauteriis afficiendum, cum ibi adsit principium spinalis medullæ, & facile non exuratur. 10

Addunt nonnulli, non esse accommodatum locum, cum à natura Inium non sit destinatum pro hoc munere absoluendo, nec liceat per cerebellum, & nucham noxam attrahere materiam, præsertim quod adsit in catarrho frigido imbecillitas concoctricis facultatis, quæ humores in vaporum substantiam conuertat: nec aliquem inueniri vasorum consensum inter cerebrum & Inium, per quem eiusmodi fieri possit expulsio.] Hæc prima dubitatio est. Secundo quæritur, an cauterium fieri possit in sutura coronali, in qua ex consuetudine antiquata ab omnibus exerceri solet. Caussam dubitationis Montanus Veronensis primus omnium proposuit. Nam ille arbitratur, ignito ferro non esse tutum inurere eam partem, quia plerunque offenditur suspensorium, quod duas cerebri meninges continet. Tertia difficultas est, an catarrho existente frigido magis conueniat cauterium: an contra magis sit vtilis synapismus. Quidam dicunt in calido catarrho magis cauterium, in frigido vero contra magis conuenire synapismata: imo nunquam vtiliter administrari cauterium in catarrho frigido contendunt. Dubitationibus hisce in hunc modum satisfacere oportet. Prima quidem ex Galeni verbis petita, licet multis videatur inextricabilis, mihi nullius est momenti. Primum, quia scio non modo apud omnes recentiores, sed etiam vetustiores Græcos, vt ex Archigenis testimonio Aetius inquit libri sexti primi voluminis, capite vigesimooctauo, in vsu frequentissimo fuisse cauterium in ipso Inio administratum. Deinde vero nunquam Galenus prohibuit in occipito vstiones, aut ferro, aut cauteriis. Quod iis verbis voluit significare, huiusmodi est: Posteriorem capitis partem non ita obnoxiam esse vstioni, id est, caliditati ambientis, aut à mora in sole contractæ, quemadmodum pars anterior sinciput nuncupata, quæ ob laxitatem coarticulationis iuxta suturam coronalem, & ob ossium tenuitatem ac raritatem facile tum caliditatem, tum frigiditatem ab omnibus extrinsecus alterantibus suscipit. Occiput certe neq; fert vsum refrigerantium pharmacorum, quia cum sit principium spinalis medullæ, periculum in refrigeratione magnum adest: alia etiam ratione non indiget refrigeratione, quia ab ambiente non ita calefit, vt pars anterior. Cum igitur dicit: Neque enim facile exuritur, &c.] perinde est, atque si diceret: Neque enim Inium facile recipit caliditatem præter naturam. Hanc explanationem veram esse eiusdem authoris verba significant primo de febrium different. cap. quarto, cum ait: Veluti statim exustio, siue ipsa solis operatio talem sortiatur appellationem: siue qui ab eodem fit in corpore affectus: siue ille, qui iam effectus est. est quidem sane & hoc ipsum calor præter naturam, nondum tamen febris est, nisi cor vnà calefiat.] Hæc ille. Ex quibus constat, vstionem Galeno significare calorem præter naturam à solis ardore contractum. Quod porro dicant, à natura non esse destinatam eam partem, vt per eam expellantur excrementa, id fateor secundum naturam cõtingere. at si præter naturam loquamur, quemadmodum natura per cor medium, per cerebrum, iecurq; solet expurgare sua excrementa, cur non poterit per spinalem medullam? imo videtur satis frequens hic fluxionis modus, à quo fiunt paralyses inferiorum partium. ac ipse

ipſe Hippocrates frequenter meminit fluxionis per ſpinalem medullam factæ. propterea non video, quomodo ſit impoſſibile, (vt illi dicunt) materiam frigidam craſſamq; in cerebro contentam expelli per ſpinam dorſi, cum id quotidie aduenire, non ego duntaxat profiteor, ſed omnes opere cognouerunt. Pro dilucidatione ſecundæ quæſtionis dico, tum in loco ſuturarum, tum aliis fieri poſſe cauteria citra damnum aliquod corporis experientiam docuiſſe, & Aetium inter authores Græcos magni nominis teſtatum fuiſſe, cuius verba retulimus in principio tractationis huius: qui locus dignus eſt memoria, quandoquidē nullum hactenus inuenire mihi licuit, qui in ipſo capite tot cauteria curauerit facienda. At obeſt, inquiunt, quod fit ignito ferro ſuſpenſorio meningum. id aliquando contigiſſe (inquam) inficiari nequeo ob artificis imperitiam, non ob cauterii rationem. Bonus enim artifex debet ignito ferro ſupra ſuturam ſic vti, vt cauterii principium ſupra ſuturam exiſtat, verum eiuſdem cuſpis à latere verti debet, ne dum ferit directo, ſuturam percutiat, ſed eius latus & extremum tantum: ſi enim ferri candentis ictus ſuturam actu non feriat, nullum inde malum veremur. Hic referre placet Albucaſis verba, qui inter omnes Arabes de cauteriis egit maxime diligenter: Et ſcitote (inquit) filii, quod ex ſecreto curationis per cauterium cum igne, & bonitate eius ſuper medicina comburente eſt, quoniam ignis eſt ſimplex, & eius actio non peruenit, niſi ad membrum, quod cauterizatur, & non nocet membro alio coniuncto cum eo, niſi ſuperfluat.] Auicenna vero 4. ſect. primi lib. cap. 29. ſic ait: Cauterizator præterea ſibi cauere debet, ne fortitudo cauterizationis ipſius ad neruos perueniat, neq; ad cordas, neq; ad ligamenta.] Hæc ille. Ex quibus conſtat, nullum eſſe periculum in cauteriis adhibendis, ſi artifex ſuæ artis peritus fuerit: hæc ad ſecundam quæſtionem volui dixiſſe.

Difficultas tertia fuit domi, inter Augenios fratres incepta, Ludouico Augenio Medico abſolutiſſimo præſente: Dicebam ego, frigidis catarrhis vtilitatem afferre cauterium in capite. Sebaſtianus Augenius cognomento Paparella reluctabatur. Noluit ille ſuam de hac proferre controuerſia ſententiam, ne aut filio fauere multum, aut nepoti, quem, vt filium amauit, enutriuit, docuitq;, contra ſua dogmata tribuere videretur: hanc ille domi alebat diſcordiam, bene conſcius ex mutuis inter nos congreſſibus, faciliorem veritatis inueſtigationē reddi. Hoc Sebaſtiani argumentum fuit potiſſimum. Cauterium ſi conuenire debet applicatum capiti, aut conuenit ratione reuulſionis, aut alterationis. Atqui nulla ratione conuenit in catarrho frigido. ergo nunquam in frigido adminiſtrandum catarrho. Minorem hæc ſatis valida ratione confirmabat. Reuulſio humores mouet contrario, quam ſponte ferantur motu. humores frigidi nequeunt ſurſum moueri, quia tendunt ſemper ad inferiores partes ob naturalem grauitatem: quomodo igitur poterunt ex cauterio reuelli? an fortaſſis, quia a valida natura in vapores vertentur: at qua ratione vertere poteſt illos in vapores, ſi eadem natura ob frigidam intemperiem cerebri vertit ipſos vapores in humores, vt Ariſtoteles aliquando agens, de catarrho ſcripſit. Demum id certe fieri nequit, quandoquidem imbecillus eſt calor cerebri, adeo vt humores in vaporum ſubſtantiam vertere non poſſit. Si quiſpiam dixerit ſupereſſe vapores multos, qui adhuc non ſunt mutati in naturam humoris pituitoſi, reſpondebat, id quidem ab ipſius humoris natura ſponte fieri, neque oportere huius cauſſa reuulſionem efficere. Quod vero non conueniat ratione alterationis, probabat, quia cauterium ignito ferro factum magis refrigerat, quam calefacit calore naturali imbecilliori reddito. Actio enim igniti cauterii (dicebat Albucaſis) non peruenit, niſi ad membrum, quod cauterizatur: hinc ſequitur, cerebri ſubſtantiam excalefacere non poſſe, ſed ſolum calorem extendi vſque ad pericraneum. Contrario modo rem habere in catarrho calido profitebatur. Primum, quia humores calidi ac tenues facile poſſunt reuelli, ex facto fonticulo per ſuperiores partes, ad quas ſponte feruntur. Deinde pars affecta ex cauterio refrigeratur, quia natiuus calor diſſoluitur, & vis concoctiua red-

ditur imbecillior. Quod attinet ad ſynapiſmum, certiſſimum eſt pro alteratione potiſſimum, antiquos fuiſſe vſos, nunquam pro reuulſione: ideo maxime conuenit in catarrho frigido, excalefaciendo partes intemperatas, & vacuando per inſenſibilem tranſpirationem humorem ipſum frigidum attenuando, atque in vaporum ſubſtantiam conuertendo. Hæc ille ſubtiliter quidem diſputabat. At ego non adhæreſcens illi, imo contrariam opinionem, quæ eſt etiam apud omnes vulgatiſſima, veriorem arbitratus, in catarrho frigido maxime conuenire cauterium dicebam: idcirco ſuis rationibus hoc modo reſpondendum duxi. Statuamus materiam frigidam ſub ipſo pericraneo cumulari, eamq́; à natura expelli per inferiores partes, cur quæſo hanc reuellere non poterit cauterium? ſi enim deorſum tendit, cur in origine fluxionis facto emiſſario ſurſum retrahi non poterit? cur ita non impedietur motus deorſum? At ſi in ſubſtantia cerebri humores frigidi continentur, eos quidem ſurſum attrahere ob diſtantiam maiorem ac oſſis impedimentum vix poteſt; at magna facilitate vapores & citius & copioſius vacuabuntur ex fonticulo, quam antea cute integra vacuarentur. Atque hoc quidem eſt reuellere materiam fluentem: nam bona illius portio gignitur ex vaporibus, aut aliunde capiti tranſmiſſis, aut in cerebro generatis ob imbecillitatem caloris: qui ſi vacuantur extra, anteaquam potiſſimum gignerentur humores pituitoſi ac frigidi; catarrhum ſanabimus maiori ex parte. neque grauitas impedimento eſt, quia plus poteſt natura corporis expellendo, quam grauitas impediendo. Dicet fortaſsis: Eos vapores ſponte ferri ſurſum. fateor. ſed non tanti, neq; tam cito feruntur ſurſum integra cute, atq; perforata. ita ſentiunt Græci authores, maxime Archigenes & Aetius, qui pro ſananda paralyſi fonticulos in capite efficiunt plures. Reuulſionis igitur gratia fit cauterium. Secundo, gratia alterationis. cur enim ignitum ferrum non alterabit partem vſtam? cur medicamentum cauſticum eadem priuatum erit facultate? imbecillus redditur calor naturalis ex vacuatione. admitto: At gignitur calor præter naturam validior. porro caliditatem candentis ferri, aut medicamenti cerebrũ ipſum non penetrare, non quidem admitto. nam primum incaleſcere pericraneum rationi conſonum eſt, ſed huius conſenſu cur non incaleſcent membranæ ſubcingentes cerebrum, à quibus pericraneum ſuam ducit eſſentiam? diſtinguere hoc loco oportet quod primo, & per ſe calefit, ab eo quod per ſe ſecundo. Cæterum in ſuperioribus demonſtrauimus, veſicatoria nuncupata ab antiquis ipſis fuiſſe adhibita ratione reuulſionis, vacuationis, & alterationis, adeo, niſi fallor, diligenter, vt nullus ſuperſit dubitandi locus: præſertim vero Galenum quinto methodi in matrona Romana pro reuulſione eiuſdem fuiſſe vſum, certiſſimum eſt. Habes meam de Cauteriis & Synapiſmatis, Cyroche clariſſime, ſententiam: quam, ſi à te probari nouero, ad maiora animum appellam. Valetudinem tuam cura. Vincentio Cibo & Vitteleſco meo nomine ſalutem plurimam dicito. Ex montibus Cingulanis, die 20. Auguſt. 1571.

EIDEM.

De vini vſu in catarrho, & de medicato quodam vino pro curatione aſthmatis præſtantiſſimo.

SEBASTIANVS Paparella nudiuſtertius tuas mihi reddidit literas: quibus nunc breuiter ſatisfacio. Non ſum editurus commentarios meos in Galeni librum ad Glauconem, & de febrium differentiis, licet manum extremam habeant, quod ad me pertinet: niſi prius nouero, quæ de hoc argumento ſcripſerit Argenterius. Nam puto illum omnem nouiſſe punctum, nullumq́; mihi reliquiſſe locum. Sed ſi nimium editionem tardabit hæres, tuis aliorumq́; precibus ero tandem coactus obſecundare. Noſter Archangelus Mercenarius nunc ordinariam Patauii Philoſophiam profitetur. Habetq́; collegam Franciſcum Piccolomineum omnium Philoſophorum noſtri temporis facile principem. Promotionis huius te mecum plurimum gaudere non dubito, cum te illum

proſe-

prosequi non vulgari amore sciam: & certe dignus est amari. Ego certe non modo illum amo, sed obseruo plurimum tanquam decus, & ornamentum omnium literatorum nostræ Prouinciæ. Vereor, ne parum iudiciosus æstimeris, quod tu Senex doctissimus me iuuenem tanti facias. Interim magna afficior lætitia, cum nihil mihi omnino contingere possit optatius, quam à viro laudatissimo, ac omnibus numeris absolutissimo laudari. Crede Augenio, currentem stimulas: Audiui quid Capellettus ille, vino quidem nimium addictus, de vini potu dixerit, scripseritq́; : nam meam de eo argumento legisti epistolam. At de exhibendo vino in omni catarrho non minus, quam in exhibendo in ardentibus febribus aberrat, antiquisq́; imponit, quæ nunquam fortassis somniarunt. Nam quia oligophorum vinum generoso opponi videtur, habereq́; aquę facultatem putat, in catarrho nunquam non esse exhibendum contendit. Sed quam male antiquis imponat, Hippocrates docet libro de ratione victus in morbis acutis: agens enim de vino oligophoro veretur, ne caput petat, propterea iubet post illius potum statim sorberi debere aquam: verba illius sic habent: Suspicanti autem in his morbis capitis grauitatem fortem, aut mentis percussionem, omnino abstinendū est à vino, aqua vero in huiusmodi vtendum est: Aut aquosum, & album omnino dandum est vinum, & omnino sine odore, & post illius potum, aquæ potus omnino est superbibendus; ita enim robur vini minus percutit caput, & mentem.] hæc Hippocrates. Quæ abuti illum vino, non quidem vti significant. nam licet oligophorum vinum in relatione ad vinosum, imbecillas habere vires statuetur, tamen vbi adest, capitis imbecillitas periculumq́ue maximum imminet, ne ex raptu humorum, aut vaporum ad caput affectus fiat longe grauior, ab oligophoro etiam abstinendum est. aut si illo vtendum, opus est corrigere illius noxam bibendo postea aquam. ex hoc Hippocratis contextu colligo vinum oligophorum, licet sit sine odore, tamen caput petere, & in affectibus capitis non esse tutum illius vsum. Hinc quidem aberrare Capellettum dupliciter apparet. primum, quia in principio cuiuscunque catarrhi vinum exhibendum esse arbitratur, nulla adhibita distinctione, an vinosum, an oligophorum magis conueniat. Alterum vero est, quod contendat secundum Hippocratis principia, oligophorum nunquam caput petere. Illud quidem est adeo absurdum, vt fere nihil magis: hoc autem omnino ostendit, illum doctrinæ Hippocratis fuisse ignarum, vt puta qui ad corrigendum vini aquosi robur, ita enim ille loquitur, aquam statim suprabibendam consulit. Ego autem ita sentio. In cuiuscunque catarrhi principio, siue calidus, siue frigidus existat, à vino abstinendum censeo: quia magnam habet vim caput implendi, & euaporandi: licet non exigua differentia sit vinorum in eo, quod magis ac minus consistens. in calida quidem destillatione abstinendum vsque ad remissionem symptomatis. In frigida vero, donec ab humorum excrementitiorum copia perpurgatum fuerit corpus: atque tunc primum vtendum est oligophoro aquæ mixtione refracto, & contemperato: aut exhibendū post vinum statim aquæ potum, Hippocratis, vt prædiximus, consuetudine. Loco vini in calida fluxione dabimus vinum granatorum dulcium, iuleb rosaceum, aut violaceum aqua mistum vel hordei decoctum: nonnulli etiam coriandrorum semina addunt, quæ mihi sunt in affectibus capitis suspecta, ob rationes alibi explicatas. At in frigida, decoctio cinamomi magnam affert vtilitatē, cui si addiderimus folia saluiæ, aut betonicæ, aut amarici, erit longe efficacior. si magis viscida fuit materia, vt detergeri facile non possis, opus est vti mulsa meraca, aut diluta, prout magis ac minus nouerimus materiam indigere abstergentibus: optima præterea iudicata fuit semper ab excellentiss. Ludouico patre meo decoctio ex ligno guaiaco, & glycyriza radice, quæ non solum suauis est gustui, sed etiam morbo profligando accommodata. Eam ille in hunc modum parabat: Recipe rasuræ ligni Indici recentis, & ex ramo, non caudicæ detractæ vncias septem, infunde in libras sex aquæ tepidæ horis vigintiquatuor. deinde fiat decoctio, donec remaneant libras quatuor, ponendo sub finem decoctionis radicē liquiritiæ recentis

vnciam 1.s. Paſſularum vnciam vnam, zuchari fini vncias quatuor. fiat potus colatus, quo loco vini vtendum eſt. Simpliorem porro parabat ex ſola ligni Indici raſura, & glycyrrhizæ radice. Aquæ vero ſimplicis potus non ſatisfacit Auicennæ, qui de hac materia ſic ait: Et ad ſummum oportet, vt minorent comeſtionem, & potum aquæ, & repellant eam omnino die ac nocte, & remouebitur.] Aqua enim impedit excretiones diſſolui, ac digeri humores non ſinit, augetque materiam, ſi frigida ſit deſtillatio, & eſt flatuoſa & ſtomacho inimica: in calida vero illius diſſolutionem impedit. Hic rurſus nos interpellat Marcus

Marci Antonii Capelletti de exhibendo Vino in principio catarrhi rationes ad Cirochum.

Antonius Capellettus, qui ſuis arbitratur ratiocinationibus demonſtraſſe, in catarrho frigido ſtatim conuenire vinum, præſertim, ſi ad thoracem appellat. Primum ſic ait: Dubitat nemo, quin tuſſis magna ex parte originem ducat à deſtillatione, tunc quidem prima indicatio in tuſſi executioni demandanda, eſt humorem in thorace contentum expectorare. atqui vinum dulce ad huiuſmodi opus conducit Hippocratis, & Galeni teſtimonio tertio acutorum. ergo in principio deſtillationis conuenit.] addit. Cœci ſunt, qui non vident in pneumonia potiſſimum incumbendum, vt humores è pulmonibus vacuentur. Vinum autem dulce expectorat eos humores: idcirco incohata pneumonia dandum eſt, vt præcepit Hippocrates: quam rem neque tu animaduertiſti, neque etiam Augenius iuuenis præſtantiſſimus. Nec putes, mi Franciſce, Hippocratem duntaxat libro tertio de ratione victus in morbis acutis, hanc habuiſſe opinionem, ſed etiam profiteor recentiores Græcos, Paulum ſcilicet Aegínetam, & inter Arabes Auicennam huius extitiſſe opinionis. Nimis igitur, mihi credite, vos, qui in Piceno, & in Vmbria medicinam facitis, in exhibendo vino, religioſi eſtis, & auſteri. Ego Arimini paſſim exhibui, & bene ſemper contuliſſe obſeruaui.] hæc ille in ſua ad te ipſum epiſtola. Sed non minus prudenter in his ille quidem ſapit, quam in aliis. Illud certe falſum eſſe profiteor, primum ſcilicet remedium executioni demandandum in tuſſi defluxoria eſſe humorum expectorationem; nam anteaquam hoc fiat remedium, aliud exerceri debet, quod ipſam fluxionem, tanquam cauſſam reſpicit: quomodo enim humorem in pulmonibus contentum vacuabimus, ſi à capite de cætero fluit? Vinum interdicitur in tuſſi ratione fluxionis & catarrhi. at vero admittitur pro humoribus expectorandis. atque hoc modo interpretanda eſt ſententia Hippocratis, & Galeni libro tertio acutorum: namq; enim aliquando dixit Hippocrates aliud, quam dulce vinum ſputum magis educere, quam quod vinoſum eſt. de tempore autem dandi, ne verbum quidem fecit. Atque ille certe cœcus eſt, qui omnibus euidentes, maximeque alioquin neceſſarias indicationes ignorat. nequit curari pleuritis, peripneumonia, alia ve inflammatio, niſi prius è medio tollatur fluxio, vt 13. methodi medendi, & ſecundo ad Glauconem Galenus aſſerit: propterea reuulſio ipſa præcedit omnes euacuationes ex phlegmonoſis particulis faciendas. Nunc ad rem, in pneumonia incumbendum expectorationi humorum, at vero prius inhibenda fluxio. Atqui vinum auget fluxionem: ergo fluxione præſente abſtinendum à vino. Addo neque ſemper tuto dari vinum fluxione ceſſata: quia ſi calidum corpus eſt, bilioſumque dulce vinum bileſcet, & bileſcens augebit morbum, eiuſdem Hippocratis ſententia eodem tertio libro acutorum, qui in hunc modum ſcribit: Et ſane quibus epotum ſiticuloſum eſt, his minus, quam vinum alterum educit.] Tertio. concedamus euacuatam omnem fuiſſe multitudinem venæ ſectione, aut purganti pharmaco, aut vtroque remedio, non tamen ſemper tutum eſt dare vinum propter febrem, quæ continua, acutaque eſt. In medendis morbis non ſolum incumbere indicantibus oportet, ſed etiam prohibentia, quæ nonnulli vocant, contra indicantia, perpendenda ſunt. Inuicemque conferenda eſt horum dignitas, & magnitudo, vt Galenus inquit nono de methodo medendi ac ei primum dare operam oportebit, quod magis vrget, ac alio, quo ad eius fieri poteſt, minime neglecto. Si igitur vinum dulce accommodatum eſt pro humoribus expectorandis, noxam tamen inferre poteſt ratione fluxionis humorum:

rum: nocebit etiam fortasse, quia corpus picrocolum est; & quia etiam augebit febrem: hac de caussa aliquando abstinebimus. Somnium ille narrat mihi, cum dicit, Hippocratem inchoante pneumonia vinum dedisse: & vero hic non modo cœcitatis nomine arguendus est manifestissimæ ignorantiæ, quod alioquin eius pace sit dictum. Admiror, cur non pudeat hominem vinosum tam aperte falsa de vino pronunciasse, Hippocratem profiteri. Sed quid moror? Nonne somnium etiam est, quod de Paulo Aegineta scribit. Verba Pauli libro suæ medicinæ tertio sic habent: Præ omnibus autem à vini potu abstineant hoc tempore, vbi vero moderatior facta fuit inflammatio, vinum dulce sumat, & sorbitionibus ex melle & lacte & amilo, & pane siligineo. &c.] Quo tempore iubet Paulus à vino abstinendum? in ipsius inquam principio, quando humores fluunt: dandũ postea cum nõ fluunt, id est, quando vt ille dicit, moderatior facta inflammatio est. Sed valeat cum suo vino Capellettus. Nicolaus Casanoua meus conciuis communicabit tibi disputationem meam, quam de vini potu in morbis acutis olim scripsi contra eundem.

Vinum, quo pro sanando asthmate vtitur Ludouicus Pater, huiusmodi est: Habet vini dulcis quale potissimum vernacia est, non crassi, sed tenuis, mellicrati cocti an. libras decem, pulueris foliorum tabacchi exsiccatorum in vmbra vnc. i. s. radicum polipodii cerquini recentis, ac minutissime concisi vnc. iii. radicum hellenii, remoto meditullio, & incisarum vnc. iiii. macerentur horis 48. postea vero colentur, per manicam Hippocratis vocatam. conseruetur in loco frigido: dabat vnc. vi. pro vice singulis diebus, horis ante prandium quinque. Ego vero exhibeo illud frequentius nempe more elegmatum: sumo illius vini vnc. quatuor, admisceoq; diairis Nicolai vnc. ii. & loch efficio agitando leuiter apud ignem; ac vbi refrigeratum fuerit, addo olei de sulphure drac. i. & semper obseruaui pro viscidis, & maxime crudis humoribus expectorandis conferre. Hæc habui, quæ pro tuarum responsione ad te scriberem: Bene vale, Senex venerande, & me, qui te obseruo multum, pro tua benignitate amare non desinas. Ex Tollentino, 22. Maii 1576.

querc[in]i

v. 470. ✗

De Ganglii curatione in carpo sinistri brachii, responsum pro filii D. Lobetti, Serenißimi Sabaudiæ Ducis Medici.

SI adesses, vir clarissime, tu ipse pro summa doctrina tua, & experientia opem ferres filio tuo: quia vero non licet à Serenissimo Principe longius abesse, ad me pertinere iudicaui scribere, quo morbi genere afficiatur puer, & quam ego medendi rationem instituere decreuerim. Tu postea communicabis hæc Angelo Viscæ Anatomico insigni, ac simul ambo iudicabitis, quę agenda sunt. Interim tibi hoc persuadeas velim, nullum me nunquam officii genus prætermissurum, quod afferre filio tuo vtilitatem possit. Sed ne pluribus morer, ad rem venio.

Patitur filius tuus Ganglium in carpo brachii sinistri. Ganglion vox Græca est, quæ nomine Latino caret: solentque iuniores Græci Ganglium vocare tumorem durum tactui renitentem, non dolorosum, circa neruosas partes natum, quem si quispiam comprimat, stuporis quendam sensum inferre conspicitur. accidit in omnibus partibus, vbi sunt nerui, & articuli, maxime tamẽ frequenter oritur in carpo manus, vt filio tuo in præsentiarum contigit. Origo huius tumoris fit paulatim, non subito, pro more alioquin eorum tumorum, quos vel crassa pituita, vel humor creat melancholicus, in qua longe distat ab ipsis inflãmationibus, ac vniuersum ab omnibus tumoribus calidis, quos non paulatim congestio sed fluxio parit. Ibi vero contingit congeri frigidos hosce humores ob loci frigiditatem, & imbecillitatem, materia sensim à capite demandata, & ibidem etiam ob loci imbecillitatem genita. Extrinseca vero fuit caussa congestionis huius: nam puer ex casu eam partem male affecit, spretoq; affectu, paulatim auctus est ad magnitudinem fere vnius oui: pituitosum tumorem esse in-

dicat color albus, per congestionem factum indicat, quod paulatim anni vnius spacio increuit, quodque dolorosus non sit affectus: nam quæ paulatim fiunt, carent dolore: opus enim est, vt dicebat Galenus, dolorem fieri ab alteratione subita; & confestim facta quod Græci ἀνθρωπος dicunt. At non est mollis neque viscida pituita, sed crassa, propterea non cedit tactui, nec foueam relinquit, dum premitur, vt accidere solet in ipso œdemate. Distat hic tumor à glandula, & à nodo, (liceat mihi dilucidioris doctrinæ gratia vti vulgaris apud Chirurgos nominibus,) quia glandula occupat adenes: nodus vero est, qui neruosas occupat partes extra pericarpum: in quo nodus existens, ganglium propria appellatione vocamus, at alibi vocabitur nodus. Sed non est in ratione nominis diutius insistendum, quia rei natura satis constat, quomodocunque quis appellare voluerit.

Hæc si vera sunt, manifestum faciunt affectum esse difficilem sanatu multis de caussis: Vna ratione humoris, qui frigidus est, & crassus: Alia ratione loci, quia occupat partes imbecillas sua natura, admodum frigidas, à quibus excrementa vix artis beneficio, multo minus solius natura discuti possunt. Periculumq; minari solet hic morbus, ne fiat vlcus malignum, si forte fortuna ad suppurationem veniat: semper enim obseruatum fuit generari vlcera cacoethe in illis partibus: imo raro est, quin etiam os ipsum subiectum corrumpatur. Propterea maximam adhibere diligentiam debemus, ne ad suppurationem accedat: etsi aliquando videbitur suppuratus, tentari tamen debebit digestio humoris in tumore contenti, quia illa non est vera suppuratio, quæ ignaros Chirurgos facile decipit, accedentes ad incisionem, ex qua postea nihil apparet puris, sed guttulæ solum sanguinis, non sine magna artis infamia. Meum igitur hoc consilium est, vt abstineant Chirurgi à suppurantibus, quo ad eius fieri potest.

Reuertor ad methodum curatiuam, meamq; sententiam libere profero, quæ in hisce capitibus continetur. Primum, quidem, vt humorem pituitosum à toto corpore, & à capite postea purgemus. Secundum, vt materiam in tumore contentam discutiamus: verum quia materia crassa est, nequit hæc tuto discuti, nisi prius fuerit emollita, deinde attenuata: erga dissolutionem præcedere debet emollitio, deinde attenuatio: Nunc de materia medica agendum. Exhibito prius melle rosaceo solutiuo ad vnc. iii. cum vnc. i. s. aquæ betonicæ, præparatam pituitam viscidam ex oxim. s. & syrupo de betonica, & de corticibus citri an. vnc. s. decoctionis betonicæ, stychados mentæ vnc. iii. expurgarem dein agarico trochiscato, & diaphenico in hunc fere modum. Rec. aga. troc. drach. i. zinzib. gra. iii. macerentur in aquis fœniculi, & betonicæ, an. vnc. i. s. ac in expressione dissolue elect. de dactylis drach. ii. diaturbit cum rebarb. drach. s. fiat potio exhibenda in auroram. Optimum esset præterea post eiuscemodi purgationem dare huic puero decoctum radicis chinarum: in quo certe multo magis, quam in decocto ligni guaiaci confido. nam illa radix non ita siccat, vt lignum, ideo in pueris non est suspecta: lignum, humidæ temperaturæ, ac calidæ, suspectum est, quæ alioquin sponte diflatur; nam calefaciendo, siccandoque posset habitum corporis tenerum liquare, & ad summam reducere siccitatem: quæ res non accidit in chinæ decocto, cum vacuando per sudorem magis impinguat, quam extenuet. Victus rationem extenuantem eligerem, sed nunquam tenuem, qualem explanabo infra. His peractis ad remedia localia accederem, quæ licet videantur pertinere ad Chirurgiam, in sui gratiam, quem vnice diligo, scribam tamen ea medicamenta, quibus hucusque nonnullos liberaui ganglio laborantes.

Emolliens igitur medicamentum sic parandum curo: Rec. mucilaginis seminum fœnugræci depromptæ ex decocto ficuum pinguium. lib. s. Axungiæ suillæ, & anserinæ an. vnc. ii. medullæ crurum suis, & bouinæ an. vnc. ii. s. ceræ cõmunis. vnc. v. coquantur simul in duplici vase, ad consistentiam emplastri, sub finem inspergito radicis iridis drach. ii. s. farinæ seminum fœnugræci scrup. v. fiat emplastrum, q; supra locum affectum gestetur diebus continuis quatuor, innouando ipsum quotidie bis: & anteaquam imponatur, abluatur locus vino calido albo

albo decoctionis radicum altheæ: quibus transactis attenuante vtatur pharmaco in hunc fere modum parato:

Rec. aqua vitæ lib. j. s. in qua tepida infunde horis vigintiquatuor zinziberis, nucis muscatæ, caryophyllorũ, macis an. vnc. j. calamynthæ, pulegii, hyssopi, amaraci siccorum an. vnc. s. mox facta forti expressione ex hac aqua, singulo quoq; die quater locus affectus foueatur: deinde vero detergatur, ac oleo therebentinæ optimo cum stuppis canabinis locus foueatur: nec aliquando frigidus maneat: quatuor etiam diebus hoc vtatur attenuante medicamento. Quibus transactis postea adhibeatur attrahens, absorbens, & vacuans, dissoluensque pharmacum, quod habet.

Rec. olei veteris vnc. iij. s. ceræ albæ vnc. ij. s. liquefactis adde therebentinæ vnc. ij. permistis, refrigeratisq; postea inspergito cineris ficuum drach. iij. salis communis drach. j. salis petræ vnc. j.

Porro transactis hisce duodecim diebus, rursus alternatim accedendum est ad emollientia, mox attenuantia, tandem discutientia. Obseruaui eiuscemodi tumores, nisi ægrotus in viuendi ratione, aut assistentes aberrent, spacio dierum quinquaginta perfectissime sanari: quod spero etiam filio tuo successurum.

Porro, quod attinet ad rationem victus, in qua certe non exigua consistit ratio sanationis, alia conuenit puero, dum sumit radicis chinarum decoctum, alia vero ante, & post sumptionem illius. Longe tenuior conuenit viuendi ratio, dum sumit decoctum chinæ, quam aliis temporibus: prandium sit paruus pullus elixatus, & in ipso iure bulliant semper betonicæ folia & amaraci. Cœna vero sit idem pullus gallinaceus, vel columbinus assatus, aut turdus, aut alia auis parua: non semper elixis vtendum, quia materia nimis humida est, quam discutere volumus: nec semper siccis vtendum alimentis, quia naturale temperamentum contra indicat. propterea vespere adhibeat panem biscoctum, mane vero siligineum, non biscoctum. Potus sit decoctum chinæ, quod & pro syrupo & pro potu vsurpandum est, tantumque illius bibendum, quantum voluerit.

At aliis temporibus paulo pleniorem instituemus victum, in siccis tamen ac humidis alimentis eadem obseruata methodo, nempe, vt non semper siccis, vt morbus postulare videtur, vescatur cibis, nec semper humidis, vt ætas indicat. Abstineat ab aere frigido, & à ventis agitato. ab omnibus alimentis humores viscidos & crassos generantibus, potissimum vero ab iis, quorũ difficilis est transmutatio & concoctio. Vinum generosum obest puero; si fieri posset, persuaderem, vt toto saltem curationis spacio ab eo abstineret, etiam si generosum non esset. Pro vino placeret decoctum cinamomi & liquiritiæ; vel etiam adderem vnciam vnam, aut dimidiam ligni Indici præparati; quod si vinum dare oporteat, sit tenue, & oligophorum magis, quam vinosum. Conuenit puero exercitatio inferiorum partium, nam quæ manibus fit, omnino interdicenda est. singulis diebus anteaquam cibetur, exerceri conuenit: nam optimũ est, quemadmodum dicebat Hippocrates, laborem præcedere cibum. Optimum etiam semper extitit, non satiari cibis. Cauebit à somno meridiano: cauebit etiam à nocturno, si modum excesserit: atq; supinus nunquam dormiat. Singulis diebus procurandum, vt aluus sua deponat excrementa, aut natura, aut arte: præsertim vbi decoctum sumit radicis chinarum. Deus optimus maximusque omnia tibi secundet. Vale Taurini.

IVLIANO CATERVO MEDICO.

Qui humores à sanguinis natura parum aut multum distare dicantur ex Galeno. Hunc in docenda caussa diabetis fuisse negligentem. Aretæum & Auicennam & Aetium fuisse deceptos. Veram caussam calidam esse duntaxat & siccam intemperiem renum.

HVMORES à ſanguinis natura aut parum, aut multũ diſtant, vel in prima ipſorum generatione, vel ex accidenti: quod quidem fit dupliciter, vel cum ſanguis corrumpitur, vel cum miſcentur, vel nõ miſcentur illi excrementitii humores. Eſt autem in eo, quod magis ac minus in ſingulis differentiis, non exigua latitudo. Sanguinem conſiderare duobus modis poſſumus; aut enim totam ſanguinis maſſam ex quatuor partibus conſtantem, aut quartam partem, quæ omnium temperatiſſima eſt, eo intelligimus nomine: vtroque modo ſemper verum eſt, ſanguinem in medio conſiſtere inter humores crudos, ſiue pituitam, & biliosa excrementa. tota enim maſſa temperata eſt, à qua diſtat bilis, melancholia, pituita: hęc minus, alii diſtant magis. Dulcis pituita proxima videtur ſanguini, vt quæ iam incipiat in naturã ſanguinis mutari: proxima huic inſipida eſt; aquea, vitrea, gypſea longiſſime recedunt. Bilis magnam habet latitudinem: Etenim admodum acris, flaua, aduſtaq́; vt vitellina, æruginoſa, & quæ hanc ſequuntur, plurimum diſſident à ſanguine: nunquam enim poſſunt in illius naturam mutari, habentq́ue etiam qualitates naturæ admodum infeſtas. Pallida mitior eſt, & ad ſanguinem accedit magis: Permixta pituita benignior eſt, quia ex parte verti in ſanguinem poteſt; at melancholiæ pernicioſior: maxime vero ſi bili acerrimæ atra bilis miſceatur. Longiſſime omnium excrementorum recedit melancholia: ipſa vero atra bilis, naturam habet præterea maxime pernicioſam: At ſi conſideramus ſanguinem ipſum, pro quarto humore collatio fieri poteſt ad duo, nempe ad humores excrementitios, quemadmodum proxime diximus, & ad ſuas partes. ſanguis pituitoſus benignitate alias ſuperat partes: at vero bilioſus à temperata recedit, vt etiam melancholicus, & vterque eo magis, quo ille fuerit calidior, ſicciorque, & acrior, hic autem frigidior, accedet magis ſi minus ferueat ille: hic minus frigeat. Sic ego ſoleo interpretari Galeni verba libro quarto de ſanitate tuenda, cap. 5. quæ habent in hunc modum: Siquidem ſanguis in medio eſt bilioſorum, atque horum vtique genus vno vocabulo appellare licet vel crudum ſuccum vel pituitam. illi namque ex ſanguine fiunt, vbi ſupra modum eſt percoctus: hi vero eo nondum perfecto. ſunt autem vniuſcuiuſque generis innumeræ particulares differentiæ, cæterum ab iis, qui in talibus ſunt periti, innumeratæ ſpecies ſunt iam deſcriptæ: quarum tamen ipſarum adeo hic omnium meminiſſe neceſſe non eſt, vt etiam ſatis ſit, eas ad vnum caput redigere, quod tibi, veluti ſcopum agendorum proponas. Nam quoniam alii prius, quam ad exactum ſanguinem nutrimentum perueniat, veluti ſemicocti ſunt, alii prorſus incocti, crudiq́; alii paulo abſunt à ſanguinis forma, rurſuſq́ue alii ſanguinis faciendi, ſiue vt ita dicam, ſanguificationis veluti vltima pars, qui vtique exceſſu caloris proueniunt (quorum alii paululum, alii plus, alii plurimum à ſanguine receſſerunt) vbi paululum, vel citra ſanguinem reſtitum, vel vltra proceſſum eſt, audacter mittendus ſanguis eſt. Vbi plus conſideratius agendum, vbi plurimum in his nullus omnino mittendus eſt.] hæc Galenus.

Secundus modus ab ipſa corruptione ducit originem. Etenim ſanguis poteſt putrefieri ſed leuiter, ita vt adhuc ſuam ſeruet naturam: poteſt etiam adeo ſordidam ſuſcipere putredinem, vt ad ſuæ naturæ bonitatem reuerti non poſſit. cum igitur ſanguis incipit putrefieri, ac mutari, ſanguis adhuc eſt atq; dicitur: at cum magna in ipſo mutatio facta eſt, amplius ſanguis non eſt, ſed in alienam naturam degenerauit: quod accidit in vino aceſcente, id ſane etiam accidit in ſanguine. poteſt vinum principium ſuſcipere transmutationis in acetum: quo caſu adhuc non eſt acetum, ſed aceſcit, ſoletq́; euentatione, & aliis artificiis eiuſcemodi alteratio corrigi. At poſtquam acetum factum eſt, tunc non poteſt amplius eſſe vinum: quia à priuatione ad habitum non datur regreſſus. Quæ hic diximus de aceto, & vino, de ſanguine ſemiputrido ac putrido, Galenus confirmat lib. 2. Aph. com. 17. hiſce verbis:

Nam quod aceſcentibus vinis vſu venit, eiuſmodi quiddam in ſanguinis alteratione fieri conſueuit. id vero tale exiſtit, nam vbi plane vina acuerunt, non iam

iam ad vini naturam redire possunt. Verum si tam leui momento ad id vergant, vt acescere quidem, sed nondum acetum esse videantur, ex iis complura pristinam recepisse naturam, sæpius sunt visa. Sic in sanguine se res habet. Nam si ipsius magna facta sit corruptio, non iam ad sui naturam redire potest, parum vero à seipso si degenerauerit, vacuato superuacaneo, qui restat suam recuperare potest naturam. Atq; talem sanguinis affectionem non corruptelam, sed plenitudinem appellare Medicis moris est: solam eam (quod modo dicebam) corruptelam nominantibus, quæ tam magnam præter naturam mutationem est sortita, vt à natura amplius vinci ac regi nequeat, vt probus, & laudabilis, & vtilis succus fiat.] Hæc Galenus. Ex quibus colligo, sanguinem leuiter putrescentem parum distare à natura boni sanguinis: corruptum vero maxime distare. nam corruptus iam degenerauit in alienam naturam. Quemadmodum Galenus testatur lib. 6. epid. sect. 3. com. 43. cum ait:

Conducit, ait ipse, vt horum aliquibus sanguis detrahatur, nempe in quibus ille fuerit copiosus, in aliumq; humorem nondum fuerit insigni mutatione conuersus. Non detrahatur, ait, illis, in quibus iam mutatus est.]

Cæterum ex putredine sordida contumacique sanguis mutatur in bilem vtranq;: tenuior & pinguior in flauam: crassior vero in melancholiam, vt Galenus testatur 2. lib. de febrium differ. cap. 12. cum dicit:

Quocirca ratione non caret, putrescere interdum sanguinem ipsum in locis inflammatione affectis, febremq; ex eo simpliciorem esse, quam ex aliis humoribus: proportionem autem accessionum tertianæ circuitionis potissimum sumit. (ita enim fieri cernitur & in pleuriticis, quoties rubidum exspuunt) vbi vero supra modum assatur, mutatur penitus. Pars enim tenuissima simul ac pinguis in pallidam bilem, crassior autem in atram vertitur, quemadmodum accidit in carbunculis.] idem repetit 2. de crisib. fere ad verbum cap. 9.

Constat ex iis, sanguinem putrescentem conuerti in naturam alterius humoris: atq; dum mutationis principium subit, vtique permanere adhuc eius formam: at dum postea progreditur, omnino propriam naturam amittere. Quæso, conferas locum secti de morbis vulgaribus, cum vndecimi de methodo medendi cap. 8. & 14. & maximum eius videbis doctrinę, quam olim aduersus Curtium ex Galeno de venæ sectione scripseram: sed satis de secundo modo.

Tertius est per admixtionem: quandoquidem humores excrementitii, licet sint à natura sanguinis distincti: tamen cum permiscentur sanguini ex illius benignitate, aliquid acquirunt bonitatis: ita vt statuendum sit participare illos nonnihil eius naturæ permistionis gratia. at contra, vbi omnino segregati sunt à sanguine, vt bilis in chisti fellis, ad quę transmittitur à iecinore ad ventriculum, vel ex malis humoribus gignitur, vel ex alimentis corruptis, longissime semper à sanguine distare dicendum est. mixtis quidem humoribus cum sanguine salutaris aliquando est venæ sectio, aliis autem maxime detestabilis, vt alibi scripsimus, sed satis explanasse videor, qui humores parum aut multum differant à sanguinis natura, ex quo principio elucescit, quando mittere aut non mittere sanguinem oporteat. Aggredior nunc ad explanationem secundi problematis.

Dum agebam de diabete, recordor me hæc meis discipulis dictasse. De caussa negligens fuit Galenus. Aretæus vero mendax: Est enim caussa huius affectus proxima, intemperies admodum calida & sicca renum, aut simplex, nullo scilicet humore concomitante, aut cum humore acri ex communi consensu fere omniũ. Quamuis Auicenna profiteatur, à frigida intemperie etiam fieri posse: cuius opinionem in præsentia non admittimus.] Duo scribis displicere tibi: vnum, quod Galenum negligentiæ arguam: aliud quod non admiserim, diabetem oriri ab intemperie frigida & humida, quodque hanc opinionem citra demonstrationem aut rationem aliquam proposuerim. Ego quidẽ admodum dignus excusatione videor, caussam nosti. non enim, vt aliàs scripsi, iuraui in verba magistri. Demum non admisi illius modo, imo nec Aretæi sententiam, quia

parum consentiens erat sensatis, ac rationibus: eas vero, studio breuitatis prætermisi. Quandoquidem non est munus præceptoris singula minutatim prosequi, sed docere duntaxat potiora debet, methodumque, qua duce omnes possint discipuli, difficultates extricare: certe si meos illos voluisses diligenter considerare discursus, inuenisses rationes aperte concludentes à frigiditate diabetem concitari non posse. Expedit tua caussa idem argumentum, & longe diligentius, sed breuiter prosequi.

Negligentem fuisse Galenum in caussa diabetis inuestiganda, ea manifestum faciunt, quæ libro sexto de loc. affect. cap. secundo scribit. nam asserit caussam esse imbecillitatem in renibus contractam facultatis retentricis, & alteratricis. Verum quia solet hoc contingere à quacunque intemperie (nam actus propriæ virtutis ab omni impediri potest intemperatura, vt frequenter scripsit maxime 3. Aphorismorum) dum ita scribit nihil omnino docere videtur mihi, cum nondum constet particularis caussa imbecillitatis. Admirorq; plurimum, cur ita in distinctione fuerit locutus, cum idem author soleat eos deridere, qui dicunt caussam læsæ alicuiuspiam operationis esse imbecillitatem, profiteaturque eos nihil docere. præstat afferre eius verba ex septimo methodi capite secundo, quę sic habent. Præterea non intelligere ea, quæ dicunt, nonnullos eorum, qui rationales sese nominant, quoties imbecillitatem esse dicunt, vel ventriculi, vel intestinorum, vel iecinoris, vel oculorum, vel alterius cuiuslibet partis. Si namq; ita nominant imbecillitatem, impotentiamque ad naturale opus, nihil plus plebeio intelligunt, quippe quem dicere audias imbecillum sibi ventriculum esse: non enim concoquere eum vel minima, leuissimaq;, quæ sumpsit. Quod, si imbecillitatem, quæ est in ventriculo affectum quempiam esse aiunt, interpretentur, quæso nobis, quemnam esse volunt, quemadmodum in phlegmone fecerunt.] ac postea quidem in cap. 3. hanc imbecillitatem, in similaribus corporibus docuit esse intemperiem, cuius caussa pars suas non edit functiones: sanitatemq; earumdem esse bonam temperiem. & iuxta hanc methodum eo libro inuestigauit omnes caussas, à quibus lædi ventriculum contingebat. Igitur, si hæc vera sunt, debebat in hac materia proponere veras caussas diabetis, prætermissis vniuersalibus, & quæ ad curationem nihil conducebant. Hic ego, qui alioquin maxime sum addictus illius doctrinæ, nihil habeo, quod pro illius defensione in mediũ afferam. nisi dicamus, non curasse illũ diligenter prosequi huius affectus caussas, vt qui rarissime contingat: scribit enim semel sese diabeticum obseruasse.

Neque mihi omnino satisfaciunt recentiores Græci, si Paulum Aeginetam & Alexandrum excipias. Aetius enim Tetrabili secundo lib. 10. cap. 1. ipsissima (vt ita loquar) afferre Galeni verba videtur: nsi quod quædam ex Aretæo addit, de quo postea; licet, quod attinet ad curandi rationem, non parum satisfaciat mihi.

Aretæus Capadox ita de Diabete scribit lib. 2. de caus. & signis diuturnorum morborum cap. 3. Diabetes, qui vocatur affectus, miraculum quoddam est haud ita sæpe hominibus vsitatus carnium, ac membrorum in vrina colliquatio. Frigida, atque humida, vt in aqua inter cutem, caussa est, transitus autem consuetus renes, & vesica. &c.] Hic multa scribere videtur mihi extra rem. primum quod diabetem diuturnum esse morbũ dicat. nam certe acutus est, & breui spatio temporis hominem conficit. Dein, quod asserat frigidam, & humidam caussam esse: de qua dicemus infra. Deinde quod aquæ inter cutem similem facit, quo cum non potest conuenire, carnium, & membrorum colliquationem adesse in vrina. prætermitto hæc non consentire cum ratione curandi à veteribus fere omnibus conscripta: maxime quod ille dicat velocem esse colliquationem, & interdum festinam mortem ægrotis contingere. prætermitto alia, quia solum scopus est inuestigare veram caussam affectus huius.

Maxime satisfaciunt mihi Alexander Trallianus, & Paulus Aegineta, qui eadem fere scribentes diabetem fieri asserunt ex intemperie admodum calida, & sicca

sicca renum: cuius caussa retentrix & alteratrix contraxerint magnam imbecillitatem, ita vt suo perfungi officio non possint, adaucta interim attractricis actione. Affero Alexandri verba:

Fit autem (inquit cap. 8. libri 9.) ob retentricis renum imbecillitatem, & propter attractricis robur: quæ ob caliditatem, non humores solum venarum, sed etiam totius corporis immoderatius attrahere compellitur.] idem Paulus lib.3.cap.45.

Si consideramus, quæ in diabete contingere quotidie obseruamus, & omnes authores meminerunt, vtique in eam opinionem veniemus, calidam siccamq; intemperiem renum veram esse, atque proximam caussam illius. Symptomata inseparabilia sunt hæc, sitis inexhausta. Linguæ ariditas magna. Calor in visceribus modum excedens. Vigiliæ intensæ. colliquatio totius corporis breui contingens, qua oculi fiunt concaui, acutæ nares, collapsa tempora, & in summa accidunt omnia, quæ Hippocrates in principio prognosticorum attulit. Nonnullis præterea febris adest affatu digna, atque vrina continuo perfunditur. statim enim atque potum quispiam sumpserit, illico emittit illum, citra aliquam alterationem in substantia, aut qualitate: imo quantitatem etiam longe maiorem humiditatis effundunt, quam biberint: quia caro & omnis humiditas alimentalis, simul cum tota portione seri in venis educitur, ita vt solum remaneat sanguis aridus & torrefactus. Hæc si vera sunt, quis de caussa ambigeret? quis arbitraretur fieri hæc posse à frigida intemperie? aut quis aliquando imaginabitur modum generationis horum symptomatum? Memineris, quod Aristoteles, atque cum eo Peripatetici omnes dixerunt: Regulam scilicet & experimentum sermonum verorum esse, vt concordent sensatis: vnde si ratio & sensus inuicem non conueniant, magis adhærendum est sensui, quia ratio, quæ sensui & experientiæ contradicit, vana est, atque deceptoria: qui vero dimittunt sensus propter rationem, habent ii imbecillitatem intellectus, vt Auerroes, Auicenna, & Aristoteles asserunt. At in proposito casu simul ratio & sensus concurrunt; idcirco tanto magis confirmandum est, diabetem fieri non posse, nisi à calida siccaque intemperie, qua perpetuo frigidæ potum appetant, vt puta contrarium; Rationem confirmat experientia: nam curandi ratio instituitur iis, quæ refrigerant, humectantque, vt Trallianus admonuit. Audisti caussam, ob quam dictauerim, Galenum in reddenda caussa diabetis fuisse negligentem: & Auicennam mihi non satisfacere, dicentem, à frigiditate & humiditate fieri. Hæc si tibi satisfecerint, vt spero & opto, erit mihi iucundissimum: Sin minus, meliora in vtroque argumento excogitabis tu, qui plurimum ingenii vales acumine, quod in me ipso iamdiu inclinantem cognosco. Vale.

ILLVSTRISSIMO SENATORI N.

De muliere vtero gerente patiente picam siue malaciam, cum diarrhœa complicatam.

CERTISSIMVM est, Senator illustrissime, affectum, quo laborare coniugem tuam, scribis, & pro cuius curatione meum consilium desideras, originem habere ex corruptis, vitiatisq; humoribus ostium ventriculi (in quo sensum appetitionis esse, omnes Medici asserunt) occupantibus: nam vbi eius temperamentum vel mutatum sit, vel immutetur, pro varietate mutationis contingit varia alimentorum genera, ac rerum etiam sordidarum, quæ à communi ciborum vsu plurimum distant, ægrotantes appetere: quandoquidem fertur aliquando inordinatus hic deprauatusque appetitus ad esum carbonum, calcis, lignorum, vermium, terræ, stuppæ, lini; imo aliquando carnem humanam appetiisse quasdam memoriæ commemorant Scriptores grauissimi. Mulier quædam vterum gerens desiderio humeri pistoris denudati, ac panem ad furnum deferentis, irretita, mœstaq;, omnem cibum, præter carnem de pistoris humero

fastidiebat. Maritus charæ misertus vxoris, certam pecuniam pro singulis de
humero pistoris morsibus, cum eo paciscebatur: Duos itaq; dentium mulieris
insultus fertur substinuisse: tertium vero doloris pertæsus, ferre noluit. Lamber-
gi vero (vt iidem scribunt) in amœno Schlesiæ & regali oppido sacerdotem lotis
ac nudis pedibus egressum balneo, inq; plantis crepidas de more ferentem, gra-
uida mulier subsecuta, pedum desiderio capta, procidit à tergo in genua, ac am-
babus manibus crure altero apprehenso de calce sacerdotis mordicus dentibus
frustum auulsit, nihil illius clamorem expauescens, quo deorum hominumq;
fidem & subsidium is implorabat. Legimus etiam in Pago non longe ab An-
dernaco Episcopi Coloniensis oppido, in littore Rheni malacia laborantem,
carne mariti vesci desiderasse: atque licet percharus esset, hac duntaxat de caus-
sa occidisse illum, & dimidia fere carne dilecti coniugis saturatam, reliquum
sale macerasse, vt eadem postea, furore picæ iam sedato, ac facti pœnitens fassa
est, & certe iustum, edito partu, pro tanto facinore supplicium tulit. Hæc qui-
dem & alia huius generis indies contingere solent vtero gerentibus, à primo vs-
que ad quartum mensem: nam hoc transacto, vix ego aliquam inueni, mala-
cia laborasse. Hic ex me scire desideras: Primum, quæ caussa sit huius sympto-
matis. Secundo, si vtero gerentes, cum hoc magno tenentur absurdarum re-
rum desiderio, debeant impediri, ne consequantur. Tertio, quæ conue-
niant vxori tuæ remedia carbones assidue appetenti, secundo supra dimidium
mense vtero gerenti, & diarrhæa laboranti. Sigillatim tuis quæstionibus respon-
dens, ad primam dico: Proximam caussam esse vitiatos, & malignos quosdam
humores in ostio ventriculi imbibitos. Quorum origo duplex est, vna mala vi-
ctus ratio, otiosa vita; alia vero vteri gestatio. Pueris, ac in summa non ferenti-
bus vterum ex malo victu accidit. At gerentibus vtero ex retentione sanguinis
menstrui, vt Galenus ait primo de caus. sympt. cap. 7. Equidem infans primis
mensibus non multo indiget alimento, cumq; nutriatur purissimo sanguine, qui
relinquitur post illius nutritionem, admodum prauus est, natura transmittatur
ad superiores partes, si non corpulenta, saltem vaporosa substantia: qua postea
imbutus ventriculi os eiuscemodi parit symptomata, ac alia eiusdem generis,
à Galeno explanata. Si sanguis ille fuerit maxime adustus, carbonum appe-
titus est; si melancholicus citra adustionem, terræ: si pituitosus crassus, calcis
appetitio est: atque ita dicunt, consimilem esse appetitum naturæ humoris con-
tenti, quando ab hoc temperamentum omnino mutatum fuerit: At si nondum
mutatum sit, sed mutetur adhuc, desiderium fieri ad res contrarias, non similes.
Id autem tibi fortassis videbitur mirum, vt puta qui scias datum esse animali-
bus appetitum, vt consequantur vtilia, deuitent vero quæ contraria sunt: id-
circo non poterunt appeti sordidæ res consimiles humoribus in ventriculo ex-
istentibus. Hoc tamen contingit, quando mutatum iam temperamentum est,
malive humores tam vehementem fecerunt impressionem, vt iam naturalis e-
uaserit, quemadmodum de febre hectica dicere consueuit Galenus. Ergo si-
milium appetitio fit, cum magna impressio facta est: contrariorum autem cum
non ita magna, sed in ipso ἐν σχέσει, non ἐν ἕξει, fuerit intemperies. Cognoscemus si-
mile aut contrarium esse ex modo appetitionis: nam post consecutionem simi-
lis rei non cessat aliqua ex parte appetitio, nec recreatur ægrotans quicquam:
at post contrariæ assecutionem vtique tum mitificari appetitum prauum, tum
ægrotantem subleuari tantisper apparet. sanari tamen non potest, quia licet
contrarium sit dispositioni introductæ, nihilominus non est adæquatum con-
trarium, neque sufficiens pro eiuscemodi affectu propulsando. Est autem a-
nimaduertendum multo deterius habere ex hoc affectu, quæ bono sanguine a-
bundant: ac melius quæ malo. & è contra in illis creari fœtus viuidiores, salu-
brioresque: in his autem morbosos, parumque vitales, ita enim contingere, ex-
perientia manifestum facit. Diuersitatis causa est, quod in illis fœtus bono san-
guine nutritur, quo illæ abundabant: qui relinquitur, vt plurimum est malus ac
perniciosus: à quo non possunt non male habere matres. In his autẽ fugit fœtus
sangui-

sanguinem malum, quo suctu matres veluti purgantur ab illius malitia, ac de cętero longe melius habent. Aliud etiam putauerim animaduertendum, oportere non solum vitiatos esse humores, verum etiam proprietatem quandam habere, cuius caussa alliciantur ægrotantes ad appetitum vnius rei sordidæ magis, quam alterius. Quam enim reddemus rationem naturalem, ob quam mulieres humanam appetant carnem? quod vitium adesse manifestum in humoribus dicemus, quod hunc efficiat appetitum, aut similem, aut contrarium? eadem ratio de aliis statuenda est. Igitur humoris peculiare quoddam, atq; indicibile vitium malaciam facit.

10 Duo autem faciunt difficultatem: vnum, quod dixerimus primis mensibus gestationis vteri contingere hunc affectum, cur non contingat etiam postremis: nam & illis & his ipsis nutritur fœtus puro sanguine: si ergo impurus & corruptus semper in vtero conseruatur, non modo in primis, verum in mediis ac vltimis mensibus contingeret pica: hoc autem non succedere ipsa manifestum facit experientia. Secundo difficultatem habet, quod de appetitu dicebamus. Nam si similia humoribus appetantur, lædere deberent ægrotam: nam vt contraria contrariorum remedia sunt, sic similia similes conseruare & augere affectus solent: at videmus vt plurimum, nihil lædi: refert Fernelius, quod etiam ego in patria obseruaui, quandam libram fere dimidiam calcis citra damnum de-

20 uorasse. Adde experientiam non astipulari huic rei: nam aliquando vomitum prouocari iussimus, nunquam vidimus humores vacuari similes, sed omnibus aut pituitam aqueam, aut bilem: nigros certe humores nunquam. est autem fortassis impossibile generari humores adeo vitiatos, vt ligna, calcem, carbones, linum, lanam, & alia id genus similitudine referant.

Hæ dubitationes non vrgent, propterea respondeo ad primam: Fœtus primis mensibus puriori sanguine nutritur: in illis enim maxima adest sanguinis copia: at postremis ac mensibus mediis cogitur nutriri sanguine non ita puro, sed aliqua ex parte mixto cum bono; caussa est. Maior fœtus maiori nutrimento indiget: at tunc minor est copia. quam ob rem fieri non potest, quia bonũ si-

30 mul cum malo non sumat: à quo postea, si credimus Auicennæ, necessitas imminet generandi variolas atq; morbillos. In primis mensibus maior aderat copia, ex qua poterat sumere duntaxat puriorem, relicta impura magisque perniciosa. Hanc natura partim insensibiliter vacuare conatur, partim transmittit vel specie vaporis, vel humoris ad ventriculum, ac ita sese exonerat. Igitur, vt hoc perpetuo verum est, sanguine puriori nutriri fœtum: sic non est ambigendum magis purum esse in principio, quam in aliis temporibus, in quibus nonnihil mali & impuri permisceri necessarium est. Ad secundam quæstionem respondens dico, appetitum aliquando esse rerum similium, & aliquando contrariarum: quæ mediam fere calcis libram deuorauit, ac nullam ex ea læsionem

40 sensit, contrarium fortassis remedium sumpsit: neq; enim diximus desiderium ferri ad simile. Experientia ex vomitus prouocatione non est contra sententiam nostram: quia similitudo potest consistere in vaporosa substantia, quam in ipso vomitu nunquam percipies. Vel etiam dicendum, coniunctam materiam sensim ac insensibiliter vacuari à natura: vomitum vero aliorum excrementorum afferre vtilitatem posse, quod minus grauem molestumq; affectum reddant. ita etiam contingit in quartana: nam ex vomitu nemo vnquam humorem melancholicum, & nigrum vere, vidit expurgatum. ego sane millies vsus sum vomitu in quartana febre obsessis, at nunquam potui melancholiam vide-

50 re. iuuare autem plurimum experientia demonstrat. Sæpe fit post vacuationem eius, quod morbum facit grauiorem, naturam validiorem reddi supra caussam coniunctam.

Secundo loco scire desiderabas, an consecutio rei desideratæ debeat impediri. Respondens tibi, assero impedimentum hoc non esse tutum, siue res appetita sit contraria, siue similis: Nam si contraria extiterit, consecutio iuuabit. Si vero similis, nocebit communi ratione, quia fœtus perpetui illius desiderii

signum referet. Accidit ex matris imaginatione continua, & fixa, fœtum, si non consequatur illa, quod desiderat, signũ ferre in aliqua corporis parte, quod si in facie fuerit, vt contingere passim videmus, deturpatur ita, vt percipi non possit sine molestia. Rem hoc modo sese habere, declarat historia Iacob Patriarchæ socrum suum Laban forte decipientis, de ortu signatorum animalium. Legito, quæ libro Geneseos cap. 30. scripta sunt. Scribunt Germani, eam mulierem, cuius mentionem supra fecimus, pistoris brachium bis mordentem peperisse filios tres, duos viuos, alterum mortuum. Putarunt, caussam mortis extitisse, quod non potuerit tertio satiari carne illius cubiti. ita quidem naturæ vires re 10 desiderata crebro reficiuntur.

Accedo ad curationem. Scopi duo præcipui sunt: alter, vt humor hic vitiosus detergatur ex ventriculi ostio, ac detersus purgetur: alter vero, vt intemperiem, si quæ postea relinquatur, frigidam calefacientibus tollamus. Dum vero hæc fiunt, fœtum respicere oportet, ne pharmacorum vi abortus contingat. Horum remediorum materia continetur in ratione victus, & in recta medicamentorum administratione.

Hoc igitur tempore frigidissimo contineat se domi: maxime ambiens frigiditas obest. Conuenit mediocris ambulatio, frictioque superiorum partium manibus facta ex oleo amygdalarum dulcium. Non multum somno indulgendum, & raro veneri. Generosum bibat vinum, sed parum pro vice, neque bi- 20 bat inter vnam, & aliam cibationem. Vescatur auibus montanis, vt turdis, merulis, turturibus, fasianis, perdicibus, & omni genere gallinarum. Assatis magis quam elixis vtendum. Palumbi turriculi parui proprietatem totius substantiæ adeo iuuant, vt nihil magis, præcipiunt etiam comedere ipsorum tenera ossicula. Sic portulacæ folia, semen, succum à proprietate valere, noui. Rutam, si gustare potuerit crudam, vtilissimum erit, appio, fœniculo, petroselino, aneto, boragine, buglossa, melissa, & eadem ruta vtatur, si carnes elixatas comedere voluerit. Abstineat ab aromatis, exceptis gariofilis. Pulmentum ex synapi vtile, imo ipsa synapis per se iuuat sumpta in exigua quantitate. Haleces saliteq; in mensa, & oliua muria conditæ salubres. acido aliquopiam succo alimenta con- 30 diantur: ego soleo vsurpare succi limonum purati vnc. iij. syrupi de corticibus citri vnc. ij. Aliquando sanaui malaciam ex frequenti vsu amygdalarum amararum, & persicorum exhibendo quindecim pro vice ante prandium, bibendo postea vnciam semis boni & generosi vini. Verissimum esse obseruaui, quod antiqui scribunt, nempe amylum sanare malaciam. exhiberi debet dissolutum iure pullorum columbaceorum turriculorum. Domestici enim nullam vtilitatem afferunt.

Nunc de medicamentis quædam. Parare soleo materiam ex syrupo de succo limonum, & de absinthio an. vnc. iij. exhibendo ante prandium vnc. ij. pro vice: syrupus quidem ex succo limonum vias parat, & materiam incidit, de absinthio 40 detergit ac roborat. Si amaritudinem abhorreat, dabitur tantundem syrupi de mellissa, vel quod præstantius est, de corticibus citri, vel de mentha.

Confert ipso in casu purgatio per inferiorem sedem. Verum quia diarrhæa adest, caute vtendum pharmacis purgantibus, præsertim in vtero gerentibus: hunc ego fluorem, neq; purgantibus stimularem, neq; adstringentibus impedirem: sed quia moderatus est, naturæ iudicio committerem, speraremq; ex ratione victus à natura optime contemperari posse: si vero non contingat, vomitum prouocarem à cibo singulis octo, aut decem diebus semel: imo hoc præcipuum fuerit remedium, ac tutum, maxime quod retuleris mihi huic esse assuetam, si quod tamen pharmacum vtile posset iudicari, illud erit masticatio reubarbari 50 cum passulis drach. j. alternis diebus, si non speremus vomitu sanaturam.

Inter vnum vomitum ac alium ante prandium detur puluis, qui habet: Cardamomi maioris & minoris an. drach. ij. seminis ameos drach. iij. mastiches drach. ij. s. zuc. albi ad pondus omnium fiat puluis. dosis est drach. j. ex vino generoso horis ante prandium tribus.

Ex eisdem

Ex eiſdem etiam fiat tragea, de qua ſumat poſt cibum duo cochlearia. Noui mirabilem habere vim pro ſonanda malacia dare drac. ſ. pulueris ſeminum ameos quatuor diebus ſucceſſiuis; nam aut liberantur prorſus mulieres, aut multo melius habent.

Vinum parabis hoc modo, quod erit vtiliſſimum. Rec. ſcoriæ ferri præparatæ, vel quod præſtantius erit, chalibis vnc. ii. macerentur in vini generoſi lib. iiii. tribus diebus. Quarto decoquito ad conſumptionem quartæ partis: collato vinum ex manica Hippocratis vocata, reponito poſtea in loco frigido. Dabis illi de hoc vino vncias quatuor potandas ſemel in menſa, pro primo cyatho. Scio enim, ac profiteor, non poſſe excogitari tutius pro omni malacia in vtero gerentibus, quemadmodum experientia manifeſtum fecit.

Hæc habui, Vir Illuſtriſſime, quæ ſcriberem, de affectu coniugis tuæ, faxit D.O.M. vt quemadmodum ſpero, ſanitatem afferant. Tu interim valeas mei memor.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM LIBER QVARTVS.

Excellentiſſimo Antonio Lobetto, Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis Medico.

De Conſultandi, ſiue collegiandi (vt vocant) ratione, qua Medici paſſim vtuntur, tractatio.

Cap. I.

Summa eorum, in quibus ratio conſultandi ex Augenii ſententia conſiſtit.



Vi de Conſultandi ratione ſcribere voluerit, Lobette præſtantiſſime, hic duo præcipua rerum capita diligenter contemplari debet. Quorum alterum ad ipſius conſultationis naturam: alterum verò ad conſultantium officium pertinere videtur mihi. In primis enim ſeſe offert, an ſit in Medicina cõſultandum. ſanè fruſtra conſultatio inſtitueretur, ſi nullum illa ipſa in arte locum haberet. Vbi verò cognitũ fuerit eſſe cõſultandũ, tunc oportebit conſiderare, quid ſit, quod ſub conſultatione ponitur. Abſurdum eſt enim conſultaturos, ignorata propria materia, tractationem de alieno inſtituere negotio. At, quia conſultatrix facultas, quæ ſub habitu prudentiæ continetur, finem ſibi ſupponens, inueſtigat media, pro illius conſecutione neceſſaria, inquirere non ſolum eiuſmodi media oportebit, ſed etiam inſtrumenta, ac Methodos, quibus facilior fiat eorundem inueſtigatio: iis ſuccedit accommodatum ad conſultandum tempus: aliæ verò circunſtantiæ ad actionum abſolutionem requiſitæ, aut in hac materia nullum, aut certè perexiguum locũ habent. Atque hæc naturam cõſultationis inſequi videntur. porro, quod attinet ad conſultantes, animaduertendum eſt, duorum eſſe generum cõſultationem. Quædam enim tacita eſt, quædam autem expreſſa. Tacitam voco, quam vnuſquiſque prudens facit intra ſe. Expreſſam vero, quam prudentes viri faciunt extra ſe. Hic agimus de conſultatione vtraque, præſertim de expreſſa quæ ſemper ſupponit tacitam, & ſine qua expreſſa ferè omnis vitioſa eſt. Etenim conſultantes, primum tacitè præmeditari, & conſultare debent, mox quod

animo conceperunt suo, matureque considerarunt, ex multis præeligẽtes, quod in rem præsentem maximè sit opportunum, vel statim ad actionem accedunt, vel si ita visum illis fuerit, aut assistentibus, quorum ægroti sanitas plurimi intersit, conuocato consilio, suam collegis exponunt sententiam.

Decet autem aliquando consultantes esse duos, aliquando tres; sunt qui plures desiderant: ii omnes in aliqua re conueniunt, in aliqua verò differunt. Sanè conueniunt in iis, quæ ad naturam consultationis pertinent. Differunt in proprio ipsorum officio. Quia enim inter consultantes, vnus primo, alter secundo, alius tertio, alius quarto, si ita cõtingat, loco dicit: neque debet esse vniuscuiusque idem munus, idcirco docere conabimur. Quid horum omnium commune sit, 10 deinde quid ad primum, quid ad secundum, & tertio, ac alio deinceps loco dicentem, pertineat. Nam, si dicerent omnes idem, non quidem consultarent illi, sed tempus conterentes, & fortassis occasionem administrãdi remedii, quæ præceps est, prætermittentes, magno ægroti damno, & artis Medicę infamia, sermones, ac repetitiones inuicem admodum inanes haberent. Hæc igitur summa capita sunt, quæ circa hanc materiam consideranda sese offerunt. Atque licet hanc ipsam excoluerint viri præstantissimi, primusque omnium IOANNES Argenterius meus olim in gymnasio Pisano præceptor: mox verò nouissimis hisce diebus HIERONYMVS Mercurialis vir citra omnem controuersiam doctissimus, 20 (quos semper honoris caussa nuncupabo) tamen reliquisse ii ad scribendum campum satis accommodatum videntur, in quo tum me honestè exercere, tum alios iuuare possem. Iam igitur ad explanationem propositorum aggredior. Tu interim, cuius ego doctrinam, & iudicium plurimi semper feci, hæc extimabis.

CAP. II.

An in arte Medica fieri debeant consultationes.

DISCVTIENDVM, examinandumque primo loco proponitur, an in Arte Medica fieri consultationes debeant. Dubitationis huius caussa duplex est vna, 30 quæ sumitur ex Artis natura: alia verò ex consultantium consuetudine. In Arte quidem nullum habere locum consultatio videtur. Neque igitur in Medicina, quæ non modo ars est, sed etiam Artium omnium, si credimus Hippocrati, præstantissima. Artem omnem carere consultatione, Aristoteles elegantissimè docuit, secundo de Physico auditu, contextu 86. in quo ita scribit: Absurdum est autem opinari, non agere propter finem, nisi videant mouentem vti consultatione, & tamen Ars consultatione non vtitur.] hæc ille, qui mihi hoc ferè modo ratiocinari videtur, Ars non vtitur cõsultatione, tamen agit propter finem. Sic natura agens propter finem, consultatione non vtitur. Ergo absurdum est dicere, naturam non agere propter finem, quod non vtatur consultatione. Præterea idem testatissimum facit experientia. Non enim scribens, & lyram pulsans ra- 40 tiocinatur, & consultat, quæ literæ, & quomodo sint formandæ: aut quæ, post quam pulsanda sit corda: sed nulla adhibita meditatione statim operatur, solo ductus artis habitu. Frustra igitur, si hæc vera sunt, consultationes instituuntur in Medicina. Amplius, de iis consultamus, quæ ad actiones pertinent, quæque in nostra potestate sunt: at ipsa actio non pertinet ad artes, sed effectio, vt patet Aristotelis authoritate libro sexto Moralium ad Nicomachum. Adde, Terminus consultationis est prælectio: at agibilium, non effectibilium, prælectio est, ideo Aristoteles in sexto Methaphysicæ dicebat contextu primo. Disciplinarum efficientium principium in efficiente est aut mens, aut ars, aut potestas aliqua: Agentium autem principium est prælectio.] quod etiam confirmauit 50 tertio Moralium cap. 3. Artes autem ipsæ versantur circa effectibilia. Ex parte igitur artis tot sunt, quæ difficultatem faciunt. At non oportere, etiam si locus cõsultationi detur in arte, adhibere illam, consultantium conditio declarat: qualis verò ea sit, & quam ob caussam impediat, docebimus loco suo diligentius, cum Petri Apponensis opinionem afferremus.

Hæc,

Hæc, licet aliquam facere fidem videantur, non tamen ita vrgent, vt inanem esse consultandi consuetudinem admittere cogamur: quod & Aristotelis, & Platonis, & Galeni authoritate manifestum fiet. Nam extat in primis ipsius Aristotelis sententia, apertissima quidem adeo, vt nullus omnino sit dubitandi locus, libro scilicet tertio Moralium ad Nicomachum ca. 3. in quo artem vti consilio asserit. Dictio illius in hunc modum habet. Sed de iis consultamus, quæcũque per nos fiũt: neq; semper eodẽ modo eueniũt, vt de iis, quæ ad Medicam artem spectant, & pecuniariam: atque eo magis etiam in gubernandi arte deliberamus, quàm in exercitatoria, quando minus exactis, atque exquisitis rationibus constat, & simili modo de reliquis.] hæc ille. ex quibus colligitur in artibus admitti debere consultationem, præsertim in medicina: cuius contrarium libro secundo physicæ auscultationis videtur scripsisse. Idem confirmatur verbis Diuini Platonis in Alcibiade primo, quæ sic habent: Gubernator nauis consultationem adhibet.] Atqui gubernator nauis artifex est: igitur artifex adhibebit consultationem. Adhæc Galenum frequenter adhibuisse consultationem, manifestum fecit in Methodo medendi: & nos infra docebimus. Præterea, id ipsum experientia testatur, quandoquidem Duces exercituum; Nauium rectores, Medici, ac in vniuersum artifices ferè omnes, in rebus incertis quotidie consultationem habent inter se, quæ res optimè cedit. Postremò, si verum est, consultationes fieri de iis, quorum incertus euentus est, indiesque id in Medicina contingat, non debemus arbitrari in ea consultationibus non esse vtendum. Ob has caussas, vt in artibus ferè omnibus, sic in Medicina præsertim adhibendas esse consultationes censeo. Sed, vt omnis è medio tollatur difficultas, quædam notanda sunt. Primum consultationem versari circa duplicem materiam: vna est, illi maximè propria, principalisque: alia secundaria, & minus propria. Humanæ actiones sunt, circa quas principalissimè vesatur consultatio, idque contingit, vt omnes morales dicunt Philosophi, triplici de caussa. Prima, quia sunt admodum variæ, & inconstantes: secunda, quia consultationem terminat prælectio, quæ iuncta est appetitui sensitiuo, à qua humanæ actiones dependent: minimè verò artis operationes. Tertia, quia consultatio ad summum bonum dirigitur, quod in actionibus consistere manifestum est. Materia verò minus principalis est artis opus, & in vniuersum effectio, quando in iis incertitudo adest, dubitatioque, (neque enim contingit in omnibus.) Quia verò quæ medicina considerat, maximè variabilia sunt & incerta, præsertim humanum corpus, quod, vt aliquando dicere solebat Galenus, primo Aphorismorum commentario, nunquam in eodem statu consistit, adeo vt rectissimè dictum fuerit ab Hippocrate secunda sectione Aphorismorum; Acutorum morborum non esse omnino certas prænunciationes salutis, aut mortis. Deinde opera medica, ac medicinales materiæ incerta sunt, & frequentissimè dubitationes habent inextricabiles. idcirco, in arte medica iure consultationes instituendæ sunt. Secundo notari debet, artium genera esse duo, quantum ad propositam tractationem pertinet: quædam enim certum, ac definitum subiectum habent, vt ars scribendi, pulsandi cytharam. Quædam verò incertum, indefinitumque, in quo genere continetur Medicina, militaris peritia, ars gubernandi naues. In priori genere consultatio quidem locum non habet, vt Aristoteles ait libro tertio Moralis doctrinæ ad Nicomachum, capite tertio hisce verbis: Ac circa quidem exquisitas, ac certas scientias, easque, quæ ex sese sibi sufficiunt, nulla cousultatio est: vt de literis: non enim dubitamus, quomodo sit scribendum.] At in secundo genere fieri ipsas consultationes certo certius est. Postremò sciendum est in omnibus artibus contingere, quendam artificem esse peritum, quendam ignarum. Peritus consultationem adhibet solum in rebus incertis, dubiisque: Imperitus autem in omnibus, licet certæ sint, non quidem ob rationem artis, sed ob sui imperitiam. Quandoquidem consultatio requiritur, vt dicebamus, ob incertitudinem, obscuritatemque rerum; at vero id contingere potest vel ex ipsis rebus, vel ex propria ignorantia. Hactenus

igitur docui in Medicina consultationes fieri debere, & ob quam caussam: Nunc satisfaciamus rationibus cōtrarium persuadentibus. Autoritati Aristotelis ex secundo Physicorum tex. 86. respondens dico, consilium ipsius Philosophi fuisse in eo contextu docere, non valere hanc consequentiam. Natura non vtitur consultatione, ergo non agit propter finem. Hanc illationem esse inanem docet artis exemplo, quæ omnium iudicio agit propter finem. nihilominus cytharedus, & statuarius, ac alii consimiles non consultant, dum proprium opus efficiunt. licet enim aliquæ consilio vtantur, hoc non persuadet omnes adhibere consultationem. Euertitur enunciatio vniuersalis, vt optime ibi explanent interpretes Græci, & in Dialectica omnes ex vno singulari secus sese habente. Secundum argumentum versabatur circa actionem, quæ locum non habet in artibus. nam ars est habitus cum ratione factiuus: ideo ex Aristotele differunt hæc duo, actio, & factio. Respondeo, consultationem versari in actione tanquā in materia magis propria & principali; atꝑpterea nihil impedit, quin versari possit circa effectionem, licet non ita principaliter. Deinde actionis nomen aliquando sumitur ampla quadam significatione, vt effectionem etiam complectatur. vt fortassis in capite tertio libri Moralium, Philosophus sumit. Ratio petita à præelectione, eadem distinctione explicatur: vt. n. consultatio circa duplicem versatur materiam, sic etiam præelectio. primo enim, ac præcipuè circa actionem versabitur humanam: Secundo circa factibilia. Exempli gratia, facta consultatione de remediis vsurpandis à Medico, quia purgatio vtilior inuenta est, hanc ipsam prælegit Medicus prudenter consultans. Hactenus igitur demonstrauimus in arte Medica consultationibus vtendum. Nunc de reliquis agamus.

Cap. III.

Quid sit Medica consultatio, & quomodo à præelectione distinguatur.

Acturus de consultatione Medica, quædam paulo altius de consultatione ipsa in genere statuenda sunt, ex quibus facile deducemur in cognitionem, & medicæ consultationis, & eius circa quod versatur. Primum igitur omnium, statuendum est, omnem consultationem finem supponere, ac solum versari in mediis accommodatis, pro fine consequendo. de iis potissimum agendum, ea inquirenda & vbi inuenta fuerint, inuicem comparanda sunt, & opportuniora præeligenda. Natura exempli gratia, ex præcognito fine, perueniendi scilicet in portum altum, sulcans mare, consultat an clauum ad dextram, vel leuam partē mouere debeat: an his vel illis velis onusta nauis melius incedet: an omnes erigere, an quasdam, aliaque eiusdem generis. Sic etiam Medicus sibi ipsi supponit sanitatem aut conseruandam, aut inducendam, adhibet consilium, quibus mediis finem consequi valeat, an victu tenui & exquisito, an tenuissimo, an pleniori, an vena incidenda, an scarificandum, an purgandum. In summa nulla ars de proprio consultat fine, sed omnis circa media consistit. Quam rem elegantissima oratione Aristoteles docet lib. 3. moralium ad Nicom. cap. 3. cum inquit:

At cōsultamus quidem, non de finibus, sed de iis, quę ad finem tendunt. Nam neque Medicus, an sanare: neque Orator, an persuadere: neque Ciuilis, an bene legibus institutam patriam reddere debeat: neque ex aliis quispiam de fine consultat. sed omnes cum finem quendam statuerint, quomodo, ac per quę inueniri is possit, deliberant.] hucusque Philosophus.

Secundo loco est considerandum, media, circa quæ versari consultationem diximus, ex eorum numero esse debere, quæ à nobis fiunt, ac ita sint in nostra potestate, vt etiam fieri non possint. eorum quæ necessaria sunt, & externa consultatio non est, sed scientia, vt de motu æterno cœli, de animarum immortalitate, Rursus neque impossibilium consultationes fiunt. Absurdum enim ac ridiculum consultare, an terra à suo centro moueri possit: quomodo cœlum reddi possit immobile. quomodo terram constituere mobilem oporteat, ac eius generis

neris alia. Subiecta igitur materia consultationi est, quod sese habet ad vtrumlibet. De qua hoc modo locutus est Aristoteles.

De æternis autem nemo consultat, vt de mundo, aut diametro, aut latere, quod nulla inter se æquabilitate conueniat: at neque de iis, quæ in motu quidem sunt, sed semper tamen circa eadem versantur, siue necessitate, siue natura, siue aliqua alia de caussa, vt de solstitiis, atque orbibus: neque de iis, quæ alias aliter eueniunt, vt de siccitatibus, & imbribus: neque item de iis, quę fortuna contingunt, vt de thesauri inuentione: sed neque de humanis omnibus consultamus, verbi caussa, quomodo Scythæ optime administrare rempublicam possint, nullus ex Lacedęmoniis consultat: nihil enim ex his eiusmodi est, vt agi per nosmetipsos valeat. Consultamus autem de agendis rebus, atque iis, quæ in nostra sitæ sunt potestate. hæc Aristoteles.

Postremo sciendum est, post consultationem sequi electionem, vel præelectionem. Electio quidem si medium fuerit vnicum, vel si plura fuerint, parum referat, quo ordine quis pro fine consequendo adhibeat. At vero, si inuenta fuerint plura media, quæ suum postulent singula locum, opus est præelectione vt statuendo scilicet, quod primum, quod secundum, quod tertium, & sic deinceps in opere debeat collocari. atque etiam, si plura vtilia sint, at non æque vtilia, debemus vtiliora præeligere. De hac materia ita Aristoteles locutus est.

Sicque is per plura fieri posse videatur: per quod nam facillimè, atque optime fieri debeat, considerat. Si per vnum, quomodo per id recte fieri valeat. & illud item per quid, atque id tantisper, donec ad primam caussam deuenerint, id quod in inuentione extremum est.] hæc ibi.

Ex iis fundamentis colligo definitionem Medicæ consultationis, quæ hoc modo habet. CONSVLTATIO MEDICA rationalis inuestigatio est mediorũ latentium, quæ ad nos pertinent, ac in nostra potestate sunt, vt illis inuentis potioribus vtamur pro sanitate vel conseruanda, vel acquirenda. Explanemus singulas definitionis partes. Diximus esse rationalem inuestigationem, quia pro mediorum inuentione Medicus adhibet omnia instrumenta, quibus rationales, & dogmatici Medici vti consueuerunt: de quibus loquemur infra. Oportebit igitur, ab hoc munere consultandi empiricos remouere, ac alios etiam in vniuersum artifices, qui rationalibus hisce instrumentis sese non indigere profitentur. Mediorum latentium, hæc materia est propria Consultationis Medicæ: nisi enim laterent media, non fieret equidem illorum accommodata inuestigatio. meminisse hic oportet, quod supra diximus, media latentia duorum esse generum: quædam enim latent, quoad suam naturam: quædam quoad nos, vt puta quibus ob imperitiam, quod alioquin notum est, secundum se, ignotum obscurumq; videtur. Peritus in illis versatur: imperitus in vtrisque. ea particula, quæ ad nos pertinet,] declarat non debere Medicum consultantem aggredi, quæ ad aliud genus pertinet, quod fieri passim solet in consultationibus, quas habere quidam desiderant, magis vt doctrinam aliquapiam ostendant, quam, vt ægrotis vtilitatem afferant. Debent, quæ in consultatione tractanda sunt, pertinere ad nos, id est Medicos: sed non vt Medici sumus, sed, vt consultantes. Hac de caussa fit, vt sit omnino cauendum ab extraneis: hoc dicere voluit Philosophus, quãdo scripsit, non curare Lacedęmonios, an Schythæ suam Rempublicam bene gubernent. Ac in nostra potestatate sunt,] non solum tractare in consiliis debemus, quæ ad nos pertinent, sed etiam quę à nobis fieri possunt, habeantque sese ad vtrumlibet. Ea quidem quorum natura semper eodem modo sese habet, non sunt in consultationibus tractanda, vt supra ex Aristotele docuimus. Sed qđ istud est? quomodo instituetur consultatio de Chirurgia? Physicus non adhibet manum, sed ministris suis remittit, suere, secare, ligare, fasciare, cataplasmata imponere, ac alia eiusdem generis. At solutio difficultatis est, quia quod per amicos fit, id per nos ipsos fieri dicitur, quia principium actionis in nobis est. nomine amicorum intelligimus veros ministros, & veros etiam amicos, qui sunt extra hunc numerum, de quibus ita scribit Philosophus.

Fieri autem posse ea dicuntur, quæ per nos fieri possunt: nam quæ per amicos fiunt, per nos quodammodo fieri videntur, quippe cum principium in nobis sit.]

Quæ vero sint hæc, quæ in nostra potestate sita sunt, ac à nobis fiunt, explicabuntur infra. Addidimus. Pro sanitate inducenda, vel conseruanda:] finis enim consultationis est duplex: vnus remotus, alter proximus. remotus est sanitas, vt inducenda, aut conseruanda: fieri enim consultationes possunt in vtraque Medicinæ parte: magis tamen expetuntur pro morborum propulsatione. Proximus finis est prælectio mediorum, quæ in consultatione inuenta sunt, potiorum, pro fine consequendo. Consultans primum inuenit illa: mox inuicem confert, atque ex ea collatione prudenter iudicat, quod magis expediat. Illud autem magis expedire dicitur, quod sanare potest tutò, citò, & iucundè; quæ semper, quoad eius fieri potest, in hac factitanda medicina sunt obseruanda.

Colligo ex dictis, consultationem à prælectione differre, ac etiam conuenire: Quia, prælectio appetitio mentis est, quæ iuncta imaginationi, appetituique sensitiuo, amplectitur media consultatione approbata, eaque dirigit in finem conueniunt inuicem, quia circa eandem materiam versantur: quę scilicet in nostra sunt potestate, ac à nobis fiunt. Neutra considerat necessaria, ac impossibilia. Secundò conueniunt, quia neutra circa finem versatur, at duntaxat circa media ad finem ordinata. Differunt porrò inuicem: Primum, quod ipsa consultatio præcedit, at prælectio sequitur. Secundo consultatio est inuestigatio, siue inquisitio, vt ait Philosophus, mediorum eorundem comparatio, ac de eisdem ratiocinatio probabilis. Prælectio autem est amplexatio rei iam inuentæ, ac decisæ, in ipsaque consultatione cæteris præpositæ. Præterea, consultatio dirigit. Prælectio sequitur. Postremo, consultatio ad facultatem pertinet cognoscentem: prælectio ad appetitum.

Cap. IIII.

Quæ sit propria consultationis Medicæ materia.

IAM vero iactis in hunc modum tractationis nostræ fundamentis, inuestigemus hoc loco, quæ nam materia Medicæ consultationi subiecta sit. Ex omnibus quæ Medicina considerat, solum remedia, eorundemque materia sub consultationem cadunt. Non quidem elementa, temperamenta, facultates atque, vt summatim dicam, omnia quæ naturaliter insunt homini, ad cõsultationem pertinere possunt. Ratio huiusce rei est in promptu, quia non fiunt à nobis sed à natura, non sunt incerta, non indefinita, sed finita, certissimaque. non præterea aliter sese habere possunt, sed necessaria, atque æterna: propterea harum rerum scientiã habemus; subalternatur enim ea Medicinæ pars Philosophiæ naturali: quodq; ab Aristotele scribitur, ibi incipere elegantem Medicum, vbi Philosophus desinebat, de hac Medicinæ parte potissimum intelligitur: aut certe, si veram subalternationem concedere non placuerit, saltem hoc tanquam verissimum ab omnibus admittetur, illorum notitiam certam esse, illaque certa esse & impossibilia aliter sese habere. Ergo supponamus, excludendam esse Medicinam naturalem à munere consultationis. Patologiam præterea eisdem ferè rationibus excludemus. nam, si de mediis, quibus cum sanitatem introducimus, consultatio instituitur, affectus præter naturam, non sunt eiuscemodi media, sed id quod debet à mediis remoueri. deinde consultamus de iis, quæ sunt in nostra potestate, ac à nobis fieri, vel non fieri possunt, sed morbi, horum caussæ & symptomata in nostra potestate non sunt, neq; fieri debent à nobis aliquo tempore. Iam duæ Medicinæ partes, ac præcipuè illæ, circa quas hodierni temporis abusus versari debere consultationes ferè persuasit, exclusæ sunt. Quid de simeotica dicemus? non certe dispar ratio est. considerantur enim in Medicina signa memoratiua, demonstratiua, prognostica. at non consultamus, vt præteritorum memoriam habeamus: vt pręsentia cognoscamus, vtque futurorum præscientiam consequamur. Verum duntaxat, vt sanitatem introducamus,

mus, opportuna quærimus instrumenta. Signa verò eiuscemodi vim non habere, certo certius est. Remedia duntaxat, vt verbo dicam, atque materia ipsorum sub consultatione veniunt. In remediis quæramus generatim tria: qualitatem, quantitatem, vtendi modum. Galenus nomine qualitatis intelligit ipsorum remediorum inuentionem, vt explanaui primo commentario libri primi de curandi ratione ad Glauconem. Sub vtendi modo complectimur etiam occasionem. Speciatim verò in singulis capitibus adsunt multa, de quibus abhiberi posset consultatio. Nam scilicet vno remedio, an pluribus vtendum sit, consultabit. Si vno, an composito, an simplici. Si pluribus, perpendere oportebit, an simul omnia sint vsurpanda, vel sigillatim, & quo ordine. Circa quantitatem verò, quo gradu recessus à mediocritate vtendum sit pharmaco, quot vicibus vsurpandum, quoties, & quandiu considerabit. De recto autem vsu consultatio poterit institui, si deliberabitur per quos locos morbus abigi debeat, & quibus applicanda sint pharmaca, qua forma exhibendum pharmacum, quo morbi tempore, atque hora. Hæc circa remedia sese offerunt. Circa materiam vero longè accuratius insistendum est, vtputa, quæ magis incerta sit, maioresque habet difficultates. Si.n. vacuatio, vt exemplo dicam, remedium sit, deliberandum, an venę sectione, aut purgatione, aut inedia, aut frictionibus, aut balneo, aut digerentibus medicamentis eam efficere debeamus. Rursus, an victus ratio tenuis, & exquisita, an tenuissima, vel simpliciter, vel in extremo, an paulo plenior, an plena instituenda sit. Hæc, & alia eiusdem generis ferè sexcenta circa Medicam materiam quotidie consultanda proponuntur. Quamobrem concludo solum consultandum de remediis, & de remediorum materia.

Cap. V.

Dubitationum, quæ his dictis accidunt, explicatio.

VERVM, quia hæc non contemnendas habere difficultates videtur, præstat, ne illarum occasione decipiantur iuniores, proponere sigillatim eas, atque explicare. In primis hodie vigens consultantium omnium consuetudo, nostram suspectam reddit opinionem: ii enim à summo genere exorsi, de natura, caussis, differentiis, signis omnibus, ac postremò de indicationibus, remediis, & horum materia edisserunt. Non est autem putandum, antiquatam consuetudinem esse omnino inanem. Deinde verò, quod pertinet ad naturalem Medicinæ partem, certè videtur maximè necessarium illius, in consultationibus meminisse: nam, si indicationes, vt sequenti capite docebimus, instrumenta sunt inueniendi media, quibus finem ipsum assequimur, indicationesque à naturali temperamento sumuntur, nemo consequi poterit remedia sine illius notitia. Tria enim sunt præcipua capita curationem indicantia, morbus, siue affectus præter naturam, naturale temperamentum, & ambiens nos aer. Aut est vnum vt contrarietas, aut etiam duo, vt morbus, & temperamentum, cum duos scopos facimus, consideratur. Aer nos ambiens, tanquam caussa, vel salubris, vel morbosa: sicque, sunt hoc modo, duo duntaxat: sunt etiam tres, si ambientem seorsum considerabimus, vt caussa sine qua non, complectens anni tempus, particularem cœli constitutionem, & regionem, quæ tria simul vocare consueuit Galenus, cœli statum. Licebit etiam tres hosce scopos ad vnum reducere, scilicet ad contrarietatem, qua postea diuisa, fiant scopi curationem indicantes duo, & tres: quamobrem, cum hæc sint totius artis medendi fundamenta à Galeno potissimum tradita, tum nono, tum vndecimo libro de Methodo medendi, sic quidam naturalis temperamenti fieri in consultationibus mentionem debere ac simul etiam agendum de essentia affectuum præter naturam. Vrget pręterea, quod si de quantitate remedii agendum, opus est illius notitiam habere ex lapsu à naturali temperamento: nemo autem hunc nouerit, nisi qui illius exactam notitiam habeat. Postremò, quod attinet ad signa, videbitur illorum

inuestigatio maxime necessaria. Primum quia morituri sunt, vt Galenus recenset, solis prognosticis relinquendi: at nemo nouerit morituros, nisi signa scierit mortem, vel salutem indicantia. Deinde, quia, cum adueniant aliquando morbi obscuri, aliquando noui, vt patrum nostrorum memoria fuit lues venerea, de horum remediis nemo antea deliberabit, nisi qui exacte nouerit illorum naturam, adhęc nequit cognosci, nisi adhibeantur signa. hæc potissima facere videntur, circa propositam materiam, difficultatem.

In eadem tamen adhuc opinione permaneo, ideo satisfacio dubitationibus propositis. Ad primam de Consuetudine respondeo, Consultationem duobus modis intelligi posse: vno propriè, cuius naturam ex Aristotele docuimus: 10 alio communiter, secundum quam significationem, omnia Medicorum colloquia antiquata consuetudine, solent appellari consultationes. An vero cum propria proponitur consultatio, liceat aliquando eiuscemodi facere discursus, explanabimus, cum de officio consultantium disseremus. Versabatur secundum argumentum circa scopos curatiuos vniuersales. Pro cuius explanatione sciendum est, omnem consultationem esse inquisitionem, & inuestigationem mediorum latentium, vt ex Aristotele supra demonstrauimus. Hæc, supponit nõnulla, ex quibus pendet inuestigatio. Quòd quæritur ipsa sunt media latentia. Quæ supponuntur, plura sunt. Primum finis est, qui ad agendum, & ad inuesti- 20 ganda media ipsum artificẽ mouet. Ab eo enim principiũ inuestigationis sumitur. Quicunque enim consultationis suæ, non sibi primo conuenientem proponit finem, vt in vniuersa sua actione, & effectione temerę agitetur, imprudenterque ruat, necesse est. Prætereà etiã supponit totum artis habitum, cognitionem scilicet rerum omniũ naturalium, præter naturaliumque, ac insuper particularia & vniuersalia omnia theoremata. Etenim prudentia, cuius pars præcipua cõsultatio est, solum est habitus, rectaque ratio agibilium.: deinde vero effectibilium. Hoc ego velim bene considerari Medicum, quatenus consultat, sumere sibi habitum prudentiæ: cui necessario subiicitur habitus artis: ideoque nõ cõsultat vt 30 Medicus, sed vt prudens Medicus. Itaque supponit ea, quæ absolutè ad Medicũ pertinent, ac prudens inuestigat media pro fine consequendo necessaria. Ex quibus colligo differre consultantem à Medico docente. Qui consultat solum circa actionem, factionemque versatur, quatenus habet incertitudinem aliquam, & dubitationem. Qui docet, omnia prosequitur ad artis habitum faciẽtia. Qui consultat, non docet, sed cum æqualibus pruděter de agendis transigit. Qui docet, non habet cum æqualibus sermonem sed cũ discipulis, quibus etiam obscurissima videntur, quæ alioquin notissima sunt. Qui consultat, necessariò prudens est: Qui docet, necessariò non est prudens, sed doctus. His ita constitutis, patet explicatio secundę dubitationis: imò etiam tertiæ. Quia ad consultatio- 40 nem accedens, si aliquid certi de pharmacorum quantitate statuere debet, (vt puta, si hoc controuersum sit) opus est habuisse antea notitiam naturalis temperamenti ad vnguem, (modo tamen id fieri possit) aut probabili aliqua coniectura, atque ex suppositis de eiusmodi lapsu discurrere. Ex quo manifestè apparet aberrare illos, qui in omnibus consultationibus exordiuntur à naturali temperamento totius, ac partium, voluntque consimiles generari humores, & ab his morbos, de quibus tractationem instituunt: Sed certè cum neque de quantitate remedii aliquid postea dicant, neque proposito rectè applicent argumento, non potui aliquando horum opinionem admittere. Quod postremò de signis dicitur, nullius momenti est; quia nemo accedere ad consultationem debet re non cognita, cuius caussa Medici actio desideratur. Quis enim aliquando iu- 50 dicaret exercendum esse remedium pro morbo abigendo, quem non antea cognouerit? Quoniam igitur omnes explicatæ mihi videntur difficultates, ad reliquorum dilucidationem progredior.

Cap. VI

De occasione, siue accommodato consultandi tempore.

MOMENTANEA, & præceps occasio cum sit, vt aliquando dicebat Hippocrates, non est omni tempore pro morborum sanatione consultandũ. In primis autem, si vera sunt quę supra posuimus principia, constare arbitror, quando ęgroti deplorati sunt, habendam non esse consultationem. De iis enim nemo consultat, quę fieri non possunt, vt Aristoteles dicebat, vt quomodo terra debeat in centro moueri, quomodo cęlum debeat quiescere, ac alia eiusdẽ 10 generis. A priuatione ad habitum impossibilis est regressus: iam verò qui deploratus est, licet non sit mortuus, pro mortuo tamen censeri debet, habens mortis habitum, à quo liberari sit prorsus impossibile.

Adde nihil æque detestandum in Medicina (quod alioquin passim vitio verti solet Medicis) quam dum ægrotus moritur, consultare. Si consultatio ob consecutionem finis instituta est, nullum habent pro deploratis tractantes locum: imo non solum consultandũ non est, sed nec etiam (si Galeno credimus) aliquid agendum, nè, quæ aliis adiumento fuerunt, remedia, vulgo infamentur, vt idem Author dicere solebat. Meminisse hoc loco oportet, posse Medicũ & eruditione & experientia insignem ex ignoratione propriæ, particularisque naturæ de- 20 cipi: quia dicebat Galenus, non solum communem hominum naturam, sed propriam, & particularem cognoscendam esse, quæ res vel impossibilis est, vel certè maximè difficilis: si enim propriam hominum naturam cognoscerem (dicebat Galenus) talem vtique arbitrarer esse me, qualem Æsculapium fuisse ferunt. Atque in hoc casu, neque certo cognoscere poterit, qui nam verè sit deploratus. Hic iudiciosum, & natura prudentem desidero Medicum. Turpissimum est in arte ac plurimum detestabile, Medicum pro deplorato reliquisse ægrotum, adueniente postea vetula, vel sordido empirico statim liberari. Lege quæ de hoc argumẽto copiose à me scripta sunt, ea in tractatione, cui titulum feci; Quod de- 30 plorati non sunt solis prognosticis relinquendi: ibi enim benignè Lector cognosces, quando liceat deploratos solis prognosticis relinquere, & quando non liceat, & quibus remediis vtendum sit. Porro quemadmodum accidit deploratorum consultationes non esse, sic neque omnino instituendæ sunt in morbis salubribus contraria tamen de caussa. In illis quidem non conueniebat, quia sanitas opera nostra restitui non poterat: in his vero, quia nihil est incertum, nihil quod dubitationem efficiat. Quod si interdum de leuissimi affectus curatione deliberamus, consultatio magis debet versari circa materiam, quam remedia: in illa enim non mediocris inesse potest controuersiæ ratio: vt exempli gratia. Si statutum fuerit bilis vacuationem conuenire, an debeat fieri pharmaco per al- 40 uum purgãti, an per vomitum, an balneo aquę dulcis, an absinthio, an prouocantibus vrinam, vel alia eius generis materia. imò ausim hoc dicere & affirmare, consultationes frequentiores fieri debere de materia, quam de remediis; vt puta quæ multiplex est, & non mediocriter ambigua. Vt multiplex, deliberare debet prudens Medicus, quam eligere ex multis debeat: Vt incerta autem, maturè de illius vsu determinandum. Morbi restant ambigui, & acuti: circa quorum curationem consultationes frequentes fieri debent, ac solent. In principiis potissimum deliberandum, nam si materia turgeat, eadem die medicari oportet: tardare enim in talibus malum est, vt dicebat Hippocrates quarto aphoris. 10. Si vero non turgeat, considerandum, an inchoantibus illis aliquid videatur mouendum: quia, cum vigent, & consistunt, melius est quietem habere, vt idem 50 ait secundo aphor. 29. in vtroque morbi genere nihil citra præmeditationem agendum, quemadmodum inquit 1. aphor. 24. Videntur mihi præcepta hæc ad consultationem pertinere, & hac de ratione Senem venerandum, & ante omnem Philosophiam natum; si quid videtur mouendnm scripsisse, ac etiam cum præmeditatione faciendum, vt notum faceret nobis, consultandum in rebus dubiis, magnis, ac exitus ancipitis. Neque tamen aliis temporibus, non

174.

conueniunt consultationes: nam, quia hominis natura nunquam in eodem statu
permanet, & acuti morbi ob velocitatem motus, instabiles adeo sunt, vt idem
aliquando scripserit, acutorum morborum non esse certas pronunciationes
salutis, ac mortis, cum noui contingunt casus, in omni tempore maturè delibe-
randum: ac vbi facta deliberatio est, festinandum. Quælibet enim morula,
in hisce præsertim morbis haud leuè damnum afferre potest. In diuturnis mor-
bis non oportet celeritatem adhibere tantam, quoniam dant inducias: at con-
uenit cum aliis, quod vbi maturo ac lento, vt ita dicam, iudicio, facta fuerit con-
sultatio, & præelectio congrua præcesserit, statim ad opus festinandum, neque 10
debet executio retardari.

CAP. VII.

Quibus instrumentis media pro ipso fine consequendo, inuestigantur.

HACTENVS declaratum fuit, cõsultationem versari circa remediorum inuẽ-
tionem, quantitatem, vtendi modum, atque materiam, quæ ex veterũ Me-
dicorum consuetudine, quemadmodum Galenus inquit, cõtinetur vel in sex re-
bus non naturalibus appellatis, vel in medicamentorum genere, vel in iis, quæ
manu exercentur, vel in omnibus simul. Nunc docere oportet, qua via, & me- 20
thodo ad horum inuentionem facile peruenire possit consultans Medicus: quod
quia scitu maxime necessarium erat, non debuit à nobis in hac tractatione præ-
termitti. Exordiamur à natura rei, quæ nos eiuscemodi instrumenta demon-
strabit. Diximus consultationem esse rationalem inuestigationem mediorum
latentium pro sanitate introducenda. Rationalis inuestigatio est, quæ indicatio-
ne duce, & ratiocinatione fit: quibus etiam addo experientiam: ex iis elucescunt
remedia, quæ à Galeno vocantur, postulata, indicata, & vtilia, libro de optima
secta ad Trasibulum. Est autem indicatio (vt obiter dicam) comprehensio iu-
uantis, idest remedii quod iuuat, aduenien simul cũ comprehensione nocentis,
idest affectus præter naturam, sine analogissimo, & ratiocinatione. semper hæc 30
ex rei sumitur natura, & ex caussis; vtique horum ipsorum consultans Medicus
habere pręcognitionem debet. ideoque non oportet horum aliquam in consul-
tatione mentionem facere, tanquam rei incognitæ, & inuestigandæ. Sed si me-
minisse volet, id quidem efficiet per supposita, vno, aut altero verbo contẽtus.
Et vero pro inueniendis remediis hoc aut solum instrumentum idoneum est,
aut potissimum. Porro dum materiam medicam inuestigat, aliis indiget instru-
mentis, ratiocinatione expressa experientia, antiquorum, & probatissimorum
authorum consensu, ac tandem aliis, quæ prudentię habitum absolutiorem red-
dunt. Ratiocinationem expressam voco ad differentiam indicationis, quæ, vt
ego sentio, quædam ratiocinatio est tacita. Omne genus argumentationis huic 40
muneri vtilitatem afferre potest, excepto duntaxat litigioso, quod, vt in aliis re-
bus semper, sic in Medicinæ vsu maximè detestandum est. Non patitur subiecta
materia, vt demonstratiuas rationes, aut necessarias continuo habeamus, pro-
pterea coacti sumus aliquando probabiliter differere Aristotelis alioquin imita-
tione. Atque, vbi desint rationes, ad experientiam confugimus; qua destitu-
ti authoritatibus vtimur. Non conturbet autem nos, quod dixerimus, Medicum
consultantem vti experientia: quasi quod non sit rationalis, sed empiricus, cuius
proprium instrumentum videtur obseruatio. nam aliud est experientiam solam
adhibere, aliud simul cum ratione. Empirici omnino prætermittunt rationem:
Huic potissimum adhærent dogmatici, sed non soli: quia neque ipsam paruifa- 50
ciunt experientiam. Propterea dicere solebat Galenus, rationalem Medicinam
duobus cruribus incedere, dextro, ac sinistro. Dextrum facit rationem, sinistrũ
experientiam. si alterum crus deficiat, omnino claudicat. Adde his, consultatio-
nem non pertinere propriè ad Medicum, vt Medicus, sed vt prudens: ideoq́ue
adhibet experientiam: quia, vt Aristoteles docet, prudentiam longus vsus, & ex-
perientia procreat. Tria enim requiruntur pro absolutione prudentię: primò,
tan-

tanquam principia, requiruntur facultates animæ naturaliter benè dispositæ: secundò, tanquam media, cognitio veri, disciplinæ à quibus principia recipiat, variæque præceptiones virorum prudentium, à quibus homo euasurus prudens dirigatur. Postremum tanquam vltimum & finis, qui habitum firmet, absoluatque, requiritur experientia, vsusque frequens, & accuratus agendorum. hæc, si vera sunt, ausim hoc dicere, in consultando eam potiorem esse medicum, qui experientia magis valet. Porrò, quæ per indicationes inuestigantur remedia, ea quidem duce Methodo resolutiua ex fine præcognito certissimè innotescere, tum primus omnium docuisse mihi videtur Aristoteles, tum admirabilis Galenus confirmasse, & illustri admodum exemplo demonstrasse. Philosophus quidem libro tertio Moralium ad Nicomachum, capite tertio ita scribit: Qui enim consultat, quærere videtur, & resoluere prædictò modo, quemadmodum designauimus. Non quælibet autem quæstio consultatio est, vt Mathematicæ, sed quælibet tamen consultatio inquisitio est, & quod extremum est in executione, in generatione esse primum videtur. Atque hi cum in rem, que fieri nequeat, inciderint, desistunt.] hæc Philosophus. Hæc methodi resolutiuæ in mediis inueniendis vim facilè demonstrat, in iis præsertim, quæ in vniuersum ad consultationem pertinent. In particulari autem quod attinet ad remediorum inuentionem, Galenus libro vndecimo methodi, capite decimo confirmauit elegantissima oratione; supponens sibi pro exemplo Sinochæ putridæ curationem, cum ait.

Ergo qui febrem curare volet, necesse est putredinem inhibeat, ita duæ indicationes se exhibent: altera à febri, altera à putredine: atque à febri rursus duæ, scilicet vt portio febris, quæ iam facta est, percuretur: quæ verò in generatione est, inhibeatur: Aliæque duæ rursus à prutredine erunt indicationes, vt & quod putredinis iam factum est, sanes, & quod in generatione adhuc est, sistas. Porrò, quod in generatione est, id adiapneustia, idest perspiratio impedita facit; nihil enim deterius fuerit clarioris doctrinæ gratia ita eam nominare. ita ab hac quoque aliæ duæ indicationes nascentur, tum, vt quod retentum est, vacuetur, tum, vt quod retinendum est, prohibeatur. sanè prohibebitur iis præsidiis, quæ obstructioni medentur. Cuius rursus ipsius, quod iam factum est, sanandum: quod futurum est, inhibendum. At curabitur quidem, quod obstructionis iam factum est, per ea, quæ obstructa liberant. Inhibebitur, quod futurum est, si affluxum obstruentium succorum compescas. Ergo quod vltimum in ipsa resolutiua methodo est inuentum, id primum omnium in curatione est peragendũ.] Hucusque illi.

Nota.

Quæ manifestissimum faciunt in mediorum inuestigatione pro consecutione finis nullam inueniri methodum ipsa resolutione magis accõmodatam, quæ fit supposito fine exordiri à primo, & maximè communi, ac ab eo progredi vsq; ad vltimum: quod postea primum habere in ipsa actione, & compositione locum debet. Hæc certè via in remediis inueniendis præstat cæteris.

Cap. VIII.

Exemplo putridæ febris, quæ dicta sunt in superioribus, dilucidantur.

QVIA exempla illustriorem doctrinam reddunt: constitui, quæ in superioribus demonstrata sunt, Galeni consuetudine, quibusdam exemplis, satis, nisi fallor, accõmodatis, explicare. Primũ autem sit exemplũ, de quo proximo capite, ex eodem authore loquebamur, nempè de materia Medica respondente remediis inuentis pro sanatione putridæ febris. Statuamus itaq;, Methodo resolutiua duce, hæc remedia existere febris huius. Primũ, refrigeratio, & humectatio. Secundum, purgatio putridi humoris: Tertium semiputridi concoctio. Quartum, libera transpiratio. Quintum, deobstructio. Sextum, multitudinis vacuatio, septimum detersio. Octauum, extenuatio, & incisio. Nonum, affluxum humo-

rum obstruentium, impedire. Ponamusq; etiam principium fieri debere actionis medicæ, ab impediendo affluxu humorum obstruentium, vt ille docuit. Sit nunc proposita consultatio, de modo, quo id commode fieri possit, quem modum licet Galenus generatim posuerit, nempè vacuatione docens hanc impediri affluxum, obscurum tamen videtur, qua materia sit vtendũ, vt hanc vacuationem moliamur. Etenim materia huius remedii multiplex est neq; certum, quam præeligere oporteat. fit enim vacuatio venæ sectione, purgatione, inedia paucitate cibi, frictionibus, medicamentis digerentibus, balneis, ac aliis eiusdē generis. Vti autem oportet aut omnibus aut quibusdam. Sed certissimũ est non posse adhiberi omnia in principio febris putridæ: summa quidem inuestigationis huius consistit potissimum, an in principio omnium putridarum vena sit incidenda: an purgandum, an vtrunque faciendum. Nam aliæ materiæ vacuantis remedii tuto administrari non possunt à febris principio, excepta inedia, aut victu tenui, & exquisito, aut tenuissimo: at certè hic non sufficit pro impediendo eiuscemodi affluxu, cum indigeamus iis, quæ cito cum impediant sic indicante morbo non ferente longas inducias; alia vt dixi, tuto nequeunt inchoantibus febribus exerceri, quemadmodum in vniuersali docuimus methodo. Videbitur igitur alicui ex consultantibus, in febribus omnibus venæ sectionem esse vtilissimã. quod Galenus eam admittat libro octauo methodi medendi capite quarto, etiam si plenitudinis non adsint signa, modo nihil contra indicet, vt virium imbecillitas, & puerilis ætas. Quod etiam quarto methodi capite sexto affirmauit dicens: Si valens sit morbus cum virium robore neminem esse in artis operibus exercitatum, qui sanguinem non mittat. atque hæc indicare venæ sectionē, etiam si non adsint signa plenitudinis: idque rationibus efficacissimis comprobat. Porro autem cum dicatur tribus modis magnus morbus, febris putrida magnus morbus est, ob excellentiam partis. Idem repetit passim præsertim lib. 4. de ratione victus in morbis acutis, commentario decimonono; vbi dicebat Hippocrates, in acutis morbis sanguinem detrahes, si vehemens videatur morbus, floruerit ægrotandi ætas, & virium adfuerit robur. De hoc eodem remedio generoso loquitur vndecimo methodi capite decimo, admonens principium curationis putridarum febrium exordiri debere ab euacuatione, vt in prioribus libris docuit.

ægrotantis

Quæ, vt dixi, de venæ sectione intelligi debere, cognoscent, qui voluerint hæc conferre cum iis, quæ octauo methodi scripta sunt: propterea in eodem vndecimo capite decimoquinto apertissimis verbis pronunciauit, in omni febre putrida saluberrimum esse mittere sanguinem, cum ait:

Saluberrimum est autem, non in continuis modo febribus, vt demonstrauimus; venam incidere, sed etiam in omnibus, quas putrescens humor concitat. Exonerata enim natura eo quo veluti sarcina premitur, & concoquet, quod cōcoqui potest, & excernet, quod debet excerni.] Hæc ille.

Hanc eandem opinionem fortasse confirmabit ratione valida sumpta ab humorum fluxione, in hunc fere modum. Humorum fluxio reuulsionem postulat, hęc quamuis ex varia fieri possit materia, tamen vbi generoso indigemus remedio, fit venę sectione. adest in putridis affluxus humorum, ergo venæ sectione reuellendus est. At nunquam conuenit pharmacum expurgans, quia concocta nō medicari, & mouere non cruda, nisi materia turgeat: at in principio concocta impossibile; est. Deinde aliquid bene vacuari à natura inchoantibus morbis est impossibile; hæc quidem, ac fortassis plura eiusdem generis consultando, & prudenter discurrendo proponet, qui venæ sectionem in omnibus putridis necessariam contender. Alius vero, cui magis probabile videbitur, aliquando sanguinem mittēdum & aliquando purgandum, & aliquando vtrunque faciendum, poterit hoc ferè modo discurrere.

Anteaquam de proposita, & admodum difficili materia deliberem, supponenda primũ mihi ipsi duco quædã, omniũ iudicio verissima: ex quibus facile admodum, nisi fallor, in notitiam perueniemus, eius, quod quæritur. In primis illud

illud constar, vltimum remedium resolutione inuentũ esse, impedire affluxum obstruentium humorum: hocq; in executione, & actione primũ habere locum. Hac de caussa præcepisse Galenum vndecimo libro methodi cap. 10. ab euacuatione exordiendum. Hoc nostra, clarissimi viri, supponit consultatio. At quærit, qua materia hanc efficere debeamus, an scilicet sola venæ sectione, an pharmaco duntaxat purganti, an vtroque simul. Caussa quæstionis est, quia Galenus ibi solius vacuationis meminit, materiam, qua cum fieri debeat, silentio inuoluens. Et verò, nemo dubitat tractationem eius capitis à Galeno ex proposito fuisse institutam, vt omnibus putridis febribus inseruiret.

10 Secundò, supponẽda est caussa, ob quam vacuatio principium curationis esse debet. eam non proponit in capite decimo, sed in superioribus libris declaratam sibi sumit. Verba si benè recordor, sic habent: Ostensum enim in prioribus libris est, si iis auxiliis, quæ obstructiones eximant, vti non vacuata prius abundantia, velimus, fore, vt non modo nihil perficiamus, sed etiam affectum maiorem reddamus, purgantibus scilicet inter se indicationibus.] at nullibi, quod sciam, in medendi methodo egit de hoc argumento, nisi in octauo libro, capite quarto, in quo ex pposito curationẽ docet febris ephemeræ ab obstructione: ibi caussam, cur ab inanitione exordiendum sit, docet his verbis. At soluunt quidem obstructiones, quæ detersoriam facultatem obtinent, seu foris cuti sint ad-
20 mota, siue intro in corpus accepta. Periculum verò est etiam, ne quæ foras trahunt, vnà cum iis, quæ obstruunt, etiam aliud quippiam attrahant. &, quæ ab interno sursum ferũtur, aliquid secum in iis, quæ in vasis continẽtur, rapiãt. Quod ipsum, si tenax sit, & crassum, obstructionem planè geminabit: sin aliter, multitudine certè sua non parum omnino nocebit. Cernimus enim aliquando, etiam quod multum est, cum simul totum confluit, obstruendo hærere, infigique non minus, quàm ea, quæ glutinosa sunt, & crassa: quod si per meatus angustos est trãsitus, multò profectò magis retineri. Quo igitur, & his iter liberum, & iis, quę foris admouentur, attractio tuta sit, vtilissimum est corpus inanisse.] hæc Galenus.

30 Ex iis igitur constat caussa, cur ab inanitione conueniat exordiri. Caussa inquam est, quia medicamenta deobstruentia vim habent humores trahendi, & deducendi: ideoq; periculum imminet, ne vel crassos, vel viscidos, vel multos humores attrahant ad obstructionem, fiatq; illa maior: at, si fuerit antea corpus exinanitum, eiuscemodi periculum non impendet.

His in hunc modum suppositis, dico, in principiis putridarum aliquando venam esse incidendam: aliquando pharmaco purgandum, & aliquando conuenire vtraq; materia exinanire corpus: quod facilè sic demonstro: Ea vacuatio instituenda est in principio putridarum febrium, quæ humorem affluentem im-
40 pedit. Atqui interdum periculum adest, ne sanguis affluat: de qua re ita loquitur 8. methodi. Cernimus enim aliquando, etiam quod multum est, cum simul totum confluit, obstruendo hærere non minus, quàm ea, quæ glutinosa sunt, & crassa.] interdum suspicãdum, ne moueantur humores à sanguinis natura plurimum distantes, de qua fluxione ita loquitur: quod ipsum, si tenax sit, & crassum, obstructionem planè germinabit: sin aliter, multitudine certè sua non parum nocebit.] Ergo fluente sanguine, aut fluxuro, vena incidenda est; fluentibus aliis humoribus, pharmaco vtẽdum; si verò mixta fluxio sit ex plectorica dispositione, & cacochymia, exinanire conueniet phlebotomia, & pharmacia simul. Neq; enim alia methodo inueniri potest materia ad corporis vacuationem ac-
50 commodata, quàm ex varietate affluentium humorum. Nam quemadmodũ in purgationibus, (vt dicebat Hippocrates) si talia purgantur, qualia debent, confert, & facilè ferunt; sin minus contra, sic in vniuersum in omni vacuatione, talis vacuari debet humor, qualis peccat, alioquin neque confert, neque facilè ferunt. Hoc animaduertens Galenus in capite decimo vndecimi de methodo medendi, noluit sigillatim explicare materiam vacuantis remedii: sed in genere duntaxat, cùm dixit, vacuari antea debere abundantiam: vt comple-

pugnantibus.

ctaretur & venæ sectionē, & pharmacum. vsusq; est nomine communi, nempe ipsius vacuationis, atque etiam abundantiæ, quæ Græcis πλεονεξία dicitur, vt indicaret nobis vsum vtriusque. & in octauo methodi, cap. quarto, vt idem omninò significaret eandem rationem loquendi adhibuit, cùm dixit, esse vtile exinanisse corpus, quandoquidem ibi vniuersalem rationem affert, ob quam ab euacatione exordiri conuenit. Ergo si viscidi, & crassi humores affluant siue calidi siue frigidi sint, horum duntaxat impediri debebit affluxus: quod fieri non potest, nisi illorum purgatione. si vero omnes humores simul affluxerint, venæ sectione vtemur, vt Galenum aliquando dixisse memini. Scio autem, non ignorare vos præceptum illud de vacuatione, ante vsum detergentium, & attenuantium pharmacorum, non esse proprium febrium putridarum, sed obstructionis cuiuscunque, siue cum febre, siue citra febrem. Et quemadmodum in morbo regio ab obstructione citra multitudinis, & plectoræ affectū, ac in iecinoris obstructione, atq;, vt verbo dicam, in aliarum partium obstructione prius conuenit primas vias, ab omnibus expurgare humoribus excremētitiis, antequam detergamus, attenuemusque contentos in obstructione succos: sic profectò in putridis omnibus frebribus citra plectoricam dispositionem, saluberrimum esse, ac omnino necessarium profiteor, expurgare antea ventriculum, mesenterium, & omnia intestina, quàm ad ipsas obstructiones accedamus. In huiusce rei confirmationem affero verba Galeni libro sexto epidem. sectio. secunda, comment. trigesimo, in quo sic habet: Sed forsan me dicere putabis, nunquam purgatione per aluum in talibus esse vtendum. Ego verò non id dico. Nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia est, iis vtiles esse purgationes didicisti: priusquam enim ita redundantem materiam aut venæ sectione, aut purgatione quis eduxerit, si fouens, hoc est calidis vtens, ipsam discutere conetur, plus attrahet, quàm per cutem vacuabit. [hæc verba digna mihi videntur consideratione. Supponit enim Galenus, necessarium esse humores excrementitios vacuari debere per cutem, hancq; vacuationem fieri à pharmacis deobstruentibus, quæ detergunt, attenuant, discutiunt humores in viis contentos. at, inquit, si permulta adfuerit humorum copia, hæc medendi ratio non est statim exercenda, cum prius oporteat vacuare copiam aut venæ sectione, aut purgatione: alioquin, magis impingemus obstructiones, facta maiori humorum attractione ad affectam particulam, quàm discussione. Et verò, hæc eadem ratio est, quam octauo methodi cap. quarto attulit: propterea dixit, in methodo medendi id declarasse: & nominatim purgationis necessitatem indicat. ac πλεονεξίας utitur vocabulo, quod commune est ad plectoram, & cacochymiam. Cæterum, quod ad alios attinet locos, quos attulistis ex Galeno, putauerim eos ita fore interpretandos. Difficilis certè locus videtur ex octauo methodi, cap. quarto, in quo dicit, mittendum esse sanguinem, etiam si plenitudinis signa non adsint, Sed quæso vos (viri in omni scientiarum genere absolutissimi) magnam consideretis in breuissimis verbis Galeni repugnantiam. Agens ibi de febre emphemera ab obstructione cutis, inquit, si parua fuerit obstructio, si quis rectè deterserit, secundam fore accessionem vetabit: Si verò magna, non posse id promittere. quod, si simul obstructionem fecerint humores multi, viscidi, & crassi, omnino impossibile iudicandum est, manere eam frebrem in numero diariarum; atque de remedio maiori cogitandum. ponit ergo tres obstructionis causas simul concurrere, plectoram, humorum visciditatem, & eorundem crassitiem. si ita supponit, ex necessitate aderit plenitudo. Statuamus modo aliud. Huius ipsius febris causa venæ sectionem consuluisse. nam, si exigua obstructio sit, moderata detersione sanatur; si magna, qualis est ex concursu omnium causarum, protrahitur declinatio atque iam iā incipit ad putredinem pręparari, licet signa non appareant aut in pulsu, aut in vrinis humoris putrefacti, tunc inquit: Ergo, ut transpiret, maiore auxilio est opus,] declaransq; postea quodnam sit hoc maius auxilium; venæ sectionem esse dicit, quam vult aliquando exercendam, etiam si plenitudinis

dinis non adsint signa. At quomodo possunt hæc cohærere, obstructionem factam fuisse ab omnibus caussis, & non adesse signa plenitudinis. Cum igitur contradictio sit admodum euidens: neque tamen ego de admirabili authore hoc animo possum concipere, hunc locum ita interpretari soleo. Etiam si non adsint signa plenitudinis, quæ ab Empiricis præsertim à Menodoto afferri consueuerunt: Putabant enim sine concursu illo, & syndrome plectorica non conuenire sanguinis missionem, vt scribit quarto metho. meden. cap. 6. At Galenus, inquit, ad hoc remedium accedendum est; etiamsi non adsit illa syndromes plectorica, quia citra plenitudinem reuulsionis caussa sanguis mitti potest, atque etiam, vt ex quarto methodi colligitur, potest adesse plenitudo, quo ad vires, aut quo ad vasa, licet nō ita magna, vt omnia adsint signa plectoricam syndromen Empiricorum constituentia: locus hoc modo explanatus, nullam difficultatem habet, & Galenum maximè vindicat à contradictionis nota.

Proponebatur etiam à vobis alter locus, & libro vndecimo de Methodo medendi, capite decimo quinto. hunc ego sic interpretor. Saluberrimum esse in omnibus putridis mittere sanguinem, si corpus plectoricum extiterit: alioquin abstinendum. Explanationem esse veram Galeni, quæ subsequuntur verba manifestū faciunt, Exonerata enim natura eo, quo veluti sarcina premitur, & concoquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod debet excerni.]

Illud autem admittere non possum, tanquam omnino falsum, quod vestra alioquin pace sit dictum, humorem fluentem reuelli nō posse in febricitantibus, aut non febricitātibus, nisi venæ sectione: nam purgationem reuulsionis caussa fuisse institutam in vlceribus ab Hippocrate manifestum est, & à Galeno confirmatum libro quarto Metho. cap. sexto. & in inflammationibus libro 13. eiusdem tractationis, & sexto de composi. medicamen. localium, atque libro de ratione curandi per sang. missionem.

Neque præterea vestra, videtur mihi, argumentatio concludere, qua dicebatis, concocta medicari, & mouere non cruda: & expurgationes inchoantibus morbis factas omnes fore detestandas. Nā aphorismi sententia ita intelligenda est, de humoribus, qui firmam habent in aliqua parte sedem: non autem de iis, qui mouentur, aut etiam moueri possent. Vniuersalem enim esse profiteor regulam, semper humores fore purgandos, qui de loco ad locum mouentur, siue turgeant, siue non turgeant, modo tamen leuiori aliquopiam remedio sanari nequeat ægrotus. Atque ita etiam saluberrimæ sunt purgationes institutę à morborum principiis; de quibus illud arbitror à sapientissimo Hippocrate fuisse dictum: incohantibus morbis, si quid videtur mouendum, moue: addo etiam Hippocratem in Aphorismo locutum fuisse de humoribus verè purgantibus, id est, validis: at nostra sententia solum est intelligenda de humoribus, qui continentur in prima corporis parte, quos humores purgant leuia pharmaca, quæ vel primas venas nō transeunt, aut certe quorū vis non transit iecinoris regionem.

Quia igitur in ægroto plenitudo non adest aliqua, neque quo ad vasa: neq; ad vires: sed prauis humoribus abundat, præsertim circa ventriculum, & intestina, & mesenterium existentibus, prætermissa venæ sectione, pharmacum exhiberem leuiter purgans, cuius vis neque hepar transcenderet, neq; insigni calore officeret, aut etiam fortassis refrigerādi potestatem haberet. Et hæc volui dixisse circa propositam materiam, saluo semper meliori iudicio.

Nunc circa idem genus febrium aliud proponatur exemplum, quod versabitur circa remedia, & eorum materiam. Statuamus in ardente febre, vel synocho prætermissum à principio venæ sectionem, vel propter ægroti ipsius timiditatē, vel ignorantiam Medici: atque ob easdem caussas, neque hoc tempore sanguinem mitti posse (ita etiam supponit Galenus) febrilis tamen ardor sit ægroto intolerabilis, consultabitur, quo remedio sanitatem inducere conueniet: an scilicet summam refrigerationem, & humectationem inducentes, frigidæ potum exhibebimus: An potius relicta frigida purganti pharmaco vtemur. Quia verò dubiū incertūq; videtur remedium utrunq;, eiusq; materia, consultationi lo-

Conciliatio locor. contradicentium?

Nota:

vi repugnantibus, rectius censeo.

cus est. Etenim ex consultantibus putabat quispiam, non esse accedēdum ad potū frigidæ. Quia, quod primū remediū in inuentione fuit, id in executiōe vltimū est. At refrigeratio prior inuētione fuit, ideoq; vltima erit in executione. Deinde quia generosum hoc remediū nō est exercendū, nisi vbi manifestissima sese offerunt signa cōcoctionis, qualia in statu cōtingūt: quia verò in proposito affectu adhuc adsunt signa cruditatis, vel certè cōcoctionis, nō admodū euidētia apparēt signa, videtur omnino prætermittēdū. Pharmacū etiā suspectū est, quia calidū & siccū existēs, febrē augere posset. Mox verò materia existēte cruda, periculosum videtur. Ex altera parte Medicus in artis operib. exercitatus prudenter in hūc modū instabit. In medēdis morbis semper incūbendū est ei, quod maximè vrget. At verò semper maximè vrget conseruare vitā, vel si id omninò fieri non possit, prorogare. Sumus in casu adeo ancipiti cōstituti, vt si nō fiat de generoso remedio deliberatio, oportebit breui mori ægrotū. Duo sunt equidē generosa remedia, quibus eiuscemodi febris sanari potest: nēpe venæ sectio, qua sanguis vsq; ad animi deliquiū ꝓfundatur: Ac potus frigidæ. Illa quoniā neq; potuit ātea neq; potest nūc exerceri, sola spes cōseruandi vitā cōsistit in potu frigidæ. Aut si ex ardore febris huius nō moriatur statim ęgrotus, certè in hecticā incidet: quādoquidē solidæ corporis partes ferè cōtraxerūt ignei caloris habitū, vtputa, quæ nō sunt multa carne, & adipe præmunita, tēperamētū calidū & siccū, anteacta vita laborib. multis exercitationib. assueta, atq; anni tēpus calidū & siccū, cōsimilis regio, particularisq; cōstitutio, certissimā vidētur nobis pręnūciationē efficere, vel ægrotū omnino ex hoc morbo moriturū, vel certè in hecticā febrē terminaturū, torridūq; marasmū. Nullū sese offert remediū magis accōmodatū refrigeratione totius corporis, qua statim flāma extinguatur. Nequit autem materia huius remedii esse aliquid magis opportunū potu frigidę. Igitur ad hāc ipsam audacter accedēdū est. Rem ita sesę habere facilè arbitror me vobis persuasurum. Eam remedii refrigerantis pręeligere materiam oportere nos quæ subito extinguat febrē, neminē vestrū esse scio, quem lateat. nā subitum periculū sese offert mortis, vel transitus in marasmū pręorridū: at nullum refrigerans pharmcum, quomodocūq; administratum, valebit hoc præstare, si aquā excipiamus frigidā. Hæc statim ad satietatē exhibita solidas partes, quæ iā iā periclitātur recipere habitū caloris, roborabit adeo, vt statim febris extinguatur, & quæ supuacanea, & omnino putrida cōtineatur in corpore, natura facilè expellet vel ꝑ sudorē, vel per vomitū, vel per aluū, vel etiā fortassis per omnes vias: quod verò semimalū est, & semiputridū, de cætero cōcoquēdo ad priorē suæ bonitatis statū reducet. Nihil autē impedire videtur mihi eiuscemodi potū. Non ętas, quæ floridissima est. Non vires, quæ validissimæ sunt, Nō anni tēpus, aut cœli status, quia calidus & siccus est. Nō cōsuetudo quia assuetus est frigidæ, eā exposcit miser, eā quotidie singulis horis flagitat, sitis adest inexhausta, linguæ arriditas, & nigredo. Nō præterea remorari debet nos imbecillitas viscerū, quæ nulla prorsus adest. Nō inflāmatio, nō scirrhus, nō cōtumacissima, & antiquata obstructio. Cur igitur tardabimus? Memineritis occasioné esse præcipitē, in acutis morbis in eadē die, si fieri pōt, medicādū esse: nā tardare in talibus malū est. At, dicetis impedimēto est prępostcrus remediorū ordo. impedimēto est, quod materia non sit plenè cōcocta, atq; tādē, quod authores antiqui ꝓsertim maximi, vt Galenus & Auicēna, negāt exhibēdā esse frigidā in aliis temporibus, quā in statu. Sed, si mihi adhibere fidē volueritis, hæc nō impedire vobis ostēdā. Ac primū fateor, vbi plura sese offerūt remedia, debere illa quidē suo ordine exerceri, nisi aliquid impediat. Cōsiderādū, an cōtrarię adsint indicationes: atq; tūc illarū dignitas, ac magnitudo ꝑpēdēda est, & inuicē cōferēda, vt ex collatiōe patet, quibus maiorē adhibere fidē oporteat. Adsunt hic cōtrariæ indicationes, quarum nōnullę vitā respiciunt: alię verò sanitatē. at multo magis digniores, præstātioresq; sunt vitā respiciētes, quā sanitatē: illis igitur solis incūbendū vel magis, reliquis minimè neglectis. Alteratio à calore febrili impressa adeo magna est, vt nisi subito manus admoueamus, solidę partes adiutrices, deplorata res erit: humorū autē corruptela longe minor, inflam-

inflammantur, spiritus maximè dissoluuntur, caro liquescit, quæ alioquin in hoc habitu exigua est: quam igitur oportebit imaginari spem, si morabimur? Consimilem casum vobis affero. Scribit Hippocrates 1. aphor. 12. In accessionibus abstinere oportet: aliquid enim dare nocuum est. Accessionis autem nomine deteriorem intelligimus partem circuitus, nempè principium, incrementum, & vigorem. ergo in hisce trib. temporibus ægroti cibandi non sunt: ita etiã cum Hippocrate statuit Galenus, & ipsa experientia, sic ęgrotis vtilissimũ esse, manifestissimũ facit. Sed cur, si vera sunt hæc, in ipsius accessionis principio Galen. octauo methodi, ac passim etiã alibi aliquando nutrire vult ęgrotos? an quia vitalis indi-
10 catio dignitate alias longè superabat? læsionem inferri aliquam ex hoc præpostero cibandi ordine, non est ambiguum: at longè maior ex conseruanda vita vtilitas est, quàm ex cibis damnũ: hocq; magis eligendũ, quia facilè resarciri potest. Expectanda concoctio est in potanda ad satietatem frigida: at verò aliquando expectari non potest, quia dum expectamus, fortassis non fit: Deinde, quia in marasmũ incidit. ac ego in erisipelate, aut iecinoris, aut aliarũ partium internarũ non expectarem coctionem, quemadmodũ in phlegmone: quoniã multo maior in illo ardor existens, & maiorẽ, & longè celeriorẽ postulat refrigerationem. Ideoq; secundum Galeni sententiã, etiam si nõ adsint signa coctionis in erisipelate, frigidã exhiberem, vt hisce verbis nono methodi, ca. 5. docet: Porrò erisipe-
20 las, quod verũ erisipelas sit, non aliter sanaueris: at si mixtum cũ phlegmone sit, in hoc concoctionis expectandæ sunt notæ.] Igitur, si licebit dare frigidã in vero erisipelate, non expectatis notis ipsius coctionis, cur quæso, viri clarissimi, non licebit nobis in ægroto nostro, in quo alia spes inueniri salutis non potest, & in quo omnis, vel etiã breuis morula, damnum inferre posset intollerabile, alio destituti conuenienti remedio, exhibere frigidam? ego non ambigo hoc esse rationi consonũ, imò licere in eiuscemodi maximis difficultatibus aliquid agendo periclitari potius, quàm sinere ægrotũ mori sine aliquo artis præsidio. Quamuis certè ob concursum ipso in casu omniũ conditionum aliquod affatu dignum inesse periculũ non video. Hanc medendi rationẽ fuisse ab antiquis institutã satis
30 manifestum fecisse arbitror: iis nunc addo in vestrã gratiam, Auerroẽ ita agendum fore in suis Collectaneis scripsisse, ac etiã Galenum, cuius magnifieri à vobis authoritatem scio, lib. 10. de methodo medendi. Eritq; in proposito casu tutior frigidę potus, q̃ materia non est omni ex parte cruda: iam. n. aliqua signa coctionis apparent. Neq; facilè admiserim vobis frigidã solum exhibendã esse in statu, quia in augumento etiã ipso conuenit: Galenus non desiderat exactissimã coctionẽ, qualem in statu adesse scimus, sed solũ dicit: cùm coctionis notas videris, audacter frigidã dabis.] at notæ coctionis manifestæ in augumẽto videntur. Vt igitur concludam, quin in hoc affectu vobiscum deliberem, dico, quod post-
40 quam venæ sectio exerceri non potest, pro ardore febris huius extinguendo statim accederem ad potũ frigidæ hodierno die, quæ à morbi principio quarta est, & in vigore particulari, & tantũ eius darem, quantũ vnico haustu absorbere posset. Atque, vt hoc citra noxam omnino contingeret, pro frigida darem coctam, in qua medulla panis clibanarii macerata fuerit, vel quod magis placeret, hordeaceam. hęc enim longè tenuior, facilius penetrabit vniuersum corpus, & promouebit sudores. Quod verò ad pharmacum pertinet, abstinerem ab illius vsu, quia in hac febre multo maior videtur mihi necessitas refrigerandi totũ corpus, quàm purgandi; Si enim ardentes febres aliquando maius calore, quàm humorum putredine faciunt negotium, vt à Galeno scriptum fuisse scio, putauerim in
50 proposito rem ita sese habere: tum ob cœli statum, regionem, & anni tempus: tum ob temperamentum ægroti totius, & partis: & ideo audactius ad frigidam accederem. Est etiam animaduersione dignum, mitia pharmaca non posse hanc è venis putredinem remouere: validiora autem non esse tuta. primo, quia, vt rectè ex Galeno statuistis, calida, & sicca sunt omnia à quibus febris augetetur: secundò, quia vbi particularis natura ęgroti nota non est, exhibitio medicamenti purgantis sita quidem est in potestate nostra, sed quæ postea contingũt, bonam

Nota.

Erisipelas ptium internarum

desiderant fortunam. nam aliis non purgatur aluus: aliis superpurgatur. nonnullis tormina, doloresq; succedunt, quibusdam syncopes, & cardialgiæ. Frigidam igitur ob has caussas darem, & à pharmaco abstinerem.

Hactenus in exemplis versati sumus, quibus manifestum fecimus, quæ ad naturam consultationis pertinere videbantur, nūc reliquum est, vt eadem methodo prosequamur ad ipsos consultantes pertinentia.

CAP. IX.

Quot modis consultatio executioni demandari possit: & quæ capita circa consultationem expressam statuenda sint. 10

QVÆ de natura consultationis dicta sunt, tribus nisi fallor, modis exerceri possunt. vno, cum diligens, prudensq; Medicus secum meditatur, consultat, deliberat, & præeligit magis vnum, quàm aliud remedium. Alio modo communicando aliis per scripturas, quæ secum ipse cogitauit, & consultauit. Hic modus admodum frequens hodiernis temporibus per epistolas. Tertius modus existit, cùm medio sermone fit communicatio rei præmeditatæ præsentibus aliis Medicis, quibuscum de eodem argumento disserendum est. Solet propriè modus hic discurrendi vocari vulgo, Collegium, Latini Consultationem appellabunt. Nam tacita consultatio, quam in principio tractationis huius de- 20 finiuimus, propriè non meretur hoc nomen, vt Diuus Thomas inquit: propterea de vtraque agimus. Concurrunt ad consultandum Medici aliquando duo, aliquando tres, ac etiam plures: satis videtur mihi consonum, in hoc munere duntaxat, sufficere tres: nam, vt dicit sacra Scriptura, In ore duorum vel trium stat omne verbum. quanto enim conuocantur plures, tanto videbitur maior adesse suspicio confusionis. De hac igitur expressa consultatione dicemus primum, an magis expediat plures conuocari Medicos, an verò vnus duntaxat, isque prouidus, & exercitatus in arte sufficiat. Deinde, si conclusum fuerit, magis expedire ad consultandum vocari plures, communes regulæ sunt explanandæ, quæ omnibus conueniant. ita enim statuere debemus, quia vniuersalium cognitio 30 naturæ ordine particularium notitiam præcedit. Tertiò, quia inter plures consultantes ordo statuendus est, alius enim primo loco, alius secundo, alius postremo dicit. Neque est, vt in primo diximus capite, vniuscuiusque idem officium, opus erit sigillatim declarare, quid ad vnumquemque pertineat. Præstat autem dilucidioris doctrinæ gratia, primo loco dicentem, appellare proponētem: quia huius munus est, vt parum postea docebimus, proponere aliis, de quibus in ipsa consultatione sit agendum. Secundo loco dicēs, vocetur respondēs, vt puta qui vel contradicit, vel admittit, quæ à primo dicente fuerunt proposita. Postremus verò omnium, concludens sit disputationem, colligatque opiniones duorum, dissentientes ipsas componat, consentientes admittat, atque alia ad consultatio- 40 nis absolutionem necessaria, pro sua natura prudenter præeligat, suoq; loco disponat. Sed iam ad tractationem aggredior.

CAP. X.

Magis conducere plures, quàm vnum Medicum, curationem efficere.

CONSVLTATIONES temerè instituendas non esse, ipsa docuit experiētia, quia certè multis parum benè cessit: at, si tales fiāt, quales decet, est vtrique ægro- 50 tis saluberrimum, Medicis verò vtilissimum. Non itaq; semper conuenit, vt quibusdam placere scio, vnum duntaxat Medicum, ipsam curationem absoluere: cum, quando difficile proponitur, magnūq; aliquod negotium, ex cuius incertitudine contingat interdum artificē etiam expertum hæsitare, maximè vtile censendū est, alios adhibere consultores. Plures enim prudentes simul vocati, lon-

gè melius percipiunt, quàm vnus, quæ agenda sunt: propterea prouerbio dici solet, plus vident oculi, quàm oculus. & Poeta inquit:

Quod tu nescis, fortaßis nouit ocellus:

Iis etiam adde nullam esse artem, ipsa Medicina magis expositam calumniis vulgarium, qui sæpe admodum solent incusare Medicos internecionis crimine, vt Hippocrates primo Prognosticorum meminit. At qui omnia agit cum consilio, habetq; testes oculatos suarum operationum, hic nunquam in eiuscemodi crimen incidet. Quod certè, tum ob prestantiam artis, tum ob artificis immunitatem magnifaciundum est. Constat enim huius solius suspicionis gratia 10 occisos fuisse Medicos, qui potissimum principibus viris suam præstiterunt operam: Nemo non nouit, quantas olim sub populo Romano passas fuerint Medici cõtumelias. Nemo ignorat, quid cõtra Medicos in sepulchro Traiani Imperatoris fuerit scriptum. Pretermitto volẽs miseram Zerbi Medici, ac Philosophi eminentissimi mortem, hac de causa concitatam, & alias eiusdem generis historias, ac ad propositum reuersus dico Aristotelem hęc animaduertisse: cum enim de consultatione ageret, dixit oportere illam de rebus incertis, & dubiis institui, & quæ sunt in nostra potestate: addit etiam fieri debere de rebus magnis: quasi, quod dicere voluerit, aliquando etiam si res non sint obscuræ, modo tamen magnæ sint ad consultandum verba illius hoc modo habent.

pasi
Sczt: perij turba medicor. / Suetonio

20 Consultatio autem de illis est, quæ vt plurimum quidem fiunt, incerta tamen sunt, quomodo euadunt, & in quibus indeterminatio existit. Ad magnas verò res consultores etiam adhibere consueuimus, nobis ipsis diffidentes, quasi sufficere ad decernendum soli non valeamus.

Cum igitur antiqua sit consuetudo, qua etiam Galenũ frequenter vsum fuisse constat, adhibere consultores in rebus incertis, equidem non semper conuenit procuratione vnum dumtaxat adhibere Medicum.

Sed dubitaret hoc loco aliquis, longè melius videri vnũ existere Medicũ doctrina, & experientia insignem, quàm plures, vt dicebat Ioannes Damascenus in suis Aphorismis. Primum, quia vbi multitudo est, ibi quidem adest confusio, 30 vt dici vulgò solet, Deinde, si hominis est errare, fortasse minus errabit vnus, quã multi: nam si errant singuli, vbi vnus adest error minor fuerit, quàm vbi multi simul. Adde, quod minus fiunt diligentes Medici, cũ sunt plures, quia vnusquisque remittere solet ægrotum alterius curæ: sic ferè negligitur, qui debebat curati diligentius.

Respondeo, hæc quidem contingere, si in adhibendis consultationibus requisitæ conditiones non obseruentur, quales infra docebimus: sicque locutum fuisse Damascenum putauerim. Confusio nulla fieri potest, vbi & prudentes, & docti conueniunt Medici, quorum vnus sit, ac idem finis. Nec magis errabunt plures, quàm vnus. Quia quemadmodum Apelles Veneris statuam pulcherri-40 mam fecit, quod pulcherrimum in multis mulieribus vidit, in vnius figuram referens: sic ex multis ægrotis rebus vtilibus, quas singuli perceperunt consultantes, vna restituitur ægroto sanitas. Minus igitur errant multi simul vniti, & consentientes, quàm vnus: proptereaq; longè diligẽtius saluti incumbitur ægrotantium. Sed, quo hæc illustriora fiant, doceamus, quibus de caussis ad consultandum conuocari soleant Medici, & quas obseruare oporteat leges: ita enim constabit, quando consultandum.

CAP. XI.

50 *Quibus de caussis Medici ad consultationes vocari consueuerint.*

VOCARI ad consultationem solent Medici: aut quoniam, qui primus curationi pręerat, ita vult, desideratque, aut quia ęgrotus eam exigat: aut postremò, quod assistentes ita faciundum curent. Duplici potissimum nomine consultationem cupit, qui primus ægroti curam suscepit: Vel, quia iuuenis sit, vel quia circa medicam actionẽ ambigat. Iuuenis nõdum in artis operibus exerci-

tatus, vt qui faciendę Medicinæ habitum non est perfectè adeptus, de multis adhuc ambigens, quæ alioquin natura sua incerta non sunt, debet senem peritum, & in artis operibus exercitatum habere socium. ita absolutior ille, doctiorq; fiet, atque aut nihil, aut certè quàm minimum in ipso opere aberrabit. Huic etiam alia addenda est caussa, cuius in superiori capite meminimus, nempè, vt vacet crimine internecionis: quod solet iuuenibus frequentissimè, senioribus rarissimè imputari. maximi autem in artis progressu refert, quam quis apud homines opinionem habeat. Porrò senes, & exercitati consultationes desiderant duabus de caussis: Vna est, quãdo nouæ sese offerũt curãdæ ægritudines, de quarũ remediis ambigant. Cũ enim primũ Lues venerea vniuersam miserè inuadere cœpit Europam, omnes de illius curatione titubabant: passimque decipiebãtur, dum hoc aut illud remedium, nondum plenè perspecta morbi natura, adhibebant, donec incidentes casu quodam in decoctum ligni guaiaci, inuentũ postea fuit multis, vltrò citroq; consultationibus adhibitis, verum luis huiusce perniciosæ antidotum. Quid dicam de pestis illius sudorificę natura: quæ iam primũ Britanniam inuasit, mox vicinas gentes, magno omnium damno, nam antequam verum deprehensum fuisset remedium, supra quingẽtos quotidię rapiebat: obseruatumq; tandem, incolumes permansisse, qui copiosè sudarent. Ex quo factum fuit, remedium proprium huius pestilentiæ extitisse, sudoris prouocationem. Consimilem constitutionem vidimus Taurini anno 1586. quæ per vniuersum etiam orbem successiue vagata fuit, vocabantq; hũc affectum, cocolutiam nomine Gallico, & quidem anteaquam species morbi fuisset deprehensa, multi moriebantur: at postea vel sanabantur omnes, vel maior certè pars. Maxime cõuenit in hisce affectibus crebris vti consultationibus. Alia etiam de caussa senes & exercitati desiderant consultores, quando ambiguum aliquod remedium videatur: ob subiecti enim varietatem, & mutabilitatem quotidie fit reddi iudicium Medicorũ ambiguum: atq; tunc prudentis Medici munus fuerit, communicare consilium.

Ægroti verò solent plures conuocare Medicos, primùm, si in alio maximè cõfidant: secundo, si diffidant in eo, qui primus sui curationem suscepit. Ille plures sanat, de quo plures confidunt: etenim spes ab ægroto de Medico ipso concepta plus aliquando ad sanationem solet conferre, quàm accommodatus remediorum vsus. Ponamus ægrotum alias sanatum fuisse à Medico, quo cum sanus existens diuturnam habuerit consuetudinem; licet alius & doctrina, & experientia, & iudicio clarus illius curam habeat: curabit tamẽ ægrotus vocari alium, qui naturam eius cognoscit, vt communicatis remediis de salute consultent. Hunc ego maximè necessarium casum iudicauerim. Nam quamuis nihil adsit consilio dignum, nihilominus tamen fiet curatio multo facilior illius interuẽtu, qui propriam ægroti naturã cognoscit. Huic succedit diffidentia, nam vbi in Medico nõ confidat, aut malam de ipsius moribus opinionem animo conceperit, non est cunctanda consultatio. Assistentes porrò, etiamsi nulla adsit cõsultandi necessitas, tamen quia volunt gratificari principibus, & diuitibus, passim ad cõsultationem vocare solent quàmplures, nullo ipsorum facto delectu, ac eos breui postea pęnitet, quia cum maximè difficilè sit benè consentiẽtes inuenire artifices, dum inuicem disputant, ac etiam de rebus nullius momenti, & alter alterum superare contendit, ęgrotus aliquãdo moritur, nõ sine magna artis infamia: sanè nunquã huius opinionis fui extra necessitatem conuocari debere Medicos: id enim aut ignominiam artificibus tribuisse, aut ægrotis damnum ferre animaduerti. At ægrotis vtilissimum semper fuit vrgente necessitate plures habere consultores. satis autem ex supra dictis constat, quã ego vrgentem necessitatem appellem: cum scilicet Medici docti, & in artis operibus exercitati ob alicuius remedii, vel materiæ incertitudinem, aliorum audire sententiam desiderat: aliis de caussis colloquia fiunt inter Medicos, vel narrationes curationis alicuius morbi, at consultationes minimè.

Causa consultationũ maxe necessaria.

Nota.

CAP.

CAP. XII.

Communes regulæ circa consultationes animaduertendæ.

NVNC verò communes doceo regulas in ipsa coosultatione obseruandas. Harum igitur prima sit.

AD consultandum prudentiores, doctioresq́; conueniant.

Consultatrix facultas est pars prudentiæ: ideo qui rectè consultare potest, hic necessario est prudens. Ex quo etiam illud sequitur, munus consultandi potissimum, ad seniores pertinere: quia hi sunt prudentiores, atq; doctiores iuuenibus. idcirco dicebat Aristoteles in septimo Moralium ad Nicomachum: NATVRA iunioribus vires, senioribus prudentiam largitur. Plato in Timæo. Non florescit, ait, vis animi, nisi virtus corporis deflorescat. Si verò ex me caussam quæsieris, dicerem id contingere propter temperamentum ipsorum senum, doctrinam, experientiam, ac rerum vsum. Temperamentum quidem ipsorum maximè aptum ad prudentiam: iam enim sanguinis efferuescentia rectam perturbās consultationē, ac planè rationem, ac iudicium peruertens maximè contemperatus est. Lenitæ sunt omnes perturbationes animi, quarum absentia prudens, sapiensq; dicitur anima. Deinde illud constat inter omnia temperamentorum genera, frigidum & siccum magnam habere aptitudinem ad prudentiam, imò solum aptum esse, declarant formicæ, apes, & aliæ animantes, quæ ab Aristotele prudentiæ nomine insigniuntur. Senes verò frigidos, & siccos esse docet experientia. Quod porrò doctrina & experientia plurimum possint, maximè perspicuum est. Ergo prudentiores ad consultandum eligendi. Sunt etiam eligendi doctiores. Quia non satisfacit sola prudētia ad consultationes medicas: sed opus est adesse prudentiam coniunctam habitui artis, secundum quem operari debet consultans. propterea supra dicebamus, Consultationem duplicem esse, quandam propriam, hancq; versari circa actiones humanas, & quandam minus propriam, quæ ad artes pertinebat eas, quarum materia inconstans erat, ac maximè variabilis. Prior quidem citra doctrinam cōtingere potest: in dies enim videmus rusticos quosdam, nautas, & aliæ sortis homines, indoctos quidem illos, sed tamen proximè prudentes. At consultationibus medicis necessaria est doctrina: quia sunt inquisitiones quædam, vt diximus, rationales, à quibus empiricos excludebamus. maximè notandum est, quandoquidem licet seniores sint doctiores seipsis iuuenibus, non tamen iunioribus sunt absolutè doctiores omnibus. Putauerim optimum esse, ex cōsultantibus vnum saltem doctiorem ex iunioribus cum duobus senioribus cooptandum: aut duos iuniores, seniorem vnum, tanquam moderatorem totius consultationis. Est enim certissimum seniores iudicio, longo rerum vsu, ac experientia præcellere alios. Hos tamen acumine ingenii, & discursu aut præire illos, aut certè non esse inferiores. Indigere autem vtroq; in consultatione medica ipsa experiētia testatur. Cæterum diximus seniores non absolutè senes, quia ab hoc officio volumus excludere senes maturos, qui, vt plurimum solent repuerascere. Senes qui viridem habent senectam, plurimum ad hoc munus idonei sunt,

Secunda Regula.

Tutum non est ad consultationem vocare, qui habent inuicem simultatem, aut sese odio prosequuntur.

Non ita habere debet in consultatione medica, quemadmodum in republica optimè instituta, in qua admittantur ad consultandum, qui manifestā habēt simultatem; licet id non semper fuerit tutum in republica. Solent enim eiuscemodi dissensiones parere bella ciuilia, ac tandem summam ciuitatum perniciē. vt scimus contigisse ex contentionibus Marii & Scyllæ; Cæsaris & Pompei Augusti, & Marci Antonii. At in medicis cōsultationib. meo iudicio, nulla ratione sunt admittendi. Caussa est; quia cum deliberatio ab illis facta proximè respiciat

In consultatione Juvenes senibus cur permiscendi? ratione aliam vide pagina 451. sub hac nota. ♀

hominis vitam, si fortè fortuna dolo malo facta sit, ne alter, qui inimicus est, in consultatione vincat, ægrotus moritur. ita de quodam Gennaido legitur à Pallade scriptum libro epigrammaton græcorum.

Βέλτερον ἡγεμόνοσ ληςόμιον εἰσ κρίσιν ἐλθεῖν,
Η τῦ χειρύργυ γενναδίυ παλαμασ.
Ὀσ μὲν γὰρ φονίας ὁσίωσ ςύγίειν κατατίμνη
Ὀσ δὲ λαβὼν μισθὸς εἰσ αἰδὴν κατάγει. *Quod est.*

Iudicium melius fuerit subiisse latronis,
Gennadii Medicas, quàm petiisse manus.
Ille etenim cædes sanctè execratur, & odit
Hic precium capit, & ducit ad Elysios.

Alius etiam error contingit in hac re, nempè quòd vt plurimum occasionem rectè agendi prætermittimus, nam vnus altero dum cedere non vult, litigat ad satietatem vsque: atque dum disputant, remedia non fiunt opportuna, ægrotusque moritur, vt olim Traiano Imperatori contigisse inquit Suetonius. Hunc n. morientem dixisse ferunt:

Perii turba medicorum.

Hic referre volo, quod scribit Petrus Apponensis, nomine Conciliator, de Medicis: eos scilicet, vt plurimum, malos habere mores, tum quia ex vili stirpe originem contraxerunt, ac impinguati, & ditati maximè fiunt contumeliosi; tũ etiam, quia scientia Medicinæ per se ratione curationis Scorpioni, & Marti tribuitur: ratione conseruationis, Veneri ac Tauro, quorum planetarum proprietas ad malum tendit, luxuriamq́; Verùm eiuscemodi caussæ non cogunt. Non prima, quia de Medicis nimis malè audit. Quandoquidẽ, vt contingit, malos, ambitiosos, & omnis fortasse prauitatis quosdam inueniri Medicos, sic neq; negandum est bonos, morigeratos, & virtutum omnium moralium, vt verbo dicam, amatores inueniri. Ridiculum porrò est ad Planetarum influxus confugere. Nam vniuersales caussæ non agunt illo quidem, nisi vniuersali modo, neque possunt esse in caussa actionum particularium, nisi horum conueniens accedat præparatio. Sed de hac re satis, multa diximus in priori tomo Epistolarum medicinalium.

Cæterùm nolim ego ita intelligi debere hanc regulam, vt putem, non esse ad consultationem vocandos, nisi qui semper sint vnanimes, atque concordes. id certè non dico, nec putauerim aliquam afferre posse vtilitatem. Concordes cõsultantes desidero in iis, quæ ad sanitatẽ ægroti pertinent: quod si in mediis fortasse dissentiãt, ac vnusquisq; rationibus validissimis, nõ contentionis studio, sed veritatis caussa, & ob salutẽ ægroti, suam opinionẽ tutabitur: neq; sint cõcordes in iis ipsis non reprobo, imò fortassis, si ita casus ferant, maximè laudo. ita longè maiorem habiturus est commoditatẽ, senior vltimo loco dicens, ambiguam veritatem conspiciẽdi, ac deliberandi, quid in serio & difficili negotio sit agendũ. Ex virtuosis quidem hisce dissensionibus veritas facilius elucescit, atque ex dissentiente inuicem cõcordia sanitatem adipiscitur ægrotus. Suam nunquã virtus habet pulchritudinem, nisi contrariorum vi agitata. ac vbi inter duos honestæ sunt contentiones, quorum idem consensus, eadẽ conspiratio sit pro sanitate consequenda, semper egregiæ cõsultationes fiunt. Auerem ego in hoc munere adesse duos glorię, & stimulis honestę ambitiõis permotos, qui doctrina experientiaq; sese niterentur superare, ita meo iudicio de ęgroti sanitate optimè ageretur. Sic profecto, consentio Scipionis Aphricani maioris cum Fabio Maximo: Scipionis minoris cum Catone. Liuii Censoris, cum Nerone collega: Epidi cũ Fabio: Aristidis cum Themistocle: Scauri cum Catullo, maximam vtilitatem Reipublicæ attulit. Adde, quod seruile admodũ videtur, quod hodie à quibusdã fieri video, passim assentire. ac, vt inquit Comicus. si ait, aio, si negat, nego. Liberè

Honesta emulatione in consultantibus reqmixit author. Lepidi

Liberè vnusquisq; nullo habito personarum, aut dignitatis respectu, modo tamen id modeste, ac ciuiliter fiat, suam proponere in consultatione opinionem debet.

Tertia Regula.

Qui in eisdem principiis non conueniunt, inuicem consultationem habere non debent.

Explicatio huius regulæ pendet ex iis, quæ proximè diximus. Nam ridiculum omnino fieret collegium inter Medicum Theophrasti Paracelsi discipulū & Hippocratis, & Galeni imitatorem alterum: nam cum non conueniant in principiis, neq; profecto in mediis ad consequendum finem consentient. Neq; etiam dogmaticus cum empirico conueniet. Hic enim rationalem nunquam adhibere potest inuestigationem pro remediorum inuentione accommodatam.

Empirici et Paracelsiani a Rationalium consultationibus excluduntur.

Quarta Regula.

Inter plures consultantes vnus esse debet prior potiorq́, qui totius consultationis summam colligat, dissentientes opiniones componat, & omnia suo ordine disponat.

Qui ad consultationem accedunt, ætate non debent esse pares. quia vbi adest æqualitas, ibi ferè concordia nulla est. Si exempli gratia, sit, qui proponit iunior, atque respondens ætate par, concludens quidem esse debet necessario senior, & opinione omnium doctior, rerumq; vsu clarior. Quibus, si accedat dignitas bonis moribus comitata, iam quidem ad consultationis absolutionem nihil desiderari poterit. Nunquam enim consultatio fit, quin contrariæ adsint sententiæ, remediaq;, & materiæ proponantur diuersæ, si vnusquispiam consultationi non præsit, quem habitura erit finem? erit eiusmodi consultatio quædam scopę dissolutę. Quamobrem optimum est in omni consultatione adesse Præsidem vnum, qui dissentientes opiniones in vnum si fieri possit, componat, quiq; suo quæque ordine disponat, iudicioque ac prudentia moderetur omnia. Eligent hunc vel assistentes, vel ipsimet consultantes. Et ita quidem obseruatum fuisse vsque adhuc, nemo ambigit. Cæterùm contingit aliquando seniorem primo loco dicere: in quo casu, in aliis tum modestiam, tum doctrinam desidero. Aliquid enim ætati condonandum: non tamē ita, vt ægrotis aliquod impartiatur damnum.

v. pag: 449. ☿

Quinta Regula.

Quæ vnanimi consensu in consultatione stabilita sunt, statim executioni demandari debent.

Duæ in omni benè instituta consultatione partes esse debent: vna quidem, vt maturum adhibeatur consilium: maturum voco, quod antea fuerit præmeditatum, quàm expressum. Nihil enim casu, sed quodcunque feceris, antea mature consideratum sit, oportet. Alia pars est executio maturati consilii; quæ nulla interposita mora, fieri debet: nam, vt præmeditatio moram exigit, atque ita maximè vtile est, sic executio nullam exigit. Hoc antiqui dicere solebant adagio, FESTINA LENTE. quod est dictu, executio rei lente consideratæ festinanda est. Solet repræsentari duplex hoc munus consultationis, testudine, ac velis supra illius dorsum tumefactis: Nihil enim potest imaginari tardius ipsa testudine: qua repræsentatur maturum consilium: Nihil velocius motu nauis plenis velis altum mare sulcantis. quibus executio indicatur. Et certè id in omnibus rebus fieri debet, maximè in Medicina, in qua occasio agendi cum sit præceps, si prætermittatur, damnum ægrotis contingere solet irreparabile.

Priusquam incipias consulto; et vbi consulueris mature facto opus est. ait Salustius

Sexta Regula.

Multorum opinio exequenda magis eſt.

Superior Regula vnanimem conſenſum ponebat conſultantium: hæc verò reſpicit diſſentientes opiniones. Sint conſultantes quatuor: quorum tres in vnam conſpirent ſententiam, diſſentiat quartus: exequenda eſt illorum, non huius opinio. Vota enim pro maiori parte exequenda ſunt. id quidem frequentiſſimè contingit in artis operibus, eſtque antiquata conſuetudo ratione confirmata ſic agendi. Olim Galenus conſultationem habuit cum Medicis de hora ſanguinis mittendi: nam de exercendo remedio conuenerant: ille putabat ſtatim mittendum: alii verò reclamabant. Vicit maior pars ſuadens in poſterum diem remittendum. Verba Galeni hoc modo habent ex libro nono methodi medendi:

At cum parem magnitudinem per totam noctem febris ſeruaret, poſtero die viſum eſt Medicis omnibus, qui eum inuiſerant, ſanguinem eſſe mittendum: Diſcordia verò orta eſt de tempore: & vincentibus, qui in ſequentem diem differendam ſuaderent, febris per totam eam diem euidenter viſa eſt vigorem ſuum augere.]

Conſtat ex his Galenum voluiſſe ægroto vacuare ſanguinem vſque ad animi deliquium: vt eum poſtea feciſſe conſtat. abſtinuiſſe tamen tunc, quia maior pars conſultantium differendum ſuaſerunt. Si quiſpiam de me quæſierit, quid agendum, ſi vota ſint paria. Deinde an liceat aliquando hanc regulam peruertere, ita vt magis vnius, quàm plurium exequenda opinio ſit. Reſponderem ad primum. Optimè factum eſſe, ſi plures ad conſultandum, tribus non accedāt, atque vni ſeniori detur ſumma totius conſultationis: ſic omnia rectiſſimè ſuccedent, neque aliquis dari poterit diſſenſioni locus. At, ſi fuerint duo aut quatuor, diſcrepanteſq; inter ſeſe, tunc ad conſultationem alter accedat, qui adhærent alteri, vel vtranque ſententiam componens, litem dirimat. Ad ſecundum verò dicerem, legem hāc peruertere non eſſe tutū: Cum enim maximè ſit variabile humanum corpus, ſi non ſuccederet ex voto remedium, periculum & iacturam ſui nominis non leuem faceret, legem transgrediens. Duas tamen pati exceptiones hanc regulam videtur mihi. vna eſt, ſi non conſtiterit dolo malo alios conueniſſe Medicos, vt contradicerent alteri viro alioquin bono, in artis operibus exercitato, iudicio, & doctrina celebri. Non rarò contingit ignaros quoſdam, & inuidos, non vt rem gratam ægroto faciant, ſed, vt alterum floccifaciant, minuantq; eius famam, contrariam opinionem afferre in medium & concludere. Vtinam non adeſſent multi hodie huius farinæ homines, melius enim de humano genere ageretur. Qui aſſiſtunt, & quorum ſanitas intereſt ægroti, facilè hanc reprimemt ſeditionem. Secundo licebit viro magnæ autoritatis: Nam licuit Galeno contra ſententiam aliorum in principio acceſſionis reclamare ægrotum; licuit eidem venam incidere in muliere admodum gracili reclamātibus ac cōtradicentibus aliis: ſic enim ſcribit libro ſexto epid. ſec. 3. com. 29.

Atqui ego cuidam muliérculæ iam octo menſes purgationis menſtruæ ſuppreſſione laboranti, extenuatiſſima cum eſſet, haud exiguo detracto ſanguine, breuiſſimo tempore proprium habitum reſtitui, ſicut & alias non paucas eodem modo ad ſanitatem reduxi. Sed, quod illi mulieri accidit (neque enim erat ignobilis) fuit valde celebre: ipſi quidem reſciſſa vena, & Medicis ex eo remedio futuram vtilitatem conſtanter polliceri verentibus: Quin etiam nonnulli mihi aduerſari audebant, non ſolum propter mulieris maciem, ſed etiam propter inappetentiam, ex venæ ſectione ſecuturam eſſe noxam affirmantes.]

Lege, quæ nono methodi, ac decimo idem author ſcribit: in quibus inuenies, non modo quæ diximus ita ſeſe habere, ſed etiam eundem authorem nulla habita aliorū Medicorū ratione, omnia ex propria voluntate inſciis etiam illis adminiſtraſſe. Verum meminiſſe iuuabit hunc fuiſſe Galenum. Sed ſatis, multa diximus de legibus

De

Cap. XIII.

De Medici proponentis officio.

QVI primus in consultatione dicit, proponere debet, de quibus sit consultandum, atque deliberandum. Eiuscemodi proponendi munus, duo potissima, nisi fallor, respicit. Primum, quæ verè ac propriè: mox quæ secundum vulgatam consuetudinem, abusiuè tamen, ad ipsam consultationem pertinent. Propriè consultantis munus est,, dubia, ac incerta proponere in ea materia de qua agitur, vt si de medica re tractatur, proponenda sunt remedia, aut eorum materia concernentia vel curationem morborum, vel præseruationem neutrorum, vel conseruationem sanorum corporum, vel mixtam aliquampiam ex his actionibus. Porro abusiuè ad consultantem pertinet, cum ex actionibus Medicis proponitur aliqua, non, vt dubia remedia, & eorum materia duntaxat inuestigentur methodo, sed potius vt rationem reddens, suæ, quod dici solet, vellicationis, Historiam narret diligenter, explicetque, quæ ab illo acta sunt, & quæ post hac, eius iudicio, pro consequendo fine, exerceri debeant, etiamsi nullam dubitationem, ac incertitudinem habeant. Hoc certè non est consultare, si vera sunt, quæ supra ex Aristotele posuimus principia, sed narrando acta, & agenda, methodum quandam vel curandi, vel præseruandi, vel conseruandi pro more docentis, afferre. Idcirco qui hanc rationem inire consultandi voluerit, obseruare debet præcepta, quæ ab aliis doctissimè fuerunt proposita, quæ in hisce capitibus comprehensa sunt. Primo loco Historiam, quam casum vocare solent, & diligenter, & fideliter afferre debet in medium. Secundò naturam affectus, cuius proposita tractatio est. Mox afferendæ sunt omnes caussæ: Deinde ratio cognoscendi naturam, & caussas abditas, explicari debet, quod signis demostratiuis perficitur. Nonnulli quinto loco agunt de prognosticis: alii verò indicationes proponunt: & sexto loco de prognosticco edisserunt. ego vtra harum opinionum sit potior, explanare nolo, cum de hac ratione consultandi non agam. Explanatis indicationibus, inuestigant postremo loco materiam medicam: eamq; ex Diætetica medicinæ parte, ex Chirurgica, & ex Pharmaceutica depromunt: sic suas consultationes, seu potius discursus, aut lectiones finiunt. Porrò, qui verè consultat, prætermissis quæ extra rem faciunt, sermone statim prosequatur necesse est, de quibus instituenda sit consultatio, & caussam consultationis reddere, quæ ambiguitas est, atq; incertitudo alicuius remedii pro fine consequendo inuenti. Deinde suam sententiam proponat, quam primum rationibus, mox experientia, tertio autoritate illustrium Medicorum confirmabit, aut omnibus, aut quibusdam pro natura subiectę materiei. Verũ si ambigat ille de remedio, ingenui hominis munus putauerim, si indicauerit sese deliberationem collegis remittere: hæc autem, quod ad eius fieri potest, breuissimis prosequatur, tum ne tempus conterat, vbi opere indigeamus, tum etiam, vt aliis detur consultandi locus. Hæc vera est, nisi fallor, consultandi ratio, qua omnes veteres, præsertim verò Galenum, & Aristotelem vsos fuisse non dubito. Cæterùm, quo hæc fiant illustriora, exemplum afferamus.

Cap. XIIII.

Exemplo remedii pro elephantiasis curatione, munus proponentis Medici declarat.

PROPOSITA sit, exempli gratia, elephantiasis incipientis, aut certè non admodum confirmatæ curatio, quæ pro fine consultationis supponenda est, vt in principio huius tractationis dicebamus: diligens, ac prudens consultator in hunc ferè modum exordiri poterit:

quoad

Conuenimus in hunc locum, Doctores Clariſſimi, vt incipientem, aut ſanè non adhuc confirmatam in homine nobiliſſimo, elephantiaſim ſanaremus. Verùm, quia pro hoc fine conſequendo, vinum ex viperis paratum à D. N. Medico omnibus numeris abſolutiſſimo, maximè commendari audio: ego tamen, cui data eſt ægroti cura, de illius adminiſtratione plurimum ambigo, veſtrum deſiderans iudicium, vos conuocari iuſſi, vt communi conſilio, vltro citroque rationibus propoſitis, de re ancipiti, ac magni, vt ſentio, momenti, deliberaremus. Interim ſuppono, naturam huius affectus conſiſtere in calida & ſicca totius intemperie cum humoribus aduſtis, & malignis ex omnium Medicorum conſenſu. Quatuor igitur cauſſæ ſunt, quæ hoc remedium ſuſpectum mihi reddunt, quarum prima ſumitur à natura morbi. Quia, vt ſimilia ſimilibus conſeruantur, ſic contrariorum contraria ſunt remedia. Vinũ ex viperis contrariũ nõ eſt morbo, ſed ſimile, vt puta, calidũ & ſiccũ, duplici nomine, & quatenus vinũ & quatenus viperas recipit: affectus autem calidiſſimus hoc remedii genere maximè exaſperabitur: ſicque non fiet morbi curatio, ſed conſeruatio. Secundò cœli ſtatus ab hoc remedio abſtinendum indicat. Etenim Aer nos ambiens diuiſus in particularem cœli ſtatum, regionem, & anni tempus, tertius eſt ſcopus curationem indicans, vt Galenus ait nono methodi medendi. At ſi conſideratur, vt cauſſa vel ſalubris, vel morboſa ſub morbo comprehenditur, & naturali temperamento. ſi contrarius fuerit morbo, cauſſiſque morbum efficientibus, pro ſumma haberi debebit gratia, fitque ſalubris cauſſa: ſi concors extiterit, morbificam augebit cauſſam. Iam verò adſunt in ambiente, quæ morbi magnitudinem augent: Anni tempus æſtiuum, & caniculæ proximum: cœli conſtitutio, ſi quæ aliquando talis fuit, omnium calidiſſima regio etiam admodum feruida, qualis eſt Picena maritima propè ſiticuloſam (vt Horatius vocat) Apuliam. idcirco ambientem contemperare oportebit frigidis, ac humidis, & ſumptis, & admotis, alioquin non mediocre ſumeret morbus incrementum. Sed qui vinum bibit ex viperis, hic quidem non contemperat ambientis iniuriam, ſed maximè adauget. Tertia cauſſa ſumitur ab habitu corporis & naturali temperamento ægroti. Gracilis corporis habitus indicat humectationem, & inſtaurationem, vt puta, qui minetur tabem: præſertim, quia cum calido, & ſicco temperamento corporis, totius præſertim iecinoris coniunctus eſt. Verùm fieri quidem non poteſt, quin ex potu vini ex viperis comparati in dies non incidat in deteriorem ſtatum. Poſtremò ipſarum viperarum natura me omnino dehortatur: hæ non ſolum calidæ & ſiccæ ſunt, ſed etiam venenoſæ: at non licet, meo iudcio venenoſum adminiſtrare præſidium, vbi tutiora ac longe faciliora ſint ad manus. Cauſſas audiuiſtis, cur dubitem. Si verò liceat mihi proponere quid ſentiam, breuiſſimis dicam, in quibus putem potiſſimum conſiſtere curationis fundamentum. Sunt frequens expurgatio corporis ab humoribus acribus exuſtis, qualem me hactenus feciſſe noſtis. decreui etiam ſequenti Autumno ſanguinem melancholicum vacuare ſecta vena interiori cubiti ſiniſtri, & ex hæmorrhoidibus. Deinde æſtiuis hiſce temporibus vellem vti (ſi vobis videbitur opportunum) balneo aquæ dulcis, ſero lactis caprini, & lacte aſinino. illud extrinſecus refrigerare, & humectare intemperiem calidam, & ſiccam poterit totius corporis: gracilitatemque emendare, atque, vt morbo contrarium, ſi non ſanare, ſaltem multum prodeſſe ſæuiſſimo huic morbo. Serum lactis ad libras ſex, aut ſeptem bibitum diebus quinque, aut ſex continuis tum refrigerabit, tum purgabit humores acres. Lac autem tabeſcens ferè corpus renutriet, humores acres retundet, nouos regenerabit contemperatos. Atque ita intrinſecus & extrinſecus hunc morbum oppugnabimus generoſis hiſce remediis. Dixi quid ſentiam, iudicare, ac deliberare veſtrum eſt.

CAP. XV.

De Medici reſpondentis officio.

Nunc

NVNC de officio agamus Medici respondentis. Si verò non fiat consultatio, sed potius colloquium inter Medicos, vt hodie fieri consueuit, officium respondentis erit multiplex, pro eorum scilicet varietate, quæ à primo consultante fuere proposita. Hic primùm repetere non debet historiam: sed illius relationi fidem omninò adhiberi, vt plurimum, velim. Dixi, quidem vt plurimum, quia tunc certè adhibenda non est, cum constiterit dolosè fuisse confictam, vel in ægroti perniciem, vel in consultantium fraudem. Noui multos, qui cum in ipsa curatione maximè aberrassent, vt seipsos excusarent, modo suo confinxerunt historiam. Tunc quidem absurdum non fuerit, aliquid fortassis dicere non sine præmeditatione: Etenim considerandum est, an vtilitatem ægroto afferre debeat detegere eiuscemodi fraudem: an verò detrimentum, aut certe nihil sit vtilitatis allaturum. Detegenda est omnino fraus, vt commodo inseruiamus ægroti: at occultanda, & dissimulanda prorsus in casu contrario. atque in hoc obeundo munere ita sese gerere debet respondens, vt optimè appareat morigeratus: modestè scilicet veritatem explanet historiæ, magisque excusando, quam incusando socium: eandem velim obseruari regulam in iis, quæ fuerunt proposita circa naturam, caussas, & & alia eius generis. Pone aberrasse illum in morbi natura inuestiganda, aut caussis, modo non aberret in remediis, materiaque remediorum, equidem putauerim fore dissimulandum: nam si apertè voluerit redarguere. & alter se ipsum tueri, disputantes inuicem, altercantesque, occasio exercendi remedia præteribit, & ægrotus morietur non sine maxima artis infamia. Illud sanè videtur mihi prudentis Medici consilium, conniuere, & assentire, vbi de rebus agitur, quæ nullius momenti sunt ad sanitatis consecutionem: Verùm si ita expedire aliquando videatur illi, non conniuendum, opinionem proponat suam, nec aliqua ex parte arguat consultantem, imò nec aliquam (si ita expedire iudicauerit) opinionis illius mentionem faciat: in hunc profectò modum sese gerens, vitabit rixas maximè humano generi perniciosas. Cæterùm si error circa remedia, & eorum materiam contingat, aliud sentiendum est. Hæc enim contingunt ægrotum, quæ maximæq; caussæ sunt sanitatis, vt Galenus dicebat libro vndecimo methodi medendi, capite primo: ideoq; conuenienter administratæ salubres caussæ fiunt, non conuenienter morbificæ. Tunc certè duxerim non esse dissimulandum: sed propria morbi remedia, citra fastum, ac superbiam ex rei natura proponat necesse est.

Duobus autem modis id accommodatè fieri potest. Vnus est, si publicè reprobauerit remedia à collega suo proposita, anteaquam alia afferat in medium: quod ita facere debet respondens, vt manifestè appareat non admittere doctrinam ob salutem ægroti, non autem ipsam insectari personam, alius, si inuolutis silentio proponentis auxiliis, suam opinionem attulerit. Sed hic modus non nihil habere videtur contumeliosi, cum pertineat ad eam iniuriæ speciem, quæ fit per neglectum. Tamen prudens consultator consilium, vt dicitur, capiet in arena.

Loquamur nunc de vera cõsultatione; Respondens breuiter dicere suam opinionem debet: Quæ vel est eadem cum opinione proponentis, vel diuersa. Si eadem, sine fuco, & fallaciis statim adhæreat illi, nihil addat, nihil minuat: nisi forte aliis mediis confirmare voluerit, hoc enim fieri nihil impedit. At vbi dissentiat, suam declaret sententiam, vt liberè sic modestè, vt vnusquisque noscat alium propositum non esse finem, quàm ægrotis prodesse. Atque vt in exemplo supradicto stemus, poterit respondens suo muneri satisfaciens habere cum aliis consultationem hoc ferè modo.

CAP. XVI.

Exemplum, quo ostenditur, vinum viperinum maximè conuenire in elephantiasi.

CONTROVERSVM videtur, an elephantico vinum ex viperis præparatum concedi debeat. Circa quam materiam audiui, quid dixerit D.N. atque, licet eius opinionem validiſſimis firmatam rationibus, cognoſcam: adhuc tamen in eadem ſententia perſiſto. Ipſum ſcilicet vinum viperinum, materiam eſſe remedii ſanantis elephantiaſim: vt igitur meo ſatisfaciam muneri, & ægroto vtilitatem afferam (hic enim præcipuus ſcopus eſt) primum affero cauſas, cur ita ſentiam, mox experiar, an ſatisfieri poſſit contrariis rationibus. Opinionis igitur meæ fundamenta tria ſunt: vnum à morbi natura, aliud à vini huiuſce qualitatibus ſumitur, tertium ex autoritate pendet. Quod attinet ad primū, rectè quidē dictum fuit, hunc affectum ex intemperie calida, & ſicca cū humorum aduſtorum & acrium copia originem ducere. ſed niſi decipior, natura rei non conſiſtit in qualitatibus hiſce manifeſtis: quia elephas non lædit, quia calidus, aut ſiccus, aut frigidus, aut humidus: ſed, quia totius ſubſtantiæ proprietate nobis infenſus eſt. Id conarer in præſentiarum perſuadere, ſi arbitrater, oportere. At cum ſciam eſſe vos in omni ſcientiarum genere exercitatiſſimos, præſertim vero in iis, quæ ad medicinam pertinent, latere nihil, omnesque Medicos in ea re cōuenire, ſupponere placet, atq; ex hoc ipſo neceſſariam noſtræ aſſertionis rationem deducere. Morbus totius ſubſtantiæ, non ſanatur niſi à remedio contrario morbum oppugnante eadem totius ſubſtantiæ proprietate. Elephas igitur cum ſit eiuſcemodi morbus ſanabitur duntaxat remediis à tota ſubſtantia contrariis. ergo quæ frigida, & humida ſunt, quæ humorum acrimoniam obtundunt, quæ gracilem habitum corporis impinguant, non quidem poſſunt illa ſanare elephantiaſim, ſed vel gracilitatem corporis, vel atrophiam, vel humorum acrimoniam, vel aliud quidpiam illi coniunctū, quod morbum ſæuiorem facit.

Nunc accedo ad vinum è viperis paratum, ac rationari ſic volo. Vniuscuiuſque morbi ſua eſt, & propria contrarietas ex Galeni ſententia lib. vndecimo methodi medendi capite ſecundo. Elephas vnus eſt, atque determinatus morbus: vnam igitur habebit particularem cōtrarietatem, quæ ſanationis cauſſa erit. Verum contrarietas hæc non conſiſtit in qualitatibus manifeſtis, vt iam diximus, ſed in tota ſubſtantia. Ergo remedium ſanans elephantiaſim contrarium eſſe debet totius ſubſtantiæ proprietate. At certè aliud non eſt, hoc remedium, quam vinum ex viperis præparatum, aut earundem viperarum caro. idcirco tum hoc vinum, tum carnem viperarum vſurpare debemus. Duo ſunt huic rationi faciētia fidem, experientia, & autoritas Galeni. Neminem eſſe arbitror, qui neſciat, viperam habere hanc facultatem innouandi ſpolium antiquo relicto: imò hoc proprium eſt omnium ferè ſerpentum. Indicatio pro ſanando elephante potiſſima eſt, remouere totam ſuperficiem corporis, tanquam corruptam, diſſolutis ex ipſa humoribus malis, & venenatis, & horum loco ſubſtitutis nouis. cum igitur viperæ hanc facultatem habeant efficiendi in ſe ipſis, rationi conſonum eſt, eandem habere in aliis.

Galenus verò hanc litē dirimere videtur mihi, dum hiſtoriam refert elephātici ſanati à vino, in quo ſuffocata fuit vipera. eam, non ſolum, quia ſcitu iucunda eſt, ſed etiam quia noſtro huic negotio maximè vtilem duco, referre vobis placet. illius verba in hunc modum habent.

Quod autem totum corpus per cutem euacuent Viperæ, diſcere tibi liceat, vel ex iis, quæ ego iuuenis etiamnum in Aſia noſtra ſum expertus, quæ ſigillatim narrabo. Homo quidam morbo, quem elephanta cognominant, laborans, aliquò vſque cum ſodalibus conuerſabatur, donec ex ipſius conſuetudine cōuerſationeq;, quidam noſtrum morbi inficerentur contagione: at ille iam odoratu grauis, ac fędus redderetur aſpectu: cōſtructo igitur illi tugurio proximè vicum in iugo collis propter fontem, illic hominem collocant: tantum illi quotidie ciborum ferentes, quod vitæ ſubſtinendæ ſatis foret. Cæterum ad canis exortum, cum fortè meſſoribus haud procul inde metentibus vinum eſſet allatum in fictili ſanè quam flagrās, is quidem, qui attulerat, depoſito illo propè meſſores abiit.

Verùm

Verùm vbi eius bibendi aduenisset tempus, sublato fictili adolescēs, vt pro more impleto cratere competente aqua, vinum temperaret, in cratera vinum effudit, & vna excidit vipera mortua, quare attoniti messores veriti, ne quod si bibissent, inde sibi malum advenisset, suam quidem sitim aquæ potione sedare maluerunt, cæterùm cum illinc abscederent, quæ humanitate videlicet ac misericordia, homini illi elephantiasi obnoxio, vinum largiuntur, rati expedire illi potius mori, quam viuere ea miseria: at ille cum bibisset, mirum in modum sanitati restitutus est, nam tuberosum illud omne cutis totius, non aliter quàm animalium, à testis mollicie nuncupatorum malacostracon, tegmen decidit, quod autem reliquum erat, molle apparuit, instar cutis cancrorum, & locustarum (scarabos Græci vocant) vbi extima testa fuit detracta] hactenus Galenus. qui etiam consimilem historiam narrat ibidem in Myssia Asiæ contigisse propè vrbem, ex quibus illud manifestissimum esse potest, vinum ex viperis magnam huic morbo vtilitatem afferre, ac propterea non sine ratione atque authoritate illustrium Medicorum, me ægroto non proposuisse eiuscemodi vinum. imò idem Gal. lib. 2. ad Glauconem carnem viperarum elephanticis edendam præbet, ad cuius imitationem recentiores Medici, vbi copia non subsit viperarum, exhibere solent carnem serpentum alborum, quos carere veneno perhibent.

Hæc si vera sunt, difficile non fuerit respondere rationibus contrarium persuadentibus. Omnes enim, nisi fallor, in hoc inhærent fundamento, quod scilicet Elephantiasis affectio sit calida & sicca, nihilq; aliud recognoscunt in huius natura. At, ego primum dico morbum esse à tota substantia humano corpori obnoxium: deinde verò licet adsit calida, & sicca intemperies, hanc in curatione secundo quodam loco esse considerandam. propterea nō mediocriter iuuare viperas, non quatenus calidæ & siccæ sunt, sed quatenus facultatem habent huic morbo contrariam. Dixi quæ mea sententia sit in ambiguo negotio. Vestrum modo erit iudicare.

prœ, rectius legendum arbitror.

Nota.

Cap. XVII.

De vltimo loco dicentis officio.

CAETERVM quod esse debeat vltimo loco dicentis officium, licet ex superioribus facile colligi posse videatur, hic tamen dilucidioris doctrinæ gratia breuiter addendum, ac etiam, quod in aliis fecimus, exemplo illustrandum. Primum itaque illud videtur ad hunc præcipuè pertinere, vt dissentientes, si quæ adsunt, opiniones, reddat, quo ad eius fieri potest, concordes: nihil enim in arte medica detestabilius putauerim, quàm ex ipsa consultatione discedere Medicos minimè concordes: hoc quidem passim vitio verti solet illis, ægrotos, nempè, interire, cum obstinatè litigant: hoc igitur præcipuū sit munus. Quod, si id efficere non possit, alteri adhærens opinioni, eamque confirmans, æquum saltem iudicem sese præbebit. Si plura deinde proposita remedia sint, disponat singula in locum suum, si admitti debeāt omnia: quæ verò admittenda nō sunt, aut reprobabit, aut saltem tacitus præteribit. Quod, si quædam nouerit vtiliora, & in rem præsentem magis accommodata, ea quidem proponet: atque hoc munus sit eius, qui vltimo loco dicit.

Cap. XVIII.

Exemplum, quo remedia, & eorum ordo pro sananda Elephantiasi proponuntur.

LICET de exhibendo vino ex viperis parato huic Elephantico, videamini discordes, ego tamen, dum quæ à vobis doctissimè in vtranque partem disputata sunt, diligenter considero, nullam inuenio dissensionis caussam cum

veſtrum vtrunque optimè ſentire putem. Nam certè negari non poteſt, quin
eiuſcemodi vinum Elephantiaſi conueniat, cum non modo Galenus, ſed o-
mnes vnanimi conſenſu Medici proprietate totius ſubſtantiæ vtiliſſimum eſſe
profiteantur. Ex alia tamen parte vrgent quædam maximi momenti. In com-
plicatis morbis, vbi contrariæ ſeſe offerunt indicationes, incumbendum eſt ei,
quod magis vrget, aliis minimè neglectis: ſemperque debet generoſus Medi-
cus cauere ne obſit ægroto, vel ſi id fieri non poſſe nouerit, ſaltem curabit, infer-
ri damnum leue admodum, in relatione ad vtilitatem, quam ſecuturam
cognoſcit maximam. Affectus hic cum habitu corporis admodum gra-
cili complicatus, cum caliditate iecinoris calida & ſicca, quæ poſtea multò ma-
ior redditur, ab atra bile elephantiaſim concitante. (ita enim ſupponitis, quod
licet fortaſſis controuerſum eſſe poſſit, admitto tamen in hoc caſu) ita vt non
rarò manifeſtè febricitet, admonet nos, vt cauti ſimus in vſu pharmacorum
calefacientium, & exiccantium, ne ſcilicet contendentes ſanare elephantiaſim
(dum tamen ſanari poſſet,) vel ſtatim ardente febre ſubſequente hominem oc-
cidamus, vel certè febrem in habitum, torridumque maraſmum inducamus.
Aer porrò ambiens, quantas vires habeat, ex Galeno conſtat primo ad Glauc.
cap. 14. ac vobis notiſſimum eſſe ſcio, præſertim, ſi tres conueniant cauſſæ in v-
nam intemperiem, cœli ſtatum conſtituentes, quæ morbi vehementiam auge-
ant, opus eſt magna cum præmeditatione eiuſcemodi remediis vti. Cum igi-
tur adſint duo, intemperies calida, & ſicca, cum humorum aduſtorum copia:
atque totius ſubſtantiæ morbus, hac ęſtate abſtineamus à potu vini ex viperis, &
ab earum carnibus, vtentes refrigerantibus, humectantibus, & renutrientibus
nempe balneo dulcis aquæ, potu ſeri pro expurgatione, & lactis aſinini pro nu-
tritione totius corporis. Atque vbi fuerit acrium humorum expurgata co-
pia, mitificata qualitas, & inſtauratæ vires, Autumno exhiberi poterit menſe
potiſſimum Octobri, vinum ex ipſis viperis præparatum: circa cuius tamen v-
ſum, liceat mihi dicere, quid obſeruauerim, nihil confido, quicquid Galenus
dicat. Nam cum bis adhuc experiri contigerit mihi remedium, nunquam
fi ri voti compos potui. Paucos (fateor) poſt dies cutis extima ſquamas, & furfu-
res remittit, quaſi iam elephas degenerare videatur in aliud morbi genus, vide-
turq; iuuare per initia hoc remedium, ſi ſolius cuticulæ rationem habeas: ſed
neque viſcerum conſtitutio melior fieri, neque tubera verucoſa intermori, ne-
que craſſeſcentis cutis deformitas emendari cernitur. Sed pernicies illa, poſt v-
ſum viperarum, & vini earundem è viſceribus multo maiore, quàm vnquam
impetu in cutē remeans omnia ſymptomata exaſperat, putredinem auget, cum
odore totius corporis fœtidiſſimo. Neque perturbet nos Galeni hiſtoria, quia
neque fortaſſis in eo ęgroto fouebatur morbus ab humore tam acri: magnam e-
nim (vt noſtis) latitudinem habet in eo quod magis, ac minus, neque cœli ſtatus
adeo calidus, & ſiccus erat. Deinde longè diſtat habitus ab habitu, & tēperamē-
tum à temperamento. Si gracilem habuiſſet habitum, & calidum & ſiccum in-
temperamentum, non fuiſſet vtique ægrotus ex potu illius vini ſanatus. Quod
attinet ad remediorum ordinem expurgato corpore ab humoribus acribus, &
aduſtis, ex vnc. iij. ſyrupi de ſena ſolut. & vnc. ſ. confectionis amech, & de co-
ctionis ex epithimo vnc. ij. nō anteaquam, vbi & mitificata fuerit acrimonia hu-
moris, & præparatum corpus, & attenuati humores craſſi. Ducerem ægrotum
in balneum aquæ dulcis, in quo ſpatio horæ dimidiæ permanens, bibat lactis a-
ſinini vnc. v. ſtatim emulcti, continuetque diebus viginti Prandium ſit leue, ex
ſolo ſcilicet cremore ptiſanæ hordeaceæ, cœna vberior. hæc fient vſq; ad vige-
ſimum Iulii. Vigente cane darem illi bibendum ſeri caprini præparati, Dioſcori-
dis conſuetudine, vſq; ad ſex dies, aut octo, libras nouem quotidie ante cibum
horis quinq;, cuius ſi non ſit copia, pro ſero exhiberem aquas Lucenſes de Vil-
la nuncupatas. & poſt huiuſcemodi potum rurſus eodem pharmaco purgarem.
R liquum æſtatis cum autumni principio ſine medicamentis tranſigerem, cō-
tentus ſolo victu refrigerante, & boni ſucci. Porro in Autumno rurſus præpa-
ratis

ratis & expurgatis humoribus, ſanguinem vacuarem & ex cubiti vtriuſque interiori ad lib. s. pro vice: ac rurſus interpoſitis diebus ex vtroque poplite, ac etiam ex hæmorrhoidibus: & poſtremò ex cutaneis partibus. Mirum eſt, quàm ſoleat recreari natura in elephantiaſi ex hac vacuandi ratione. Tunc tempus erit opportunum experiundi vinum è viperis. Prius vellem ægroto dari theriacam; mox gallinas altas hordeo cocto cum viperis hoc modo. Abſciſſis capitibus, & caudis viperarum, atque exenteratis, & lotis ex vino aromatico, decoquerem illas in aqua cum hordeo, quo poſtea gallinas alerem, donec implumes euaderent: iis gallinis nutrirem hominem, donec pili omnes & comæ defluerent, & craſſior cutis remitteret ſquamas, & furfures. Si videretur poſtea dare vinum, non diſpliceret, modo tamen pararetur ex lib. 64. vini odorati, in quo duæ viperę fuerint ſuffocatæ. Non eſt autem ad eiuſcemodi remedia accedendum ſine prædictione. quia morbus hic rebellis admodum nullis cædere ſolens remediis ludibrio eſt Medicis: ſic non adſcribetur nobis, quod morbi vehemẽtia contingit.

Non prætermittam elephantiaſim præ aliis longis morbis remediorum varietate, & viciſſitudine maximè gaudere. ſuntq́; in hoc affectu, ſi quo in alio ab omnibus remediis intermiſſiones, & induciæ concedendæ ægroto: deinde ad priora reuertendum. eſtq́; adeo neceſſaria nouorum remediorum administratio, vt putẽ vix conualiturum aliquãdo elephanticum, qui in vno remedio, ac eo quidem generoſo ſpem ſuæ collocauerit ſanitatis. Ideo prudentes quidam viri, & experientia clariſſimi præ cæteris, quorum in ſuperioribus facta mentio fuit, multum cõfidunt in catapotiis ex argento viuo, quorum afferre vobis compoſitionem placuit. ſic enim habent.

Rec. argenti viui vnc. s. cum panis adhuc calentis medulla manibus diu ſubige: vt in eam plumbaginem deponat, purgatum deinde hydrargirum, in ſucci limonum momento, & olei è mirrha arte chymica deprompti vnc. s. exacte miſceto, adiecta therebẽtinæ Venetæ aqua roſata elotæ drach. 1. tum adde auri puriſſimi eodem artificio chymico in tenuiſſimum pollinem redacti, vel ſi deſit, foliorũ auri vnc. 1. ambaris ſcrup. 1. pulueris electuarii diamarg. frigidi, & electuarii trium ſantalo, ſimplicis vtriusque drac. 2. fingito maſſam, cui ſequentis magmaris vnç. 1. s. admiſceto. Rec. foliorũ ſenæ elect. lib. 1. reubarbari in fruſtula diſſecti vnc. 4. Radicis aræfactæ hellebori nigri vnc. 1. Diem vnum œnoſtagmate macera. quod dein exime, ac ſepone, atque aliud affunde: idq́; rurſus transactis duodecim horis, expreſſum cum priori miſceto, & vitreo vaſe exceptum in diplomate exhalare curato: atque relictum magma ad vſum ſeruato. Huius cõpoſitionis. drach. s. dabitur quindecim alternis diluculis tribus horis ante cibũ, idq́; alternis menſibus, interiecto balneorum, & aliorum omnium præſidiorum deſcriptorum vſu.

Pilulæ ex argento vivo.

CAP. XIX.

Dictorum epilogus

HACTENVS igitur, vir clariſſime, explanauimus, an in Medicina fieri Cõſultationes debeant, quid ſit Medica conſultatio. Quæ illius materia ſit, quo tempore conſultandum, & quibus inſtrumentis media, pro conſequendo fine neceſſaria, inueſtiganda ſint. An expediat expreſſam fieri conſultationem, quæ regulę à conſultantibus obſeruandę ſint: Quale ſit Medici proponentis, reſpondentis, & concludentis officium, quæ ſummam tractationis huius complectuntur. Hæc, ſi tuo iudicio, quod exactiſſimum eſſe ſcio, placuerint, erit mihi adeo gratum, quam quod gratiſſimum. Tu interim valetudinem tuam curato, & me viciſſim ama.

IOANNI FRANCISCO SANCTIO CINGVLANO ROCHAE CONTRADAE MEDICO, DISCIPVLO AMANTISSIMO.

PESTIS *variæ ſignificationes ex Galeno, & Hippocrate afferuntur. Oſtenditur ex regulis Methodi diuiſiuæ, & ex Hippocrate, non peſtem*

modo, sed omnem etiam Pestem esse febrem. Omnem morbum propriè acutum, aut febrem esse continuam, aut eam habere annexam. Rursus, quomodo pestis non sit febris. & febris pestilens sine peste cōtingat. Maximæq́; difficultates in hac materia contingentes explicantur. Pro eorum defensione, quæ olim scripsit Augenius in principio libri primi de præseruatione à pestilentia.

ACCCEPI literas tuas, charissime Sancti, quæ fuerunt mihi duplici nomine iucundissimæ. Primum, quod te, coniugem, omnemque familiam benè valere audierim: Deinde, quod rursus mecum agas de nostris rebus: idest de iis, quæ ad Medicinam pertinent. Ago tibi gratias immortales, quod meam contra Cinicos illos, homines verè perniciosissimos, defensionem susceperis. Sed, quæso non cures, quicquid blaterent: iis enim non respondere, magis gloriosum puto. Quæ scripsi de Peste, & pestiferorum affectuum curatione, videntur mihi ita firma habere fundamenta, vt leuibus subuerti machinis non valebunt. Id num verum sit, nunc experiar, hac tamen lege, ac pacto, vt hanc epistolam legendam illis præbeas, qui meam doctrinam cum Galeno, & Hippocrate non esse consentientem profitentur: admoneasque, vt respondeant, quod erit mihi gratissimum. Sed ne ordinem desideres, declarabo tria. Primum, quid nomine Pestis sentire debeamus. Deinde, quomodo Pestis comitem habeat febrem, & quomodo non habeat. Postremo loco satisfaciam omnibus dubitationibus, quæ in proposita disputatione plures, ac arduæ proponuntur.

Suppono igitur nomen Pestis, ac pestilentiæ, secundum communem omnium scriptorum sententiam, idem significare: propterea nos in hac tractatione promiscuè vtemur vtroq; nomine. Tres igitur inuenio apud Hippocratē & Galenum harum vocum significationes. Vna est, qua notamus constitutionē pestiferam, siue anni statum pestilentibus morbis obnoxium. Videtur mihi meminisse notionis huius Galenus sexto epidem. sectione septima, cum inquit: In pestilentia, quamuis morborum omne genus excitetur, hos tamen magis, illos minus conflictari scire cōuenit, prout antecedens caussa præsto esse videatur.] hæc verba alium habere nequeunt sensum, quàm quod in pestilenti anni statu, omnia morborum genera vagantur. Sic etiam quando idem author 3. epidē. sect. 7. com. 57. inquit: Febrem pestilentem corripere mortales, citra pestem,] vult quidem citra constitutionem, aut statum anni pestilentem, aliquando mortalibus febrem pestilentem facere negotium, quemadmodum ex primo de febrium differētia constat, vbi ait: Febrem pestiferam aliquando contingere ab humoribus ad putrescendū paratis. Alio modo sumitur hæc vox pro congerie, siue syndrome omnium morborum cōtingentium in constitutione pestilenti: secundum quam significationem primo de rat. vict. in morb. acut. cō. 9. scribit in hūc modum. Ostendit hac oratione Hippocrates multos morbos vno tempore fieri, quos, si perniciosi fuerint, pestem appellant, sin minus, altera quapiam indicant appellatione.] Ecce pestem vocari à Galeno multorum morborum concursum, aut multos morbos, vt ille inquit: ad hanc significationem etiam pertinent, quæ scripta reliquit 3. epidē. sect. 3. com. 20. dum ait: Vnus de vulgaribus morbis & ipse pestilēs est: neque enim certi est morbi nomen vulgare, vel pestilens, cæterum quicūq; vno in loco multos simul inuaserit, vulgaris hic vocatur: qui simul si hoc habeat, vt multos perimat, pestis est] hæc ille. ex quibus manifestissimū fit, omnes morbos vulgares nuncupari posse pestem, quando simul perniciosi sint. Me non fugit alios etiam inueniri locos quamplures, quos de industria prætermitto, quia eiuscemodi significationem nullam habere difficultatem arbitror. Tertia significatio est, qua significamus vnum quodpiam morbi genus, ac præcipuum ex multis in constitutione pestilenti, aduieniens, nempe febrem pestilētem: ita vt idem sit pestis, quod febris pestilens; vel febris epidemialis ab aeris putredine, aut inquinamento, quod μίασμα Græci dicunt, potissimum causata.

Multa hic facere difficultatem videntur: primum postremam hanc significationem Hippocrates aliquando admiserit: secundò, an Galenus adstipuletur: tertiò, aneo nomine intelligere oporteat febrem communem, vulgarem, perniciosam. hæc sigillatim, ac breuiter à primo exorsus, declarabo. Hippocrates libro de Flatibus habet hæc verba:

Sunt autem febrium genera duo, vt hoc quoque nunc attingam, quorum alterum commune omnibus pestis appellatur: Alterum propter malam diætam priuatim his contingit, quia ea vtuntur. Vtriusque autem generis aer author, & caussa existit.] Hæc Hippocrates. Ex hoc ipso contextu euidentissimum fit, Nomine pestis illum denotasse quandam febris speciem distinctam ab ea, quæ priuatim ob malam diætam contingit. Sunt, qui hunc Librum non admittunt inter legitimos Hippocratis libros: inter quos vnus extitit Franciscus Valleriola (cui ego in Schola Taurinensi successi) qui doctas in eum librum annotationes fecit, quem ex recentioribus Medicis nonnulli postea sunt imitati. Nolo in hac re mordicus contendere, sed certè hoc profiteri placet, eo in libro contineri multa, quæ tanquam legitima à Galeno, & passim in hanc diem vsque ab omnibus admittuntur: eiuscemodique hanc existere sententiam non ambigo, cum à Galeno recipiatur pro legitima. Sed quod facere maximè videtur ad propositum tractationis meæ, inficiari nemo potest, pestis vocabulum ab hoc authore Græco, siue fuerit Hippocrates, siue Thessalus eius filius, siue alius quispiam dignus illius doctrina, sumi pro febre pestilenti: hoc enim potissimum persuadere conabar. Quia igitur hæc sententia tanquam Hippocrate digna recipienda est, concludamus tertiam significationem huius vocis complecti pestilentem febrem. Liceat mihi parum digredi hoc loco. Quidam enim, cuius lucubrationes ad manus meas nuper venerunt, ex hoc Hippocratis loco putat, non deduci omnem pestem esse febrem: sed, quod aliquando pestis sit febris. Verùm quia contradicit hoc nostris principiis, idcirco hanc rem examinare volo in tui gratiam diligentius. Inquiunt illi. Si propositiones formare voluerimus, vt ad Dialecticos diuertamus, iuxta regulas libri περὶ ἑρμηνείας, non erunt aliæ, quàm hæ duæ. Aliqua febris est pestis, aliqua febris non est pestis: quæ sunt duæ sub contrariæ, ambæ veræ. quarum contradictoriæ sunt ambæ falsæ. nulla febris est pestis. omnis febris est pestis. si quis igitur hinc deducat, omnem pestem esse febrem, vel cum febre. Sic argumentabitur à particulari affirmatiua ad suam conuersam vniuersalem, quod non licet, aliqua febris est pestis: ergo omnis pestis est febris. Rationalis, exempli gratia, duplex est genus, alterum corporeum, quod animal vocatur: alterum incorporeum, quod substantia separata est. An hinc sequitur, omne animal esse rationale? Quocunque igitur sese vertant aduersarii, hic certè locus non satis eorum opinioni fauere videtur. hæc illi contra nos disputare videntur, qui professi olim sumus omnem pestem esse febrem acutam, communem, contagiosam: ideo non, vt mea tuear principia, non contentionis gratia, sed veritatis studio, qua nihil habeo antiquius, sic contra illos disputo. Quomodo Hippocrates dicit. Suut autem febrium genera duo. &c.] certissimum est hanc esse diuisionem febris tanquam morbi communissimi in duo membra: hoc illi concedunt, quorum alterum complectitur febrem omnibus communem, quam vocauit pestem: alterum propriam vnicuique ex mala diæta proficiscentem, ex hac Thesi deduco, quod nolunt admittere, omnem pestem esse febrem, ex regulis, ac præceptis optimę diuisionis. Sunt enim tria præcipua: Vnum est quod natura rei diuisæ insit in omnibus membris diuidentibus. Aliud, vt membra diuidentia simul sumpta adæquent naturam generis diuisi. Tertium, quod neutrum ex membris diuidentibus in plus sese habeat, quàm sit res diuisa. Genus diuisum in proposita bimembri diuisione, est febris, estque illis genus communissimum. ergo diuidentia erunt specificæ differẽtiæ, aut species generis diuisi, vna est pestis: alia febris propria. Ergo horum vtrunque participat æqualiter natura diuisi generis. Diuisũ est febris. ergo æque illa participat.

Quamobrem non minus verum eſt dicere, omnem propriam, priuatamq́; cuiuſcunque febrem, communicare naturam febris, quàm communem multis, peſtemq́; eandem habere naturam. Exemplo res fiet illuſtrior. Animal diuiditur in differentias duas, quæ poſtea conſtituunt ſpecies. Rationale, & irrationale. Non minus eſt verùm dicere, animal rationale eſt animal, quàm animal irrationale eſt animal. ergo vt omne rationale eſt animal: ſic omnis peſtis eſt febris. Alioquin des mihi oppoſitum, ſcilicet aliquam peſtem non eſſe febrem: duo ſequentur abſurda. vnum, quod natura rei diuiſæ non inerit in omnibus membris diuidentibus. nam ex illis membris vnum eſt peſtis, tu autem vis aliquam peſtem non eſſe febrem: ergo in omni peſte non adeſt febris. ſecundum hoc membrum, quod eſt peſtis, ſeſe in plus habebit, quam febris diuiſa, quod affirmare abſurdiſſimum eſt. quia peſtis febris eſt, & non eſt febris. febris eſt vt diuidens febrem. non eſt febris, quia omnis peſtis non eam habet naturam. quæ res eſt contra tertiam regulam diuiſionis. Poſtremò duo illa membra diuidentia ſimul ſumpta non adæquant totum diuiſum. Quia ex opinione propoſita falſum eſt dicere: Peſtem, & febrem priuatam eſſe febrem: quandoquidem datur peſtis, quæ non eſt febris, vel comitem febrem non habet. Colligo igitur ex ſententia authoris libri de flatibus. Omnem peſtem eſſe febrem. Quod ſi quiſpiam mordicus contendere voluerit, ex eo deduci aliquã peſtem febris nomine vocari, iam quidem ſatis apertè comprobata noſtra videri poteſt opinio, cum dicebamus, peſtis nomine ſignificare tria, conſtitutionem, ſcilicet peſtiferam: morborum peſtilentium in eo ſtatu contingentium congeriem: ac tertiò communem, ac peſtilentem febrem. Hincq; etiam facile, Sancti chariſſime, percipies, rectè à nobis fuiſſe ſcriptum libro primo de præſeruatione à peſtilentia, Peſtis nomen, & peſtilentem febrem in doctrina antiquorum aliquando confundi. Quod verò illi de propoſitionibus dicunt, ex lib. de interpretatione, non videntur mihi admodum facere ad rem ipſam, quia nũquam demonſtrabunt mihi, niſi tamẽ decipior, eum authorem dicere voluiſſe, aliquam peſtem eſſe febrem: quia profiteor dicere illum, omnem peſtem eſſe febrẽ, propterea debemus animaduertere, quid author dicere velit. Ego admiſerim libẽter has propoſitiões. Aliqua febris eſt peſtis. quia, vt dicit Hippocrates febris cõmunis eſt peſtis. admitto hanc. quædã febris nõ eſt peſtis, quia propria febris non eſt peſtis: ſic etiam quî non concedam hanc falſam eſſe? Nulla febris eſt peſtis. Omnis febris eſt peſtis. Nihil hæc tamen cõcludunt contra ſententiã noſtram. At certè non admiſerim, quę ille poſtea ſubnectit his verbis: Si quis igitur hinc deducat: Omnẽ peſtem eſſe febrẽ, vel cum febre &c.] nam cum hinc deduci ſcribat perlibenter quæſierim, vnde velit deducere nos hãc propoſitionẽ, an ſcilicet ex ſuis illis propoſitionibus putet deduci: an ex Hippocratis textu: certè nõ deduco ex enunciationibus ab illo propoſitis, ſed deduco ſolũ ex Hippocratis textu, quem in hoc argumento irrefragabilem eſſe arbitror: neq; argumentor à particulari affirmatiua ad ſuam conuerſam vniuerſalem: ſed argumẽtor à legibus & præceptis methodi diuiſiuæ, ab illo potiſſimum conceſſæ, atq; ex omnium Philoſophorum authoritate confirmatis: argumẽtor à ſpecie ad genus: vt ſi dixerim: Homo eſt, ergo animal. ideo verũ, omnis homo animal. ſic febris omnibus cõmunis eſt peſtis. Febris propria ſingulorum nõ eſt peſtis. Ergò vtraque eſt febris. imò adeo neceſſaria eſt hæc cõſequẽtia, vt nequeat inueniri magis neceſſaria; neq; illi poſſunt meo iudicio, hanc inficiari, cũ profiteantur hanc eſſe diuiſionem morbi cõmuniſſimi in duo membra, morbus cõmuniſſimus diuiſus eſt febris. ergo duo mẽbra diuidentia hoc genus illius naturã habent. Suſpectũ eſt etiã mihi, quod ab illis proponitur exẽplum, quia non cognoſco duplex hoc genus rationalis, nempe in corporeum, & in incorporeum. Hæc enim (ſi benè recordor, quę in Dialectica didici) diuiſio ſubſtãtiæ eſt, ex qua cõſtituitur poſtea corpus ex vna differentia: ex alia incorporea ſubſtantia, quæ fortaſſis nomẽ nõ habet, atq; ex Peripateticorum ſententia non continetur in prædicamento, quia æternum & corruptibile diſtat pluſquam genere, quia vniuoca aliqua natura

non

non inest illis, sed sit v. g. Angelus. sed animalis hanc existere differentiam cognosco, cum sit quoddam ratiõale, quoddam irrationale ex omnium Dialecticorũ consensu: at in hoc insistamus exemplo. sic verò ratiocinationem statuamus. Rationale est animal: ergò omne rationale est animal. consequentia necessariissima est. sed cur non erit perinde necessaria, quæ dicit. Febris duplex est, pestis vna, alia propria. ergo omnis pestis est febris. & rursus: Omnis propria febris est febris: quam quæso, Misanti inuenies differentiam. Porrò non mireris, quod dixerim omne rationale esse animal: quia rationale ex Logicis est differentia animalis, per quod illud diuiditur. fierique non potest, quin omne rationale sit animal: si enim aliquod esset rationale, quod non esset animal, vtique rationale non esset differentia essentialiter diuidens animal: sed hęc relinquantur disputanda Dialecticis: nos magis seria inuestigemus. Hactenus de Hippocratis sententia.

Experiamur nunc, an huiusmodi significatio aliena sit à doctrina Galeni: iuuat autem prius statuere Galenum passim docuisse, pestem esse morbum acutum. Quæsierim, an pestis morbus acutus sit propriè dictus, an autem impropriè, Scio illos admissuros, esse pestem propriè acutum morbum, imò inter acutos morbos ferè præcipuum. Tunc ratiocinari hoc modo conuenit. Omnis morbus propriè acutus semper febrem comitem habet cõtinuam. Pestis huiusmodi est: ergò pestis semper habet febrem continuam. Pro maioris propositionis confirmatione audire Galenum oportet, sic scribentem lib. 3. de diff. respir. cap. 9. Verùm etsi propositum est in prænotionibus de his, qui propriè acuti nominantur, facere sermonem: sunt autem tales, qui omnino cum febribus fiunt, veluti ipse in libro de victu acutorum ostendens, sic scribens &c.] hæc Galenus. qui omnẽ prorsus è medio tollit difficultatem. expedit autem recensere verba Hippocratis, quæ ibidem Galenus recenset. Sunt itaq; hi acuti, quales veteres nominauerunt, pleuritim, & peripneumoniam, & phrenitim, & causon, siue febrem æstuantem, & alii quicunq; his cõsimiles, quorum febres omnino sunt cõtinuæ.] atq; postea, vt ostendat acutos morbos, qui non habent febrem cõtinuam, propriè non esse acutos, exemplo conuulsionis vtitur hisce verbis. Nequaquam igitur conuulsiones huius morborũ generis sunt, vnde neq; propriam ipsorũ respirationis difficultatem simul cũ his recensuit, quemadmodum neq; de vrinis, aut egestionibus, aut aliis omnibus, quæ in aphorismis scripsit, propterea quod acutorum morborũ propria non erant.] hæc quidem consideratione digna sunt, quia alibi cõuulsiones inter morbos acutos reposuit, hic verò negauit esse in genere acutorũ morborum. & quidem merito, quia propriè acutus morbus non est conuulsio. Huc etiam pertinent verba eiusdem authoris lib. 1. aphor. coment. 7. vbi ait: In præsentia satis sit monuisse hoc tãtum, si propter inflammationes, aut febres, quæ semper comitantur acutos morbos, cibi vereatur aliquis præbere plusculum,] aut etiam quemadmodum illi vertendum putant, febres acutorum morborum sunt inseparabiles] nam vult significare iis verbis, à morbis propriè acutis separari non posse febres, & eas quidem continuas, vt ex contextu noni capitis libri tertii, de diffic. respirat. constat, neq; mihi placet eorũ explanatio, qui dicunt; si morbis acutis febris accidat, ea quidem inseparabilis est, id est continua, quia nequit febris intermittẽs cõtingere acutis morbis. Non inquam placet mihi huiuscemodi explanatio: primum, quia morbi acuti quidam propriè acuti sunt, & sunt exactè acuti: quidã sunt impropriè acuti & ratiõe partium nominantur acuti, illi semper febres habent continuas, vel sunt ipsęmet febres cõtinuę. hi verò nullas febres habent, vt epilepsia conuulsio, apoplexia, cholera. Deinde quia nullam implicare contradictionem video, coniungi posse febres intermittentes cum acutis morbis, qui propriè tales non sint. cum enim febris non sit de essentia, ac natura horum morborum, vtique tãtum illis intermittens, quantum continua potest contingere: imò arbitror neminem in artis Medicę operibus exercitatũ, aliquando nõ obseruasse. Ego sanè obseruaui hactenus

quater: accessionem epilepticam contigisse in principio exacerbationis tertia-
nę exquisitæ, quo cum adveniebat primum cardialgia, mox insultus epilepticus.
Prętereа conuulsio acutus est morbus. at verò febri cõiuncta esse potest tam cõ-
tinuæ, quàm intermittẽti, de qua re scribit Hippocrates, melius esse febrem su-
pra venire conuulsioni, quam conuulsionem febri. Cæterum, si pestis est febris
communis, & acuta, oportebit etiam pestem esse perniciosum morbum, maxi-
meq; lethalem, vt eius caussa quamplures moriantur : vt primo de ratione
victus in morbis acutis, hisce verbis Galenus testatur: Ostendit ratione Hippo-
crates (ille ait) morbos multos vno tempore fieri, quos, si perniciosi fuerint, pe-
stem appellant: si verò sint mitiores, altera quadam appellatione epidemos, vel
epidemios nominant. vt epidemus morbus sit, qui tempore aliquo in regione
aliqua abundet, insolescatq;. Pestis verò epidemia perniciosa.] atque idem in
præfatione primi epidemiorum, ac sæpe alibi.

Quod attinet ad secundum, quia nomen pestis, vt diximus, tres significatio-
nes habet, propositæ quæstioni responderi non potest, nisi quispiam primum
distinctionem adhibeat. Si constitutionem pestilentem eo intelligamus nomi-
ne, quæstio nullum habere locum videtur mihi. Etenim constitutio pestilẽs de
se nullum morbum dicit, sed caussam dũtaxat externam & cõmunem, vt pluri-
mum in aere consistentem, vel ex illius putredine, vel inquinamento causata, vel
ex vtraq; caussa simul: à qua effectus postea fit interiori caussa interueniente, se-
cundum propriam analogiam: quia corruptio substantiarum internarum essen-
tialis, & contentiua caussa pestilẽtis febris aliquando fit in humoribus, aliquãdo
in solida substantia cordis, & aliquando in spiritibus. Quid ego dicere velim de
putredine aeris, & de inquinamento, quod ab Hippocrate libro 2. de hominis
natura vocatur (vt dixi) μίασμα, explanatum mihi fuit lib. pri. de pręseruatione à
pestilentia. Ergo si pestis est pestifera constitutio aeris, hæc verò caussa est, non
morbus, cõsistere illa quidem potest sine febre, alioquin aer subiectũ esset mor-
bi. Sed, si nomine pestis audiatur congeries morborum occasione communis
caussæ contingentium, tunc rursus distinguendum censeo in hũc modũ: aut lo-
quimur de morbis pestilentibus: aut de non pestilentibus, si de prioribus sermo
sit institutus, adeo necessariam iudico febrem, vt nunquam putem aliquempiã
cõtingere posse pestilentem morbũ citra febrem. Pestilentes verò affectus sunt
solida cordis substantia putrefacta: Secũdo humores in sinu cordis corrupti, Ga-
leni testimonio. tertio de pręsag. ex puls. Tertio spirituum cordis corruptela ex
Auicẽnę testimonio in lib. quarto suæ Medicinę capite de pestilẽte febre. Quar-
to, carbunculus pestilens, de quo Galenus disserit 14. meth. Quinto bubones in
inguinibus, sub alis, & pene aures. Sexto variolæ. Septimo morbilli, qui duo affe-
ctus vocantur nomine pestis à Rasi libro de pestilentia. Octauo febris purpura
antiquis non incognita: in qua scilicet apparent maculæ quædam in totum cor-
pus purpurascentes. Nono febres cum sacro igne, aut herpete exedenti: ex li-
bro tertio epidemiorum. Decimo ardentes febres, ac phręnitides, vel exquisi-
tę, vel notę. Vndecimo erysipelata mala, & ea cacoethe in abscessus malos termi-
nata, atq; tandem alii id genus morbi. Porrò certissimum est in hac pestilentiũ
morborum syndrome nullum inueniri, qui febrem non habeat continuã & pes-
simè morigeratam. Quia verò in cõstitutione pestilẽti nõ sunt omnes morbi pe-
stilentes, cum nonnulli contingant minimè pestilentes, ac proinde salubres, licet
non tanta facilitate sanentur, quanta in constitutione salubri, aut nõ pestilenti:
propterea obseruauit Hippocrates in pestilenti constitutione salubres aliquãdo
febres cõtingere: adueniũt etiam alii morbi proximi natura sua, vti est e.g. cho-
lera, conuulsio, rigor, qui mortales cũ sint, vt plurimum, illorũ adaucta malitia
ab ambientis putredine, vel inquinamẽto, multo citius interimũt. Sic accidũt si-
ne febre in pestilentia morbi aliquando salubres, aliquando lethales: sed eos ego
inter pestilentes non colloco affectus. Non sit autem tibi mirum, quod dixerim,
in pestilenti cõstitutione fieri morbos salubres: quia præterquã quod hoc ipsum
declaratum fuit diligenter ab Hippocrate libro tertio epidemiorum, ac ipsa ex-
perien-

perientia comprobatum, est etiam maxime consonum ratione, quia si febris pestilens contingere potest sine peste, id est sine constitutione pestilenti, vt dicebamus ex eiusdem authoris testimonio: sic etiã in pestilenti cœli statu salubres contingere morbi possunt eadem de caussa. nam in priori ex mala humorum dispositione, non ex ambienti pestilens oriebatur febris; vt primo de feb. differ. cap. 4. Galenus dicebat. in posteriori autem similiter ex eadem interna caussa salubris contingebat morbus: quia vero concurrebat externæ caussæ efficientia & ἀέργεια, retardabatur aliqua ex parte sanitas. Cæterum si tertiã significationem audimus, quæ potissima est, ac à plerisque Medicinæ authoribus vsurpata, iam dissoluta quæstio est: quia, vt nos ipsi definiuimus, pestis natura est febris communis, acuta, & contagiosa à putredine cõsummata internarum substantiarum cordis proficiscente. Atque hoc modo videor explanasse, quomodo cum peste sit febris, & quomodo sine febre possit consistere. Nunc relinquitur, vt dubitationibus satisfaciamus. Atque licet afferri possint, ac soleant multæ in rem præsentem, affero tamen præcipuas. Vna est sumpta ab experientia: nam omnes, qui de peste scripserunt, asseuerant quosdam repente citra febrem, atque ambulantes in via mortuos cecidisse. Alia sumitur ex verbis Hippocratis in tertio epidemiorum, vbi sic ait: Quibus igitur circa horum aliquid euenit fieri, & glabrities totius capitis fiebant, & menti, & ossium denudationes, & elapsus, & multæ fluxiones, hæcque in febribus & sine febribus.] & parum postea ait: Quæ cum vlceribus occasione fiebant huiusmodi erant. Multis autem in febribus, & ante febres, & per febres acciderunt.] ac rursus inquit: Excrementa biliosa, pinguia, tenuia, aquosa, atque ipse morbus multis eo erupit citra febrem, & cum febre.] idemque Galenus in enarratione horum contextuum manifestum facit. Tertio idem author libro nono de simplicium medicamentorum fac. ca. de bolo armena, ita loquitur in confirmationem huius rei. Cæterum bibitur ex vino albo consistentia tenui, modice diluto, si aut plane febre careat, aut leuiter ea teneatur: sin grauiter febriat admodum aqueo.] qua sententia nihil clarius illorum sententia dici potuit: nam si affecti pestilentia carentes febre sanantur ex vsuboli Armeni, iam quidem febris necessaria non est in peste.

Addunt postremo, pestem duobus terminis veluti determinatis cancellis circumscribi, nempe, vt sit vulgaris morbus, & perniciosus, prætermissa febre quod ex Galeni verbis ostendũt primo de ratione victus in morbis acutis, com. 9. in procemio epidemiorum primi. 3. epidemior. sec. 3. com. 20. 6. epidem. sec. 7. commen. primo. Sane hæc potissima videntur fundamẽta, & contra nostram sententiam doctissimorum virorum dubitationes.

Ego, vt eas dissoluam, exordiri primum volo ab experientia: quandoquidem huic, non illi modo, sed etiam ego adhæreo. Putauerim certissimum esse, quædam sciri duce ratione, quædam sola experientia, quædam rursus vtroque instrumento. Medicina certe vtroque incedit crure, vt cum Galeno loquar. At, non ita vt, quæ obseruatio nota fecit, eadem ex necessitate rationem habeant, qua sciantur: sed seorsum vtrunq; explicandum à Medico rationali instrumentum est; vt frequenter à Galeno declaratum fuit. Ergo experientia licet nullam habeat rationem, in arte Medica admittenda tamen est. Quorsum hæc, inquies? vt ostendam tibi responsionem illius Medici, alioquin celebris, non satisfacere: sic ille dicit. Atque hoc est, quod voluit Galenus, apud quem passim legere est: experientiam non esse ab ratione diuellendam, alioquin errorum, & periculi plenam esse, eique omnino fidendum non esse.] Vrgent enim contra hunc authorem, quæ supra diximus ex Galeno, seorsum rationalem materiam fore tractandam, ab experimentali. Adde, quod impossibile est sciri vere, quæ experientia innotescunt: vtputa quæ contraria omnino sint inter se; vt passim in methodo medendi Galenus docet. Hic postremo videtur mihi è medio tollere omnem cognitionem eorum, quæ non agunt à manifestis, sed ab occultis qualitatibus, siue quod dicunt, proprietate totius substantiæ. Prætermittantur hæc. Doceamus, cur in pestilenti constitutione, quidam videantur

mortui ſine febre: ſi tamen ſemper neceſſaria eſt febris in morbis vere peſtilentibus.

Dico primum eos mortuos fuiſſe febre ephemera peſtilenti: quod modus putred nis in aere exiſtens, particulariſque inquinamenti ratio analogiam habebant ad ſpiritus, non ad humores, aut ſolidas partes, propterea horarum 24. ſpacio moriuntur. nulla febris antea fatigauit illos, propterea adueniente ſtatim materia virulenta, & corruptione in ſpiritibus, repente moriuntur: atque hi mori ſine febre videntur ob caliditatis præter naturam moderationem. Deinde illud certum eſt, multos tempore peſtilentiæ, vt propriis incumbant negotiis, etiam ſi iam ſeſe affectos noſcunt, ne claudantur, è domo exeunt, ſeſeq; bene habere fingentes, ſtatim corruunt, aut ob iniuriam aeris inſpirati, aut propter laborem corporis, & animi paſſionem, nimium adaucta febre. Hi ſani videbantur, cum tamen nudatũ cadauer præſeferret tumores in inguinibus, aut carbunculos, aut maculas in totum corpus liuidiſſimas, aliaque pernicioſiſſima ſigna, quæ homine antea exiſtente ſano, contingere tam ſubito minime potuiſſent.

Qui ergo putant, homines ex peſtifero aere infectos antea non habuiſſe febrem, meo iudicio aberrant. At vero dicãt, quid ad Hippocratem reſpondebis, qui ſine febre aduenire peſtilentes morbos ſignificauit? Habeo etiam hic, quod dicam, non probabiliter modo, ſed veriſſime. Nempe Hippocratem in iis contextibus nõ fuiſſe locutum de morbis vere peſtilentibus: ſed in vniuerſum meminit omnium morborum, qui in ea peſtilentia contingebant, quorum aliqui erant peſtilentes, aliqui vero non peſtilentes: vt enim ſine peſtilenti conſtitutione, peſtilens contingere poteſt febris: ſic in peſtilentia aliquãdo morbus aduenit minime peſtilens. Verba Hippocratis perpendamus, ne hoc illi imponere videamur. Propoſitum Hippocratis in eo contextu fuit, agere de eryſipelate peſtilenti: atque huius occaſione mentionẽ etiam facit aliarum fluxionum, ideo dicit: Et multæ fluxiones, hæcq; in febribus, & ſine febribus.] ſenſus verborum ſic habet. in eo ſtatu contingebant eryſipelates mali, & peſtilentes: quia terminabantur in cancrenam & corruptionem earum partium, quas illi apprehendebant: aut vbi apparuiſſent extra, rurſus citra manifeſtam cauſſam occultabantur: nulla ſubſequenti vacuatione humoris peccantis, prior caſus corruptiuam adeſſe putredinem, vt Galenus explanat: poſterior autem ſummam imbecillitatem virtutis notabat. Sed in eiuſcemodi conſtitutione aeris, multæ contingebant fluxiones (inquit) quæ ſcilicet peſtilentes non erant: quarum fluxionum quædam cum febre, quædam ſine febre contingebant.] atque vt manifeſtum faceret ſeſe non loqui de affectu peſtifero, ſequitur ſtatim: Erant autem horrenda hæc magis, quam mala.] Sed cur non erant mala, ſi erant peſtifera? ſi affectus peſtilens omnis pernicioſus eſt? ſi maiori ex parte occidunt? Audias quæſo, mi Sancti, rationem illius. Quibus enim ad ſuppurationem horum maturatio peruenit, plurimi horum ſeruabantur.] ergo non erunt huiuſcemodi fluxiones peſtilentes, vt puta, quæ plurimos occidunt. De eryſipelate malo, ac peſtilenti ait. Quibus autem inflammatio, & eryſipelas euanuit: huiuſmodi autem abſceſſum nullum fecerunt: horum multi mortui ſunt.] ac ideo erant affectus peſtiferi. Veriſſimam eſſe noſtram hanc explanationem, non ſolum conſtat ex natura peſtilentis affectus, ſed etiam ex rei, de qua hic agitur, natura. Nam ſi de eryſipelate intelligenda ſunt, quis imaginabitur, eryſipelam fieri citra febrem? ſemper enim aliqua febris accidit, vt experientia teſtatur. Rurſus, ſi cum eryſipelate gignitur inflammatio, vt ille dicit in textu, quomodo erit affectus ſine febre? tertio, ſi fit abſceſſus, & cancrena, abſurdiſſimum eſt imaginari citra febrem conſiſtere, vt mihi fuit olim explanatum in commentariis ad librum ſecundum de rat. cur. ad Glauconem. Primus igitur Hippocratis locus no fauet illis. Neque etiam alter, niſi decipior. cum enim dicit: Multis autem in febribus, & ante febres, & per febres acciderunt.] non vult quidem dicere, peſtilentes illos abſceſſus cõtingere ſine febribus: eſt enim impoſſibile abſceſſum & ſuppurationẽ fieri ſine febre, maxime, quæ debeat in cancrenam terminari: ſed huiuſmodi eſt ſenis opinio. Aduenie-

Adueniebant hæc nonnullis in febribus.] id est statim febribus ipsis incipientibus: nonnullis per febres.] id est progredientibus febribus, nonnullis ante febres.] quæ postea statim subsequebantur ipsas inflammationes: tempore prior erat inflammationis aduentus, posterior febris. Vel etiam vt in alio contextu legitur: Cum febribus, & ante febrem, & à febre arripuerunt.] quæ ita exponit Galenus. Atque partim simul cum febre inuadebant, partim eum febres aut consecutæ sunt, aut præcesserunt.] quomodocunque interpreteris, non est obscurum malos hosce tumores semper febrem habuisse comitem aliquo saltem tempore. Erat alter locus, in quo Hippocrates agebat de fluore alui; vbi aiebat: Biliosa autem, & pinguia, & tenuia, & aquosa multis quidem ipse morbus in his decubuit, & sine febribus, & cum febribus, cum doloribus.] qui proculdubio si Galeni explanationem sequamur, satis belle nostram opinionem cõfirmat. Sanabantur febres pestilentes adueniente nonnullis dysenteria, de quib. dicit, & cum febribus, cum doloribus.] erysipelata mala, quorum supra meminit, sanabantur aliquãdo illis delitescentibus, & diarrhęa superueniente, febreque cessante, de quibus ait: Et sine febribus.] hæc mea explanatio est ad hunc locum. Galeni porro, quæ supra diximus, de affectu non pestilenti in pestilenti constitutione, confirmat enarratio. quid enim aliud vult ille, quam diarrhęam contigisse multis, aut cum febre, aut sine febre? an fortassis non contingunt hæc passim in omni constitutione aeris? propterea recte dicit: Præsens sermo continet omne genus morbi, quatenus morbi inter sese natura, ætate, & victu distãt.] Sed hæc longiorem non postulant explanationem. Locus de bolo armena examinandus est, quem plurimi faciunt. Non febricitantib. exhibetur (inquiunt) ergo pestis est sine febre.

Quid hic respondeat Hieronymus Mercurialis, quem hic, & semper honoris caussa nominabo, illi afferunt: ego certe tempus conterere in aliorum opinionibus nolo. Quid sentiam breuiter accipito. Conuenire bolum armenam non modo curationis caussa, sed etiam pręseruationis: ægrota corpora sanantur humiditate, putredineq; siccata. Sana præseruantur impediendo putredinis aduentũ ob siccitatem, vt Galenus dicebat primo de febr. diff. c. 4. Summa enim curationis, & præseruationis est exiccatio. Vtrunq; Galenus complectitur opus, quando modum sumendi bolũ armenam docet: nam, non febricitantibus ex vino præbet, quo tum penetratio iuuatur, tum siccitas pharmaci intenditur, roburq; additur. si febris adsit leuis, idem misceri poterit vinum, sed sit oligophorum, quod tamen non sit admodum aqueum. si grauior sit febris, datur ex vino admodum aquoso. sic legem exhibendi statuit bolum armenam in præseruatione, & curatione. At instant ex Galeni verbis, quia dixit antea. Quotquot hoc medicamentum bibere, celeriter curati sunt, at quibus nõ profuit, omnes interiere: scilicet, cum nec alio quouis iuuarentur. quod iis duntaxat non fuerit auxilio, qui plane erant incurabiles.] hæc Galenus: Quibus verbis manifeste indicat sese locutum fuisse de curatione, non de præseruatione. Ego vero admitto perlibenter de curatione ibi fuisse locutum. Sed asseuero subsequentia verba non de sola curatione intelligi debere: quia cum bolus armena cõueniat ob siccitatem, tum pro curandis, tum pro pręseruandis corporibus, primo de febrium differ. expediebat docere modum exhibendi, pro vtroque officio perficiundo: alioquin prætermisisset, quod maxime necessarium iudicari posset. Dissentio postremo ab eisdem, quia pestis maxime proprie dicta, non duobus, vt illi dicunt, veluti cancellis clauditur: sed tribus. vnus est, quod sit morbus communis, vulgarisque. Aliud, quod sit proprie acutus. Tertium, quod sit contagiosus affectus: idcirco, vt proprie acutus, periculosus affectus est, febrem continuam habet comitem, aut ipsamet febris est. vt vero contagione consimilem affectum introducit, equidem ab aliis distinguitur febribus. Dixi hæc inesse pesti maxime proprie dictæ: quia cum hoc nomen tres habeat significationes, tertia magis propria est, Authoresque omnes inter febres tractationem hanc reposuerunt, noscentes quidem analogum illud nomen potissimum de pestilenti febre, vt pu-

ta principali analogato audiendum. hæc habui, quæ ad te scriberem, tum pro responsione ad tuas literas, tum pro defensione eorum, quæ scripsi lib. 1. de præseruatione à pestilentia, olim editum Firmi anno 1577. atq; in epistolis Medicinalibus ad doctissimum Hieronymum Cordellam. Valetudinem tuam curato, Macte virtute iuuenis, atque, quod te facere non dubito, nunquam tui præceptoris obliuiscaris. Taurini die 28. Aprilis 1580.

DE ASTHMATIS PRÆSERVATIONE, ET CVRATIONE.

Responsum pro illustriss. & Reuerendiss. Octauio Sanctacrucio Episcopo Ceruiensi, & apud Sereniss. Sabaudiæ Ducem Nuncio Apostolico.

Pro responsione ad eas literas, quas ad te dederunt Romani Medici, meas hasce, Illustriss. & Reuerendiss. D. mittere illis oportet, in quibus non eos modo, sed amplissimum etiam Cardinalem de tuo statu reddere certiores desidero: sic erit (nisi fallor) & tibi, & illis omnino satisfactum.

Qui ergo affectus quotannis Vere, & Autumno molestiam inferre solet, asthma, id est, difficultas respirandi à Medicis nuncupatur: cuius caussæ duæ sunt: demandans vna, recipiens alia. Cerebri intemperies frigida ac humida pituitam solet copiosam gignere, tam secundum propriam ipsius naturam, quam etiam ob magnam Taurinensis aeris humiditatem non mediocre suscipiens incrementum. hæc quidem iam primum aquea existens, ac tenuis facile destillans per collatorium in asperam arteriam primum, deinde in substantiam pulmonũ recipitur. Diutius ibi contenta, nec expurgata à loci calore crassescens, obstruit pulmonum vasa, atque hinc originem habet respirationis difficultas: protinus autem cessat, quando materia amplius non fluit à capite, materiaque in pulmonibus recepta sensim per sputum educitur. nec mirum sit, si pulmones facile recipiunt, quandoquidem ob laxitatem ipsorum, meatuumque multitudinem, similium fere spongiis, ac postremo ratione situs, destillationibus maxime obnoxii sunt. Porro inuadit affectus per circuitus, quia fit, vt dixi, à fluxione. Omnis enim morbus fluxione genitus periodicus est. quotannis accidit duntaxat Vere, & Autumno, ac determinatis mensibus Aprili, & Octobri, quia duo illa anni tempora maxime idonea ad promouendas destillationes censentur: nam calor adest temperatus, qui profecto potest humores mouere, minime autem dissoluere. Putauerim sanationem non esse admodum difficilem multis de caussis: primũ quia affectus est recens, nam hactenus bis inuasit. Deinde, quia non magna difficultas adest in respirando. Tertio, quia facile solet reiectare materiam in pulmonibus contentam: ac postremo, quia maxime obtemperat Medicorum præceptis, ac in ratione victus sobrietatem seruat: ea propter quã cum plurimum confidam sanaturum, remedia scribo, illorumq; materiam, qua olim non sine magna commoditate sum vsus, ac etiam posthac vti in animo est. Remedia apud me duo sunt præcipua: vnum est, caput totumq; corpus ab humorum crudorum copia exonerare: aliud pulmones detergere, illud proprie ad præseruationem pertinet, hoc autem ad curationem. Tempus autem huic operi accommodatum est, anteaquã affectus inuadere incipiat, mense scilicet Martio, ac Septembri; & certe quidem, si meis obtemperare præceptis volueris, omnino ab accessione præseruabitur: igitur duobus illis mensibus totis in hoc opus incumbere decreui; quia Medicinali materia, & quomodo id effici debeat, breuiter expediam.

In Mensis itaque principio lenienda erit aluus ex vnc. quinque mellis rosati solutiui, & drachma vna diacartami, ex aqua farfaræ. mox præparãda materia syrupo de betonica, de stecade, de melle rosato, cũ apoxemate pulmonariæ, betonicæ, amaraci, origani, & saluiæ, in aqua mulsa: hos vero iam præparatos, expurgabimus eiuscemodi pharmaco.

Recipe

Recipe aquarum saluiæ, maioranæ, hyssopi, vini albi dulcis an. vnc. j. macera ex arte horis 10. agarici troc. reubarbari elect. an. scrup. iiij. spicæ, zinzib. an. gr. v. & in expressione dissolue diaturbit cum reubarbaro drac. iij. sirupi de hyssopo vnc. j. fiat potio, detur seruatis seruandis.

Tum vero postea opus erit expurgare caput eiuscemodi pharmaco. Recipe maioranæ, saluiæ recentis, an. m. j. radicis indis vnc. j. s. contundantur omnia, ac tum demum affundito aquæ vitæ drah. j. vini albi generosi vnc. iiij. s. exprimatur succus in ipsas nares attrahendus singulo quoq; die bis, nempe ante prandium, ac cœnam. hæc tutissima, ac familiarissima naturæ est caput purgandi ratio. at non ita est tuta, quæ per palatum fit: nam ob viciniam facile materiam ad pulmones præcipitare solet.

Quod attinet ad reuulsiones à Romanis celebratas, ex cauterio in syncipite, aut in vtroque brachio, sane acquiescere huic operi non possum: quia certo scio, nos operam & oleum perdere, & citra fructum molestiam inferre ægroto incomparabilem. Illud enim constanter affirmo, reuelli non posse materiam frigidam ex cerebri substantia destillantem per colatorium in pulmones factis emissariis, vel in syncipite, vel in vtroq; brachio, cum nõ adsit aliqua via accommodata, per quam hoc genus remedii opem ferre possit: nam quemadmodum in venæ sectione reuulsiua tundimus venas communes, sic in aliis materiebus reuulsoriis opus est adesse communitatem, societatemque viarum, per quas trahatur humor, alioquin frustra laboraremus: quia nulla eiuscemodi via adest, propterea eiuscemodi cauteria non laudo: sed in nasi purgiis maxime confido.

Sed neque hæc sufficient: nam oportebit corroborare caput, materiam exsiccare humidam, ac dissipare, ne de cætero excrementorum tantam generet copiam. pro hoc munere perficiundo duo vtilia sunt: locale vnum, vniuersale aliud. locale fuerit, fricare caput rasum sequenti medicamento.

Recipe maioranæ, thimi, spicæ Italicæ, saluiæ an. m. j. baccarum lauri contusarum drach. 10. specierum diagalangæ vnc. ij. salis communis vnc. vij. milij lib. s. omnia simul in sartagine torrefiant, mox sacculus impleatur, quo calido quotidie hora matutina horis quatuor ante prandium derasum (vt dixi) caput fricetur, donec rubescere incipiat, ac tum postea imponatur cucuffa suffita, ex thure cum cartæ modico. Vniuersale erit decoctum ligni guaiaci, quod vltimo loco sumi debet: id in hunc modum pararem:

Recipe ligni indici præparati lib. 1. corticis eiusdem vnc. j. s. macerentur horis 24. in lib. 12. aquæ betonicæ, deinde fiat decoctio ad lib. v. sub finem coquendo cetrach drach. ij. polipodii quercini, passularũ an. vnc. j. seminum cartami, & bombacis contusorum an. drach. j. maioranę, betonicæ, sticados an. m. s. fiat potio colata, de qua sumat in auroram vnc. viij. ante prandium horis quinque. & sumat vnc. vj. horis tribus ante cœnam; sudoremque prouocari studeat; victu vtatur tenui pro consuetudine decocti huius, abstineat à vino, huius loco bibat decoctum, quod habet.

Ligni indici præparati vnc. vj. radicum liquiritiæ recentis contusæ vnc. ij. macerentur horis 10. in libris 12. aquæ communis ad dimidias, & facta collatura addito pulueris zuchari fini vnc. iiij. sumat pro potu: dum sumitur decoctum, singulis octo diebus capiat vnc. ij. s. mannæ Calabriæ, ex decoctione pectorali, ex eo die abstineat à decocto. anteaquam vero decoctum guaiaci incipiat, victus sit extenuans, neque tunc interdicimus vinum. decoctum bibat diebus viginti, aut quod summum sit 25. sic optime præseruari posse putauerim spatio dierum 40.

CVRATIO.

At pone, iis etiam recte administratis, malum non cedere, adhuc scilicet humorem impactum pulmonibus facere negotium: tunc expectorantibus vtendum erit suffitibus, syrupis, & elegmatis: expectoratio fit syrupis, & syrupo de

hyſſopo, oximelite ſimp. de liquiritia, ex marubio, ex mulſa, ac aliis eiuſdem generis, vt noſtro ſyrupo, cuius infra meminero. Fit expectoratio elegmatis, vt puta, elegmate ſano, & experto, è pulmone vulpis, è pino. ſuffitum ex multis facere ſolita fuit antiquitas: nempe ex pulmonariæ foliis exiccatis, ex farfara, ex hellenio, ac etiam ex ipſo arſenico: At ego nullum præſtantius noui, quam ex foliis ſiccis tabacchi factum: mirum enim certe remedium eſt, quod non modo potenter expectorat, quicquid in ipſo thorace continetur, ſed etiam roborat pulmones: debet autē fieri ieiuno quinque, aut ſex continuis matutinis, ante prandium horis quinque. ſyrupum ego expectorantem ſic ſoleo præparare.

Recipe radicum hellenii, & polipodii quercini, maceratorum in vino albo dulci, horis 12. vnc. ij. paſſularum corinthiacarum vnc. s. ſebeſten. num. xv. farfaræ, pulmonariæ, foliorum ſaturegiæ, & calamenti an. m. j folium vnum magnum tabacchi. liquir. raſæ drach. ij. ſem. vrticæ, bombacis an. drach. j. s. coquantur in mulſa dilutiſſima ad vns. j. s. & cum totidem zuchari fini vnciis ſyrupus fiat perfecte coctus. Hoc vtor exhibendo cum cochleari eo modo, quo elegmata ſolent ſumi, addendoque oleum de ſulphure hac potiſſimum portione. Recipe ſyrupi de hellenio (ſic enim voco) vnc. iiij. olei de ſulphure arte chimica extracti drach. j. miſceantur pro elegmate. ſoleo etiam fœlici ſemper ſucceſſu præparare ſyrupum ex ipſo tabaccho. fit autem hoc modo. Recip. decoctionis foliorum tabacchi lib. 1. s. zuc. fini tantundem, fiat ſyrupus optime coctus: de quo exhibeo lambendo cum mulſa diluta facta ex decoctione hordei, ſumendo vncias duas huius ſyrupi, & vncias quatuor mulſæ: & vero habere vim magnam pro ſanando aſthmate ſemper noui: quod etiam ſcribit Nicolaus Monardus in Hiſtoria eorum, quæ in vſum Medicinæ ex India exportantur. Præſtat etiam habere ad manus alia pharmaca, vt varietate pharmacorum, natura melius expectorationem craſſæ pituitæ faciat: vt e. g. Rec. ſpecierum diairis calidi Nicolai drach. ij. pulmonis vulpis præparati drach. j. ſyrupi ſupraſcripti vnc. iij. vel tantundem ſyrupi de hyſſopo, miſceantur pro elegmate.

Hæc habui illuſtriſſime Præſul, quæ tua cauſſa ad Medicos Romanos ſcriberem; ille interim, qui vere ſanat languores noſtros, ſit dator auxilij.

FINIS LIBRI QVARTI.

HORATII

v. 419.

f. ad. ℥viij. vt in pharm: Lond: vbi intitulat. ſyr: de ſcabioſa. ob ſuccū ſcabioſæ ſupradditū.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER QVINTVS.

10

APOLOGETICVS;

Aduersus Archangelum Mercenarium Philosophiæ ordinariæ in almo Gymnasio Patauino Professorem.

EPISTOLA PRIMA.

20 *Qua ostenditur æqualibus in gradu remediis vtendum pro curatione morborum. Resistentiam proprie non reactionem. Cognitum fuisse in igne adesse siccitatem ab effectu. Binas habere singula elementa qualitates, vt in proprio loco conseruentur.*

Scripta pro defensione tertiæ Epistolæ libri 2^i Primi Tomi Epistolarum Medicinalium.

Cap. I.

30

Præfatio, qua disputationis occasio explanatur.



LABORAVERAM sine intermissione annos viginti & octo Medicinam faciens in præcipuis meæ prouinciæ ciuitatibus: quando mortuo Ludouico patre, Medico in artis operibus exercitatissimo, in patriam reuertēdum esse duxi: tum vt dulci meorum ciuium conuersatione animum, & corpus continuis laboribus fere fractum aliquando recrearem: tum etiam, vt rebus familiaribus, quæ propter absentiam, haud leue damnum patiebantur, aliqua ex parte subuenirem. Sed quod maxime cu-40piebam, id consequi non licuit, Mercenari. Etenim post quatuor menses, fui rursus illinc discedere coactus. Quandoquidem ad Medicinam, quam practicam vespertinam dicunt, primario loco in celeberrimo Augustæ Taurinorum Gymnasio, profitendam vocatus, accipere conditionem volui. Atq; dum omnia pro longo itinere necessaria præparo, libros, & supellectilia Ferrariam versus transmitto, & fere iam in viam accinctus: tu vir clarissime, quo cum nunquam antea fueram locutus, ad me dedisti literas, quibus ad disputationes quasdam Medicas, & Philosophicas tecum agitandas inuitare voluisti. Vix dici potest, quam fuerim admiratus. Importunum certe illud fuit scribendi genus à te nulla prorsus accedente occasione tentatum: præsertim vero cum scires, me lon-50ge quidem ab eiuscemodi disputationibus abesse, tum quia illas longissimo intermiserim tempore, tum quia aliud erat tunc mihi negotium, quam incumbere literis: dum vero diu, multumque cogitassem, nec inuenire caussam potuissem, propter quam mihi infinitis propemodum laboribus, & animi perturbationibus, occupato, & iam discessuro, dubitationes illas proposuisses: id certe ad vires ingenii mei tentandas, effecisse te suspicabar: quod postea tuæ

illæ, quas ad me tunc dedisti, literæ confirmarunt. Sed qualiscunq; tandem fuerit caussa, rescripsi perhumaniter, me breui satisfacturum. Atque id sane præstitissem, nisi occupationes, tum quæ circa rem familiarem, tum vxorem, filiolosq; dulcissimos proxime, & non sine lachrymis reliquendos, maxime versabantur, me adeo detinuissent, vt vix quidem ocium instaurandi corpus concessissent. Mox vero Augustam Taurinorum perueniens, publico statim suscepto interpretandi munere, ne tum quidem licuit satisfacere: immo vt ingenue fatear, aliud ex alio negocium in causa fuit, vt responsionis obliuiscerer. Verum cum primum tomum epistolarum medicinalium aduersus importunitatem cinicam edere in lucem statuissem, variasque collegissem epistolas, forte ad manus tuæ illæ peruenerunt literæ, & tunc haud amplius cunctandum ratus, responsionem dedi, eamque cum aliis epistolis publicaui. Duplici arbitrabar nomine tibi satisfecisse: primum, quia cognoui aliis quamplurimis, quorum extant apud me testimonia, viris, in Medicinæ, & Philosophiæ studio exercitatissimis, meam opinionem placuisse. Deinde etiam cum anni duo cum dimidio præteriissent, haud putabam te amplius responsurum. Cur enim grauis & acutus Philosophus tandiu retardare debuisses responsionem? Mea tamen me fefellit opinio: Michael enim Columbus Centalensis discipulus meus carissimus, & optime spei adolescens dedit ad me Patauio literas 19. Decembris anni huius 1582. quib. me certiorem fecit, te in calce secũdi libri tuarum dilucidationum, sententiam expendisse meam, atque fuisse conatum funditus euertere. Eodem fere tempore Hieronymus Genarius amicus meus, si quis alter est, singularis, dignitatis & honoris mei maxime studiosus, per publicum Venetorum tabellarium librũ mittendum curauit. Plurimum gauisus fui accepto libro: nam putabam solidam me inuenturum doctrinam, sane Philosopho dignam: æquo patiebar animo meas reprobari sententias, cum in eiuscemodi disputationibus, non minus honesta victoris, quam victi videatur mihi conditio: immo multo maior, & fructuosior fortassis victi conditio est: qui enim vincit, aut nihil, aut inanem certe gloriam acquirit: at qui vincitur doctior euadit. Eo animo tractationem perlego totam libenter, quin deuoro potius bis, atque tertio: ac inter legendum admirabar insignem eloquentiam, dicendi grauitatem, subtilitatem, in Dialecticis studiis exercitationem: ita vt primo aspectu tuæ illæ rationes adeo mihi viderentur validæ, vt de victoria desperans, cedendum iudicauerim. Sed cum pacatiori animo, & attentiori studio singula peruoluerim, intimius cõtemplarer, vimq; rationum inter sese cõferrem, multo meliorem in disputatione ipsa me habere partem recognoscens, id publice testandum duxi. Quia vero nihil antiquius fuit aliquando apud me, quam veritatem docere, & laboribus meis studiosæ iuuentuti prodesse: hanc propterea tractationẽ conscripsi aduersus lucubrationes tuas, putans te Philosophum apprime doctum, prudentemq; omni boni & ęqui cõsulturum. Porro quia duo potissimum in tua continẽtur tractatione, quorum vnum ad doctrinam pertinet, aliud vero extra rem. Rursus circa doctrinam duas proposuisti tibi examinandas ex epistolis meis: illam primum, quam de doloris essentia ad Ioan. Baptistam Cucinam conscripsimus: & aliã, quam ad te dedimus pro tuorum problematum explanatione: hic primum de doloris natura nihil edisseram: quia multo antea, quam tu de illo scripsisses argumẽto, Ambrosius Barbauarius Theologus, & Philosophus præstantissimus dubitationem proposuit, cuius explanationem in epistolis medicinalibus leges. De problematis vero hic disseremus, & nisi meum me fallit iudicium, diligenter. De iis vero quæ sunt extra rem, perbreue hoc sit responsum. In primis gaudeo Mercenari, iam te fateri illud verum esse, quod de homine nouo circumferebatur. Verum id scribere amico tuo non debebas: quia nouus ad dicendum homo non est, qui multo antea Romæ publice docuit. Deinde quid hoc ad munus tuum? An fortassis ex iuuene curiose quæsiuisti, vt mecum lætateris de optione, & de progressu? Hoc tuum erat, si postulante affinitate, quam velis nolis, tecum habent Octauius, & Virginia. Sed cur, si aliud non fuit tuarum literarum argumentum, noluit aliquando illas tum An-

tum Antonio Berge, tum mihi summis precibus postulantibus, legendas præbere? Negauit ille semper daturum literas non alio nomine, quam quod nollet sua causa aliquam inter nos concitari simultatum. At Io. Baptista Leonus discipulus meus, artium & medicinæ Doctor, quales illæ fuerint testatus est nobis: nisi igitur literas exhibeat legendas doctissimus ille, atque prudentissimus iuuenis, eadem apud me semper vigebit suspicio. Cæterum, quod statim initio tuæ disputationis, me inanem, & erroribus plenã dedisse responsionem profitearis, & admodum tardam, nempe anno vno, aut parum supra, quã mihi proposita fuerit disputatio, risu dignum videtur mihi: iam enim audiuisti causas cunctationis: deinde tuum non est iudicare, sed ad alios eiuscemodi pertinebat iudicium: neque decebat Philosophum obloqui, multo minus conciuem, minime omnium affinem. Sed quia satis videor meam tutatus dignitatem, nunc tempestiuum est ad ipsam disputationem accedere: vt tandem qui æqui futuri iudices, vter nostrum aberrauerit, facile percipiant.

Cap. II.

Summa rerum capita in disputatione explananda proponuntur, & quis ordo in disputatione sit seruandus.

EXpedit institutæ disputationis summa capita recensere: & ordinem proponere in difficultatum explanatione à nobis obseruandum. Verum, ne quispiam putet me falso quicquam imponere Mercenario (quod illum contra me disputantẽ effecisse, à nobis loco suo demonstrabitur) illius afferre verba in medium constitui. Quatuor itaque proponit ille mihi discutienda problemata, hisce verbis vsus: Habet Galenus ad extremum tertii libri de temperamentis morbi, remedia secundum gradum æqualia adhibenda esse: quæ sententia de veritate semper mihi suspecta fuit. Siquidem eueniet nunquam morbum euictum iri, cum inter paria actio exerceri minime possit. Secundum problema. Sed postquam (inquit) hac in re incidit oratio de resistentia, cupio abs te intelligere quid resistentia sit: cum Medici, & Philosophi ancipites perplexiquẽ videantur. Tertium problema. Qua via, & methodo sapientes omnes cognouerint in igne, præter calorem, siccitatem adinueniri. Quartum vero prosequitur cum ait: Cuius problematis veritatem si fueris assecutus, vt arbitror, considerabis, qua ratione à natura singulis elementis geminę qualitates fuerint accommodatæ: quod à nemine hactenus animaduersum fuisse video. Hæc ille. In his quæstionibus dissoluendis eundem insequi placet ordinem, quem ille in proponendis seruauit: enitarque in omnibus duplici ratione satisfacere: tum per concessionem, tum per instantiam: sic enim videbor mihi veteres Philosophos, præsertim vero Aristotelem imitatus: idque ipsum non solum in dilucidandis problematis efficiam, sed etiam in singulis illis rationibus. Quamobrem à primi problematis dilucidatione ordiamur: quædam in primis de remedii quantitate generatim, & de illius indicatione explicantes.

Cap. III.

Maxime difficilem esse tractationem de quantitate remedij, & quid illam indicet.

IAm vero duplicem existere cognitionẽ statuamus, exactam vnam atq; scientificam; aliam vero coniecturalem, qua artifices nõ infrequenter vtuntur. Exquisite cognoscere quantitatem remedii impossibile quidem est, quia nulla est, vt recte inquit Galenus, in arte medica, nec res, nec medela, quæ specie dicibilis non sit: sed quod nec dici, nec scribi, nec omnino percipi potest, id quantitas in vno quoq; est. Hoc aũt illud est, quod artem medicam in agendo cõiecturalem. Neque id mirum est. Naturam enim curandi corporis scias oportet: quo quantum morbus ab illius symetria discesserit, intelligens mensuram determinatam

pręſidiorum cognoſcas. At fieri non poteſt, vt quantum à ſe inuicem diſtent cognoſcas, niſi compertum habeas, quam eſſet corpus aut humidũ, aut frigidum, aut calidum, aut ſiccum cum valeret, quantumque ex his exceſſerit, cum ægrotauit: hocque ad vnguem ſciri non poteſt: cum ſit ἀδύνατον particularis naturæ exactam habere notitiam. Etenim recte dicebat Galenus, ſi omnium hominum particularem naturam cognoſcerem, vtique me talem eſſe arbitrarer, qualem Aeſculapium fuiſſe ferunt. Hinc fit, vt cogamur ad id, quod commune eſt (relicto proprio) & coniecturis vti ad eam cognitionem accommodatis. Nec eiuſcemodi coniecturalis notitia cuiuſuis hominis eſt: Sed ad eum præſertim pertinet, vt ait Galenus, qui vires omnium, quæ in arte ſunt, didicerit, memoriaque 10 mandauerit, atque diligentia omni adhibita, ſeſe in operibus artis exercuerit: pauci vero tales exiſtunt. Supponamus itaque hominem in artis operibus expertum: oportebit hũc coniecturalem de quantitate notitiam à duobus potiſſimum ſumere, nempe à quantitate morbi, & à naturali temperamento. Duo enim hæc inuicem ſunt conferenda: cum alioquin morbi quantitas exceſſuſque magnitudo cognoſci non poteſt. At ſi quiſpiam naturalẽ morbi temperaturam ſimul cum morboſæ temperaturæ magnitudine recte comparauerit, hic coniectura facile aſſequetur, quantum hic à naturali ſua recedat temperie: ita vt compertum poſtea fiat, quonam indigeat, vt ad priſtinum habitũ reſtituatur. Vt ex- 20 empli gratia (inquit magnus Auicennas) ſi ſalubris temperatura frigida fuerit, morboſa vero calida, tunc à ſua temperatura magno diſtat exceſſu, magnaq; indiget refrigeratione: quod ſi vtraque calida fuerit, modica refrigeratio ſatis erit: quare ex vtriuſq; curatio indicationis præſtatur. Neq; enim aliud eſt ipſa ſanatio, ſiue curatio, Galeni teſtimonio, quam præſentis in corpore affectus vitioſi in naturalem habitũ mutatio. Naturalẽ vero habitũ nuncupo illum, qui præfuerat anteaquã ægrotaret, etiamſi illud non carere vitio cognoſcamus. Cum aũt contrarijſint eiuſcemodi affectus, neceſſe eſt, vt per cõtraria fiat eorũ alterius in alterum tranſlatio. At id fieri debita conuenit menſura. Nõ enim ſatis eſt calido affectui admouiſſe frigida, niſi id cum modo fiat, vt Galenus ait. Metuendũ enim, 30 ſi infra modum id fiat, ne morbi reliquũ quidpiam relinquatur: Sin modum excedas, cõtrarium morbi genus inducas. Qui enim ſupra, quam par eſt, calidum morbum refrigerat, is ſanitatis mediocritate tranſmiſſa, aliũ excitabit morbum, qui ſit frigidus: quod quo minus accidat, naturam curandi corporis ſcias oportet. Determinata igitur remedii quantitas indicatur à quantitate, ſiue magnitudine morbi, & à naturali temperamento: duo enim hæc inuicem conferentes menſuram auxilii cognoſcimus. Hæc vera eſt ratio, propter quam vtendum eſt remediis cum morboſa diſpoſitione æqualibus nõ ſuperioribus, cum non conſtituamus, vt recte dicit Galenus, propulſato morbo, nouam introducere intemperiem: neque rurſus inferioribus vtendum eſt, quia non haberent vim propul- 40 ſando morbum. Sed hic eſt etiam atque etiam animaduertendũ, remedium infirmius morbo minuere quidem morbum, & ea ratione iuuare, ſed neq; prorſus tollere, neq; perſanare ſemel adhibitum: ſed identidem repetitum: atq; tunc par morbo, & æquale euadit. Et hæc ſanè medendi ratio cũprimis tutiſſima eſt, cum mediocris aliquiſpiã affectus curandus proponitur, vt lente paulatimq; eximatur. Non enim citra corporis offenſionem, magnamq; perturbationem, iacturamq; naturæ, vniuerſum repente demoliri licet: quod in contrariorum validorum pari robore, magna vi, & vtriuſq; iactura confligatur. Multoq; magis ſi corporis, aut affectæ partis ſubſtantia rara, aut eximio ſenſu prędita ſit. Ita enim pronunciauit Hippocrates, vniuerſum & repente, vel vacuare, vel replere, vel cale- 50 facere, vel refrigerare, vel alio quouis modo corpus mouere periculoſum: omne ſiquidem nimium naturæ inimicum. Paulatim vero quod fit, tutum. Cum enim lente id, paulatimq; fit, vtrique tum morbo, tum naturæ conſulitur. Morbus ſi quidem abigitur, natura quam minimum fieri poteſt offenſa. Bifariam autem lente, paulatimque curationem fieri contingit contrariis, quæ aut pari, aut inferiore ſint receſſus ordine. Nam & contraria paria, ſi exigua quantitate adhibentur:

bentur: & quæ inferiore sunt recessus ordine identidẽ repetita, morbum blande sensimq; eximunt. Quod enim ordine tertio frigidũ est, si paris ordinis morbo applicetur quantitate modica, non vniuersum potest semel repenteque discutere: at identidem sæpiusque repetitum potest. Atque hæc profecto tametsi copia non magnopere lædunt, tempore tamen qualitatis noxiæ labem corpori quandam inurunt, vt non admodum tutus sit illorum vsus. Non enim immodicum corporis calorem congruenter, vel oppio, vel mandragora, vel hyosciamo exigua licet portione repetita, extingues: neque exuberantem humorem parua portione, vel scãmonii, vel coloquintidis repetita vtiliter detrahes. Tutior longe altera est, quæ lente, paulatimque fit curandi ratio contrariis blandis, & quæ inferiore sint ordine, sed aut repetitis, aut interdum copia maiore adhibitis: sensim quidem, multoque ocio, & tempore affectum omnem depellunt, nullo, aut certe quamminimo corporis & virium dispendio, nec vlla qualitate noxia in corpus inducta: Ne tamen vsq; adeo imbecillæ, & languidæ sint remediorum vires, vt nihil fere proficiant. Si quidem morbus vehementior illas plerunque sic aspernatur, & contemnit, vt his, vel iteratis nihil cedat: sic vero blandæ sint, vt tamen aliquantum iuuẽt, ne remediorum blandimentis (quod sæpe fit) morbus exasperetur. Itaque si morbus fuerit vehemens, & maximum sit in mora periculum, æqualibus remediis tum gradu, tum quantitatẽ vtamur. Si vero adeo vehemens non sit, detque inducias, inæquali, inferiorique vtemur præsidio: aut quod sit inferius quantitate & mola, non gradu: aut quod sit inferius gradu, mole autem vel superius, vel æquale. Hæc summa est Medicorum sententia, quam verissimam esse quotidiana experientia in artis operibus ostendit. Qua nulla dari potest notitia, aut humanæ vitæ vtilior, aut magis conspicua. Qui vero omnibus morbis æqualia adhibet, hic male consulit humano generi. Multo magis Mercenarius hic meus, qui non vult vtendum æqualibus in gradu remediis, sed continuo superioribus. Qua medendi ratione tot occideret, quot fere curandos susciperet.

Cap. IIII.

Explicatio primi problematis, an æqualibus in gradu remediis vtendum sit ex Augenii sententia.

Expositis iam fundamentis nostrę tractationis disputationem cum nostro antiagonista Mercenario aggrediamur: is igitur cõtra Medicorum sententiam hoc modo ratiocinari videtur mihi. Omnis actio fit à proportione maioris inæqualitatis: æqualia in gradu non habent proportionem eiuscemodi: ab æqualibus igitur actio aliqua pro ipsorum morborum propulsatione fieri non potest. Huic rationi duobus modis veterum consuetudine, vt diximus, satis faciendum duximus. Primum per concessionẽ: mox vero per instantiam. Concessimus illi, & vltro dedimus omnem actionẽ fieri à proportione maioris inæqualitatis. Sed æqualium actionẽ diximus esse duplicem: aut enim illa agunt solitaria, aut cum alio agente complicata: dum sola agunt, corruptiuã edere actionẽ non possunt. Quandoquidem est impossibile, vt quod cum alio habet æqualem agẽdi potestatem, illud corrumpendi per se facultatem possidet (sermo enim noster versabatur circa actionem corruptiuam.) Quoniam quod aliud corrumpit, qua ratione id facit, est illo potentius. At vero si considerentur æqualia, quatenus connexa sunt cum alio agente in aliquod tertium ab vtroque corrumpendum; dicebamus actionem illam ex duobus agentib. productam, habere proportionem maioris inæqualitatis: quia quod per se non potest vnũ, per se efficere poterunt duo. Hoc vero in proposito casu cõtingere affirmabamus: nam concesso æquale remedium non habere vim corrumpendi totam latitudinem morbi per se: agens nihilominus in morbum simul cum natura proportionẽ maioris inæqualitatis acquisiuit. Hanc maiorem agendi efficaciam neutrum habet per se: non quidẽ natura, quia non indigeret remedio (tunc enim vtendũ est illo, cum suspi-

cio est naturam ex se morbum superare non posse) neque remedium superius est propter æqualitatẽ gradus,(quod iam admiseramus.) vtrunque igitur agens in morbum, possunt illum corrumpere, atque omnino destruere: actioque vtriusque superior esse dicebatur. Propterea considerans hæc ipsa, & diligenti studio meditatus, recordor me in epistola ad Mercenariũ rescripsisse. Ab æqualibus non fieri actionem corruptiuam in corporibus non viuentibus: in viuentibus vero fieri propter actionem naturæ adiuuantem hoc opus: quod alioquin sola perficere aliquando cõsueuit: ac idcirco dixisse Hippocratem, naturam esse morborum medicatricem: ipsaq; remedia conuenire, vt naturæ instrumenta. Verum ne putet Mercenarius me aliquid addere, quod in prima responsione non dixerim: epistolæ mea verba recenseo, quæ sic habent. Dicimus primum actionem nunquam inter paria fieri, quia natura ex se sola longe superior est morbis, cum sponte illos discutit: cum vero adiuuatur arte, pariter superat morborum vehementiam. Ab æquali in gradu in corpore non viuente actio non fit, vt viuat. In viuente fit, non quatenus æquale, sed quatenus cum natura principaliter agente connectitur. Quamobrem duo contraria conspirant in vnum, natura vt precipuum agens: auxilium, vt agens secundarium, quod alioquin per se corrumpendo nihil efficeret. In hunc modum actionem hanc fieri dicemus à proportione maioris inæqualitatis,] hæc prima fuit solutio. Secunda vero fuit per instantiam, quam certe haud magis assecutus est, quam priorem Mercenarius. Propositum nostrum fuit ostendere, ab æquali in gradu fieri actionem corruptiuã morbi; quamuis in aliis rebus corruptiua dici fortassis non debeat: Verba explicantia illam solutionem hæc fuerunt. An etiam fortassis cum Aristotele sentiendum actionem esse duplicem. vnam, qua contrarium omnino corrumpitur. Aliam, qua contemperatur. An non breuissimis omnis esset dissoluta dubitatio? Nam temperatione non erit amplius morbus, cuius natura in excessu consistit. Introductam verò à temperatione dispositionem mediam, natura facile superabit.] hæc ego. Quomodo vero contemperatiua actio quędam fit corruptiua morbi, explicabitur loco suo diligentius. Alia etiam ad hanc disputationem pertinentia ibidem scripsimus, quæ admodum oscitanter legit: quando quidem si accuratius legisset, in eos certe non peruenisset errores, quos illi parum infra sum explanaturus.

CAP. V.

Mercenarium quædam falso imposuisse Augenio.

MErcenarius postquam mihi vitio vertit nimis diuturnã responsionem dedisse: proposita mea explicatione, sic scriptum reliquit. Attamen si responsio hæc accurate perpenditur inanis est, & erroribus plena: qui, vt omnibus pateant, eius dicta accipio. dicit primo. Remedia secundum gradum æqualia morbi adhibita, vt æqualia sunt, contra morbum non agere: sed prout imparia, morboque superiora sunt. Dicit secundo, remedia ad agendum validiora fieri ope naturæ, quæ animal conseruat.] Hæc ille deducit ex mea opinione: propterea totis viribus innititur reprobare vtramque propositionem: sed antequã ad aliorum examen veniamus, ne quid intactum relinquatur, in supradictis primum insistamus. Perperam certe me tardæ responsionis arguit: nam caussas tarditatis in ipsa præfatione aperuimus. Sed pone, nullam adfuisse caussam, an propterea culpandus fuisset Augenius? quid si in nonum annum reponere voluissem? quid si non ita præparatus ad respondẽdum? quid si non tam acuto præditus ingenio, quam se ipsum fortasse facit? Quid præterea absurdi, si tuam illam importunam disputationem aggredi noluissem? sed obseruat oculatus Mercenarius festucam in oculo Augenii, neque trabem in oculo suo. Quod dare noluerit responsionem, nisi anno præterito post receptas literas, Augenius à Mercenario reprehenditur: at ille interim laudabitur responsionem retardans, ad Augenium annis duobus cum dimidio de rebus potissimum, quæ ad Philosophiã, quam profitetur publice, pertinent? leuia fortassis hæc. Sed cur quęso inanem, & erroribus plenam

plenam dedisse Augenium responsionem gloriatur? quæ sunt ea in Epistola à me inaniter dicta? quo iudice sic censet? ille ne igitur agonotheta & iudex? sic ille non de Augenio modo, sed de Galeno, & de omnibus Medicis victorem se euasisse pronunciat? Perscrutabimur postea, vtra sit opinio inanis, & erroribus plena. Nunc videamus, quem exitum habeant tuæ propositiones, tuas merito nuncupo, cum te illas effinxisse, & somniasse sum breui ostensurus. Hæc propositio. Remedium æquale in gradu non agit in morbum vt ęquale, sed vt superius & proportionem maioris inæqualitatis habens,] pronunciata à me nunquam fuit: neque tacite ex meis deducitur verbis: somnium igitur erit Mercenarii.
10 Primum, nunquam negaui, ab æquali in gradu fieri actionem posse: vtpote qui sciam, & omnino profitear non ab æquali modo, sed etiam ab inferiori actionem fieri. Sed in illius gratiam admiseram ab æquali non fieri actionem corruptiuam, propterea concludebam. Auxilium solum, & per se consideratum æquale morbo, ex concessione iam facta, nihil prorsus efficere corrumpendo. Et hoc rursus dicere volebam hisce verbis: Ab æquali in gradu in corpore non viuente actio non fit (vt aiunt) in viuente fit. Æquali igitur in gradu agit in æquale contemperando: quæ sane contemperatio quo ad aliquid corruptio est, vt in examine secundæ rationis dicam. Præterea, nec aliquando dixi remedium æquale agere, vt superius. Nam quod est æquale per se, superius esse non potest. Sed di-
20 xi: Non agere æquale remedium in morbo actione corruptiua: quod illi concesseram, licet omnino falsum esse scirem. Propositio, quæ ex mea sententia deducitur, hæc fuit: Remedium, & natura in modum agentia, habent proportionem maioris inæqualitatis. Hæc mea fuit assertio: quam confirmaui parum postea, dum tuæ rationi satisfaciebam, his verbis: Tamen humidum vt duo applicatum sicco, vt duo, habebit perpetuo victoriam natura ipsa agente cum humido.] Et parum infra dicebam: Quia quantumuis morbo impar, superius tamen redditur contrarium adiutum actione naturæ.] Videas igitur me semper duas agentes causas inuicem connectere: vnam præcipuam & internam: aliam secundariam, externamq; : duas hasce caussas in morbum agentes habere
30 proportionem maioris æqualitatis. Tu vero diuidis duas hasce caussas, imponisq; mihi, quod dixerim, remedium æquale agere vt superius. Exitum cognouit primæ assertionis Mercenarius, aggrediamur secundam. Vnde quæso hanc Mercenari deducis propositionem? legito accurate totam Epistolam, perpendito diligenter singula verba, nunquam inuenies ab Augenio dictum, remedium æquale in morbum agens maiorem agendi vim atq; potestatem acquirere opera ipsius naturæ. At certe illud colliges, remedium euadere superius morbo simul cum actione naturæ. Aut etiam naturæ actionem simul cum æquali remedio euadere superiorem morbo. Hasce admitto libentissime assertiones: quia sic mea fuit opinio, ex quibus colligi non potest, remedium acquirere va-
40 lidiorem agendi vim, quam antea habuerit naturæ beneficio: sed vtrunq; agens suam vim seruans, dum simul conspirant contra morbum, habere proportionem maioris inæqualitatis. Decebat sane Mercenarium, meas hasce reprobare propositiones: idcirco cur id facere prætermiserit, vehementer admiror. Nisi fortassis diceremus, studium & contradicendi cupiditatem in caussa fuisse erroris huius: ideoq; somnium illum proferre voluisse in medium, bene conscium sibi ipsi, quod cum illæ non potuerint reprobari, effingendas alias vt reprobaret, vtq; hinc occasionem consequeretur dilucidandi veritatem, more alioquin suo, nostro seculo incognitam.
50

Cap. VI.

Quomodo quod est æquale sua natura, quo ad aliquid possit nuncupari superius, & inæquale, contra Mercenarii sententiam.

De propositionibus à Mercenario Philosopho propositis, satis diximus, ex quibus colligere potest ille, quem exitum habitura sit illius disputatio, cuius

fundamenta ſtatim corrunt, & ſine machinis: propterea omnis inter nos remo-
ta videri poſſet controuerſia, circa diſſolutionem primi problematis, cum aliud
ego dixerim, ille vero aliud ſenſerit, & reprehendere conetur. Sed tamen ne
ſubterfugere diſputationem videar, experiri in animo eſt, quid acutiſſimo in-
genio præditus contra meam ſcripſerit ſententiam. Audienda itaque ſunt illius
verba, quæ immediate ſubſequuntur. Sic enim habent: Circa primum dictum
duo committit errata, primo vir iſte ſibi ipſi non conſtat, quoniam in hac ſolu-
tione inquit: Remedia paria ſecundum gradum morbis adhibita, vt paria ſunt,
contra morbum non agere, ſed vt ſuperiora ſunt, maiorisque inæqualitatis pro-
portionem habent: paulo autem inferius oppoſitum ait: Reddens enim ratio-
nem cur eſt, ſi remedia in inferiori etiam gradu adhiberi poſſunt, Galenus aſſe-
ruit, morbis remedia ſecundum gradum æqualia adhibenda eſſe, inquit, vt Ga-
lenus indicaret remedia morbis ſecundum gradum ſuperiora adhibenda non
eſſe: verba ipſius hæc ſunt: Reſpondeo, Galenum parem dixiſſe gradum, vt o-
mnino neget ſuperiorem, non autem inferiorem gradum licet inferiori, nun-
quam licet ſuperiori vti.] Iam vero ſi remedia & inferiora, & paria, nunquam
autem morbo ſuperiora eſſe debent: igitur quod in hac reſponſione ab ipſo eli-
citur, quod licet remedia morbis paria ſint, non vt paria concurrant, ſed vt mor-
bo ſuperiora ſunt, non conſiſtit: & vnum alterum euertit. Labitur ſecundo,
quoniam ſi remedia ſecundum gradum æqualia nihil quicquam (vt ait) cor-
rumpendo efficiunt, ſed vt ſuperiora: maiorique proportioni inæqualitatem
habentia: igitur non paria morbis ſecundum gradum remedia, ſed ſuperiora
adhiberi debent: vt connexum huiuſmodi ſit: Remedia adhibentur, vt mor-
bum proſternant: iam vero non vt paria, ſed vt ſuperiora (vt ait) morbum pro-
ſternunt. Igitur non paria, ſed ſuperiora adhiberi debent: non ergo congru-
enter à Galeno decretum eſt, paria morbis remedia ſecundum gradum adhi-
benda eſſe.] Hæc Mercenarius contra priorem aſſertionem ex meis verbis, il-
lius tamen ſententia, elicitam, ſcripſit. Sane illud primo loco dicendum eſt:
nullam omnino in meis dictis inueniri contradictionem. Nam haud abſur-
dum eſt aliquod æquale, & inæquale dici vario reſpectu: quemadmodum ma-
gnum aliquid eſſe dicitur in comparatione ad vnum, quod alterius reſpectu
paruum eſt: mons, inquit Ariſtoteles in categoriis in relatione ad ſinapim, eſt
magnes: at in relatione ad maiorem aliquem dicetur paruus: ſic par & impar,
æquale & inæquale. Hæc equidem ex eorum eſſe numero, quæ in relatione
ad aliud dicuntur, adeo eſt verum, vt dubitari non poſſit: idcirco prout varia
ſit relatio, varie ſe habent. Remedium, vt rem ad noſtram diſputationem con-
traham, æquale eſſe poteſt ratione gradus: inæquale ratione operationis: ſimi-
le eſt de igne, cuius gradus ſemper æqualis eſt in omni igne, efficientia vero
non eſt par, ſed inæqualis: vt ſi ignem in ferro ignito imagineris, & in palea.
Æquale itaque poteſt eſſe remedium, at maior efficacia eſſe poteſt ſupra gra-
dus æqualitatem: quæ res contingere non poteſt propter gradus, ſed ob aliud.
Æquale remedium ſi ea conſideretur ratione, qua in omnibus æquale eſt, nun-
quam habebit vim corrumpendi ex fundamento poſito, & noſtro antagoniſta
conceſſo. At vero ſi conſideretur, quatenus agit in viuente corpore: quod eſt
dictu, quatenus ſimul cum remedio agit natura ipſius corporis, eatenus qui-
dem ſuperius morbo ſtatuitur: actioque ex his duobus compoſita corruptiua
eſt. Habetque ſemper proportionem maioris inæqualitatis. Vides igitur,
quod remedium æquale per ſe conſideratum, non opponitur remedio agente
in morbum ſimul cum natura. Cum dico: Remedium æquale non agere in
morbum, intelligo actionem corruptiuam: id enim explanabam infra, dicens:
Quod alioquin ſolum nihil prorſus efficeret corrumpendo.] Idcirco ſi hanc
habere debet actionem, remedium opus eſt, vt illam habeat ab alio: id vero il-
li contingit ex connexione naturæ. In his nulla oppoſitio eſt Mercenario: cum
omnia inuicem conſentiant: Nunquam licet (repeto libenter, vt qui aſſequi
meam opinionem nolueris, nunc planius aſſequaris) vti remedio in gradu ſu-
periore

periore pro morbo propulsando. Licet vti æquali remedio ratione gradus: quod æquale remedium naturæ actione fit superius morbo. Hæ duæ opponuntur propositiones: Remedium in gradu æquale: remedium in gradu non æquale: estque oppositio in gradu. Istæ vero non opponuntur. Remedium æquale non habet actionem corruptiuam in morbum, vt æquale: & remedium æquale corrumpit morbum, vt alterius ratione illo superius euadit. Hæc etiam manifestum faciunt secundam illius rationem, nihil concludere: quæ res, vt pateat omnibus, eam sic breuiter propono: Illis remediis vtendum est pro morbis profligandis, quæ vim habent illos currumpendi. Atqui æqualia remedia in gradu non corrumpunt: illa igitur adhibenda non sunt. Hanc ego arbitror summam demonstrationis Mercenarii: sed certe, si bene iudico, non concludit. Est enim minor falsa dupliciter: tum ex concessione, tum re ipsa. Dico, falsam esse ex concessione: quia admisimus iam ab æquali per se, & solum considerato non fieri actionem corruptiuam morbi: sed tamen nunquam admisimus, ab æqualibus simul cum naturæ actione fieri corruptionem non posse. Æqualia igitur remedia hac ratione corrumpunt morbum: propterea dum acutus Mercenarius inquit: Quod remedia secundum gradum æqualia nihil quicquam corrumpendo efficiunt. Dico, non recte fuisse dictum. Sed debebat sic proferre, nempe: Remedia secundum gradum æqualia sola nihil quicquam corrumpendo efficiunt. Ego enim ea in Epistola ita scripseram: Auxilium, vt agens secundarium, quod alioquin solum (velim notari hanc dictionem) nihil efficeret corrumpendo. Rursus, falsa est ea propositio, non ex concessione, sed etiam re ipsa: quia remedia æqualia prorsus corrumpunt morbum, vt explanabo loco suo diligentius. Quamobrem, quæ ipse hisce verbis dicit, omnia falsa sunt. Si remedia secundum gradum æqualia nihil quicquam (vt ait) corrumpendo efficiunt.] hic addere debebat, sola. Deinde vero, cum addit: Sed vt superiora, maiorisq; proportionis inæqualitatem habentia.] Somniat. Nunquam admisit Augenius, remedia æqualia esse superiora per se: sed hoc habere ab alio, vt à mutua opera naturæ in propulsando morbo. Hæc sane de primis rationibus Mercenarii sufficiat dixisse.

CAP. VII.

Naturæ nomen multiplicem habere significationem, & de qua sit in proposita disputatione intelligendum.

SECVNDA propositio, quam reprobandam suscepit Mercenarius, erat, quod naturæ beneficio remedia non acquirebant maiorem agendi potestatem. Pro qua re demonstranda, multa dicit de naturæ operibus, quæ cum à nobis examinanda sint diligenter, expedit prius, omnem è medio ambiguitatem tollere, quæ posset reddere nostrum negotium magis obscurum. Naturæ itaque nomen, quoniam multiplicem habet significationem, prius distinguendum est, mox autem explanandum, de qua instituta sit à nobis in hac disputatione tractatio. Boetius itaque in libro, cui titulus est, de duabus naturis, & vna persona Christi: quatuor modis naturam sumi posse docuit: Primum (inquit) natura capitur pro omni re, siue substantia fuerit, siue accidens, & potest sic definiri: Natura est earum rerum, quæ cum sint quoquo modo, intellectu capi possunt. Deinde, pressius accipitur natura, pro substantia tantum, siue corporea, siue incorporea, & sic definitur: Natura est, quod facere, aut pati, aut vtrunque potest. Deus tantum est agens, materia tantum patiens: anima vero, & aliæ res similes, & agunt, & patiuntur. Præterea etiam angustius sumitur pro tota substantia corporea, & hanc Aristoteles definiuit libro secundo Physicorum, cum ait: Natura est principium motus, & quietis eius, in quo est, primo, & per se, & non secundum accidens. Postremo (inquit) sumitur natura pro vltima & propria differentia cuiuscunque rei, vnde dicimus, aliam esse naturam auri, & a-

liam argenti, & varias esse naturas animalium, poteſtque ſic definiri: Natura eſt vnamquamque informans ſpecifica differentia.] Hæc Boetius. Aliæ præterea ſunt naturæ ſignificationes apud Philoſophos, & apud Medicos. Ariſtoteles enim libro ſecundo de auſcultatione Phyſica vocauit generationem naturæ nomine, quia erat via in naturam. Galenus vero in arte Medica, atque paſſim alibi vocat naturam conſtitutionem corporis conſtantem ex temperamento ſimilarium partium, conformatione organicarum, & vnione earundem. Rurſus vero temperamentum duntaxat vocare, conſueuit naturam: vt cum primo libro de ratione curandi ad Glauconem Philoſophum ait: Non ſolum communem omnium hominum naturam, ſed etiam propriam atque particularem eſſe cognoſcendam. Adhæc vero natura ſignificat etiam Hippocrati temperamentum, vt aperte admodum declarauit ille primo libro de hominis natura. Præterea naturæ nomen vſurpatur Galeno pro calido innato, de quo primo aphoriſmorum, commentario decimoquarto dicebat: Animalium naturam nil aliud eſſe, quam innatum calidum, ſecundum Hippocratem. Hoc ipſum animal à principio generaſſe, conformaſſe, adauxiſſe, & vſque ad mortem enutriuiſſe. Atque libro ſecundo ad Glauconem, calidum innatum eſſe dicebat, aut animam, aut ſaltem proximum illius inſtrumentum, quod etiam dicebat libro de rigore palpit. capite ſexto. Libro vero, quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, millies (vt ſic dicam) ille apertum fecit, temperamentum eſſe corporis formam: atque vnumquodque eſſe id, quod eſt propter temperamentum calidi, frigidi, humidi, & ſicci; quodque res ipſæ conſtant ex materia & ex temperamento. Neque videtur Ariſtoteles habuiſſe aliam ſignificationem naturæ, in quarto libro Meteorolog. cap. de putredine, cum agens de iis, quæ ſecundum partem putrefiant, ſic dicebat: Quinimo proprie dicitur putrefactio in iis, quæ ſecundum partes corrumpuntur: cum ſeparata fuerint à natura.] Cum itaque naturæ nomen tot habeat ſignificationes, quæritur, de qua propoſita ſit tractatio in hac diſputatione. Reſpondeo, me naturæ nomen intelligere primum temperamentum totius, & partium Medicorum omnium conſuetudine. Deinde calidum etiam innatum audire ſuis facultatibus prædi- tum: & in hac re, cum Mercenario conſenſus adeſt, quia infra admittit calorem naturalem nuncupari poſſe naturam. Num autem formam vltimam vniuſcuiuſque rei intelligere debeamus, infra diligentius explanabitur. Interim vero non ſit aliqua lis inter nos, an temperamentum proprie nuncupari debeat natura: an autem ſit naturæ inſtrumentum: quia primum ſatis habeo ab antiquiſſimis authoribus fuiſſe naturæ nomine inſignitum: Mox autem ſi inſtrumentum eſt, erit veluti quædam diſpoſitio, & via ad introducendam formam, quam tamen Ariſtoteles nuncupauit naturam.

CAP. VIII.

An natura & eſſentia rei animatæ ſiue inanimatæ per ſe vim habeant alterandi ex Mercenarii ſententia.

POSITO in hunc modum noſtrę diſpoſitionis fundamento, experiamur modo, quibus machinis egregius Mercenarius ſecundam propoſitionem euertere conetur. Quod igitur in ſuperioribus fecimus, id nunc faciamus, illius verba in medium afferentes: quibus me ſic aggreditur. Labitur præterea circa alterum dictum, cum inquit: Contrariam qualitatem morbo applicatam, tametſi propriis viribus morboſæ qualitatis exuberantiam euincere non poſſit: naturæ tamen auxilio & ope illam corrumpit. Vt ſi in ardente febre ſecundum tres gradus fuerit caloris exceſſus, & huic frigus ſecundum totidem gradus adhibeatur, & prout cum animalis natura connectitur ad agendum vel refrigerandum validius redditur, vt caloris æſtum perdat atque corrumpat. quo certe nihil abſurdius dici poteſt. Quoniam ſi frigidum, vt tria caloris exuberantiæ ſecundum totidem gradus adhibeatur, & prout cum animalis natura conne-

connectitur validius, ad refrigerandum efficitur, ita vt caloris excessum restringat, quod per se ipsum efficere non valet, aut hoc est, quoniam animalis natura & ipsa refrigerandi vim atque naturam habet: aut quia animalis natura plures impartitur frigiditatis gradus, ex quorum additione frigidum, vt tria validius efficitur ad refrigerandum. Sed nec vnum, nec alterum certe dici potest. Non primum, quoniam nulla corporum naturalium essentia & natura, siue animata, siue inanimata sint, per se alterandi, aut refrigerandi, aut humectandi vim habet, vt primo de ortu & interitu capite de actione & passione ex Aristotele colligitur: vbi alterandi vis atque natura primis qualitatibus solum accepta refertur. 10 cuius ratio in promptu est: quoniam refrigerare & humectare, & consimilia primarum qualitatum propriæ essentialesque operationes sunt: frigus enim vt frigus frigefacit: humidum vt humidum humectat, ita etiam calor. Igitur huiusmodi opera solum primis qualitatibus conueniunt, aliis vero mediis iis: vnde substantia ignis media caliditate calefacit: seclusa vero caliditate nequaquam alterat, aut calefacit. Vt libro de sensu & sensiterio Aristot. declarauit, inquiens: Ignis, qua ignis non agit, sed prout calidus est, & consimiliter de cæteris.] Hæc Mercenarii opinio est. Cuius summa in hoc consistere videtur mihi. Si remedium validiorem acquirit agendi potestatem opera ipsius naturæ: aut natura habebit vim alterandi: aut natura plures gradus frigiditatis impartietur medi- 20 camento: sed neq; primum, neq; secundum admitti potest: Non primum, quia nulla essentia & natura habet vim alterandi: quia alteratio ad primas qualitates pertinet: natura non est prima qualitas: quomodo autem deducat secundum, explanabimus postea.

Cap. IX.

Rei naturam pro temperamento & calore naturali habere per se vim alterandi.

30 HVIC rationi iam satis superq; in superioribus responsum à nobis fuit, dum ostendebamus, quomodo semper actio fiebat à proportione maioris inæqualitatis à remedio æquali: nam hoc ipsum & natura, dum simul agunt in morbum, dicuntur illo superiora, cum omnino corrumpant. Duo homines trahunt aliquod pondus, cum tamen vnus trahere non possit: sic remedia & natura simul corrumpunt morbum, omnemque excessum, quem neque remedium per se solitarieque sumptum, (sic ego admiseram) neque imbecilla natura potuissent corrumpere. Sed nunc nostra consuetudine admittamus hoc suppositum etiam omnes consequentias, & ostendamus Mercenarium, Philosophum acutum, nihil penitus concludere. Quamobrem admittere volo ambas consequentias: cum vero postea dicit: sed neque vnum, neque alterum dici potest. 40 Nos id ipsum omnino negabimus: quia tum hoc, tum illud admittendum esse demonstrabimus. Et prius ostendam, naturam habere vim alterandi, tum per se, tum per accidens: mox vero explanabo modum, secundum quem remedium validiorem acquirat agendi potestatem ab ipsa natura. Quod pertinet ad primum, demonstrabimus temperamentum, & calorem naturalem habere per se vim alterandi: postea vero idem docebimus de natura, vt pro rei vltima forma substantiali sumitur. Vt igitur quod docere fueram pollicitus, exequar, de temperamento sic dicere aggredior. Quodcunque ex quatuor elementalium qualitatum permistione constat, per se vim alterandi possidet. Temperamen- 50 tum constat ex eiuscemodi permixtione: ergo temperamentum habet per se vim alterandi. Atqui temperamentum est natura eius corporis, cuius temperamentum est: itaque natura per se vim habet alterandi. Nihil est in hac ratiocinatione, nisi tamen decipior, quod facere possit difficultatem, cum alteratio primis qualitatibus, & iis, quæ ex primis proficiscuntur, accepta referatur. Præterea, nisi mutua hæc fieret in omnibus corporibus mixtis viuentibus, tam similaribus, quam dissimilaribus, alteratio: sanitas produci & conseruari, quinimo

v. 487. 4

neque morbus gigni posset. Est enim sanitas, vt rem breuibus prosequar, optima temperies & constitutio corporis, causata ex mutua actione & passione primarum qualitatum. Morbus vero est intemperies, & ametria primarum qualitatum sese inuicem non seruata naturali proportione alterantium. Omne mixtum habet in se quatuor qualitates contrarias, ac pugnantes, quæ cum seruant suam proportionem in generatione acquisitam, mixtum illud conseruat seipsum: Cum vero vna earum exuberat, plusquam oporteat, & ratio mixti patiatur, opprimit reliquas: atque hoc modo dissoluitur illa proportio elementorum mixti naturam conseruans. In animalibus certe alia inest magis particularis ratio conseruationis, & corruptionis ex ipsa alteratione proficiscens: cum enim constet ex dissimilaribus partibus, habent singulæ suum temperamentum diuersum, ex cuius mutua alteratione conseruatur animal, dum proportionem seruat naturalem. Contra vero ægrotat, & moritur, quando naturalis commoderatio non seruatur. Adest in animalibus caro calida & humida: ossa, cartilagines, membranæ, fibræ, nerui, venæ, arteriæ, frigidæ & siccæ. Calidum & siccum est cor: illi oppositum frigidum & humidum cerebrum. Sanguis calidus, humidusq́; melancholia frigida & sicca. Pituita frigida & humida est, bilis flaua, calida & sicca. Ex harum partium & humorum mutua alteratione conseruatur sanitas, & optimæ fiunt actiones: cum vero ametriam patiuntur, proportio illa & concentus admirabilis permutatur, ægrotat, postea vero moritur corpus animatum. Hoc sane modo partes calidæ & siccæ alterantur à frigidis humidis: & calidæ atque humidæ patiuntur à frigidis & siccis: dum vero hæc actio mutua fit secundum naturam, sanum est: dum vero limites naturæ excedit, corpus ægrotum fit. Hanc mutuam alterationem, eiusque necessitatem declarasse mihi videtur Diuinus Hippocrates libro περὶ Διαιτῆς primo, dum ait: Τὸ μὲν ἓν πῦρ καὶ τὸ ὕδωρ ὥσπερ εἰρέεταί μοι, αὐτάρκεά ἐστι πᾶσι διὰ παντὸς, ἐς τὸ μήκιστον καὶ τοὐλάχιστον ὡσαύτως. Τούτων δὲ προσκέεται ἑκατέρῳ τάδε. Τῷ μὲν πυρὶ, τὸ θερμὸν καὶ τὸ ξηρόν. Τῷ δὲ ὕδατι ψυχρὸν καὶ τὸ ὑγρόν. ἔχει δὲ ἀπ' ἀλλήλων, τὸ μὲν πῦρ ἀπὸ τοῦ ὕδατος τὸ ὑγρόν. (ἔνι γὰρ ἐν ὕδατι ἀπὸ τοῦ πυρὸς ξηρόν.) quod est: Ignis igitur & aqua (veluti à me dictum est) sufficiunt omnibus vniuersim ad summum vsque similiter, & ad minimum. Cæterum vtrique horum hæc adsunt. Igni quidem caliditas & siccitas. Aquæ vero frigiditas & humiditas. Obtinent autem à se mutuo, ignis quidem ab aqua humiditatem (inest enim ei ab aqua humiditas) aqua vero ab igne siccitatem (inest enim aquæ ab igne siccitas.)] Hæc ille. Qui toto eo libro eorundem principiorum alterationem & proportionem in partibus, & in humoribus recognouit. Aristoteles etiam hoc idem scriptum reliquit, cum docere voluit, quam ob caussam corde existente calido, & sicco, natura cerebrum frigidum, humidumq́ue constituere voluerit: eam reddit causam, vt fieret contemperatio caloris. Verba sic habent libro de partibus animalium secundo, capite 7. Cerebrum igitur calorem, feruoremq́ue cordis moderatur, & temperiem affert.] Vides, hic vnam partem contemperare aliam, & vnius temperamentum agere in temperamentum alterius. Ponamus itaq;, ex multis partibus vnam quampiam morbosam pati intemperiem, cur aliæ, quæ sanitate fruuntur, in morbosum agentes non valebunt contemperare, & alterare illam vsq; ad restitutionem in integrum? Arbitror me iam exposuisse aliquam naturam habere per se vim alterandi: quia alterandi potestatem habet ipsum temperamentum: propterea aberrasse Mercenarium Philosophum, quando dicebat, nullam naturam eiuscemodi habere facultatem. Nunc vero de calore naturali idem ostendamus. Caloris naturalis nomine non intelligimus simplicem qualitatem, sed permixtam ex omnium elementorum qualitatibus vincente caliditate & humiditate: sed ita quidem cōtemperata, vt pro vitæ functionibus obeundis, idonea quædam fit causa: hunc vero calorem ex frigiditate permixtum esse, præterquam quod à Galeno libro septimo de placitis Hippocratis & Platonis, capit. 5. libro de rigore. palpit. & couuul. capite sexto, primo Aphorismorum, decimoquarto. & alibi sæpe dictum fuit à nobis etiam

in libro

in libro huic tractationi dicato est explanatum. Duobus autem modis considerare possumus eiuscemodi calorem: vno modo quatenus mixta est temperies ex omni elementorum qualitatibus resultans. Alio modo quatenus forma corporis animati illo vtitur tanquam concaussa operationum, vt cum Aristotele loquar, libro secundo tradit de anima tex. 41. in quo non dicit, calorem, siue ignem animæ instrumentum esse, vt Mercenarius ait: nam in contextu græco, neque in latino bonæ traductionis adest verbum illud instrumentum,] sed illius loco, concaussa.] Plurimum autem differt concaussa, & instrumentum, vt alibi copiosius exponemus: modo hac distinctione stante, dico, quod quomo-
10 docunque consideremus calorem naturalem, quod semper facultatem habet per se alterandi. Iam vero calor quatenus calor est consideratus per se, continuo vim habebit calefaciendi, quod est alterandi: qui contendent calorem naturalem simplicem esse caliditatem, hunc effugere locum non possunt: quia natura est Mercenario, vt ex eius verbis constat. Per se tamen alterat, quia per se calefacit. At si contemplabimur hunc calorem, quatenus concaussa est animæ ad operationes illius exercendas: tunc asseuerandum est, hunc non modo calefacere, sed refrigerare, humectare, siccare, omnesque tandem operationes facere, ad quas ab anima dirigetur. Hic enim concoquit, attrahit, expellit, retinet, generat, format, nutrit, auget, & vsque ad vltimum vitæ terminum animal
20 perducit, Galeni testimonio primo Aphorismorum, commentario decimoquinto. Hic idem calor dum hasce operationes exercet, refrigerat, aliquando exiccat, & humectat: pro vt fuerit necessarium pro indiuidui generatione, aut conseruatione, refrigeratione, exiccatione, & humectatione. Dum generat ossa, neruos, & fibras, aliasque id genus partes temperamento frigidas & siccas: opus est materiam illam seminis aptam ad illorum generationem alterari ad frigidum, & siccum ab ipso agente: hoc agens calor est naturalis. Sed quomodo fiet hæc alteratio à calore, si solam caliditatem habebit? Id vtique fieri non posset. Ideo agit, qua frigiditate bene contemperatus est, & siccitate: quarum qualitatum caussa materia seminis crassior, frigidiorq;: multo facilius disponitur
30 ad recipiendam formam ossis. idem sit iudicium de aliarum partium generatione: & de nutritione, quam fieri non posse constat, nisi alteratio præcedat alimenti idonea à calore facta; à quo alimento alterari partem nutriendam oportet. Multo autem fient hæc illustriora, si perlustrabimus modum secundum quem fit expulsio, attractio, & concoctio, & retentio: quæ actiones licet in partibus fiant, proficiscuntur tamen merito temperamenti caloris naturalis, & proprii ipsarum partium expulsionem adiuuat frigiditatis, & siccitas attractionem & reactricem sine adminiculo siccitatis fieri non posse, certissimum est: Concoctrix humiditate potius gaudet. Calor itaq; naturalis expulsionem faciet, non quatenus calor duntaxat, sed quatenus frigido, siccoque iuuatur, concoctionem
40 idem faciet magis caliditate, & humiditate, quam aliis qualitatibus adiutus, propter siccitatem magis retinebit. Hac de caussa, quamuis alias etiam adesse non inficiar, oportuit calorem naturalem ex quatuor qualitatibus elementorum fuisse constitutum. Vt instrumentum esset animæ (liceat loqui, vt alii improprie, communiterque loquuntur) ad diuersarum partium functiones diuersas. Cæterum si consideremus calorem naturalem, quatenus temperies quædam est, fiet (nisi fallor) omnibus manifestum, hunc habere facultatem alterandi per se, vt calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & siccandi. Calefaciet quidem frigidiores partes: refrigerabit calidiores, quarum caliditatem, extremam remittet. Humectabit quæ magis siccæ sunt, & exiccabit humidas: quam rem, quia
50 non cognouit hic Mercenarius Philosophus, & videre non potuit, quomodo à calore naturali fiat refrigeratio: hic ego in illius gratiam id explanare conabor libenter: sed supponere oportet vnum, quod calor naturalis est qualitas quædam ex omnium elementalium qualitatum permixtione constans: Etenim substantia qualis est, talis est à substantia proficiscens qualitas Calidum innatum pro corpore, & substantia calida est mixtum corpus ex omnium ele-

mentorum ſubſtantiis primo aphoriſm. commentario decimoquarto: ſic qua-
litas ex hoc proficiſcens corpore eandem habere permiſtionem debuit. Hæc
ab illo prætermiſſa, & negligentius fortaſſis explanata, ſupponantur in præſen-
tiarum tanquam vera: dum meam de hac materia tractationem diuulgabo.
Suppoſitum igitur ſit temperatum eſſe calorem naturalem, & multo minus in-
tenſum, quam ſit calor febrilis. Tunc ſic inſtemus. Omne remiſſum remittit,
atque minuit intenſum, quod remittit, alterat: ergo omne remiſſum alterat in-
tenſum. Calor febrilis eſt intenſus, quia igneus: ergo naturalis calor remittit
febrilem, alteratq;. Noſtræ huius ratiocinationis aſſumptum probatur verbis 10
Galeni in tertio de ſimplic. medicamentorum facultatibus, cap. ſexto, cum ait:
Quippe ſi duabus aquis calidis, quarum altera plus, altera minus caleat, miſceas
minus calentem magis calenti, huius certe feruorem extinxerit.] Atque rurſus
capite ſeptimo, inquit: Non ergo ſtupenda magnopere res eſt, ſi quicquam
eorum, quæ proprie, & per ſe ſunt calida, cum calidiore commixtum frigidius
ipſum efficere queat. Ea eſt enim alterabilium corporum omnium communis
natura, vt ſi in ſe agant, & patiantur admota, quod minus eſt calidum à magis
calido calidius euadit: quod vero magis calidum à minus calido contra affici-
tur.] quam rem probat ille pulcherrimo quodam exemplo vrinæ hiſce verbis
vſus. Propoſuit autem mihi dudum quiſpiam, quamobrem in balneis frigi-
dum meiamus, foris vero calidum: haud intelligens in balneis vrinam qui-
dem perinde ac foris tepidam eſſe: verũ nos non æque intrinſeca corporis ſuper- 20
ficie, & dum lauamur, & antea affectos eſſe: nam in balneo ipſo calidior ea no-
bis eſt, quam vrina, extra autem frigidior. Quare & vrina non ab re illi calida
extra balneum apparet, in balneo autem frigida: quod enim minus, quam i-
pſa calidum ſentitur, velut refrigerans habet: quod autem magis calidum, tan-
quam excalefaciens. Liceat vero tibi periculi faciundi cauſſa, poſtquam abun-
de lauando incalueris pelui aquæ modicæ tepidæ intro iuſſu tuo allata in eam
manum, aut pedem immittere; apparebit enim aqua non tepida, ſed admodum
frigida: at ſi protinus balneum ingreſſus aquam peluis tetigeris, minus videbi-
tur frigida: perpetuo enim quanto plus fueris præcalefactus, tanto apparebit
frigidior: nec mirum videri debet, ſi putealium aquarum pleraque, quæ videli- 30
cet fontes profundos admodum habeant contactæ hyeme videantur tepidæ: at
ſi à balneo manibus contingas calidis multoque magis, ſi etiamnum in lauacro
conſiſtens haud profecto apparebit tepida.] hæc ille: qui videtur mihi rem ad-
modum aperte dilucidaſſe. Verum animaduertendum eſt, duo corpora ſimi-
lium qualitatum, diſſimilium in gradu duobus modis adiungi poſſe: vna quan-
do ſimul miſcentur: alia cum vnum alteri proxime admouetur. Si duo corpo-
ra talia imparis caliditatis miſceantur, remiſſius remittet intenſius, & intende-
tur ab ipſo: conſtitutum itaque corpus ex ambobus erit calidius remiſſiori, & 40
minus calidum intenſiori: vt contingit permiſcendo aquam tepidam feruen-
ti. Si tamen applicentur, admoueanturque, vt accidit in propoſito caſu, di-
ſtinguendum eſt. Aut enim multum diſſident hæc inter ſe qualitatibus: aut
parum. Si multum, fiet vt ſi ſumme calidum applicetur calido, vt vnum: ſum-
me calido exiſtente, vt octo. Summe calidum intendet calidum vt vnum, &
remittetur ab ipſo, quoniam calidum vt vnum, eſt frigidum vt ſeptem. Volu-
mus namque omnem latitudinem eſſe debere adimpletam ex contrariis quali-
tatibus: modo frigidum vt ſeptem, calidum vt octo remittere, & alterare pote-
rit. Quod ſimiliter fiet vbi ſumme calidum, aut ſumme frigidum temperato ap-
plicetur, in ea diſtantia, intra quam temperatum agere poſſit. Tunc enim tem- 50
peratum corpus, ſumme calidum alterabit verſus temperamentum. Si vero pa-
rum interſit inter intenſum, & remiſſum, non neceſſario remiſſum remittet in-
tenſum: vt ſi calidum vt octo applicetur calido vt ſeptem, intendet calorem ipſi-
us, & non remittetur ab ipſo. Nam calidum vt ſeptem, vnum continet gradum
frigiditatis, per quem calidum vt octo remittere nulla ratione poterit. Suppo-
namus modo calorem febrilem talem habere ſubſtantiam, qualem ignis poſſi-
det, Ga-

eret, Galeno authore primo acutorum commentario decimo octauo, propterea calidum esse vt octo: calorem vero naturalem optime contemperatum esse ex frigiditate illius decreto, septimo de placitis capite quinto: Idcirco statuatur calidum vt quatuor, tunc habens quatuor gradus frigiditatis remittet, & alterabit calidum vt octo. Quamobrem aliqua natura habebit per se vim alterandi: calorque naturalis possidebit facultatem refrigerandi, & humectandi calorem igneum: quod contra Mercenarium demonstrandum suscepimus.

10

Cap. X.

Rei naturam pro forma substantiali habere vim alterandi.

AGAMVS modo de rei natura, quatenus formam substantialem, & vltimam significat: ostendamusq; eandem etiam habere vim alterandi. Illud habere vim & facultatem per se primo alterandi videtur mihi, quod habet per se principium motus alterationis. At elementa habent per se motus huius principium: ergo elementa habent per se vim alterandi. Maior apud me carere videtur omni difficultate, qua ex naturæ definitione sumitur: quam Arist. proposuit libro secundo Physicorum, dicens: naturam esse principium motus & quietis eius, in quo est primo, & per se, & non secundum accidens: quod igitur habet principium motus, id per se vim habet mouendi. Neque minor probatione indiget: nam quod elementa moueantur duplici motu, tum alterationis, tum vero locali sensu, constat: porro quodcunque mouetur per se, illud quidem habet principium illius motus per se. Hoc principium est natura elementi: aut igitur materia, aut forma: non materia constat. Erit igitur forma elementi principium motus alterationis. Alioquin sequeretur, vel quod motus alterationis per se non insit elementis: vel quod natura non sit principium per se motus alterationis; neutrum tamen est dicendum, cum constet elementa alterare per se: & naturam esse per se principium motus. Hic non possumus confugere ad qualitates elementorum, dicentes, illas esse eiuscemodi principium: quia hic loquimur de eo principio quod est natura: non autem de principio accidentali, atque dispositiuo, quale principium esse dicitur qualitas in elementis. Concludo itaque, quod si elementa per se alterant, quod habent per se principium huius alterarionis. Idcirco aliquam naturam habere per se vim alterandi. Præterea omnis operatio per se, & primo proficiscitur à forma: nam formæ est agere, materiæ autem pati. At alteratio est quædam operatio alterantis, qua priores qualitates permutantur, vt Galenus definiuit libro primo methodi medendi. Igitur proficiscetur à forma rei alterantis. Id probare volo, & confirmare exemplo animæ: hæc enim Aristotelis testimonio libro secundo traditionis de anima, per se, & primo generat, nutrit, auget, concoquit. Calor etiam ignis, aut naturalis etiam easdem operationes facit, vt idem author testatur: qui in textu 41. illius libri admittit ignem esse concaussam harum operationum: & in quarto meteorol. definiens concoctionem dixit, esse perfectionem à naturali & proprio calore factum: hic apparet operationes primum fuisse attributas formæ, vt animæ: mox autem calori tanquam concaussæ. Adhæc vero vrget, quod concoctio fit ab anima, vt prædiximus: sed tamen concoctio est quædam species alterationis, quam rem probo ex Galeno, & ex Aristotele. Ex Galeno, quia in tertio artis medicinalis definit concoctionem his verbis: Concoctio quædam est alterationis species, faciens cessare putredinem manente substantia.] Aristoteles vero fatetur in 4. Meteorol. hanc fieri à calore tunc sic instabimus. Omnis mutatio facta à calore est mutatio alteratiua, si nihil aliud, quam ipsæ mutentur qualitates: at in concoctione id contingit. Quia agens est calor, patiens vero est humidum, & siccum; quæ duæ qualitates mutantur cum terminentur, perficianturque: ideo concoctio est quædam alteratio. Sed non est simpliciter alteratio, quia in concoctione haud alterantur solum qualitates, sed etiam substantia mutatur: sed Aristoteles illum considerauit, qua-

tenus est opus solius caloris, & passiuarum qualitatum, vt clarissimis placuit Philosophis. Videntur hęc manifestum facere à forma rei fieri alterationem, quemadmodum etiam quæ sequuntur. Quando vnus effectus duobus tribuitur, necessarium est, vt si illa duo inter se essentialiter distincta sunt, quod effectus ille vni conueniat per se: alteri vero secundo loco, ac veluti per accidens. Exemplum dedimus in superioribus de nutritione, & de concoctione, quæ tribuuntur duobns agentibus, animæ scilicet, & calori naturali: Aristoteles dicebat calorem esse concaussam quodammodo, non tamen simpliciter caussam: animam vero præcipuam esse caussam. Sic à pari deduco, quod calefacio, quæ operatio quædam est, & affectus conuenit duobus, nempe igni, & caliditati: nam vera est vtraq; propositio. Ignis calefacit: qui enim hanc negat, indiget pœna, vel sensu. Et hæc etiam vera est, caliditas calefacit. Sed caliditas, & ignis differunt inuicem, vt substantia, & accidens. Quamobrem ille affectus referri debet aut ad ignem, aut ad caliditatem tanquam ad caussam primariam. Si dixeris referendum esse ad caliditatem, sequetur, quod ignis secundo loco calefaciet: quod absurdissimum esse hoc ostendit, quod rei natura per se, & primo est caussa motus alterationis, vt Arist. testatur in lib. 2. Physic. cap. 1. caliditas igitur cum non sit natura ignis, non potest esse primaria caussa operationis, quæ fit à natura, sed secundaria. Alioquin afferamus proprium effectum ignis, insequentem scilicet illius naturam: hic aut erit moueri sursum, aut calefacere: non primũ quia communem naturam leuium sequitur. Erit igitur calefacere; vel si hoc non est, forma ignis proprio carebit effectu. Præterea Auerroes hanc opinionem nostram aperte confirmat, & Mercenarii rationem arguit. Nam in libro de substantia orbis, primum alterans esse cœlum dicit: at qui cœlum natura est, & essentia animata. Deinde libro secundo traditionis de anima, commen. 51. animam primum esse alterans adeo dilucide explanat, vt nihil dilucidus, nihil apertius dici posse putem. Affero illius verba quæ sic habent: Dicamus igitur, quoniam propinquum alterans cibum debet esse corpus, manifestum est. Quoniam autem corpus alterans non sufficit in essendo primum mouens istud motum, declaratum est prius, quando dicit, quod calor non sufficit in agendo actionem alteratiuam terminatam, nisi sit illic alia virtus, quæ non est corpus, sed est in corpore. Corpus igitur, quod est primum alterans, componitur ex alterante, quod non alteratur, scilicet anima, & ex alterante alterato, scilicet calore naturali.] hic vides, animam ab Auerroe nuncupari alterans non alteratum: quod etiam parum infra explanat his verbis. Declaratum est igitur, quod illud, per quod fit nutrimentum, est duplex, scilicet alterans non alteratum (omne enim alteratum est corpus) & istud est anima. Et est alterans alteratum, scilicet naturalis calor.] ac rursus postea. & cum declarauit, quod anima nutritiua est forma in corpore cum propinquum alterans corpus, quod est cibus, necessario debet esse corpus: & quod forma sit alterans non alterata, cum sit non corpus: & quod corpus est alterans, alteratum.] hæc ille. Quæ si vera sunt, Mercenari amicissime, palam faciunt formã, naturam, & essentiam rei tam animatæ, quam inanimatæ habere per se vim alterandi: quæ res tuum omnino destruit principium. Propterea hactenus arbitror omnem mouisse lapidem, quod attinebat ad hanc de formarum alteratione materiam, tuamque ostendisse opinionem esse erroribus plenam. Nunc, quod etiam in aliis fecimus, concedamus hoc tibi, naturam & essentiam rei per se non habere vim alterandi: propterea non es assecutus propopositum, quia mea opinio suis munita fundamentis adhuc firma permanet. erat enim mea sentẽtia, naturam & remediũ, dum contra ipsum morbum pugnabant maioris inæqualitatis habere proportionem: aut etiam vt mihi imponis, remedium actione naturæ validiorem acquirere agendi potestatem. Ille argumentatur contra postremum hunc sensum, quia (inquit) sequeretur naturam per se habere vim alterandi: & hanc non habet per se. Hæc summa est argumentationis. Sed hic ego inquam. Si natura & essentia rei animatæ hanc alterandi potestatem haberet non per se, verum alterius ratione, ac per accidens,

Calefactio

alterãs 2^x { non alterat. / alterat.

accidens, quid tum postea? an non sequetur effectus quem Medicus introducere conatur? ipsius videlicet sanitatis introductio? parum certe refert quomodo sequatur effectus, siue per accidens, modo ægrotus sanitati restituatur. Quomodocunque aliquid iuuet, remedium esse Galeno statuitur nono methodi medendi. Pone calidam intemperiem in toto corpore concitatam ob sanguinis efferuescentiam in omnibus venis, aut maioribus, quæ intersunt inter alas & inguina: vel etiam ex flauæ bilis copia ingenti: Natura quæ semper conseruationem, quo ad eius fieri potest, molitur indiuidui, suis vsa viribus, vt calore naturali, spiritus temperamento, & remediis aliquando adiuta, caussam huius calidæ intemperiei euacuet per sudores, aut vomitum, aut alui fluorem, aut sanguinis effluxionem per nares, aut vterum, aut mariscas, nonne statim corpore ipso refrigerato, calida intemperies remouebitur? Quid aliud supererit generoso Medico agendum? quæ fieri debet hic consideratio, an hoc per se, an magis ex accidenti contigerit? hoc non debet contemplari Medicus, sed omnia inuestigare instrumenta, quæ quomodocunque introducere sanitatem possint.

Cap. XI.

Quomodo ignis agat vt calidus, non vt ignis, & quomodo alteratio primis qualitatibus referatur.

Perlvstremvs hoc loco diligenter Mercenarii fundamentum, quo ille deductus in eam opinionem peruenit. Primum ait. Alterationem solum primis qualitatibus referri. Ego sane id falsum est demonstraui supra: nam forma rei tam animatæ, quam inanimatæ, non est prima qualitas: hanc tamen esse caussam alterantem, non alteratam Aristoteles significauit. Qualitates alterant instrumentaliter, vt sic dicam: forma vero vt caussa primaria eum facere effectum perhibetur. Nam qualitates à forma proficiscuntur, tanquam à proprio principio. Idcirco dixerim ignem primo, & per se calefacere mediante caliditate, qua vtitur forma ignis, vt instrumento proximo illius operationis: at vero seclusa forma hanc ipsam caliditatem non habere vim calefaciendi, vt neque posse in rerum natura consistere certissimum est. Porro quando ille inquit alterationem esse essentialem operationem primarum qualitatum: admitto, si in eum sensum intelligat, vt putet calefacere per se fieri à caliditate, vt ab instrumento proximo: quemadmodum per se secare pertinet ad serram: Sed si essentialem esse putet, vt ab aliqua natura priori non dependeat, id vtique admittere non possum. Quoniam alteratio cum sit elementi essentialis operatio, tanquam ea quæ à forma elementi producitur per se primo: non potest hoc modo essentialiter produci à qualitatibus primis, quia vnus idemque effectus duobus æquè primo essentialis esse nequit. Itaque alteratio primo respicit formam, mox consecutiuè qualitates. Rursus vero quando asserit: Calefacere conuenire igni propter caliditatem. Aberrare videtur mihi toto cœlo. Quoniam res contrario modo sese habet. Calefactio enim conuenit calori propter formam tribuentem calorem, à quo postea fit calefactio, vt à serra fit sectio, & à malleo percussio. Seclusa (inquit Mercenarius) caliditate, nequaquam ignis alterat, aut calefacit. Fateor: quia proximum deficit instrumentum: neque etiam calefaciet seclusa forma ignis. Caliditate remota non consistit ignis, quemadmodum remota risibilitate non consistit homo. Verum longe distat: quia ignis, forma remota per se, & primo remouetur ignis per viam caussæ: at remota caliditate non remouetur ignis per se primo, sed per viam effectus, & signi. Quamobrem videtur mihi maxime erroneum dicere operationem alteratiuam inesse elementis propter qualitates: cum maxime insit propter naturã, & formam elementorum. Nam si hæc opinio veritatem haberet, fortassis diceremus qualitates elementorum esse formas substantiales eorundẽ, quod Alexandrum voluisse testatur Auerroes, & aliquando etiam constat Galeno placuisse: probatur assumptio in hunc modũ. Illud est natura, & forma rei, à qua essentialiter & primo,

& non secundum accidens fit motus illius rei. At qui à caliditate, vt à reliquis primis qualitatibus fit alteratio, quæ est motus quidam: fitq; essentialiter, vt ille dicit. Qualitates igitur illæ elementorum sunt formæ: quod absurdum esse in Aristotelis doctrina constat, atque etiam Mercenarius admittit. Cæterum, quia in opinionis suæ confirmationem affert in medium Aristotelis sententiam libro de sensu & sensiterio, cum ait, ignem non calefacere vt ignis est, sed vt calidus: declaranda est hæc sententia, ne aliquid sit quod faciat difficultatem. Proponemus autem primum Aristotelis verba, mox docebimus veritatem. Sic ait capite de sapore. Quapropter merito omne sanorum genus in plantis potissimum gignitur: etenim humidum veluti alia omnia à contrario pati nata est. Porro contrarium siccitas est: ideoque ab igne aliquid patitur, cuius natura sicca est. Cæterum ignis proprium calidum, veluti terræ siccum est, vt in libris de elementis declarauimus. Verum qua ignis est, aut qua terra, nil aptum est agere, & pati, nec quicquam aliud. Agunt vero omnia, qua in ipsis inest repugnantia. Hæc ille. Quibus verbis declarare vult Philosophus, quod cum omnium saporum materia, atque mater sit humiditas, necessarium sit hanc alterari, & affici ab aliquo: at nequit alteratio fieri ab aliquo, nisi à contrario: humiditatis contrarium siccitas est: ab hac igitur in humidum fit alteratio & affectio. Siccum vero duplex inest, vnum terreum quod alioquin proprium est: aliud igneum: vtrunque concurrit ad saporum procreationem. Magis proprie tamen siccitas concurrit terrea: mox ignea simul cum illius caliditate connexa. Sed animaduertendum, diuersum esse hunc passionis modum. Patitur siquidem humidum à sicco veluti à contrario, ex qua actione, & passione mutua mixti crasis oritur. A calido vero vt ab efficiente, & permiscente, ex cuius actione tandem saporum generatio proficiscitur. Quia vero dictum fuerat humidum à calore pati, ne quis deciperetur, explanare voluit, quomodo id intelligatur. Neque enim (inquit Philosophus) ignis, qua ignis, aut terra qua terra in aquam agit: quia cum elementa substantiæ sint, & substantiis nihil sit contrarium, actio nequit referri in ipsis elementis, nisi quatenus habent repugnantiam, & contrarietatem: hæc vera est loci huius explanatio. Sed adhuc restat contra nostram explanationem scrupulus: quomodo scilicet dicere potuerit Aristoteles, ignem non agere, quatenus ignis est: idest non agere ratione substantiæ, & formæ: si omnis actio quæcunque fit primo, & per se, formæ accepta referatur; vt constans est omnium Peripatheticorum sententia. Respondeo paucis. Actiones proprie compositorum esse: ab ipsa tamen forma rationem agendi sumi. Vt optime mihi videtur dixisse Auerroes quinto de Physica auscultatione, cōmentario tertio, & quinto, dum loquitur de formis ortui, & interitui obnoxiis. Ignem igitur asseuero vi propriæ suæ formę agere, omnemque actionem ignis illius formæ tribuendam, vt primariæ caussæ. Id vero contingere mediis illis qualitatibus contrariis, quibus vtitur vt efficiendi instrumentis: quæ sane qualitates, vt non essent in igne, nisi forma ignis, à qua veluti à caussa pendent, prius adesset, ita neque absque illius formæ vi agere possent. Res perinde est atque in anima: quæ profecto non concoquit alimentum, vt anima est, sed ratione caloris agentis: primaria tamen caussa ex Aristotelis sententia concoctionis, & nutrimenti est anima, à qua calor eam efficiendi potestatem habet: idcirco Philosophus ignem concaussam vocauit, vt præmonui. Hactenus arbitror me in hac materia omnem fere lapidem mouisse, ostendisseq; Mercenario, inanem esse, & erroris plenam suam illam sententiam, qua contendit nullam essentiam, atq; naturam, siue animatam, siue inanimatam per se habere vim alterandi.

CAP. XII.

Remedium validiorem agendi potestatem acquirere opera ipsius naturæ contra Mercenarii sententiam.

ERAT altera pars argumentationis Mercenarii, qua probare contendebat, opera naturęq; beneficio ipsum remedium non acquirere potētiorem agendi facul-

di facultatem. Probat autem id ex iis, quæ supra dixerat in hunc modum. Hoc enunciari non potest, quoniam si animalis natura ex se vim alterandi non habet: igitur neque ex se frigiditatem aut humiditatem producit, cum hæc per alterationem producantur. Ratio certe digna Philosopho: vtpote quæ statim corruit. Egregia demonstratio nullis innixa fundamentis. Ego vero inquam: Cum habeat natura atque temperamentum corporis per se vim alterandi, vt refrigerandi, calefaciendi, humectandi, & siccandi, propterea remedium per se alterando partem morbosam multo validius & efficacius id faciet adiutum naturæ agentis beneficio. Hæc destructio est totius machinæ docti huius Mercenarii. Hunc tandem exitum habuit maximus Philosophi huius apparatus. Sed vt iuniores ex mea hac lucubratione aliquid addiscant, docere volo modũ, secundum quem contingit remedium acquirere validiorem in agendo potestatem. Id duabus rationibus contingere posse arbitror, simulq; profiteor. Vna si remedium eosdem qualitatis gradus retinere concipiamus: alia si adaugeri dicamus: vtraq; vera est ratio. Finge, naturam agere in morbum, qui vt quatuor excedat, remedium vero sit eodem gradu definitum. Natura in morbum agens, vt quatuor destruat vnum gradum, aut dimidium, aut minus: tunc remedium non mutato suo priori gradu nonne aget in morbum, tanquam superius adiutum à natura corrumpente morbi gradum? hac de re ambigere nemo potest. Rursus fingito, remedium vt quatuor non agere in partem morbosam totis suis viribus, aut quia penetrare non possit, aut quia impediatur illius actio ab humorum multitudine. Natura tunc vacuando partem humoris peccantis, omniaq; impedimenta remouendo, nonne faciet remedium validiorem & efficaciorem agendi potestatem acquirere, quam prius habuerit? in hisce duobus exemplis eisdem gradibus permanentibus in remedio, actionem tamen vides validiorem fieri. Cæterum potest etiam augeri gradus in remedio propter actionem naturæ: vt quando ipsum conspirat cum temperamento corporis totius, aut etiam partium. Statuere oportet, octo existere temperamenta inæqualia: calidum, frigidum, humidum, siccum, calidum siccum, calidum humidum, frigidum siccum, frigidum humidum. Sit morbus calidus e. g. in quinto gradu. Temperamentum vero totius sit frigidum vt quinq;, remedium pariter totidem gradibus frigidum, cur non poterit à frigido temperamento ipsum remedium euadere frigidius? hoc rursus omni carere videtur mihi difficultate: idem asserendum est de aliis temperamentorum generibus. Posset autem hoc loco nobis obiicere Mercenarius, rationem hanc nostram locũ habere, vbi temperamentum fuerit morbo dissimile: quod si fuerit simile non item. Respondeo, quod hoc mihi satisfacit, ostendisse remedium naturæ actione validiorem consequi agendi potestatem, quod ille mordicus negauit. Deinde vero dicam, vix inueniri posse temperamentum ita contrarium, quin sit aliqua ex parte simile, aut habitu naturali, aut acquisititio, aut in toto, aut in partibus: ita vt actio remedii semper à natura (posita eiuscemodi dissimilitudine) aliqua ex parte adiuuetur. Modum igitur iam docui, secundum quem remedia validiorem acquirunt, agendi potestatem supra morbum beneficio naturæ adiuta. Nunc, quæ reliqua sunt tractationis huius, prosequamur.

Cap. XIII.

Rei tam animatæ, quam inanimatæ naturam agere aliquando supra vires primarum qualitatum.

AGGREDIAMVR modo, Mercenari, ad explanationem vltimæ rationis contra primam solutionem propositæ: circa quam certe non minores sunt difficultates, quam fuerint in aliis. Ratio tua; si quæ dicere voluisti, bene colligo, sic habere videtur mihi. Rei natura nihilo plus agit supra vires qualitatum: quamobrem etiam si in morbis qualitates cum animalis natura connectantur, natura supra vires qualitatum non aget. Neque qualitatibus vires adiiciet, vt

vehementius agant, vtpote frigefaciant aut humectent. Hæc summa rationis est. Circa quam sciendum est, assumptum illud habere apud me difficultatem: siue intelligatur, naturam non agere quicquam supra vires qualitatum in corpore secundum naturam existentium, siue qualitatum extrinsecus occurrentium pro morbo propulsando. Si enim primum admiseris, vtiq; inane erit artis Medicæ studium, quo naturam adiuuare conamur variis præsidiis: nam quorsum illa sunt adhibenda? Si natura nihil agit supra vires qualitatum, cur tot remediis vtimur pro morbis propulsandis, alterationibus, vacuantibus, mitigantibus, exasperantibus, dolorificis, reuellentibus, aliisq; id genus quamplurimis? Rursus vero si audias secundum, quid operabitur tandem natura nostri corporis, si nihil agere potest illa supra remediorũ vires? Natura in propulsandis morbis neq; omnia potest per se, neq; omnia possunt remedia: sed quædam illa, quędam hæc operatur. Remedia naturam adiuuant: & econtra natura etiam remediorum vim aliquando adauget: Præterea in eo etiam maxima inesse videtur mihi difficultas, quod quomodocunq; intelligas, videris admittere omnes operationes, quæ à natura fiunt, mediantibus primis qualitatibus fieri, aut quod omnia remedia ad primas qualitates sint referenda. Quorum neutrum habere potest veritatem. Etenim natura multa facit, cum vtitur primis qualitatibus tanquam instrumentis suæ actionis: multa etiam facit, in quibus illarum operam qualitatum non adhibet. Magnes enim ferrum attrahit sua natura, allio perunctus hoc munere destituitur. Quænam huius actionis & impedimenti caussa? Quomodo primę qualitates huius attractionis erunt caussæ effectrices? aut eam quomodo impedient actionem? Sic succinum attrahit festucas & palleas. *Echinus ille pisciculus, cui ob admirabilem effectum* Remorha nomen est, nauim fluctibus & vehementissimis agitatam ventis, medio cursu non sine admiratione remoratur. Num quæso hoc faciet, quia calidus, frigidus, humidus, siccusq; pisciculus existat? Cur rident illi, qui in alis, costis, plantisve titillantur? Cur nonnulli cum marmorũ attritum, sectionemq;, aut ferri stridorem, rimarumq; sentiunt, dentibus tremunt, & toto aliquando exhorrescunt corpore? Qui fieri potest, vt stupori dentibus à frigidis fructibus indito, portulaca herba, quæ frigida est, medeatur? cum non res similes, sed contrariæ remedio sint? Vnde fiat, quod leo gallum tantopere extimescat, vt perhibent? aut gallus vulpem? sed ne singula proferam longe à nostra disputatione petita, quorum certe magnus est numerus & inexplicabilis ratio, propius accedo ad Medicinam. Natura eiusdem caloris beneficio carnem & ossa facit; est illa temperamento calida humidaq;: hęc vero frigida & sicca: & quomodo frigidum & siccum à calido fiet, si natura nihil agit supra vires primarum qualitatum? Non agit natura, quia sic ferant harum vires: Sed contra qualitates agunt, quia sic à natura gubernantur. Calor in infinitum suas exercet operationes, si non desit illi materia, circa quam versetur: sed cur humano corpore, ac in vniuersum in omni viuente finitas ac terminatas actiones facit? quid quæso impedit & coercet illius operationes? Anima est, Mercenari, quæ vtitur ad opificium calore: sed ita illum terminat, vt vlterius progredi non sinat, quam pro indiuidui conseruatione sit necessarium. Humani corporis admirabilem fabricam in vtero efformauit natura, an solis vsa primis qualitatibus? & quibus id quæso fecit? Hanc cum aliquando Galenus contemplaretur, admiratus naturæ prouidentiam in elementorum qualitates, vt in effectricem caussam minime redegit, vt is copiose & ornate libro priori de fœtus formatione declarauit. Actionum, quæ à natura fiunt, quædam manifestas caussas habent: quædam vero occultas adeo, & inexplicabiles, vt modum humani ingenii excedentes, Deo duntaxat cognitæ sunt immortali (vt cum Alexandro siue Aphrodiseo, siue Traiano loquar) qui rerum omnium parens atque author est. Operis quidem solertissimi cuiusdam rationem artifex, qui extruxit, integre tenet: cæteri vero, qui artis illius sunt ignari, rationem nullam reddere queunt: sed rem duntaxat inspectant, ac demirantur. Quamobrem tuum illud assumptum, quo dicebas, naturam nihil agere supra vires primarum

marum qualitatum vndiq; suspectum est mihi: præsertim si in animum concepisti tuū, naturam haud alia ratione posse morbos propellere, quam cum adhibeantur remedia, quæ primæ sint qualitates: multa enim inueniri præsidia, quæ totius substantiæ proprietate, non autem à manifestis qualitatibus adeo certum est, quam quod certissimum: licet fortasse tibi, qui in artis operibus rudis, & minime exercitatus es, obscurum fortassis videatur. An dices, te assumptum non intellexisse de omni actione naturæ, sed in particulari de actione alteratiua, ita vt sensus sit: Naturam non alterare supra vires primatum qualitatum.] propterea te parum infra dixisse. Quoniam cum mediis primis qualitatibus al-
10 teret, & agat.] Duo hic inquam ego: Primum, te improprie fuisse locutum, cum generice proponas, naturam non agere supra vires primarum qualitatum, aliud est agere, aliud alterare: propterea non recte, nisi fallor, tam frequenter repetis agere, & alterare.] Deinde ostendam nunc tibi falsitatem propositionis huiusce tuæ. Natura (inquis) nihil plus alterat supra vires primarum qualitatum.] quam rem, vt præstare possim, tuo primum exemplo vti volo. Si calor naturalis validus fuerit, perfecte concoquit ac nutrit: Si fuerit imbecillus ab anima fit imbecilla concoctio & nutritio: id cogeris admittere Mercenari. Tunc explices, quæso, mihi caussam, cur sturnis cicuta sit alimentum, asinis & aliis animalibus toxicum. Iam quidem si agit anima duntaxat secundum gradum ca-
20 loris, cur asinus, in quo maior huius adest abundantia, aut etiam homo cicutam non conficit melius, quam sturnus, cuius calor in collatione multo magis imbecillus est. Iam vero coturnices vescuntur helleboro: hoc leoni & homini venenum est. *Strutiocamelum ferunt ferrum conficere*: quod neque leo, neque aliud calidius animal transmutare potest. Præterea calor naturalis, & vniuersum primæ qualitates agentes instrumenta sunt animæ, & agentis naturæ: porro instrumenta nihil plus agere possunt, quam constituat agens præcipuum, cuius instrumenta sunt. At si tua hæc opinio vera esset, sequeretur, quod agens caussa ad agendum determinetur ab instrumentis, & hæc non dependerent ab
30 agente principali: quamobrem illæ qualitates tantum agere debent, & ad tantum gradum, ad qualem, & quantum diriguntur ab agente præcipuo: Poterit igitur agere supra vires ipsarum qualitatum. Amplius assumo mihi rationem Aristotelis in secundo traditionis de anima, contextu quadragesimoprimo, in quo ostendit in concoctione, & in nutritione perficienda duo caussarum genera concurrere, animam scilicet vt agens principale, & ignem, siue calorem tanquam concaussam: arguereq; videtur mihi antiquiores putantes nutritionem fieri ab igne, vt à caussa præcipua. Ratio Philosophi in hunc modum habere videtur: Si ignis præcipua caussa est nutritionis & incrementi, vtique animal augeretur in infinitum, quod abhorret natura: quoniam vniuscuiusq; rei natura constantis proprius est terminus magnitudinis & augmenti: consequen-
40 tiam vero probat, quia ignis apposito combustili augetur in infinitum: sic res se habet in animalibus, in quibus perpetuo apponitur alimentum: idcirco in infinitum deberent augeri. Cum igitur hoc non accidat, sequitur, ignem non esse caussam præcipuam, sed concaussam: quæ scilicet tantum agat, quantum anima voluerit: hæc Aristotelis ratio est. Quam in tuis dilucidationibus non esse te assecutum, alibi demonstrabo, cum ausus temere fueris Aristot. quem non intellexisti, redarguere. Porro hæc demonstratio tuam redarguit opinionem, quia dicis, naturam nihil plus agere supra vires qualitatum. At vero Philosophus inquit, animam agere supra vires caloris: tu videris restringere naturam ad actionem qualitatum: ille vero qualitatum actionem restringit, atq; li-
50 mitat ad animæ nutum. Neq; immerito. Nam vt sensus indicat, suam habere efficiendi potestatem materiam secundam, qua res dura, mollis, friabilis, crassa, tenuisq; dicitur, aut aliam ex materialibus qualitatibus assumit: ita tum temperamento & materia longe præstantior est, quis quæso tam demens sit, & in rerū contemplatione tam cœcus, aut illam quidē existimet, agere formam non prorsus ociari? Accidens vim effectricem ingenitam habebit, substantia vero omniū

præſtantiſſima ab omni agendi, & aliquid efficiendi vi, facultateq; deſtituetur?
Equidem tantum virium formis corporum tribuo, vt ab his exiſtimem omnes,
quoſcunq; cernimus effectus primum maximeq; proficiſci, licet ſenſus alio mo-
do indicet. Hoc ego ipſum etiam Ariſtotelem cenſuiſſe putauerim. Is enim
Philoſophos inſectatus, qui naturalium corporum facultates atq; vires ex calo-
re & frigore deducebant, rati ex his, & per hæc omnia confici, planum facit de-
monſtratione eas qualitates in inſtrumenta duntaxat eſſe cauſſæ cuiuſdam præ-
ſtantioris atq; ſuperioris, quam & naturæ nomine inſigniuit. Nam qui haſce
qualitates dicet primum, ac per ſe agere, perinde faciet, ac ſi ſerræ, aut cuiuſuis
inſtrumento efficiendi cauſſam, poteſtatemq; tribuat: & perfectione formaq;
rei exterminata, veram amittet cauſſam inſtrumentis, actiones feret acceptas,
quæ per ſe tamen ocioſæ manerent, niſi formæ vi cierentur. Sed plura diximus
argumenti huius libris de calido innato: ideo receptui canentes, ſummatim ſic
dicere volo: Si in morbis curandis medicamentoſæ qualitates agant in mor-
bos, & natura pariter ſuis viribus vſa illos propellere conetur, vtrunq; ſimul ha-
bebant proportionem maioris inæqualitatis: remedia adiuuabunt naturam, &
hæc vſum adiuuabit remediorum. Atq; vt demonſtratum in ſuperioribus fuit,
adiuta remedia actione naturæ validiorem habebunt ſupra morbum agendi po-
teſtatem: Tandemq; omnia naturæ opera ad primas qualitates, aut etiam ad ma-
nifeſtas cauſſas reducere ſummam eſſe profiteor imprudentiam cum clariſſimo
Scaligero. Cæterum in huius capitis calce cauſſam vult docere Mercenarius,
cur aberrauerim hiſce verbis: Quia (inquit) neſciuit Augenius, ſeſe extricare à
nodo mihi propoſito: quonam pacto ſi morbus fuerit in intemperie ſicca. Eiq;
pari graduum numero ſiccitas adhibeatur, ſiccitatis exceſſum corrumpere po-
teſt.] Bona quæſo verba Mercenari: locus hic manifeſtum faciet, an ego à nodo
abs te propoſito me ipſum extricare neſciuerim: an autem contra tu hic, quem-
admodum alibi aberraueris, & pro tua conſuetudine fueris inaniter loquutus.
Ad rem venio: Tuæ rationi ſolutionem & explicationem dedimus hiſce verbis
in Epiſtola, qua tuis quæſtionibus reſpondeo. Nam quamuis ſiccitas maioris ſit
reſiſtentiæ, quam humiditas, & hæc maioris actiuitatis: tamen humidum vt duo,
applicatũ ſicco, vt duo, habebit perpetuo victoriam natura ipſa agente cum hu-
mido. Adde, quod læſio fit actionum à ſicco excedendo. at vbi contemperatum
eſt cum humido, amplius non lędit. Quamuis humidũ ſtatim ſiccum haud per-
dat (ſatis eſt quod miſceatur) cum tamen natura poſthac validior reddita, non lę-
ſis amplius actionibus, omnem ſuperabit exceſſum (vt admittam non fieri actio-
nem.) Hinc ſequetur, quod non agente ſicco, vt duo, neq; humido, vt duo, ob
mutuum impedimentum, quod ipſo in corpore nihil inerit præter naturam: cui
nam igitur tunc actio tribuetur? Soli conſtitutioni ſecundum naturam ſanitati,
videlicet & naturæ gubernatrici humani corporis? Vides, quomodo exceſſus
ſiccitatis auferri poteſt per contemperamentũ contrarii. Cum vero infers reſi-
ſtentiam ſicci maiorem eſſe, quam actiuitatem humidi. Duo inquam, primum,
quod ſi id tibi concedemus, non erit propterea quicquam detractum de veritate
axiomatis Medicorũ, quia quantumuis magna ſit reſiſtentia, minor erit ſemper,
quam ſit actio naturæ cum ſuis omnibus inſtrumentis. Aliud vero eſt, quod ſi id
ipſum non admittemus, quid quæſo abſurdi ſequetur? Reſiſtentia maior in
ſicco, actiuitas maior in humido adeſt. Æquales igitur gradus vtriuſq; impedi-
ent vtriuſq; actionem: quoniam tantum poterit reſiſtentia ad impediendum a-
ctionem humidi, & impreſſionem formæ ipſius in ſicco: quantum poterit acti-
uitas maior humidi ad impellendam actionem ſicci, & ad ſuam formam intro-
ducendam: ideo neuter exceſſus aget, quia contemperatus eſt. Et quomodo a-
ctiones lędentur ſi non lædet ſiccũ? quomodo ſtatuetur morbus? Et quid aliud
ſanitas eſt, niſi contemperamentum? non admiſerim igitur, facile humorem mi-
noris eſſe actionis, quam ſit reſiſtentia ſicci. Arbitor te nouiſſe, quod calidum &
frigidum æquali gradu permixta neque calefaciunt, neque refrigerant intro-
ducta tepiditate. Et licet caloris quam frigoris maior ſit efficacitas: illi tamen
patien-

patientis corporis repugnantia magis obsistit, agenti frigori, vt minus efficaci, ita & repugnantia minor occurrit: quo fit, vt pari illa tempore suas efficientias exerceant, effectusq; compleant.] Hæc ibi. Tu vero hic Mercenari, quid desideras? an non omnis è medio remota est difficultas? Quid hic vir bone, dicis me nesciuisse? Id certe studiose factum puto, ne alii te in conspicua alioquin materia non mediocriter aberrasse cognoscant. Progrediamur ad alia.

Cap. XIIII.

10 *Dubitatio Mercenarij contra secundam solutionem primi problematis ab Augenio conscriptam.*

HACTENVS diligenter demonstratum à nobis fuit primam explanationem ad Mercenarii problema de æqualibus in gradu remediis adhibendis, firmam existere, atq; nullis potuisse illius machinis subuerti. Nunc idem ostendamus in secunda. Erat igitur alia solutio data per instantiam, qua dicebam ab æquali in gradu fieri actionem, qua contemperando excessum corrumpebatur morbus: hanc ille eiuscemodi ratiocinatione improbare conatus est. In morbo totus excessus remoueri debet: igitur cum inter æqualia actio cum victoria agentis supra contrarium fieri non possit ex paribus remediis, excessus morbosus non corrumpetur, & proinde non profligabitur morbus: Hinc fit dubitatio-20 nem contra Galenum adhuc firmas retinere vires. Neq; ad animalis (inquit ille) naturam confugere oportet, quod paria secundum gradum remedia quoquomodo excessum morbosæ qualitatis refrenant, postea vero natura ipsa residuum facile vincat & superet. Siquidem, vt antea ostensum fuit, natura ex se vim alterandi, vt refrigerandi, & humectandi non habet. Hæc summa est rationis propositæ ab illo contra meam explanationem. Nam quæ infert postea, non sunt alicuius momenti, vtpote quæ inaniter prolata, me parum constare mihi ipsi ostendere conentur: de quibus in superioribus diximus, quantum postulare ipsa tractatio videbatur.

30

Cap. XV.

Remedium æquale in gradu contemperando morbum corrumpere, aduersus Mercenarium.

HIC etiam pluribus nominibus aberrasse illum ostendemus, atque primum, quia meam non est ille sententiam assecutus; deinde, quia non reprobat, quod debebat. Equidem demonstrare per instantiam volui, quod ab æqualibus in gradu proficiscitur actio corruptiua morbi: quam rem superiori explanatione in illius gratiam negaueram: propterea dicebam, morbum contineri in 40 quodam excessu, cuius caussa actiones lædebantur. Stante hoc fundamento, sic ratiocinabar. Quicunque remediis æqualibus in gradu vtitur, hic morbosæ qualitatis excessum refrenat, contemperatque: qui vero hunc excessum refrenat, morbum tollit: ergo qui remediis contrariis vtitur contemperantibus excessum, morbum corrumpit. Hęc mea fuit ratiocinatio. Quam sane, quoniam ille reprobare non potuit, nesciens fortassis quo tenderet, contentionis alioquin maxime studiosus id voluit reprobare, quod non debebat. Duę fuerunt illi propositiones reprobandæ: Prima, morbus consistit in excessu. Secunda, facta contemperatione nullus excessus adest, nullusq; morbus. Exempli gratia. Aquam nuncupamus calidam, quæ potest calefacere, vt quæ habeat quinq; gradus cali-50 ditatis. Permisceamus illi frigidam totidem gradibus, amplius non erit calida, sed tepida erit, atq; nuncupabitur: hæc nunquam faciet effectum caliditatis. Sic etiam statuendum in proposita materia. Intemperies calida vt quatuor lædit actiones, quæ habebit totidem gradus frigiditatis permistos amplius labefactare & lædere sensibiliter actiones non valebit: quod si verum est, vt verissimum esse ambigit nemo, vbi natura morbi seruabitur? Si natura illius in excessu con-

sistit, cum nullus excessus adsit, nullus certe morbus imaginari potest. Propterea debebat Mercenarius mea hæc notare verba: Nam temperatione non erit amplius morbus, cuius natura in excessu consistit.] quæ si fuisset diligenter contemplatus, non aberrasset. Sic accidit iis, qui ad pauca respicientes, de facili enunciant. Hinc alius etiam elucescit error, quia putat adhuc permanere morbū facta contemperatione: quod sane absurdum esse, superior discursus manifestum facit. Caussa vero erroris huius fuit, quia ignorauit, quomodo ab æqualibus fieret actio corruptiua: præsertim quia nos ex Peripateticorum sententia diuidebamus actionem in contemperatiuam & in corruptiuam: dicebamusque ab æqualibus in gradu fieri actionem contemperatiuam. Doceamus itaque, quomodo hic debeat extricari nodus. Ab æqualibus in gradu duo per se fiunt, vnum est contemperatio graduum, aliud morbi ablatio statim contemperationem ipsam insequens. Facta contemplatione, aliquando omnes gradus excedentium qualitatum corrumpuntur, aliquando non omnes. Hic statuamus aliquot remanere. Hi postea successiue corrumpentur, aut ipsa natura per se, aut ab ambiente. Idcirco remanet, ablato morbo, dispositio quædam in corpore præternaturalis, quæ proprie media nuncupabitur inter sanitatem & morbum, tepiditati aquę minime dissimilis. Propterea in ea epistola dicebam, mediam illam dispositionem post morbum relictam natura facile superabit.] Quamobrem actio, de qua loquimur ex suppositione in respectu ad omnes gradus, & ad totam latitudinem corruptiua non est, sed duntaxat contemperatiua. At collatione facta ad excessum morbosum, in quo scilicet ea constituta est dispositio, qua proxime læduntur operationes, & sensibiliter corruptiua nuncupabitur. Admittebam in priori solutione ab ęqualibus in gradu non fieri actionem corruptiuam totius excessus in latitudine, omniumq; graduum: & horum respectu non esse corruptiuam, nisi naturæ beneficium intercesserit. Hic vero dico, corruptiuam esse ea ratione, qua morbum constituit excessus horum graduum siue qualitatum: de qua re supra disserui, docens, quid indicet remediorum quantitatem, & quomodo à paribus remediis, & ab imparibus profligari morbus possit, elegantis Fernelii verbis vsus, ex communi omnium Medicorum decreto. Ex quibus illud constare volo ex æqualibus remediis totum morbum persanari. Propterea quando interrogat Mercenarius: Cum in morbis totus excessus curari debeat] dico deberi totum, tum in curatione, tum in præseruatione remoueri: in curatione ille excessus, qui constituit morbi naturam. In præseruatione ille, qui constituit neutram dispositionem relictam post corruptionem morbi. Cum vero addit postea: Igitur cum inter æqualia actio cum victoria agentis supra contrarium fieri non possit.] Respondeo, verum esse, si intelligamus totam latitudinem excessus constitutam ex omnibus gradibus: hanc totam æquale remedium corrumpere non potest. Sed hoc non quærimus in curatione morbi: quia satis est à remedio corrumpi excessum, quo constabat natura morbi, qui excessus omnino corrumpitur, facta contemperatione: atq; secundum hunc sensum falsa est conclusio, quam hisce verbis infert: Igitur ex paribus remediis excessus morbosæ qualitatis non corrumpitur.] Nam contemperatione facta à contrariis in æquali gradu morbus omnino corrumpitur. Verum quoniam circa primum problema satis videor scripsisse, accedo ad secundum.

CAP. XVI.

Quid resistentia sit ex Augenii sententia.

SECVNDO loco discutiendum proposuit mihi Mercenarius, quid sit resistentia. In qua materia satis difficile, vt vnusquisq; consequatur, quid sentiam: sciendum est, hanc quæstionem fuisse ab illo propositam in vniuersali, non in particulari. Quæsiuit enim ex me scire, quid sit generatim resistentia: non autem, quot sint species resistentiæ, nec quid sit vna particularis resistentia, vt eius verba manifestum faciunt. Quamobrem quæstio genus vniuocum

cum quærebat, responsioque per genus fieri vniuocum debebat. Exempli gratia, si quispiam quæsierit, quid sit animal: Is non recte responsum dederit, si dixerit esse hominem, aut equum, aut aliam speciem animalis: nondum enim quiescet, qui eiuscemodi responsionem audiet: sed si dixerit animal esse substantiam quandam corpoream animatam, atque sensibilem, is demum recte quæstioni satisfecerit, ita vt amplius aliquis non detur locus percontandi: sic mihi duxi in proposita materia respondendum; inueniendum scilicet genus vniuocum quod omnibus resistentiis, si forte plures existerent, illius species conueniret. Propterea cogitanti mihi sub quo ex decem illis rerum generibus deberet 10 collocari, quæ à Græcis κατηγορίαι nuncupantur: inueni sub qualitate collocandam: non autem sub aliis prædicamentis, cuius rei hæc ratio fuit. Primum resistentia non est materia nec forma, igitur non est substantia simplex: esset enim rerum essentia, vel pars essentiæ. Non est susceptibilis contrariorum, ergo non est substantia: subiectum enim non congruit ei, cui non attribuitur proprium. Non est quantitas: Quia nulla species quantitatis discretæ, aut continuæ resistentiæ quadrat. Non est relatio, quia resistens non est relatiuum. Si enim sit relatiuũ, necesse est, vt ad agens, vel patiens, siue cedens referatur: non ad agens, quia simul erit natura cum resistente: igitur erit agens sine actione, vel actio sine passione, siquidem perfecte, resistens potentiam habet, vt nihil patiatur. Nec 20 cadens videtur correlatiuum, quia non posset esse sine eo: tamen nihil prohibet esse aliquid resistens, etsi nihil sit agens. Non est agere, aut pati, quia hæc sunt concreta verbalia, sicuti reliqua prædicamenta post relationem denominata à relationibus, vt ait Philosophus. Quamobrem cum resistentia inter concreta verbalia non collocetur, notum est non posse ad hęc prædicamenta referri. Non est vbi, aut quando: nemo enim interrogatus vbi est Alcibiades, aut quando veniet, respondebit resistentiam. Eadem ratione non est situs, & habitus: nullus enim rudis, aut sapiens interrogatus, vbi situs est Aristarchus, respondebit resistentiam. Si igitur in aliquo genere est collocanda, inter qualitates collocabitur. Quia vero qualitas remotum erat illius genus, adhuc magis proxi-30 mum inuestigare volui: & inueni illud esse naturalem potentiam, ad hoc, vt non facile patiatur pro sui ipsius tuitione. Quamobrem cum hæc ipsa natura ita conueniat omnibus aliis resistentiis. Hinc ego quæstioni inquirenti, quid res ipsa sit, me satis accommodate satisfecisse arbitrabar. Hac de caussa ea in Epistola sic scripsi: Resistentiam esse qualitatem quandam, naturalem scilicet potentiam, secundum quam aliquid non patitur ab agente etiam implicito: nam omne resistens habet potentiam, vt non patiatur. Durum quidem dicitur, quod habet potentiam, vt non facile secetur. Salubre, quod habet potentiam, vt non facile à quibuslibet accidentibus patiatur: vtrunque horum sub qualitate reponitur. Ad hæc vero resistens, & cedens prędicantur in quali, nec in alio prædi-40 camento reponitur. Est autem resistentia imperfecta, qua aliquid ægre patitur ab agente. Quod autem in alio genere non sit reponenda, hinc patet, quia non est forma, vel figura: nulla enim existente forma, vel figura determinata, sequitur resistentia in corporibus inanimatis. Non est passio, aut passibilis qualitas, nullo enim existente sensu, aut animo, posset esse resistẽtia, nec habitus: quia nullo existente habitu ex actibus acquisitis erit aliquid resistens. Hæc ego ea in Epistola scripsi, quæ adhuc confirmo: adeo enim vera videatur mihi, vt nullis omnino labefactari possint sophismatis, vt infra declarabo. Igitur si definire liceat resistentiam, dicemus esse naturalem potentiam secundum quam aliquid non patitur ab agente etiam implicito, aut ægre patitur ob suæ naturæ defensionem. 50 Examinemus modo nostri Mercenarii sententiam.

Cap. XVII.

Mercenarii opinio de resistentia contra Augenii sententiam.

MERCENARIO hæc opinio nõ placet, atq; hisce verbis opinionem reprobat. Siquidem resistentia non solum in categoria qualitatis adinuenitur,

proinde non solum naturalis impotentia est ad patiendum, vt asseruit ipse: sed etiam in prædicamento actionis reponitur, & à reactione re ipsa non distinguitur: quod ex Aristotele quarto de animalium ortu, cap. 3. facile ostendi potest, vbi de similitudine filiorum ad parentes orationem habens sic inquit: Caussa, vt soluatur, hebeteturque motus, & actio agentis est, quoniam agens in agendo repatitur, vt calefaciens à frigido refrigeratur.] ex quibus verbis huiusmodi fundamentum depromitur. Resistentia patientis ad agens est, qua actio agentis soluitur, & aliqua ex parte labefactatur: si quidem agentis actio in passum ex patientis resistentia soluitur, & retardatur: quod sane ex multis persuaderi potest. Nam si gladius lignum, aut ferrum incidat, eius actio ex resistentia ligni, 10 aut ferri soluitur, & hebetatur: pariter dum ignis in viridi ligno agit, eius actio ex ligni resistentia retardatur. Iam vero agentis actio soluitur, atque obtunditur per actionem patientis in agens. Igitur resistentia est actio, aut reactio patientis in ipsum agens. Minor ex nuper allata Aristotelis authoritate probatur, cum inquit: Caussa, vt soluatur agentis actio est, quoniam agens in agendo repatitur, vt calefaciens à frigido refrigeratur.] Quamobrem si calidum, dum agit in frigidum, actio calidi soluitur, atque hebetatur propter frigidi reactionem, quoniam scilicet à frigido refrigeratur: igitur resistentia frigidi nihil aliud est, nisi actio frigidi contra calidum: ac proinde resistentia in categoria actionis, quinetiam reponitur: & ab actione re ipsa non distinguitur. Hæc meę opinio- 20 nis reprobatio est. Verum, quoniam illius propositum fuit non solum redarguere Augenium, sed etiam sua consuetudine dilucidare Philosophiam: propterea ne amplius versentur studiosi in huiusce rei ambiguitate, explicare illam aggreditur à distinctione in hunc modum facto principio. Resistentia consideratur, aut in his, quæ agendi facultatem non habent, aut in his, quæ agendi vi prædita sunt. Si resistentia primo modo sumatur, nihil aliud est, nisi naturalis impotentia ad patiendum, & in categoria qualitatis in secunda specie reponitur, vt si gladius ferrum secet, in hoc & alio quouis corpore duro resistentia inest, quæ potentia est, vt non facile secetur: quæ naturalis impotentia dicitur: quæ sane ex temperamento vt ex duritie proficiscitur. Sicut ex contrario in lacte re- 30 sistentia non reperitur, quoniam in eo naturalis potentia est, vt facile secetur, quæ ex eius mollitie proficiscitur. Si vero resistentia secundo modo consideretur, resistentia à reactione re ipsa non distinguitur, & in prædicamento actionis reponitur, vt ex Aristotelis sententia superius ostensum fuit: quod etiam ipsa rei euidentia persuadet, quoniam si in ventrem frigidi alimenti cibaria ingerantur, calorq; naturalis in ea suam actionem exerceat, frigida alimenta resistunt, quoniam sua frigiditate in calorem reagunt, ex qua actione calor naturalis reprimitur, ac proinde eius actio circa alimenta soluitur, & retardatur. Id ipsum in agentibus per cognitionem liquido constat. Nam si homo alterum inuadat, & suas vires contra ipsum exerceat, alter ei resistit, pro vt contra eum re agit, eo 40 magis resistere dicitur. Itaque resistentia in hunc modum accepta ab actione realiter non distinguitur: neque potentia resistens à potentia actiua, tametsi ratione finis inter se differre dicuntur. Quoniam actio agentis ipsius patientis destructionem respicit. Siquidem finis agentis est, patiens sibi simile reddere, vt primo de ortu, & interitu capite de actione, & passione ab Aristotele decretum est. Resistere autem suiipsius conseruationem respicit. Enimuero calidum si agit in frigidum, vt ipsum corrumpat, & sibi simile reddat, & respectu huius finis dicitur agens: frigidum vero in calidum reagit, vt sese tueatur, & conseruet, & respectu huius finis actio frigidi in calidum resistentia nuncupatur, & proprie 50 reactio appellari potest. Hæc Mercenarius.

Cap. XVIII.

Resistentiam non esse proprie reactionem: atque Mercenarium passim in iis, quæ de resistentia dixit, aberrasse.

Aggre-

AGGREDIAMVR modo disputationem cum nostro antagonista Mercenario, vt rationibus vltro, citroq; habitis conspicuum omnibus fiat, vter nostrum inanem opinionem, & erroribus plenam protulerit. Multa sunt, quæ mihi, vt libere dicam, quemadmodum soleo, minime satis faciunt: atque inprimis illud, quod non recte propositę quæstioni satisfacere videatur, in qua, cum instituta sit quæstio de genere, non debebat ille speciem proferre in medium: nam vt concedam illi, quod alioquin falsum esse demonstrabitur, resistentiam esse reactionem, & non distingui realiter à reactione, hæc vna species est resistentiæ, quæ non includit aliquam rationem communem, ex illius etiam sententia, ad omnem resistentiam. Neque est quod ille dicat ad duo genera referri posse, ad qualitatem, & ad actionem: propterea vniuscuiusque resistentiæ genus vnum non esse statuendum: quoniã vbi adest reactio patientis in agens, aut adest naturalis impotentia, vt facile patiatur, aut non adest, admittere non potest ille hoc postremum, cum statuat omnem actionem ab aliqua potẽtia proficisci. Igitur cum adsit potentia, & hæc sit resistentia in iis, quæ non reagunt, cur non erit resistentia in iis, quæ re agunt? quæ maior de vno, quam de alio ratio afferri potest? aut si non est resistentia, illa potentia à qua proficiscitur actio, quid erit? Quamobrem si responsio dari debet generica, & vniuoca, opus est, vt statuat, aut omnem esse potentiam, aut aliquod inueniri medium ab illo minime propositum: atqui ille non vult omnem resistentiam esse reactionem, neq; communem rationem profert vnicuiq; rationi conuenientem: necesse est vt statuat esse potentiam, aut saltem non conuenire in genere vniuoco, quæ res hactenus fuit à nemine, quod ego sciam, proposita. Præterea fortassis ratio resistentiæ non est re agere in iis inquam, quæ agendi vim habent: ergo in illis reactio formaliter non erit resistentia: antecedens ostenditur, quia frigidum habet resistentiam, vt non facile patiatur à calido: pone calidum non agere in frigidum (neque enim semper actio necessaria est) tunc aut habebit frigidum eam resistentiam non agente calido, aut non habebit: Absurdum est dicere, quod non habeat, eo quia cum à temperamento, & à mixtione proficiscatur resistentia, intrinsecam habet caussam, & essentialem: habeat igitur resistentiam. Itaque carebit reactione, ex quibus illud deduci posse videtur, seclusa omni actione resistentiam inueniri in rebus: idcirco reactionem non esse formaliter resistentiam. Amplius illud mihi non placet, quod dicat actiuam potentiam agentis re ipsa non distingui ab illa potentia resistente: nam potentia resistens, vt eiusmodi, non est potentia agens, sed potentia tuitiua (vt sic dicam) sui ipsius: qua vnumquodq; se ipsum fouere, tueri ac defendere vult ex natura: potentia actiua est, quæ alterius molitur corruptionem, vt longe diuersa sunt hæc, tueri se ipsum, & alium corrumpere: cum vnum sine alio stare possit. Deinde in eo etiam adesse videtur error mihi, quod putet ille reagere ipsum resistens, vt se tueatur: quandoquidem omnis actio, quæcunque sit, fit in contrarium, vt illud corrumpat, (hoc enim contrariorum est munus) igitur reagens non reagit, vt se tueatur, sed vt contrarium agens corrumpat, atque destruat: alioquin destrueretur actionis natura. Placet rem exemplis iis illustrare, quibus ille vsus est, vt ostendam reactionem non esse resistentiam: mox autem idem Aristotelis verbis demonstrabo. Si homo alterum inuadat, & contra ipsum suas vires exerceat: alter quidem ei resistit, pro vt contra eum reagit (inquit Mercenarius.) At certe non est resistere, aut conseruare se ipsum: sed simul inimicum destruere, atque occidere. Ille duntaxat resistit, qui seipsum tuetur: qui vero non solum hoc facit, sed etiam præterea aduersarium adoritur, occiditque: hic duas actiones facit, quarum vna est resistentia pro sui tuitione: alia est actio in inimicum pro illius destructione. Neque est verum, quod quo magis aliquis reagat, eo magis resistat: quia ille magis resistit, qui se ipsum melius tueri sciet: ille magis reagit, qui validiorem habuerit agendi potestatem. Recte admodum dixit ille, quod resistere sui ipsius conseruationem spectat. At vero re agere in contrarium non spectat præcipue sui conseruationem, sed vt prædixi, corruptionem alterius. Nam, qui citra reactio-

nem aduersario resistit, hic habere dicetur resistentiam: reactionem minime. Rursus frigida alimenta agunt in calorem, vt illum refrigerent: quid enim aliud est agere in calorem, illius caliditatem obtundendo, quam agere ad alterius corruptelam. Quamobrem potentia resistens distat à potentia actiua: primum quia de natura potentiæ resistentis non est agere: deinde, si quod agit, non agit vt resistens, sed vt corrumpens contrarium, aut in totum, aut in partes. Præterea Mercenari, nostra hæc disputatio ostendet, quàm differant inuicem resistentia, & reactio. Nam, quia ego tuis rationibus satisfacio, nihilque concludere illas contra meam opinionem ostendo, eatenus quidem dicor tibi valde resistere: sed quatenus tuæ opinionis postea falsitatem ostendo, eatenus reago contra te ipsum. Item omnis effectus à sua efficienti caussa essentialiter distinguitur. Iam reactio est effectus potentiæ resistentis, quia illa agit, vt se ipsam tueatur, secundum Mercenarii sententiam. Igitur potentia resistens, & reactio ab illa proficiscens, duo sunt realiter diuersa. Petierim ab illo, vt explicet mihi, quid horum proprie sit resistentia: vtrum potentia ipsa: an autem actio potentiæ. si dixerit potentiam & caussam esse resistentiam, nobiscum conueniet. At vero si dixerit actionem esse resistentiam, sequeretur nunquam esse resistentiam sine actione: sic adamas non habebit resistentiam, neque aliud id genus, si excludatur actio: quod quam absurdum sit, nemo est, qui nesciat: sed vt rem hanc illustriorem constituamus, expedit Aristotelis afferre testimonium. Aristoteles itaque in quinto libro diuinæ Philosophiæ capite de potentia docet, quæ sint significationes potentiæ: dicitque sumi quatuor modis. Quorum vnus est pro principio motus in alium, qui modus potentiam actiuam demonstrat. Alius est pro principio passiuo, quatenus proficiscitur ab altero, pro vt alterum est, secundum quem quod patitur, aliquid patitur: & hæc potentia nuncupatur passiua. Tertio sumitur pro principio faciendi aliquid, non quocunq; modo, sed bene, aut secundum id, quod homo disposuit. Quartus modus est pro potentia resistente: quatenus scilicet non potest pati quicquam ab alio: aut non facile patitur. Quem modum hisce verbis prosequitur: Item quicunque habitus secundum quos impassibilia omnino, aut immutabilia sint: aut non facile ad deterius moueantur, potentiæ dicuntur. Franguntur namque & conteruntur, & flectuntur, & omnino corrumpuntur, non propter posse, sed propter non posse, & in aliquo deficere. Impassibilia vero à talibus sunt, quæ propter potentiam, & posse, & aliquatenus se habere vix & parum, patiuntur.] hæc Philosophus. Quibus verbis duplicem innuere videtur mihi potentiam resistentem: quarum vna est perfecta, quæ nihil omnino patitur ab alio: vt adamas propter duritiem frangi minime potest à malleo. Salamandra ab igne comburi non potest: quam ille hisce verbis exprimit: Secundum quos impassibilia omnino.] Alia vero est resistentia imperfecta, quæ cum difficultate aliquid patitur: hæc resistit, sed non ita, quin aliquid patiatur: hanc notat hisce verbis: Aut non facile ad deterius moueantur.] hęc si vera sunt, manifestum faciunt, potentiam resistentem non esse potentiam actiuam, neque potentiam passiuam, neque potentiam aliquid faciendi: sed quidpiam ab illis diuersum, ex Aristotelis opinione. Et propterea Mercenarium Philosophum tota aberrasse via, cum statuat potentiam resistentem esse cum actiua potentia eandem. Postremo illud etiam mihi difficultatem facit, Mercenari, quod scribas, Medicos & Philosophos maxime perplexos existere in hac materia. Sane ego, qui in illorum decretis, quantum licuit mihi per publicas, priuatasque occupationes, desideraui aliquid proficere: nondum inueni in genere ipsius resistentiæ inuestigando illos fuisse perplexos. Tua interest docuisse, qui in negotio fuissent ancipites. Hic diuinare videor, nullam inueniri posse inter ipsos discrepantiam: atque te id, ad pauca respicientem, enunciasse: vt hac in parte occasionem sumeres illustrandi Philosophiam. Relinquitur modo, vt satisfaciam rationi, quam tanti facis, vt arbitreris illam veluti quendam Achillem strenue meam opinionem subuertere. Dicebas illam resistentiam, quæ actionem agentis hebe-

hebetabat, atque retardabat ne suam formam cito imprimeret. Assumptum hoc videtur mihi falsum, quia neque conuenit in resistentia perfecta, neque in imperfecta. Non conuenit in illa, quia nunquam agens suam imprimere potest formam, cum nusquam ab agente quicquam patiantur, vt de adamante proxime diximus: virtus quidem mallei non retardatur ab illa potentia, sed contra omnino impeditur: at tua illa propositio supponit introducendam esse formam ab agente: impediri tamen, & retardari ne cito fiat impressio. Secundo neque etiam veritatem habet in resistentia imperfecta: nam supposito ex tuis fundamentis resistentiam esse duplicem, vnam cum reactatione, aliam sine reactione vbi agendi potestas aliqua non est, ibi tuo etiam iudicio locum habere non potest. Igitur solum habebit veritatem in iis, quæ habent facultatem agendi: quæ cum patiantur, licet ęgre propter resistentiam, agendi potentia fit retardatio formæ introducendæ, ex tuis principiis. Hic tamen est animaduertendum, quod retardatio huius introductionis potest contingere aut propter potentiam resistentem, aut propter reactionem, quæ ab actiua proficiscitur, vt tu arbitraris. Reactio proprie non est resistentia, sed est effectus huius potentiæ, quam resistentiam vocamus. Igitur falsum est, resistentiam esse quicquid actionem agentis hebetat: at verissimum est, resistentiam esse potentiam naturalem, quam res habet ad hoc, quod aut nihil pati possit, aut ægre pati, vt superiori capite diximus, & hoc ipso ex Aristotele demonstrauimus: qui certe nunquam eiuscemodi definitionem somniauit, qualem protulisti. Locus ille, quem tanti facis ex quarto de anim. gen. c. 3. adeo vulgaris est, vt neminem vel mediocriter in Philosophia versatum latere arbitror. Quis enim aliquando ignorauit Mercenari, quod omne agens in agendo repatitur? Quid ex hoc loco colligis? reactio (inquies) retardat actionem agentis? fateor. An propterea reactio est resistentia? potentia ipsa est resistentia, vt sæpius diximus: reactio vero ipsa est effectus actiuæ potentiæ. Sic mihi videtur omnis explicata in proposito negotio difficultas, ita vt amplius nihil sit, quod facere possit difficultatem.

Cap. XIX.

Qua via & methodo compertum sit in igne præter calorem siccitatem inueniri, ex Augenii sententia.

TERTIVM problema fuit, qua via, & methodo fuerit compertum antiquis, ignem præter calorem habere siccitatem. Ego cognoscens hanc quæstionem, vnum supponere, & aliud quærere: supponere ignem habere caliditatem: at vero quæstionem esse, qua via siccitatem inesse cognouerint. Breuiter admodum, atque nisi meum me fallit iudicium, etiam recte in hunc modum rescripsi. Respondeo, quod formæ ex operibus patent: quia ignis exiccat, propterea habere siccitatem concludimus. Dicis calorem habere duas virtutes, nempe calefaciendi, & exiccandi: igitur ex eiuscemodi operationibus non concludimus inesse siccitatem, sed vnam duntaxat, scilicet calorem. Dico calorem dupliciter considerari: nam alius est calor humectans: alius est calor exiccans. Calor aeris, tepentium aquarum humectat: calor ignis exiccat. Neutra igitur est propria caloris vis: sed hæc agit ex cohærentibus sibi qualitatibus: proprium enim eius est calefacere: igitur calor ex accidenti exiccat. Subinde hæc est Mercenari formalis: ignis caliditate calefacit, & consimiles. Hæc quoque pariter erit formalis. Ignis siccitate desiccat. Sic ego in Epistola rescripseram.

Cap. XX.

Rationes Mercenarii nihil concludere contra Augenii sententiam de siccitate ignis.

HANC rursus opinionem redarguere conatus est: quia (inquit) hæc responsio ieiune, & simpliciter prolata dubitationi non satisfacit: ostendo enim

ego calorem ex se, & non media siccitate exiccare: primo quidem, quia calor solis exiccat, & calefacit, & tamen calori cœlesti siccitas formaliter coniuncta non est, qua media desiccet. Igitur calor ex se calefaciendi, & exiccandi virtutem habet. Præterea concoctio à calore naturali solū, vt ab effectrice caussa proficiscitur, vt quarto meteor. cap. de concoctione ab Arist. proditum est. In qua humidum absumit, & desiccat, cum ea quæ concoquentur, continuo sicciora reddantur: vt eo loci idem Aristoteles declarauit: inquiens, quæ concoquntur ex aereis fiunt aqua, & ex iis faciunt magis terrea. & tamen calor in concoctione ex se, non autem media siccitate desiccat, humidumque absumit, siquidem siccitas in concoctione solum passiue, & vt materia concurrit, vt eodem loco hisce verbis Aristoteles declarauit. Concoctio est perfectio à calore naturali & proprio ex oppositis passiuis] quod etiam antea declarauerat in definitione generationis: itaque calor ex se & calefaciendi & exiccandi vim habet: igitur in igne solus calor hoc munus obire potest: & sicut ignis caliditate calefacit, sic etiam caliditate exiccat, & ex consequenti quia exiccat inferri minime posse videtur præter calorem in igne siccitatem adinueniri. Tandem in fine suæ dilucidationis hæc addit. Nam cum dicebatur calor, & calefaciendi virtutem habet, ignis igitur calore solo vtroque munere perfungi potest. Respondetur in mixtis corporibus calorem & calefacere, & exiccare per humidi euaporationem: non quia calor siccitatē inducat, sed quoniam humido euaporante partes sicciores, terreæq; derelinquantur, & hunc in modum calor solis madidam terram exiccat, & calor naturalis in coctione, & in coagulatione mixtorum pro vt calefaciendo, & attenuando in caussa est, vt humidum euaporet: Quo sane euaporante partes siccæ magis, & consistentes supersunt. In elementis vero calor non exiccat, nec humidum corrumpit, sed id ab ipsa siccitate proficiscitur: siccitas enim ignis aeris humiditatem corrumpit, siccitatemq; inducit pro generatione ignis. Quamobrem ignis & sola caliditate calefacit, & siccitate exiccat. In mixtis enim caliditate exiccat. In elementis vero siccitate hanc actionem absoluit: vnde vir iste non ita simpliciter hæc duo problemata enunciare debebat. Ignis caliditate calefacit, ignis siccitate exiccat: hoc enim secundum solum in elementis veritatem habet] hæc ad verbum Mercenarius. In his profecto multa sunt, quæ mihi displicent, de quibus iam dicere incipio, illius rationibus in hunc modum satisfaciens. Ad primam itaque dicimus, quod nunquam erit verum, calorem per se exiccare: at verum erit semper, calorem per se calefacere. Porro cum ait, calorem solis calefacere, & exiccare, admittimus. Sed hoc vnum facit non per se, sed consecutiue, & veluti per accidens: quandoquidem sol neque caliditatem, neque siccitatem habet: ideo per se neque calefacit: neque exiccat: atque licet euocando humidum à subiecto exiccet, At hoc non est exiccare per se. Deinde calor solis non solum exiccat, vt puta lutum: sed etiam humectat ceram, seuum, & adipem. Ex varietate subiectorum varię fiunt à calore solis operationes: itaque vt per se non humectat, sic nec per se exiccat. Quod si hoc, aut illud faceret per se, haberet id ipsum ex connexione humiditatis, & siccitatis: quæ duæ qualitates sunt incompossibiles, vt ostendit aer, & ignis, quibus cum proprie sol careat, neutrum per se facere statuamus. Secunda illius ratio maximas patitur apud me difficultates. Primum non facile admiserim concoctionē fieri à solo calore, vt à caussa efficienti. Non enim ratio est impar de concoctione, & de nutritione, cum vtranque à calore fieri traditum ab Aristotele fuerit, & communi omnium Philosophorum assertione confirmatum. At vero Arist. 2. de anima tex. 41. nutritionis primariam caussam statuit esse animam: concaussam vero ignem merito caloris, sic enim nos eum locum interpretamur. Mox neque illud admiserim concoctionem omnem incrassare, & exiccare, tum quia elixatio quædam concoctionis est species, tamen non incrassando, non exiccando. sed humectando procedit. Tum quia chylus ventriculo concoctus minus terreus est, quam tota massa alimentalis, ex qua originem habuit: tum tertio, quia sanguis ex chylo procreatus

creatus in hepate & venis magis est humidus, magisq; fluxibilis & aqueus ipso chylo. Sed admittamus hoc illi, de cuius veritate in tractatione de concoctione disseruimus, responsio ad rationem de concoctione non est difficilis: quia calor si inter concoquendum exsiccat, id profecto non facit ille sub propria ratione caloris, sed ex accidenti quatenus euocat humidum, vt hoc Mercenario concedam, qui hanc siccitatis caussam in concoctione agnoscit: At quemadmodum supra diximus, non est hoc, quod quæritur. Nunquam ille ex hac ratione persuadebit, calorem per se, suaq; natura exsiccare. Deinde addo etiam & aliud, nempe calorem concoctionem facientem exsiccare per se quidem, sed non vt calor est,
10 sed vt calor naturalis. Hic enim prout ab anima dirigitur ad hoc, aut illud opus perficiundum, calefacit, refrigerat, humectat, siccat, cum sit ex omnium elementorum permistione constitutus. Media frigiditate & siccitate neruos efficit: humiditate & frigiditate cerebrum: caliditate & siccitate cor: caliditate & humiditate carnem. Hanc varietatem explere & perficere nulla ratione poterat calor, vt calor erat, sed de his diximus in cõmentariis nostris supra lib. Hippocratis de diæta, & in libris de concoctione. Non concurrit ad concoctionem perficiendam calor, vt calor est, sed vt naturalis: id est, vt concaussa agentis animæ, & quoddam ex omnibus qualitatibus permixtum: ideo si exsiccat, id facit ob connexam siccitatem, sic id efficiet per se, cum per se siccitatem includat.
20 Quod si diceret, siccitatem concurrere passiue. Respondeo, siccitatem inclusam in essentia caloris, simul cum caliditate vim efficientem habere, & per se agere in humiditatem alimenti concoquendi. Ideo dixerim, humidum absumi duplici nomine, tum ab euocatione à calore facta, tum à sicci actione humidum corrumpente. Siccum vero alimenti illud est, quod in coctione perficitur. Iam itaque manifestum feci, rationes Mercenarii non esse alicuius momenti; examinemus modo, qua ratione nitatur ille satisfacere duabus rationibus contra meam sententiam ab eodem propositis. Calor, inquit, aut est in mixtis corporibus, aut in simplicibus. In mixtis calefacit & exsiccat. In simplicibus vero calefacit duntaxat.] egregia sane sententia digna Mercenario Philoso-
30 pho. Primo calor solis est calor simplicis corporis, tamen ex se calefacit & exsiccat: vt ille dicebat. In qua re video maximam adesse repugnantiam. Nam ait, in mixtis calorem exsiccare propter euaporationem humidi: at hoc modo calorem solis exsiccare. Sed si hic proprius est mixtorum modus, quomodo conuenire potest calori solis? præterea cur calor in mixtis semper exsiccat? cum generat carnem, sanguinem, medullam, an exsiccat? cur si igneus est, aut ab igne maior illius pars proficiscitur, non exsiccabit siccitate? An febrilis calor, qui igneus est, sola humidi euocatione exsiccabit? Postremo ea verba: Ignis caliditate calefacit: ignis siccitate exsiccat; hoc enim secundum solum in elementis veritatem habet] obscura sunt. Nam asseuero ignem calefacere: & sic-
40 citate per se siccare: & illas propositiones formales existere: cur igitur hæc propositio, siccitate exsiccat] solum in elementis veritatem habet? cur non in iis, quæ constant ex elementis? cur quod terreum erit, non exsiccabit per se? cur febres ardentes, marasmus torridus, atque similis non exsiccabunt sua natura? sed fortassis plura quam oportuisset de hac materia scripsimus: perlustremus modo, quid ille animo conceperit.

Cap. XXI.

Cur præter calorem siccitatem inesse in igne inuentum fuerit ex Mercenarii sententia: quæ reprobatur.
50

Mea opinione reprobata Mercenarius pro sua consuetudine declarat, quid ipse sentiat. In summa putat, duplici via id cognitũ fuisse. Primo via transmutationis: secundo analogiæ ad cætera elementa. Cum enim elementa inuicem transmutentur, vt ignis & aer, nec non ignis & aqua: transmutatio vero fiat inter contraria: igitur inter ignem & aerem qualitatũ oppositio reperiri debet:

ratione quarum transmutatio fieri possit. Cum autem in aere humiditas reperiatur: igitur in igne opposita illius qualitas inesse debet: cum autem hæc caliditas esse non possit, cum caliditas humiditati non opponatur, igitur huiusmodi qualitas siccitas erit, ratione cuius inter ignem & aerem transmutatio fieri possit. Hac enim sublata ab igne statim inter aerem & ignem transmutatio aufertur. Siquidem calor ignis in humidum aeris agere non potest, neque econtra, cum inter se minime opponantur: quinimo simul in eodem subiecto, vt in aere consistunt: nec aeris calor in humidum suam actionem exercet. Pariter cum inter ignem & aerem mutua transmutatio fiat, igitur in igne & aqua pugnantes qualitates reperiri debent: cum autem in aqua frigiditas & humiditas reperiantur, igitur in igne calor & siccitas, quæ frigiditati & humiditati sese opponant, reperiri debent. Neque enim aquæ humor à calore ignis corrumpi potest propter rationem nuper allatam. Præterea id ex analogia & comparatione ad cætera elementa compertum est; nam cum in ceteris elementis duæ qualitates necessariæ reperiantur: quarum necessitas cum priore nostrarum dilucidationum volumine fuerit explicata, hic lubens prætermitto. Igitur & in igne duæ qualitates necessario reperiri debent: hæ autem aliæ esse non possunt, nisi siccitas & calor, siquidem caliditas & humiditas in aere reperiuntur: neq; calor & frigus, cum hæ duæ elementum, veluti inter se maxime pugnantia, constituere non possunt.] hæc Mercenarius. Verum quemadmodum in aliis problematis discutiendis mihi non satisfecit, sic neq; in hoc tertio aliqua ex parte satisfacit. Iuuat, vt hoc ipsum patefaciam, repetere illam quæstionem proposuisse mihi, qua via fuerit compertum, præter calorem ignem habere siccitatem. In qua supponis, tanquam notum, ignem habere calorem: & merito sane id supponis, quandoquidem id est adeo omnibus manifestum, vt qui neget ignem calefacere, nemo hactenus fuit: indiget enim pœna, vel sensu dicit Arist. in Top. quæstio solum instituta est de siccitate, qua via cognouerunt sapientes inesse in igne. Addo huic, quod non quærit, cur siccitatem inesse in mixtis, aut in terra cognouerint: neq; cur non nouerint aquam esse frigidam, aerem humidum, sed speciatim aliis omnibus prætermissis, de solo igne disputatio præponitur: huic ego quæstioni satisfaciens, non inueni magis accommodatam viam, quam ab operationibus id cognitum fuisse, affirmare. Vt qui sciuerim, hac via processisse Aristotelem. Qui diuina Philosophia & passim alibi docet, quod operationes faciunt cognoscere formam. Tu vero ad transmutationem & ad analogiam refugiens, longe aberrasti: primum, quia cognitio est duplex: vna sensitiua, alia intellectiua: sensitiua notitia omnium iudicio præcedit intellectiuam: atqui cognoscere ignem esse siccum, quia adurit & exsiccat, est maxime sensibile: quod vero elementa inuicem transmutentur, non est sensibile, sed ratione & intelligentia duntaxat cognitum: Sapientes itaque primum cognouerunt, in igne siccitatem adesse ab operatione: deinde vero à transmutatione: quod autem hoc sit rationabile, id fidem facit, quod omnium artium, omniumque scientiarum ortus à sensibus facit, quin omnis nostra cognitio deriuatur à sensibus, vt à Philosopho dictum fuit. Sic in proposito problemate, cum duabus viis inuentum sit, in igne adesse siccitatem, tum à notioribus nobis, tum ab ignotioribus nobis, necessarium est primum sapientes cognouisse, in igne adesse siccitatem à notioribus nobis, à quibus innata est nobis via, ad notiora naturæ, vt Aristoteles inquit. Et sic prius ab operatione, quam à mutua elementorum inter se transmutatione. Præterea illa explanatio ad hoc problema admittenda non est, quæ non reddit caussam eius, quod quæritur: huiusmodi est explanatio à Mercenario proposita: non est igitur admittenda. Minor probatur: quia transmutationis via facit cognoscere, contrarietatem inesse in elementis: at vero hoc non quærimus, sed cur vna siccitas in elemento ignis consistat, hoc quæritur. Transmutatio vero facit cognoscere, contrarietatem inesse in elementis, quia vero contrariæ qualitates sunt quatuor, illas inesse, & contrarias docet transmutatio. Sic non minus docebit inesse siccitatem, quam humiditatē, caliditatem, frigiditatemq;.
Quam-

Quamobrem, si ille quæsiuisset ex me: cur qualitates contrariæ in elementis sint constitutæ, vtiq; ex Aristotele in secundo de ortu & interitu dixissem, quia inuicem transmutantur. Vides igitur, quomodo responsio Mercenarii non satisfacit proprie quæstioni. Adhæc vero non minus hæc via facit cognoscere siccitatem in igne, quam siccitatem in terra: quia si transmutari debeat terra in aerem, opus est adesse contrarietatem, cuius merito fiat transmutatio. At qui non quærit, cur siccitas sit in terra. Addo, quod nulla certior & exactior haberi potest cognitio de qualitatibus sensibilibus, quam per iudicium ipsius sensus, propterea siccitatem inesse in igne, is multo apertius docebit sensus, quam trans-10 mutatio & analogia.

CAP. XXII.

Cur elementa binas habeant qualitates ex Augenio.

VLTIMVM fuerat problema mihi à Mercenario propositum, cur natura duas singulis elementis qualitates dederit. Huic ego quæstioni ex Philopono sic satisfaciendum duxi: An respondendum cum clarissimo illo Hermeæ discipulo, quod quemadmodum contrariæ quatuor datæ sunt, quia in se mutuandi facultatem habent, quod vero tale est, id profecto contrarium esse opor-20 tebat, quatenus autem sibi mutuo vicinas esse necesse est, communicare ipsas in aliquo oportuit: vt ignis aeri vicinus est, & quatenus vicinus est, communicabit ei in qualitate aliqua, vt caliditate: quatenus vero vtrunque in aliud mutatur, necesse est differre in alia qualitate: scilicet in ipsa siccitate: sic aer proximus aquæ, vt conseruaretur in humiditate, cum aqua conuenire debebat: aqua cum terra in frigiditate: sic ille, cuius opinionem cum aliis quibusdam Philosophis imitandam duco.

CAP. XXIII.

30 *Mercenarium in hoc problemate aberrasse.*

CIRCA propositum problema duo sunt, quæ mihi displicent: Primum, quod dum illud mihi proponit Mercenarius, hæc scribit verba: Quod à nemine hactenus animaduersum fuisse video.] quæ res admodum temere abs te scripta fuit: nam si Io. Grammaticus eam solutionē affert, cur à nemine fuisse animaduersum scribis? fortassis quia tu solus eius habebas codicem? an etiam, quia adhuc non fuerit latinitate donatus? cum igitur passim liber ille sit venalis, ad pauca certe videris mihi respexisse, cum dixisti, à nemine fuisse animaduersum. Eo magis hac in parte displices mihi, quod dicas, me tradidisse solutionem, quam tu ipse tradidisti priore tuarum dilucidationum libro: in qua re longe deciperis: 40 nam quid scripseris, ignoro. Quid Io. Grammaticus scripserit, scio & profiteor. Deinde in eo est error, quod hanc explanationem tibi nunquam propriam tribuis: sic enim ais: Eam non perpendo, neq; improbo cum propria potius confirmare, quam demoliri vniuscuiusque partes esse videantur.] Cur quæso tibi tribuis opinionem Io. Grammatici? Sic decebat Mercenarium hunc Philosophum admodum egregium. Verum quoniam videor omnia prosecutus, quæ ad propositam disputationem pertinebant, hic finem dicendi facio. Taurini, die 28. Iunii. 1583.

50 DISCIPVLIS TAVRINENSIBVS.

Quid vinum. Quæ vini facultates. Quæ proprietas. Quid proprie potus apud Medicos. Quid cibus. Quid sit, quod nutritur. Quæ partes ab ipso vino nutriantur, & qualis conueniat nutriendi modus.

Cap. I.

Dicendorum propositio.

NON possum deesse vobis, quibus longe maiora debeo. Itaq; in vestram gratiam explanaturus, quomodo vinum nutriat, exorsus à rei natura, docebo primum, quid sit vinum, & quas habeat facultates, proprietatesq;. Mox, an potus duntaxat existat, ita vt illi cibi ratio conuenire non possit: sed generatim prius declarabo, quid sit potus, & quid cibus: & quid sit proprie, quod nutritur. Vbi hæc fuerint à nobis pro rei dignitate, ac temporis huius opportunitate explanata, facile constabit, qualis vino conueniat nutriendi modus. 10

Cap. II.

Quid sit vinum.

EXORDIOR à primo: Vinũ est liquor, expressus ab vuis domesticis & maturis, & à sua fæce purgatur, atq; in dolio à proprio, ac naturali calore ob corporis potissimum nutritionem perfectus. Hac definitione singulas vini caussas complector. Materiam, quatenus dixi, ex vuis domesticis & maturis deduci: ex vuis enim syluestribus, quæ vocantur Lambruscæ, non fit vinum. ex domesticis non maturis, fit Omphacium. Forma vini est, liquor ab illis expressus & defæcatus. Liquorem vocaui, non succum, quia consuetudo est apud Medicos succi nomen dici, tum de succo liquido, tum condensato: vt constat de succo absinthii, eupatorii, liquiritiæ: vt distingueremus à condensato succo, liquoris nomen vsurpare placuit, quia vinum proprie semper est succus fluxibilis, liquidusque. Hinc à sapa distinguo, quia non est substantia liquida, sed tenax & adhærescens. Quod, si quispiam succum appellare voluerit, non reclamabimus, dum eo tamen nomine rem fluxibilem intelligat. Hac eadem particula vinum à musto distinguit: quia vinum non est liquor duntaxat expressus, sed defæcatus. Mustum incipiens est vinum, ac imperfectum quidpiam, cum non sit adhuc à fæcibus expurgatus: ideoq; nullum vsum, vel pro sanandis ægrotis, vel pro sanis conseruandis habet. Efficiens porro caussa vini duplex: interna & externa. Interna, proprius est, & naturalis calor ipsius vini, minime quidem rei cuiuspiam externæ, vt quidam perperam dixere. Hic enim, vbi statim repositũ in dolio mustum fuerit, ebullitionem & concoctionem in ipso faciens, expurgandoq; omnia excrementa, & per superiores & inferiores partes, vinum perfectum & concoctum reddit: Declaratum id à me fuisse aliquando diligentius in tractatione ad Mercenarium Philosophum, nouistis. Externum efficiens, vindemiator, expressor; adde si placet, torculatorem; conseruans dolium. Dum dixi, à proprio & naturali calore perfectum, vtique verum efficiens videor declarasse, prætermisso externo, quod rei naturam non constituit. Dolii meminisse volui, quia locus est, in quo vere conseruatur, & in quo per concoctionem perficitur. Cæterum finis vini triplex videtur mihi: vnus maxime proprius ac necessarius, nempe vt corpus nutriat, & hunc definitione complexi sumus. Alii minus proprii: vt alimenti in vniuersum corpus distributio, morborum sanatio. Nutrit vinum propria natura, distribuit quatenus fluxibile, & aquosum. sanat autem, vt contrarietatem habet cum morbo, caussisque morbificis. Dubitabit autem fortasse hoc loco aliquis, me non recte definiuisse: quia definitiones constare debent ex iis, quæ nota sunt. at nutrire vinum controuersum est. Quidam enim ex recentioribus Medicis, doctissimus, vinum contendit non esse alimentum, sed solum alimenti vehiculum. Ego vero putauerim, me quidem, nisi hoc modo definiuissem, regulas veræ definitionis prætermittens, merito dignũ fuisse reprehensione. Regula est, notionem rei conuenire quidem debere cum notione communi, quæ principium inuestigationis est, at non debere cum illa eandem esse. ita tradit Galenus libro de pulsibus, & nos illius imitatione, & libris de febribus, & de differentiis febrium manifestissimum fecimus. Est autem notio commu-

communis, quam omnes de vino concipiunt, vt Galenus inquit, humanum corpus alere. Et hanc omnes Medici cuiuscunque ætatis atque nationis vltro admiserunt. Propterea debebam ego eandem recipere, ac minime in controuersiam reuocare. Id igitur tanquam principium sumens mihi ipsi, docebo qui nutritionis modus conueniat vino, ac omnibus satisfaciam postea difficultatibus.

Cap. III.

De vini facultatibus.

IN vino suæ sunt facultates, tam actiuæ, quam passiuæ; de vtrisque non mediocris est apud Medicos disputatio. Dicam vestrę introductionis gratia, quid sentiam, breuiter. Primum vinum omne, qua vinum calidum est, ita quidem experientia veterum Scriptorum authoritate confirmata manifestum facit. Sed dubitationem faciunt duo; alterum, quod Galenus aliquod vinum sua natura frigidum esse scribat, vt cum quarto de simp. med. fac. c. 13. inquit: Quippe caussam sermo scrutabitur, propter quam vinum natura frigidum atq; inualidum ab extrinseco arguatur calore. & rursus inquit: Persimile enim quid vinis accidit, quæ natura aquosiora, frigidioraque sunt, quale flammis exiguis, & imbecillis. Libro de cibis boni ac mali succi, septimo methodi, ac passim alibi consimilem habet sententiam. Secundo facit dubitationem effectus, qui à vino fieri conspiciuntur: Morbi enim frigidi à potu vini nascuntur, vt apoplexia, epilepsia, conuulsio, vertigo, hydrops, ac alii quamplures: effectus autem suę caussæ proportionari debent. Deinde extrinsecus applicitum refrigerat, quemadmodum indies contingere videmus in inflammationibus, & in vlceribus. Prætetea videtur quædam aquæ species, vt Aristoteles ait libro quarto meteorologicorum: at aqua refrigerat. Sed hæc facilem solutionem habent, (ab hoc postremo argumento exordiri placet.) Vinum, inquam omne per se calefacit: nihil autem prohibet ex accidenti refrigerare. Nimia quantitate potatum ob vaporum multitudinem, & acrimoniam mouere potest viscidam cerebri pituitam, ac eam ad ventriculos cerebri fundere. Non raro etiam solis calor (quem vstionem nuncupare solet Galenus, aut etiam affectum ab eo concitatum) licet per se calefaciat, tamen frigidas destillationes efficit. Sic quidem vna caussa contrariorum effectuum caussa est pro varietate subiecti, ac modi agendi. Quia actu frigidum est, & extra non potest à calore natiuo actuari, refrigerat. Sed speciatim prodest vlceribus exiccando: vlcera enim, dicebat Hippocrates, nullare, præterquam vino madefacere oportet. Prodest inflammationi præcipue, si fuerit adstringens, quod repellendo fluxionem auertit. Est porro aquæ genus, quia liquidum, & fluidum, (quod aquæ maxime conuenit) quemadmodum etiam serum, quod calidum & acre à Galeno dicitur. At facere maiorem difficultatem videtur vinum oligophorum: de hoc enim Galeni verba intelligenda sunt: Nam, si omne vinum calidum est: hoc autem sit vinum, pariter calidum esse necessarium erit. Duplex sese offert ambiguitatis huius explicatio. Vna vt statuamus oligophorum proprie non esse vinum, sed cum additione aquosum, & frigidum, vt aqua. Sed licet diuulgata videatur explicatio, mihi tamen non placet. Quia aquosum, & vinosum, vini differentiæ sunt: atqui differentiæ genus æqualiter diuidentes, æqualiter participare naturã vini debent: aut certe vinum erit æquiuocum. Deinde cui conuenit definitio, eidem conuenit definitum. At oligophorum est liquor ab vuis domesticis, & maturis expressus. Deinde, non est omne oligophorum frigidum: Diuiditur enim, si bene recordor sententiæ Hippocratis, in vinosum, & non vinosum. illud citra controuersiam calidius. Hoc autem etiam calidum. Nam dum exhibet oligophorum non odoratum, veretur, ne caput petat, vultque statim ab eius potu sorbendam esse aquæ portionem, vt potentia eius reddatur imbecillior. Dictionem Hippocratis afferemus parum postea. certe vinum petere caput nõ potest,

niſi calor euaporationes faciat. Quomodo igitur ſatisfaciemus Galeno, qui ſua natura vocauit frigidum. Dixerim, in comparatione intelligenda eſſe Galeni verba: quod enim minus calidum eſt in comparatione ad magis calidum, ex omnium conſuetudine vocari ſolet frigidum. Et vero hanc explanationem admitto. Oligophorum id vinum dicitur, quod colore, tenuitate ſubſtantiæ, ſapore, odore, multum repræſentare videtur aquam in latitudine vinorum exiſtens. Nam ſi exacte haberet omnes qualitates aquæ, vinum vtiq; non eſſet, ſed aqua. Huius vini naturam ſeptimò meth. med. Galenus eleganter deſcribit hiſce verbis: Aquoſum appello natura vinum, quod tenue eſt, & albū & ſplendidum, & purum, & oligophorum, vt Hippocrates græce nominauit. Eſt autem oligophorum, quod ſi diluatur, minimam ſuſtinet aquæ mixtionem: id eſt, ſane imbecilliſſimum, & vt in vinis, aquoſiſſimum.] hæc Galenus. qui manifeſte indicat, locutum fuiſſe non abſolute, ſed in comparatione. Conſiderari enim velim hæc verba: &, vt in vinis, aquoſiſſimum,] non dixit ſimpliciter aquoſiſſimum. Sed, vt in vinis] id eſt, in latitudine vinorum. At Senex venerandus, dum abſolute loquitur de horum natura, caliditatem ineſſe nouit. affero eius dictionem, quæ ſic habet lib. 3. de ratione victus, text. 41. Cum vero in eiuſcemodi morbis fortem capitis grauitatem, vel mentis læſionem ſuſpicatus fueris, à vino penitus eſt abſtinendum.] hactenus prohibuit vinum generoſum, de quo ſupra fuerat locutus. Addit poſtea: Aquamq́ue tunc dare oportet: vel vinum aquoſum fuluum, & prorſus inodorum,] vides, hic exhibere vinum aquoſiſſimum, quia vult eſſe ipſum prorſus inodorum: ad differentiam alterius aquoſi odorati. Audias modo reliqua: Atque ab ipſius potione (inquit) aquæ exiguum ſuperbibendum.] refert cauſſam huius inſtituti, hiſce verbis: Nam hoc modo vini potentia caput mentemq́ue minus tentabit.] hæc Hippocrates. Sed quomodo (quæſo) poterit tentare vinum caput, quod omnino ſit frigidum? quos emittet aquoſiſſimum vapores? cur poſt illius potum aqua ſuperbibenda? in ſumma ita contendo, omne vinum calidum eſſe in ſua natura: ac magnam haberi in eo, quod magis & minus, latitudinem. Hactenus de caliditate. Longe maior de paſſiuis qualitatibus controuerſia eſt, an ſiccum, an humidum. Galenus ſiccum putauit octauo libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Humidum autem primo de ſanitate tuenda. Vetera quædam Epigrammata vtrique opinioni fauent. hoc humidum eſſe teſtatur de Baccho patre loquens:

A Ioue ſum genitus, lymphis nutritus vtrinq;
Humidus euaſi, perq; patrem calidus.

Siccum vero quod ita habet:

Infantem Nymphæ Bacchum, quo tempore ab igne
Prodijt, inuentum ſub cinere, abluerant.
Ex illo Nymphis cum Baccho gratia multa eſt,
Seiunctus, quod ſit ignis, & vrat adhuc.

Verum, quia huius diſputationis explicatio non pertinet ad hunc locum: ſatis ſit ex omnium ſententia, vinum calidum eſſe, ſtatuiſſe: quod erat noſtræ tractationi vtile: ſi qui voluerint poſtea cognoſcere, quid de ſiccitate & humiditate vini ſentiendum ſit, legant per ocium, quæ Fumanellus Veronenſis, Fracaſtorius, Manardus, Alexandrinus, ac omnium poſtremus Conſaluus Barreda Hiſpanus, qui ſtrenui ſunt Agonothetæ, & acerrimi propugnatores ſcripſerunt.

Cap. IIII.

An inebriare ſit de natura & proprietate vini.

PORRO vinum totius ſubſtantiæ proprietate non inebriat: nec inebriare proficiſcitur à natura vini, vt vinum eſt, ita vt ſtatuere debeamus, eſſe vini proprietatem. Quod tota ſubſtantia conuenit alicui, id ſemper & omni conuenit: at inebriare non ſemper conuenit vino: deinde, quia neq; omne vinum inebriat:

Non

Non enim oligophorum aquosissimum, vt cum Galeno loquar: non dulce, Aristotelis testimonio vim habent inebriandi. Neque debemus dicere, hæc non esse vina, vt quibusdam placere scio, quia illis certe, vt diximus, non solum nomen, sed etiam definitio vini conuenit. Deinde, quod alicui per propriam naturam conuenit, semper effectum proportionatum efficit naturæ. At dato quocunq; generoso vino, id non semper inebriat. Dicent, ebrietatem fieri ratione quantitatis vini: neq; id constat: quandoquidem indies videmus bibaces quosdam, qui etiamsi dolia ingurgitarent integra, non tamen inebriantur. Alios videas ex potu tantillo vini etiam non admodum generosi; inebriari statim. Hoc quidem non esse tribuendum vino constat. Nam ebrietatis caussa solum est vinum: vtique alii potus non inebriarent, at inebriat maxime ceruisia, zittum, & alii potus quamplures, inebriat aqua, qua cum decoctum zollium, ac multo magis dissolutum sit. Vinum igitur quia calidum, odoratum, vaporosum, inebriat immoderate sumptum non omnes, sed eos, quorum capita imbecilla sunt: at quę firma & valida sunt, facile resistunt, quamobrem naturam vini aut proprietatem totius substantiæ non sequitur, ebrietatem inducere, sed accidentariam quandam, vt dixi, dispositionem. Cæterum quod de vino dulci ex Aristotele scripsi, infra falsum esse, demonstrabimus.

CAP. V.

Vini maxime proprium esse, lætificare cor hominis.

QVÆSIERIT hoc loco quispiam, quid vino tanquam maxime proprium conueniat. Respondeo, maximam vini proprietatem esse, lætificare bibentem. De qua ita scribitur in Psalmo 103. VT EDVCAS panem de terra: & vinum lætificet cor hominum. Rursus libro Iudicum cap. 9. legitur: NVNQVID possum deserere vinum meum, quod lætificat DEVM & homines. Vide, quam tribuant sacræ literæ vino, vt putent, DEVM ex vino lætificari. Sed huius loci explanatio, quod pertinet ad Deum, relinquatur Theologis: Ego, quæ ad homines prosequor. Dicent, cum homines lætificantur ex vino, tunc fiunt ebrii. Scio, hanc esse clarissimorum authorum sententiam: quibus, quo minus fidem adhibeam, hæc persuadent. Omnibus, qui moderate vtuntur vino, lætari contingit. at eiuscemodi sobrietas non stat cum ebrietate. Audiant, quid sapiens scribit in Eccles. cap. 31. VINVM ad iucunditatem creatum est ab initio, non ad ebrietatem. Est igitur iucunditas ex vino citra omnem ebrietatem. Est autem huiusce rei caussa, quod vinum maximam habet cum humana natura similitudinem, ac statim spiritus reficit: quorum penuria, qui laborant melancholici, ac tristes esse consueuerunt: Deinde, quia cor ipsum moderate calefacit, fundit, laxat, quæ illi accidunt ex lætitia: quemadmodum per tristitiam contrahitur ac torpescit: sic per lætitiam laxatur & titillat: suauis calor, qui in vino est, hunc motum facit. Postremo adest indicibilis quædam sympathia cum corde, quæ in eius substantiæ modo consistit: ideo cordis vires mira quadam celeritate reparat. Rectissime igitur dictum à sapiente fuit: Vinum ab initio datum fuisse ad iucunditatem, non ad ebrietatem. Deinde non est verum, omnes ebrios lætari: nam quidam mœsti fiunt, quidam iracundi, alios videbis in aliam animi passionem esse procliues: ita vt verum non sit, omnino ebrios ex vino lætari. Placet autem addere hoc loco, quæ idem Sapiens ibidem de hac proprietate scribit: latina translatio hæc habet:

Aequa vita hominibus, vinum in sobrietate.
Si bibas illud moderate, eris sobrius.

At in contextu Græco breuior dictio est, & dilucidior:

Ἐπίσον ζωῆς οἶνος ἐν ἀνθρώποις, ἐὰν πίνῃς αὐτὸν ἐν μέτρῳ αὐτοῦ. Quod est:

Vinum est res æqualis vitæ in hominibus, si bibas illud in mensura sua.]

Admonemur hoc Sapientis dicto, vinum hoc præstare hominibus, quod præstat vita; & vitæ conferri posse, quia hominem viuificat. Vinum igitur sobrie

ſumptum, eſt hominibus æqua vita: hoc eſt, affert ei vitam æquam, conuenientem, commodam, iucundam: lætitia enim ipſum afficit, depulſo timore & mœrore: idq; facit, ſi bibatur non vltra debitam menſuram. Hic obiter adnoto ex ea Eccleſiaſtici ſententia, quæ dicit: Vinum ab initio fuiſſe creatum ad iucunditatem, non ebrietatem, colligere me, Noem non fuiſſe inuentorem, vt perhibetur vini, ſed à Deo Opt. Max. ſimul cum aliis rebus productum in principio. Atq; licet Geneſeos nono legatur: Noem primum plantaſſe vineam, id tamen intelligendum eſt, quemadmodum alterum eiuſdem dictum, nempe, quod ille primus cœperit exercere terram. nam certum eſt, ante diluuium homines exercuiſſe terram. Sed hæc relinquantur Theologis examinanda. Diximus de vini facultatibus, proprietateq; ſatis multa. Nunc de reliquis.

Cap. VI.

Potus quid proprie, & quotuplex apud Medicos.

SOLIDVM alimentum, quo indigebat corpus, nutrire non poterat, niſi antea varias mutationes ſubiiſſet in variis partibus: in ore ſcilicet, ventriculo, iecinore, & in indiuidua quaq; nutrienda particula. Mutatur in ore, quia maſticatione in minutiſſimas partes redigitur, cui operi factitando inſeruit ſaliua à glandibus ſuppeditata, atq; eadem deglutionem adiuuat. Demandatum ventriculo non poterat ſolum concoqui: ſaliualis enim humiditas non erat ſufficiens ad coctionem alimenti, quæ elixatio quædam eſt: indiguit igitur maiori humiditate extrinſecus comparata, cuius beneficio etiam optima fieret mixtio: ac poſt elaborationem accommodata diſtributio. Coctum enim in ventriculo alimentum debebat tranſmitti iecinori ad ſanguificationem, ac rurſus ſanguis in omnibus recipi debebat venis, & per omnes deduci vſq; ad minimas in ſingulis partibus contentas. Hoc fieri non poterat ſine humida ſubſtantia vehente alimentum: propterea diuinus Hippocrates agens de hoc vehiculo dicebat libro de alimento, humidum eſſe alimenti vehiculum. ideo recte concluſimus, hoc vehiculum eſſe rem humidam in actu. per humidam non intelligo aeream: hanc enim huic muneri accommodari non poſſe, certiſſimum eſt. Humidum in actu duplex eſt. Aliud enim eſt humidum actu, ſed potentia ſiccum. Aliud humidum & actu, & potentia. Maxime propria ratio vehiculi conuenit humido actu & potentia, & hoc potus dicitur propria & exquiſita nuncupatione. Etenim, quod ſiccum eſt, vt ſiccum magis cibi rationem quam potus habet, aut etiam ad medicamentum refertur. Aqua marina, vt exemplo dilucidem propoſitum, eſt actu humida, potentia ſicca: hanc nemo (niſi fallor) potum vocabit. Ius carnis contuſum eiuſdem, ac alia eius generis, ſolius vehiculi habere rationem non poſſunt: quod in illa ſiccum adeſt medicamentoſum, ſic in his alimentoſum ineſt. Erit igitur potus proprie humida & aquea ſubſtantia, quæ nihil continet ſicci ſenſibus conſpicuum: aut ſaltem, quod ſolius vehiculi impedire poſſit rationem. Non enim actu & potentia humidum ad humani corporis vſum, de quo loquimur, inuenies, quod non participet ſicco. Sed cum admodum exigua illius portio eſt, nec cibi rationem habebit, nec inhibebit rem eſſe proprium vehiculum: cum ad eam acceſſerit natura, qua fortaſſis exactior pro vehiculo inueniri non poſſit. Porro, quemadmodum potus res humida & actu & potentia dicitur, ſic etiam frigida eſſe debet. Potus enim finis, ſi bene iudico, inſtituitur duplex, vnus eſt optima mixtio ac diſtributio alimenti: alius ſitis extinctio, ex humiditate primus, ex frigiditate alter ineſt potui. Sanorum natura potum abhorret calidum. at aliquando vt ſanemus, cogimur inſtituere. Hinc elixatarum carnium iuſcula, licet valde humida & liquida, non videmus multum auferre ſitim: quod potentia nimirum nonnihil ſiccitatis in his contineatur elixatione ignis, quam vi de ſolidioribus elixatarum carnium partibus deterſæ ac eductæ: quocirca pro cibo potius habemus, tum hæc, tum quæcunque alia ſunt eiuſdem generis. Hæc, ſi vera ſunt, demonſtrant ſolam aquam

quam proprium esse potum, quod sola frigida, & humida sit actu, & potentia: alia vero nuncupabuntur potus nomine, illius participatione. Quæ omnia sunt à Galeno multis in locis diligenter explanata, sed nullibi diligentius, quam libro quarto de vsu partium capite. 5. Cæterum multa potius nomen habent non exquisita ratione sumpti, Primum, quod vehiculum esse potest, aut medicamenti, aut alimenti: atque hic differentiæ sunt tres, vna potus & medicamentum: alia potus & cibus. Atque in hoc duplicem inuenio differentiam. Alius enim potus dicitur, & cibus simul. Alius potus, cibus, & medicamentum etiam, e. g. ius carnis potus est, ob humiditatem aqueam, at vero alit ob siccitatem. Hac significatione vsus est Hippocrates libro secundo Aphor. cum ait: Facilius est impleri potu, quam cibis. quam explanationem Galenus affert in eius Aphorismi commentario. Vtranque significationem admittunt Medici de medicinali materia agentes, quam sex comprehensam capitibus, vnũ, quod cibus, & potus nuncupatus constituunt. Erit igitur potus alimentalis, & medicinalis. Medicinalem vocabimus, qui alterat, expurgat, detergit, vel aliud facit pro morborum curationibus vtile: hunc dicemus vehiculum, sed non alimenti, at solius facultatis medicamentosæ. Ergo potus statuatur quadruplex. Primus & exquisita ratione, solus potus. Alter, potus, & cibus duntaxat. Tertius potus, & medicamentum. Quartus, potus alimentum, & medicamentum simul.

CAP. VII.

Quid cibus, & quæ differentiæ sint alimenti.

EASDEM, nisi fallor, differentias recipit cibus: nam quidam est cibus absolute dictus, vt panis & caro suilla. Quidam cibus & potus simul, vt ius carnis, ac in vniuersum omnis sorbitio nutritoria. Quidam cibus medicamentosus, vt saliti pisces. Quidam cibus, potus, & medicamentum, vt ptissana, & halica. Cibum duntaxat vocabimus, cuius substantia mutatur in naturam corporis nutriendi, neque aliam vim habet, vt puta alterandi, vel deducendi, vel quidpiam simile. Hic cibus in sermone quotidiano, vt Galeni verbo vtar tertio de alimentorum facultatibus, cap. 14. opponitur potui, nam potus erat substantia humida, aquea, fluxibilis: cibus erit substantia sicca, terrea, compacta, & adhærescens. Huius mentionem satis frequenter facit Galenus, cum dicit, oportere corporis alimentum crassum esse, & compactum. Estis hoc loco admouendi, siccum alimentum non dici, quod humoris nihil habeat. Res enim pertinde habet, atq; in potu, quem humidum actu, & potentia constituentes, non exclusimus ab illo aliquid siccitatis: sic in cibo non excludimus omnino humiditatem. Quod prorsus omni caret humore, vt lignum, ac lapis, id certe elixari, & concoqui non potest. Alimentum igitur erit res quędam compacta, solida, sicca, minime vero omnino siue humore. Quando Arist. in secundo de anima definiuit famen, dicens esse appetitum sicci: hoc modo sicci nomen intelligit, quemadmodum declaratum mihi fuit in disputatione de fame aduersus Mercenatium Philosophum. Secunda ratio cibi est pro alimento humido ac fluxibili, quod, vt facile ob tenuitatẽ substantię mutari potest, ita ob fluxibilitatem distribui. De hoc cibo eleganter & luculenter agit Galenus libro secundo apho. cum ait: Nec hoc loco potum absolute, sed pro quibusuis rebus humidis, & potulentis, quæ alere, & substentare queant, accipere oportet. Nam, vt hæc solidioribus cibariis, non similiter alant, distributionis tamẽ celeritate illis longe pręstant.] hęc ille. Quibus verbis apertissime significauit cibũ quendam esse, ac potum simul, res scilicet, vt ille dicit, humida & potulenta, quæ alere & substentare potest. Meminit etam in his verbis, Potus absolute dicti. Meminit etiam cibi oppositi, cum dicit. nam vt hęc solidioribus cibariis. &c.] Cibi autẽ medicamentosi non potulenti adeo frequens est apud Galenum mentio, vt superuacaneũ putem me hic amplius immorari. Cibi, potus, & medicamenti simul accom-

modatum est exemplum decoctum hordei, mulsa, ptissanæ cremor: nam quatenus sunt res humidæ, & fluxibiles, certe rationem potus habent: quatenus nutriunt, cibi: quatenus detergunt, refrigerant, secant, medicamenti, vt recte Galenus docuit libro primo de ratione victus in acutis morbis, com. 44. hisce verbis. Nunquam enim cibus morbosam affectionem iuuabit sua ratione. Id sane dixi, quoniam sæpius materia vnà vim tum cibi, tum medicamenti obtinet, vt ptissana. Nempe, quod virtutem roboret, id ea efficere, tanquam alimentum nata est: sed quoniam & secat, & humectat, quæ exspui oportet, ideo medicamenti obtinet rationem.] Porro alimentum dicitur ab Hippocrate libro de alimento, tripliciter. Verum scilicet alimentum. Quasi alimentum. Futurum alimentum. Verum dicitur alimentum, quod assimilatur: quasi alimentum quod agglutinatur partibus, & etiam quod apponitur, ac spargitur. Sanguis vero in exilibus venis futurũ alimentum est, remotius qui in venis maioribus, & adhuc longius ab hac distat natura, qui in iecinore, longissime chylus: sic videtur Galenus primo libro de facult. naturalibus vsurpare hæc nomina. At parum referat, quomodo quis intelligat, quasi alimentum, & futurum alimentum, modo is duo sentiat. verum alimentum vnum esse duntaxat, quod scilicet alia non indiget alteratione, quam assimilatione. Deinde vero panem, carnem, vinum, olera, ac eius generis alia vocari alimenta potentia remota, qua scilicet res illæ possunt multis mutationibus interuenientibus in veri alimenti naturam terminari. Prius enim oportet in futurum alimentum, vt in chylum, & in sanguinem, deinde in quasi alimentum degenerare, vti sunt humiditates secundæ, à quibus, vt prædiximus, verum fit alimentum.

CAP. VIII.

Quid nutriatur.

NVTRIVNTVR porro ea quæ hominis naturam constituunt. Hæc vero ex tribus potissimum constat, nempe ex spiritibus, ex solidarum partium, quæ ex ipso semine gignuntur, substantia; ac tertio ex carnibus, quæ à sanguine suæ progenerationis originem duxerunt. Quarum trium substantiarum singulæ propriam pro natura sua tum qualitatem, tum quantitatem habent. Ac qualitas quidem earum ex congrua temperie humidi, & sicci, calidi, & frigidi efficitur. Quantitas vero solidarum partium par semper manet: sed iis, qui adhuc inaugentur numero duntaxat: qui vero absoluti iam sunt etiam magnitudine. carnosæ vero substantiæ magnitudo variatur, etiam si iam non augeatur animans: Pari modo & substantia spiritus propemodum quolibet momento tum maior, tum minor euadit. Hæ tres substantiæ conseruandæ sunt: nam ex harum conseruatione vita seruatur. conseruatio autem fit nutritione, qua alimentum in principio dissimile redditur in fine simile. igitur, si virium substantia tum ex spiritu, tum ex carnosa specie, tum solidis ipsis completur, singula propriam nutritionem desiderabunt. Spiritui quidem ex respiratione, transpiratione, & vatore, qui à sanguine attollitur, alimentum præstabitur: Sunt autem hæc tenuissima, aeream que naturam habent, quæ pro spiritibus nutriendis idonea censentur, alioquin proportionem aliquam habere cum spiritibus non possent. In hunc modum solidum genus postulat alimentum solidius: carnosum vero nutritur per eam naturam, quæ in medio humidorum, ac solidorum corporum est. Quamobrem quia alimentum, vt dixi, habere proportionem debet cum eo, quod nutritur, necessarium est, ex hac doctrina Galeni, colligere nos triplex alimentum esse. Quorum vnum humidum est pro nutritione spirituum accommodatum: de quo ita loquitur. liceat vero hic quoque volenti vel græce Aerosim, quasi Aerationem dicas, vel sanguinis attenuationem, vel in halitum solutionem, vel vtcunque libuerit appellare. Aliud est alimentum longe crassius, & solidius, pro seminalibus partibus destinatum: Tertium vero medium inter humidum, & solidum pro carnis nutrimento accommodatum.
Hippo-

Hippocrates libro de alimento duas fecit species, humidum ac siccum. Humidum intelligens duplex, vnum pro spiritibus, aliud pro carnibus. Siccum autem intelligit solutum alimentum. De vtroque loquitur cum ait: Principium alimenti spiritus, nares, guttur, os, pulmo, reliqua respiratio. Principium alimenti & humidi, & sicci, os, gula, venter] seiungitur hoc loco alimentum spiritus, ab alimento carnis, & solidæ partis. Nam hoc quidem potissimum elaboratur in ventre, id est, ventriculo, iecinore, & venis. horum enim capacitates ventrem vocauit Hippocrates: os & gula præparant. illud vero maiori ex parte ex respiratione, & inspiratione suggeritur, vt de animalis spiritus nutrimento 10 constat. Nam, vt Galenus ait libro secundo de vsu respirationis, opus est hunc ipsum spiritum animalem, siue sit animæ substantia, siue proximum animæ instrumentum, necessario nutriri debere: atque ideo maxime rationi consonum est, partim ab aere per inspirationem attracto, partim à sanguinis euaporatione illi nutritionem accedere. Nam, si arteriæ carotides circa collum vinculis constringuntur, nihil offenditur animal, quod pertinet ad respirationem, nec non ad motum & sensum. Vnde liquet cerebrum spiritu per eas à corde allato non valde habere opus. Reliquum itaq; est, aut euaporationem existere, aut per nares inspirationem. Atqui nec euaporationem largam contingere verisimile est, si arteriæ laqueo excipiantur: quare necessum est ex inspiratione per nares 20 potissimam alimenti partem animali spiritui accedere: quod manifeste sensit Hippocrates in superioribus verbis, cum dicit: Principium alimenti spiritus, os, nares. &c.] Hæc autem tanquam fundamenta Medicæ artis statuantur. Quibus etiam addere in præsentiarum placet, spiritus ipsos duorum esse generum: quidam enim sunt influentes, qui è corde potissimum in vniuersum corpus mittuntur: quidam insiti sunt in singulis partibus: vtrisque deberi nutritionem, & habere vtrosque alimentum, nullam dubitationem habet. Postremo solidas partes constitutas esse ex duplici substantia hic asserere volumus: quarum vna est compositio illa terrearum & crassarum partium, quibus constat os, nerui, membrana, & cartilago. Alia vero est calidum innatum à semine illis insitum 30 simul cum humido primigenito. Quamobrem indigere duplici nutrimento videntur mihi: vnum pro terrea substantia conseruanda, aliud pro humido primigenito fouendo, & quo ad eius fieri potest, instaurando. Diuersum autem vtrisque deberi alimentum, diuersa ipsorum natura indicat.

CAP. IX.

Vinum esse cibum, & potum ex communi omnium Medicorum consensu.

40 IAM vero ad rem ipsam propius accedamus. Vinum potus & cibus est. potus, qua ratione materiam continet humidam, liquidam, & fluxibilem, secundum quam potum consistere demonstrauimus, & in sermone quotidiano videtur opponi cibo, vt Galenus ait. Cibus est, quia nutrit secundum omnium opinionem. propterea dicebat idem author: Vinum quidem esse ex eorum numero, quæ alant nostrum corpus, omnes fatentur.] Est igitur communis notio, quam omnes de vino concipiunt, ipsum alere, idcirco Galenus hanc semper supponit tanquam verissimam, cum millies de vino locutus sit. Esse autem cibum hac demonstratione confirmat: Quodcunque alit corpus nostrum, cibus est. Atqui vinum nutrit, vt omnes fatentur. Ergo vinum cibus est. Exactissima videtur eiusmodi Galeni demonstratio: cuius minor est notio commu-50 nis: maior maxima quædam seu dignitas Medica. Ideoque plurimum admiratur illorum Medicorum pertinaciam, nescio an fortassis rectius ignorantiam dixeris, qui cum admitterent vinum corpus alere, noluerunt concedere cibum fore appellandum. Certe aliquam haberent excusationem, si materias alias cibales potulentas, quales multæ sunt, vt lac, iura carnium, earundem contusum, quæ nutriunt, & tamen liquidæ, segregassent à numero alimento-

rum: at cum admittant illas inter cibos, ſolumq́; excipiant vinum, merito non
eſt illorum opinio recipienda, Galenusq́; illa reiecta, vini meminit tanquam a-
limenti. Hæc ſi vera ſunt, duo nobis indicant, horum alterum eſt, in Galeni do-
ctrina non poſſe quæri, vtrum vinum ſit cibus: ſed, vt primo dicebamus diſcur-
ſus huius capite, ſupponendum. Alterum, quod inueſtigandus eſt nutrimenti
modus, qui eluceſcit ex vini differentiis in hunc modum: Vinum conſiderari
duabus rationibus poteſt, vel vt medicamentum, vel vt alimentum: quas vires
habeat, priori conſideratione explanatum ab Hippocrate fuit in libro de ratio-
ne victus in morbis acutis, & à Galeno tum in commentario, tum in methodo
medendi. In pręſentia vero vini differentias in alendo ſumus explanaturi, ſum-
pto hinc initio. Vinorum omniũ rubra ſimul & craſſa ſanguini generando ſunt
accommodatiſſima, vt quæ minima egeant mutatione, vt ſanguis fiat. Poſt ipſa
ſunt nigra, craſſaq́;, & dulcia: tum quæ colore quidem rubra ſunt & nigra, con-
ſiſtentia autem craſſa, vnà cum aſtringendi qualitate. Hęc autem minus ſua na-
tura alunt, quæ alba ſunt ſimul ac craſſa, & acerba: ſuperantur hæc in nutriendi
modo à flauis mediocriter craſſis & dulcibus, qualia ſunt vina, quæ ab odore
muſci vocantur muſcatella. Omnium autem minimum nutriunt, quæ colore
quidem ſunt alba, conſiſtentia vero tenuia: & quo fuerint tenuiora, eo ad nu-
triendum ineptiora ſunt, at ad vrinam prouocandam magis idonea. Igitur in
latitudine vinorum ſtatuantur extrema duo. Vnum eſt vinum rubeum & craſ-
ſum: aliud album & tenuiſſimum. Illud plurimum: hoc minimum ſanguinis
generabit: quæ in horum medio ſunt conſtituta, pro extremorum participatio-
ne mediocriter habent, vt in hoc ſchemate:

Vinum rubeum craſſum.
Vinum nigrum craſſum dulce.
Vinum nigrum craſſum auſterum.
Vinum rubeum non craſſum, ſed mediocre.
Vinum nigrum non admodum craſſum dulce.
Vinum nigrum non admodum craſſum auſterum.
Vinum flauum craſſum dulce.
Vinum album ſiue flauum craſſum auſterum.
Vinum flauum non admodum craſſum.
Vinum album tenue odoratum.
Vinum album tenue non odoratum.
Vinum album tenuiſſimum non odoratum.

Regula vero pro cognoſcenda nutritionis differentia ſumitur à tribus, à co-
lore, & à conſiſtentia, à ſapore, à colore, quia rubea præcedunt omnia, mox ni-
gra. à conſiſtentia, quia craſſa vina magis alere, quam tenuia ipſorum oſtendit
natura (inquit Galenus) præterea experientia id ipſum comprobat. à ſapore,
quia dulcia maxime amica ſunt naturæ: conficiuntur enim in ventriculo, & di-
ſtribuuntur facilius quam auſtera, vt quæ facultate ſunt calidiora. Quæ autem
admodum ſunt craſſa, tardius quidem perficiuntur ac diſtribuuntur, ſi tamen
in ventriculum adeo robuſtum incidant, vt confici recte ab eo poſſint, alimen-
tum copioſius corpori exhibebunt.

Iam igitur conſtat, quis modus nutritionis in vino generatim inſit, nempe, vt
ſanguinem efficiat breui & admodum celeri mutatione, in comparatione ad ſo-
lidiora alimenta: propterea dicit Galenus: Vt quæ minima egeant mutatione,
vt ſanguis fiat. Ac generalius de omni vino lib. 3. de temperamentis hæc ſcripta
reliquit.

Vinum vero, vt aſſimiletur, mutationem deſiderat minimam: quo fit, vt tum
nutriat, tum roboret celerrime.

Cæterum in latitudine vinorum, quædam citius, quædam tardius mutantur:
citius tenuiora, tardius craſſiora. Quædam plurimum nutriunt, quædam mini-
mum. plurimum craſſiora, rubea, nigra, flaua, dulcia, auſtera. Minimum alba, te-
nuia, inodora, aquoſa. & hęc de communi vini alimento ex Galeno ſatis. Verum
ne quid

ne quid in hac materia relinquatur, quod facere dubitationem possit, anteaquam sigillatim de aliis agam, expendere volo, quid clarissimi quidam hac nostra tempestate Medici respondeant. Itaque dicunt, omne vinum esse vehiculum alimenti, nullum autem esse cibum. differentiam esse vehiculi in eo, quod magis ac minus: nam vinum etiam si crassum sit, vehiculum tamen esse, sed minus quam vinum tenue, & adhuc minus quam album & oligophorum. At quia crassa vina & dulcia videbantur vrgere, quia hæc inhærent, vt Galenus inquit, & non facile distribuuntur, nutriuntque satis manifeste; Arbitrantur nomine duntaxat esse vina, non re ipsa: segregantque vinum dulce à vinorum natura, & quia nutrit, & quia dulce. neque enim sapor dulcis proprius est vino, vt Aristoteles inquit tertia sectione problematum. Ideoque inebriare alia vina dicit, sed dulce nunquam. Affirmatque, duplicem adesse nutrimenti notionem. vel enim dicitur nutrimentum, quod vere in corpus nutriti transmutatur: vel quod non vere transmutatur. Vinum primo modo non erit (inquiunt) nutrimentum, sed maxime famulatur ad perducendum alimentum partibus, & ad affigendum: Vnde, quando dixerunt Sapientes, vinum nutrire, secundo modo intelligunt, non primo. Sic Hippocrates docuit, humidum esse alimenti vehiculum: idque probant etiam ex verbis Galeni 4. libro de vsu partium cap. 5. vbi tradens vsum potus, ait, potum esse necessarium, vt sit alimenti vehiculum: quoniam sua natura cibus non posset ad anfractus corporis accedere. Hic examinanda sunt singula, principio facto ab iis, quæ de nutrimento prodiderunt.

v. δ. p. 514.

CAP. X.

Contrariæ sententiæ impugnatio.

ILLVD primo loco recipiendum non est, nutrimentum sumi à probatis authoribus, pro eo, quod non conuertitur in substantiam corporis: sed quid probatos authores dico, cum hactenus neminem profiteat inueniri id nomen sub ea significatione vsurpantem. Hic duplex est abusus, vnus, vt vehiculum purum, quale aquam esse in superioribus demonstrauimus, vocet Galenus alimentum: Alius, vt hoc nomen extra omnem consuetudinem admittat. Sed videamus, quam bene Galeno conueniat. Scripta hæc legimus libro de humorib. sect. 3. com. 19. Cæterum vinorum sunt multa genera: inter quæ ea, quæ aquea nominantur, perexiguum corpori alimentum perhibent: crassa & fulua multum alunt: ac multo etiam magis nigra. Aquea autem facilime per vrinas secedunt: propterea quod tota fere quam celerrime prius ad iecur subuehuntur, quam quicquam per aluum descendat. Alia vero omnia, ex quibus manifestum quid subit in ventrem, secedunt ad proportionem temporis, quo nutriunt.] hæc Galenus. quæ certissime non possunt referri ad ea, quorum substantia non vertitur in naturam corporis. Præterea multo euidentius idem conspicere licet ex iis, quæ libro tertio de temperament. cap. 2. scribit: vbi veri alimenti conditiones affert, ostenditque illas conuenire vino. Totam eius dictionem afferre placet in medium, quia, nisi fallor, dubitationem omnem tollit. Omne animal (inquit) conueniente sibi nutritur alimento. Conueniens autem cuique alimentum est, quod assimilari corpori, quod nutritur, potest. Oportet ergo vt toti nutrientis substantiæ cum tota nutriti natura communio aliqua, similitudoque sit, prorsus hic quoque non paruo excessus, defectusque subsistente in ipsis discrimine: cum alia magis consistentia, similiaque sint, alia minus.] hæ sunt conditiones veri alimenti. Audiant, quæ postea subdit: Propterea etiam alia conficiendi opere valentiore ac diuturniore, alia minore ac breuiore egent. Auium caro minore, suilla maiore: vinum vero, vt assimiletur, mutationem desiderat minimam. quo fit, vt tum nutriat, tum roboret celerrime.] An hæc quispiam negabit vero & exquisitissimo alimento conuenire? Audiant rursus, quæ idem author, de vino loquens, asserit, libro tertio de facult. aliment. cap. 40.

Vina rubra & craſſa ſanguini generando ſunt accomodatiſſima, ceu quæ minime mutatione indigeant, vt fiant ſanguis.] Vide magnum doctrinæ conſenſum. Num hæc verba de ſimplici vehiculo nutrimenti intelligenda ſunt? quis diceret, vehiculum aſſimilari corpori? minima indigere mutatione, vt ſanguis fiat? Liceat mihi hac ratiocinatione inſtare. Illud ſtatuendum eſt alimentum quod partibus nutriendis aſſimilari poteſt, vt Galenus docet libro primo de Naturalibus facult. nihil enim eodem authore nutritio eſt, quam aſſimilatio. Atqui corpori noſtro vinum facile aſſimilari poteſt. Ergo vinum noſtro corpori alimentum eſt. Perluſtremus quæ de vino dicant. Omne vinum eſſe vehiculum alimenti conſiſtere non poteſt. Nam, ſi per vehiculum intelligere oportet, quod alimentum de loco ad locum duntaxat transfert; non autem, quod aliquam habeat vim nutriendi, falſum eſſe profiteor: quia hoc nulli conuenit vino. etenim omne nutrit plus, aut minus: ergo nullum proprie vehiculum eſt. Fortaſſis oligophorum nobis obiicient. At certe licet putent maior medicorum pars hoc non nutrire, ego tamen contrarium ſentio, ſimul cum Galeno, nempe in relatione ad alia vina admodum exiguum dare corporibus nutrimentum. neque putauerim aliquando Galenum negaſſe huic vino nutriendi vim. Dilucida eſt ſententia Galeni libro de humoribus, in quo ait: Inter ea, quæ aquea nominantur, perexiguum corpori alimentum præbent.] non dicit hic, nullum.] ſed perexiguum alimentum.] Ac rurſus libro de alimentis ait: Omnium vero minimum alunt alba, & tenuia, aquis quodammodo ſimilia.] & in libro de cibis boni & mali ſucci, inquit: Ex vinis quæcunque aquoſa ſunt, & ſubſtantia tenuia vrinam mouent, & pauciſſimum corpori nutrimentum præbent.] & 2. aphoriſ. com. 11. de eiſdem vinis aſſerit: minimum alimentum præbere corpori. Ergo nutrire ita proprium eſt vino, vt omni prorſus conueniat.

Sed dicet, Hippocratem dixiſſe libro de alimento, Vinum quibuſdam alimentum, & quibuſdam non eſt alimentum. Hic certe locus etiam eoſdem conuincit. nam, ſi quibuſdam alimentum, omnibus non erit ſemper vehiculum, vt profitentur. An dicemus non eſſe alimentum, quod pauciſſimum certe alimentum præbeat? Vel non eſſe alimentum, quod pro medicamento vſurpetur, vtraque explanatio ſatis conuenit. Quamobrem vinum, qua res humida, actu erit vehiculum: quia poteſt verti in ſubſtantiam corporis, alimentum. Vina craſſa, & dulcia in relatione ad alimenta ſolida vehiculi etiam habere poſſunt rationem: in relatione ad vina tenuia, magis alimentum referunt. Galenus in commen. 11. 2. aph. priori modo locutus eſt; quia eiuſcemodi vina longe facilius nutriunt, quam ſolida alimenta. Neque mihi videtur conſonum rationi, vina craſſa, & dulcia non eſſe vina niſi nomine: egimus enim de hoc argumento ſupra, vbi oſtendebamus illud proprie re, & nomine eſſe vinum, cui vini definitio conueniebat. iis nunc addo, quod dulce vinum inebriat: Ariſtoteles cur id negauerit neſcio, neque videtur in hoc laborandum mihi, hoc vnum ſcio & profiteor, Moſcatella dulcia (antiquis fortaſſis incognita,) Trebiana nuncupata apud Tuſcos: Vernacia Inſubribus, Maluaticum Venetis dulce, inebriare, quorum capita ſunt imbecilla: atque ita quidem ſi re ipſa vinum eſt, quod inebriat, dulce autem inebriat, dulce re, & nomine erit vinum. Quod ex Hippocrate de vehiculo dicunt, id recte dictum fateor. Sed cauere oportet ne fiat reciprocatio: tunc enim adeſſet deceptio. Humidum (inquit Hippocrates) eſt alimenti vehiculum; at non ſequitur, quodcunq; humidum alimenti vehiculum debere nuncupari. Quia poteſt alimentum eſſe humidum quod vtroque gaudebit nomine, alimenti ſcilicet vt nutrit, potus vero vt diſtribuit. Aqua ſolum vehiculum eſt, non alimentum. Ius carnis alimentum, & vehiculum; vehiculi enim ſolius ratio ſoli aquæ per ſe conuenit, vt Galenus ait 4. de vſu partium, hiſce verbis:

At enim in hac quoque vena multa adhuc humiditate tenui & aquoſa plenus eſt ſanguis. Vocat autem ipſam Hippocrates χυμός τροφῆν, id eſt, vehiculum nutrimenti, ſimul cum appellatione vſum quoque eius oſtendens. neq; enim ex ventriculo in venas commode transmitti poterat chymus iam ex cibis factus neque

facile

facile pertransire venas, quæ sunt in hepate, & multæ & angustæ, nisi tenuis quędam & aquosa humiditas, tanquam vehiculum ei fuisset admixta. Hunc itaque vsum præstat animalibus aqua, si quidem ex ea nutriri nulla particula potest. Distribui vero ex ventre, quod nutriturum erat, non poterat, nisi deductum fuisset à quopiam ita liquido.] Hæc Galenus. Qui mihi vehiculi solius videtur naturam adeo diligenter expressisse, vt nihil diligentius.

Cap. XI.

Vinum spirituosas nutrire partes.

10 NVNC speciatim de eadem vini nutritione agendum. ac primum dico, spirituosam substantiam à vino nutriri, tum dum propriam seruat naturam, tum dum in sanguinem conuertitur. Vinum odore quidem reficit spiritus, de quo nutriendi modo Galenus ita scribit: Qui celeri alimenti appositione egent, humidum ipsis optimum colligendis viribus remedium. Quod si adhuc multo celeriore egeant, odoribus sunt recreandi.] Quod etiam multo antea dixerat Hippocrates libro de alimento. Odoris autem nomine non intelligimus ipsam speciem sensibilem, quandoquidem hæc nutrire non potest. Sed euaporationem ipsam, quæ ex rei odoratæ corpore prodit: hanc nutrire profitemur spiritus animales & vitales collabentes per inspiratione͂ factam per nares & per fau-20 ces. De hac materia disseruimus in primo Tomo Epistolarum Medicinalium, in Epistola de odore ad Cucinam. Refertur autem hic modus nutriendi ad aerem: quem nutrire spiritus, animales potissimum, supra demonstratum fuit. Secundo à vino fit nutritio, quod cum statim ob magnam familiaritatem substantiæ, facileq; in naturam sanguinis conuertatur, vtiq; ex suaui illius euaporatione omnes generari possunt spiritus. Ideoq; à Galeno scribitur libro de ratione curandi per sanguinis missionem: calorem natiuum suam habere conseruationem à sangine: quia spiritus ipsi, qui nomine caloris huius vt plurimum à Galeno vocari solet, generantur ex vapore sanguinis: vterque modus nutrimenti ex vino tunc necessarius est, cum potissimum spiritus breui tempore dissoluuntur. De 30 hac nutritione locutus est in Aphorismis, cum ait: Facilius est impleri potu, quam cibis.] & rursus: quæ longo tempore extenuantur corpora, ea lente reficere oportet, quæ vero breui, breuiter.] Nam spiritus cum tenuissimam habeant naturam, facile & breuissimo tempore solent dissipari: de quibus Galenus in commentario ita scribit: Corpora enim, quæ non multo tempore attenuata sunt, humidæ & spirituosæ substantiæ iacturam, non etiam solidæ colliquationem sunt passa.] Conuenit hic renutritionis modus iis, qui syncopem patiuntur: hos enim statim à vini odore ac potu recreatos videmus. Quæri solet hoc loco, an spirituum regeneratio facta ab aere, à vapore odoratæ rei, à sanguine attenuato, sit proprie nuncupanda nutritio. dubitationis caussa est, quod Gale-40 nus lib. 1. de naturalibus facultatibus, in quo ex proposito de nutritione agit, non videtur aliam admittere, quàm nutritionem solidarum partium ex semine & sanguine creatarum. ergo si hæc nutritio est, Galenus merito insufficientiæ accusandus, quod hanc prætermiserit: quod de Galeno affirmare nefas putant. Confirmatur præterea hac ratione: Quod vere nutrit, mutationes multas pati debet in variis partibus, vt in ore, in ventriculo, in mesenterio, in iecinore, in venis, ac tandem in singulis partibus: at hoc fieri non potest sine tempore: Videmus autem, vinum non subire has alterationes, ac statim mutari in substantiam spirituum. propterea admittendum est, à vino instaurari spiritus, & recreari: at vero minime quidem proprie nutriri: adde, quod omne nutrimentum incras-50 satur: sed vinum cum recreat spiritus, non incrassatur: ergo proprie nutrimentum non est. Ego putauerim, veram esse & propriam nutritionem: atq; licet non sit vera nutritio, ex hoc tamen argumento conuinci aduersarios contendentes, vinum solum esse vehiculum. Quandoquidem quod hanc naturam habet, non potest illud in substantiam corporis conuerti, atq; vires collabentes tam subito reparare: imo ne reparare quidem potest. aggredior docere, cur putem, veram

nutritionem eſſe. Inprimis maxime videtur conſonum rationi ob partis præ-
ſtantiam: Galenus enim non raro dixit, ſpiritus ipſos aut eſſe animę ſubſtantiam,
aut proximum illius inſtrumentum. ego quamuis priorem partem enunciatio-
nis huius falſiſſimam profitear: aliam tamen nullam pati difficultatem video.
cum igitur ſpiritus longe prętantiores ſint, quam ſolidæ partes, & carnoſum ge-
nus: ac etiam tantæ dignitatis, vt actiones fieri in viuente corpore non poſſint,
ſine illorum adminiculo videre non poſſum, cur ſolidis vera nutritio cõcedatur,
& carni: ſpiritibus autem neganda ſit. Præterea idem confirmat ratio nutritio-
nis. Nam Galeni teſtimonio primo de naturalibus facultatibus: Nutritio eſt al-
teratio, quam aſſimilatio ſequitur, imo ad id quod nutritur, eius quod nutrit aſſi-
milatio eſt. Alteratio ipſius actionis genus eſt, non tamen qualis erat in genera-
tione. ibi namq;, quod os non erat, potius factum eſt os. In nutritione vero, ei
quod iam factum eſt, id quod affluit, efficitur ſimile: ideo non immerito hęc aſſi-
milatio vocatur. At ſpiritus ex odoratis, ex aere ipſo iam exiſtentes, nutriuntur:
quia vtrunque mutatur in ſubſtantiam ſpirituum. Ergo cum hęc operatio ſit aſſi-
milatio, & generatio non ſit, quia aduenit enti in actu, aliud eſſe nõ poteſt, quam
nutritio. Amplius idem probabiliter demonſtrari poteſt ex natura alimenti.
Etenim alimentũ eſt quodammodo contrarium, & quodammodo ſimile: con-
trarium (ſiue, vt rectius loquar, oppoſitum) eſt in principio ſuæ alterationis: in
fine vero omnino redditur ſimile. Solidarum partium nutrimentum actione
ipſius naturæ primum ab omnibus qualitatibus priuatur, impedientibus ipſum
nutrire: vt panis formam amittit panis, & aſſumit chyli: & poſtea priuatus hac
forma induit in iecinore naturam ſanguinis, atq; tunc fit ſimile. Sic videtur ha-
bere mihi in nutrimento ſpiritus. nam vapor ſanguinis mutat naturam in tenui-
orem ſubſtantiam, qualis ſpirituum eſt. Aer & vapor odoratus priuantur omni-
bus contrariis diſpoſitionibus, poſtea vero euadunt in naturam ſpiritus. Adhęc
idem ex natura inſtrumenti demonſtrari poteſt. nam quemadmodum ſolidum
alimentum debebat alterari in variis partibus, quæ etiam recipere debebant
excrementa ab illis mutationibus genita: ſic etiam in nutritione ſpirituum natu-
ra varia inſtrumenta fabricauit accommodata. De quibus ita dixit Hippoc. lib.
de alim. vt ſupra etiam recenſuimus. Principium alimenti ſpiritus, os, nares, gut-
tur, pulmo, & reliqua reſpiratio. In quibus varias mutationes recipit alimentum
ſpiritus. Placet id ipſum confirmare Galeni verbis. Statuamus, animalia in-
gentem copiam aeris attrahere, hunc ingredi per aſperam arteriam in pulmo-
nes, atque per arteriam venalem ad ſiniſtrum cordis ventriculum influere. Ela-
borabitur certe aer ipſe ambiens in ſubſtantia pulmonis cum inſito ſpiritu ibi
permiſtus, & qui copioſus ibidem adeſt. ſiquidem vt ait Gal. 7. de vſu part. cap.
8. pulmo alitur ſanguine tenui, & vaporoſo. Arteriæ item, vt idem ait cap. 5. per
ora, quę in cutem deſinunt ex circumdato nobis aere non exiguam in ſe cum di-
latantur portionem alimenti recipiunt. In hoc autem diſcrimen alimenti ſpiri-
tuum eſſe videtur mihi ab alimento ſolidarum partium, quod in his ipſis maior,
& magis conſpicua mutatio ſit, in illis minor, & obſcurior: ideo Gal. lib. 5. de
ſimplicium medic. facult. cap. 9. ait, materiam leuiculam mutationem expo-
ſcentem ad innati ſpiritus generationem eſſe vapores ſanguinis. Addamus au-
thoritatem Hippocratis, & Galeni, qui de nutrimento ſpirituum eodem modo
loquitur, atque de vero nutrimento, & cum ſæpe in hunc ſermonem incidat,
nunquam tamen differentiam hanc animaduertit. ſed ambo communi con-
ſenſu tres eſſe partes conſtituentes noſtrã naturam, & triplex nutrimentum re-
periri ſingulis proportionatum ſignificarunt. Videor ex iis demonſtraſſe ex vini
vſu nutriri ſpirituoſam ſubſtantiam, atq; veram nutritionem eſſe: ac dato nutri-
tionem improprie dictam, vinum vehiculi ſolius rationem non habere.

Cap. XII.

Vinum nutrire partes carnoſas, & ſolidas.

Nunc

NVNC etiam huic disputationi addo, Vinum nutrire partes solidas, & carnosas: quod ego me facile demonstraturum confido, sumpto principio à partibus carnosis. Illud autem antea statuendum, ac supponendum, cuius mentionem supra ex Galeno fecimus, nempe ex vino generari sanguinem: ex hoc principio sic demonstrari potest propositum. Carnes, tum viscerum omnium, tum vero musculorum ex sanguine ipso nutriuntur, exiguam scilicet alterationem consecuto. Ossa vero, quo nutriantur, numerosa, quę intercedat, mutatione eget. Hic Galeni discursus est lib. 3. de natur. facult. cap. vltimo. Ergo si caro nutritur à sanguine, & vinum fit sanguis, erit ipsum vinum carnis remotum 10 nutrimentum, quod in hac tractatione quærimus. Præterea cum caro humido temperamento sit prædita: solidæ partes sicco, proportionatum alimentum postulant. ille humidum exiget: hæc vero siccum. At ex vino & humidis sorbilibusq; alimentis humidum præstatur corpori alimentum, ergo ex vino carnosum genus optime nutriri poterit. Amplius communi ratione sic insto: Omnium partium commune alimentum est sanguis: Atqui vinum degenerat in sanguinem: Ergo vinum omnium partium idoneum erit alimentum. Quæ res, ne videatur positis principiis non conuenire, quomodo sit intelligenda, breuiter expono. Ex sanguine tenuiori nutriuntur spiritus, vel, vt rectius dicam, ex vapore sanguinis ex moderata illius substantia caro nutritur leui mutatione suscepta. ex 20 toto postea sanguine post multas mutationes solidarum partium substantia nutritur. de hisce mutationibus loquitur Galenus satis diligenter loco proxime citato. & nos quidem, quomodo contingat, breuiter exponamus. Quemadmodum omnis caro nutritur sanguine: sic etiam ossa nutriuntur ex eodem alimento in medullæ naturam conuerso. Quæ parua sunt ossa, & non habent sinus, medulla inspersa est in cauernulis ipsorum: in magnis vero habentibus sinus, in illis continetur pro nutrimento medulla. Vbi nutrimentum, & quod nutritur magnam habent similitudinem: at exigua dissimilitudo est, facilis est transmutatio, vt à sanguine ad carnes. Quibus autem plurimum discriminis intercedit, ea fieri breui tempore similia non possunt, nisi omnes mutationes 30 intercedant, quæ in medio sunt, vt accidit inter sanguinem & ossa. Tale quiddam & cartilagini est mucosum illud, quod ei circumfunditur: præterea ligamentis, membranis, ac neruis lentus humor, qui in eis inspersus visitur: singula namq; horum ex multis conficiuntur fibris, quæ & similares particulæ sunt & vere sensibiles. In mediis vero earum spatiis, qui maxime ipsarum nutritioni succus conuenit, est inspersus. Tandem omnem succum alimentarium est necessarium partes ipsas attraxisse ex ipsarum venarum sanguine, electo inde quod potuere sibi quam simillimo. assimilant autem sensim, atque in suam naturam mutant. Hæc igitur, si vera sunt, manifestum faciunt, vinum esse materiam alimenti, quo solidæ partes nutriuntur. Est autem hoc loco animad- 40 uertendum, in solidis partibus contineri calidi innati substantiam simul cum spiritibus insitis, atq; etiam terreum illud crassamentum, quo à mollioribus partibus, vtputa sanguineis, differunt. Sanguis ex vino genitus licet sit crassus, vix tamen habere tantam potest crassitiem, vt terrenam illam instaurare molem possit. at certe nutriuntur ex eo sanguine innati spiritus, & innati calidi substantia: quibuscum maximam habet familiaritatem. Atque hoc modo constat, quale nutrimentum præbeat vinum, & qua ratione spiritus, carnosum genus, & solidæ partes ab ipso nutriantur: quod propositum huiusce nostri discursus fuit.

50

CAP. XIII.

Dubitationum omnium explicatio.

RELINQVITVR vt dubitationibus satisfiat, quæ in hac materia non videntur exiguæ. Atq; primum sic dubitatur. Si vinum nutrit, vtiq; eius aliqua pars vertitur in substantiam corporis: id enim necessarium esse constat. Atqui nulla

pars vertitur in substantiam corporis ex Galeni sententia: non igitur nutriet. minor probatur verbis Galeni libro primo, de naturalibus facultatibus, capite vltimo, in quo sic ait:

At quod totum id, quod bibitur, vrina fit, nisi si quid cum aluo exiit, aut in sudorem, aut per inuisibilem perspiratum abiit, ostendit plane eis, quod quotidie meiimus copiam.] hæc ille. quæ repetit tum in eodem capite, tum etiam lib. 3. eiusdem tractationis, cap. vlt.

Secundo, omne alimentum, cum in naturam corporis debeat conuerti, debet esse crassum ac viscidum: Crassum, quia partibus assimilari oportet, quę crassæ sunt. Viscidum, quia debet illis agglutinari: at non potest, quod non participat, visciditate agglutinari, vt constat experientia ipsa, & à Galeno passim explanatum est, præsertim lib. 7. methodi, & de naturalibus facult. Sed vinum neq; crassum est, neq; viscidum. ergo illi minime conueniet ratio nutrimenti.

Minor hoc modo probari potest. aliquid esse crassum, dupliciter potest intelligi, vel extra corpus, vel intra corpus. non est aliqua ex his ratione crassum. Nam vinum semper est fluxibile corpus, actu humidum: at crassum adhæret, & non fluit. Vinum igitur extra corpus actu consideratum minime pro crasso haberi debet. Neq; potentia etiam crassum est vinũ. Nam si coquatur, nunquam crassescit, vti experientia manifestũ est apud eas gentes, quæ vina concoquunt: ea enim coctione semper euadunt tenuiora.

Præterea neque crassum est potentia intra corpus sumptum: quia, quæ sunt aquea, differunt ab iis, quæ terrea sunt, & aerea. hæc enim incrassari possunt, illa nequeunt, vt colligitur ex Aristotele lib. 3. Meteor. cap. 9. Atqui eiusdem authoris testimonio vinum ipsum species est aquæ. incrassari igitur nunquam poterit in corpore, quantumuis calor naturalis in ipsum agat. Amplius neque visciditatem aliquam adipisci vinum potest potatum: quia vinum neque ab vlteriori coctione, neque ex admistione rei cuiuspiam acquirere visciditatem potest. Mel ipsum exempli gratia viscidum redditur, quo magis coquitur. Vinum, viscidum corpus est ratione mixtionis. Vinum neutro modo acquirere potest visciditatem. Non quidem coctione, quia, vt prædiximus, quo magis coquitur, eo redditur tenuius. Non secundo permistione, quia nihil permiscetur vino, quod tenax reddere possit ipsum. Dubitationes contra opinionem hactenus explanatam, tot sunt.

Cap. IIII.

Propositarum dubitationum solutio.

HÆ rationes necessariæ non videntur mihi: propterea ad earum solutionem accedo. Quantum igitur ad primam pertinet, dicimus minorem propositionem, tanquam falsam, non esse admittendam. Eius falsitatem ostendit experientia, & communis omnium consensus. Experientia, quia qui sobrie viuunt, non solum totum, quod bibunt, non emittunt per vrinas, sed etiam satis manifeste maiorem fere partem pro corporis nutrimento retinent; imo in iis etiam, qui indulgentes potui vocantur bibaces, accidit, statim impinguari, quod non contingeret, si totum, quod bibitur, fit vrina. Certum est, impinguari illos ex solo potu: quia ciborum exiguam admodum in relatione copiam sumunt. Idem præterea vinearum custodes ostendunt, qui ex vuarum maturarum vsu solent plurimum impinguescere. Communis porro consensus idem indicat. nam ex potu vini generosi recreari statim syncope affectos concedunt, & nos supra etiam diximus. at omnino impossibilis esset recreari spiritus, si totum, quod bibitur, vrina fit. Sed quid dicemus ad Galenum? an arbitrabimur, ipsum aberrasse? ego quidem certe id non putauerim. Sensus itaque Galeni verborum in hunc modum habet: Putabat Lycus, renes non attrahere ad sese serosos humores à superioribus partibus, sed generari in renibus ratione ipsorum nutritionis. Galenus contra hanc opinionem refellit multis argumentis, præsertim

tertim vero argumentatur hoc pacto: Quicquid bibitur, ô Lyce, fit vrina. ergo ipsa gignitur ab ea substantia, quæ bibitur. itaq; non generatur ex nutritione renum, si prius, quã renes nutrirentur, aderat materia in corpore, quę fiebat vrina. Probat postea, quod quicquid bibitur, fit vrina, experimento eorum, qui multum bibunt hyeme, in ocio degunt, & vino aquoso & tenui fruuntur. Quæ cum ita sese habeant, non videntur aliquid concludere contra opinionem nostram. Primum, quia hic Galenus agit de vino oligophoro, ac tenui, quod minimum nutrit: nos agimus de aliis vinorum differentiis. Secundo supponit homines bibaces, qui nimio indulgent potui: nos autem de sobriis agimus. Tertio Galenus eam affert sententiam, vt ostendat, ex potulenta substantia originem habere vrinam, quatenus etiam trahitur à renum caliditate: quod non facit ad propositum nostræ tractationis. Quia esto, totum quod bibitur aliquando fieri vrinam: vt experientia manifestum facit, non debet hoc recipi tanquam vniuersale, sed vt particulare quoddam præceptũ. eius verba sic fore intelligenda, quæ postea subsequuntur manifestum faciunt. Hyeme autem maxime id intelligere licet in iis, qui in ocio degunt, & vino ampliter indulgent, præsertim si vinum tenue, & penetrabile sit. Meiunt enim hi celeriter tantum paulo minus, quantum bibunt.] hæ circumstantiæ minime persuadent vinum nutrire non posse: vt omnes perspicere arbitror.

Ad secundum argumentum dico, vinum esse quidpiam tenue, humidum, fluxibile: atque in eo genere crassum in quadam latitudine. notandum itaque alimentum omne aliqua ratione debere esse crassum, plus, aut minus pro varietate substantiæ nutriendæ. Vinum in relatione ad spiritus est crassum. res enim tenuissima est spiritus: Huic proximus est halitus: cui succedit sanguis arteriosus, feruentissimusq;. Vinum certe crassius est spiritu, tenuius carne, & solidis partibus. Cum petunt, an actu sit crassum vinum, responderi debet secundum distinctionem supra dictam: cui addo, quod si loquamur in latitudine vinorum, horum quædam tenuissima sunt, quædam crassissima, quædam mediocria. Nigra, & rubra, vt plurimum crassa, vt fere maior pars dulcium. Rursus habent visciditatis aliquid, cuius caussa inhærent, vt maculæ ostendunt: nam si merum fuerit rubeum, quale in Piceno visitur, adeo inhærent maculæ, vt nunquam, quantumuis diligens adhibeatur artificium, deleri, & detergeri possint. si aquam mistam habeat cum difficultate eluuntur: nam aqua penetrationem licet vino dederit, tamen in penitioribus partibus adhæret vini substantia. Postulantibus, an vinum coctione incrassescat. Respondeo, dubio procul omne reddi crassius: cocta vina regionis Piceni vtique crassiora sunt non coctis. Genus est (inquiunt) aquæ. Fallax quidem est hic locus, cuius explanationem supra docuimus. Vocat ibi Aristoteles aquam omne humidum fluxibile: quia agit de iis quę possunt exsiccari. Sententia illius ita habet: Omne aqueũ exsiccatur: quia in vapores verti potest, remanente alimento aliquo sedimento. Nisi admittant hanc expositionem, quomodo interpretabuntur hoc Aristotelis dictum? Sanguis non est natura calidus, libro secundo de partibus anim. cap. 3. atque hoc diuini Hippocratis libello de corde. Sanguis enim non est natura calidus: neque enim alia aliqua aqua? loquamur de vino, vt in corpore existens alteratur, & mutatur in aliam speciem: Quis dubitat hoc incrassari? Si gignitur sanguis, nonne gignitur res vino crassior? ac, si fit sanguis beneficio iecinoris, cur non fiet viscidum aliqua ex parte? non posse sanguinem fieri, nisi portio aliqua adsit visciditatis, natura sanguinis indicat, quam necessario constare ex pituitosa parte, omnes vnanimi consensu posuere. Sed caue, ne putes, omne alimentum debere minus crassum esse nutrienda substantia. id quidem concedemus in nutritione carnium, & solidarum partium. at in spirituum nutritione secus habet. nam sanguine nutriuntur & vapore illius: atqui spiritus sunt longe tenuiores: hinc velim colligat studiosus adolescens, nutritionem spiritus non fieri incrassando, vt fit in carne, & solidis partibus: sed tenuando: quia substantia vertitur in naturam spirituum tenuissimorum ac fortassis splendidissimorum

matulæ

corporum. Videntur hæc mihi, studiosi iuuenes, omnibus satisfacere dubitationibus, quæ in hac materia proponi solent. Atque hactenus canicularibus hisce diebus vestræ vtilitatis caussa docuisse sufficiat, qui modus nutriendi conueniat vino. Valetudinem vestram curetis, mei memores. Die 28. Iulii. 1590.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER SEXTVS.

LODOVICO PICHINO GENERO SVO.

Quod sanguinis è naribus stillacidium perpetuo malum signum non sit in ardentibus febribus.



QVIA scire desideras, quale illud sit, quod dum de ardentis febris curatione publice dissererem, de stillacidio sanguinis contra sententiam recentiorum Medicorum dicebam: nunc in tui gratiam id doceo libentissime. Summa est, Ludouice fili, communem esse fere omnium opinionem, sanguinis è naribus stillacidium, in ardentibus febribus contingens, malum esse signum. Ego vero bonum esse aliquando, ac futuram indicare crisim, ex Hippocrate demonstraui. Nunc igitur, vt consequaris, quid sentiam, affero primum, cur alii in eam opinionem venerint. 30

Hippocratis authoritati & Galeni primum, dein vero rationi inhærere videntur. Nam ille in proriticis præsagionibus sect. 2. text. 47. sic ait: Si vomitus exigui, biliosiq; fuerint malum, tum aliàs, tum si ægri superuigilauerint. Narisque in his stillans malo est. Galenus autem in commentario: Excerni (inquit) pauca in ægris vnum quoddam ex signis est, quæ ex toto prauitatem habent, siue sanguis per nares excernatur, siue deorsum per ventrem, siue deorsum tale quidpiam, quod superfluum sit, excernatur. Idem & in sudoribus est, & iis, quæ per vterum excernuntur. Nihil enim eorum, quæ decretoria existunt, exigua secerni conuenit. Sed quæ ita vacuantur, omnia duorum alterum subeunt: nam, vel quod non queant tolerari ob copiam, ab effectis effunduntur partibus, vel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ quidem proponit superflua excernere, sed nequit. Rursus quarto de ratione victus in morbis acut. com. 67. in hunc modum scribit: Nouimus enim, quod sanguinis è naribus stillationes malum semper quippiam esse ait, propterea quod natura quidem concupiat, quod superfluum est excernere, sed ob propriam imbecillitatem nequeat, vel sanguinis crassitiem, vel partium densitatem, vel quædam ex his, vel omnium concursum. Præterea idem Hippocrates lib. de morb. vulg. sect. 2. tex. 63. ait: Nam Philiscus quidem Epamenon, & Silenus, quibus parum quarta die, & quinta è naribus stillauit, mortem obierunt. & Galenus in commentario: quibus parce, aut nihil stillarunt nares, solos hos periisse. Hæc illi ex Hippocrate & Galeno afferunt. Quæ opinio ex eo potissimum fundamento originem habere videtur mihi, quod natura nunquam bene vacuat, cum parum vacuat. Est autem dignitas quædam in Medicina, quod iudicatoria non iudicantia lethalia sunt, si ægrotus deterius habeat, vel difficile iudicium habeant, si nihil iuuent,

tient. Qui enim fieri poteſt, magnam in corpore ineſſe abundantiam ſanguinis bilioſi in patientibus ardentem febrem, malumq; non exiſtere ſignum ſtillacidium ſanguinis? Quia certe, vt neceſſitas indicatur naturæ ad vacuandum, ſic manifeſte eiuſdem imbecillitas notatur ad expellendum. Porro communis huius opinionis fundamentum non eſſe vſquequaq; verum, neq; indiſcriminatim pronunciandum, quæ mox dicam, ſatis aperte ſignificabunt. Extat in primis Hippocratis teſtimonium magni in hac re, vt ego ſentio, momenti. Ille enim ſtillacidium hoc ſumit pro ſalubri ſigno præcedente naturæ ipſius abſolutum iudicium. Verba in hunc modum habent libro 3. coacarum prædictionum textu duodecimo:

τὰ εὐθὺ ταραχώδεα, ἄγρυπνα, ἐπιστάζοντα ἐκ ῥινῶν, ἑκταῖα κουφισθέντα, νύκτα πονήσαντα καὶ ἐς τὴν αὔριον, ἐφιδρώσαντα, κατακοιμηθέντα, παρακρούσαντα, αἱμορροεῖ λαύρως, καὶ λύει τὰ πάθεα. τὸ ὑδατῶδες οὖρον τοιαῦτα σημαίνει.

Quod eſt:

In quibus ægris ſtatim turbulenti ægri vigiles ſanguinem ſtillatim reddunt è naribus, ex ſexto die melius habent, per noctem poſtridie exaſperantur, tenuiter ſudant, in ſomnum feruntur, aberrant mente, largiter ſanguinem effundunt, ea ratione morbis liberantur. Aquoſa vrina talia oſtendit] hæc Hippocrates.

Ex quibus certiſſime colligere poteſt vnuſquiſq;, ſtillaticium ſanguinis ex naribus fuiſſe ſignum prognoſticum ad bonum futuræ ſcilicet criſis, ſanguinis è naribus copioſe fluxuri, ac idcirco non poſſe abſolute pronunciari, ſtillacidium ſanguinis ex naribus ſignum cenſeri malum, pernicioſumq;. Nos quidem adhibere ſolemus eiuſcemodi diſtinctionem, qua noſci poſſit, quando lethale, & quando ſalubre ſignum debeat iudicari: itaque primo loco ſtatuendum eſt, ſignum hoc nullum habere locum in morbis diuturnis: nam in his nares frequenter citra damnum ſtillant ſanguinem, imo peculiare propriumq; ſignum cenſetur eorum, qui obſtructionem patiuntur lienis ac iecinoris. Quamobrem cum in his veritatem non habeat, relinquitur ſolum intelligendum eſſe de acutis, ardentibusq; febribus. Porro in his etiam poſſunt ſanguinis ſtillæ contingere duobus modis: vno modo ſignis coctionis præcedentibus, vt accidit in morbo ſalubri. alio modo cum ſignis cruditatis & mortis in affectu quidem lethali ſemper malum cenſeri ſignum debet. At in ſalubri bonum eſſe poteſt, vtputa quod prænunciare poteſt criſim futuram die criſima, vt ſeptima, vel decimaquarta, vel vigeſima. de ſingulis agamus.

Vbi ſigna non adſunt bona in hiſce febribus, ſed lethalia ſeſe offerunt, longe melius eſſet, naturam nihil excernere ac mouere, quam inceptum opus relinquendo in media via ſuccumbere, propterea multo maior ſecuritas cenſeri debet, quando nihil omnino excernit natura, quam cum paulatim & inutiliter educit, quemadmodum Galenus ait, vt iam explanauimus in principio diſcurſus huius.

Si cauſſam petieris ex me, multiplicem eſſe dicerem: Vna, quia in ceſſatione ab expulſione coniicere licet, naturam adhuc incumbere coctioni ipſius morbi, quæ ſenſim fit, paulatimq;. Deinde, quia colligimus, mitiorem eſſe naturam humoris peccantis, neq; plurimum irritare ante opportunũ tempus, aut ob copiam, aut acrimoniam, aut malignitatem ad expellendum. Tertia cauſſa eſt, quod, dum natura nihil mouet, ſuſpicari non poſſumus materiam ipſam, raptum habere ad aliquam partem præcipuam: quæ res perpetuo ſolet contingere, cum natura expulſionem fruſtra tentat: tunc enim cum perficere & abſoluere non poſſit, noxius humor, factus veluti ſui iuris, ruit præceps ad partes nobiliſſimas. Apparens igitur ſtillacidium ſanguinis, non concurrentibus aliis ſalubribus ſignis, malum eſt. Quatuor enim ſignificat: Aut virium imbecillitatem, aut ſanguinis craſſitiem, aut partium denſitatem, aut omnium cauſſarum concurſum. Signi huius augetur malignitas, ſi craſſus, niger, & meracus apparuerit. Extremam enim hic indicat, aduſtionem omnem ſeroſam abſumentem ſubſtantiam: atque multo certe magis, ſi æſtatis fine, aut ipſius autumni accidat principio: quo in tempore ſanguis exiſtere tenuis ob permixtionem bilis,

facilemque habere per venarum orificia fluxionem deberet: magnam propterea subesse caussam oportet, vt Galenns ait lib. 4. de rat. vict. in mor. acut. com. 67. Adhæc vero intenditur malitia, si quarto die accidat, tunc quidem diebus paribus motus ille inchoatus in febribus biliosis, quæ mouentur imparibus, bonus esse nequit, vt Hippocrates ait lib. 4. coacarum prænotionum, cum ait: In febribus ardentibus, quarta die sanguinem è naribus fluere, malum: nisi quid aliud bonum incidat. Quinta die minus periculosum. Hic notabis differentiam quintæ diei à quarta. Nam dies quinta impar cum sit, in biliosis morbis cretica esse potest, idcirco minus periculi adesse significatur. cur vero dixerit: Nisi quid aliud bonum incidat] explanabitur parum postea. Ergo stillacidium est malum in acutis & deurentibus febribus indicium quarta die veniens, non præcedentibus autem siignis coctionis, & sine vtilitate ægroti, imo cum euidenti damno, & cum malorum symptomatum præsentia, semel aut bis apparens admodum exiguus, meracus, ac niger in æstate, ac in autumni principio.

At vero, si contingat aliquando quinta die ratione crisis imperfectæ contingere potest bonum esse signum: quia aut in septimo absoluet crisim, aut vndecimo per fluxum sanguinis è naribus. hac ratione stillacidium bonum erit signum, tanquam prænuncium futuræ crisis. imo non in fluore duntaxat sanguinis, sed in plerisque aliis vacuationibus contingere obseruaui, præsertim in sudore, ac alui fluxione. Vidimus enim sæpe leuem quinta die sudorem contigisse, postea septima sudasse ægrotum adeo copiose, vt statim fuerit sanitati restitutus. & aliquando principium sudoris quarta inchoasse obseruatum fuit: idemque contigisse in alui fluore profiteor. Olim de hac re disseruimus in epistola ad Iulium Cinum Collensem Serenissimi, ac magni Hetruriæ Ducis Medicum. Putauerim hoc sibi voluisse Hippocratem, quando inquit: Nisi, quid aliud bonum incidat.] Quasi quod dicere voluerit Senex. Stillacidium sanguinis malum signum est nisi adueniat morbo iam concocto. tunc enim præuia est significatio ad futuram crisim per fluorem sanguinis è naribus. Duplicem hic enarrabo modum ex Hippocrate, in quo eiuscemodi stillaticium sanitatem indicat. Primus est in ardente febre signis salubribus firmata concoctione præcedente. Siquidem, si hoc tempore moueatur, denotabit nobis inflammationem in venis multam consistere, vt quarto acutorum significauit Hippocrates. Præcedat concoctio, quæ aduenire solet in fine principii, vt in augumento perfectior fieri, in statu vero absolui, vt docet Galenus libris de crisib. tunc stillacidio in die aliqua contemplabili adueniente, certi erimus in primo decretorio subsequente crisim per fluorem sanguinis è naribus consequuturam, modo tamen consentiant reliqua, vt anni tempus, ætas, temperatura, cœli status, species morbi, cum affectu plenitudinis, humorumque raptu ad superiores partes. Huius crisimi stillaticii mentionem ille fecit in contextu superius citato ex libro de coacis prænotionibus, quem sic paraphrastice expono. Aegroti acuta febre obsessi quinta die (quæ impar est, & ad biliosarum febrium crisim destinata) mente ipsa turbantur, toto corpore, ac ventre: quia cum sit dies maioris afflictionis, humoresq; efferuescant in venis, coneturque natura illos expellere, opus est illos vehementer angi, atque perturbari. propterea facti vigiles ob acrium vaporum ascensum ad cerebrum, tandem sanguinem reddunt stillatim è naribus, ex qua vacuatione iuuantur: quia die sexta leuius habent. At nox, quæ antecedit septimam, incipit fieri grauior, vt in aphorismis dictum fuit hisce verbis: nox antecedens iudicium, grauior. Namque multum perturbati, & exasperati in leues prorumpunt sudores, feruntur in somnum, mente aberrant, ob raptum scilicet sanguinis, & bilis acrioris ad cerebrum, vltimo sic affecti incidunt in copiosum fluorem sanguinis è naribus. hocque modo à morbo liberantur. Crisim hanc antecedit, vrina alba, & aquosa ob motum bilis ad superiores partes, quo scilicet tempore natura præparabatur ad crisim: nam antea opus est apparuisse concoctam. atque hic notari velim crisim bonam, & absolutam fieri posse cum signis cruditatis, nempe cum vrina alba & aquosa,

quæ

quæ res, quomodo sit intelligenda, explanauimus, vt scis, in libro de crisibus: ac patebit etiam parum infra. iam igitur vnum declaramus modum. Est autem alius in morbis non perinde salubribus, in quibus concoctionis signa non apparent, de quibus pulcherrima extat historia cuiusdã scilicet Methonis, ab Hippocrate descripta lib. 1. de morb. vulg. sect. 3. ægroto octauo, quam refero in tui gratiam. Sic ait Senex:

Methonem ignis corripuit. Lumborum dolorifica grauitas. postridie cum multum aquæ biberet, bene aluus reddidit. Tertio capitis grauitas, excrementa tenuia, biliosa, subrubra, die quarto cuncta exacerbata sunt. bis de nare dextra sanguis paulatim fluxit; Nox grauis fuit. Deiectiones vt erant die tertia. Vrina subnigra. in qua subnigra apparebant dispersa, nõ residebant. Die quinta è dextra nare affatim profluxit metus. Sudauit, iudicatus est. à iudicio insomnis erat. delirauit. Vrinæ tenues, subnigræ, capitis lotionibus vsus est, dormiuit, mente constitit, in hoc non erat recidiua. Sed crebro sanguis etiam post iudicium erupit.] Hæc Hippocrates.

Ex quibus vides, quam bene confirmetur propositum. quodq; pronunciatum illud Hippocratis, secundo epidemiorum sectione prima, verum est, cum ait: Largæ de naribus eruptiones sanguinis vt plurimum liberant.] Etenim hic Methon a sola videtur sanguinis eruptione & iudicatus & seruatus, quãuis haud omnino tuta haberet signa. Nam quarto die (inquit) vrina subnigra, in qua subnigra apparebant dispersa, non residebant.] ac post iudicium die quinta factum, vrinas etiam fuisse subnigras, tenues, peruigilasse, nugatum fuisse, delirasse. Historia certe memoriæ commendanda. quod quispiam à graui, acuto, perniciosoq; morbo iudicetur, nondum apparentibus signis bonæ coctionis, propterea dicit Galenus, hunc absq; vrinarum coctione fuisse liberatum.

Hęc docent, quosdam in humanis corporibus fieri motus vere criticos, quosdam vere symptomaticos, quosdã mixtos, in quorũ numero hic vnus fuit, quemadmodum alii quamplures, de quibus alibi scripsimus. Hinc etiam colligendum, Ludouice, rectissime scriptum fuisse à venerando Sene in Aphorismis, acutorum morborum, non esse omnino certas pronunciationes, ac iudicia salutis, ac mortis: quodque propterea Medici ad prædicendum debent continuo cauti procedere, ne postea ignorantiæ crimine damnentur. De Altimari sententia hæc satis. Quod vero ad Fernelium pertinet, aliàs rescribam. Vale, ac meo nomine Iulio patri salutem plurimam dicito.

EIDEM.

Febres ardentes sanari posse fluore sanguinis è naribus, aduersus Fernelium.

QVID de Fernelii opinione sentiam, nunc scribam. Putat ille, sanguinis è naribus profluuiũ non esse vtilem in continuis & ardentibus febribus: atq; sanguine etiamnum effluente, ex cubito mittendum esse, quemadmodum etiam, si aut ex hæmorrhoidibus, aut ex vtero proflueret. præstat recensere illius verba, quæ sic habent: At in Causo, & in omni continua, per quam humores alii in maioribus vasis putrescunt, sanguis etiam affatim & copiose prosiliens non æque confert. è naribus enim, qui excurrit, licet vigilias, deliria, capitis ardorem, aliaq; symptomata demulcent, vix tamen propriam essentiam & morbi radicem euellit, nisi forte immoderatior succedat profusio summa virium dissolutione, quæ tamen nusquam videtur optanda. Vitiosus enim sanguis per nares postremus elabitur, nec, nisi cum vtilioris magna vis erit effusa. In his igitur febribus, quamuis nares multo stillent sanguine, vena tamẽ cubiti secanda, quandoquidẽ sæpe deprehensus est è naribus, tum colore, tum substantia laudabilis, cum ex cubito impurus, sordidusq; detrahitur. At vero, qui per hos morbos ex hæmorrhoide, aut ex vtero affatim & copiose exit, quod proxime è vena caua lumborum decedat, multo quidem vtilior habendus: sed plerunq; ne ipsam fe-

bris radicem extirpat, quæ in venis est cordi proximis. Hinc sæpe profluentibus menstruis, ac etiam in puerperis (quæ rite purgantur) sanguis (licet parcius) è cubito detrahendus ob febris ardorem. Eadem quoque ac etiam euidentior est interdum ratio mittendi sanguinis è cubito profluente hæmorrhoide.] & parum postea scribit: iam vero partium phlegmonæ, aliiq; affectus, qui supra iecur, & diaphragma consistunt, nihil aut minimum mitescunt, sanguine ex vtero, aut ex hæmorrhoide profuso. nec qui inferiores sedes obsident, eo profluente ex naribus.] hucusque Fernelius. Cuius ego admittere sententiam non possum, vt puta, quæ admodum aperte opponitur Hippocrati, Galeno, & Auicennæ, neque enim aliorum afferre volo authorum testimonia, cum pro multis hi tres omnino satisfaciant. Exordior à Galeno, primum ostensurus, in viscerum inflammationibus fluorem sanguinis è naribus magna vtilitate succedere. Habet hic libro tertio de crisibus capite tertio hæc verba: Soluit autem lienis & hepatis inflammationes sanguis è naribus profluens, quando hæc viscera vna cum acutis febribus habent inflammationes: & omnes, quæ sub hypochondriis sunt calidæ & acutæ inflammationes, fluxu sanguinis soluuntur. Oportet autem per directum fluere sanguinem, ex dextra quidem nare hepate patiente, vel locis in dextris præcordiis positis: ex sinistra autem, liene, & locis vicinis.] Rursus primo prognosticorum commentario 33. inquit, sanguinis enim fluores dixit fieri ex naribus, qui ex vsu admodum sint, id quod per inflammationes in iecore, ac liene fieri potissimum solet.] libro de rat. cur. per venæ sect. cap. 15. rem apertissime declarauit, his verbis: Non enim in liene turgente, ex dextra nare erumpens sanguis, nec in iecinore ex sinistra vllam fert vtilitatem. Sed reuulsio, quibus in directum adhibetur, euidentem vtilitatem celeriter ostendit, quibus contra haud etiam.] hæc Galenus. alios prætermitto locos studio breuitatis. Auicenna vero idem ait libro quarto sec. 2. tractatu primo cap. 73. nam inquit. Ea quæ sunt sicut sirsen, & apostemata hepatis calida sub hypochondriis, terminantur crisi completa per fluxum sanguinis narium.] Postremo Hippocratem eandem habere opinionem confirmant, quæ scripta reliquit in prognosticis. nam in 26. agere incipiens de tumoribus hypochondriorum dixit, illos fluxu sanguinis è naribus iudicari, ac in aliis deinceps asserebat non omnem ætatem huic vacuationi è naribus obnoxiam esse. Febres igitur acutę insequentes inflammationem viscerum fluore sanguinis ex naribus iudicari solent. Porro admonendus es, Ludouice fili, hoc non semper contingere, sed potissimum, quando conuexa iecinoris pars inflammatione laborat: tunc natura iudicat, vel per fluxum sanguinis, vel per vrinas, vel per sudores. Caua vero affecta parte crisis, vt plurimũ fit fluore alui, vrinarum etiam profusione, ac nonnunquam vomitione, vt Galenus testatur tertio de crisibus hisce verbis: Hepatis vero deuexæ partes inflammationem patientes tribus pręcipue modis crisi obediunt: Fluxionibus sanguinis è nare dextra, & sudoribus bonis, & vrinis abundantibus. Conuexæ autem partes, excrementis alui biliosis, atque sudoribus nonnunquam, & vomitibus, magis autem expetunt per vrinas expurgari, quam deuexæ hepatis partes, omnia ea, quæ vel in partibus renum, vel vesicæ laborant.] hæc de inflammationibus hypochondriorum.

Cæterum, quod sanguinis fluor è naribus proprius sit ardentis febris, citra inflammationem, Hippocratis verba manfestum faciunt primo epid. sec. 2. tex. 63 in quo sic ait: Febribus autem ardentibus hæc accidebant, quibus rite, ac largiter sanguis per nares erupit, ea de caussa maxime seruabantur. Nec nullum noui, si recte ei erupisset sanguis in hoc statu, mortuum. Nam Philiscus quidem, Epamenon, & Silenus, quibus parum quarto die, & quinto è naribus stillauit, mortem obierunt.] rursus tex. 66. inquit: sanguis autem plurimis erupit, præcipue adolescentibus, & adultis, quorum periit maxima pars quibus sanguis non erupit.] Galenus in com. 63. ait: Cum alioquin ardentibus febribus peculiare per narium eruptiones fere iudicari, tum eo tempore, ait, multis sanguinem de naribus erupisse.] Ex quibus arbitror me abunde ostendisse fluorē sanguinis

guinis è naribus tum in inflammationibus infra septum transuersum, tum in febribus ardentibus cum vtilitate contingere, secundum decreta præstantissimorum authorum: quibus etiam addere placet experientiam: nam ego possum testari tibi, me obseruasse multos fuisse integre sanitati ex eiuscemodi vacuatione restitutos, atque diebus præteritis Ioannem Baptistam Paganellum Mattelicanum decimaquarta de hac vacuatione fuisse perfectissime iudicatum tribus, aut fere quatuor libris sanguinis ex nare dextra profluxis.

Porro quid respondebimus ad Fernelii rationem, qua ostendit non vacuari fomitem mali, cum venæ narium satis longo interuallo distent à vena caua, in qua humores putridi continentur. Duo quidem suppetunt dicenda mihi. Alterum est, tutum non esse sanguine vehementer fluente ex vtero, aut mariscis mittere sanguinem ex cubito, nisi tamen id fiat reuulsionis gratia, vt fluxionem sistamus, naturamque ab eiuscemodi motu impediamus. at si sanguis ex iis sedibus fluxerit segniter, mittendus tunc erit ex cubito, vt ex ambabus vacuationibus vna naturali, alia artificiali, perficiatur quod volumus, vt Galenus faciẽdum admonet nono meth. med. c. 5. cum inquit. Sin sequatur necessario vacuatio quæpiam, tantum illi de eo, quod superfluũ est, relinquendum, quantum est per eam vacuandum. Itaque si tempore mittendi sanguinis menses moueri contigerit, siue etiam hæmorrhois sit reclusa, si inspecto fluentis impetu satis esse videbitur, qui solus, quod requiris, vacuet, naturæ rem omnem permittes: sin minus tantum ipse detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur, quod postulas.] Aliud etiam addo, quod liceat narium venæ distare videantur à mali fomite, natura tamen quotidie sibi admirandas parat vias, præsertim in sanatione morborum. Pulmonis vomicam per vrinarios expurgat canales, & aliquando per fluorem alui, vt ex Galeno alibi mihi demonstratum est. tamen non adest aliqua via, quæ pateat. Quin etiam affectus pulmonis, vt peripneumonia, sanatur Hippocratis testimonio abscessu facto in cruribus, de quo sic ille inquit 2. prog. 67. Abscessus autem qui ad crura fiunt, in pulmoniis vehementibus, & periculosis omnes vtiles sunt.] Galenus in commentario eam sententiam confirmans, ait: in pulmoniis vehemẽtibus abscessus ad crura fieri protsus bonum est: siquidem maxime vera Hippocratis sententia est, secũdo libro de morbis vulgaribus perscripta de bonis abscessibus, vt optimi sint si maxime deorsum, & quam longissime ab ægrotatione absistant: magis vero, si concoctione pariter fiant. Etenim id quoque commendauit libro primo de morbis vulgaribus, dicens, Concoctiones celerem iudicationem, & securam sanitatem promittunt.] ac paucis verbis interpositis subdit. At si citra morbi concoctionem abscessus in crura fiunt, vindicabitur quidem, & hunc in modum homo à periculo in pulmonia, sed articulus ipse in quem decubuit, difficilius sanitati restituetur: ac forsan quandoque æger ex eo claudicabit.] Rursus in horum confirmationẽ audias Galenum 7. aphor. commen. 64. in quo explanans hanc sententiam Hippocratis. Quibus inter ventriculum, & septum transuersum pituita concluditur, ac dolorem affert, in alterutrum ventrem viam non habens, iis per venas in vesicam versa pituita, morbi fit solutio] sic inquit: In quo nos scire oportet arbitrari Hippocratem naturam semper, si sit robusta, materiæ viam moliri, & inuenire, etiam si quam maxime crassa sit, & per exiles transitura meatus, quando per ossa etiam abscessus fieri dicat.] Vides igitur, quam admiranda sunt opera Naturæ, ita vt putandum sit facile posse ipsam iudicare acutas febres per fluorem sanguinis è naribus. Vale, Taurini 4. Ianuarii 1581.

ÆGIDIO FRANCESCHINO CINGVLANO.

Agitur de Passerculo Trogloditico, atque ostenditur ipsum non esse vocatam, cauda tremulam, sed auem longe minorem, quod à nemine fuit animaduersum, quæ sint huius vires, & quomodo asseruari debeat.

Debeo tibi multum Ægidi, quod dum publice in tua patria medicinam facio, tu mihi author extiteris Passerculum troglodytem cognoscendi: quodq;

primus omnium hac de caussa feceris, vt quorundam Medicorum errorem apertissime viderem; dum veram troglodyticam auem, adulterina, qua passim pro vera vtebantur, posthabita, domum detuleris. quoniam vero reparationis præstantissimi huiusce medicamenti, tu ipse author extitisti, ego, vt id ipsum omnibus testatum facerem, has literas ad te dare volui: quarum hoc præcipuum est argumentum, Caudam tremulam, nõ esse passerculũ troglodyticum ostendere, quo tanquam diuino, ad renum lapides extirpandos, præsidio, antiquitas vtebatur. Sed eum germanum, ac verum esse, quem mihi ostendisti: Deinde vero in tui gratiam breuiter explicabo, qua ratione, tum præparari, tum asseruari debeat. Sed in primis passerculi huius descriptionem ex Aetio Antiocheno Medico prȩstantissimo, qui diligentissime describit, afferamus. eius verba sic habẽt. Est autem passerculus minimus iuxta sepes, ac muros victum quæritans: estque hoc animalculum omnium auicularum minimũ, ea excepta, quȩ regulus appellatur. Similis est autem regulo in multis, præterquam quod in fronte pennas auricolores non habet: Est etiam troglodytes passer, regulo paulo maior, ac nigrior: caudamq; semper subreptã, & albo colore retro inter punctas habet: magis item garrulus, quam regulus est. & sane iuxta summum alæ lineamentum cinerei amplius coloris: breues item volatus facit. hæc ille. Addit huic descriptioni Paulus Aegineta libr. suæ medicinæ tertio: quod tenue rostrum habet, quodque color similis est medio cuidam colori inter cineritium, & viridem. At vero Auicenna ait: Super alas eius sunt pennæ aureæ. Hæc sane sigillatim conueniunt passerculo huic tuo: minime vero cõmuni caudatremula vocato. Primum, quia hæc auis non est inter aues minima, cum habeat sub se multo minores aues fere sexcentas: Troglodytes vero habet vnam duntaxat minorẽ, regulum scilicet. Argumentum, iudicio meo certissimum, hunc non esse troglodyticum. Huic addito, quod caudatremula vulgaris, non quæritat sibi victum circa sepes, atque parietes: sed passim in campis apertissimis peruagatur. Non habet caudam semper erectam: non rostrum exiguum, non habet caudam albo infectam colore: quæ sane adesse sigillatim debent in vero passerculo troglodytico, at, quam mihi ostendisti, video omnibus notis correspondere legitimæ adeo, vt nihil magis. Nam minimus omnium est auicularum, excepto regulo: quem recordor aliquando circa sepes vidisse, atque obseruasse: caudam habet nigro, & albo colore permixtam: maxime vero circa partem inferiorem. Cineritium colorem habet euidentissimum, ac subuiridem, & cineritium (hoc enim ad obscuram quandam vergit nigredinem) in dorso apparentẽ colorem obseruauimus, cum sit duntaxat subcineritius in ipso ventre. Rostrum possidet adeo tenue, exileque, vt præ paruitate vix videri possit. non habet in fronte pennas auricolores, quibus regulum præditum esse scimus, adde quod, vt tu ipse tradidisti mihi, perpetuo erectam, ac fere trementem caudam gerit: neque desunt in alis tenues quædam plumeculæ aureæ. Postremum totus est regulo nigrior. quam ob rem cum omnes adsint notæ, concludere debemus hunc esse verum troglodytem, atque ipsam caudatremulam, tamquam adulterinam esse à medicamentorum numero repellendam. Quod, si notis expositis vires respondebunt (de qua re minime mihi dubius esse videor) habebimus simplicis medicamenti huius certissimam notitiam. Nunc audias quid patres nostri de viribus tradiderint. Aetius inquit: Naturalem autem vim omnino admiratione dignam habet: itaque sale conditus, & crudus in cibo acceptus, morbum perfecte sanat: & noui adeo quosdam ab eius vsu nunquam amplius ab affectione vexatos. Paulus vero, hic, inquam, totus sale conditus, crudusque frequenter cõmanducatus calculos iam creatos per vrinam expellit, in postremumq; generari prohibet. Auicenna, dum de medicamentis ad lapillos renum loquitur, sic scriptum reliquit, & de eis quæ sunt vehementis fortitudinis, melior omnium est auis, quæ græce nominatur troglodytes: Cæterum hoc modo præparatur, exhibeturque. conditur optime pennis euulsis, atque inde largo sale obrutus, & postquam fuerit arefactus comeditur: & affectionem perfecte sanat. melius autem est aliter ipsos edere, si plures

si plures cõtigerint, coctos nimirum, eius præsertim generis, quod per hyemem vbique apparet; exhibetur autem & alio modo. Passerculus non deplumis in ollulam conijcitur; ac deinde operculo addito, vritur; animaduersione assidua habita, ne fallaris; cum in cinerem sit redactus, & in aerem exhalans per exustionem totus consumatur. consueuit enim hoc contingere, tum ipsi, tum aliis, quæ vruntur, quapropter præstat ollæ operculum nõ oblinire, vt per interualla quædam, operculo adempto, vstionis modum intueamur: exhibẽdus est autem semel totus vnius passerculi cinis vstus per se, aut modico phylo, aut pipere admixto, quo saporis iucunditate ori cõmendetur. Hæc sunt Ægidii, quæ raptim, ac quod dici solet, currenti calamo, de hoc antidoto præstantissimo scribendum duxi. Reliquum est modo, tum, vt tu, quod facis, me amore mutuo prosequaris: tumq; vt tua diligentia nobis copiam raræ huius auis suppetas, quo scilicet facto periculo possimus ab atrocissimo affectu, opera tua, quamplures in pristinam sanitatem restituere. Cinguli 12. Februarij 1571.

FEDERICO SEVERINO ANCONÆ MEDICO.

Agitur de scirrhoso tumore in dextra mammilla.

Stephanus Guarnerius Abbas Sanctæ Mariæ Pontispotentię reddidit mihi nudiustertius tuas literas, quibus de statu illustrissimæ mulieris me certiorem facis: & nomine eius viri postulas, vt libere scribam tibi, quæ circa curationem mea sententia sit. Ego, qui nec tibi, nec illi deesse possum, licet iudicem, quod est in prouerbio, me noctuas Athenas, breuissimis tamen, ne parum vrbanus videar, meam sententiam aperio. Supponẽs prius, Matronam hanc illustrissimam scirrhum in mamma pati dextra, ac eum quidem exquisitum. cum enim eam inuisi, rem sic habere manifestissime deprehendi. Tumor enim ille admodum durus erat, carebatque omni dolore affecta particula. Caussam tumoris huius fuisse inflammationem, eiusdem constat relatione: nam dissolutis tenuioribus partibus, crassus & melancholicus sanguis relictus in mamma, principium scirrho dedit: hic postea ex loci imbecillitate ex noua fluxione adauctus, tandem ad insignem deuenit magnitudinem. Verendumque ne quotidie magis augeatur, cum iam fluere destiterint menses. cum igitur hæc ita habeant, timeo plurimum, Federice, ne in cancrum terminetur, tum quia scirrhi exquisiti solent euadere non infrequenter in cancrum, tum quia mammæ solent etiam facile huic obnoxiæ reddi morbo: ac etiam postremo, quia scio ipsam admodum intemperatam esse in victu, Medicisque parum obedientem. Vtcunque res habeat, putauerim nunquam sanari posse, quia diuturnus affectus est, naturamque non habemus adminiculatricem, iam illa annum agit quinquagesimum. Deinde etiam dico, non putare me tutum esse in hac ætate, & cum hisce circumstantiis perfectam curationem tentare. Vellem, vt solum in victus ratione præberet se obedientem nobis, vtque bis quotannis, Vere scilicet, & Autumno, purgaretur humor melancholicus, ac locum affectum neq; vnguentis, neque cataplasmatis, aut aliis tangeremus. Quod si quid illa importune admodum exigeret, post accõmodatas purgationes ex syrupo de elleboro, & de polipodio, hoc Vere proximo darem illi decoctum radicis chinarum ex aqua: abstinerem à ligno guaiaco, quia nimis exsiccando, & calefaciendo vererer, ne duriorem tumorem efficeremus: suspecta etiam est mihi salsaparilia ob eandem caussam. adde quod non solet illa admodum conuenire, vbi adest ventriculi imbecillitas, quam habere ægrotam scribis. Chinæ radicis decoctum, licet sudorem prouocet, tamen neque caliditatis relinquit vestigium, neq; siccitatis: imo, vt bene nosti, extenuata corpora mirabili quodam modo impinguat. Quo victu vtendum sit, non scribo, quia tu ipse non semel perscripsisti: atque vtinam tam facile esset illi obedire, quam sibi facile vtilia præcipere, nec quicquam de localibus medicamentis dico, quia certissimum est, oportere (si vtendum aliquando duxeris) partim emollientia, partim discutientia conuenire alternatim scili-

cet, vt puta duobus diebus emollientia, deinde totidem discutientia adhibenda sunt. Vale, mei memor. Auximi.

De caussa mortis repentinæ D. Francisci Castrucii Hierosolymitani Equitis, è Monte regali, pro defensione D. Michaelis Chirurgi, qui ex duplici cauterio facto in vtroq; brachio mortis caussam extitisse accusabatur. Ad Excellentißimum Dom. Ioan. Antonium Boccum, Serenißimi Sabaudiæ Ducis, Archiatrum.

RESPONSVM.

D. Franciscus Castrucius Eques Hierosolymitanus laborabat iam diu duplici morborum genere, & vtroque incurabili. Magna scilicet difficultate respirandi, quam asthma nuncupant, atque palpitatione cordis. Consuluit Romanos Medicos. ex horum responso, duo facta fuerunt illi cauteria in vtroque brachio, à D. Michaele publico Montis regalis chirurgo, viro quidem in artis operibus, vt Clarissimi huius Regionis Medici testantur, exercitato. Non est vsus ignito ferro, sed caustico medicamento escharam inducente, pro aliorum chirurgorum consuetudine. In opere hoc efficiundo bene successerunt omnia. Transactis diebus octo à cauteriis inuisendum fratrem volens Dc. Castrucius proficisci, Physici sui consilio, antequam accingeretur itineri, sumit quosdam pulueres (vt mihi relatum fuit) purgatorios. Parum post assumptionẽ puluerum, de cordis dolore maxime conquestus bis, aut ter, illico cecidit mortuus. Nouitatem casus admirati assistentes, quærere cœperunt, quænam caussa repentinæ huiusce mortis extitisset. Alius aliam dicit. Tandem incusatur chirurgus internecionis crimine, quod cauteria effecerit. res in iudicium defertur, atque suas partes agente fisco, chirurgus, vt suam tueatur innocentiam, præstantissimorum Medicorũ implorauit auxilium, ac postremũ Taurini accedẽs, de me quæsiuit, an ea cauteria mortẽ inferre potuissent. Ego vero illi, pro veritate duntaxat, satisfacere desiderans, hanc mihi sumpsi prouinciam. Duo igitur dicam in proposito argumento. primum caussam mortis repentinæ certissimam extitisse palpitationem cordis, & anhelitus difficultatem. Secundum verò, falsum esse, ac ab omni prorsus alienum probabilitate, cauteria mortem intulisse. Vtrunque, quoad eius fieri potest, breuissimis perstringam, exorsus à primo in hunc modum:

Palpitationem cordis inueteratam sanari non posse, adeo notum est omnibus Medicis, vt superuacaneum ducã id probare: at certe hoc demonstrabo ex omnium Medicorum consensu, palpitationem cordis mortem inferre subitam, atq; repentinam. primum id, Galeni verbis explico. Eius verba sic habent lib. 2. Aphorismorum commentario 41. Qui vero propter nullam eiuscemodi caussam, sæpe ac vehementer exanimantur, ij propter imbecillitatem animalis (fortasse legendum vitalis) virtutis, id mali patiuntur. quo modo is, cui vna cum animi deliquio cordis vehemens palpitatio acciderat, repente de medio sublatus est. Quod idem iis quoque euenire solet, qui acutissimis animi deliquiis, quas cardiacas syncopas appellant, corripiuntur.] Rursus quinto de locis affect. cap. 2. sic ait: At nihilominus hic quoq; ante senectutem morte præuentus est, sicuti & reliqui omnes, quorum alii quidem per acutas febres, alii verò cum sani degerent, affatim syncopa intercepti interierunt. quamuis vnus, vel duo citra syncopam alia quadam mortis specie interierunt.] idem scribit Paulus Ægineta fere ad verbum lib. 3. cap. 34. nisi quod exponens vltima verba citati contextus, ait: quorum aliqui in febribus acutis aceruatim in syncopes collapsi similiter mortui sunt: aliqui vero ipsorũ etiam citra syncopem, siderationis modo, derepente vitam commutarunt.] idem Aetius tetrab. 2. sermone 4. ca. 59. Auic. fen. 13. 3. tract. 2. cap. 1. Ex iis apparet communis consensus omnium Medicorum, palpitationem cordis repentinam inferre mortem consueuisse: atq; idcirco non esse mirum, si Eques Castrucius, iam diu hoc affectu detentus, & in ætate consistenti, vel fortassis in primo senio constitutus, illius vehementia statim fuerit medio

medio sublatus. Si hoc sola efficere potest palpitatio, cur idem non fiet asthmati coniuncta? Quis est, qui casum Antipatri Medici ignoret? hic enim palpitatione, & asthmate laborans, derepente mortuus est, vt Galenus testatur libr. 4. de loc. affect. ca. vlt. cuius verba sunt hic afferenda, quia maxime confirmant mortis caussam horum affectuum vehementiam, minime vero chirurgi opus extitisse. Sic igitur ille scribit: Deinde vero sex (vt dixi) mensibus elapsis, leui quadam spirandi difficultate affectus est, accedēte simul cordis palpitatione, in primis quidem semel, deinde bis, atque ter, postea quater, ac sæpius quoque, aucta simul spirandi difficultate ad quindecimum vsque diem, post quem difficillima derepente oborta respiratione resolutus statim obiit, aliorum quorundam exemplo, qui cordis affectibus laborant, de quibus postea sermonem faciemus.] hæc ille. Porro quomodo ab vtroq; affectu repentina succedat mors, haud magnam habet difficultatem cognoscere: nam certe contingit ratione suffocationis caloris insiti, vel à vomica rupta, & affatim materiam in cordis ventriculos eructante, vel à malorum humorum, præsertim melancholicorum multitudine, vel maligna, & deleteria qualitate præditorum. Sed eiuscemodi tractatio, cum non sit huius loci, prætermittenda est. Sufficit enim nobis verā, ac necessariam demonstrasse mortis caussam.

Cæterum, vt omnis è medio tollatur difficultas, accedo ad secundum: liceat tamen antea supponere vnum, quod citra omnem controuersiam verissimum est. Nempe mortis repentinæ caussas esse tres, vna est caloris natiui subita suffocatio: alia est, eiusdem subita dissolutio: tertia est, corruptio caloris à facultate deleteria. hic volens prætermitto solutionem continui in corde factam, de qua nihil est in proposito negotio controuersum. Nunc libenter quęsierim à calumniatoribus, quomodo chirurgus repentinam induxerit mortem: an. s. aliquo ex hisce modis, ita enim necessarium est statuere, vel quæ diximus, posuimusq; principia falsa sunt. Sed certe non suffocando, non dissoluendo, non deleteriis medicamentis vtendo mortem intulit. Porro nullam difficultatem habet, neq; suffocando, neq; calorem natiuum dissoluendo, chirurgum intulisse mortem. Sed dicent, deleteriis medicamētis fuisse vsum, quæ totius substantiæ proprietate mortem inferre potuerunt. Sed quid audio? mortem induci posse ex cauteriis repentinam? Somnium certe narrant mihi. Si in capite quotidie fiunt multa, & in diuersis partibus citra periculum, cur quæ in brachiis fiunt periculosa statuentur? An fortassis ab artifice aberratum? Sed quem subesse putabimus errorem in eo opere, quod à chirurgo continuo solet exerceri? quis aberratum iudicabit, si à clarissimis Medicis Pedemontanis iudicatur in artis operibus exercitatissimus? certe, non aberrauit in loco eligendo, neq; in modo efficiendi: quia nulla subsecuta est inflammatio, non dolor modū excedens, non sphacelus. Cauteria fuere facta octo diebus antequam moreretur: quo tempore fortassis vix dum eschara ab vlcere fuit remota. Quomodo quæso cauteria mortē intulerunt repentinam, si ea non fuerunt subsecuta, quæ necessario debebant præire mortem à cauteriis procreatam? Absurdissimū est imaginari, mori posse aliquempiam ex cauteriis, quia sequatur dolor ingens, calor, inflammatio, febris, cancrena, conuulsio, aut omnia hæc simul, aut certe plura. Sed, hæc non adfuisse, in actis Notariorum patet. Præterea statuamus cauteriorum vsum non fuisse necessarium, nō est tamen vitio vertendum chirurgo, qui fecerit: quia non sponte illis vsus est, sed Romanorum Medicorum consilio. Hoc eo pertinet, vt si statutum etiam fuerit mortis caussam extitisse cauteria (quod falsissimum esse profiteor) non deberet de hoc opere incusari chirurgus. Sed fortassis dicent non fuisse ab illo aberratum in iis, quæ diximus, sed in materia duntaxat medica: quia imponent illi adhibuisse arrhenicum, sed hoc nullius est momēti. Primum quia extat adhuc apud Seplasiarium causticum medicamentum, qui poterit testari, quale illud sit, & qua ratione compositum. tunc quidem inuenient ex lixiuio duntaxat, & calce fuisse præparatum: vocaturq; hoc, capitellum, à chirurgis. Deinde ponamus eo in pharmaco ingredi arrhenicū, quis propterea reprobare poterit? Clarissimi hac ætate

Medici habent validissima præsidia, in quibus non arsenicum modo, sed alia etiam eiusdem generis ingrediuntur: quale cauterium est à Fallopio descriptum, his verbis: Rec. arsenici crystallini, itemq; cittini an. vnc. s. risagalli drag. iij. æruginis æris drag. ij. oppii scrup. ij. axungiæ porcinæ q. s. misce pro vnguento. Quid hic olea memorabo caustica ex sulphure, ex calcantho, ex arsenico? quid ardentem aquam, vulgo nũcupatam, *aqua da partire*? Quid puluerem illum angelicum Massæ? quid eiusdem vnguentum? Trociscos de minio Ioannis de Vigo? & alia medicamenta eius generis sexcenta? Permistio igitur arrhenici mortem inferre non potuit. At fortassis dicent, eo citra aliorum permistionẽ fuisse vsum. Admittamus (licet id ab illis probari non posse sciam,) dico, proferre illos rem omnino impossibilem, hominẽ posse ab iis, quæ extrinsecus vlcerãt cutem, è medio statim auferri. Vnde nam ex cutaneo affectu emanabit tam improuisæ mortis caussa? Substantia arrhenici cor penetrare non potest, (est quidem necessarium cor affici, vt ex veneno quis moriatur) concedamus vaporẽ cor penetrare. Sed tunc prorogabitur mors, non tamen fuit celerior; quoniam vapor arrhenici est materia remedij sanãtis asthma, difficiles omnes respirationes, & antiquas tusses, imo substantia ipsius in mulso præbetur pro horum affectuum sanatione, vt Dioscorides ait libro 5. capit. 80. his verbis: Datur simul cum vino mulso tussientibus purulenta materia. Sumitur fumus ex canna pro antiqua tussi. Datur pillularum forma difficile spirantibus.] Postremum adde, quod arrhenico antiqui vsi sunt pro curatione externorum affectuum citra periculum, vt ex eodem constat Dioscoride. Quia igitur absoluisse videor, quæ proposui capita, nunc tuum est, vir excellentissime, Dominum Michaelem immunem à crimine mortis huius iudicare, ac de cætero incusantes punire, vt bonis viris esse molesti desinant. Augenius.

IOANNI FRANCISCO SANCTIO MEDICO.

Explanatur Historia admiranda, viri cuiusdam, qui vermem cucurbitinum deiecit longitudine cubitorum vigintiquinque.

Conciuis illius nostri sic habuit historia. Optimo præditus temperamento, multoque sanguine abundans, anno suæ ætatis 26. famescere multum cœpit, mox sensim. indies augescente fame, ad eum statum peruenit, vt inexplebilis omnino redderetur: atque licet opipare viueret, & multum ederet, saturatus tamen à mensa nunquã discedebat, imò cogebatur hora vna, aut, quod summum erat, duabus à cibo ipso transactis, denuo comedere: neque alimenta vomebat vnquam, neque aluus fluebat illi, sed contra, siccior quotidie euadebat. Voluit consulere Medicos præstantissimos, Lucianum Belum ex Rocha Contrada, Serenissimi Vrbini Ducis Medicum, & Herculem Brancutum Senogalliensem, qui cum maximam pro sanitate hominis adhibuissent diligentiam, putantes caninam appetentiam pati ex magna oris ventriculi refrigeratione, ac etiam melancholiæ, vt alter dicebat, affluxu ad ventriculum, minime tamẽ sanare potuerunt. Me in Cingulanis montibus facientem medicinam, ad curationem vocarunt. Accedo libenter, putans obseruaturum affectũ memoria dignum, & certe vanum non extitit iudicium. Nam statim, atq; Senogalliæ cõueni ægrotum, non quidem comedentem, sed deuorãtem video, ita vt fuerit mihi admirationi maximæ. Ac rursus à prandio horis nondum duabus præteritis, famescentem vidi ita, vt omnino cogeretur cibari, alioquin statim animo delinquebat: cõtemplor omnia, quæ secundum naturam, & præter naturam inerant in ægroto, & facta in omnibus, vt par erat, diligenti consideratione, illico in animum induco meum nondum caussam famis illius fuisse inuentam. Reuertitur Belus ex Pisauro die sequenti, quo cum de proposito edisserens casu, dixi nullam adesse refrigerationem oris ventriculi, nullam melancholię naturalis fluxionẽ ad ventriculum, sed suspicari me vermem cucurbitinum mali caussam existere, omne alimentũ depascentem. Contradicere ille mihi cum collega primum cœpit, at ego his potissimum rationibus meam opinionem non modo probabilẽ, sed necessariam esse

& illis,

& illis, & assistentibus, qui multi ad consultationem conuenerant, demonstraui. Primum dicebam, si frigida adest intemperies oris ventriculi, necessariũ est tardam fieri coctionem: at vero nullũ huiusce rei signum adest. aluus enim humida redditur, ex alimentis non plane concoctis: at vero ægroto sunt sicca alui excrementa. Secundo frigiditatis adest sensus in ventriculo. at hic nullam percipit frigiditatem. Tertio ructus acidi frequentes contingunt distẽdentes flatus, & plerunq; alimenti vomitus, vt solet canibus contingere, quorũ nihil adesse in ægroto certissimum est. Ad hæc vero copiam non habere humoris aut pituitosi, aut melancholici, eadem ostendunt, quia ab acidis humorib. fit ingens appetentia: sed facile ex eructatione perciperetur aciditas. Vrget, quod sine grauitate partis affectæ horum adesse humorum copia non potest. Postremo color corporis & habitus ostendunt, non abundare melancholiam: nam non est gracilis habitus, non densus, non color illi niger, imo albus. Ac etiã quadrato fere, vt ita dixerim, corpore præditus est. His ego rationibus putaui neq; à frigida intemperie, neq; à melancholia hanc famẽ fuisse concitatam. Adhibui tandem coniecturas, quibus ductus putabam ab eiuscemodi verme caussari hanc famem. Erat aũt vna à sufficienti enumeratione caussarum; nam cum hæc immoderata appetentia non fiat ab intemperie calida totius corporis, nec ex imbecillitate facultatis retentiuæ, (conueniebant ambo in hac re) neq; rursus fiat per essentiam ex intemperie admodum frigida, vel cum materia melancholica, vel sine materia, vt demonstrauimus, relinquitur, vt hanc solam admittamus, ex omnium cõmuni consensu, reliquam. Id etiam amplius comprobabam ex duob. Vnum est, quod ægrotus dicebat sentire sese aliquid moueri in inferiori ventre, & veluti manum quandam extendi ad ventriculum, ac omnem cibum ex eo rapientem. Aliud vero, quod ægrotus in pueritia multum fuit obnoxius vermibus, retuleritq; pater illius, sese recordari illũ anno decimoseptimo suę ætatis, supra viginti vermes glomeratos eiecisse. Brancutus, hisce satisfactus rationibus, manum dedit: At Belus neque consentire, neq; dissentire euidenter voluit, dicens, sese nunquam eiuscemodi obseruasse casum. In summa data Brancuto, & mihi fuit sanãdi hominem prouincia: quę fœlicem admodum successum habuit in hunc modum. Primum omnium hora quinta ante prandium exhibeo homini libram vnam, & semis olei amygdalarum dulcium recentis, hoc potissimum consilio, vt emolliendo aluum viam ad exitus vermi pararem: quia vero nolebam concitari vomitũ, quo perperam, ac intempestiue antea vsus fuerat, non vnico haustu, sed quatuor vicibus totam exhibui quantitatem, iubens, vt sextam horæ partem inter vnam ac aliam sorbitionem interponeret. nec minori indigebamus in magno corpore, multo potui assueto, quantitate. Hora prandii statim ante cibũ dedi bolos duos ex drac. vna specierum hieræ, & reubarbari scrupulo: ac statim iussi, vt sumeret vncias sex decoctionis sebesten, humidum paraui cibum, sed acidum: fuit panis contritus in iure pullæ, cum vnciis tribus succi limonum. Hisce peractis iam cœpit mitificari fames, neque enim duarum horarum post cibum spacio, esuriuit. Hinc non ille modo, sed omnes bene cœperunt sperare, maxime quod vsque ad sextam à prandio sine appetitu mansit. Ante cœnam parari iubeo clysterem ex lactis caprini libris duabus: exhibeo drachmam vnam & semis pilularum ex aloe non loto, statim ante cœnam, cum eadem quantitate decoctionis sebesten. In contrito pane decem amigdalas amaras dissoluo. Noctu emollita illi aluus, excrementa erant pituitosa admodum viscida, subcineritia. Nocte quieuit, parum esuriuit. Eadem repeto secundo die remedia. Nulla fames hora cœnæ, sed fere nauseabundus videbatur. emollitur aluus nocte media. Ac parum postea sentit ægrotus exire aliquid solidum, ac tangens esse intestinorum portionem retur. clamans vocari me iubet. Accedo. Ille statim, morior, inquit, nisi manus porrigas adiutrices, en intestina ex ventre prosiliunt. Video cucurbitinum vermem, ac ridens; bono sis animo, dixi, iam sanus euasisti. Intestina non sunt ex ano prodeuntia, sed vermis ille, qui famem inexplebilem efficiebat, deuorabatque omne alimentum. Erat longitudo illius cubito-

rum vigintiquinq;, adhuc viuẽs, mouebatur. Latitudo erat digiti minimi, erant pluſquam mille cucurbitini vermes adhærentes illi muco, aut membranulæ: ac vna fere vixit hora. ſic conualuit non ſine admiratione aſſiſtentium, ac noſtræ artis honore. Conſimilem vidi anno præterito vermem in Franciſco Vercellenſi, ſed nõ tantæ longitudinis: fuit enim longus decẽ cubitis. hic emiſit mortuum. Sed in hoc ægroto neq; noueram, neq; prædixeram pati eiuſcemodi affectum. Etenim febre tenebatur tertiana nota admodum extenſa, ac poſt purgationes repetitas, exhibens vltimo pilulas aggregatiuas, deiecit eiuſcemodi vermem. Cæterum quomodo generentur lumbrici, & an cucurbitinus vnus exiſtat vermis, an plures muco adhærentes, & quam adhibere curationem oporteat, declaratum à nobis fuit in tractatione de vermibus. Obiit pater meus 17. Ianuarii 1573. eademq; die natus mihi fuit filius, quem patris nomine Ludouicum vocaui. Faxit Deus, vt illi ſimilis euadat. Vale. Taurini nona Decembris 1581.

FRANCISCO CIROCHO FVLGINATI.

Febrem epialam eſſe ex dimidio febrem. Rigorem aduenientem in febricitantibus non eſſe principium febris. Contraria in eodem ſubiecto adæquato contineri non poſſe.

Quod in Illuſtriſſimi Cardinalis Sympoſio cum Sanctio meo, differendo non potui: id nunc, vt tibi ſatisfaciam, abſoluere conabor. Tria relinquebantur: primum ad febrem epialam: ſecundum ad rigorem antecedentem putridas febres: tertium vero ad contrariorum adæquatum ſubiectum. Exordior à primo. Epialæ febris nomen deductum videtur mihi tranſlatione ſumpta à mari, ἀπὸ τῦ ἁλός. Nam mare, quod aliquando tranquillum videtur, redditur tamen aliquando adueniente tempeſtate difficile, atque periculi plenum. Pituita certe vitrea omnium humorum frigidiſſima, quieſcens, ac nullis motionibus agitata, tranquilla videtur: agitata vero & commota, maximam toto corpori inferre ſolet moleſtiam: propterea ἤπιος idem græcis eſt, quod trãquillus, ac mitis. In hoc affectu duæ adſunt intemperies inæquales, vna frigida, alia calida. frigidam efficit pituita vitrea nondum putrefacta. calidam eadem pituita putrefacta: ab hac intemperie duplici contrarii ſentiuntur in toto corpore affectus, ac eodem tempore, ſiquidem frigeſcit, rigetq; ob pituitæ non putrefactæ portionẽ, calorem percipit, ac febrem ob aliam, quæ putredinem ſuſcepit. ex quibus colligo, ſi nomen epialæ complectitur æqualiter duos hoſce affectus, illam quidem non eſſe omnino febrem, ſed ex dimidio duntaxat: qua ſcilicet intemperies adeſt calida, ob putredinem in totum corpus: qua vero in eodem ineſt frigida intemperies, repugnat omnino eſſe febrem. Confirmemus, quæ diximus, Galeni verbis, quæ ſic habent lib. 2. de feb. differ. cap. 6. ſiquidem, quicquid pituitæ putreſcit, accendit febrem; reliquum non putreſcens, ex quo rigent, nondum eiuſdem eſt qualitatis cum ea, quæ putreſcit. Si igitur ab hac quidem rigor, à putrefacta vero febris efficitur, duplex ſemper cauſſa erit.] en igitur duplicem eſſe intemperiẽ in epiala, calidam, ac frigidam: repugnare autem rei naturæ febrem eſſe intemperiem frigidam, multo notius eſt, quam hoc loco debeat explanari. Conſimilem ille ſcribit ſententiam libro de inæquali intemperie, in quo ita ſcriptum legimus: Neque enim talium affectuum vllus mirabilis eſt, neque quemadmodum aliqui ægrotantium ſimul rigeant, & febricitent] ex iis verbis duplicem adeſſe intemperiem colligo, non vnam, quam rem quæ ſequuntur verba manifeſtum faciunt. Nam ſi pituitoſus humor frigidus, quem Praxagoras vitreum appellat, & amara bilis & calida, ſimul abundent, & per ſenſibilia corpora moueantur, nihil mirum eſt, vtrumque ab ægrotante pari modo ſentiri] & parum poſtea accommodatiſſimo exemplo confirmat, dicens: Neque enim, ſi hominem in ſole calido ſtatuas, & aquam illi frigidam infundas, fieri poteſt, vt non ſimul, & à ſole calorem, & ab aqua frigus ſentiat.] tandem concludens hanc contemplationem, ita ſcribit: Porro componitur, & ex hac intemperie, & ea, quæ febricitantiũ eſt epialos (appellat ita febrem illam cui ambo ſemper incidũt.) & poſtea. ita ex duplici

plici inæquali intemperie epialos componitur.] est hoc loco obseruandum, Galenum hic non significare dari compositam intemperiem vnam, ex caliditate & frigiditate, hoc enim est impossibile, sed quod vult dicere, tale est, hanc febrem epialam duplicem cõplecti intemperiem, inæqualem vnam calidam, aliam frigidam. ex quib. nominis epialos componitur significatio. His arbitror meam responsionem fuisse verissimam, qua dicebam, epialon non esse prorsus febrem, sed è dimidio solum, ex alia vero parte, contrariam habere naturam. Erat secunda disputatio contra Altimarum potissimum instituta, qua nos cõtendebamus, rigorem qui antecedit febrem, non esse principium febris, sed solius accessionis: differreque duo hæc inter se, febrem & accessionem. His rationibus pro opinionis meæ confirmatione vtebar. Principium febris est, cum calor igneus est accensus in corde. Atqui, dum ægroti rigent in febribus intermittentibus, nondum calor est accensus in corde. Ergo, dum rigent ægroti, non adest febris principium. Secundo febris est calida totius corporis intemperies: at, dum rigor adest, corpus non calidam, sed frigidam intemperiem habet. Ergo, dum riget, non febricitat. Tertio febris, vt febris, calor est præter naturam toto corpori cõmunicatus. quandoquidẽ de natura, & substantia caloris est è centro semper ipsam petere superficiem, vt Galenus dicebat lib. de rigore. experientiaq; manifestum facit. At, dum adest rigor, nondum hic calor per totũ corpus transmissus est: ergo rigoris tempore febris non adest. Amplius, dum ægroti rigent, tempus non est cibum exhibendi, quia, inquit Galen. lib. 3. acutorũ, indicat futurã febrem. Ergo rigente ægroto ante febrem, febris non adest. Dixi, ante febrem, quia rigor contingere potest febricitantibus, vt accidit in febre ardẽte, de qua dixit Hippocrates, causone habito, rigore superueniente fit solutio. Sed de hoc nõ est sermo: sed de eo duntaxat loquimur, qui præit intermittentes febres. Vtebar postremo autoritate Galeni ad id comprobandum, ex libr. de inæquali intemperie, & de differentiis febrium, vbi agebat de epiala febre, & lypiria; quos locos parum supra citauimus: cõstat enim ex iis apertissime, hasce febres cõstare ex duplici intemperie inæquali, vna frigida, qua rigebant; alia vero calida, qua ægroti febricitabant. Porro dubitaret aliquis contra mea principia. primum quod dixerimus, de natura febris esse calorem extensum per totum corpus. id enim falsum existere, ea demonstrant, quæ proxime de epiala, & de lypiria dicebamus, quæ cum sint febres, calorem non communicant toto corpori. Deinde, quod Galenus ipse ex proposito agens de natura febrium, dicebat, essentiã febris non secundũ Hippocratem modo, sed præclarissimos etiam Medicos, esse calorem præter naturam extensum in totũ corpus: sin minus, inquit, in pręcipuis maximisq; partibus contentum. ex quibus verbis constare videtur, sufficere ad naturam febris calorem esse extensilem quidem, non aũt extensum in totum corpus. Vrget præterea Altimarus id principium, q̃ scil. dum rigor adest, calor nondũ sit incensus in corde, quia, inquit ille, impossibile omnino est in febrib. intermittentib. fieri rigorem, nisi febris iam sit incensa in aliqua parte, tanquam in proprio fomite, vt ex Galeno parum infra demonstrabitur. Arguit etiã & illud, quod statuerimus rigorem esse principium accessionis: At vero certe nõ est, ex illius opinione, principium, sed ad principium sequitur tanquam symptoma: quam rem conatur probare verbis Galeni lib. 2. de febrium differ. ca. 12. in quo hæc habet: Nam vbicunque accenditur, atque augetur caliditas, isthuc ab aliis partibus sanguinẽ solere confluere: quo vero tempore cõfluit, illas quidem refrigerari priuatas sanguine, est necessarium: quod vero patitur membrum grauari, atq; distendi, ac sanguinem ipsum confluentem alterari, hoc quoq; duplici ex causa, & quia aliis, quæ iam putruerunt, superfluitatibus permiscetur, & quoniam intrusum difflari non potest: quo fit, vt instar lignorum humidorum, quæ paucam super flammam vniuersim proiiciuntur, succendatur: atque hoc tempus accessionis principium nuncupatur. hæc ille. ex quibus ille concludit, rigorem non esse partem accessionis, non eiusdem principium, sed symptoma, quod fit ex confluxu sanguinis ad focum putredinis. Ego vero scio meam opinionem adhuc firmam esse, & Ga-

leni dogmatibus maxime consonam, propterea his omnibus sigillatim, & in
hunc modum satisfacio. Quod de natura febris diximus, id confirmat definitio
Empedoclis, Zenonis, & Hippocraticorum ab Auicenna proposita, ac etiam di-
ligenter declarata: quod etiam locis fere sexcẽtis à Galeno dictum fuit, quorum
vnum, aut alterum infra citabimus. Epialam febrem diximus esse, nõ secundum
se totam, sed ex dimidio, idque Galeni verbis satis aperte demonstratum arbi-
tror. atque idem statuendum est de febre lypiria: hæc enim habet duplicem in-
temperiem, vnam calidam in visceribus, magnisque vasis consistentem, aliam
frigidam in habitu corporis, de qua febre sic Galenus locutus est libello de inæ-
quali intemperie. In ipsa quidem paroxysmorum inuasione aliqui febricitan-
tium tum rigent, tum sitiũt, tum ambo sentiunt, frigus immodicum, & calorem:
verum non in eodem loco. quippe possunt, quę excalefactæ sunt partes, manife-
ste à refrigeratis discerni. Nam & intus, & in ipsis visceribus calorem: in exter-
nis vero partibus omnibus frigus sentiunt. tales perpetuo sunt febres, quæ lypi-
riæ vocantur] & concludens postea ait: ita ex duplici inæquali intemperie epia-
lus componitur, & aliæ etiam febres, præter hecticas fere omnes] Obiter hic
notabis, Ciroche, Thomam Lynacrum, virum alioquin de medicina optime
meritum, in hoc contextu traducendo nimis licentiose aberrasse. ita enim ille
legit: Tales perpetuæ febres sunt, & quæ lypiriæ vocantur,] græca verba non ita
habent. Sic enim scribit Galenus. ἔτι καὶ οἱ λειπυρίαι καλούμενοι πυρετοὶ διαπαντὸς τοιοῦτοι.] Id est.
Tales perpetuo sunt febres quæ lypiriæ vocantur. Nam certe nullæ febres mi-
nus habent inæqualitatem temperamenti morbosi duplicem, ex contrariis in-
quam constantem, potissimum secundum partes sensibiles, quam continuæ &
perpetuæ. Nihilominus illud verbum Διαπαντὸς admodum significantes scriptum
fuit. Est enim febris lypiria, non quæ cum extremarum partium frigiditate, ha-
bet internum calorem (id enim contingit in omni tertiana exquisita, & nota in
inuasione, in omni etiam maligna prope mortem ægroti,) sed quæ secundum
propriam naturam perpetuo, id est, per totum morbi decursum habet frigus ex-
ternum, cum caliditate intrinsecus adurente. Reuertor vnde digressus sum. Vbi
duæ adsunt intemperies contrariæ, duoq; morbi, vt febris, & intemperies frigi-
da in diuersis partibus, ab vtroque morbo fiet denominatio: falsumque est dice-
re, totũ corpus affici febre sola, aut intemperie frigida, sed erit intemperies vtra-
que in partibus diuersis, vel sensibilibus, vel insensibilibus. Si dixeris, hisce dua-
bus speciebus non conuenire definitionem febris, dicerem conuenire quidem,
sed non secundum totum, sed secundum partem, nec definitionem esse vitio-
sam, intelligenda enim est secundum propriam naturam caloris, non autem se-
cundum id, quod accidit calori. at profecto calori accidens est, non posse trans-
mitti in totum corpus. sic definimus graue, quod deorsum; leue, quod sursum
tendit. at si illud violenter sursum, hoc deorsum contineatur, non tamen vtrum-
que perperam dicemur definiisse. Febris ex propria natura, qua calor est, toto
corpori debet communicari. cum vero id non fit, à natura propria deficit. Ga-
leni verba hanc recipiunt interpretationem. Substantiam febris calorem esse
præter naturam communicatum toto corpori: sin minus in maximis, præci-
puisque visceribus contentam: quod est, si calor non communicatur vniuerso
corpori, febris natura continetur in præcipuis visceribus, non secundum se to-
ta, sed secundum partem, & ex accidenti. Veram esse hanc explanationem eius
verba indicant, nam ait: Maxime quidem in totum animal effusa] illud maxi-
me certissime demonstrat febris substantiam per se caliditatem esse effusam in
totum corpus: ex accidenti vero solum contineri in præcordiis. Porro, quod di-
cunt sufficere ad naturam febris, esse calorem extensilem in totum corpus, ab-
errant toto cœlo. Nam ira semper esset febris: quia calor adest præter naturam
in corde: at, inquit Galenus, primo de febrium differentiis, nondum febris est,
nisi in totum corpus diffundatur. At extensilis est semper, ergo iracundi semper
febricitant. Videtur mihi libro de morborum caussis, capite secundo, omnem
difficultatem remouere, cum ex proposito sic ait: Cum quispiam immoderata
exercita-

exercitatione vsus fuerit, lassitudinē sustinet corpus, hoc est immoderatam caliditatem in musculis, & articulis habent: ij enim sunt, qui primo motū excipiunt. quod, si non vltra progrediatur calor, atq; eum solui contigerit, antea quam totum animalis corpus inuaserit, nihil vltra lassitudinem consequetur. At si in totum extensum fuerit corpus, tunc eiusmodi affectus febris nuncupatur: quæ est quædam totius corporis immoderata caliditas. ita & ira, quæ feruor quidam est existentis in corde caloris, ob immoderatum motum per totum nonnunquam diffusa corpus, ita febrem accendit,] & parum infra. Hæc autem (ait) vbi totum concalefecerit corpus, excitant febrem,] ac rursus. deinde & partem vicinam afficit, & hæc deinceps sibi proximam, atque ita vsque ad principium insiti caloris, vbi peruenerit intemperies, totum celeriter corpus, principij sentit affectum. Diuturnæ quoque moræ in locis sole expositis, nudis quidem, totam aliquando supremam cutem calefaciunt. atiis, qui vestibus operti sunt solum caput, atque hæc exustio nuncupatur. quod si iam totum animalis corpus occupat, tunc ita febris accenditur.] volens prætermitto locos quamplures, cum putem hos manifestissimum facere, febrem non esse calorem extensilem in totum corpus, sed vere extensum: atque cum non extenditur, non esse omnino febrem. Altimarus non est vim propositæ argumentationis assecutus. Nam accessionis febrilis principium fieri non potest, quin accensus iam sit calor in aliquo fomite: at hoc non proponit argumentatio. Sed principium febris non esse, nisi calor præter naturam in corde primum accēdatur. Rigoremque non esse principium febris contendit, aut non adesse febrem rigente homine, quia licet accensio facta sit in fomite putredinis, tamen nondum est facta in corde: hoc illi fuerat reprobandum. Postremo, videtur mihi nodum in scirpo quærere, dum reprobare contendit, rigorem nō esse principium accessionis, sed symptoma accessionem insequens. primum quia non bene ex verbis Galeni id probat: nam ad principium accessionis constituendum hæc concurrunt. caloris in fomite generatio, confluxio sanguinis, & spirituum ad fomitem, in ea confluxione rigor, aut horror. totum hoc tempus, in quo scilicet, tria hæc fiunt, accessionis principium nominatur. hoc ipsum principium rigoris nomine circumscribo, à notiori nuncupatione sumpta. Deinde, siue sit principium accessionis, siue ad principium sequatur, vt ad caussam, satis quidem mihi factum non est, qui probare contendebam, rigoris tempore febrem antecedentis, nō adesse febrem, sed dispositionem ad febrem: atque sese inuicem non compati intemperiem frigidam, ac febrem. Quod vero accessionis, & febris principium, inter se differant, videtur adeo ex dictis manifestum, vt nihil magis.

Ex iis, quæ diximus, circa explanationem quæstionis huius, arbitror, te iam percipere, quæ circa tertiam, mea sententia sit. an scilicet contraria adæquate in eodem subiecto possint consistere. Id enim impossibile putauerim, vt ex natura lypiriæ, & multo magis epialæ, ac exemplis Galeni constare potest. Scio maximam esse hanc præ cæteris omnibus disputationem. nec me profecto latet, quid alii sentiant. Ego tamen aliorum opinionem afferre nolo, quia certe non patitur id ipsum modus epistolæ, neque tempus otium suppetit mihi: sed non patiar te virum doctissimum, & in factitanda Medicina exercitatissimum, meam desiderare sententiam. duo igitur dicam, primum, quibus rationibus meam opinionem confirmare soleam: deinde sum ostensurus secundum Galeni placita, nihil aliud posse determinari. vtrunque autem explanare conabor breuissimis. Quod igitur ad primum pertinet, ex natura contrariorum deducere rationem admodum efficacem, soleo. ea vero est. Contraria esse, quæ simul consistere non possunt, quæve sese inuicem corrumpunt. hoc autem inest contrariis omnibus secundum essentiam propriam, ita, vt repugnet dicere, quædam esse contraria, & non sese inuicem corrumpere: quod, si verum est, vtique in eodem subiecto adæquato contineri illa non possunt. Nec valet solutio quorundam definitionem contrariorum explicantiū, quod abiiciunt sese mutuo à subiecto: quia non possunt simul denominare subiectum calidum, ac frigidum, humidū; & siccum.

Nam est admodum intorta locutio, ac certe indigna hominis eloquentis, qualis
in primis fuit Aristoteles. Præterea denominatio subiecti competit contrario se-
cundum accidens, quod est, habere plures gradus. definitiones autem non dan-
tur per accidentaria, sed per ea, quæ perpetuo insunt definito. Neque etiam va-
let, quod alii dicunt, contraria scilicet, mutuo sese à subiecto pellere, secun-
dum esse perfectum: quoniam (inquiũt) inesse imperfecto, ac refracto non sese
expellunt contraria. Nam communi nominum vsu frigidum vt vnum, & cali-
dum vt vnum, sunt contraria: non minus quidem quam frigidum in gradibus
quatuor, & calidum in eisdem gradibus constitutum. *Definitio autem conue-
nire debet omnibus sub definito contentis: quamobrem conueniet etiam con-
trariis remissis. ergo sese à subiecto abiicient, licet non habeant esse perfectum.*
Secundo, quemadmodum sese res habet in motu locali, ita habere debet in mo-
tu alterationis. Atqui in motu locali duo motus contrarii non sese compatiuntur
inuicem, ergo neque in motu alterationis. quod de motibus dixi contrariis pa-
tet experientia. nam duo lapilli cadentes in puteum, faciunt motum diuersum,
singulus enim proprium habet subiectum, nec profecto potest imaginari com-
plicatio contrariorum motuum secundum easdem partes adæquatas subiecti;
de qua re ex Galeno nonnulla dicam parum postea. Quis igitur imaginabitur
contrarias qualiates posse simul in eadem subiecti parte consistere. Tertio con-
trarietas terminorum est caussa contrarietatis motuum, vt Aristoteles inquit,
quinto physicorum textu quinto. Ergo multo maior erit contrarietas extremo-
rum, quam motuum. atqui duo motus contrarii sunt incompatibiles, vt di-
ximus, ergo multo magis extremi termini motuum erunt incompatibiles. at ter-
minus motus alterationis est qualitas, ergo inuicem stare non poterunt duę qua-
litates contrariæ. Postremo perinde res habere videtur mihi, atq; in dictionibus
formãdis, nam ex literis primũ fiunt syllabę, ex syllabis dictiones, ex dictionibus
orationes, cum tamen maneant literæ inalterabiles, sintq; inuicẽ dispositæ cer-
to ordine, quantitate, & qualitate: sic etiam in elementorum accidit permistio-
ne, etenim miscentur, non amissis virtutibus elementorum, siue qualitatum per
adæquatam permistionem primarum qualitatum, vel elementorum, sed certe
sibi inuicem iunctis elementis varia quantitate, vel qualitate, vel ordine. idcirco
si quando contraria duo videntur occupare vnum, idemq; subiectum, statuen-
dum est id non fieri in eodem subiecto præcise, sed in diuersis partibus subiecti,
quas distinguere sensus non possit. Nunc vero accedamus ad Galenum. In pri-
mis manifestissimum est, secundum opinionem illius in similaribus partibus o-
cto inueniri genera morborum compositorum: quatuor sine materia, totidem
cum materia. caliditas & siccitas, caliditas humiditas, frigiditas siccitas, frigidi-
tas & humiditas. At si concedamus duo contraria simul stare posse in eodem
subiecto adæquato, oportebit illis addere alios morbos quatuor, à Galeno præ-
termissos, nempe frigiditas, & caliditas simul, & humiditas iuncta siccitati, vel
cum materia, vel sine materia. at vero hoc non esse admittendum in eius doctri-
na nemo dubitat. Præterea, si eius verba considerare voluerimus, cognoscemus
ipsum non modo hanc quæstionem proposuisse, verum etiam dilucidasse. libro
enim tertio de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 16. multis exem-
plis conatur demonstrare eandem partem eodem tempore simul affici contra-
riis qualitatibus, vt linguam amaritudine, ac dulcedine; partes sensu præditas
caliditate, ac frigiditate simul, quod etiam scribit libro de venæ sect. c. 5. & lib. de
caussis morborum c. 6. cum ait: Accidit, licet fieri non posse videatur, vt idẽ cor-
pus simul frigidius, & calidius: aut simul, aut humidius, & siccius, quam pro na-
turali habitu reddatur. Dilucidauit nihilominus quæstionem libello de inæqua-
li intemperie, in quo asserit, duo contraria simul afficere non posse eandem præ-
cise partem: sed vnumquodq; agere in suam, esseq; subiectum diuersum, quod
aliquando sensibus conspicuum fit, vt in lypiriis, & in quibusdam malignis fe-
bribus, interioribus partibus caliditatis maximæ affectu laborantibus, externis
vero frigiditatis: aliquando autem, id sensu non est perceptibile, vt in epiala fe-
bre con-

bre contingit: at vero ipsa ratio id euidenter conuincit: cum ipsa fiat à bile putrefacta, & pituita non putrefacta (statuatur hoc cum Galeno exempli gratia) vel à vitrea pituita, cuius pars putrefacta febrem efficiat, non putrefacta rigorem: sic duæ sunt caussæ, ac vtraque agit in proprium subiectum, non vna caussa. Placet afferre illius verba, quæ sic habent citato libello c. 8. Neque enim si hominem in sole calido statuas, & aquam illi frigidam infundas, fieri potest, vt non simul & à sole calorem, & ab aqua frigus sentiat. Verum hoc casu ambo extrinsecus sunt, & secundum magnas portiones insunt. in febribus epialis tum intus, & secũdum paruas, & propter hoc totum corpus videtur ambo sentire, quippe minimis portionibus aspersum est, tum calidum, tum frigidum. Neque est aliquam eius partem sensibilem accipere, in qua alterutrũ non sit.] notanda sunt hæc, quia aperte dicit in epialis, secundum minimas partes, ac intus fieri hanc alterationem caloris, & frigoris. ac non posse manifeste discerni calefactas partes à refrigeratis. at in principiis febrium & in lypiriis manifesta est locorũ distinctio, quemadmodum ille dicit his verbis: In ipsa vero paroxysmorũ inuasione aliqui febricitantium tum rigent, tum sitiunt, cum ambo sentiũt frigus immodicum, & calorem: Verum non in eodem loco: quippe possunt, quæ excalefactæ sunt partes, manifeste à refrigeratis discerni. Nam & intus, & in ipsis visceribus calorem, in externis vero partibus omnibus frigus sentiunt.] Huc etiã sunt referenda, quæ supra scripsimus de duplici intemperie epialæ, quarũ vna erat calida, alia frigida: atq; ita quidem ea pars præcise, & adæquate non recipit contraria. Quæ vero à Galeno alibi dicta sunt, quib. admittere videtur eandem partẽ præcise cõtrarias qualitates recipere, interpretanda sunt, quod attinet ad iudicium sensus: quia nõ est perceptibilis sensu diuersitas partium. Exempli gratia, linguæ percipientis amaritudinem, simul ac dulcedinem, neque in epialis quispiam discernet, quæ pars frigore, & quæ calore afficiatur. At secundum rei naturã cum epiala febris constet ex duabus intemperiebus inæqualibus, vna erit frigida, alia calida, vtraque ex his proprium habebit, & adæquatum subiectum. Locus autem ex libro de caussis morborum hanc interpretationem recipit. quod idem corpus affici potest intemperie duplici inæquali, quarum vna sit frigida, alia calida eodem tempore: sic etiam humida, & sicca. at quidem ibi non dicit easdẽ partes adæquatas à duobus contrariis occupari posse.

Iam igitur, vir clarissime, audiuisti, quid sentiã de maximis difficultatibus, quas proposuit mihi ingeniosissimus Ioannes Franciscus Sanctius. Tuum erit modo iudicare, an à me, ipsi recte responsum fuerit. Paparella noster salutẽ plurimam tibi dicit. Cura, vt valeas, & me vicissim ama.

ANDREÆ PAVLI SERENISSIMI SAXONIÆ DVcis Senatori, & Consiliario.

De vsu aquarum acidularum Goßippiensium, pro præseruatione ab arenulis, & calculo, & ani fistula.

Quia satis diligenter expurgatum est corpus, restat modo, vt si quæ malorum excrementorũ reliquiæ, præsertim ventriculo, intestinis, ac renib. inhærescunt, eas de cætero acidulis aquis Gossippingensib. apud Germanos celebratissimis, extirpemus. eas potissimũ eligo, quia tibi ex Italia Germaniã profecturo, opportunæ duntaxat illæ, & accommodatæ tuo videtur vsui. Sed anteaquam vtendi modum explicem, prius docere volo, cur aquæ sponte nascentes acidulæ sunt. hoc enim te potissimũ desiderare significasti. Dico igitur plerosq; veterum tradidisse acidas res fieri duabus de caussis. quarum vna est putredo, vt significat degeneratio vini in acetum: nam certe fit per putredinem, probatissimorum authorum testimonio, præsertim Galeni in libr. de simplicium medicamentorum facultatibus. Experientia præterea fidem facit, quia neminẽ esse putauerim, qui in aceto vermes aliquando generari non cognouerit. Alia causa est caloris imbecillitas, à quo partes diuersarum substantiarum nequeat perfecte concoqui, vt in fructib. quibusdam acidis contingere obseruatum est. Aquæ igitur erunt acidulæ, aut ob alterutram, aut ab vtranque caussam. Verum profecto, vt ego

ſentio, ob neutram. Putredo aciditatem non facit: quia ſemper manent acidæ, incorruptæ, lympidæ, ſyncera. Nec aliquando aſsignabitur tempus, in quo incipiant corrumpi, quodq; à ſua illa puritate acida deflectant; vniformes perpetuo ſunt: neque enim magis, ac minus putridæ aliquando conſpiciuntur; quę res minime ſolet contingere in rebus putridis. Præterea cruditas, & indigeſtio in aquis acorem non facit: nam cruditas paſsio eſt mixti perfecti, quemadmodum etiam putredo. Deinde imbecillitatem caloris ea in re non poſſumus imaginari, quæ ſua natura omnis qualitatis expers dicitur. Putauerim igitur hiſce duabus cauſsis addi oportere tertiam, acidæ ſcilicet rei permiſtionem, quam etſi Ariſtoteles ſilentio inuoluere videatur, eam tamẽ generatim quodammodo expreſſiſſe videtur mihi, cum aquas aceſcere ex accidenti ſcripſerit. Cur enim id non eueniat ex accidenti, quod aquæ naturam adulterat, corrumpitque? Aqua enim omni prorſus carere debet ſapore, nec aliam habere poteſt ex propria natura caliditatem, quam frigiditatem, humiditatemque. At aquæ acidæ ſaporem acquirunt, & qualitatem calidam, & ſiccam, alieniſſimam ab illius ſubſtantia. In hunc modum conſtat generatim optime locutum fuiſſe Ariſtotelem. In particulari autem datur adhuc locus quæſtioni, quid ſit illud per accidens aquæ ſinceritatem coinquinãs? Vitruuius veritatem exactiſſime patefecit, cum ita loquitur, ſuccum natura acidum in terris concorperatum in ipſis aquis aciditatem facere. Sed qualis hic ſit ſuccus, non exprimens, relinquit aliis contemplandi locum. Ego, quicquid alii dixerint, putauerim magna ex parte ex Calcanthi permiſtione contingere. quod ne videar gratis dixiſſe, affero cõiecturas, quibus moueor. ſunt autẽ duæ, atq; vtraq; (niſi fallor) euidentiſſima. Vna eſt, quod vbi inueniuntur acidæ, ibi, aut certè in vicinia Calcanthi inſpiciũtur fodinę, vt in quibuſdam Italiæ locis animaduerti, putauerim certe idem in Germania contingere. Alia eſt, quod calcanthum acidum habet ſaporem, vt eius oleum oſtendit, quo ad multos vſus, præſertim in peſtilentia vtimur. Cæterum tribus modis cum aqua permiſceri poteſt calcanthum. Vnus quando vena, propriaque aquæ ſcaturigo, ipſam elambit mineram, ſecumque deducit ramenta quædam, & excrementa mineræ. Alius quando vapor calcanthoſus ex loco educitur, & aquæ permiſcetur. Tertius quando idem vapor ſuperne genitus, ex terræ ambientis frigiditate cogitur, & in aqueã ſubſtantiam, acidam quidẽ tranſmutatur: hacq; poſtea permiſta cum ſcaturigine fontis, totã reddit aquã acido ſapore plenam. Hæc acidarum omnium pręſtantiſſima, ſincera, lympida, clara, & fere nõ differens ab aqua ſimplici, niſi aciditate. Neq; operoſum eſt cognoſcere, an aqua mineram abradat, an vapores contineat, vel ex vaporibus in aquam tranſmutatis aciditas fuerit cõquiſita. Goppingẽſes illæ acidæ, maxime perlucidæ, ſinceriſſimæ, incorruptæ omnino manentes, mineram certe nõ elambunt calcanthi. nam craſſiorem haberent ſubſtantiam, atq; illius mineræ odorem habentes guſtui non eſſent iucundæ: atqui omni odore carent, ſuntq; guſtantibus gratiſſimæ. idcirco ſi vera ſunt poſita principia, fiunt acidæ aut ob permiſtionem vaporum, aut ob aquam vapore genitam, vtrumq; contingere poſſe arbitror. Vaporem adeſſe ſulphuris non putauerim, quia odore perciperetur, aut certe ſi adeſt, vt quibuſdam placere ſcio, exiguus eſt, & ita diligenter miſtus, vt ſenſu percipi non poſſit. At ſi ratio non eſt euidens, & ſenſus aliquod afferre iudicium non poteſt, recte ſentiet, qui ſulphuris vaporem abeſſe ſignificabit. Acidarum rerum temperamentum, quale ſit à Galeno, Theophraſto, & Ariſtotele ſcriptum ſcimus. At vero acidularum aquarum frigidam eſſe temperiẽ dixerim, atq; ſiccam, cum exiguo caloris igniculo, cum tenuitate ſubſtantiæ, qua vndique penetrat. Certe calor exiguus eſt, quia vapores haud multam caliditatem habent. deinde, quia obtunditur calor vaporis ab aquæ frigiditate, ita, vt vehemens eſſe non poſſit. Sed eo modo, & gradu fere eodem, quo acetum calidum ſtatuitur: ſic acidulas calidas nuncupabimus, non à qualitatis dominio, cum frigidæ, vt dixi, ſtatuantur. Ab aceti natura diſtant in eo, quod acetum acrimoniam habet aciditate coniunctã. At acidulæ illæ aquæ non ſunt acres. propterea acetum calidius eſt, quod ex eo potiſſimum colligere

colligere licebit tibi, quod acetũ penetrando exulcerat, acidulæ vero nunquam prorsus exulcerant. Adhæc acetum merum ob acrimoniam non bibitur, at acidulæ solæ bibuntur, & quod dixi, suauissimæ bibentibus apparet. Effectus edunt (vt iam de illarum facultatibus edisseram) proportionatos temperamento. Refrigerant, exsiccãt, penetrant, crassas humiditates dissoluunt, & incidunt. Quibus additur facultas tertia, nempe quod renum, & vesicæ passionibus opitulantur, calculum frangunt, arenulas detergunt, viscidam pituitam per vrinarios meatus expurgant, eorum medicamẽtorum consuetudine, quibus ad calculum frangendum insignis adest, vt Galenus inquit, facultas; imo etiam Titus Liuius,
10 Vitruuiusque docuere. Nauseabundo ventriculo calido, & humido, ac in actiuis temperato, in passiuis tamen humido, conferunt, concitantes appetitum, & viscidam pituitam detergentes. Hepar, lienem, mesenterium, renes obstructione liberant. Putrefactioni opitulantur, ac in pestilenti statu præcipuã opem ferunt. Tandem obseruatum est, mira quadam virtute necare vermes.

Porro quæ in vniuersum hactenus dicta sunt à nobis, ad tuos affectus, vir clarissime, sanandos referamus. In primis illud statuere oportet, corpus eusarchum, & plectoricum existere, vtputa, quod multo, & optimo sanguine abundat. Obnoxiũ præterea statuitur synochis febribus, & simplicibus, & putridis, quæ non raro ob insignem putredinem solent terminari in malignas, atq; pestiferas. Ob-
20 structionibus aliquando es obnoxius ab humorum multitudine, viscidit ate, & crassitie: atque ex cruditatibus, quæ ob compotationes magis Germanis assuetas, aliasque caussas inordinati victus ventriculũ habes frequenter nauseabundum. Renes, quamuis in hac ætate non laborent calculo, neque etiam (quod licuerit obseruare mihi) arenulis, viscidam tamen, crudamque materiam continere, & non exiguam, vidimus, ex qua, ceu ex proxima materia, in calculum renalem, perquam facilis lapsus esse posset. Postremo in rectum intestinum vlcusculum quoddam inest, relictum post dysenteriam, & tenesmum publice in illis regionibus grassantem. atque (vt relatum est mihi) cum satis aperta hæmorrhoidum complicatione, quæ aliquando sanguinem eructant, aliquando cœcæ
30 sunt, & aliquando pruritum quendam inferunt intolerabilem. Hæc potissima sunt, quæ partim curationem, partim præseruationem exigunt: quorum caussa prudentissime consultum fuit illi à Medicis Serenissimi Ducis Saxoniæ, vt bis singulis annis curaret sibi mitti sanguinem, Vere scilicet, ac Autumno, expurgarenturque pituitosa totius corporis excrementa: vtque postea æstiuis temporibus acidulas aquas potaret: quia nulla inueniri potest præstantior, nullaque tutior & sanandi, & præseruandi ratio. Vsus harum aquarum duplex esse potest, vnus extrinsecus, alter intrinsecus, lauando scilicet, ac potando. Potationem ego magis laudauerim. Nam potatæ carent omni suspicione. Vellem, vt ex harum potu subduceretur illi aluus, crassioresque humores per vias patentiores educe-
40 rentur: alii postea per vrinas. Proponam tibi vtẽdi modum, vt si forte copia non sit Medicorum Augustissimi Ducis, habeas ex me, quid facto opus sit. Primis sex diebus propinarem acidularum libras octo, & in priori cyatho dissoluerem mellis rosati solut. vnc. iiij. & syrupi rosati ex nouẽ infusionibus vnc. ij. salis communis vnc. j. mox singulo quoque die pro more augerem dosim ad maximam illam, quam ferre posset quantitatem. Neque tunc laborandum, sed quiescendum, aut leuiter ambulandum parum ante cibum, ne materia illa potulenta per vniuersum corpus distributa, sudorem efficeret. quæ res omnino debet euitari, quia sic humores crudi in venis traherentur, longeq; maiora subsequerẽtur pericula. Summa curationis perfectio est, si humores simul cũ aqua per aluum, &
50 vesicam vacuentur. Reliqua ad harum potum sigillatim necessaria non prosequor. satis enim est, si tibi viro doctissimo ac prudentissimo, meam indicauerim sententiam. Verum prætermittere neque possum, neq; debeo, quod si ex eadem acidula parare volueris enemata, magnam vtilitatem nancisceris. præseruatio enim fiet accommodata, ne vlcus illud intestinorum magis euadat sordidum, putridumq;, aut certe ne tractu temporis in fistulam terminetur. Conuenient

præ ijs ea clysteres ex seri caprini libra, & aliquãdo ex lacte asinino, prout viguerint indicationes; vel solum detergendi, quod præstabit serum: vel simul glutinandi, quod efficiet lac ipsum: quod, si post multos dies volueris adhibere chalibeatum, non displicebit. Quod si maiorem exiccationem desiderabis, in lacte cocto dissoluito vnciam semis pro vice pulueris plumbi vsti, & in rem præsentem magnum experieris remedium. Alia non sunt addenda pro sanando recti intestini vlcere, quia hæc multorum vicem habent, cumq; ipso in opere optima sint, scio plurimum iuuatura. Quamobrem, vt iam receptui canam, summam totius curationis consistere putauerim in vacuatione totius corporis quotannis, & bis efficienda, in potu acidularum æstiuis temporibus, in vsu lactis & seri asinini pro enemate, atque tandem in optima ratione victus: quam tu ipse clarissimorum Medicorum præceptis accommodatissimam eliges. Meo nomine salutem plurimam dicito I. Camerario, ex Taurino 8. Ianuarij, 1581.

LVDOVICO PICCHINO GENERO.

Agitur de curatione eius speciei procidentiæ oculi, quam Græi μυιοκέφαλον vocant.

Recte, ac prudenter facis Ludouice fili, quod in graui affectu, habere me consultorem desideras: quia certe facti, nec te ipsum, nec ægrotum pœnitebit. Scribis mulierem illustrissimam ex punctura acus incidisse in eum oculi affectum, quem Græci vocant μυιοκέφαλον, qui fit cũ tota cornea perforatur, aut rumpitur, ex ipsaque ruptura tunicula, ab vuæ colore, vuea Latinis nuncupata, extra corneam procidit. cuius, quamuis soleãt afferri species quatuor, nempe μυιοκέφαλος, σαφύλωμα, μήλων, & ἥλως. mulierem pati primam speciem scribis, ipsa enim prosiliens tunicula caput repræsentat muscarum, neque ad eam magnitudinem peruenit, vt σαφύλωμα nuncupari debeat. Sanabis hunc affectum, si diligenter obseruabis, quæ scribam, tum circa præseruationem, tum curationem. Expurgabis primum communes vias ex drachmis decem floris cassiæ nouiter extractæ, & drach. ij. specierum picræ. vel, si bolos abhorreat, exhibeto vnc. iij. syrupi rosati solut. qui sennam, agaricum, & reubarbarum habet cum vnc. I. mannæ Calabriæ ex iure pullæ. Deinde sequenti die, imposito clysteri detergẽte, curato mitti sanguinem ex cephalica cubiti directi ad vnc. viij. eodemq; die hora vespertina sectionem iterato, & ad vnc. v. vacuato: quod tertio efficias sequenti die hora matutina. Hæc enim pro reuulsione obseruãda est regula, hæcq; tutissima est ratio medendi quam scis fuisse à me explanatã libro de missione sanguinis. si magna videbitur quantitas, eam pro tuo iudicio limitabis. Humores biliosos, ne de cætero ad affectam particulã fluant, refrigerabis, incrassabis, & mitificabis syrupis accommodatis: postea vero eosdẽ, si videbitur opportunũ, purgabis. Victus rationem decernes, quæ neq; bilem augere possit, neq; illius motũ ad caput promouere. à vino abstineat toto curationis tempore, mulsam dilutã bibat, aut zuchari decoctum, aut aquam macerationis medullæ panis recenter cocti. Abstineat à calidis, & siccis, potissimum ab aromatis, ac in vniuersum ab omnib. caput replentibus. Ptissanam hordeaceam, & ex zea paratam citra superuacaneũ condimentũ maxime laudo. Pisces saxatiles, non marini modo, sed etiam fluuiatiles ex albo iure, vt me Galeni more, frequenter vidisti præparantem, degustari possunt: olera admittimus refrigerantia, vt lactucam. Degat in aere obscure, iaceat in lecto supina, caput non moueat, supra oculum affectum non dormiat, silentium, quoad eius fieri potest, seruet, abstineat ab ira. Hæc ad præseruationem pertinent.

Pro curatione autem, si adsit inflammatio, hanc prius sanato ex collyrio albo citra oppiũ, dissoluto ex rosacea, ac lacte muliebri. Mox vero adstringẽtibus, repellentibusq; vtendum. Scopus enim est procidẽtem vueam retropellere, & ruptam corneam consolidare. Paratum habeas hoc medicamentũ. Rec. stibeos optimi partes tres. Lapidis ematitis par. 2. s. acaciæ par. 2. aloes epat. par. I. mastichis par. s. terito singula diligẽter. Macerato postea in vino nigro adstringẽti horis de-

ris decem stibeum,& lapidem ematitem.permisceto singula ex mucilagine tragantæ extractæ ex rosacea, fiant pastilli in vmbra exiccandi. Horum drach.1.leuigato,dein ex aquæ rosaceæ vnc.2.s.dissoluito, vtitor pro collyrio imponendo guttas quinque pro vice in maiori angulo, fiatq; sex vicibus horarum 24. spatio. Aliis quatuor dieb. seque̅tibus, adde superiori collyrio scrup.j. sief. de thure. Postremis quatuor, aut sex sief. de thure scrup.2.permisceto.drach.1.superioris pastilli.absoluetur curatio die 15. à primo die nostri collyrii. Sed non consequeris quod pollicemur, nisi oculu̅ diligenter liges, & acco̅modatam adhibeas pilam, siue plumaceolum ex bombice intersutum, quod deligatum supra oculum vim habeat repellendi vueam. Caue, ne ligatura dolorem inferat oculo. Est hoc tantæ efficaciæ remedium, vt ausim dicere, Ludouice fili, præstantius inueniri non posse: imo cicatricem inducit in cornea obscuram adeo, vt fere omnes lateat: atque si albugineus, ac vitreus nullum detrimentum susceperunt, aut pupilla intacta sit, cum decenti oculi ornatu sanitas introducetur citra visionis labem. Vale, ac meo nomine parentibus tuis salutem plurimam dicito.

IOANNI PERCIVALLIO MEDICO RECANATENSI.

De vnguenti ex Alabastro descriptione, & viribus. De calculo vesicæ aduersus Ioannem Fernelium.

Tuis nunc respondeo literis, ac primum postremis. Vnguenti illius ex Alabastro, quo frequenter, & magno successu Ludouicus Pater, vtitur, author fuit Medicus Bononiensis sua ætate clarissimus, nomine Ludouicus de Leonibus. Fuit hic illius præceptor adeo officiosus, ac diligens; vt quæcunque didicerit, & in artis operibus rara, peregrinaque remedia nouerit, ad eum authorem publice referat. ita indicauit Pater, vt primæ parti tuarum literarum rescriberem. Componendi modus extat duplex: Victorius Fauentinus ita describit. Rec. succi camomillæ recentis vnc. iiij. succi rosarum recentium vnc. ij. succi rutæ recentis, succi betonicæ an. vnc. j. s. succi radicum altheæ vnc. ij. Olei rosati onf. lib. j. s. alabastri optimi, & purissimi vnc. iij. Puluerizetur subtiliter alabastrum, & per noctem, & diem infundatur in oleo onfacino. Deinde cum cera alba optima q. s. ex omnibus fiat vnguentum. Alio modo describit Ioannes Langius libr. 3. Epistolarum Medicinalium, c. 11. prioris Epistolæ. eius verba sic habent. Rec. vini albi aromatici lib. viij. olei rosati onfacini perfecti Mesue lib. ij. alabastri in lapide contriti, & facti sicut alcool lib. j. florum camomillæ lib. s. rutæ manip. iiij. cimarum rubi man. j. s. herbæ fœniculi vnc. iiij. ceræ nouæ vnc. ij. Herbæ omnes exacte pistentur, & omnia simul ad lentum ignem vsq; ad vini consumptionem in olla vitriata bulliant: dein duodecim albumina ouorum conquassata imponantur, & cum pistillo in mortario calido per horas octo conterantur, posteaq; per pannum lineum fiat fortis expressio, & cum infrigidata fuerint, si aliquid vini in fundo subsederit, abiiciatur. Langius condiscipulus fuit Patris mei, ambo enim sub Ludouico de Leonibus medicinæ factitandæ incubuerunt: Quo fit, vt aliquando putauerim sibi Langium præceptoris inuentum vsurpasse. Sed noui postea virum esse candidissimum: nam cu̅ legerem epistolam eius septimam libri prioris, ita scribentem offendi. Nosti sane, quam frugiferum existat, in omnium vulnerum phlegmone coercenda vnguentum illud, quod ex alabastri de marmore frigidæ, & siccæ constitutionis Beneuenutus Hierosolymitanus in libello de oculorum morbis conficere docet. Sane ad meas manus nondum peruenit liber huius Beneuenuti, vt iudicare possim, quis verus extiterit vnguenti author. Descriptio quam à præceptore pater habuit eiusmodi est. Rec. vini albi adstringe̅tis lib. vij. aquę rosatæ lib. ij. euphrasiæ viridis, floru̅ camomillæ an. vnc. vij. florum roris marini lib. j. alabastri in puluerem tenuissimum redacti lib. 1. & vnc. iiij. certæ nouæ, vnc. v. olei rosati onfacini lib. ij. s. contusis contundendis coquantur inuicem ad consumptionem aquæ & vini. Postea imponantur j. s. albumina ouorum conquassata, & cum pistillo in mortario calido horis octo con-

tinuis agitētur: mox cum panno lineo fiat fortis expreſſio: & in fine addito camphoræ drach. ij. s. ſinito refrigerari, & colari, ſi quid vini, aut humidi liquoris ſuperſit. Hoc videtur mihi magis accōmodatum ad fluxiones repellendas, ad dolores mitigandos, quos acris fluxio concitauit, ad recentia vulnera conſolidanda, præſertim quæ in oculis conſiſtunt. Quid Annæ filiæ meæ contigerit vidiſti: nam ex ictu vulnerata in cornea cum pupillæ læſione, & albuginei humoris vacuatione, fuit huius ſolius vnguenti beneficio ita ſanitati reſtituta, vt recuperauerit viſum, & locus cicatricis non apparuerit: quamuis poſt menſes quatuor ſuprauenientibus variolis & eundem oculum occupantibus fuerit oculi vſu priuata. In vulnerib. capitis cum cœca fractura adhibet vnguentū, & ſanare obſeruauit: Somnū leuiter conciliat. Inungitur tota frons, & tempora, ac etiam futura coronalis. Plura audies ex eodem in proximo feſto die Conceptionis Beatę Mariæ: in quo vos inuicem conuenturos dixit in æde Lauretanæ Virginis.

Accedo ad priores literas: in quibus de generatione calculi renum diſputans, arbitraris cum Fernelio, nullum calculum gigni in veſica, ſed omnem eſſe rudimentum quoddam eius calculi, qui per cruciatus nephriticos è renibus in veſicam deriuauit per vreteras: cauſſam hāc putas neceſſariam. Ego autem cum Rondoletio dico Ferneliū aberraſſe. Multis de cauſſis moueor, vt ita cenſeam. Primum, quia experientia me certiorem reddidit, puerulos naſci cum calculo veſicæ, vidi certe in hanc vſque ætatem quatuor: nec id profecto fuerit mirum: quandoquidem, vt noſti, calculus hæreditarius morbus eſt. In hoc ipſo caſu nemo poterit imaginari, illos prius in renibus paſſos fuiſſe calculum, quàm in veſicam; & dolores in vtero accidiſſe illis nephriticos. Præterea idem fieri debet iudicium de pueris, de quibus certi ſumus, calculum non fuiſſe genitum ex ſemine, vt ita dicam, parentum in vtero: patiuntur ij calculum in veſica nullo præcedente cruciatu nephritico: qui ſiue ex malo lacte, vt Hippocrates docet libro de aere, aquis, & locis, & Galenus ſexto epidemiorum: ſiue etiam ex craſſis alimentis, & inordinato victu, ſimul cum intempeſtiuo motu; cōſtat primam originem fuiſſe in veſica. Poſtremo idem ratio perſuadet. Quandoquidem præſentibus cauſſis omnibus neceſſariis, nihilq; impediente, effectus ex neceſſitate naſcitur. At in veſica poſſunt conſiſtere omnes cauſſæ ad lapidis generationem requiſitę, ergo in veſica generari poterit calculus. minorem ſic probo: Cauſſæ ſunt præcipue duæ: vna materia craſſa, & viſcida: alia vero calor eam materiam obdurans, & in calculum vertens: tertia cauſſa eſt loci aptitudo, commoditaſque: hæc adſunt ſigillatim in veſica. Adeſt materia viſcida & craſſa, qua puerorum vrinas abundare docet experientia: ſecundo veſicę capacitas ſatis eſt accommodata ad calculum gignendum; cum in ea continuo reſideat aliqua craſſiorum excrementorum portio. Neque tota veſica exquiſitiſſime, cum mingitur, expurgatur. Tertio adeſt calor, non quidem igneus, ſed tantus, quantus requiritur ad inſpiſſandam materiam: quod enim facit calor igneus breui temporis ſpacio, id longiori faciet naturalis, quemadmodum Galenus ſexto epidemiorum, Alexander Trallianus, Aetius, & Oribaſius declararunt.

Confirmatur opinio, quod ex eadem materia gignitur calculus, ex qua augetur, & ècontra. id ſic habere docet ipſa experientia. Sed Fernelius admittit generari in renibus, poſtea per dolores nephriticos tranſmiſſum in veſicam augeri: tunc ſi veſica ſuppeditat materiam idoneam pro incremento calculi, cur non poterit eandem ſuppeditare pro generatione? Videtur mihi in eo deceptus Fernelius, quòd non recte diſtinxit, quæ fiunt vt ſemper, ab iis, quæ vt plurimum. Nullam habet apud me dubitationem, quin pro maiori parte, potiſſimum in grandioribus natu calculus veſicæ ſit quoddam rudimentum calculi ex renibus per vreteras in veſicam expulſi: at certe eo modo ſemper generari in veſica, admitti non poteſt. Pluribus agerem de hoc argumento, ſed quia libro de medendis morbis veſicæ ac renum omnia ſum proſecutus ad hoc pertinentia, hic finem dicendi facio. Valetudinem tuam curabis, ex Monte ſancto die 14. Aprilis 1565.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. BOZVTO S. R. E. Cardinali Amplissimo.

Partum dierum 168. vel 174. aliquando naturalem & vitalem dici posse.

Partum, de quo meam audire sententiam desideras, dierum 168. & 174. aliquando vitalem esse arbitror. Primum, quia formatio masculi absoluitur vt plurimum die trigesima, cum aliquando anticipet die vno, aut pluribus. statuamus anticipationẽ factam fuisse diebus tribus, vt die 27. aut duobus, vt 28. tunc certe mouebitur die vel 54. vel 56. nascetur autem vel 162. die, vel 168. Pone formationem die 28. & horis 20. mouebitur die 57. & horis 16. nascetur die 173. eandem seruato proportionem in reliquis. ex qua computatione fiet omnino nasci partum sextimestrem, & vitalem. Hæc regula est Hippocratis, à Galeno, & ab omnibus Medicis confirmata. Amplius naturalis, & vitalis partus est, cum ad tantam peruenerit magnitudinem, vt amplius contineri in vtero nõ possit, cum deficit alimentum matri, cum fœtus aeris frigidi respirationem postulat, cumque per os nutriri potest. Has affert caussas, ob quas vitalis partus est septimestris, Hippocrates libro huic tractationi dicato. At omnia hæc puellæ contingere possunt primiparæ viro robusto coniunctæ. Primum, quia illa postulat nutrimentum triplici de caussa, tum vt nutriatur, tum vt augeatur, tum tertio vt alat augeatq; fœtum. non potest annos nata 14. puella conueniens pro trib. hisce necessitatibus habere nutrimentum: ideo puer in vtero contentus, accelerat exitum. Secundo vterus non assuetus oneri gestationis fœtus, non potest in prima gestatione distendi ad maiorem capacitatem; hinc calcitrans, manibusq; agitatus, rumpendo pelliculas festinat exitum. Adde maximum adesse robur ipsius, cum sit natus ex viro annum habente trigesimum; valido itaque in sui radice, vt cum Auerroe, & Auicenna loquar, citius vno die, aut duobus, aut tribus, formari potest, citius moueri, ac citius ex vtero exire, ac perfrui cõmoditate frigidioris aeris, & ore sumere alimentum, quod antea sumebat per vmbilicum. Hæc demonstratio Hippocratis, si habet aliquam efficaciam conficiendi puerum septimo mense natum esse vitæ superstitem, hæc eadem de natis sexto mense necessario veritatem habebit. Porro partus sextimestris aliquando abortiuus est: cum scilicet nono mense, aut decimo in lucem editurus, sexto prodit, vel etiam septimo mense perficiundus accelerat exitũ in sexto. Partus naturalis appellabitur vitalisq;, si in fine sexti mensis Lunaris constantis diebus 29. & horis 12. pro quolibet mense, vel prope finem, summam absolutionem acquisiuit: quod in hoc partu contigisse non dubito. Contra nostram opinionem non obstat authoritas Hippocratis, nec aliorum Medicorum, qui contendũt, primum partum vitalem esse septimestrem. Nam quod attinet ad Hippocratem, dico id scripsisse, quod nouerat: at primus nouit septimestrem vitalem, quem inexperti, vt eius verbo loquar, negabant, idcirco huius duntaxat mentionem fecit, relicto sexto, de quo certem, aut ex propria obseruatione, aut obstetricum non habuit. Eodem Hippocratis tẽpore vigere potuisset quæstio, cũ ante ipsum septimestrem nemo receperit. Fateor igitur sextimestrem non cognouisse Hippocratem. At illius computatio, & proportio à generatione ad motum, à motu ad partum, ratioque septimestris necessitatem probans, cogit nos omnino eundem partum recipere. Præterea in iis, quæ fiunt per additamentum, quod vnus non percepit, nouit alter, partum septimestrem constare dicit 182. diebus, & horis 15. Accursius recipit partum dierum 181. Medici quamplures 180. Ego vidi partum dierum 179. & 178. Auicenna libro de animalibus sexto mense natum recipit, quemadmodum etiam Nicolus Florentinus clarissimi nominis Medicus; Imo Ferdinandus Mena, & Francis. Valesius Medici præstantissimi asseuerant, apud Valentinos Hispaniæ populos quosdam inueniri natos quinto mense. Cũ igitur partus huius puellæ sit parum distans à septimestri partu, nempe dierum trium, aut quatuor: vel ex putatione communi dierum sex, vel Hippocratis dierũ octo. Hæcque anticipatio sit naturæ assueta in omnibus fere eius operibus, eædem-

que rationes vigeant in hoc partu, quæ in septimestri: fit, vt sentiam naturalem & vitalem existere partum; quicquid alii dixerint in hac re. Hæc mea sententia est, quam etiam per literas Illustrissimo Cardinali Rosano communicaui. Vale Præsul amplissime, & meorum studiorum Mœcenas optime. Augenius.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER SEPTIMVS.

ALEXANDRO PETRONIO MEDICO. ROMANO.

De singultu singulis mensibus adueniente, Dolore capitis periodico, & maxime contumaci, Nausea, Hysterica suffocatione, & mensium retentione. Pro Matrona illustrißima.



EX hisce literis, quas ad te Illustrissime Cardinalis Legati iussu, dare constitui, Alexander Petroni doctissime, percipies, cur, quæ proposuisti remedia, cum clarissimis Medicis, pro curatione admodum Illustris Dominæ, admittere, nos ipsi præsentes Medici, noluerimus. Oportet quidem, vt nosti, in medendis morbis, non solum communem hominum naturam cognoscere, sed & propriam: quod licet in artis operib. sit difficile, & fortassis, vt alicubi dicebat Galenus, impossibile, qui tamen longo tempore cum ægrotis conuersatus est, ac optime considerauit, quæ secundum naturam, & præter naturam illis adsunt, multo melius ac proximius accedet ad exactam naturæ propriæ cognitionem, quam absentes Medici, qui nihil horum nouerunt. Deinde vero oportet, vt qui recte consultaturi sunt, rem certo cognoscant, quæ totius consultationis esse fundamentum debet. Vos quidem in primis artificiosis ducti coniecturis, ægroti propriam naturam non nouistis. mox haud bene relata fuit vobis historia, ob hasce caussas manus dare nō placuit. Sed vt exactius rem perpendatis, expedire iudico ab historia exordiri.

Illustrissima Domina patitur suppressionē mensium: & iam mensis transactus est decimus: ex qua suppressione multa olim contigerunt incōmoda, quorum quædam euanuerunt, quædam etiam adhuc permanent. hæc quidem fuerunt symptomata, cardialgia, vomitus, vigiliæ, & perturbati somni, contumax hemicranea potissimum anteriorem capitis partem occupans: singultus singulis mensibus adueniens, nausea fere continua, atque ex vtero singulis fere mensibus adueniens suffocatio. Permanent hæc, singultus, hemicranea, nausea, hystericus affectus. Ego horum omnium semper putaui caussam vnicam existere nempe mensium retentionem, quod multis argumentis nunc persuadere conabor. Vnum est, quod nunquam hæc symptomata contigerunt illi, nisi postquam menses suppressi sunt; neq; etiam statim à suppressione vterina, sed tribus transactis mensibus. Aliud est, quod affectus sunt periodici, faciunt enim negotium mulieri, eo potissimum tempore, quo menstrua purgatio repetere debebat. Singultus quidem nunquam inuadit ipsam, nisi eo ipso die, aut parum antea, quo sanguis

ſanguis ex vtero ſolitus erat erumpere: ſemperque ſtatutum obſeruat inuadendi tempus. eo etiam tempore hyſterica ſuffocatio inuadit illā, & capitis dolor exacerbatur. At aliis temporibus nullum percipit illa circa ventriculum (excepta nauſea, quam nunc fere continuā patitur) atq; circa caput incommodum: Quæ manifeſtiſſime ſignificare videntur mihi omnia præter naturā illi aduenientia, à ſolo vteri affectu contingere. Et vero non eſt mirum rem ipſam ita ſeſe habere: cū enim adſit copia in muliere ſanguinis bilioſi, natura pro conſuetudine ipſum expellere ſingulis menſib. deſiderat, cumq; obſtructionis cauſſa, vt dicam parum poſtea, natura voti cōpos fieri non poſſit, ille ſanguis in vteri exiſtens venis, ſuffocationem efficit, qua liberata muliere, ex motu eiuſdem ad ſuperiores partes, aut communicatis malis vaporibus, ſingultus fiunt, nauſeaq; augetur, & capitis dolor inuadit cōtumaciſſimus. Dolorem capitis ex vtero fieri, quemadmodum alia, quæ recenſuimus ſymptomata, multa ſunt, quæ certiſſimam fidem faciunt. Primum, quod dolor capitis ſolum inferre cœpit moleſtiam, poſtquā menſtruæ deſtiterunt purgationes: Deinde, quia ſtatim ab affectu hyſterico liberata, inuadit. Mox, quia nulla apparent ſigna circa caput, quæ primario affectu fieri dolorem ſignificent. Quarto, quia ex affectib. vteri dolorem fieri circa ſinciput, eſt quidem ab Hippocrate memoria proditum, & cōfirmatum ab omnib. Medicis. Videntur hæc mihi longe certiora, quā quod diſcurſum poſtulent prolixiorem. Aliud etiam in rem præſentem venit ſupponendum, hanc ſcilicet menſtruæ expurgationis retentionē omnino eſſe mulieri huic ſelectiſſimæ, præter naturam. Nam annum habet 28. non ſolent quidem ſupprimi ex vtero purgationes, niſi poſt annum 40. quod minimum eſt, nonnullis etiam extenduntur vſque ad 50. Noſtra ægrota bono corporis habitu eſt, & ſanguine abundat feruentiſſimo: eſt enim temperamento calido, & ſicco: incidit in hunc affectum, cum antea ſecundum naturam purgaretur, optimeque haberet, primum ex multis mœroribus, atque curis ex obitu fratris ſibi chariſſimi: eo die, quo mors nunciata fuit, iam cæptæ purgationes, ſtatim ceſſerant. Huic poſtea acceſſit viſcidorum humorum copia, quos ſatis ſuperque accumulauit ex inordinata ratione viuendi, maxime ex vſu alimentorum paſtilium, quibus fuit ſemper mirum in modum delectata. adauxit generationem illorum ventriculi frigida intemperies, quæ, vt olim appetitum ingerebat, ſic poſt multum pituitæ incrementum hiſce temporibus nauſeam facit: licet hæc ipſa foueatur etiam à malis humoribus, ac vaporibus ex vtero communicatis ventriculo. Menſtrua igitur purgatio ceſſauit ob obſtructionem in vteri vaſis factam à ſanguine potiſſimū viſcido, qualem ventriculi cruditatem ſuppeditarunt. ſimulque humorum craſſities aduſtione ob inſignem caliditatem iecinoris genita, concurrit. his etiam addo multitudinem ſanguinis decem menſium ſpatio in corpore cumulatum, maxime in venis vteri exiſtentem, non mediocre obſtructione incrementum facere. Ex obſtructione ſanguis retentus, primum copia efficit ſuffocationem vterinam: deinde vaporibus acribus communicatis tunicis ventriculi, ſtimulantibuſque expultricem, ſingultus fit ex eiſdem ad caput accedentibus, membranaſque in ſincipite fouentibus, gignitur dolor ille moleſtiſſimus. Hyſterica ſuffocatio à ſemine originem habere non potuit; quia viri gaudet conſuetudine, quem etiam vnice diligit, obſeruatque. Exiguo tempore perdurant eiuſcemodi ſymptomata, nam ſingultus, dolorque capitis quatuor dierum ſpatio euaneſcunt, quia natura valida malos illos vapores, tenueſque facile diſſipat, ac tenuitas eorum etiam ſponte diſſolutionem ſubitam adiuuat. At nauſea longiori perdurat tempore, quia fouetur ab intemperie ventriculi, vt diximus, frigida & humida cum humorum viſcidorum præſentia.

Nunc ex rei natura in hunc modū explicata inueniamus remedia: quibus inuentis poſtea de medica agemus materia. Indicantia ſunt obſtructio vteri, retentio purgationis menſtruæ, ventriculi intemperies frigida à viſcida pituita potiſſimum procreata. Remedia ſunt, Apertio, menſtruæ purgationis vacuatio, pituitæ expurgatio, ventriculiq; corroboratio. Primum omnium remediorum

est aperta obstructione vacuare sanguinem in vtero contentum, mox vero reliqua remedia exerceri debeat, sane non videatur mihi alia proponi debere, nec quæ capitis dolorem, nec quæ singultum, nec etiam quæ vterinam suffocationem respiciant: nam fluente sanguine ex vtero, vtiq; omnes cessabunt affectus, illius retentione procreati: nunc materiam ex vestra opinione medicam proponamus.

Vos sanaturi hanc mulierem ita scribitis. Quia magnum imminere illi periculum videmus ex dolore capitis, vbi prius à vestro Medico accõmodata purgatio fuerit repetita, statim secari cephalicam iubeatis dextri cubiti: duobusq; transactis diebus, rectam in fronte venam incidere erit necesse. Atq; multis interpositis de singultus curatione hæc dicitis: Epicerastica remedia optima sunt; sed si assuescat ægrota, syrupo de nenufare, & de papauere maxime iuuabitur: si vero fortassis plurimum vrgere videbitur, philonium persicum ex vino datum drach. j. pondere sanabit illam. Hæc materia est medica, in qua dissentimus: in aliis vero, quæ scripsistis, nihil est omnino controuersum: aut si quid est, ad curationem parum conducit. Primo loco venæ sectio ex cubito suspecta est mihi, quia materia esse non potest alicuius remedii: deinde, quia videtur opposita remedio prius indicato. si præ cæteris ex vtero vacuare voluerimus sanguinem, venæ sectio ex cubito ab vtero non modo non euacuat, sed ab vtero manifestissime reuellit, & sanguinem ad superiora trahit. At vero quid aliud hoc fuerit, quam capitis dolorem, singultum, ac in vniuersum omnes augere affectus ex retentione sanguinis in vtero procreatos? Deinde neque conuenit remedium speciei doloris: nam à flatuoso fit spiritu, aut à tenuissimis vaporibus, qui, vt dixi supra, sponte quatriduo, quod summum est, euanescũt: horum autem esse nequit materia venæ sectio, vt puta quæ solum exercenda sit, vel vbi sanguinis adest multitudo, vel affecta particula fluxione sanguinis tentatur: at dolor hic, nec à sanguinis copia, nec à motu proficiscitur, eoq; magis abstinendum duco, quod scio scriptum esse à Galeno, venæ sectionem cubiti menstruas supprimere purgationes. Porro sectio venæ frontis rectæ, opitulatur illa quidem dolenti posteriorem capitis partem, vt dicebat Hippocrates in Aphorismis: neque prodest in omni capitis dolore posteriori, sed duntaxat in eo, in quo materia continetur supra craneum. at qui intra craneum consistunt, minime iuuantur ab hac incisione, vt longa experientia demonstrauit. Adde, tutum non esse incidere venam, quando sanguis nõ facit exinaniendæ particulæ negotium. Postremo quo tempore secare vultis venam frontis, eo ipso sponte dolor syncipitis euanescit, nam tertio die incipit imminui: quarto autem omnino cedit. Quod vero attinet ad ipsum singultum, suspectus est mihi vsus syrupi de papauere, multo magis Philonii Persici: nam singultus, qui fit ab acribus vaporibus in tunicis ventriculi existentibus, postulant eam, quæ diaphoreticam facultatem habent, vt ex tunicis facilius dissolui possint: quod fieri ab illis non potest, immo multo magis impinguãtur. Certe stuporem inducentia pro curando singultu ab omnibus Medicis, tum antiquis, tum recentioribus commendantur, maxime à Galeno libr. 8. de compos. pharm. sec. loc. vbi proponit pharmacum Asclepiadis, examinatque omnia simplicia ingredientia, inter quæ potissimum opium numeratur. Sed in casu nostro longe distat indicatio: quia aliud est curare singultum per consensum, aliud per essentiam. rursus alio modo quando copiosa affluit bilis, quam vbi eiusdem non adsit affluxio. Postremo, alia est curatio simplicis singultus, alia vero complicati cum aliis morbis contra indicantibus: si enim vera sunt, quæ de natura huius affectus scripsimus, de quorum etiam veritate vos fida relatione eius viri, nunc vobis missa, ambigere non potestis, singultus hic aut nullam postulat curationem, aut certe perquam exiguam, pro conditione alioquin affectuum per consensum genitorum: at certe, in eiuscemodi singultu nemo vtiq; admittet materiam stupefacientem: quæ operam alioquin prestat insignem, vbi copiosa bilis affluit, ex iecinore calidiori, & venis, aut in ciuitate ventriculi ex mali succi cibis genita est. Cæterum in sanandis morbis illud esse debet præcipuum

primum (nisi fallor) mandatum, ne quid noceamus, aut si inferri noxa debet, semper sit exigua, facile corrigibilis, & in collatione ad subsecuturã vtilitatem, paruipendenda. Duo hic sunt affectus, Senex clarissime, qui horum pharmacorum vsum prohibent, vnus est frigida vẽtriculi intemperies cum humorũ crudorum abundantia: alius menstrua purgatio suppressa: vterque affectus plurimum augetur à stuporem inducentibus, noxaq; magna est in vtroq; viscere, ac interim pro sanando singultu nulla sequitur vtilitas. hæ sunt caussæ, quæ me coegerunt, non modo tua non admittere, sed etiam contraria instituere auxilia. Nunc igitur vt consequaris, quibus vtar, ac etiam (nisi meum me decipit iudicium) cum
10 magna ægrotæ vtilitate, breuiter medicam propono materiam.

Prius itaque constitui quindecim diebus, anteaquã tempus aduenia purgationis menstruę, exordiri curationẽ, quia sic putauerim magna facilitate me obuiam ire omnibus incõmodis ex menstruæ purgationis retentione procreatis. die 26. singulorum mensium inuadere incipiunt narrata symptomata, & aliquando duobus anticipat, retardatque diebus, decima itaque Martij expurgabo vias communes ex mellis rosati solutiui vnc. iiij. elect. de dactylis drach. j. s. ex mulsa fiat potio. Mox vero sequenti die sanguinem mitterem ex saphena dextra ad vnc. x. & alio die subsequenti rursus curabo incidi alterius cruris saphenam, eandem sanguinis quantitatem vacuando. Hæc enim venę sectio est materia re-
20 medii indicati: nempe vacuationis sanguinis ex vtero: scio hanc esse Galeni regulam. cum volumus vacuare particulas supra renes, sanguis è cubito mittendus est: cum infra renes ex poplite, aut malleolis. Renesq; ipsos ambigere. Mox vero conarer aliis remediis obstructionem sanare: nam concurrentib. omnibus caussis simul à venæ sectione semper exordiri oportet, Galeni præcepto 11. libro de Methodo medendi. Sed prius totum corpus à pituitæ copia purgandum est, ne pharmacis deobstruẽtibus deducatur illa ad vterum, magisq; inpingeretur, vt Galenus præcepit 6. epidem. & 9. ac 11. methodi. idcirco, si obseruabo ventriculum non bene à pituita expurgatum, vbi tribus, quatuorve diebus continuis à sanguinis missione, exhibuerim. quæ detergunt pharmaca, vt oxym. s. mel ro-
30 saceum, cum portione syrupi de menta, tentabo an facilem habeat vomitum, nam facili existente ante cibum, difficili vero post cibum euomere præcipiam: exhibendo vnc. iij. aquæ mulsæ, in qua seminum vrticæ scrup. j. radicum assari scrup. ij. in puluerem non admodum tenuem redacti, fuerint dissoluti. Si iudicabo non esse tentãdam hanc viam, vel quod ægrota abhorreat, vel quod per corporis aliquam dispositionem nõ liceat, expurgabo per inferiorem ventrem hoc, aut consimili pharmaco. Rec. specierum picræ drach. ij. agarici troch. drac. j. s. diacatholici vnc. j. cum zuc. fiant boli. Vel si potionem voluerit, nec amaritudinem abhorreat, dabo libentissime eandem picram cum vnc. ij. mellis ros. sol. drach. j. agarici troc. & drac. x. diacatholici. Atque dum hisce omnibus incum-
40 bo scopis, victum instituendum curabo optimi succi, sed extenuantem. hac ratione erunt omnia in tuto, nam deobstruentibus, sanguinemque ex vtero prouocantibus pharmacis & internis, & externis vtar in hunc fere modum.

Singulis matutinis ad multos dies potionem, ac electuarium præscriberem eiusce modi. Recip. betonicæ, melissæ, artemisiæ, calamintæ, rutæ, ac mentæ, an. m. sabinæ man. s. ligni indici præparati vnc. j. coquantur in melicrati dilutissimi, & non plene cocti, lib. duabus ad tertias, in iuris collati libram macera horis decem, comatum absinthij vnc. ij. erit hoc decoctum in duas doses, tum postea decoctionis huius. Rec. vnc. viij. syrupi è matricaria oxym. s. an. vnc. j. s. capiat calidum horis quinque ante prandium. Sed antequam sumat syrupum, præstiterit
50 immediate bolũ accipere sequentis electuarii. Rec. Theriacæ diatessaron nuncupatæ vnc. s. specierum trociscorum de mirrha drac. j. cum syrupo de artemisia fiat oppiata, capiat ante syrupum bolum vnũ ex drac. vna factum. Vbi vero iam prope videbitur tempus accessionis horum symptomatum quatuor aut quinque diebus, tunc quidem loco electuarii suprascripti soleo vsurpare bolum ex drach. ij. specierum picræ ex melle rosato: vtorq; ad quinque, aut sex dies con-

tinuos. atque tunc insisto remediis externis, tum ex chirurgia, tum ex pharmaceutica petitis. Ante cibum frictione adhiberem cruribus, & coxis, cucurbitulas internis partibus coxarum citra scarificationem imponerem: Pessarium inderem, atque insessionem indicerē ex aqua calida, qua coxerint amaracus, betonica, stechas, flores camomeli, ac meliloti, violarum, melissa, sabina: ac ea insedēte in aqua, & pessarium retinente datem & syrupum, & bolū. Vbi vero ex balneo erit egressa, tunc emplastrum ex galbano applicarem ventri inferiori. His quidem dubio procul putarem sanguinem ex vtero fluxurum. at vero si neque tum succedat, sequenti mense Aprili eadem victus ratione obseruata, ac aliis deinceps, exceptis Iulio & Augusto, pituitæ purgationem tentarem vel per superiorem, vel inferiorem vētrem, vel per vtrunq; abstinerem à sanguinis missione: ac reliquis omnibus vterer externis, & internis, nec dubito, quin sit honestissima, & illustrissima Domina hisce remediis pristinam sanitatem consecutura. Volui hæc ad te scribere copiosius, ac distinctius, non vt sus Mineruam, sed quia Illustrissimus Cardinalis ita iussit, vt scriberem, cui erat omnino satisfaciendum. Ex montibus Cingulanis prima Martii, 1570.

IOANNI FRANCISCO SANCTIO CINGVLANO.

De vrinis, ac deiectionibus colliquatiuis. De generibus febrium colliquatiuarum.

Tuis nunc, cum antea ob occupationes non licuerit, respondeo. Quod à ciuibus Rochæ contratæ ad Medicinam faciendam vocatus fueris, gaudeo plurimum: id enim tuo factum est merito. Spero gauisurum posthac magis, cū tuos non in ea modo ciuitate, sed in toto Piceno bene fortunatos progressus intellexero. Quod de Valterio Tolentinati scribis, non bene consequor. Nec quale sit, quod de infamia illius ser Arrighi, quid sentiam, scribam, vbi nouero.

Cur Altimari sententiam de vrinis colliquationem indicantibus in febribus hecticis non admittā, licet alias explanauerim tibi, nunc rursus doceo. Contendit ille nullum certum signum ab vrinis sumi posse pro febrium hecticarum cognitione, propterea, nec Hippocratem, nec Galenum de febrium harum notitia tractantes, aliquam vrinarum mentionem fecisse. Ego vero cōtrarium censeo. Vrinas quidem pinguedinem præseferentis telis araneorū similes in superficie potissimum existentes, aut guttulas olei, semper aliquam significare colliquationem, certissimum est. Possunt autem significare colliquationem rei pinguis: quod enim nullam in sese continet pinguem humiditatē, id pati colliquationem, non ita facile potest. Pinguedinem habent sanguis venarum, renes, corpus totum. ergo vrinæ colliquatiuæ significabūt absumi adipem pinguedinemve, aut sanguinis, aut renum, aut totius corporis. distinctionem autem adhibere sic oportet. Copioso sanguine in venis existente, optimoque cocto, in sanis corporibus vrinæ apparent, in quibus adsunt quædam nubeculæ supernatantes, veluti quod in summo lacte colligitur (vt Galenus inquit libro quarto, de sanitate tuenda) quod à græcis γραῦς dicitur. ei admodum simile, quod in summo perfrigerati iuris concreuit. Habere sanguinem pinguiorem hanc partem experientia ostendit in sanguine extracto in venæ sectione: constat etiam cum sanguinis sero eiuscemodi pinguedinem aliquando educi, cum præsertim maxima illius copia in venis continetur. Ergo, si hic sanis corporibus accidat casus, citra dolorem, ardoremque aliarum partium, ac paulatim in plectoricis corporibus, iam certi erimus, à venenoso genere id proficisci colliquamentum. Quod si fiat subito, & affatim, ac renum adsit ardor, dolor, aut grauitas, id eueniet renum vitio, colliquato scilicet illorum adipe. At vero, si febris adsit, ac vrina tale præbeat signum, indicabitur necessario febris hectica, aut complicata cum putrida, aut simplex. Sunt enim quædam putridæ febres colliquatiuæ nuncupatæ, ardentissimæ illæ quidem natura participantes febrium putridarū, hecticarumque. quatenus enim calor vehementissimus humores putrefacit, vocantur putridæ: vt quatenus vltro progrediuntur colliquantes totius corporis pinguedinem, natura par-

venoso

tura participant hecticarum. est enim vt nosti, adeps, & pinguedo pars solida corporis, vt Galenus etiam primo de febrium diff. docuit. Hæc febris dici nequit simpliciter putrida, quia corporis habitum inuadit, nec simpliciter hectica nuncupabitur, quia humores venarum putredinem patiuntur. Notari tamen velim, quòd quamuis hæ febres ambigere videantur, colliquatio tamen non accidit illis, quatenus putridæ, sed quatenus hecticæ. De his putauerim Galenum 10. meth. med. scripsisse, cum ait:

Verùm de colliquantibus febribus disserere in posterum licebit, ęquè, vt de iis hecticis febribus, quæ in pestilentiis contingunt, cuiusmodi ea est, quæ nunc 10 publicè grassatur: dicetur namque, & de hac inter pestilẽtes febres. Reliquarum verò tum hecticarum, tum, quas marasmodes vocamus, abundè mihi sanationis methodum tradidisse videor] hactenus ille.

Hic vides Galenum meminisse febrium colliquantium, quæ distinctam habent naturam tum ab Hecticis, tum à pestilentibus: pollicitumq; fuisse postea tractaturum: quod tamen, num præstiterit, in commentariis ad vndecimum Methodi demostratum mihi fuit.

Secundo potest contigere eiuscemodi colliquatio in febribus pestilentibus, quæ simul ac semel hecticæ sint. Omnis enim pestilens febris originem habet, ex putredine internarum substantiarum cordis, vt iam declarasse memini in 20 libro de pestilentibus febribus: at si contingat cordis corpus inuadi à calore corruptiuo, est simul febris hectica. de hac febre sic scriptum reliquit Galenus libro 3. de præsag. ex pulsib. cap. 4. Inspicienda porrò præ cæteris vrina est: etenim conturbata quorundam esse videtur, & aquosior: ac nonnullis multo, quàm pro natura tenuior: præsertim sublimamentis animus est adhibendus, nã quædam subliuida quodammodo sunt, fiunt & item alia, quæ araneæ latas telas referunt in modum lanę congestę.] Ex hoc loco manifestissimè colligitur, in febribus pestilentib. hecticis, quædam signa indicare putredinem, vt vrina perturbata, aquosa, tenuissima, sublimamentum liuidum: quædam hecticã febrẽ, colliquationẽq;, vt eadem vrina, in cuius superficie appareant, veluti telæ aranea-30 rum. Postremo in simplicibus hecticis idem contingere nunc demonstremus. Calor igneus solidas inuadens corporis partes, quemadmodum colliquare carnem potest, ita poterit dissoluere, & eliquare adipem: imò hunc multò facilius liquabit, quia tum inflãmabilior, tum dissolubilior est. Quẽadmodũ igitur substantiæ huius liquatę portio per aluũ expurgari potest, cur portio etiã purgari per vrinas non poterit? atque, si hoc admittamus, quod rationi consonum est, & experientia ostendit quotidie contingere, cur beotica febris, gradus potissimũ secundi, siue in augmẽto existens, hoc in vrina signũ habere non poterit? Haud ab re dixi in hecticis gradus secundi, hasce vrinas fieri conspicuas: quia nũquam in primo gradu, nunquam in tertio cõtingunt. Non quidẽ in primo gradu, quia te-40 nues illę humiditates efferuescentes, vaporis specie dissoluũtur: propterea, si aliqua in his adest colliquatio, vtique insensibilis est. In tertio gradu nihil ferè adest sensibiliter colliquandum ob magnam siccitatem partium, quæ verè solidæ sunt. Colliquatio duntaxat accidit in carne, & adipe: quæ duæ partes hecticæ febris constituere incrementum, demonstratum mihi fuit in iis, quę de febribus scripsi. porrò cum inuaditur adeps sensibilis fit liquatio, vel per ventrem, vel per vrinas, vel etiam per sudorem. cum verò caro, sensibilis liquatio non est, sed fit vaporis specie. proprium igitur erit, ac inseparabile signum hecticæ febris augescentis, in qua iam pabulatur calor adiposum genus, vrina colliquationem indicans. Quæ de membranosa substantia, fibrosa, neruosaque diximus, & de 50 carne, ea quidem Galenus lib. deci. de methodo medendi cõfirmat his verbis.

At verò nec fibrosa, nec neruosa, membranosaue natura eandem generationem habere cernitur, nec par est eiusmodi singularum partiũ fibras à malignis febribus liquari, veluti carnes: quoniam animal ipsum, priusquam hæ prorsus sint siccatæ, interimerent, Sanè sunt, & quas marasmodes febres vocant, vniuersæ ex earum genere, quæ colliquant: sed in eo differunt, quod quæ portio

hectica.

carnis in his colliquatur, ea semper vaporis vice digeritur, in illis defluit in ventrem. hæc ille.

Ex quibus notabis differentiam inter ardentem colliquatiuam, & marasmodem. quia ardens, carnem sensibiliter in ventrem liquat. marasmodes verò insensibiliter. caussæ differentiæ est duplex: vna caloris qualitas, alia carnis conditio. calor adurens subito, & violenti quodam motu adurendo solidas partes, ex illis liquationem facit sensibilem: calor temperatior paulatim agens, sub specie vaporis id facit. caro verò, in quibus est pinguior, tenerior, humidiorq; sensibiliter liquatur: in quibus est arida, ac dura minimè, vt experientia ostendit in carnibus, quæ in craticula torrentur: suis enim agresti caro nullam, aut perquam exiguam habebit sensu perceptam liquationem: domestici autem, ac cicuris magnam, vt Galenus docet loco citato.

Si petieris, quomodo distinguatur colliquatio in vrina apparens in hecticis simplicibus, atque in pestilentibus, ardentibusque. Dico id cognosci, ac distingui quantitate colliquationis: nam in his quidem longe maior visitur copia, tum quia corpus humidius est, tum quia actio caloris multo vehementior: in illis verò, contrariis de caussis multo minor: siccius enim corpus est, & caloris facultas mitior. Iam igitur quid in hac re sentiam, explanaui.

Nunc recenseamus breuiter quid hac in materia censeat Altimarus, nam ex vtriusq; opinionis collatione constabit veritas. Putat ille ex vrinis nullum sumi signum in hecticis, quod illarum sit proprium aut inseparabile, aut proprium & inseparabile simul, quod probat ratione duplici. Prima, quia nullibi, aut Hippocrates, aut Galenus meminerint signi huius, dum agunt de febribus hecticis. Secunda, quod nec ex substantia, nec ex contentis, nec ex colore vrinarum aliquid certi sumi potest. Non ex substantia, quia huius varietas accedit ex varietate humorum in venis existentium; atqui hecticæ febres nō cōsistunt in ipsis humoribus, sed in partibus solidis. Non sumitur ex contentis, quia sedimentum ipsum est pars humoris putrefacti in venis: at hecticæ non supponunt putredinem in humoribus, sed ex calore solidarum partium pendent. Tertiò neque ex colore, quia vrinarum color attestatur humores in venis contentos, à quibus inficiuntur. quod habere locum non potest in hecticis febribus.

At multa sunt Sancti, quæ hanc opinionem non esse veram facilè ostendunt. Horum primum est, si statuamus, neque Hippocratem, neque Galenum meminisse vrinarum in hecticis, non propterea debemus affirmare eiuscemodi signum, vt proprium, non esse admittendum. Quia scientiæ, artesque ipsæ per additamentum fiunt, vt idem Hippocrates testatur libro de arte, & Aristoteles in præfatione Metaphysicę. sic profectò frequenter aberrant, qui sectis addicti sunt, audias quæso, quid Galenus aliquando de his hominibus dixit. Adeo indelebile malum est, eluique non potest ista circa sectas ambitio, ac scabie quadam ad sanandum rebellius. & parum postea. adeo (inquit) qui sectis istis sunt addicti, non solum nihil norunt rectè, sed ne discere quidem dignantur. Heus igitur Altimare, id Galenus non dixit, an propterea falsum est? an propterea à Galeni, & Hippocratis doctrina alienum? Sed ostendemus vtrumque meminisse. Secundò, alia eius ratio non consistit. cum enim ait, nullum sumi certum signum posse ab vrinæ contentis, id falsissimum esse dicimus: quia pinguedo natans in vrinæ superficie, quæ vel olei guttulas, vel latam aranearum telam repræsentet, eiuscemodi signum proprium est, ac inseparabile simul hecticæ secundi gradus, cum scilicet colliquatur adiposa substantia. nam inest omnibus hecticis secundi gradus: dein verò inest solis, quia nūquam id contingit in primo, ob tenuitatem substantiæ, nunquam in tertio gradu ob subiecti siccitatem.

Perquiramus nunc, quid Galenus, & Hippocrates dicant. Ille quidem primo ad Glauc. ait: Maxima signa sint omnium febrium, & pulsus & vrina, idē etiam

iam alibi repetit: cur igitur ab vrina nullum sumere licebit signum harum febrium proprium. Dicebat etiam in primo de crisibus. in omnibus febribus (quoniam venosi generis affectus sunt) ad vrinas præcipue attendere oportet. Vidit Altimarus hanc difficultatem, ab ea tamen sese extricare non potest. Tres enim solutiones affert. primum dicit, Galenũ loqui solum de febrib. ephemeris, & putridis, non de hecticis, sed de omnibus loqui eius verba, & ratio manifestũ faciũt. Verba quia in omnib. (ait) febrib. ratio, quia dicit: Febres affectũ esse venosi generis. atqui omnẽ febrẽ esse eiusmodi, nemo quidem est, qui ambigat. Secũdo dicit, loquitur de vrinis in respectu ad venosum genus, queãdmodũ de sputis in relatione ad difficultatẽ respirandi: quocirca vrinas præcipuè attẽdere oportere præcipiebat pro cognitione eorũ, quę intra venosum genus cõtinẽtur, & non propriæ substantiæ venarũ, atq; arteriarum, qua ratione dici etiam posse contendit hecticas febres nõ esse passiones venosi generis. Hæc solutio indigna certè est Altimaro: quia non minus hectica quàm ephemera venosi generis passio est. si.n. affectus venarum est febris in relatione ad ea, quæ continentur in venenis, febres putridæ intermittentes non pertinebunt ad venas, quia nihil intus adest, quod ad essẽtiã illarũ pertineat. Ephemerę etiã huius sunt ordinis, nãq; in venis nihil adest, quod proprium esse ephemerarũ debeat: coctio.n. in vrinis prima die apparens non indicat ephemeram, eo modo, quo expuitio indicat affectus thoracis, tamen propriũ signũ, atq; inseparabile censetur. Sed in hunc ille errorem venit, quia ignorauit quomodo febrib. sit venosi gneris affectus: sibi nõ est incognitum, quid meis libris de febris de hoc argumento scripserim. Postremò dicit: In febribus hecticis attẽdẽdas esse vrinas, vt in aliis ferè morbis omnibus, nõ vt propria, inseparabiliaq; signa. Sed quia bonæ bonum, malæ verò malum indicant, vt Galenus dicebat 3. de morb. vulg. sect. 2. cõ. 6. his verbis: Atqui vrinas semper memineris, vt inspicias in ventris affectibus, thoracis, pulmonis: nam bonę si appareant, multum valent ad salutem: contra, si prauæ, amplificant simul ægri periculum. hæ ille. Sed neque hæc valet solutio. quia Galenus vult vrinam, & pulsum, vt maxima signa febrium inuestiganda, non tanquam omnium morborum communia, vt ille docuit primo ad Glauconem. Adde quod nunquam vrina proprium esset, ac inseparabile signum, si vrina foret cõsideranda in omnibus febribus, secundum hanc duntaxat rationem: at verò contrariũ Galenum scipsisse constat, primo de feb. diff. secundo de crisibus, & primo ad Glauconem. hactenus abundè videor mihi tradidisse hunc locũ esse irrefragabilẽ. Accedo, Sancti, ad examen alterius loci. is est, quem supra attulimus ex tertio de præsagione ex pulsibus, cap. 4. quem locũ nititur Altimarus dilucidare, cũ tamen interim obscuret. Fatetur quidem ille in febribus pestilentibus hecticis in vrina apparere eiuscemodi colloquationis signum: at in hecticis absolutis id omnino negat. Quantum huic afferat loco obscuritatis Altimarus, nunc manifestum facio. Signum hoc colliquationis in vrina, aut conuenit omnibus pestilentibus, aut quibusdam: dici non potest conuenire omnibus, quia non cõuenit putredini sub propria ratione putredinis: atqui omnes pestilentes in putredine consistunt, erat enim (dicebat Galenus) illarũ summa putrefactio. Deinde, quia Galenus agit ibi de febribus pestilentibus hecticis. Tunc petierim quomodo cõueniat hoc signum hisce febribus, si non conuenit quatenus sunt pestilentes. Velit nolit, respondere cogitur, cõuenire, quatenus hecticæ sunt. Ergo de ratione febris hecticæ, vt hectica est, vrina signũ præbet colliquationis. Amplius solidarum partiũ colliquatio fieri non potest, quin calor præter naturam excalefaciat solidas partes, ac tenacissime, vt habitus quidẽ illis inhæreat. hoc verò nihil aliud est, quam febris hectica. Memineris calefactos spiritus, ephemeram: humores calefactos, putridã: solidas partes calefactas cõstituere hecticã. Cũ itaq; Galenus admittat solidas partes in hisce pestilentibus liquari, hocque hecticis duntaxat conueniat, vrina colliquationis huius signum præbens, proprium erit hecticarum febrium.

De Galeno satis: Nunc ad Hippocratem. Extat locus in libro secundo Pro-

gnoſticorum, in quo ſic habet. Si pinguedeſuper natans araneorum ſpeciem re-
ferat, damnandum eſt, indicat enim conſumptionem. Hanc ſententiam non in
eo duntaxat commentario Galenus cõfirmat, ſed etiam ſeptimo aphor. 35. dum
ait: Siue alui excrementum, ſiue vrina pinguis fuerit ex colliquatione adipis fit,
non magis in renibus, quàm in toto corpore exiſtentis. Certiſſimum eſt in hiſce
locis agere Hippocratem, & Galenum de cognitione febrium per vrinas. cũ ve-
rò eiuſcemodi vrinæ colliquationem ſignificantes non habeant aliquam ſigni-
ficandi vim in putridis, ac ephemeris, omnino conſequitur ſolum in hecticis ha-
bere locum. Reſpondet Altimarus, hoc veritatem habere ſolum in ardentiſſi-
mis, & malignis febribus, in quibus caro ſenſibiliter liquari apparet à calore 10
igneo per inferiorẽ ventrẽ. at minime quidem in hecticis contingere etiam ta-
bidis: quia caro in his colliquatur certè, ſed nõ apparet ſenſibilis colliquatio ob
ſiccitatẽ corporũ. Hæc quidẽ ille. In quibus neque etiam Galeni ſententiam aſ-
ſecutus videtur mihi. Primum, quia non animaduertit ſolidas partes non poſſe
colliquari, niſi fuerint excalefactæ, quod eſſentiam complectitur hecticarum, vt
ſæpe dixi. at in febribus hiſce ardentibus, ac malignis, ſi fuerint ſolum putridæ,
ſolidæ partes nõ ſunt excalefactæ, ſed excalefiunt. Deinde, quia Galenus in de-
cimo methodi medendi nunquam negauit ſenſibiliter colliquari poſſe in hecti-
cis, pinguedinem, ſed ſolum carnem. Ratione maxime conſonum eſt carnes a- 20
ridas, & ſiccas colliquari vaporis ſpecie: adipem verò ſenſibiliter. at quia adeps
etiam in hiſce corporibus exiguus eſt, propterea colliquatio adipis non aparebit
illa quidem per ventrem, ſed ſolum per vrinas, in quibus aut olei guttulas repræ-
ſentat, aut telam araneorum. At caro in ardentiſſimis febribus ſenſibiliter liqua-
tur cum ſit humidior, & pinguior, quam in ſimplicibus hecticis.

De Febrium colliquatiuarum differentiis.

PRROXIME huic diſputationi ſuccedit, quam ſecundo loco de colliqua-
tiuis propoſuiſti febribus: Cogor hic tibi ſatisfacturus quædam ex meis lu-
cubrationibus de febribus in hunc locum transferre. Dico igitur differẽtias fe-
bris colliquatiuæ à duobus ſumi poſſe, nempe ab ipſis febribus, & à materia quæ 30
colliquat. Febrium autem tres inueniuntur differentiæ. Quędam ſunt colliqua-
tiuę ardentes non peſtiferæ: Quædã colliquatiuæ nuncupãtur peſtilentes, Quę-
dam poſtremo colliquatiuæ duntaxat hecticæ. Harum natura ſic habet.

Febres ardentes colliquatiuę ſunt, quas concitat caloris præter naturam ſum-
ma vis, humores non putrefaciens modo, ſed etiam ſolidas particulas inuadens
abſumensque. maius faciunt negotium ardore, quàm putredine, quæ alioquin
neque multa eſt, neque ſordida: calor verò adeo intẽſus eſt, vt ferè naturam ad-
æquet ignis: accidunt in gracili corporis habitu, vbi humores exiſtunt tenues,
facileq; diſſolubiles. Porrò hę febres duorum ſunt generum. Quædam enim ha-
bent inſenſibilem colliquationem, quædam verò ſenſibilem. Inſenſibilis quidẽ 40
adeſt colliquatio, vbi humores tum primarii, tum ſecundarii ſunt maximè tenu-
es, corpus apprimè rarum, ac diſſolubile, igneaq; caliditas ſummum ferè attin-
git caloris gradum: de his quidem locutus eſt Hippocrates primo libro Progno-
ſticorum ſtatim in principio, cum ægrotum deſcribit, faciem habentẽ colliqua-
tionis, imò mortis ſimulacrum, dum ait: Fuerit autem eiuſmodi facies; Naſus
acutus, caui oculi, tempora adſtricta, aures frigidæ, contractæque, & fibræ earũ
verſæ & item cutis circa frontem dura, intenta, arida, & color totius vultus viri-
dis, aut niger. De eiſdem etiam febribus locutus eſt Hippocr. lib. 2. aphor. 28. li-
cet aphoriſmi ſentẽtia, quod pertinet ad totius coporis liquationẽ, vniuerſalior
videatur cõplectẽs omnẽ extenuationẽ corporis. Aliud prętere a harũ febriũ ge- 50
nus eſt in quib. colliquatio ſenſibilis eſt per inferiorẽ vẽtrẽ, p vrinas, p ſudorẽ et
aliquãdo: de quibus Galenus apertiſſimè locutus eſt 10. meth. c. vlt. de feb. diff. c.
8. 3. epid. ſect. 3. c. 34. & 3. de rat. vic. in morb. acur. com. 12. & 13. fit. n. mentio in
hiſce locis omnib. ſenſibilis colliquatiõis. 10. meth. p vẽtrẽ, vt 3. acutorũ, & epi-
demiorũ, vbi potiſſimũ notãda eſt differẽtia inter ardẽtes febres, & ardẽtes col-
liquatiuas: illæ. n. à duob. cõſtituũtur ſignis patognonomicis, nẽpe calore maxi-
mè vrẽte & ſiti imcõpeſcibili. at neceſſe nõ eſt aluũ humidũ fieri, redereq; excre-
men-

menta colliquationẽ significantia: hoc certè proprium est colliquatiuarum quę etiam calorem, vt plurimum mitem habent in relatione ad alias ardentes: propterea dicit: Sic.n.quamuis non perinde sitiant ægri, neq; valde exurantur, per totum autem morbum dicta duo sint symptomata, febris ardens esse dicetur morb. Existetq; alia febris hac calidor, ita vt corpus fundat, reddatque deiectiones biliosas, & colliquatiuas. sed non appellabitur ardens febris, nisi adiuncta perpetuo habeat per totum morbum paulo ante commemorata duo, irrequietam sitim, quantumlibet biberint, ac iniucundum, & ardentem, fastidiosumq; calorem. hæc ille. De colliquatione carnis per sudorem scribit Galenus lib. 3. de caus. sympt. c. 2. eius verba sic habent. Si autem quod liquatum est, crassum sit, qualeq; renes trahere non possunt, totum in ventrem necessario confluit. Carnoso verò generi ita colliquato tum vẽter fluxionem eius recipit, vbi scilicet ea est crassior, tum sudores multi superueniunt, vbi in halitus est resoluta. atq; hæc quidem de carnis colliquatione, tũ sanguinis ad præsens satis. Dixerat autẽ parum supra. Quod autem ex ea colliquatione prouenit, alias ad ventrem confluit, alias ad vrinas, alias ad sudores pellitur. Hactenus docui duo esse genera febris ardentis colliquatiuę, & quibus vtraque signis deprehendatur

Alia est species colliquatiuæ febris, quam Galenus pestilentem vocat. hæc eâ est, quæ habet colliquationem sibi annexam tanquam proprium, & inseparabile symptoma, de qua Galenus hoc modo scribit 2. epid. sec. 3. com. 57. & pestis quoq; ille longissima, quæ nostra ætate vulgata est, ex iis, quæ per aluum vacuatur, omnes propè peremit. quæ vacuabantur, erat colliquatio, quod quidem esse symptoma videtur in perpetuũ febris, quam pestilentẽ priuatim vocitant cum mortales vel citra pestem corripiat. Porro pestilentes febres duorum sunt generum, quędam absoluto nomine pestilentes vocantur, quędam pestilentes hecticæ; vt Galenus distinguit lib. 3. de præs. ex pul. cap. 4. illæ quidem ex corruptiua constant putredine humorum, quos sinus cordis continet: hæ verò ex putredine cordis corpus inuadente, propterea sunt pestilentes, ac simul hecticæ. pestilentes, quatenus habent sordidam putredinẽ: hecticæ verò quatenus solidæ etiã partes occupãtur. colliquatio nõ est in omnib. pestilentibus, sed in iis duntaxat, quæ sunt hecticæ, quia colliquatio solidarũ partiũ carnis potissimum, & adipis supponit calorem igneum esse in solidis partibus habituatum. Tertia species complectitur febres hecticas, in quibus semper adest, vt prædiximus, colliquatio; aliquando insensibilis, & aliquando sensibilis, in primo, ac tertio gradu semper fit colliquatio vaporis specie: in secũdo gradu cum adeps colliquatur sensibilis aliquando apparet, cum autem caro, vt plurimum sensum latet.

Cæterum quod attinet ad materiam, quæ colliquatur, hæ febres suas etiam habere possunt differentias. Quod colliquescit, aut est sanguis, qua potissimum parte habet pinguedinẽ, de qua colliquatiõe scribit Galenus lib. 3. de caus. symp. c. 2. ab huius putredine colliquationi iuncta febris non vocatur colliquatiua, sed vel ab humore sanguinea, vel ab inuasionis modo, motuq; synochus. Vel quod colliquatur est adeps, aut caro, vel humiditates secundæ. tũc secũdarii humores vaporis specie colliquantur. caro aliquando sensibiliter in febribus ardentibus, aliquando insensibiliter in hecticis. Adeps verò semper sensibiliter liquatur. Magna soluenda est hoc loco dubitatio. ea est, quod dixerimus febres oẽs colliquatiuas hoc nomẽ fuisse sortitas, quod solidæ partes colliquationẽ patiantur: at si hoc veritatẽ habet, sequuntur duo: alterũ oẽs hecticas nũcupari debere, quod scilicet in omnib. dissoluatur, atq; liquescat habitus corporis: secundo sequetur, Galenum malè fuisse de deiectionibus colliquatiuis locutum. nam ait illas biliosas esse, meras, croceas, nonnunquam albas, vt scriptum reliquit 3. epidem. sect. 3. commentario trigesimoquarto. & tertia acutorum 13. & primo de crisibus 11. ac tertio prognosticorum 21. porrò hæc non indicant solidas partes colliquari, sed humores. Respondeo, quod quantum ad primam partem huius difficultatis admitto eiuscemodi febres omnes hecticas dici: sed certè non sunt hecticæ simplices, sed cum putridis complicatæ, quemadmodum in principio huius discursus admonui. De secunda verò dubitatione dico omni=

no fieri colliquationem solidarum partium: est de natura harum deiectionum, primum quod sint pingues, quia potissimum pinguedo funditur: deinde sunt leues, glutinosæ, corpulentæ, ad differentiam deiectionis aquosæ, ac serosæ, qualis apparere solet in cholera, ac aliis alui deiectionibus, quæ vt Galenus refert, non significat colliquationem. hæc semper materiam supponit glutinosam, & corpulentam. Tertio esse debent fœtidæ plus, aut minus prout magna erit putredo: de his ita Galenus loquitur tertio epidemiorum sectione tertia, commentario septuagesimo quarto. Nam calor est feruentissimus, qui carnem fundit: moderatior, qui pinguedinem, nempe, & colliquationes, quæ per ventrem excernuntur, putant omnes Medici à pinguibus deiectionibus distare. In peste quidem longissima nostræ ætatis colliquationes cuncti propè excreuerunt, quidam mere fuluas, quidam moderatius, omnes certè putridas. Verùm enimvero hæ excretiones lethales sunt, nec tempus perferunt. libro 2. prog. 21. ait. At verò leue quidē redditur, quicquid corpore excernitur, aut quod habeat æqualem concoctionem, vt nulla eius pars effugerit naturæ alternationem, aut propter vehementem consumptionem, vt nulla materiæ pars imperpessa supersit. vt igitur quicquid bonum est, id omne melius est, quoteis æquale sit: sic quod malum est, id omne euadit deterius, si æquale existat. vtrumque enim per omnem materiam apparet, quæ aut naturæ cōputum recepit, aut turpitudinem prauitatis. Cæterum vt lentor sæpe numero fiat in iis, quæ iam calefacta admodum sint, perspicuum est. interdum vehemens consumptio deiectiones glutinosas in vniuersum facit, sed tales admodum graueolentes sunt: ita enim interstinguūtur ab humoribus crudis, quippe qui graueolentes non sunt. hęc ille. Ex quibus multa colligo, primum deiectiones pingues licet significent colliquationem pinguedinis, tamen propriè nō appellantur deiectiones colliquatiuæ. Secundo colliquatiuas deiectiones propriè significare carnis colliquationē. Tertio pinguedinem liquari à calore mitiori: carnem verò à calore vehementiori. Postremo deiectionem glutinosam fœtidissimam indicare colliquationem solidorum corporum, testimonio Galeni libro primo de crisibus cap. vndecimo. si tamen aliquando fibræ, mēbranæ, ac aliæ partes verę solidæ eiusmodi pati affectū valent: ego enim id duxerim esse impossibile viuēte animali. legito Galenum decimo methodi medendi cap. vltimo.

His in hunc modum suppositis pro solutione secundæ dubitationis dico, deiectionem biliosam, ac pituitosam duobus modis nuncupari: vno modo, quod re vera tales existant, vt quotidie in vomitu, ac in diarrhoea obseruamus: alio modo, quod sint per similitudines, tales, nempe vt solo colore eos referant humores: sic enim Medici vocare solent deiectiones biliosas, quæ sunt chloræ idest pallidæ, aut virides: pituitosas verò, albas. Colliquationes igitur aliquando albæ, & glutinosæ apparent, vt ait Hippocrates 2. prog. 21. quod recens pinguedo dissoluatur, quæ res fit à calore moderatiori: hinc quia illa pinguedo est alba & glutinosa, quod liquatur, album, & glutinosum apparet. Sed si illa pinguedo fuerit antiqua, & putredine affecta, ac vt ita dicam, rancida, vtique mutat colorem: fit enim subcrocea, & subviridis, propterea agenti calore maligno, ac vehementiori (nam vetusta non sic facile liquatur pinguedo ac recens) quod dissoluitur croceum est, ac subuiride aliquando: atque ob similitudinem, quam cum sincera bile habent, biliosæ nuncupari solent à Galeno, tertio acutorum duodecimo, & tertiodecimo, ac etiam alibi. Rem in hunc modum sese habere Galeni verba confirmant, secundo prognosticorum commentario vigesimoprimo. in quo declarat, cur colliquationes sint albæ, & glutinosæ, croceæ, ac virides. Dictio illius sic habet: Duplicem hoc loco deiectionum formulam docet ambarum euenientium propter absumptionem: Dissentientium verò inquantum exigua, ac glutinosa, candidaque deiectio pinguedine absumpta ab igneo calore, non tamen vehementer maligno efficitur. Subcrocea verò ac leuis absumpta quoque pinguedine consistit, sed aut propter caliditatem vehementiorem, aut quia pinguedo ipsa vetusta, ac veluti semiputris

mi putris existat, itaque exterior non solum pinguedo, sed etiam sepum mutare spatio temporis priorem calorem, ac perspicuè subcroceum reddi, perspicitur. Si vero subuiridis sit, de rubiginosa bile (id enim vt antea dictum est secundum voculæ chloras id est viridis, ac croceæ significatum est) vehementis consumptionis indicium est. hæc Galenus. Ex his videor, Sancti, satis explicuisse, quæ desiderabas ex me scire, de febribus hecticis, de colliquatiuis tum pestilentibus tum non pestilentibus, deque differentiis colliquationis: reliquum est, vt ea dilucidem, quæ ad putredinem pertinent, de quibus agam, cum maius dabitur otium. Cura, vt valeas; ac meo, & Domicillæ nomine, Iuliæ coniugi salutem plu-10 rimam dicito. ex montibus Cingulanis 12. Martii, 1570.

EIDEM.

De oris tortura in adolescente gracilis habitus, & resolubilis, calido ac sicco totius temperamento prædito, Responsum.

EX Famulo intellexi, Iuliam coniugem tuam peperisse filium, vix dici potest, quàm Domicilla, & ego gauisi fuimus. Deus optimus Maximus conseruet illam tibi, vt sit tanquam vitis abundans in lateribus domus tuæ, & filii tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Dedit postremas literas 20 Marcus Antonius Rogerius in ipso itinere ad Sanctissimam ædem Diuæ Mariæ Lauretanæ Virginis, propterea statim non rescripsi, nunc verò statim reuersus meo munere perfungor.

Duo sunt, quæ non parum suspecta sunt mihi in curatione nobilissimi adolescentis. Vnum est decoctum ligni guaiaci: aliud est cauterium in vtroque brachio. Decoctum illud, duplici nomine displicet mihi: primum ob insignem caliditatem, & siccitatem ligni, vereter ne in toto corporis habitu ignea imprimeretur caliditas, ex qua postea tabe consumptus moriatur: atque eo magis hoc vereri oportet periculum, quod scribas calido, & sicco temperamẽto præditum esse, habitumque habere gracilem, & maximè resolubilem. Au-30 getur præterea eiuscemodi suspicio, quod ex iis parentibus natus est, qui ad tabem procliues sunt; arbitrorque te recordari, quid huic familiæ annis præteritis contigerit. Secundo ab vsu decocti huius metuo plurimum ob ætatem ægroti: nam vix pueritiam egressus annum agens decimum sextum, humiditate multa indiget, qua augeri & conseruari possit: at hoc decoctum minus propere humorem substantificum absumens incrementum naturale impediret.

Cauterium porrò in vtroque brachio, quid conferre possit non video: neq; enim materia vacuari potest in musculis contenta mouentibus buccas. neque etiam reuelli, quia ad eas partes minime deriuat: atque si posuerimus aliquid præstare caussa reuulsionis, auxilium certè fuerit maximè tardum.

40 Ego pro decocto ligni guaiaci substituerem decoctum Chinarum radicis: pro cauterio in vtroque brachio, cauterium in inio. Vtriusque remedii consilium hoc est. Radix Chinæ decoctum non ita calidum est, vt Guaiaci: deinde licet sudorem moueat potentius, quàm alia, tamen proprietate quadam totius substantiæ, quemadmodum reor, gracilem corporis habitum instaurat, impinguatque mirum in modum. id obseruaui sæpè, & tu etiam, qui antea non adhibebas fidem, obseruasti in illustri Mauritio. Quia potentem excalefaciendi vim non habet, quæ supra enarrauimus pericula locum non habent: quia impinguat corpus, gracilitati medetur: quia tandem excrementitios humores vacuat, vndecunque oris torturam sanare potest. Cauterium autem factum in inio 50 reuellit primum, quia in contraria est parte: est vero contrarietas ante, ac retro: deinde, quia nerui mouentes buccas ab ea sede deriuantur. Recordor inter authores antiquos, Auicennam potissimum commẽdasse eiuscemodi cauterium: egoq; in artis operibus semper maximè proficuum obseruaui. Putauerim hisce remediis sanari adolescentem. Salutabis meo nomine parentes adolescentis: tuque cura, vt valeas.

EIDEM.

Diligentius medica deſcribitur materia pro curanda oris tortura.

DE donario gratias habebis immortales meo nomine viro perilluſtri cuius cauſſa deſcribam materiam Medicam, qua vtendum erit pro ſui filii curatione. Scio mi Sancti, onus me ſuperuacaneum ſuſcipere, cum tu ipſe illi ſatisfacere potuiſſes, tamen morem gerere ægrotis debemus, quia magna certe curationis pars eſt, ægroti erga Medicum confidentia. Primum expurgare totum corpus denuo oportebit, anteaquam ad decoctũ radicis chinarum accedas, atque in hũc ferè modũ inſtituenda purgatio videtur mihi. Recipe diacatholici drachmas vj. agarici trociſc. drachmam vnam, fiat bolus cum zucharo ſumendus ante cibum horis duabus. Pro humore præparando præſcriberem, ſyrupi de betonica, de ſtichados, oxymel. ſimpl. an. vnciam s. decoctionis amaraci, betonicæ ſtichados, ſaluiæ, iuæ, ac mentæ vncias iii. vbi materia videbitur pręparata, tunc validius expurgabitur, nempe ex ſcrupulis duobus, pilularum fętidarum, & gran. ii. trociſcorum alandaal ex oxymel. ſimpl. fiant pilulæ numero quinque, capiat in aurora: atque tranſactis horis quatuor, ſumat vnc. iii. s. mellis roſati ſolut. cum vnc. ii. iuris pullæ. Hoc temporis interuallo prius abſtinere debebit à vino, cuius loco bibat decoctum hoc, Rec. radicis chinarum minutiſſimæ inciſarum dra. iiii. coquito in aquæ fontanæ lib. x. ad dimidias, tum adde cinanomi electi drac. iii. garyophyllorũ drachmam i. paſſularum vnciã i. s. leuiſſimè ſimul bulliant, collo transfudatur decoctum, de quo bibat ad libitum; eſt enim guſtui ſatis gratum. Si voluerit ſimplicius detur decoctum ſaluiæ & cinamomi in mulſa, vel ex eiſdem fiat decoctum in aqua fontana addito zucharo. Alimenta ſint boni ſucci, comedat potiſſimum carnes aſſatas, auiculis paruis vtatur, præſertim turdis, ac ficedulis, & turturibus. elixa quidem non multum vtilia ſunt morbo, ſed ob ætatem parcè vſurpanda. Decoctum radicis Chinæ ſic parabitur. Recipe radicis Chinarum in tenuiſſimas talleolas inciſæ drachmas quinque, maceretur horis viginti quatuor in aquæ feruentis fontanæ libras decem, poſtea coquantur lento igne ſine puluere & fumo ad duarum partium conſumptionem, mox coletur pro duorum dierum ſyrupo. Alternis diebus fiat noua maceratio: atque ſic ſucceſſiue diebus viginti quatuor, aut triginta. Radix ſemel cocta iterũ eſt coquenda ad tertias pro potu, poteritq; etiam tertio, ſi oportuerit, concoqui ad eundem vſum, vel ſi clyſterib. vtendum eſſet. Verùm, quia audio adoleſcentem imbecillum habere ventriculum, pręſtiterit ſemper in fine coctionis addere in decocto pro vino in menſa, & citra menſam vſurpãdo, cinamomi electi drachmas iii. garyophyllorum drachmã vnam, maſtiches drachmas duas: ſecundo decocto bibet vt dixi ad libitum: neque enim ferenda eſt ſitis; præſertim huic adoleſcenti: idcirco in menſa, extra menſam, diu, noctuque vbi ſitierit, bibendum eſt illi. Si dum ſumit ſyrupum aluus adſtricta ſit alternis diebus clyſteres fiant ex ſecundæ coctionis libra, & mellis roſacei vncias tres, olei violati vncias duas. Porrò primum decoctum ſumat bis in die, hora matutina ante prandium horis quinque ſumat vncias octo aut nouem, poſt prandium horis ſeptem, & tribus ante cęnam ſumat eandem quantitatem. Ingrediatur lectum calidum, ſudorque prouocetur horis duabus quod ſummum, aut vna, quod minimum: detergatur poſtea, indutusque ſuis veſtibus domi ſeſe contineat, cauendo ab aere, cum amicis conuerſando, ac ludendo cum pueris, donec veniat hora prandẽdi, vel cœnandi. Prandium ſit medietas pullæ aſſatæ, panis ſiliginei vnciæ tres, & paſſularum duæ. Cœna verò ſit ex alia medietate pullæ non aſſatæ, ſed elixatæ, & eodem pane, ac paſſulis. Singulis octo diebus interponat vnum diem, in quo purgabitur leuiter ex vncia vna electuarii lenitiui cum iure pullę diſſoluti, vel vnciis tribus mellis roſati ſolutiui. Vbi ſedecim continuos dies ſumpſerit decoctum hoc modo paratum, aliis deinceps ſumat cum iure carnis hoc modo. Iuſculum fiat ex carne vitulina non pin-

pingui in quo simul cocta sit saluia. Tum postea huius iuris sumantur libræ octo, radicis chinæ præparatæ vnc. i. coquantur post macerationem 24. horarum donec remaneant libræ tres. idem est sumendi modus, eadem quantitas. Consilii mei ratio est; quia desidero hoc pharmacum non solum hunc sanare affectũ, sed etiam gracilem corporis habitum vltra conditionem ipsius, emendare: atq; hic, quæso animaduertas, chinam cum iure carnis exhibitam non ita mouere sudorem, quemadmodum mouet cum aqua, id verò accidit ob crassitiem iuris, quia licet pingue non sit, tamen longe crassius est aqua: nec fieri potest virtutẽ diaphoreticam chinæ tam bene imprimi in iure, quàm in aqua. est autem hoc vel maximè optandum, cum datur hoc decoctum in gracili corpore, molli, ac dissolubili.

Cæterùm postquam exhibitum fuerit decoctum chinæ, tunc particularius loco affecto incumbendum est. primo cauterium fiat in inio actuale illud quidem, nam partem magis roborat, & citius fit, & cum dolore minori. addo etiam antiquos authores, ac magnæ experientiæ viros commendasse cauterium pene aures, non sine ratione, quia nerui mouentes buccas, vt habent originem ex spinalis medullæ principio, sic etiam deriuare videntur à propaginibus musculorũ temporalium, & aurium. ideo si cum cãtharidibus præparatis fiat vesicatorium addito fermento, sinapi, euphorbio, & aceto, pone vtranque auriculam in posteriori parte erit certe vtilissimum. sinatq; expurgari diebus quindecim continuis ex butyro, & axungia, vt nosti.

Illud etiam pro sanando hoc affectu ab omnibus obseruatum, purgationem pituitæ factã erthinis maximè proficuam esse: imò recordor quendam ex Mauritanis celeberrimum scripsisse torturam illorum beneficio sanari spatio quinq; dierum. Vnum, aut aliud propono exemplum. Rec. foliorum anagallidis cæruleum florem habentis, maioranæ an. manipul. i. terantur, & affundantur vini albi optimi, atque saluiæ an. vnciam vnam. deinde facta expressione, succus attrahatur in naribus: eritque validius, si huic addiderimus radicum iridis recẽtis contusæ vnc. i. validissimum erit in adolescente, quod sequitur. Rec. radicis cyclaminis drac. i. radicis iridis drac. ii. macerentur in vnc. iii. succi maioranæ & vnc. i. vini albi exprimatur succus: in quo linteolum contortum, & oblongũ inseratur in nares, quod sequitur sanare torturam spatio dierum quinque dicũt. hoc scribendum putaui, vt nosceres aliquando medicamenta plura titulo polliceri, quàm opere præstare. Rec. oppoponaci gran. viii. macera in succi anagallidis vnc. ii. ac adde olei irini. vel sambucini dra. i. s. fiat errhinum. à validioribus abstinerem. Conueniunt etiam masticatoria, & continuo in ore nucem muscatam continere aut garyophyllos manducare, aut zinziber conditum. Euaporatiões quotidie bis recipiantur in tota facie, cuius materia est, Rec. florum camomillæ, meliloti, saluiæ, stychados, altheæ violarum an. man. i. seminum anisorum, cumini an. dra. ii. baccarum lauri excorticatarum, & contusarum dr. i. coquantur in vini albi lib. ii: & aceti lib. i. ad quartæ partis consumptionem, pro suffumigio. Iubeto præterea sępe puerũ in speculo intueri ex chalybe, persuadetoq; illi, vt omnino conetur in contrariũ partem vergere labia cõtorta, idq; faciat quotidie frequenter: atque hæc ad laudem sanctissimæ Trinitatis pro sanando adolescente sufficient.

EIDEM

De vertigine per consensum à ventriculo à biliosis humoribus. De nausea, inappetentia, atque immoderata siti responsum.

DVM considero, Sancti, quæ ad me scripsisti nudius tertius, in eam certè opinionem venio, malorum omnium causam esse iecinoris intemperiem calidam, atque siccam, quod multam ingenerans bilem, neque per intestina purgans, sed infelici quadam via ad ventriculi capacitatem mittens, consensus cuiusdam ratione omnes efficit affectus, à te copiose, & eleganter conscriptos. Vertiginem quidem acribus, tenuissimisq; vaporibus cerebri ventriculis

negotium facientibus: nauſeam verò, ac in appetẽtiam, propria humoris biliosi ſubſtantia: ſitim immoderatam ob calidam intemperiem. Primum fieri hanc vertiginem per conſenſum, certiſſimum videtur mihi, cum adſint multa indicia eiuſcemodi conſenſum oſtendentia: quorum hęc præcipua ſunt. Primum quod nunquam inuadit iuuenem poſt cibũ: ſed ſemper ſtomacho ieiuno: quodq; ſtatim aſſumpto cibo, aut parum poſtea melius habere videatur. hoc nequit aliunde contingere, quàm ob bilem in cauitate ventriculi exiſtentem, euaporantẽq; ad cerebrum. quæ alimenti benignitate & frigiditate perfuſa miteſcit, obtunditur, atq; deorſum pellitur. Secundum, quod multo peius habere conſueuit, quãdo hora ſumendi prandium præteriit: tunc. n. ex inedia ventriculus malis humoribus, maximè bilioſis icoribus repletur, vt Galenus aliquãdo dixit. Poſtremum eſt, quod nulla videã adeſſe ſigna cerebro per eſſentiã affecto. Hæc quẽadmodũ certã præbent nobis notitiam conſenſus, ſic etiam ſpeciẽ demõſtrant humoris in ventriculo contenti, & modum conſenſus huius. Quæ ex aliis etiam ſymptomatis fidem longè maiorem habent, nẽpe ex immoderata ſiti, oris amaritudine coniuncta, ex inappetentia, & nauſea. Deduco ex his ſcopos curandi, nam primum omnium bilem vacuare ex cauitate expedit ventriculi, quæ origo eſt malorum, deinde impedire illius generationem in iecinore debemus, quod ſi aſſequi nõ poſſit, aut certè nõ tam cito, oportebit deriuare ipſam ad alias partes, ne ventriculo noxam inferat. Vacuationem illius indicat copia. ſumma iecinoris caliditas alterationem in contrarium, qua impeditur noua bilis generatio: Deriuationem autẽ inſinuat motus bilis ad partem, ad quam appellere non deberent ſecundũ naturã. propterea deriuanda eſt bilis ad inteſtina, & ad vrinam. Materia medica in duplici duntaxat genere continetur, nẽpe in pharmaceutico & in diætetico: de vtroque dicamus. à priori genere exordientes.

Quia bilis in cauitate ventriculi continetur, nulla mora interpoſita protinus vacuanda eſt: humoris natura, & locus facilè expurgationem ferunt per vomitum. At reluctantur multa. primum thoracis anguſtia, & tuſſis ferè perpetua. deinde vertigo. nõ. n. ad caput vapores trahere, ſed eoſdem à capite expedit reuellere. Poſtremo, quia motus bilis à iecinore ad vẽtriculũ ex vomitu magis proritatur, at impedire omnino debet, vt diximus, propter haſce cauſſas vomitus mihi ſuſpectus eſt. Purgatio igitur per aluũ fieri conuenit ex ſpeciebus picrę, quæ habẽt etiã nonnihil acrimoniæ, & caliditatis, quæ ſuſpectũ illarũ vſum redderet, niſi optima adhiberetur contẽperatio. Soleo miſcere illas cum zucharo roſaceo recẽti, hac ferè forma. Rec. ſpecierum picræ drach. ii. s. zuchari roſati drac. iii. electuarii de dactylis drac. i. fiat bolus. Aut ſi bolum abhorreat ægrotus, exhibeto vnc. iiii. ſyr. roſati ſolutiui maioris, cum vnc. iii. aquæ endiuiæ. Voco maiorẽ, qui in compoſitione habet reubarbarum, agaricum, & ſennam. eam tibi olim, ſi benè recordaris, communicaui.

Expurgata in hunc modum bile, ac per aluum deriuata, opus erit opiceraſticis vti pharmacis, quæ ſ. humoris acrimoniã obtundãt, tenuitatemq; moderatè incraſſent, ac ẽt vrinas moueant: in quorũ numero acidi ſyrupi perplacẽt, vt ex ſucco malorum punicorum acidorum, ex ſucco limonum, ex oxiacanta, ex onfacio, ex citri ſucco, ac eiuſdem generis aliis. Sanè optimũ iudico, ſi apozema fiat ex endiuia, cichorea, portulaca, plantagine an. man. i. quatuor ſeminũ frigidorum maiorum an. drac. ii. coquantur ex aqua fontis. & in lib. s. decoctionis macera horis duodecim comam abſynthii tenuiſſimè inciſam, & in expreſſione addito ſyrupi de agreſta, de ſucco limonum an. vnc. i. miſce pro vna doſi, multis diebus cõtinuis policreſto hoc vtendum eſt pharmaco. ſiq; vrinas nõ benè moueri perſpexeris, tunc in apozemate addito radicum appii recentis vnc. s. aſſari drac. i. aneti man. s. ſic certè fies voti compos.

Porrò ſingulis octo diebus repetere purgationem oportet, atque ita alternatim acrimonia obtundenda, materia per vrinas promouenda, ac per aluum deriuare oportebit. Quia certè, mi Sancti, ſumma, & abſolutio huius curationis in hiſce duobus potiſſimum ſcopis continetur. Extrinſecus autem iecur

epithe-

epithematis ex succo cicorei, succo endiuiæ, aceto, & camphora est refrigerandum, oblinendumque postea ex vnguento sanitalino.

Cæterum pro refrigeratione iecinoris duo propono tibi præstantissima. Alterum est seri caprini potus. Aliud verò aqua Villensis. Optio alterutrius apud te sit. Bis, ac tertio expurgato corpore, serum bibat ad libras octo, aut nouem pro vice, miscendo semper in quolibet cyatho vnc. s. succi cicorei depurati. & quo maiorem biberit quantitatem, eo melius fuerit: hac tamen conditione, vt reddatur per vias vrinæ, ac simul aluum moueat: vel saltem vnum ex his efficiat. nã nisi statim reddatur, periculosum est remedium: statim. n. abstinere ab illius vsu 10 conuenit. Idem statuendum est de Villensi aqua. Videtur tamen hæc cum facultate refrigerandi vim habere magis roborantem, ob exquisitam mixturam ferri cum aliqua portione aluminis. Quod autem ad rationem victus pertinet, in qua, meo iudicio, magna pars continetur curationis, opus est primum abstinere, ab omnibus alimentis, quæ facilem habent concoctionem, distributionemque, vti est lac, quæue ex lacte parantur alimenta, iuscula carnium, oua sorbilia, aut tremula, fructus horarii omnes. hæc enim in ventriculo calido in vapores vertuntur, & aliquando nidorẽ, putredinẽq; acquirunt. Propterea non conuenit huic ægroto ptisanæ hordeaceæ cremor, nec tota etiam ptisana, nec pulla parua, nec auiculæ montanæ, sed horũ loco dabimus carnes animalium quadrupe-20 dum, vt vitulinas non lactantes. Leporina, & ceruina caro, & bouina sunt vtilissimæ, vitulorum pedes, aures, rostra, gelatina nuncupata, oryza cum aceto, & sine aceto, far, amylum iure dissolutum: panis copiosus, caseus etiam non recens, nec admodũ salitus conueniunt: panẽ tamẽ non edat ex purissima farina, habeat ille furfuris aliquidpiã, nec sit recens: sitq; magis tostus, quã mollis, sit plurimum subactus, nec multam contineat aquam. Abstinendum à vino primis diebus, cuius loco substituatur hic potus, qui habet: Aquarum endiuiæ, portulacæ an. lib. j. zuchari fini vnc. viii. coquantur ad consistentiam iulepi, atque sub fine addito succi limonum depurati vnc. ij. succi malorum punicorũ acidorum vnc. i. post 30 expurgationem repetitam exhibeto vinũ pauciferũ, album, ac subadstringens. In vltima mensa continuo degustet aliquid, quod vim habeat comprimendi cibum, vaporesque, vt puta coriandros præparatos, vel diacitoniten cũ zucharo, aut melle, vel panis frustulum. Caueat etiam, atque etiam ab immoderato potu tam in prandio, quam in cœna. Laboriosi omnes motus vitãdi sunt, admoneto illũ, vt omnino prætermittat ludum vtriusq; pilæ, quo satis superque delectari scio. Vigiliæ immoderatæ nocebũt: at maxime omnium venus citra modum. Deus Optimus Maximus, qui sanat nostros languores, sit dator auxilii.

40

ANTONIO PORTO FIRMANO SIXTI V. Pontificis Maximi à Cubiculo Medico.

De ferinæ tussis ab humoribus salsis & crassis, cum febre continua lenta, curatione: Responsum pro Reueredissimo Iulio Ottinello Episcopo Fanensi, & Nuntio apud serenissimum Carolum Emanuelem Sabaudiæ Ducem.

CVM ex multo imbre caput madefactum fuerit admodum Illustr & Reuerendiss. Antistiti, atq, is nullam sui curã gereret, ac in victus ratione plurimum aberraret, incidit in tussim, ac febrem. Erat tussis contumacissima verè ferina, quæ diu, noctuq;, ac ferè citra intermissionem aliquam vexabat, vix à principio quicquã ex tussiendo reiectabatur, idque glutinosum, crassum, album, ac 50 perpetuo salsum, nonnũquam verò etiam subamarum percipiebatur, de thoracis grauitate conquerebatur, postea verò multa reiectari cęperunt minus crassa crocea, eiusdẽ tamẽ saporis. Febris erat lenta, inordinata, quæ noctu potissimũ facere videbatur negotiũ, exacerbabatur, cũ parum, aut nihil extussiebatur excrementi: mitescebat cum vacuabantur multa: corporis habitus in dies gracilior videbatur. Ex quibus in opinionẽ veni malorum omnium fontem, ex nimia

cerebri humiditate proficiſci, ex eo materiam deſtillare pituitoſam, viſcidam
atque recipi in ipſis pulmonibus, eam ibi putrefieri acrioremq́ue reddi ex pu-
tredine, ac etiam ex aliqua portione bilis, atque hinc vaporibus putridis com-
municatis cordi natam fuiſſe febrem lentam, quidem pro conditione humoris.
Hanc verò illius extitiſſe febris originem manifeſtiſſimum præbebat argumē-
tum, quod inualeſcebat protinus, vbi nimium materia detinebatur, quo verò
maior copia extuſſiebatur, eo mitior continuò reddebatur. Ad curationem ac-
cerſitus, ſtatim animaduerti, ſic rei natura indicāte, corrigendam fore humidiſ-
ſimam intemperiem cerebri, ſiſtendamque deſtillationem. Mox autem incum-
bendum expectorationi humorum, ac prouidēdum, ne vel ab acrimonia reci-
piens particula exederetur, vel putredine adaucta inflammarentur pulmones,
vel poſtremò ne ex multitudine putrefacti excremēti tum iam defluxi, tum po-
ſtea defluxuri empiema quoddam nothum gigneretur. Hiſce ſcopis habitis ma-
teriam medicam accommodatam pro illorum executione ſelegi, quæ eiuſce-
modi fuit.

Primum in iis, quæ manu exercentur, expurgatis prius viis communibus ex
vnc. ii s. mannæ Chalabriæ ex iure pullæ, curaui mittendum eſſe ſanguinē ex
cubiti detri interiori ad libram vnam venæ ſectione. in poſterum diem repetita,
mox autem capitis intemperiem corrigere aggreſſus, cucuffis alteratis, in inſutis
pileis, ac ſacculis quibuſdam ex milio, furfure, & ſale in ſartagine excalefactis,
caput quotidie bis fricandum eſſe ducebam; ac tandiu hoc genus remedii ſum
proſecutus, dum materiam non deſtillare amplius nouerim, ac interim ex phar-
maceutica pro detergēdis, expectorandisq́; ex thorace humoribus remedia v-
ſurpaui, elegmata, ſyrupos, ſuffitus, quorum etſi nouerā magnam inueniri ſiluā,
vt eſt vniuſcuiuſq; proprius, quod dici ſolet, practicandi modus, ego tamen po-
tiſſimum his vtebar, nempe elegmate ſano, è pino, ſyrupo de liquiritia, de hyſſo-
po, oxymelite ſimplici, ſed potiſſimum ſequenti, quod Rec. Hyſſopi, ſatureiię,
calamenthi, praſſi, cap. veneris, farfaræ an. m. j. radicum altheæ, polipodii quer-
cini, elenii, an. vnc. j. Paſſularum, glycyrrhizæ, ſin. vnc. s. ſebeſten, iuiubarum an.
nu. vi. ſeminū vrticæ. drac. j. s. bombacis, maluarū, altheæ an. drac. ij. fiat deco-
ctio in mulſa, diluta ad vnc. xv. ac poſtea addēdo eandē quantitatē zuchari fini,
coquere iubebā ad cōſiſtentiā ſyrupi craſſioris, quem exhibebā ex cocleari no-
ctu, diuque: atque vbi magis difficilis videbatur reiectatio pituitæ, addebam ſi-
mul tertiam partem oxymelitis ſimplicis, & quatuor guttulas olei ex ſulfure o-
ptimè parati: ex hoc pharmaco miram ille percipiebat vtilitatem. Suffitū para-
ui ex vngula caballina, atque ex foliis tabacchi. Singuliſque diebus octo ex-
purgabā ex agarici trociſ. drac. ij. & mannæ vnc. ij. s. ex decoctione pectorali. Ex
iis quidem in melius quotidie proficiebat, nam febris mitior euaſit, & quæ ex
pulmonibus reiectabantur, erant concocta, & minus viſcida. Tamen adhuc
permanentibus morbi reliquiis, ipſoq; corpore gracileſcente, viſum fuit mihi
accipere ad decoctum radicis Chinarum. Exhibui ſemel duntaxat in die lib. j.
ꝑ vice ad dies quindecim ex mulſa diluta paratum, glycyrrhizæ radice, foliis ta-
bacchi, & farfaræ. Mirum eſt, vir clariſſime, quàm bene omnia ceſſerint. Febris
prorſus euanuit, tuſſis adeo exigua permanſit, vt nunc magis tuſſiendi impetum,
quem κέρνον Græci vocant, quàm tuſſim vocaremus, quæ reiectantur plenè
concocta ſunt, corporiſque habitum ad naturalem conſtitutionem breui fuiſſe
reſtitutum nouimus. Victus ratio fuit in vniuerſum extenuatoria, ac primis die-
bus tenuis, ſequentibus verò paulo plenior. A vino abſtinuit quandiu cruda
excrementa videbantur, & fluxio adhuc negotium faciebat, pro vino dabam
illi potandam decoctionē ex glycyrrhiza, & paſſulis, & drach. j. radicis Chinarū
cœnauit, nunquam bibit vinum, niſi poſt exhibitam Chinā. Pro cæna dabatur
illi ptiſana diſſoluta ex mellicrato, ac addito zucharo, cinamomi, & piperis ſcru.
s. aliquando panis ex aqua lotus ſatis erat cum ſuſino malo ex zucharo cocto:
vel cum tantillo panis ſolas exhibebam paſſulas maiores. Præcipiebam, ne
ferret ſitim: idcirco vbi vexabatur tuſſi, cyathos dabam duos aut tres calen-
tis

tis mulsæ, addita vncia syrupi de liquiritia, aut superioris, tuncque multum ille excrementi expugabat tussiendo viis ipsis humectatis, aditumq; humori viscidiori ad expulsionem præbentibus admodum facilem. Matutina cibatio paulò plenior fuit instituta ex pullis paruis, auiculis montanis, elixis quidem pro maiori parte, ex quibus contusum fieri quotidie curabã, quod prima mensa dabatur illi cum tertia parte cremoris ptisanæ: alia in vniuersum alimenta erant detergẽtia, ac leuiter refrigerantia: nam omnia sigillatim recensere minimè quidem cõuenit. Cæterum vbi visum fuit exhibere vinum, dulce admisimus album, beneq; temperatum ex superiori decocto, ac semper calido vtebatur potu. Videtur hæc mihi sufficere, quibus videor consilii mei rationem reddidisse. Tu interim cura, vt valeas, & me, quod te facere non dubito, vicissim ama.

LVDOVICO PICHINO GENERO.

Quam ob caussam, & quibus morbis potus frigidæ conueniat. quæ conditiones necessariæ sint pro recto illius vsu. Qui effectus ab illa fiat, atque dubitationem omnium in hac materia contingentium dilucidatio.

DE potu frigidæ, Ludouice Fili, quatuor examinanda sunt: primum, quam ob caussam, & quibus morbis conueniat, Deinde, quę conditiones ad illius vsum requirantur. Tertio qui effectus à frigidæ potu proficiscantur. Postremò dubitationes, quæ satis magnæ in hac re videntur, dilucidandæ sunt.

Explanaturus caussas exhibendi frigidam, præfari prius volo, tres existere differentias putredinis, quæ curandi rationem variant: quædam enim putredo caussam habet, quædam caussa caret: deinde quædam in omnibus venis continetur, aut saltem maximis, quæ intersunt inter alas & inguina; quædam in determinata particula consistit. Ac rursus huius ipsius putredo quædam est cũ inflammatione, quædam sine inflãmatione. Instituta fuit consuetudo exhibendi frigidam potissimum in putridis febribus synochis, & ardentibus, in quibus humores putrescunt in omnibus, aut maximis vasis: nunquam verò vbi febris ex inflammatione contingat, aut vbi in particula quapiam continetur putredo. Primùm, in febribus ex inflammatione nullam afferre frigidæ potus vtilitatem potest, quia materia in phlegmone contenta, vt nequit pharmaco educi, sic multo minus potu frigidæ: adde quod hòc remedium vtique materiam in phlegmone contentam magis impingeret. Vbi verò putredo continetur aut extra venas, aut intra venas paruas, à corde distantes, eiusmodi febris tantum habere incendium non potest, vt magnum hoc, generosum, & extremum remedium admittat. At quotiescunque humores in omnibus vasis putrefacti sunt, maxima statim gignitur flamma, quę, nisi extinguatur, ægrotus incidet in torridum marasmum, vel vitam cum morte breui commutabit. Porro idem accidit hisce febribus, atque igni: hunc enim duplici modo extinguimus: vel remouendo materiam, qua conseruatur, foueturque, vt ligna. e. g. oleum, sepum. vel contrarium applicando. Prima extinguendi ratio nuncupatur Arist. libro de morte ac vita μάρανσις à nobis rectè appellabitur, tabes, siue marcor. Secunda, σβέσις, à nobis dicetur, extinctio, quæ fit à contrario. Ergo ignis extinguitur vel pabuli defectu, vel contrarii pręsentia, sic profectò accidit in febribus propositis. Etenim harum materia est sanguis biliosus, ac pinguior, qui inflammatus maximam edit flammam. eo humore vacuato, protinus cessat incendium, deficiente scilicet pabulo; idcirco vacuatio sanguinis à Medicis instituta est, non exigua, sed adeo magna, vt ad animi deliquium vsque ægrotum ducat. sic extinguitur calor febrilis per μάρανσιν, ex qua postea ex accidẽti sequitur refrigeratio corporis totius, ea scilicet ratione, qua ex absentia rei actu calefacientis, fit frigiditas. At si aliquaodo hunc exercere non possumus modum, flammaque interim augetur, σβέσ, vtẽdũ est, frigidæ scilicet potu corrũpere igneum calorẽ debemus at verò licet σβέσις alterando extinguat ignem, ex accidenti etiam vacuat, vt do-

cebo. Duo hæc ſunt magna remedia pro curandis hiſce febribus opportuna, venæ ſectio ad animi deliquium vſque, & potus frigidæ, & ambo periculoſa; quæ nunquam exerceri debent, niſi magna ſeſe offerat neceſſitas. idem ſcopus eſt vtriuſque remedii, alteratio inquam magna, & vacuatio morbo proportionata. in hoc differunt, quod venæ ſectio primo vacuat, ſecũdo alterat. Potus frigidæ primo alterat, ſecundo vacuat. Illa inchoante morbo exequenda, hic verò morbo conſiſtente. Venæ ſectio iugulat febrem, vt per iocum nonnulli Galeno dicere ſolebant, ita vt alio poſtea non indigeat ægrotus remedio. Potus autem frigidæ nũquam exercẽdus eſt, niſi cum venæ ſectio opportuno tempore fuerit prętermiſſa, vt Galenus docet lib. 9. methodi medendi, cap. 5. Hæc ſi vera ſunt, ſtatua- 10 mus remedium hoc eſſe vtile in ſinochis præſertim nõ putridis, mox verò in putridis, ac in ardẽtibus ſiue ſint colliquatiuæ, de quibus Galenus loquitur 3. acut. 12. & 13. commentario, ſiue nõ ſint colliquatiuæ. ſedne aberres in potu frigidæ, has perpetuo conditiones obſeruabis. Prius autem docebo conditiones impedientes illius vſum, mox verò agam de aliis.

Prima conditio; Admodum gracilibus corporibus, nec admodum frigidam, nec multam dare oportet. Vocamus admodum gracilia, quæ duas conditiones habent: vnam ſi venas habeant exiles, quod indicat in illis paucitatem adeſſe ſanguinis: aliam, ſi gracilem habeant habitum corporis, ideſt carne conuenien- 20 ti ſint deſtituta, vtrunque tum caloris inſiti imbecillitatem, tum penuriam ſanguinis denotat: nam ex multitudine ſanguinis, quod corpus gracile ex accidenti euaſit, poterit priſtinam carnis bonitatem & copiam adipiſci. Secus dicẽdum de iis corporibus, in quibus venæ adſunt magnæ cum gracilitate, quemadmodũ ſcribit Galenus de muliere quadam in tertio epidemiorum libro, quæ extenuatiſſima cum eſſet, venasq; haberet magnas, & ſanguine turgentes, tulit mitti ſibi ſanguinẽ ad lib. tres. In illis gracilib. interdicitur frigida, vti ſunt corpora hecticorũ, ac in vniuerſum omniũ, qui tabe moriũtur. cauſam verò cur nõ ferant frigidam, Galenus explanauit, quando dicebat, occurrere aquam ſolidis partibus ſine impedimento, eaſq; non mediocriter lædere, vt puta quæ à ſolo calore, non 30 autem à frigido modum excedente conſeruentur. in aliis verò corporibus pro munimento ipſa caro eſt. Notandum quidem in hecticis negari frigidam, non abſolute, ſed quæ admodum frigida ſit, & multa. Vocamus admodum frigidam quæ artis beneficio frigiditatem maiorẽ acquiſiuit, aut ſub dio, aut ſub niue, aut in puteis, aut coctione, aut nitro, aut alio eiuſcemodi refrigerandi ingenio ab antiquis, vel recentioribus inuento. Sinochis ac ardentibus febribus obſeſſis, frigida admodum conuenit, & in magna copia, in patientibus hecticam febrem exigua dari poteſt frigida, nec admodum refrigerata. ex quibus colligito, potum frigidæ, de quo in præſentia dixerimus, duas habere conditiones: alia vt quantitas ſit multa: alia, vt refrigerium aquæ ſit artis beneficio adauctum.

Secunda conditio. Inchoantibus morbis frigida exhibenda non eſt. huius 40 conditionis ratio, quod quando multi craſſi, ac lenti humores adſunt, crudaque adhuc eſt materia, vtique, licet ratione frigiditatis aquæ, calor febrilis obtundatur, ac fortaſſis etiam extinguatur febris, duo tamen incommoda ſeſe offerunt & magna, & certa: vnũ quod febris neceſſario poſtea reuertetur præſente cauſſa ipſam cõcitante, humorũ ſcilicet craſſitie, ac lẽtore, obſtructioneq;: aliud verò, quod humores ipſi ab aquæ frigiditate magis incraſſabuntur, impedieturq; de cętero eorundem digeſtio, atque hæc minimè contemnenda eſt noxa. Hæc tamen regula duas exceptiones patitur. quarũ vna eſt, niſi aliquid adſit, quod impediat: at verò impedimentum adeſſe aliquod poteſt, quod nolẽtem cogat Medicum accelerare potum frigidæ. Quale autem hoc ſit, docebimus infra. Ergo v- 50 bi curatio coacta non eſt, à principio frigida non eſt exhibenda. Altera exceptio eſt de eriſipelate interno: ſi enim aut iecur, aut oſtium ventriculi, aut alia pars illis proxima eriſipelam patiatur, vtique propria huius medela fuerit ſtatim exhibere frigidam: de qua re Galenus hiſce verbis locutus eſt, Porrò eriſipelas, quod verum eriſipelas ſit, non aliter ſanaueris: at ſi miſtum cum phlegmone ſit,

ne sit, in hoc cōiunctionis expectandæ sunt notæ. Atque hæc satius. &c. Proinde parum supra docens, quibus tumoribus maximè sit detestandus frigidæ potus: vtique nullam erisipelatis mentionem fecit: Sic enim scribit. Quibuscunque enim in principe aliqua particula tumor aliquis phlegmones, œdematos, aut scirrhi genere consistit, iis frigidam offerre non oportet. Imo in iis tumoribus non solum frigidam negat, dum crudi sunt, sed etiam cum concoquuntur, vt idē inquit parum postea. Quod si euidentes (inquit) percipis, absque iam dictis tumoribus, concoctionis notas, illud duntaxat extimabis, sit ne pars aliqua temperamento adeo frigido, vt in hanc noxam procumbat. &c.

10 Tertia conditio. Nunquam exhibenda est frigida, si aut plures, aut vna quępiam pars interna, vel præcipua, vel præcipuis inseruiens frigido temperamento prædita est. Pone e. g. quempiam habere ventriculum imbecillum ex frigiditate: statuito ardentem febrem pati. Hic adsunt contrarię indicationes, quarum etiam dignitas æqualis est, aut çertè vna non est superior altera magno interuallo. Si refrigerabimus intense ventriculum, quid aliud fiet, quàm extinctio caloris naturalis, quam etiam statim expectare oportebit: aut si mors non sequatur illud, vel me tacente constat, ægrotum ad eum reducemus senium, quod mortis imago est. De hac conditione Galenus loquitur in hunc modum. Altera talis est. Multæ laborantis imbecillæ particulæ, siue ita se ex naturali intēperie habeant, siue ex vitio asscititio à frigida lædūtur. Alii namque gula adeò vehemēter est effecta, vt vix deglutiret. Alii ventriculo sic, vt vix concoqueret. Alii ipsum ventriculi os, aut iecur, aut colon, aut pulmo, aut septum transuersum, aut renes, aut vesica, aut tale quippiam aliud à frigida percussum, ad proprium opus infirmum est redditum. Nonnulli autem ex intempestiua, immodicaq; eius potione non multo interposito tempore, nec postmodū, sed illico difficultate spirandi, & conuulsione, & tremore corripiuntur, ac (vt semel dicam) neruoso genere læduntur.

Postrema conditio sit, quæ virtute in superioribus comprehenditur, nunquam frigidæ potum ægris concedendum, si imbecilla fuerit virtus, magnum 30 enim, ac eo in genere extremū remediū cum sit, nisi vires validæ existāt, admitti quidem nunquam potest, ideo non adhibetur in gracili corporis habitu, quia carnosum genus deest, quod constituit vnam partem virium, vt alibi docuimus ex Galeno vndecimo methodi cap. primo, inchoantibus morbis remedium vtile non est, quia naturam non habemus tūc temporis adminiculatricem. sic etiam virium respectu in frigida partium internarum intemperie maxime suspectum esse debet remedium. Hactenus regulas negatiuas proposuimus, nunc de affirmatiuis agamus.

Prima omnium sit, vbi vires non repugnant, prætermissaque venæ sectio fuerit, materia existente concocta, potio frigidæ admittenda est. Regulam hanc 40 esse à Galeno traditam certissimum est. Tamen duo sunt, quæ difficultatem faciunt. Vnum cur eo tempore, quo frigida exhiberi debet, potius non mittatur sanguis: çaussa dubitationis est, quod Galenus passim admonet, venæ sectionē longè tutius existere auxiliū ipsa potione frigidæ: ideo si curatio fieri secura debet, non oportet medicū magis tuto remedio prætermisso, ad periculosius accedere. Vrget præterea alia ratio, nempe non esse sanguinem mittendū, neq; dandam frigidam, nisi vires valeant: morbus igitur vehemens, ac magnus adest, ac ex eorum numero, qui venæ sectionem postulant, vires validę sunt, cur non mittitur sanguis, prætermisso potu frigidæ? Præsertim, quod Galenus admonuerit, vbi agi de eiusmodi potu, nō esse standum numero dierum in venæ sectione ex-50 ercenda, sed sexto, ac septimo die sanguinem mitti posse, magna sanè videtur mihi huiusmodi quæstio. Alia est, cur materia concocta potū frigidæ dabimus, si natura iam ipsa per se morbum domuit, ac omnino superauit. nam vbi cōcocta materia est, morbus reperitur vel in declinatione vniuersali, vel saltem in vltima parte status, at hisce temporibus minimè quidē periculosum administrate debemus remediū. Sunt qui dicunt, Galenum priori difficultati respondisse, potum

frigidæ maximè neceſſarium eſſe, quando venæ ſectio fuerit prætermiſſa, vel ob
Medici ignorantiam, vel ob ægroti timiditatem. Sed dubio procul eiuſmodi
reſponſio non tollit difficultatem. quandoquidem ſi medici ignorantia primum
curantis venæ ſectio prætermittatur: alter illi ſupraueniens, cur potius nõ debe-
bat ſanguinem mittere, quam dare potum frigidæ? certum enim eſt hoc reme-
dium proponi ex conſilio Medici: at vbi hoc admittatur, equidem ſtantibus iis
præceptis, quæ ille alibi docuit, non video cur prorſus potio frigidæ non ſit præ-
termittenda. Quod de ægroti timore dicit, reſponſionem non habet, quia non
eſt in Medici poteſtate ægrotum ad obediẽtiam cogere. At vero ſolutio difficul-
tatis ex Galeno in hũc modum habet, nempe vt ſtatuamus ignaros Medicos cu-
rationi præeſſe, qui prohibeant docto Medico ſupraucnienti, ſanguinis miſſio-
nem, vincente illorum parte in conſultatione, qui venæ ſectionem negabãt,
ideo ille dicit hæc uerba. Quod ſi curare aliquando infirmum cogeris, cui nõ ſo-
lum antea ſecandæ venæ remediũ prætermiſſum eſt, ſed nũc quoq; vel per Me-
dicorum ignorantiam, vel ipſius laborantis, propinquorumue eius timiditatem
procedente tempore mittere ſanguinem prohiberis, ad frigidã exhibendã acce-
des] hæc ille. Quæ omnẽ videntur mihi litem è medio tollere ſecundum Galeni
dogmata. Ego verò dicam breuiter, quid de eiuſcemodi argumento ſentiam, &
quæ dicam, Galeni authoritate confirmabo. Venæ ſectioni ſynochis conuenit,
vt ſupra dicebamus, primo ratione vacuandi plectoricam diſpoſitionem, mox
ratione alterationis, quæ ex accidenti, & ſecundo quodam loco vacuationem
ſanguinis inſequitur. In principio ſynochi eiusmodi viget indicatio: in ſtatu non
viget, quia, ſi putrida ſynochus eſt, humores quidem concocti, iam in alienã na-
turam tranſmutati ſunt, & non eſt amplius plenitudo eiuſcemodi affectus, ſed
humorum corruptela nuncupabitur: in principio verò, vbi in ipſo tranſmutari
ſanguis eſt, adhuc nuncupabitur plenitudo, nondum prorſus mutata eius natu-
ra: vt Galenus teſtatur libro 2. Apho. 17. igitur, quia in principio viget indicatio
ſumpta à plenitudine, tunc ſolum vigebit indicatio de miſſione ſanguinis. At in
ſtatu, quia adeſt putredo, hæc verò non poſtulat venæ ſectionem, ideo eo tem-
pore prætermittenda eſt. Quod Galenus apertiſſimè docet lib. 2. aphor. cõ. 29.
hiſce verbis: præcipua aũt in his remedia ſunt maxime quidem phlebotomia,
nonnunquam verò & purgatio. quarum neutrum in vigore venit vſurpandum.
nã vt in libris criſeos oſtendimus, tũc temporis maximè fiũt morborũ coctiões]
hæc Galenus. Dices, quid poſtulat putredo, expurgationẽ, inquã, poſtulat per
vomitum, per aluum per vrinas, & per ſudorem. 11. methodi medendi cap.
8. 9 13 hac de cauſſa dictum à Galeno fuit eodem libro cap. 14. humorem pu-
trefactum non poſtulare venæ ſectionem, quia alia remedia deſiderabat. Porrò
venę ſectionem in ſynocho putrida non fieri alia ratione, quã pro vacuanda ple-
nitudine. idem author teſtatur in eodem capite, dum inquit: enim ſi neq; obſtru-
ctio ſubeſſet, neque putredo, ſed ſola ſuccorum reduntia protinus, à miſſione
ſanguinis pro naturæ ſuæ ratione ſe haberet. Et parum poſtea addebat. Verum
quoniam nec obſtructio, nec putredo curari per ſanguinis miſſionẽ poteſt, vt
quæ alia remedia (ceu prius eſt demonſtratũ) deſiderent, reponi aliquid ſangui-
nis ad curationis ſpatiũ debebit, quo minus intẽpeſtiue nutrire neceſſitate vlla
cogamur. Duo aũt in eiuſcemodi ſanguinis putredine conſideranda ſunt: vnum
eſt, maximã caloris intenſionẽ adeſſe: aliud verò humorẽ putrefactum expur-
gandũ eſſe. nam febris tunc plurimũ augetur, cum plurimum cõcoctio promo-
uetur, tuncq; maxima febris eſt, vbi maximè natura incumbit coctioni: idcirco
hoc ipſo tempore multò magis ipſius alterationis viget indicatio, quã in aliis tẽ-
poribus, in quibus natura, vel non eſt aggreſſa adhuc coctionem, vt in principio
vniuerſali, vel iam perfecit coctionem, vt in fine ſtatus, & in declinatione, in qui-
bus purgationis indicatio plurimum viget. Alterationis itaque neceſſitas adeſt
in augumento, & ſtatu, ſed præcipuè in duabus partibus prioribus ipſius ſtatus.
Quamobrem, ſi hoc in omnibus febrib. generatim veritatem habet, vtiq; mul-
tò magis in ardentibus, & ſynochis accidit, quæ igneam caliditatem habent

longè

longè intensiorem reliquis. Remedia igitur inuenta duo sunt: Alteratio, & purgatio. Cum igitur ita res habeat, materia inuenienda est, quæ vel alterutrum, vel vtrunque simul remedium possit efficere. Purgans pharmacum, & potus frigidæ comparāda sunt. Illud purgabit solū, nō alterabit: imò fortassis augebit calorem. frigida alterabit, ac simul materia fiet purgantis remedii. Erit igitur hęc potius eligenda. Certe pharmacum expurgans est quidē multiplici nomine suspectum. Primum quia illius exhibendi tempus magis est in vltima parte status, vel in prima declinationis: deinde, quia illius natura augeret febrem. nam calida acris, & ignea est, vt Galenus ait primo aphor. com. 22. ac passim alibi. Quibus adde, quod cum non sit cognita, vt plurimam ægroti natura, maximū periculum imminet in exhibendo pharmaco, vt sæpè à Galeno propositum fuit, maximè lib. 2. de ratione vic. in morb. acu. commen. 11. & 2. de humoribus com. 21. & primo aphor. 23. ac passim alibi. Altera caussa est, quod, si inuenirentur medicamenta non excalefacientia, certè nulla possent inueniri ita refrigerātia, vt postulat natura febris intensissimæ, & periculū proximè imminens de torrido marasmo. Huius incendi caussa cū putredine coniuncti, antiquiores Medici vsum frigidæ excogitarunt, vt demonstrabimus parum postea. At verò si statuamus synocham non esse putridam, tunc dicam in statu eiusdem minimè vigere posse indicationem de vacuanda multitudine: quia tūc tenuior, & pinguior sanguinis pars mutatur in bilem, crassior autem in melancholiam: in qua transmutatione magis viget alterationis indicatio, quàm vacuationis. Cæterum fient hæc manifestiora, cum explanabo effectus, quia à potu frigidæ fiunt. Nunc igitur ad ipsam dubitationem respondeo, non esse attendendum ad numerum dierum, si vigeant scopi in sanguine mittendo seruandi. atqui in hoc casu non vigent. quia licet adsit magnitudo morbi, nō est eadem magnitudo in statu, quæ fuit in principio. Neque omnis magnitudo morbi, Ludouice Fili, venæ sectionē indicat, sed ea duntaxat, quā facit sanguinis multitudo, aut motus, vt in alio opere diligentius fuisse explanatum recordor. Secunda difficultas in hunc venit modum dilucidanda. Cōcoctio considerari potest duobus modis: vno quidem, dum fit: alio postquam facta est. dum fit quidem febris, & symptomata omnia longè maiora sunt. cum verò facta est, tum febris, tum symptomata diminuuntur. Tempus in exhibenda frigida maximè opportunum est, dum fit cōcoctio manifestissimè: quod in solo accidit statu, in aliis temporibus minimè, in quibus licet natura coniunctioni incumbat, non tamen tā apertè id facit. Datur frigida, nō postquam materia cōcocta est, sed cū cōcoquitur, dum natura paratur ad pugnam, dū febris omniaq; illius symptomata vehementiora sunt: de qua re sic Galenus loquitur. Sed neque iis, quibus obstructio, putridusue humor non concoctus incommodat: quod si euidētes percipis absque iam dictis tumoribus, cōcoctionis notas, illud duntaxat æstimabis, sit ne pars aliqua temperamento adeo frigido, vt in hanc noxam procumbat. & parum postea. Cum ergo ait, in iis concoctiōis notas videris, de quibus dictum abunde est in libris de Crisibus, audacter frigidam dabis. Quippe solidarum animalis partium natura roborata, prætenuatos iam humores aggreditur ita, vt qui vtiles sint, & ad nutriendum habiles, hos quidē ad se trahat, inutiles vel per ventrem, vel per cutim eiiciat. hactenus Galenus. Verum datur adhuc dubitationi locus, concoctio quidem securitatē morbi, & celeritatem iudicii indicat, quemadmodum scribit Hippocrates in Epidemiis: in eiuscemodi igitur febribus nulla adesse videtur caussa exhibēdi frigidam, morbo scilicet iam in bonā iudicationem tendente. deinde verò illud etiam sese offert ambiguum, quod videmur in hoc opere naturæ motum impedire salutarem, quem tamen semper opus est iuuare. Sanè rectè concluderetur, si solius coctionis munus in iudicandis morbis desideraretur: at quemadmodum humorem putrefactū illa concoquit, sic eundem concoctum expellere debet. Concoctio, quanta sit ratione sui salubritatem, & celeritatem indicat iudicii. at non raro accidit periculum subesse non leue, quod humor concoctus expelli non possit. Deinde statuamus naturam expulsuram esse humorem concoctum,

adhuc non mediocre diſcrimen ſeſe offert, quod humor dum expellitur, effre-
nis reddi poſſet, ac ad nobilem aliquam appellere particulã: ideo acutorũ mor-
borum non eſſe certas pronunciationes ſalutis, ac mortis ex Hippocrate docuit
Galenus 2. aphor. commen. 19. Deinde certè periculum non vitabitur de trãſi-
tu putridæ in hecticam, cuius periculi euitãdi cauſſa frigidam damus, præeligẽ-
tes magis naturæ iudicium, ſi quod futurum eſt, interturbare, quam ſinere æ-
grotum ab igneo calore torrefieri.

Secunda conditio. Aqua arte refrigeranda eſt, optimaque in ſuo genere eli-
genda. prior pars regulæ ſatis conſtat ex verbis Galeni octauo methodi medẽdi,
ac etiam nono, vbi hecticis neque copioſam, neque multum frigidam potandã
exhibet. ſecunda pars patet, etiam ſi non exprimatur. Optimam vocabimus a-
quam vel fontanam, vel ciſterninam, pro natura regionis: nam quædam malos
habent fontes, vt Auximum vetus, ciuitas quidem admodum illuſtris, & omniũ
bonarum artium refertiſſima. In hac medicinam faciens ciſterninam ſemper
dedi. Contra verò in Monte ſancto fontana vtebar, quæ bonitate ciſterninam
longe ſuperat. In ſuo genere optimam cenſeo, quæ caret omni ſapore, Græci
ἄποιαν vocant, propterea omnes aquæ medicatæ ſunt ablegãdæ ab hoc munere.
Deinde leuis eſſe debet, vt facile pertranſeat, hypochõdria. ſolet enim peſſima
cenſeri apud Hippporatem, quæ cito non diſtribuitur. Debet facile alterari tũ ad
frigidum, tum ad calidum. Quæ in ea coquuntur debent breui tempore conco-
qui. Aqua bona friget æſtiuo tempore, calet hyemali. Vbi coquitur, quæ incul-
pata eſt, nullam facit reſidẽtiam: alia verò multum fæces habet: & quemadmo-
dum ſapore, ſic odore careat, aliaue qualitate, ac ſubſtantiarũ permiſtione: hiſce
notis bonam diſcernes aquam.

Tertia conditio. In exhibenda frigida vernum tempus, aut æſtiuum eligen-
dum eſt. In vniuerſo Vere conuenit, maximè in eius fine: nullum verò in Æſta-
te tempus eſt, in quo non conueniat: Autumnus ob inæqualitatem ſuſpectus eſt,
illius tamen principium vtile pro hoc fuerit munere, cum naturam præſeferre
Æſtatis videatur. Alia illius partes, & tota Hyems impediunt frigidæ potum: nã
humores nimis incrudeſceret. Quarta. Tantam aquæ bibant ægroti quantitatẽ,
quantam abſorbere vnico poterunt hauſtu. Regulam propoſuit Galenus, dum
ait: Offerenda potui eſt, quæ prorſus ſit gelida, quãtum bibere ægro libet: quin-
imò magis id audebis, ſi frigidæ potioni inſueuit. cum dicit, quantum libet, e-
go interpretor vnico hauſtu, ac ſemper in artis operibus id bene contigiſſe ob-
ſeruaui: qui enim dicunt, voluntati ægrotorum permittendum eſſe, mihi diſ-
plicent, quia certè nimiam bibere poſſent quantitatem, ex qua in totius corpo-
ris fortaſſis extremam frigiditatem venirent. Auicenna vult bibendam, donec
apparuerit viriditas in facie. Hæc indicare videtur mihi caloris extinctionem,
idcirco nunquã expectarẽ hoc ſignum. Imò nõ putauerim hoc extitiſſe cõſilium
Auicennæ. Nam agens de menſura aquæ, dicit: Heminã cum dimidia potandã,
ideſt vncias quatuordecim, aut quindecim, quæ mẽſura eſt admodũ exigua, ea
certè inſufficiẽs, vt calorẽ febrilẽ extinguat: putauerim mẽdoſum eſſe illius co-
dicẽ, ſed vtcunq; ſit, viriditas faciei nunquam expectanda eſt in potãda frigida.

Quinta. Potetur frigida non ſolum vno hauſtu, ſed cleriter ac ſubito. Si enim
quiſpiam paulatim biberet, vtique multo maior in ſolidis partibus fieret impreſ-
ſio frigiditatis, quam fortaſſis expediret. Qui affatim bibit, hic ab eiuſcemodi in-
commodo tutus eſt: nam ſtatim vacuat, alteratq; ita, vt impreſſio illa non diu
duret. Dicemus infra de hac re ex Ariſtotele quædam: hic enim conſulere vide-
tur paulatim bibendum.

Sexta. Multo minori periculo febricitantibus exhibetur aqua hordei, vel in
qua medulla panis clibanarii ſit infuſa. Pro declaratione huius regulæ ſciendum
eſt, raro inueniri poſſe in vno febricitante conditiones omnes, propterea vbi
neceſſitas ſeſe offerat exhibendi frigidam, nec adſint omnes conditiones, neq;
conſtet nobis de conſuetudine ægroti, aut etiam conſtet nunquam antea ſum-
pſiſſe frigidam, lõge tutius eſt, dare hordeaceam, qua ſimul alteratio fit nutritio

ac ſudoris

ac ſudoris prouocatio. idem ſtatuendum eſt de aqua infuſionis medullæ panis clibanarii.

Diximus de conditionibus obſeruandis in exhibenda frigida, nunc breuiter doceamus effectus, qui ab ea fiunt. Iam quidem certiſſimum eſt, quemadmodum ſupra docuimus, duos effectus à frigida fieri, quorum per ſe vnus eſt, ac propria ratione factus: alius verò ex accidenti. Per ſe quidem fit alteratio, qua refrigerantur ſolidæ partes ſatis ſuperque inflammatæ: hinc, quia erant illæ imbecillæ ob calidam intemperiem, ea ſtatim remota, validiores ita redduntur, vt quod vtile ex ipſis ſuccis ad nutritionem eſt, idipſum ad ſeſe trahit: quod inutile eſt, expellit. Verum ipſorum excrementorum expurgatio, ex accidenti fit à frigida, per ſe autem à natura validiori reddita propter potum frigidæ. Si data fuiſſet in principio morborum, vtique refrigeraſſet partes, ſed non dediſſet occaſionem expurgationi, quia tunc humores erant admodum craſſi. at in ſtatu humores ipſos iam attenuatos natura facilius expurgat, vt Galenus inquit. Si quæſieris ex me, quinã humores vacuantur, dicerẽ potiſſimũ ſeroſos vacuari bilioſosque: qui facti ſunt in ſynocho vtraque per degenerationem ſanguinis putrefacti ex tenuiori, calidiori, & pinguiori illius particula, vt Galen. docuit 2. de feb. diff. c. 12. & 2. de criſi cap. 9. in ardentib. verò febribus bilis ipſa putrida educitur à natura euicta iam, & mitificata per concoctiones, eodem Galeno authore 2. acut. com. 44. Euacuatur autem bilis hæc quibuſdam per vomitum, aliis per aluum, aliis per ſudorem, aliis per vrinam, prout corporis natura magis fuerit diſpoſita ad vnam, quàm ad aliam purgationem: obſeruatum etiam illud fuit vacuatam per omnes vias fuiſſe bilem, aut per plures. hæc ita ſeſe habere ipſa docet experientia.

Poſtremum fuit noſtræ tractationis caput dilucidare omnes difficultates in hac materia contingentes, de quibus nunc pertractemus. Prima difficultas eſt, quod diximus, potũ frigidæ non conuenire, niſi in ſtatu vniuerſali ipſius morbi, quo tempore concoctio fit: at Galenus videtur contrarium docuiſſe 10. methodi med. c. 5. in quo ex propoſito agens de iis, qui calido & ſicco corporis habitu præditi, ob cauſſarum maximam vim exiccantium occurſum, febricitantes periclitabantur ſtatim incidere in hecticam, vel intorridum maraſmum. vult illos cibari debere in acceſſionis principio, atque tunc pro refrigeratione exhibet binos, aut ternos frigidæ cyathos: verba illius ſic habẽt: Alteri autem, qui eodem tempore ægrotarat, & ſe nobis commiſerat, quoties nutritus eſt, fontanæ planè gelidæ dedimus interim binos cyathos interim ternos: quando frigidã ſibi multam dari, qui ita ſunt affecti, citra noxam non ferunt] hæc ille. Secundo quidam dubitant, potum frigidæ ſynochum ſanare non poſſe, hoc potiſſimum ducti argumento. Febris ab humore putrido concitata ſanari nõ poteſt ſine vacuatione humoris concitantis febrem. Atqui humor concitans ſynochũ eſt ſanguis. Ergo ſanari non poteſt citra vacuationem ſanguinis. Verùm potus frigidæ non vacuat ſanguinem, ergo non ſanabit ſynochum. Tertiò dubitatur, nec etiam ſanare ardentem febrem: nam inquiunt: Quod auget bilem, nequit ſanare bilioſam febrem: at potus frigidæ auget bilem, Hippocratis, & Galeni teſtimonio libro 3. de rat. vic. in morbis acutis. Quartò oſtenditur ex Ariſtotele non eſſe ſumendam ſubito, ſed paulatim: dicit enim, Medicos ægrotis dare frigidã paulatim vt magis humectet, refrigeretque. Verba Ariſt. habent hoc modo primo problem. 57. An quia aqua largius potata minus humectat, quã ſi potetur paulatim, vt contingit in pluuia. hæc paulatim adueniens magis humectat terram, quàm quæ ſubito aduenit: licet hæc magis abluat terram. Quinto dubitatur an in exhibenda frigida expectare debeamus diem criſimum: nam ſi exhibetur, vt natura ſolidarum partium frigiditate illius roborata, expellat facilius bilioſa excrementa, vtique ſi dabitur in die iudicatorio, multo faciliuseiuſcemodi vacuatio ſucceder. Poſtrema quæſtio eſt, an vtero gerentibus exhibenda ſit frigida.

Pro dilucidatione primæ difficultatis dico, vnum, ac idem remedium vtiliter poſſe vſurpari diuerſis temporibus, prout diuerſæ vigent indicationes, ac

diuersi morbi curandi proponuntur, vt accidit in casu proposito. Potatio frigidæ duobus modis cõsiderari potest: vno quatenus datur ad extinctionem maximi incendii, ac simul ad vacuandum humorem acrem, biliosumq;. Alio modo vt datur ad humores tenues incrassandos, & refrigerandos: : ac ad impediendũ ne illi vacuentur per cutaneos meatus. Iam verò potus frigidæ pro prima indicatione exequenda, longo differt à secundo. nam in primo casu datur in magna quantitate: in alia verò in exigua ob fines diuersos. Syncope inchoãte aut imminente propositũ est Medici illius progressum impedire, quemadmodum imminente prohibere euentum: quæ res fit remotis caussis: sunt autem caussæ quatuor, Humoris inquàm tenuitas, caliditas, dissolutio, cutis ac meatuũ nimia dilatatio. Omnes hæ tolluntur ab aqua frigida: quia incrassat, refrigerat, retinet effluuium, meatus condensat. Exhibetur quantitas exigua, quæ sufficiat hosce effectus facere. nempè cyathi tres gelidæ idest vnciæ quatuor cum dimidia. Verùm hæc exigua quantitas nõ potest satis esse pro totius corporis refrigeratione, ac pro subita extinctione magnæ flammę, proque purgatione biliosi excrementi: idcirco dare solemus libras tres, quatuor aut quinque pro varia dispositione corporũ. Ergo vt ægroti præseruentur à syncope, in accessionis principio tutissimum est dare vnc. iiii. s. frigidæ: & aliquando etiam anteaquam inuadat accessio, quod magis laudandum est. Porrò idẽ contingere certissimũ est in quibusdã febribus ardentibus, quæ cõtingunt in calido & sicco cœli statu, in corporib. calidis siccisque, & à consimilibus caussis in febrẽ incidentibus, in quibus nisi statim refrigerationi occurreremus aquæ frigidæ exiguo potu, dubio procul pręseruari non possunt ab huiusmodi incommodo, vt ex verbis Galeni colligitur eodem capite quinto libri decimi de methodo medendi.

Sed horum, quæ diximus occasione, quętitur, an quemadmodũ pro impediẽnda syncope & transitu in hecticam, exiguam aquæ damus in accessionis principio quantitatem: ita etiam dare multã debeamus in principio vniuersali, cruda scilicet existente materia pro refrigeratione corporis totius, atque expurgatione humoris biliosi. Equidem satis res ipsa videtur controuersa. Galenus enim libro decimo de methodo medendi cap. 5. copiosam asseruit dari posse inchoãte morbo. Dictio illius habet in hunc modum: Quo circa vtilissimum est, vbi febris id eam perspexeris, in prima statim accessione minore cum periculo copiosiori frigida vti corporibus ad validam siccitatem nondum perductis. Hæc Galenus. Quæ postea opere confirmauit: nam iuueni ardẽti febre oppresso in principio accessionis gelidissimę fontanæ propinauit hemias duas, id est vncias decẽ & octo Romanas, & post cænam rursus heminam, hoc est vncias nouem. tota quantitas fuit vnciarum Romanarum vigintiseptem. Sic enim scriptum reliquit: Qui enim in feruorib. sub canicula ex ira febricitauit (iuuenis enim hic erat siccus & calidus) vbi in prima accessione duas frigidæ hæminas sumpsisset, statim quidem euomuit flauissimam bilem: non multo autem postea deorsum excreuit. Deinde rursus cum post cibum aquæ circiter heminam similiter bibisset, iã febricitare desiit. hæc ille, pro dilucidatione magnæ huiusce difficultatis dicendum est, aliquando licere cruda existente materia potare frigidam, vbi scilicet maxima sese offerat necessitas ex præsenti periculo: quod alioquin alia ratione euitari non possit. Statuamus exempli gratia, ardentissimam febrem aduenire in homine gracilis habitus, calido siccoque cœli statu, qui tamen venas habeat latas. certè in hoc casu cõcoctio expectanda non esset: quia dum trahimus morã adeo exiccabitur ægroti corpus, vt impedire de cætero non valeamus transitum ardentis febris in marasmum torridum. Quocirca satius est perspecta iam natura, ac specie febris, illico opem ferre, licet neque id ita fieri possit, quin aliquod ægroto sequatur damnum. Hæc videtur mihi curatio quædam coacta, quæ scilicet instituitur, vt maximum euitemus malum, ne scilicet ægroti incidant in hecticam: præeligentes aliquod damnum magis fieri ex potu frigidæ, quod posset postea à nobis facilè temporis tractu emendari, nam in curatione ordinaria in accessionibus abstinere oportet, vt dicit Hippocrates, & aliquid

dare

dare nocuum est, frigidæque potus non conuenit, nisi coctionis signis euidenter apparentibus. Ratio diuersitatis est, quia in aliis non solum propositum est alterare, sed etiam humores vacuare: at vacuare non licet, nisi materia sit concocta. Sed in ardentissimis admodum exigua viget indicatio euacuationis, alterationis autem maxima. Hic ego vnũ notari velim magni alioquin momẽti: quod secundum Galeni doctrinam aliquando non conuenit in ardenti febre venæ sectio, quod, vt nemo hactenus animaduertit, sic verissimum esse nunc demonstro. Etenim potus frigidæ, ac venæ sectio non sese compatiuntur inuicem, vt Galenus ait nono methodi cap. quinto, vt supra docuimus. Ergo si inchoante 10 ardentissima febre conuenit statim exhibere frigidam, vt Galenus dicit, copiosam: huic certè febri venæ sectio non conueniet. Sed hæc alibi à nobis fuerunt explicata.

Argumentum recentiorum, quo tanquam Achille vtuntur, hoc modo explicabitur, cum dicunt, synochus febris sanari non potest sine vacuatione sanguinis. Respondeo hanc propositionem non esse vniuersaliter admittendam. Primum, quia contrariatur experientiæ, nam quotidie obseruatum est, nulla præcedente sanguinis vacuatione ex solius frigidæ potu ægrotos fuisse sanitati restitutos. Deinde quia Galenus idem testatus est. At dicent: Febris putrida sanari nequit, nisi vacuato humore eam febrem concitante. at synochum concitat san- 20 guis putridus, admitto maiorem libentissime, at minorem indigere distinctione profiteor. Febris synochus putrida fit à sanguine, sed nõ semper conseruatur à sanguine. Quia sanguis, durante putredine, suam naturam non seruat degenerando in alium humorem forma è sanguine diuersum. Tenuior enim ac pinguior illius pars in flauam transmutatur bilem, crassior in melancholiam, vt iam ex Galeno diximus. Ergo synochus febris dupliciter considerari potest: vel quatenus est in principio, atque tunc licet putrefactus dicatur sanguis, quia tamen est tunc leuis, & superficialis putrefactio, adhuc propriam formam seruat, Galeni testimonio 2. aph. 17. in hoc existens statu, sanatur venæ sectione ad animi deliquium vsque. Consideratur secũdo quatenus putredo est in progressu, quo tẽ- 30 pore prorsus impossibile est, seruare ipsam naturam sanguinis, cum degeneret in naturam alieni humoris, quem virtus solidarum partium validior reddita ab aquæ potu, vacuat. Propositio igitur sic venit intelligenda. Synochus nequit sanari sine vacuatione sanguinis, aut illorum humorum, qui ex sanguine putrescente, ac putrefacto gignuntur, vel qui sanguinis efferuescentiã augere possunt in hunc modum vera est in vtroque synocho. Ex iis patet solutio perdifficilis huiusce problematis, quomodo ex potu frigidæ sanetur synochus, præterquã quod sanguis sensibiliter vacuetur.

An verò aqua generet bilem, declaratum à me in alia fuit epistola: summa fuit opinionis meæ, aquam bilem generare non posse, quando in maiori exhibe- 40 atur quantitate, quam sit bilis portio, ac virtus. at si minor existat portio illius, maior bilis, quis ambigit maiorem habere in agendo supra aquam potestatem bilem ipsam, quàm habeat aqua supra bilem: Equidem omnis fit actio, cum introductione formæ contrariæ, vt Aristoteles docuit, à proportione maioris inæqualitatis. Aqua igitur erit hoc modo biliosa: atque sententiam Hippocratis intelligi debere de potu aquæ exiguæ, constat diligenter consideranti verba ipsius Hippocratis. hæc sufficiant de hoc argumento.

Quod pertinet ad Aristotelis sententiam, sciendum est, potum frigidæ duplici de caussa dari; vel vt paulatim refrigerentur, ac humectentur excalefactæ partes: vel vt id ipsum fiat subito, ac simul humores excrementitii statim vacu- 50 entur. Prior scopus viget, quando calor igneus non mouetur velociter, vt accidit in omnibus continuis periodicis, quæ vocantur proportionales: Secundus autem, cum motus est admodum velox caloris, imminetque simul subita necessitas statim vacuandi humorem putrefactum. Ergo à febre vt febris indicatio insurgit refrigerationis: à segni motu caloris refrigeratio paulatim facta: à validiori autẽ refrigeratio subita, Aristoteles quidem in eo problemate agit de

alteratione, quæ sensim fieri debet, quæue naturæ amica est: quod enim paulatim fit, id naturæ iucundũ censetur, vt Hipp. dicebat 2. aph. 50. Galenus verò locutus est vigente indicatione de alteratione subita euacuationi coniuncta.

Quintæ dubitationis dilucidatio sic habet: Putare me aquam multo magis fore vtilem in die crisima exhibitam, quàm in aliis diebus: quia cum exhibeatur frigida, quod nõdum certi simus naturam eiuscemodi febrem iudicaturam, remedium datũ in die motus naturæ, ipsam magis paratam inuenit ad opus exercendum, quàm in aliis diebus, in quibus illa mouere non solet. ergo, aut septimã aut vndecimam, aut decimam quartã in hoc munere perficiundo eligere diem oportebit. Deinde illud etiam àddo, si quispiam fuerit in hac re negligens, hunc non aberrare; modò tamen obseruet signa coctionis manifesta, atque tunc exhibeat frigidam, cum maximum incendium afficit.

Postrema difficultas haud exigua est. nã synocho, aut ardente febre mulierẽ inuadente vtero gerentem, in qua mitti sanguis non possit, aut quod illius auxilii accommodata præterierit occasio, aut quod fœtus grandior contrariam indicationem præbeat, aut postremo, quod ægrota aut assistentes renuant. Ego non abhorrerem potum frigidæ: quia vnica spes adesse salutis videtur mihi in solo hoc remedio. Quam periculosum sit in eiusmodi statu purgãs pharmacum satis constat ex calida ipsius, igneaque intemperie, qua febris augetur, ex motu humorum, qui non parum addit incrementi calori præter naturam, tandem ex fortuita illius actione. Contra verò tutissima mihi videtur potatio frigida: qua ardor febribus extinguitur, ac humores citra naturæ incommodum purgantur. Vellem tamen hoc obseruari, ne daremus vtero gerẽti admodum frigidam, deinde, vt pro frigida fontana, aut cisternina, eligeremus hordeaceam. Neq; fœtus videtur mihi impedire hoc remedium: primum, quia non potest extingui calor insitus illius à frigida, cum ad vterum peruenire non possit actuali frigiditate: demum, quia remedium naturæ amicum est, nihil enim magis delectat, quam potus frigidæ. De quo, quia satis videor dixisse, opus est, vt ad aliorũ explanationem veniam. Sed quia publicæ lectionis tempus instat, in commodiorẽ occasionem reponamus.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER OCTAVVS.

De capitis grauitate, de vertigne, memoria imbecilla, & de sialismo pro Bononiensi Patricio, Responsum.


IN FAVCIBVS vtrinque iuxta radicem linguæ quædam creatæ sunt à Natura adænosæ carunculæ, quarum opera ea gignitur in ore humiditas, quam saliuam, & sputum vocant. fuit autem multiplex caussa generationis excrementi huius. vna quidem, vt inseruiret linguæ, quam oportebat esse ob locutionem, & alios vsus facile mobilem quod illa consequitur ab humore, quemadmodum à siccitate immobilitatem: Alia verò est, vt nonnulli dicunt, quod conducat in saporibus degustandis: Tertia, vt alimentum siccum manducatum humiditati illi saliuali mistum facilius per gulam descenderet in ventriculum. Sed si

præter

præter naturæ modum augeatur, vtique gignitur is affectus tædiosissimus ægroto, vt assistentibus, quem Græci vocant σιαλισμὸν vel πτιελισμὸν, quo immoderata saliua educitur diu, noctuque, ac impediuntur actiones quam plures, mouereque solet maximum fastidium aspicientibus. Hic est affectus, de quo præcipuè conqueritur Nobilissimus Bononiensis, licet adsint alii fortassis molestiores, vt capitis continua grauitas, vertigo, abolita ferè memoria. affectum indicant hæc cerebri longè grauiorem, quam sit sialismus. Primum, quia principem partem occupant, deinde quia cum materiæ pituitosæ copiam in ea sede contineri ostendant, vereri oportet, ne affectis vehementius cerebri ventriculis, qui iam lædi cœperunt, apoplexia, vel alius eiusdem generis affectus consequatur. Horum omnium inuestigabo primum caussas, mox verò de materia medica, scopis inuentis edisseram.

Sialismi caussa nequit referri in adænes faucium, quia impossibile omnino videtur tantam humiditatem gignere illas, quantam quotidie videmus educi. igitur aliunde proficisci debet. Certè à duabus emanat partibus, nempe à ventriculo humidiori, & à cerebro. vtraque pars vbi nimio humore madet, solet efficere sialismum, ratione tamen diuersa. Cerebrum quidem materiam aqueam destillando in fauces per illud manifestissimum foramen, quod tum in ipsas nares, tum in palatum terminatur. At ventriculum ob consensum tunicarum illius compositionem constituentium; notissimum enim illud est, easdem tunicas constituere ventriculum, quæ etiam ambiunt palatum, & linguam. atque vbi ille multo humore abundauerint, solent illum superioribus partibus communicare, vt quotidie videmus contingere in vomitu, nam anteaquam aliquis euomat, prius aqua perlucida ex ore effluit: accidit etiam nonnullis, cum viderint quendam cibum comedi, qui sapiat illorum palato, impleri os humiditate quadam saliuali. In summa cum sialismi caussa duplex à Galeno statuatur, primo prorrheticorum, & octauo de comp. med. sc. loc. ventriculi, ac cerebri affectus, consideratione dignum videtur, vnde nam putemus in nobilissimo ægroto contingere. Putauerim ego maiori ex parte cerebrum esse in caussa. moueor, vt ita credam, his coniecturis. prima quod hactenus omne remedii genus pro emendanda intemperie humida ventriculi fuit à præclarissimis Medicis Bononiensibus executione mandatum, sed frustra: nunquam enim nedum sanare, sed neque minuere affectum potuerunt.

Alia est, quod siue vtatur cibis exiccantibus, siue abstineat ab aqua, & ab omni humectante potu, adhuc tamen permanet multitudo sputi eadem. Tertia est, quod potissimũ nocturno tempore inuadit, nam interdiu minorem emittit sputi quantitatem, maiorem noctu. quæ res videtur indicare à capite tantam suggeri materiam. Postrema, quod appareant signa humidi cerebri manifestissima, vt obtusi sensus, grauitas capitis eiusdem magnitudo, memoria imbecilla, vertigo, quæ hisce postremis diebus accidit. Quamobrem hic sialismus, licet foueatur aliqua ex parte ab humida intemperie ventriculi, præcipuè tamen ducit originem à cerebro. quo circa signum est huius intemperaturæ ac etiam bonum prognosticum, quia si humor ille aqueus in cerebrum abundans non efflueret ad partes infernas, vix euadere posset ægrotus, quin incideret in apoplexiam. His ita constitutis, hanc præcipuam indicationem habeo, corrigendi intemperiem cerebri, expurgantibus pituitam aqueam, & calefacientibus & siccantibus, quod si etiam videbitur opportunum, vtemur reuellẽtibus, ac deriuãtibus, ac tãdem pro præseruatione accommodatam rationem victus perscribemus. Verum quia non licet caput purgare, nisi prius totum purgetur corpus, ab huius expurgatione curationem exordirer.

Principium quidem sit, sumere vnc. v. mellis rosati solutiui cum duabus vnc. aquæ betonicę, mox autem singulis diebus hoc apoxema capiat pro humoribus parandis. Rec. betonicæ, sticados, origani, rorismarini, calamenti an. m. i. coquãtur in mellicrati diluti lib. ii. ad tertias. tũc Rec. decoctionis huius vnc. iiii. syrupi

de menta, de cortic. citri, an. vn. i. misce pro syrupo. Vbi verò humores videbũtur satis excalefacti, roboratusq; ventriculus, sumat vnc. iii. syrupi de betonica purgatiui cum vnc. iii. aquæ mellissæ. habet autẽ syrupus noster hoc modo. Rec. betonicæ recentis man. ii. rorismarini, hyssopi, sticados, origani, saluiæ vtriusq; amarici an. m. i. radicum helenii, iridis florentinę, accori an. vnc. i. ligni indici optime parati vnc. i. s. passularum, sebesten an. vn. s. fiat decoctio ad vnc. xv. in quibus infunde foliorum senæ mundatorum, agarici electi an. vnc. iii. reubarbari electi vnc. s. fiat leuis ebullitio, deinde exprimantur, ac tunc dissolue zuchari electi vnc. xv. fiat syrupus perfectè coctus. hic syrupus purgat pituitam aqueam, roboratq; ventriculum, & caput, estque sumendus decimo quoque die, dũ scilicet decoctum ligni guaiaci iam illi præscriptum potabit: meminerit toto Aprili decocto vtendũ, atque si ad quadragesimum vsque diem extẽdatur, laudo: sudorem prouocabit è toto corpore, præsertim verò è capite: hoc enim adeo necessarium est, vt pro absolutione curationis nunquam prætermittendum sit: quoue tempore sudor prouocatur perpetuo sacculos discutientes, attenuantesque sincipiti, & ceruici habeat applicatos, actu calidos: & si aliquando refrigerentur, denuo calefiant. sic totum corpus purgabitur, ventriculus roborabitur, humoresq; in capiti contenti per sudorem ipsum vacuabuntur,

Cæterum neque videntur mihi hæc sufficere, nisi pro reuulsione duo fiant cauteria, id vtroque scilicet brachio supa cubitum, ac si me habere consultorẽ desiderat, tertium etiam adde in occipitio, vel vbi illud abhoreat, in sutura coronali. Sed anteaquam in capite fiat cauteriũ, experiatur prius ducciam Aquensem temperatam, quam si bene ferret, poterit eandẽ futuro anno repetere. Porretana videtur mihi nimis valida, tamen si Aquensis parum iuuabit, ad Porretanam accedat, sed non sine consilio Bononiensium Medicorum.

Summa verò totius curationis, meo iudicio, in victus ratione consistit, de qua nunc pauca dicemus, in rem præsentem maximè accommodata. Atq; primum quod pertinet ad aerem, in quo certè magnam sanationis vim consistere putauerim, opus est euitare humidum, austro potissimum expositum, pluuiosum, & nebulis plenum. Quoniam verò iam relatum est mihi multo melius in patria permansisse, immo affectum incepisse, cum Pręturam ageret in hisce montibus, optimum duco in aerem natiuum reuerti. Somnum diurnum scio maximè læsurum: tamen non ausim omnino mutare consuetudinem; sed si Bononienses Medici opportunum iudicabunt, id paulatim facturos non dubito. Interim non dormiat in lecto, sed sedens, neque multum. Neque multum etiam excedat nocturnus. Velim quotidie ante cibum exerceri horis potissimum duabus ante prandium ac cęnam. quiescat hora semis, quod minimum est, post exercitationem, anteaquam cibum sumat. hoc sibi certò persuadeat, quod ab Hippocrate scriptum fuit, sanitatis studium esse exerceri, & non satiari cibis: Propterea omnem plenitudinem alimentorum, quo ad eius fieri potest, vitabit, diligenterque procurabit singulo quoque die aluum habere hnmectam aut natura, aut saltem artis beneficio. Abstineat à vino, præsertim anteaquam purgatum exquisite fuerit corpus. nihil enim magis euaporat ad caput, imò neq; vino oligophoro vti vellem, quia hoc etiam non solum mihi, sed magno Hippocrati in capitis affectibus suspectum fuisse profiteor. Pro vini potu, hic erit illi accommodatus qui habet, ligni indici præparati vnc. i. passularum, liquiritiæ, an. vn. ii. cinamomi vnc. s. aquæ fontis optimæ lib. viii. coquantur ad tertias pro potu, cui si zuchari fini portionem addiderit, modo non abhorreat zucharum, non displicebit. Cum verò tempus opportunum dabitur vtendi vino, eligendum illud quidem pauciferum, & subadstringens, vt magis roboret ventriculum, minusque ad cerebrum euaporet. Alimenta sint optimi succi, & facilis coctionis, sed quæ magis calefaciendi, & exiccandi habeant potestatem, quam refrigerandi: idcirco magis assatis, quàm elixis vtẽdum puto. A piscibus abstineat, tum quia nimis humidum alimentum faciunt, quàm conueniat affectibus, tum etiam quia cum marinis careat, & saxatilibus, adsit verò solum copia palustrium, & lacustrium maxi-

maxime tencharum & anguillarum, quæ ex Transimeno lacu deferuntur, maxime lædetur ab illis: carnibus vescatur gallinaceis omnis generis, domesticis ac siluestribus, auium paruarum, starnarum, fasianorum, turdorum, atagenorum, ficedulorum, francolinorum. Qui ex pasta fiunt cibi, vt laganæ, & omnis itriorum species nocebunt. à flatuosis abstinendum, in quo genere primas partes habent legumina, maxime faseoli, quos audio ad satietatem edere: nocebunt etiam herbæ omnes virides, nisi aliquando ex oleo & sale coctis vescatur betis, & mercuriali ad humectandum aluum. Post mensam assuescat sumere vnc. s. diacidonitem cum zucharo, nec postea bibat. imo cum it dormitum, abstineat à potu. hoc enim adeo noxium est, vt fere nihil magis. Faxit omnipotens Deus, vt quæ pro illius salute scripsimus, omnia bene cedant.

De Epilepsia per essentiam in nobili puero duodecim annorum nato. Responsum:

MAXIMAM perturbationem attulerunt mihi tuæ litteræ, quibus puerũ tuum significasti epilepsiam pati: nam cum te ipsum singulari amore prosequar, facere non possum, quin tuis etiam rebus compatiar aduersis. me tamen consolantur duo: Alterum quod pueri curam habet Hieronymus Cordella Medicus absolutissimus, cuius doctrinæ, diligentiæ, atque obseruationi ita plane confido, vt videar mihi fere certissimus, in pristinum statum tempore fortassis breui reuersurum: Aliud vero, quod epilepsia mutatione ætatis (vt aliquando Hippocratem memini scripsisse) sanari solet, in fœminis quidem, erumpentibus mensibus, in pueris adueniente semine. ego sane multos noui sanatos infra vigesimum quintum annum: at supra admodum exiguos. Bono igitur sis animo, ac bene speres. Quod ad me attinet, frustra meum inquiris consilium, vnus pro omnibus tibi satisfacere debet Cordella. Sed, quia nolim putes officium negare meum, quod te non amem, scribam, quæ in hoc affectu opportuna videntur mihi, hoc tamen pacto, vt omnia illi communices, & nihil omnino exequaris, nisi approbauerit.

Ex iis, quæ scripsisti, ac etiam à Mariano relata sunt, colligo epilepsiam hanc non esse per consensum: quia nulla prorsus apparent signa, quæ aut ventriculum læsum esse, aut aliam quampiam determinatam particulam huic affectui occasionem præbuisse, denotent: ac ex alia parte certissima sese offerunt, indicantia cerebri temperamentum frigidum ac humidum cum magna pituitæ copia: propterea tota curandi ratio in hoc vno potissimum consistere videtur mihi, vt pituitam vacuemus, cerebrumque introducta noua intemperie, corroboremus. Verum, quia id tuto fieri non potest, nisi materia denuo generanda prohibeatur, idcirco prius nonnulla scribam de ratione victus, qua eiuscemodi præseruatio fit: agam secundo de medicamentis: tertio de chirurgia. Quod attinet ad rationem victus, in qua maior fortassis pars curationis huius consistit, opus est eam extenuantem esse, qualem Galenus libro huic tractationi dicato copiose scribit. Particulariter autem consulo, vt aerem meliorem eligas: nimis enim humidus est, in quo moraris, siccus conuenit, in actiuis vero qualitatibus temperatus: at vestra ciuitas humidum habet aerem caliditati iunctum. Expedit hyeme alterare ipsum igne ex lignis iuniperinis, aut oliuarum, aut sarmentis vitium accenso. Perusium magis Camerino placet. nam licet vtraque ciuitas in alto sit monte situata, tamen aer longe siccior est Perusinus, quam Camerinensis: imo hæc ciuitas adeo humida est, vt ausim dicere, nullam fere inueniri posse magis obnoxiam destillationibus. Iubeas quotidie exerceri puerum ante cibum horis duabus. Neque putes leuem deambulationem exercitationem esse: nam omnis exercitatio labor quidem est, vt cum Hippocrate loquar. Ludus paruæ pilæ sit illi pro exercitatione, ludat hora vna, alia sequenti leuiter ambulando sese domi contineat, donec prandii, aut cœnæ tempus venerit opportunum. Somno diurno nunquam vtatur: neque etiam nocturno longo, magis illi vigiliæ sunt vtiles, nisi ob alimentorum coctionem declinare magis ad somnum oporteat. si caput aliquando sudauerit, detergatur

diligenter, cauebitq; ne post sudorem statim frigido aeri exponat sese. cruditatem omnem vitabit, & crapulam, quibus pueri dediti sunt. Tribus cibationibus sit contentus, matutina pro prandio, vespertina pro cęna, vberiores existant, moderate tamen quæ non grauent ventriculum. intermedio tempore leue aliquid sumat. Non putauerim ab vno extremo ad aliud perueniendum sine medio. Scio puerum tum ratione ætatis, tum consuetudinis multo indigere alimento. Morbum vero subtractionem illius indicare. media igitur ineunda est via, quæ satisfaciat omnibus. Passiones animi vitabit, præsertim iram ac timorem. Non aspiciat currentes aquas, non rotas cum veloci agitantur motu, nec choreis indulgeat, quibus corpus moueri debeat in gyrum. Circa cibum ac potum hæc illi obseruanda sunt. Primum quo ad eius fieri potest, abstineat à vino: huius loco vtendum fontana decoctionis saluiæ, & modico cinamomi: ac vt gustui gratior fiet, zuchari portionem addito. Si aut ventriculi imbecillitas, aut pueri morositas, vinum potare cogant, prius caue, ne des illud anteaquam etiam atque etiam corpus fuerit expurgatum: mox vero detur in pauca quantitate dilutum multa aqua, & fere oligophorum. Præcipiunt abstinendum esse à carnibus. ego putauerim suillas vitulinas, ac eius generis plurimum nutrientes non esse vtiles, quia victum extenuantem vtilem existere admittunt omnes. At auium nemoralium vsus saluberrimus est, neque abhorreo paruas pullas, & columbos turriculos iuuenes: Morbus postulat non esse vtendum elixis: Aetas autem prohibet. propterea non semper assatis, elixisque, sed alternatim his ac illis puero vescendum. Elixentur cum carnibus perpetuo folia, ac semina, radicesque peoniæ: maioranæ etiam, vel hyssopus, vel origanum, vel serpillum, vel eius facultatis alia nonunquam coquenda sunt. Abstineat, quo ad eius fieri potest, à piscibus, quod si edere aliquando voluerit, sint petrosi, & in craticula cocti & ex aceto. Palmulæ, ac nuces malæ. Pistacchia, & pinea, & passulas admittimus. At si placeret illi comedere in prima mensa decem aut octo amygdalas amaras, aut totidem persicorum nucleos non mediocrem vtilitatem nanciscetur. Post mensam semper vnciam semis deuorabit diacitonitem, aut vnc. vnam coriandrorum pręparatorum. nunquam ibit dormitum nisi horis tribus à cœna transactis: atque ne eo tempore bibat, etiam atque etiam cauebit. hæc circa rationem victus notasse sit satis.

Porro quod attinet ad medicamenta quædam vtilia sunt pro præseruatione, quædam pro epilepsia actu molestiam inferente, de vtrisque agam. Expurgabitur in primis puer hoc modo. Rec. mellis rosati solu. vnc. ii. s. agarici trociscati scrup. i. ex aqua peoniæ fiat potio: hac enim prima corporis regio expurgabitur. Tum demum pro humoris præparatione sumat syrupum hunc. Rec. syrupi de betonica vnc. i. oxym. simpl. syr. decorticib. citri an. vnc. s. decoctionis betonicæ, stichados, origani saluiæ, iuæ, & foliorum peonię vnc. iiii. misceantur pro syrupo. Præparatam materiam sic purgabimus. Rec. aquarum peonię masculæ betonicæ an. vnc. i. s. vini optimi vnc. s. macerato horis decem, agarici trocisc. scrup. iiii. zinzib. gran. v. oxym. simpl. vnc. s. in expressione dissoluito diaturbith cum reubarbaro drach. ii. s. mellis rosati solut. vnc. i. Toto corpore in hunc modum purgato, capitis purgationem efficere oportebit, exhibitis nasipurgiis, & masticatoriis, vt Rec. succi anagallidis cæruleum florem habentis drach. iii. aquæ mulsæ vnc. ii. attrahatur in nares mane ante cibum horis duabus. Si anagallis haberi non possit, substituatur succus betæ albæ, cum vna parte succi maioranæ, vt puta succi betæ vnc. ii. maioranæ vnc. i. Masticatoria præterea fiant ex mastiche, piretro, passulis, ac cera, quibus eo ipso tempore vtendum est, quo nasipurgia vsurpamus. Verum expedit purgare singulis quindecim diebus ex eodem pharmaco, aut pilulis cochiis, & de agarico an. scrup. i. s. abstinendo tamen in cane, & ante canem: nam licet æstiuum tempus accommodatum sit pro expurgatione huic affectui adhibenda, tamen temperamentum pueri dissolubile, molle, ac album repugnat, adeo vt omnino tunc abstinendum esse suadeam.

Nunc

Nunc affero particularia quædam pharmaca, quæ in epilepsiæ curatione maxime profuisse semper noui. ac primo loco sit quod sequitur. Puluis epilepticus. Rec. ossis capitis humani masculi anterioris partis combusti, seminum pæoniæ masculæ excorticatæ an. vnc. s. Radicis tormentillæ, visci quercini an. drach. ii. rasuræ vngulæ alcis scrup. vnum puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, & detur drach. i. s. pro vice ante cibum horis duabus. atq; addito zucharo fino fiat Trachea, de qua sumat vnum cocleare magnum eunti dormitum. Electuarium epilepticum solidum sic præparare soleo. Rec. coaguli leporis drach. ii. seminum pęoniæ masculæ vnc. s. visci quercini drac. v. sanguinis mustellę præparati drach. i. s. anisorum, cinamomi, caryophyllorũ an. scrup. i. s. corallorum rubeorum scrup. i. cranei humani anterioris partis adusti drach. vi. pulverizatis omnibus, cum zucharo fino dissoluto cum aqua pæoniæ fiant tabellæ, ponderis drach. iii. pro singula: capiat vnam pro vice ante prandium horis tribus, & immediate postea bibat vnciam semis aquæ ad epilepsiam infra describendæ. Mustellæ sanguis hoc modo præparabitur. Mustella decollata totus sanguis asseruatur in vase vitreo: mox vero vbi concreuerit, diuiditur in partes minutas, & vmbrę æstiuo tempore expositus, siccari sinitur. Hic sanguis præstantissimus censetur pro epilepsia sananda. Imo hoc certissime tibi dicere possum, vidisse me sanatum epilepticum supra 25. annum solo huius sanguinis vsu; potati scilicet statim atque è venis exiit ad vncias duas, cum vncia vna aceti. Curato diligenter, vt copiam habeas testiculorum apri, aut saltem verris, id est, suis domesticæ venere vtentis, ac simul testiculos galli exiccabis illos in furno: mox in puluerem tenuissimum rediges. sint pulueris apri duæ vnciæ: at vna galli, deinde addito duplum zuchari fini. De hoc puluere continuo sumat tuus puer in omnibus ferculis: nam experieris pharmacum absolutissimum. Referebat mihi Ludouicus pater solitum sese dare drach. iii. huius pulueris cum aqua betonicæ decem continuis diebus sine zucharo, & sanasse mulierem, quæ passa fuit epilepsiam annis octo: præcipiebatque, vt omnino mense integro abstineret à potu vini. Nunc tibi communico aquam vere præstantem pro hoc morbo aut omnino pro pulsando, aut certe magna ex parte mitigando. Hanc parabit tibi Franciscus Mercenarius conciuis meus in arte destillandi præstantissimus. Rec. florum lauendulæ, man. viii. florum lilii conuallium man. iiii. macerentur sex diebus in lib. xxv. vini flauescentis ac generosi, vti est vernacia, vel maluaticum vel trebianũ apud Thuscos mox destillentur in balneo mariæ lento igne sine fumo ac puluere. Tum vero postea in aqua destillata addito specierũ diamusci dulcis vnc. s. visci quercini vnc. i. sanguinis Mustellæ præparati drach. vi. rutæ siccæ man. i. cubebarum, & seminum citri an. drach. iii. macerentur hæc quatriduo: ac quod destillauerit postea vsui reseruetur hoc modo. Post electuarium vnciam s. datur ex cocleari. Anteaquam inuadat epilepticus insultus datur vnc. s. cum vnc. iii. iuris pullæ, in quo decocta sit radix pæoniæ & semina; equidem accessionem si non remouet, saltem retardat: obserues tempus inuasionis, (solet enim inuadere singulis quadraginta, vt scripsisti, diebus) & anteaquam inuadat diebus quatuor, aut quinque aquam exhibeas ante cibum horis tribus: cum vero noueris iam proxime instare accessionem, eandem propinabis, nam aut non reuertetur accessio, aut certe quotidie magis breuiorem faciet. hæc medicamenta apud me potiora sunt.

Quod pertinet ad ipsam chirurgiam, vtique ab omnibus laudatur cauterium: quidam enim admittunt fieri debere in futura coronali, alii in inio: laudant quidam setanum, vel setonem appellatum, nonnulli abraso toto capite synapismo id oblinunt, vel aliis id genus pharmacis acribus vesicas inducentibus: quorum operationes videntur mihi rationi consonæ. Adhæreo tamen ego magis iis, qui cauterium faciunt in inio, quod sciam passim vsurpari in Thuscia, in qua pueruli etiam si hunc affectum non patiantur, ratione præseruationis vtuntur. Scio etiam Ludouicum patrem, & Sebastianum Papatellam satis bono successu fuisse vsos cauterio in spondilibus colli inter Tertiam, & Quartam verte-

Historia.

Pharmacu absolutissimum.

Aqua vere praestans eiusque vsus.

bram ferro ignito facto ad formam litterę maiusculæ T. & per latitudinem vertebrarum inurebant: erat autem instrumenti hæc forma ⊣. profitebanturque multo maiorem, quam ex aliis vtilitatem nasci.

Cæterum pro ipsa præseruatione quotannis purgetur puer Autumno, & Vere. quod si hanc exquisitam purgandi rationem vel puer abhorreat, vel excellentissimus Cordella non facile admittat (quod equidem vix credo) saltem paratum habeat syrupum purgatiuũ, quo singulis vtatur diebus quindecim ad vnc. iiii. pro vice cum iure carnis optimæ, qua cum radices pæoniæ masculæ fuerint incoctæ. Meus syrupus sic habet: Rec. succi lilii conuallium depurati, succi rosarum pallidarum, an. lib. i. s. in iis macera horis 24. turbith elect. drach. vi. agarici albissimi vnc. iii. foliorum senæ expurgatorum vnc. ii. s. seminum cartami contusorum vnc. i. deinde vnica ebullitione efferuescant, exprimantur dein, & per manicam Hippocratis excolentur. ac tum adde zuchari fini lib. ii. fiat syrupus perfecte coctus, qui in vsum prædictum asseruetur.

Quo vero tempore in accessione constitutus est puer, si potandum exhibere poteris aquam nostram ad drach. v. aut solam, aut cum iure pullæ, facilius excitari ipsum comperies ab accessione. si parata nondum aqua sit exhibendo vncias duas succi rutæ depurati, miram videbis operam, aut tantundem succi lauendulæ: idem præstare succum calendulæ sum certissimus. Tunc etiam naribus rutæ suffitum efficies ex aceto supra ignitam tegulam asperso. Odorandum præbeto castoreum origano permistum, in ipsis naribus insufflato, asæ fœtidæ scrup. i. castorei scrup. ii. piperis, ac hellebori nigri corticis. an. drach. s.

Si noueris iam instare horam paroxysmi, exhibeto audacter aquam, nam vel impediet aduentum, vel retardabit, vel certe minorem reddet. vel Rec. coaguli leporis drach. s. fiant pilulæ numero tres ex succo, iuæ, aut betonicæ, aut ex aqua eorundem statim exhibendæ. vel si hoc ad manus non sit pharmacum, Rec. vtriusque aristolochiæ an. scrup. i. cimarum hyssopi, foliorum assari an. m. s. coquantur ex aqua betonicæ, in cuius vnciis tribus dissolue thericea antiqua scrup. i. ac exhibeto. Hæc habui, vir clarissime, quæ pro filii tui sanitate scriberem: vt tibi soli satisfacerem, cui non obedire nefas iudicaui. Legenda hæc præbeas Cordellæ, quem censorem, ac iudicem desidero, sanet puerum tuum, qui sanat languores nostros. Amen.

ANNIBALI MALLETTO MEDICO.

Vtero gerenti octauo, aut nono mense non esse mittendum sanguinem ratione præseruationis ab abortu. & de facilitando partu quædam breuiter scribuntur. Responsum.

LITTERÆ tuæ haud bene conuenire videntur mihi cum Historia, quam tuus retulit pharmacopola: Sexto mense vtero gerere mulierem scribis, at ille octauo. huius ambiguitatis caussa iussi, vt ad me vel eius vir accederet, vel saltem certiorem redderet, qui fuerit vltimus mensis expurgationum ex vtero, & quæ postea successiue mulieri nobilissimæ contigerint symptomata, vt inde facta computatione, exacte scirem (prout tamen in hac materia sciri potest) qui gestationis in vtero mensis esset. Hodie accessit eius vir, dixitque mihi vltimum expurgationis mensem fuisse Maium, neque recordari, an in principio, an in medio, an in fine mensis expurgatio contigerit. Quæ, si vera sunt, video permagnum adesse in mensium computatione errorem: nam aut iam octo menses exacti sunt, nonumque ingressa est mulier: aut certe proxime nonum est ingressura. Si à principio mensis fuit purgata, nonum ingressa est à principio Ianuarii: si vero medio mense Maio libera fuit à menstruis, exactus est omnino octauus in medio Ianuarii. si in fine id contingat, aut exactus est, aut certe breui terminabitur octauus. Velim enim scias menses computandos in vtero gerentibus, solum habere dies 29. & horas 12. quamobrem si octo mensibus dies excedentes plus, aut minus octo, dempseris, qui finis esse debet octaui mensis

mensis in Ianuario exacto, erit decimooctauo dies, aut vigesima parum plus, aut minus. Sunt hæc ex Hippocrate, & Galeno declarata à nobis libris de hominis partu. Non itaque possum ego tuam in hac re admittere sententiam; mulieri mittendum esse sanguinem, vt ab ipso abortu præseruetur. Primum, quia si hoc mense parturiet illa, non faceret abortum: deinde quia multa sunt, quæ contrarium suadeant. Adueniente enim partu in fine mensis huius, aut prope finem: si in principio aut medio Maii conceperit, iam certe quidem naturalis partus est, vt puta nouimestris, aut fere exactus, aut saltem dimidiatus. Duntaxat abortus nuncupari posset, si nondum plene exactus sit octauus mensis: at 10 id futurum non suspicor, quia facta conuenienti computatione nunc parum admodum à principio abesse videtur noni mensis: cum igitur iam proxime videam instare tempus naturalis partus, abortus nulla suspicio est. Deinde vero maxime suspectum, atque periculosum remedium videtur. Etenim non est ambigendum fœtum esse grandiorem, indigereq; multo alimento, vt conseruetur: cur igitur alimentum subtrahere in animo est? putauerim quidem hac potissimum ratione excitari posse abortum. scis enim inter caussas abortus alimenti defectum numerari ab omnibus Medicis, atque Hippocratem dixisse mulierem secta vena cubiti abortire: Neque facile admiserim, quod scribis à multitudine sanguinis in vtero suffocari fœtum: primum, quia suffocatio tunc præ- 20 sertim solet contingere, cum fœtus paruus est, exiguoq; indigeat alimento, atque huius maxima in corpore insit copia; hoc accidit in primis mensibus, nempe vsque ad tertium, aut quartum, rarissime vlterius progreditur. ideo venæ sectio prioribus mensibus magis vtilis est, quam postremis: Contrario modo res habet in pharmacorum vsu, cum à quarto vsque ad septimum purgandæ sint vtero gerentes, si materia turgeat: fuisset igitur fœtus in principio suffocatus: cumque id euaserit, & maiori egeat alimento suffocari octauo, aut nono non potest. Adde, quod eius vir mihi retulerit bis fœtum mortuum emisisse mulierem nono mense: quod si verum est, vtique ratione temporis fœtus maturus fuit: atque cum mortis caussa in multitudinem sanguinis referri non possit, vt diximus, 30 aliam esse caussam necis putandum est. Ea vero est, Annibal, difficultas partus. Nam quo tempore illi parturiendum est, ruptis membranis multis diebus anteaquam partum edat, tota fluit serositas illa, quæ vias reddere debebat lubricas pro facilitando partu, atque cum angustos habeat meatus, exireq; nequeat fœtus ob siccitatis vteri, nutrimento priuatus moritur. Habere illam angustos meatus inditio est, quod pinguem illam & obæsam existere mihi fuerit relatum. Porro difficultatem hanc partus ex nimia siccitate, mortis caussam esse aliquando, apud omnes Medicos certissimum est. Viget etiam postremo anni tempus frigidissimum, regio etiam eiusdem naturæ particularisq; constitutio. quæ tria cœli statum constituentia cum vel admodum calida, vel frigida extiterint, venæ 40 sectionem inhibent, aut certe mensuram limitant, vbi magna sese offert occasio, quam cum in præsenti casu non videam, fit vt omnino prohibere statuam: Maxime si mulier multa pinguedine abundet, & potius frigido, quam calido prædita temperamento fuerit. Quid igitur agendum, ne eiuscemodi contingat casus? Dicam breuiter quid sentiam in hac angustia temporis, aliàs copiosius scribam. Duo meo iudicio agenda sunt: vnum vt anteaquam adueniat partus, quiescat domi, nullos motus laboriosos edat, spinam dorsi non flectat, caueat ne ab aeris frigiditate incidat in tussim, propterea saluberrimum duxerim, vt in lecto accumbat, & si aliquando surgere voluerit, leuissime ambulet, ac vt plurimum sedeat, conuenienti interim obseruata ratione victus. Secundum est, 50 vt partus tempore, vbi iam primum exitus apparet, aquæ sumat scrup. iiii. boracis ex aqua matricariæ, diligensque obstetrix non solum pudendas omnes partes humectet, ac liniat oleo amygdalarum dulcium, & liliorum alborum, sed externas etiam partes, tuncque semicupium (vt vocant) ingrediatur factum ex rebus emollientibus, addito copioso oleo communi. Optimaque, & cordata obstetrix dilatatas perpetuo conseruet partes vteri, cauendo interim, ne ali-

quam violentiam faciat. Deus Opt. Max. qui vere sanat languores nostros, dignetur hanc mulierem, eiusq; fœtum seruare incolumes. Taurini, 15. Ianuarii 1590. Augenius.

IO. FRANCISCO SANCTIO CINGVLANO.

Præter quatuor facultates naturales administratrices, nempe alteratricem, siue concoctricem, retentricem, expultricem, atq; attractricem, non dari quintam separatricem, quam Auerroes contra Medicos admisit. Et quomodo allium ab Hippocrate dicatur, flatum efficere.

SCRIBIS, te diligenter legisse nostrum de facultatibus librum, nihilque inuenisse, quod difficultatem faceret tibi, nisi dum de naturalibus facultatibus inseruientibus generatrici & alteratrici edissero: tunc enim ex communi omniũ fere consensu quatuor duntaxat esse eiuscemodi facultates, cõcoctricem, quam etiam Galenus alteratricem appellat, expultricem, attractricem, & retentricem profitear. Ais, hunc locum ambiguum videri, cum quinta omnino admittenda sit, separatrix, quod tum ratione, tum autoritatibus contendis demonstrare, ac propterea admirari plurimum, cur huius virtutis non meminerim. Ego, mi Sancti, licet eum scripserim librum in gratiam Sebastiani fratris, quo cum diu noctuq; de eo disputabam argumento, non quidem diligenter, sed maxime festinanter, ita vt mirum videri non debeat, si scopum in omnibus assecutus non fuerim: hoc tamen videor mihi certissimus, eorum, quæ ad ipsam disputationem pertinebant, nihil me prætermisisse. Quocirca, si pro Medicis contra Auerroem non disserui, non est vitio vertendum mihi, quia eiuscemodi tractatio ad meum non pertinebat institutum: Audiuisti igitur causam, cur de facultate separatrice non meminerim. Nunc vero, vt satisfaciam tibi, Auerrois doctrinæ nimium addicto, sum demonstraturus, toto illum, quod dici solet, aberrasse cœlo: atq; primum in medium affero, quæ tu pro Auerrois opinione diserte admodum scribis; postea vero sigillatim reprobabo.

Supponis ex meis, vt dicis, fundamentis, facultatem esse causam efficientem alicuius operationis: ideoq; à numero effectuum siue operationum inuestigandum esse numerum potentiarum, quod etiam Aristoteli placuit libro primo & secundo de anima. Quia igitur duæ sunt operationes præcipuæ in vegetatrice anima, generare, ac nutrire, hinc duæ facultates præcipuæ adsunt, à quibus proxime dependent eiuscemodi operationes, Generatrix, & Nutrix. Hisce duabus opitulantur quinque facultates, quia sunt effectus quinq; necessarii ad generationem, nutritionemque efficiendam. Oportet quidem attrahere materiam, secundo alienam expellere, tertio bonam retinere, quarto alterare ac mutare in substantiam corporis, quinto segregare bonam materiam à mala, vtilem ab inutili: quæ si vera sunt, necessario resultant facultates quinque, attractrix, expultrix, retinens, concoquens, atque separans. & ob id Auerroes huius facultatis meminit, lib. 2. collect. cap. 7. & 9. & lib. 3. cap. 16. Separatricem facultatem admisit ab aliis distinctam, profiteturq; ipsum Auenzoarum inter omnes Medicos eam facultatem nouisse. Deinde confirmas hanc rationem ex naturæ iudiciis in morbis. Equidem vbi natura concoxit humorem putridum, antequam ipsum expellat, prius segregat, diuiditq; malum à bono, quæ operatio non potest referri ad aliquam ex illis quatuor. Nam concoctio præcessit; expulsio sequitur separationem. attractio locum non habet, neque retentio, quia humor est omnino malus: ergo, si natura anteaquam expellat, segregat; opus est admittere quintam facultatem inter naturales, Galenusq; videtur aperte dixisse, naturam nunquam iudicare morbum, nisi prius segregauerit. quarto aphoris. comment. 10.

Præterea multis Galeni locis eiusdem facultatis probari potest necessitas: nam in secundo aphor. dum eam explanat sententiam Hippocratis, nox antecedens

dens accessionem grauior, dicit. Crisis subita est in morbo ad salutem, aut mortem mutatio. quæ fit, dum benignam & vtilem materiam natura à praua, & inutili secernit, & ad expulsionem præparat. Idem etiam dicebat quarto aphorismorum pro explanatione huius sententiæ, inchoantibus morbis, si atra bilis supra vel infra exierit lethale. inquit ille: siquidem vt bona crisis fiat, coctionem præcessisse oportet, & secretionem secutam fuisse, tandemq; vacuationem. Quibus locis dilucidissime videtur mihi separatricem facultatē admisisse Galenum ab aliis quatuor separatam. nam segregatrix facultas secernendo bonum à malo, præparat malum ad expulsionem, & vacuationem. Idem afferre videtur in 4. de vsu part. c. 1. vbi in ventriculo separatricem ponit boni à malo. ac libro de diff. sympt. cap. vltimo agens de fluxu muliebri, separatricem facultatem læsam esse contendit. & 3. de symptom. caussis vlt. ait, separatricem vitiatam esse agendo de ipso ictero. Hæc in contrarium solent obiicii.

Pro dissolutione huius difficultatis, Sancti, supponere oportet, quæ scripsimus de natura facultatum, de differentiis, atque quomodo ab vna, & eadem forma variæ prodeant facultates: nam haud erit postea tibi difficile extricare nodos eiuscemodi. Admitto itaq; facultatem separatricem, quia natura inquit iudicare morbos, nisi bonum à malo segregauerit humorem. At vero eam à quatuor ministrantibus seiunctam esse prorsus inficior. quia hoc pertinebit, aut ad solam attractricem, aut ad solam expultricem, aut etiam (quod aliis scio placuisse) munus erit vtriusque facultatis. Siquidem natura humorem putrefactum concoquit: atque vbi id fecerit, quod bonum in illo est, & corpori vtilitatem afferre potest, attrahit ad sese natura, reponitque in corporis vsum: quod dum facit, separat bonum à malo. En igitur, quomodo attractrix, separatrix est. At si nihil boni in humore adsit à natura concocto, explutrix insurgit ad expellendum: dum id facit, separat. atque ita expultrix segregratrix facultas est. Aliquando vtraque ad hoc opus facultas concurrit, dum enim bonam attrahit partem natura, eodem tempore suis vsa instrumentis malam expellens, separare bonum à malo dicitur. Sic vides numerum facultatum non esse multiplicandum: quia vt recte aliquando statuit Philosophus, frustra fieri per plura, quod potest fieri per pauciora & æque bene. Placet, quæ diximus, Galeni verbis confirmare. hic quidem agens de potu frigidæ inquit: Cum ergo concoctionis notas in iis videris, de quibus dictum abunde libris de crisi est, audacter frigidam dabis: quippe solidarum animalis partium natura roborata prætenuatos iam humores aggreditur ita, vt qui vtiles sunt, & ad nutriendum habiles, hos quidem ad se trahat: inutiles vel per ventrem, vel per cutim eiiciat. hæc ille. quæ ita confirmant propositum meum, vt alio non sit opus testimonio. At dices. natura prius concoquit, postea segregat, tertio expellit. Si humor omnino malus est, vtique attractio in hac segregatione locum non habet, neque expultrix facultas separationem hanc efficere potest, quia segregatio præcedit vt Galenus ait, expulsionem. Respondebo. Eam Galeni sententiam intelligendam esse de humore semimalo: in hoc quidem adsunt quædam partes non omnino malæ, & quædam omnino malæ. illæ per concoctionem possunt naturæ bonitatem recipere, vt in vino accidit, quod iam incipit acescere, vt eiusdem authoris exemplo vtar, hæ autem nequeunt. ergo vbi humor putrefactus à natura iam euictus est, & concoctus, natura benignam eius partem ad nutriendum accomodatam attrahit ad se: malam expellit à se. sic præcedit concoctio, postea attractricis officio sequitur segregatio. postremum omnino mali humoris repulsio. In hunc modum satisfaciendum est rationibus tuis, & Galeni verba interpretanda sunt. Auerrois autem in hac re authoritatem non recipimus, vt nec in plerisque aliis, in quibus à Galeno, & vniuersum discedere à Medicorum placitis voluit.

Cæterum quod pertinet ad aliam difficultatem, contextus ille Hippocratis videtur satis obscurus. nam prima pars manifestissime contradicere videtur postremæ. Afferamus senis verba, quæ libro quarto acutorum sic habent: Al-

lium flatum facit, & calorem circa thoracem, & capitis grauitatem, & cibi fastidium, & si quis alius dolor ex consuetudine prius fuerit, augere possit. Vrinam autem mouet: & hoc habet bonum. Optimum autem est ipso vesci ei, qui crapulæ se daturus sit, & futurus ebrius. hæc ille. ex quibus colligo contradictionem in contextu à Galeno animaduersam. Ait in principio: Allium flatum efficere. in fine vero, vsum allii dicit impedire ebrietatem. at hoc alia ratione fieri nequit ab allio, nisi quia vapores ac flatus, quos gignit multos crapula, & ebrietas discutiat: sed quomodo potest discutere, si facit flatum? si vera hæc sententia sit, rationi maxime consonum est augere non mediocriter ebrietatem posse, atq; ita certe statuendum esse contendo, si allium efficit flatum. Galenus id animaduertens, authorem arguit libri quarti acutorum, laudans quidem illum, quod vrinas prouocare dixerit, & ebrietatem inhibere. Augetur præterea difficultas, tum ex temperamento allii, tũ vero maxime ex obseruatione. Temperamentum calidum & siccũ supra tertium gradum in principio scilicet quarti, vt in libro de simplicibus medicamentis Galenus ait, quo cum sentiunt fere omnes: nam quidam ex Arabibus dixerunt, in tertio gradu calidum & siccum esse: sed siue in principio quarti calidum, siccumque sit, siue in tertio gradu exacto, parum refert: quia in quocunque gradu vim habet dissoluendi, incidendi, ac certe discutiendi flatum. Et quidem experientia id testatur, cum neminem esse putem, qui nesciat, allium flatum dissipare. Extat hac de re à Galeno historia luculenter descripta, libro duodecimo de methodo medendi, quæ his ce verbis describitur:

Vidimus namq; ex agrestibus operis quempiam, qui, vbi coli dolorem sensit, protinus se cinxit, cum antea cingi non soleret: comedit autem cum pane alliũ, nullum dimittens consuetum opus; nec toto die quicquam bibit, sed vesperi meracius: ab his, & tota nocte dormiuit, & mane ab omni dolore plane liber surrexit. Est enim profecto allium ex eorum ciborum genere, qui & flatum discutiunt, & minime sitim inferant. Sunt, qui parum id experti existiment, maiorem, quam cæpas, sitim excitare, sed plano errore. cum non modo non maiorem, quam cæpæ, sed nec omnino sitim faciat, idem omnium plene eduliorum maxime flatum discutit. hactenus ille.

Ex his Galeni verbis facile admodum colligitur, allium non efficere flatum, sed contra potius flatum ipsum discutere atq; dissoluere.

Nunc igitur quid in hac controuersia sentiendum sit, breuiter aperiam: Dico igitur, si Galeni sententiam in eo commentario insequi placuerit, omnino statuere oportebit, authorem quarti acutorum aberrasse. Sed ego id non credo, quia consimilem sententiam legimus fuisse ab Hippocrate scriptam, lib. 6. epid. sect. 8. context. 33. vbi sic ait: Circa messem tormina, circa vmbilicum & dolores nonnunquam à porris, sed & ab alliis his posterius. Quibus verbis clarissime videtur testari, ab esu alliorum circa vmbilicum fieri tormina ipsis messoribus: qui scilicet messis tempore multum solent allii comedere. Putauerim, allium flatuosum dici posse duplici nomine, vno quod dum flatum dissoluit, & expellere conatur, impetu facto in ipsum corpus, dolorem facit ex agitato flatu, quod accidit duntaxat in principio ipsius actionis: nam postea superior euadens, omnino dissipat. sic etiam dicere solemus sennam, quam Græci κολυτέαν vocant, flatuosam esse, quia facit erumpere flatus: cum tamen propria substantia non faciat, sed dissipet flatum. Ergo facere flatum duobus dicitur modis, vel quatenus flatus, qui non adest, gignitur: sic legumina & castaneæ efficiunt flatum in corpore, qui non præerat. vel quatenus existens in corpore quietus, agitatur ac mouetur. hoc secundo sensu allium facit flatum. propterea potest quidem dolorem, qui antea fuit, augere & exacerbare. nam qui non mouetur flatus, vtique dolorem non magnum facit: at quando mouetur, exitumque parat sibi, tunc magis augeatur, vt ostendit experientia: atqui dissipantia flatum primo impetu hoc efficere experientia constat. Alio modo dici potest, allium efficere flatum, quatenus comeditur viride. siccum quidem absumit flatum: at viride

viride flatuosum est fere pro natura omnium viridium: habet enim humiditatem quandam viscidam, in qua agens, calidum erumpere flatum facit: videturque, hæc explanatio contextui satis conuenire: nam allium viride magis replet caput, quam siccum. At si hæc non satisfaciat solutio, saltem placebit, quod allium, dum agit in materiam, ex qua fit flatus, qualis est pituitosa, flatum certe facit: quia non potest illam incidere, attenuare, ac dissoluere, nisi prius in flatum & vapores vertat. Hæc mea est, Sancti charissime, ad tua problemata responsio: quæ si placuerit tibi, lætabor multum. Sin minus, tuum erit excogitare meliorem. Vxor mea hac nocte peperit filium, salutem plurimam dicito tuæ con-
10 iugi communi nomine, & quod te facere non dubito, me vicissim ama. Ex Cingulanis montibus die 23. Decemb. 1574.

EIDEM.

Nunquam exquisitissime vacuandum: quando confestim vel paulatim instituenda vacuatio sit. Vsq. ad animi defectum antiquos purgasse. Hunc tamen purgandi modum non esse tutum, neque à iuuenibus exercendum.

SINAS quæso, mî Sancti, nugari more suo Vromantem hunc Medicum, rei
20 medicæ calamitatem, ac totius humani generis perniciem. Quid enim, si de illo reportabis victoriam, lucraberis? Cur latrare non debet ille, si canis est? Non est certe quidem tuo dignus congressu. Cum ad me veneris, qualem te ipsum gerere contra illum debeas, non sine magno tui nominis honore demonstrabo, interim accedamus ad explanationem tuorum problematum.

An tota quantitas humoris peccantis debeat vacuari, primo loco discutiendum proponis mihi, quod multa sint, quæ non mediocriter videantur controuersa. de hac acturus materia supponere in primis volo humorem noxium, à quo morbus fit, vel imminet, cum sit præter naturam, vacuandum esse, si alia ratione illius noxa nequeat corrigi. Dum vero vacuatio fit, meo iudicio, præstat
30 magis aliquidpiam relinquere, quam totam educere quantitatem: natura enim reddita potentior, minorata materia concoquet, quod concoqui est habile, & excernet, quod debet excerni. Hoc videtur Galeni præceptum pluribus locis, inter quos non grauabor in tui gratiam proponere duos aut tres: quorum vnus est in 2. aphoris. com. 29. vbi sic inquit: Nam vt in libris de crisibus ostendimus, tum temporis maxime fiunt morborum coctiones: quæ quo citius appareant, melius est per initia vacuare, vt minorem redditam, eo modo materiam facilius concoquat natura. Alter est ex 11. methodi medendi cap. 15. cum ait: Leuata namq; quæ corpus nostrum regit natura, exonerataq; eo, quo velut sarcina premitur, haud ægre concoquet, quod concoqui est habile; & excernet, quod po-
40 test excerni. Audias Hippocratem hisce verbis propositum confirmantem primo aphor. 3. Non tamen vsq; eo vacuando pergi velim, vt vasa in se penitus considant, hoc enim tutum non est: sed quatenus natura fert, eo vsq; progredi oportet. sic & extremæ vacuationes periculosæ, contraq; repletiones extremæ fuerint similiter periculosæ. Hos grauissimos imitatus authores, Auicenna idem confirmat, 4. sect. 1. lib. cap. 4. Ideoque (dicens) minus detrimentum sequitur, aliquid superflui relinquere, quod vacuatione indigeat, quam exquisite vacuare, ægrumq; eo perducere, vt vires resoluantur. Natura enim illud residuum sæpissime resoluit.

Verum, quo fiant, quæ diximus, dilucidiora, distinctionem adhibere opor-
50 tet. Est autem huiusmodi: quæ post vacuationem materia in morbis relinquitur, aut multa est, aut exigua. Si multa superest, vacuandum rursus. si exigua, naturæ iudicio committenda. nam hanc, vt dicebam, superabit illa quidem: multam superare non poterit. hinc enim recidiuæ contingunt, de quibus dicebat Senex, quæ relinquuntur in morbis post iudicium, recidiuam facere consueuerunt. In hoc autem munere exequendo, coctionem expectare oportebit, nisi

quidpiam vrgeat,atq; naturæ obseruare motum,quæ si non moueat,tunc generosus Medicus repetita vacuatione moueat: quam neq; ad extremum ducat,est enim periculosum. Tandem, vt rem in paucis contraham, hoc profiteor in vacuando, nunquam licere totam humoris vacuandi quantitatem educere, etiam si vacuatio ex earum sit numero, quæ à Medicis extremæ nuncupantur.

Sed hic tria sunt, quæ tibi difficultatem faciunt: Primum, quod scripserit Hippoc. primo aphor. 6. extremis morbis extrema remedia optima sunt. qui totam non euacuat materiam, sed portionem relinquit, hic remedio non vtitur proportionato, quale in eo Aphorismo desiderat. Secundo, Galenus habet lib. artis medic. cap. 94. extremæ ac immoderatæ plenitudini, extremam ac immoderatam opponi vacuationem. qui relinquit in morbis aliquid expurgandum, hic sane contrarium adæquatum, vt vocant, non opponit plenitudini. Deinde Galenus primo aphoris. com. 23. inquit, qualitatem vacuationis proportionari debere qualitati humoris peccantis, & quantitatem quantitati. at cum non exquisite vacuamus, vtique quantitas non respondet quantitati. Postremo Hippoc. in eodem aphor. vacuandum esse vult, vsque ad animi deliquium: hancq; vacuandi rationem admittit non semel Galenus. sic tu quidem disertissime contra meam sententiam dubitas.

Pro harum dilucidatione sciendum est, in curandis morbis, maxime vero in vacuationibus ab arte faciendis, duos scopos debere considerari: vnus est natura morbi remedium indicans: aliud virtus remedium, aut admittens, aut prohibens. quotiescunque inuicem consentiunt hi duo scopi, tantum vacuandum, quantum morbus postulat, si tamen id ipsum fieri possit: nam parum postea sum tibi demonstraturus, id esse omnino impossibile. At si dissentiant inuicem morbus ac virtus, vtique cum maior sit indicatio virtutis prohibentis, quam morbi indicantis: nam illa immediate respicit vitam, hæc autem respicit sanitatem ab eiuscemodi vacuatione abstinendum. Etenim vita longe dignior est, atque præstantior sanitate; Quamobrem, quæ abs te proponuntur, admittantur omnia, si inuicem consentiant duo scopi. at consentire non possunt, quia in omni exquisitissima vacuatione virtus ad extremũ redditur imbecilla, propterea periculosa est, vt dicebat Hippoc. 1. aphor. 3. Quod vero postremo loco dicis, vacuationem vsque ad animi deliquium esse extremam, non facile quidem admiserim, nisi distinctionem afferamus. Duplex vacuatio dicitur extrema. tum ea, quæ tantum humoris vacuat, quantum adest superuacanei, vt exempli gratia, si quatuor libræ adsint pituitæ expurgandæ, qui libras quatuor vacuat, extremam facere dicetur vacuationem. tum ea dicetur extrema, quæ ita magna ab arte fit, vt maior nequeat excogitari, aut fieri, licet non sit proportionata morbo, eiusq; causæ: exempli gratia, supersint in corpore sanguinis libræ decem, qui vacuabit quinque, extremam facere dicetur vacuationem, quia vacuando eam quantitatem ægrotus animo delinquit. at non licet vltra progredi in artis operibus. Hac secunda ratione admittemus, vacuationem vsque ad animi deliquium extremam dici. Priori autem ratione minime.

Duo sunt hic dilucidanda: vnum, quod licet tantum sit vacuandum humoris, quantum excedit: tamen hoc in artis operibus fieri nunquam posse. Aliud vero vacuationem vsque ad animi deliquium non vacuare totam peccantis humoris quantitatem: quod si tibi id in eiuscemodi vacuatione persuasero, iam amplius nullam habituræ sunt difficultatem. Quod ad primum pertinet, Sancti, certissimum est, artem medicam coniecturalem esse rationem quantitatis remedii. hoc enim sciri exacte nequit, cum exacta illius notitia originem ducat à proprio particularique temperamento. Alterandum quidem & vacuandum facile scimus, at quantum præcise ignoramus: num scilicet vsque ad tertium aut quartum gradum refrigerandum, vel calefaciendum: aut tres aut quatuor sanguinis libræ vacuandæ sint. Arbitror te recordari, Galenum scripsisse: si particularem hominum naturam cognoscerem, talem esse me putarem, qualem Æsculapium fuisse ferunt. Hæc si vera sunt, nunquam possumus certo scire, nos

eam

eam quantitatem vacuasse humoris, quæ peccabat. nam licet post vacuationem ægroti sanentur; hoc tamen an ratione naturæ superantis reliquias, an medicamenti contigerit, ignoramus. hoc igitur dicebam, in artis operibus nunquam posse vacuari tantum humoris, quantum erat illius excessus, quia determinatam exactamque illius notitiam non haberet: idcirco recte consultum fuit à sapientissimis Medicis, nunquam exquisite vacuandum, minusque detrimentum esse aliquid in vacuandis corporibus relinquere, quam exquisitissime vacuare. Propono nunc tibi duo remedia, quæ extrema sunt in artis operibus. Potum frigidæ, & vacuationem sanguinis vsque ad animi deliquium. quorum alterum præcipuo vacuat, secundo alterat. aliud vero primo alterat, secundo vacuat. In vtroq; remedio semper aliquid relinquitur ab ipsa natura emendandum. nam potus frigidæ non statim febrem soluit, sed horis aliquot, & nonnunquam diebus intercedentibus. Vacuatio sanguinis vsque ad animi deliquium, natura roborata ob vacuationem, in causa est, illam insurgere postea contra reliquias humoris peccantis, expellendo per sudorem, nonnullis per vomitum, aliis per aluum: ex quibus facile colliges, post extremam alterationem, aliquidpiam etiam alterandum, & post vacuationem vsq; ad animi deliquium, aliquid relinqui in venis, postea ab ipsa natura expellendum: atque ita videor posse persuadere, tibi nullam dari exquisitissimam vacuationem.

Secundum Problema est: An subito & confestim vacuandum: an autem partitis vicibus. Pro cuius dissolutione dico, problema intelligi posse tum de venæ sectione, tum de purgatione, ac de aliis vacuationibus. Quid ego de venæ sectione putem, te in præsentiarum quærere non arbitror, cum aliàs meam audiuisse opinionem, sciam. idcirco hac prætermissa, duntaxat de purgatione, & aliis vacuationibus edisseram. In hac materia duo videntur mihi consideranda, nempe status virium, & materiæ expurgandæ conditio. In viribus etiam atq; etiam perpendendum est, an valeant, an contra sint imbecillæ. In materia vero, an sit multa, an pauca: an moueatur, an quiescat: an turgeat, vel non turgeat. nam ex horum varietate cognoscemus dissolutionem quæstionis. statuamus itaque, validas existere vires, materiam vero paucam, quid impedimento esse poterit, quin vnica vice ac subito vacuemus? præsertim si materia fuerit tenuis, aut artis beneficio præparata, viæq; late pateant, quæ in aluum, vt in sentina, sua deponant excrementa. Si contra, vires extiterint imbecillæ, etiam si pauca sit materia, saluberrimum duco vacuationem partiri. Multoq; magis id vsu venire debet, Sancti, vbi cum imbecillitate virium materia fuerit multa: vtilitatem huius consilii non semel demonstraui tibi, dum leucophlegmatiam, cachexiam, ac in vniuersum omnem malorum humorum copiam me curantem obseruares. & vero, qui sensim, longoq; tempore inuadit morbus, longo tempore tuto curatur præparationibus multis, purgationibusq; interuenientibus. Author consilii fuit Auicenna, dum in quarta particula primi libri, capite quarto ita scribit: Viribus imbecillis paulatim, etiam si mali humores redundauerint, euacuare oportet. Quæritur modo, quid agendum, si cum viribus validis humorum adfuerit copia. an confestim vacuabimus? Hic etiam adhibere distinctionem iuuat. Etenim aut morbus, cuius curatio proposita est, dat inducias, vel non dat. Acuti morbi hi sunt, qui veloci motu periculum minitantes, cogunt Medicum vacuationem subitam efficere. Eadem die medicari oportet, vt dicebat venerandus Hippocrates: Tardare enim malum est, maxime si materia turgeat. aut si non turgeat, saltem moueatur ad aliquampiam particulam inflammationem, vel alium affectum procreatura. In aliis morbis accommodata fieri potest prorogatio. & certe hoc vnum profiteor, in omnibus morbis dantibus inducias paulatim vacuare, magis est vtile, quia in omnibus, etiam si necessitas cogat, extremæ vacuationes non vacant periculo. Ita quidem sensit Hippocrates lib. 2. apho. 51. cum ait: Semel multũ & repente, vel vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quouis modo corpus mouere periculosum. omne siquidem nimium naturæ inimicum. Paulatim vero, quod fit tutum, tum aliàs,

tum maxime, vbi ab vno ad aliud facienda est mutatio. Hæc ille. Ratio vero, ob
quam omne nimium naturæ inimicum sit, declaratur disertissime à Galeno in
eo commentario, quia, inquit, natura nostra in symetria quadam & commode-
ratione consistit, quam omne nimium corrumpit, deuastatq; : propterea cum
ab hac symetria longissime absint acuti morbi, in his duntaxat expedit subito, &
confestim vacuare, in aliis minime. In aliis etiam actionibus idem obseruari de-
bere, alia eiusdem sententia manifestum facit, quæ sexto aphor. in hunc modum
habet. Quicunq; empirici aut hydropici vruntur, aut secantur, si pus, aut aqua in
vniuersum effluxerint, moriuntur. Hæc ille. Nec mirum quidem si morian-
tur: adeo enim magna fit spirituum dissolutio, vt postea resarcire illos, atq; re-
parare non liceat. Sed quando partita vacuatio fit, eiuscemodi periculum non
accidit. Neq; conuenit postremo subito vacuare, vbi humores in distantissimis
partibus continentur: vt in articulis, in summa cute, vt in elephantiasi, in can-
cro, in scabie; quemadmodum Auicenna testatur hisce verbis: At si materia
fuerit valde tenax, aut cum sanguine impense mixta, ea semel vacuari nequit, vt
fit in ischiade, & in antiquis articulorum doloribus, & cancro, & inueterata sca-
bie, & antiquis tuberculis. hæc mea sententia est circa secundum problema.

Fuit postremum problema, an quemadmodum aliquando licet venam inci-
dendo ad animi deliquium vsq; vacuare, ita etiam idem efficere purgando con-
ueniat. Difficile quidem problema est, quod vt facilius explicetur, tria dicam:
Primum, secundum sententiam veterum scriptorum licere vsq; ad animi deli-
quium vacuare pharmaco purgante. Secundum, eiuscemodi vacuationem es-
se periculosam, nec facile tentandam. Tertium vero, me nunquam eam insti-
tuisse.

Quod attinet ad primum, tres sunt autoritates, quæ meo iudicio omnē è me-
dio litem remouent. Vna est Auicennæ in 4. sect. prioris libri, cap. 4. in quo a-
gens in communi de vacuatione, quatenus conuenit phlebotomiæ & pharma-
ciæ, vacuationem admittit vsq; ad animi deliquium: neque dici potest, eam di-
ctionem intelligendam esse de venæ sectione: primum, quia in communi (vt di-
ximus) de hoc agit remedio. Deinde, quia in cap. 20. agit de phlebotomia, mi-
nime vero alibi. Alius locus est Galeni in 1. aphoris. com. 23. in quo habet hæc
verba: In maximis vero doloribus nullum præsentius noui remedium ea va-
cuatione, quæ ad lypothymiam vsq; fiat. Quibus verbis vacuationem in genere
vsq; ad animi deliquium proponit, idq; remedium proponit in vehementissimis
doloribus, qui possunt indifferenter sanari, tum phlebotomia, tum pharmacis
purgantibus. Supra vero agens de febribus ardentissimis, non quidem in vni-
uersali locutus est, sed in particulari, dicens, phlebotomiam vsq; ad animi deli-
quium confestim refrigerare totum corporis habitum, & eam sanare febrem.
Vacuatio igitur in maximis doloribus vsq; ad animi deliquium intelligenda est
de vtroq; remedio. Rem ita sese habere multo euidentius, quæ subsequuntur
verba, confirmant. cum ea tamen (inquit) distinctione, vt intelligatur phlebo-
tomia ne, an purganti pharmaco ad defectum vsque animi vti conueniat. Quæ
certe verba omni carent dubitatione. licet postrema verba sint ambigua. Quam
rem monstrauimus in commentariis, quos de phlebotomia descripsimus. Ete-
nim in iis commentariis distincte docuit, an mittere sanguinem, an purgare con-
ueniat: an autem vsq; ad animi deliquium nusquam docuit. propterea dixerunt
nonnulli, eam vocem, vsq; ad animi defectum, expungendam esse, quorum opi-
nionem fuimus aliquando imitati. Tertius locus fuit aphorismus Hippocratis
23. in quo ita scribit: Quæ vacuantur multitudine, metienda non sunt, sed si quę
oportet vacuentur, & facile ferant. atq; vbi ad animi deliquium ducere conue-
nit, faciendum si ægrotus par esse possit. qui aphorismus licet possit intelligi de
phlebotomia, tamen de vtroque remedio habere veritatem potest. Cæterum,
dulcissime Sancti, hoc remedium periculosum est duplici nomine, primum
quidem ob medicamenti vim: nam vbi quis vehementissime purgauerit vsque
ad animi defectum, quam habere certitudinem poterit, ne vltra vacuatio pro-
grediatur?

grediatur? atque licet adstringentia postea simus exhibituri, tamen quis confidet medicamento effrenitate vtilitatē aliquampiam allatura? sic frequenter non modo accidit animi defectus, sed etiam syncopes, & mors. Secus res habet in venæ sectione, hanc ipsam cum volumus, sistemus imposito digito, at non ita in purgatione contingere certissimum est. Adde his, quod maiori ex parte vires nimium exoluuntur, periculumq; minatur eiuscemodi vacuatio, ne ad extremum concidant. Idcirco nunquam obseruasti me in hisce montibus hac vsum fuisse purgandi ratione, neque posthac etiam sum vsurus. Admoneoque te ipsum, vt omnino abstineas in hac præsertim ætate iuuenili. nam si aliquid extra spem contingeret tibi, non vacares apud vulgum crimine internecionis. Oportet certe maxime cautum esse in factitanda medicina, ac omnium maxime iuuenem. Expecto commentarios tuos in Galeni libros, de morborum ac symptomatum differentiis, & recte quidem iudicas, tam deesse possum tibi, quam filiis meis, cum te vnum æque diligam. Ex montibus Cingulanis.

LVDOVICO PICHINO GENERO CORINALDENSIVM MEDICO.

Quomodo hydrops à caliditatis excessu fiat, Fernelii sententia de Ascite reprobata. Dolor & alui fluor, aut adstrictio, quomodo fiant in hydrope.

NVNC tuis respondeo litteris, cum antea; ob occupationes fere infinitas, non licuerit. Hydropem ab intemperie calida iecinoris fieri, non Hippocratis modo, & Galeni verba, sed ipsa ratio suadet. Hippocrates quidem in prognosticis ait, hydropem sequi ad morbos acutos: nam scribit in hunc modum. Hydropes, qui ex acutis morbis fiunt, omnes mali, neque enim febrem sedant, dolorificiq; sunt valde, & lethales. Galenus vero sexto de locis affectis idem hisce verbis confirmat. haud secus dubitare consueuerunt in ea quoque aquæ intercutem specie, quæ ad acutos morbos in sequitur, quippe ab iis calida, & sæpenumero sicca quoque intemperie tum grauiter afficitur, vt cibum in sanguinem mutare nequeat. Verum hæc dubitationem habere videntur mihi non contemnendam. Siquidem certissimum est hydropem fieri quando sanguificatio non fit in iecinore, quod contingere solū videtur ob frigidam intemperiem: sanguificatio enim à calido naturali huius visceris fit: hinc sanguificationi contrarius effectus à contraria caussa efficietur; vt Galenus concludit libro quinto de locis affectis, cum inquit: Etenim quia iecur eius facultatis, quæ sanguinem gignit, instrumentum est, consequens est, vt vitiato hoc viscere actio quoque eius vitietur. Accidit autem, vt dixi, cum alias aliam partem frigida admodum intemperies afficit, vt hepar quoque refrigeretur. igitur si vel lienis caussa, vel ventriculi, vel intestinorum vniuersorum, maxime ieiuni, mesentericæ venæ omnes habituali intemperie afficiantur, facile etiam vna refrigerare possunt omnes simarum iecoris partium venas. hæc ille. quocum sentiunt omnes. declarare igitur oportet, quomodo à calore fiat hydrops. Affero tibi duos respondendi modos. Primus est, vt statuamus proximam caussam à qua sanguificatio impeditur, esse frigidam iecinoris intemperiem in omni hydrope: sed caussam antecedentem aliquando calidam esse nihil impedit. Res perinde habere videtur in hydrope, atque in aciditatis generatione ac in putredine. Aciditatis caussa continens frigiditas est, nam omne acidum refrigerat: æstiuus tamen calor acorem inuehit, vt ostendit vinum, quod in aceti naturam transmutatur. calor quidem agens in vinum ad se trahit calidiores, tenuioresq; vini partes; quibus exhalatis, fit acetum. de qua re loquitur Galenus lib. quarto de simplicium medicamentorum facultatibus capite duodecimo hisce verbis. porro quod & aciditas à frigore procreetur, & antea ostendimus. quod vero postea à calore externo aciditas generetur, exponit hisce verbis cap. 13. At in acidis deesse fortassis etiamnum videatur, quod eximios quosdam Medicos fefel-

lit. Nam eo quod vina inualida Vere atque Æſtate alterentur, atque aceſcant:
Hyeme vero ſuas ſeruent qualitates, hinc adeo quibuſdam à calore aciditatem
naſci viſum eſt. Capite autem decimoquarto explanauit cauſſam ob quam à
calore æſtiuo fiat aciditas, dum inquit: Quippe cum ita comparatum ſit, vti res
quælibet in propria ſeruetur natura calore proprio. Corrumpatur autem ab im-
moderatione extrinſeca, nempe caloris alieni, aut frigoris abundantia. hæc ille,
quibus oſtendit, calorem immoderatum aciditatem facere: quia, vt eodem ca-
pite parum ſupra dicebat, perſimile eſt, quod vinis accidit, quæ natura frigidio-
ra acidioraq; ſunt, quale flammis exiguis, atque imbecillis quippe ſi eas ad ſo-
lem feruidum exponas, aut prorſus obſcurari, aut denique etiam extingui con-
ſpicies. Sic etiam ſi ardentem lucernam, aut iuxta flammam vehementem, ma-
gnamq; deponas, aut ad ſolem feruidum exponas marceſcere vtique ac diſſipari
protinus videbis. In eundem prorſus modum res habet in hydrope, quam ca-
lor igneus effecit. Namque febrilis æſtus vim habet ad ſeſe trahendi calorem
iecinoris, non ſolam quidem attrahet qualitatem, ſed eius potiſſimum ſubie-
ctum, ac verum ſanguificationis organum, nempe ſpiritus ipſos, quibus diſſipa-
tis, corrumpitur temperamentum iecinoris, ita, vt omnino frigidum reddatur.
Etenim caliditas huius viſceris pendebat ex ſola caliditate ſpirituum. Sic etiam
frigidam euadere materiam putrefactam teſtatur Ariſtoteles libro quarto me-
teor. cap. 3. agens de putredine, dicebat enim: Exeunte enim proprio calido,
euaporat, quod ſecundum naturam humidum. Ex iis igitur patet, quomodo
hydrops omnis à frigiditate fiat tanquam à cauſſa proxima, à calore autem, vt à
cauſa antecedenti: atque hæc prima eſt loci huius explanatio.

Alia eſt, vt ſtatuamus, fieri hydropem à frigiditate, id eſt à caloris naturalis de-
fectu. Nam plerunque augetur calor extraneus, atque diminuitur calor natu-
ralis. Ariſtoteles. 31. problem. 25. Lacrymam vocauit frigidam, quæ tamen
adeo igneo abundat calore, vt exulcerandi vim habeat. & certe qui hydropem
aliquando à calore per ſe fieri dicunt, ita ſtatuunt, à frigore cauſſari, id eſt, à de-
fectu caloris naturalis, & abundantia caloris extranei. Ac huius opinionis for-
taſſis fuit Auerroes in 2. collectaneorum cap. 22. vbi dicebat: iecinoris calorem
non generare humores ea ratione, qua calor eſt, ſed ſub ratione, qua naturalis.
nam ſi vt calor gigneret humores, quo maior calor eſſet, eo magis genera-
ret: ſic in febricitantibus optima fieret humorum generatio, quod tamen fal-
ſum eſſe nemo non vidit: at ſub ratione naturalitatis humores efficit. Eſt ani-
maduertendum, Ludouice fili, calorem naturalem bene contemperatum, ac
proportionatum eſſe, ex omnibus elementorum qualitatibus, ac ſubſtantiis, vt
Galenus dicebat primo aphoriſmorum commẽtario decimoquarto, & nos ex-
planauimus in tractatione de innato calido ad Mercenarium. idcirco vbi aut ex-
cedit calor, aut diminuitur, amplius naturalis non eſt calor: idemq; ſtatuendum
eſt de aliarum qualitatum dominio. Sed non quidem omnis exceſſus calorem
naturalem corrumpit, at ille duntaxat, à quo propria eſſentia illius labefactatur:
qui ſcilicet vere immodicus exiſtat. Memineris eorum, quæ alibi docui de in-
temperie fiente, ac facta: æquali, & inæquali. Modicus exceſſus qualitatum fi-
entem, & inæqualem intemperiem facit in calore, quocum adhuc quidem na-
tura conſeruatur naturalitatis alteratione duntaxat facta in eius eſſentia, at non-
dum corrupta. at magnus exceſſus equidem eſſentiam inuadens corrumpit.
Hoc dicere Galenus volebat alibi ſæpe, pręſertim tertio aphor. com. 21. dum do-
cet omnem immoderatam intemperiem deiiecere actum propriæ facultatis:
quod ſi ita eſt, ſequitur ab omnium qualitatum immoderato exceſſu fieri hy-
dropem: quia omnis impedire ſanguificationẽ poteſt. Hanc intemperiem ma-
gnam Galenus habitualem ſiue hecticã appellat, quinto de loc. affec. c. 6. quam
alibi æqualem appellauit. Hęc de primæ quæſtionis diſſolutione mihi dicta ſint.

Sententia Fernelii de Aſcite in hunc modum habet. Fieri quidem hanc hy-
dropis ſpeciem putauit, quod fixum, exeſum, ruptum, apertum ve aliquid ſit,
vnde fluat ſeroſus humor, vtputa tenuis ſine ſanguine ſolus, vt per ipſos renes in

cauita-

cauitatem abdominis. Haud secus (inquit) atq; suppurans pleuriti exesa aut abscissa subcingente costas membrana affatim irruit in thoracis capacitatem. Non enim aliter illic tanta seri collectio præter naturam fieri potest. Hinc fit, vt ascitis iis fere superueniat, qui rupta, vel exesa viscerum vena cruentis vomitionibus, aut deiectionibus opportuni sunt. licet enim suppressus sanguis sit, sensim tamen humor per relictam fixuram præterfluit, inciditque in spatium abdominis. Iis etiam superuenit, qui viscerum errore diu ictero tentantur: & quibus lien, vel iecur, & mesenterium veteri scirrho obduruit: quandoquidem visceris substantia siccitate, humorisque penuria ceu rimis quibusdam dehiscit, eorumq; ambiens membrana diffinditur, vt non amplius tenue serum continere possit, sed id renum more elabi sinat; atque sensim, quasi ex fixa olla, stillare in vacuum abdominis spatium. Hanc caussam innuit Hippocrates 5. aph. 55. cum ait: Quibus hepar aqua plenum eruperit, iis venter aqua repletur. Quod si sola visceris substantia diffinditur, ambiens autem, accingens membrana integra manet, aqua non excidit, sed vesiculæ aqua plenæ ὑδατῶδες græcis dictæ, emergunt, quibus sæpe pecudum, boumque iugulatorum iecur scatere deprehensum est. Hoc enim viscus, quia terrenum, siccum ve est, magis quam reliqua hydropem accersit, & magis ætate prouectis, quam pueris. Itaque caussæ omnes, quæ iecur vehementer exiccant, vt ardentes febres, vt calidorum ciborum, præsertim vini meracioris liberalior vsus, hydropem inuehunt, ab his quidem exarefactum iecur perinde atque terra siccitate dehiscit atque finditur.

Circa quam opinionem animaduertendum est, consimilem habuisse nonnullos ex Medicis antiquioribus. Auicenna enim ait, fieri hydropem posse ex fissura vasorum mesenterii: ac etiam ex fissura venarum suminis, quæ in vtroque latere duæ sunt: cum enim findantur venæ in mesenterio existentes, serositas ipsa transmittitur inter epiploon, ac omentum, imo non solum serositas, sed etiam aliquando humores simul in vasis existentes, foras effluentes, abdomen tumidum efficiunt. Quod vero pertinet ad venas, quæ sunt in ipso vmbilico, certissimum est, infantem in vtero matris existentem per sumen emittere vrinam: ac etiam anteaquam ligetur ab obstetrice natus puer mingit per eandem viam. nam vtrinque tum ex dextro, tum sinistro latere adsunt venæ, quæ ex vasis vreteris terminantur ad vmbilicum, quarum venarum siue vasorum transitus impeditus est à ligatura. Quando igitur accidit aut renes ipsos ob imbecillitatem aliquam ex frigore contractam non attrahere serum, nec iecur expellere ad renes: aut vias ipsas esse impeditas, vel à calculo, vel ab humoribus, vel à tumore perduro, tunc repleta vasa serositate quærunt exitum, cumq; ad sumen inueniant viam impeditam, quotidie magis multiplicata serositate, magna fit in vasis illis distentio, ita vt tandem findantur, ac ex fissura in cauitatem abdominis aqua recipiatur, ex qua fit hydrops. Quod dixit Auicenna de vasis deferentibus vrinam ad vmbilicum in fœtu, id ipsum ex anatome constat, estque à Galeno declaratum libro 15. de vsu partium. Porro quod Auicenna scribit, est meo iudicio recipiendum hac potissimum conditione, vt statuamus non esse veram hydropem tumorem ab hisce caussis procreatum. Quia nullus adest affectus iecinoris: nisi fortasse dixeris longitudine temporis fieri quidem posse in eo viscere summam refrigerationem: tunc fieri hydropem. Casum consimilem olim vidi, mulieris inquam Cingulanæ, cuius mentio fit in meis obseruationibus, quæ per vmbilicum magnam seri copiam singulo die emittebat, cum tamen interim, aut nihil, aut certe parum emingeret: Huius fortassis opinionis similitudine suam Fernelius imaginatus est: quam ego admittere multis de caussis non possum.

Ac primo, quia est omnino impossibile iecur in viuente corpore ad tantam peruenire siccitatem, vt illius caussa dehiscat findaturq; haud secus, quem terra æstiuo tempore arefacta: semper enim, quantumuis alimentum deficiat, adest in iecinore & corde humiditas: in hoc quidem viscere ob vehementiam caliditatis, & summam attrahendi potestatem; in illo autem quod debeat ali-

mentum quale idcunque sit, suppeditare toti corpori: ideo, etiam si animal tabe consumptũ intereat, in hisce duobus membris aliquam semper inueniri humiditatem anatomica obseruatio manifestum facit. Confirmasse hoc videtur mihi Galenus libro de Marcore, capite quinto, cum ait: Hæc igitur viscera, anteaquam valida in toto corpore adfuerit sanguinis penuria, moderato non deficiunt nutrimento. Iecur quidem, quod vniuersus sanguis hinc principium habeat. Cor vero, ob attractionis vehementiam. Quippe omnes animalis particulæ proprium nutrimentum ad se ipsas trahunt, æquali tamen attrahendi robore non vtuntur omnes: ideoq; in sanguinis indigentia non æque omnes alimento destituuntur. Cor enim, cum vehementissimam habeat attrahendi actionem, alimento nunquam indigebit, nisi prius omnes animalis particulæ ad extremam deuenerint inopiam. Minime igitur suspicandum est, vt cum ex diuturno morbo gracile redditum fuerit corpus, ipsum quoque cor, ac iecur pro aliarum omnium partium proportione sint gracilia. Hoc, si tibi libuerit, in aliis animalibus intueri poteris. Nam quotiescunq; horum aliquod prius fame confectum incidere volueris, cæteras quidem omnes eius partes graciles, at siccas inuenies, iecur autem, & cor prope secundum naturam esse. Hæc Galenus. quæ apertissime demonstrant nunquam viuente animali iecur tantam recipere posse ariditatem, vt terræ modo dehiscat, findaturque.

Secundo admittamus hoc illi, quæsierim vnde nam tanta gignatur aquæ copia quantam videmus gigni, & cumulari in capacitate abdominis. Non quidem ex iecinore fisso suppeditari potest illa, quia nullam habet, aut certe perquam exiguum, arefactum cum omnino sit. nec etiam aliquod inueniri potest refugium, quod satisfaciat: cum putet eam essentialem hydropis caussam esse, si enim diceret quotidie illam generari in iecinore loco sanguinis, recte quidem, ac nobiscum sentiret, atque cum eiuscemodi generationis modo, frustra suas illas in iecinore fixuras imaginatur.

Tertio ait, iis contingere ascitem, qui vomitionibus sanguinis & deiectionibus dediti adhuc fixuram venę continent, ex qua serum deducitur in cauitatem abdominis. At certe non placet mihi eiuscemodi imaginatio. Quandoquidem sanguis omnino efflueret simul sero. Caussæ enim ob quas sanguis effluit ex venis sunt, ruptura venæ, aut fixura, apertio osculorum. Exesio tunicarum & quod sudoris instar transcoletur. Quid impediet quæso fixam venam emittere sanguinem? vbi id aliquando obseruatum fuit retineri sanguinem in vena rupta, & solos educi icores? Si sanguis foras educitur transcolatus ex tunicis, cur non exiet ex rupta vena?

Quarto eius sermo implicare mihi magnam contradictionem videtur. Supponit maximam siccitatem adesse in iecinore, qua findatur eius substantia, tamen maximam adesse copiam humoris: qui si effundatur rupta membranula efficit hydropem: si non affundatur, vesiculas multas facit in iecinore. Hæc quidem non indicant iecur siccum esse, sed præhumidum. quemadmodum etiam experientia facit manifestum in animalibus brutis, in quibus iecur vesicarum plenum est: & ego sane id non semel obseruaui.

Quinto Hippocratis verba non bene illius opinionem, sed euidentissime communem confirmant. Inquit: Quibus iecur aqua plenum eruperit, iis venter aqua repletur. Si iecur aqua plenum est, qua ratione statuere oportet maxime arefactum esse? ariditas opponitur aquæ, & humiditati: ego sane nequeo videre, quomodo iecur siccissimum aqua plenum dici debeat. Sententia Hippocratis in hunc modum habere videtur. Quibus iecur aqua pro sanguine abundat, iis si eruperit iecur sic affectum membranulam ambientem, fit hydrops. atque hæc commmunis est omnium Medicorum consensus: fieri hydropem ex officio sanguificationis impedito: cum scilicet iecur pro sanguine generat aquam, aut fluidam, aut concretam, qualem pituitam vocamus, aut etiam flatuosum spiritu. hæc habui, quæ obiicerem Fernelio.

Nunc doceo, quomodo hæc materia recipiatur in cauitatem abdominis. statuere

fissura

tuere igitur oportet iecur ob imbecillitatem sui temperamenti secundum propriam essentiam mutati suo munere perfungi non posse: propterea à propria ipsius carne bonus non gignitur sanguis, sed illius loco duntaxat serum fit, ex chylo transmisso à ventriculo per mesenterium. Hinc vero accidit illud expelli, aut sponte fluere ad cauitatem ventris, vel per resudationem ex membrana iecur ambiente, vel per rupturam membranæ. Per resudationem quidem, quia vt potest sanguis crassiorem habens naturam, sudoris instar ex tunicis venarum colari, cur non poterit serum? Cum enim eius quotidie multum gignatur ex chylo, venter ab illius copia distenditur, plurimumque intumescit. Alter modus 10 est per ipsius membranæ ruptionem. Potest autem id fieri duobus modis, nempe, vel à copia seri distendente, vel à flatuoso spiritu simul permisto: rarum enim est, simul cum multitudine seri flatum non adesse. Idem accidere videtur mihi in hoc affectu, quod in castaneis, quæ ob flatum ita distenduntur, ignis vi vt non cortex modo, sed substantia tota findatur, rumpaturque. sic vbi seri multitudo cum flatu adest in loco calido contenta, dum facit impetum, propriam membranulam rumpit. Quæsierit hoc loco aliquis, per quas vias effluat materia ad eiuscemodi cauitatem: aliqua enim adesse non videtur ab anatomicis obseruata. Respondeo quod si aliqua non adest sensibus manifesta, occultæ certe quidē non desunt naturæ duntaxat cognitæ. Fere enim ita excolat natura 20 quicquid excoquit, non per meatus aliquot manifestos, sed per inuisibiles deferens breuibus spaciis. sic meseraica vasa osculis non hiant ad intestinorum cauitatem, sed accedunt, vt per latera sugendo, purum trahant alimentum. Sic à dextro in sinistrum cordis ventriculum sanguis meat: & à venis ad arterias per occultas anastomases; sic vrina per renum carnem excolatur: sanguis à porta ad cauam, per hepar: animalis spiritus per cerebri substantiam: semen per testium molem: sic etiam perhibent nonnulli (quamuis anatomica administratio nunc manifesta ostendat vasa) menstruum sanguinem ad vbera conscendere non vasorum ductu, sed per media interstitia partium transcolatione. Hoc modo etiam aluntur ossa, & membra maxima ex parte per inuisibiles meatus allicientia, non 30 per apertos: id quod quidam non assecuti, Galeno molesti sunt, ac importuni. Desideras fortassis, vt aliquem locum afferam tibi ex Galeno conspicuum. Audias igitur, quid scribat libro quinto de loc. affec. c. 6. Atque quod ad eundem locum aliæ quoque venarum extremitates à caua vena in gibbas iecinoris partes distributarum perueniant, similiter constat. licet quomodo per sua ora ipsa inter se coniunguntur, videre nequaquam possimus. Rursus libro 7. aphoris. commen. 54. ait: In quo nos scire oportet arbitrari Hippocratem naturam semper si sit robusta, materiæ viam moliri, & inuenire, etiam si quam maxime crassa sit, perexiles transitura meatus, quando per ossa etiam abscessus fieri dicat. Sed & ipsi in purulentis, quos Græci ἐμπύης vocant inter thoracem & pulmonem 40 collectum humorem extussiri videmus: vt sanguinem etiam per mediam cutem integram elabi interdum in iis ossibus, quæ rupto poro firmantur, & occalescunt. Idem postremo Aphorismus confirmat Hippocratis cum in septima particula sic ait: Quibus inter ventriculum, & septum transuersum pituita concluditur, & dolorem affert in alterutrum ventrem, viam non habens, iis per venas in vesicam versa pituita morbi fit solutio. Ex dictis constat naturam sibi, vbi oportuerit, incognitam parare viam, ac ideo non esse mirum, si iecinore pleno existente seroso humore, fiat in cauitatem ventris collectio. Cæterum neque volo prætermittere, nonnullos viros medicina optime meritos, putare viam 50 adesse conspicuam: sic enim scribit Thomas Rodericus à Veiga. Quo vero canali eo deferatur ab hepate aqua, aut flatus disceptabant prisci, multusq; est in eo expediendo Auicenna. modo comperta res esse videtur. cum enim omentum peræ speciem habeat, vel impertusi infundibuli, & intra se portæ caudicem recipiat, fit vt per receptæ portæ ramos defluat ceu in venas in omentum aqua. Hæc mihi de alterius problematis dissolutione, sufficiant.

Tertio loco dubitationes proponis circa verba Hippocratis in prognosticis,

vbi agens de hydrope, dicebat: Quotiescunq; ergo ab inani parte & lumbis hydropis principia fiunt, iis pedes intumescunt, & profluuia longa accidunt, quæ neq; dolores tollunt ex inani parte ac lumbis, neque ventrem vacuant. Duo hic difficultatem faciunt tibi: alterum, quomodo contingere possit dolor in eiuscemodi affectu, in quo certe iam facta intemperies est, & æqualis Galeni testimonio quinto de locis affect. cap. 6. & 4. aphor. com. 11. at vero dolor est, dum fit, non postquam facta intemperies est. Propterea dicebat Plato in Timæo, doloris quidem semper generationem esse, essentiam vero nunquam. Atque Hippocrates, dolores (inquit) fiunt ab iis, quæ alterant corrumpuntq; naturam. at cum alterata est & corrupta, dolor cessat. Hinc nullus dolor hecticas febres comitatur, vt Galenus libro de inæquali intemperie dicebat, ac aliis etiam locis sexcentis. Secunda dubitatio est, an iecinore per propriam essentiam hydropem patiente contingat alui fluor epaticus, similis inquam loturæ carnis recenter mactatæ: an contra aluus sicca sit. Ratio dubitandi est, quod Galenus agens de inflammatione iecinoris cap. 7. libri quinti, de locis affectis, inquit: aluum siccam esse, nisi adsit imbecillitas iecinoris, quoniam vbi adfuerit, sunt excrementa fluida, & loturæ carnis similia. Sed in prognosticis agens de hydrope, asserit, hydropem ex iecinoris inflammatione proficiscentem aluum reddere adstrictam: atqui cum omni hydrope adest imbecillitas in propria essentia iecinoris, quæ impedimento est, ne sanguis generetur. Magnæ quidem sunt difficultates propositæ, pro quarum dilucidatione ad primam fortassis dici posset, vt quorundam opinio est, quod etsi temperies æqualis per se non inferat dolorem, tamen generat succum aut flatum, qui doloris est caussa, partim intemperando (intemperatam enim secundum habitum particulam denuo intemperari quotidie accidit) partim distendendo. Sed mihi non parum suspecta est explicatio. Nam sequeretur ad omnem æqualem intemperiem dolorem nasci, quia æqualis & facta intemperies denuo intemperatur: & qua fit, dolorem facit, quod quidem non contingere, ostendit marasmus, ac alii affectus in habitu omnino carentes dolore. Deinde vero æqualis intemperies est, qua natura corrupta est omnino, ac alterata: & quæ talis est, amplius nequit corrumpi ac alterari. Nam fieri factum esse præcedit: non econtra. Præterea certam non haberemus regulam de particulis dolentibus, si æqualis intemperies dolorem facit: Galenus enim continuo dixit libro de symptomatum causis, & de inæquali intemperie, dolorem fieri ab intemperie, quæ fit: minime vero ab intemperie facta. Putauerim quidem, hydropem considerari posse duobus modis, vno modo quatenus est in principio, alio modo quatenus est in progressu, & confirmata est. Illa non fit ab æquali intemperie, sed ab inæquali: cuius rei argumentum potissimum est, quod sanari potest, quodque venæ sectionem aliquando admittat: at nisi vires bene valerent, hoc genus vacuationis exerceri non posset, vt scribit Hippocrates 4. acut. com. 111. & Galenus in eius loci affirmat commentario. Hanc itaque si nos audiamus intemperiem, quis ambigit in principio hydropis concitari dolorem posse? quę vero fit hydrops ex acuta, ardentiq; febre eiusmodi est, cum fere videatur impossibile tam breui spacio temporis naturale temperamentum iecinoris fuisse corruptum. At hydrops confirmata sequitur intemperiem æqualem, & in habitu, in qua profecto dolor non adest. Hippocrates loquitur de hydrope non confirmata: Galenus quinto de locis affectis de alia locutus est. addo etiam, dolorem fieri posse in hydrope confirmata, non ratione temperamenti æqualis, quod non est in toto corpore, sed in iecinore, vel aliis partibus: at dolorem sentire vbi non adest eiuscemodi temperamentum morbosum, vtputa in abdomine, in musculis, in cute, quæ distenduntur, & extensione in dolorem incidunt. hæc vna est loci huius explicatio: quæ si tibi fortassis non satisfaciat, aliam affero. Nempe intemperamentũ æquale audiendũ esse in quadam latitudine. aliud enim est, quod vsquequaq; æquale non est, sed duntaxat eiusmodi iudicatur sensus iudicio. Aliud vero, quod re ipsa est æquale. de priori intemperie Galenus loquitur, quando omnem febrem hecticam æqualem

lem esse statuit intemperiem, cum tamen constet hecticam primi gradus non habere hunc habitum, quia certe nondum naturale temperamentum corruptum est, sed remanet adhuc integrum, propterea potest facile ad pristinam naturę bonitatem reuerti, ceu nihil adhuc affatu dignum perpessa facultate, vt Galenus ait libro de febrium differ. cap. vlt. hisce verbis: Determino autem principium, non dierum aut horarum numero, sicuti neque in aliis morborum generibus, sed ipsa dispositionis qualitate. cum enim naturalis cordis temperies primum euerti inceperit natiua humiditas, neque prorsus abolita est, neque virtus plurimum laborat, sed primo fit, veluti quædam efferuescentia humiditatis: 10 quo in tempore facillimum est eiuscemodi febrem satiare, tanquam nihil adhuc virtute perpessa. Hæc Galenus. Quæ nulla ratione possunt accommodari ad intemperiem vere æqualem, vtputa quæ sanari non possit, & in qua virtus plurimum laborat; sed hæc audienda sunt de ęquali intemperie inchoante, ac vt dixi, sensus iudicio. Secunda significatione vsus est idem author, quando dicit, æqualem intemperiem efficere non posse dolorem, & temperamentum naturale prorsus corruptum esse ab illa intemperie. Quæ, si vera sunt, iam cessare videtur difficultas: nam quando dicebat, hydropem fieri ab intemperie in habitu, intelligit intemperiem æqualem primo modo, non secundo, quod duplici argumento patet, vnum, quod sanari potest hydrops aliquando, vt nosti me in 20 hisce montibus sanasse: aliud vero vero, quod 4. aphoris. com. 11. non ita loquitur assertiue, cum dicit, fieri hydropem ab intemperie in habitu, sed potius dubitatiue. verba illius habent in hunc modum: Verum vbi circa vmbilicum & lumbos firmati fixiq;, neq; medicamentis postea, neq; aliis remediis solui possunt, tum earum partium habitualis quædam, vt ita loquar, intemperies est. quid sibi vult dicere Galenus, cum ait, vt ita loquar? meo iudicio significat non esse proprie habitualē intemperiem, sed illi perquam similem, quod vt habitus cum difficultate remouetur, sic eiuscemodi intemperies sanatu sit difficilis. Veram esse hanc explanationem constat ex eo, quod dolores adhuc adsunt continui cum huiusmodi dispositione. Addo etiam postremo loco, Galenum non di- 30 xisse, iecur in hydrope intemperiem pati in habitu: sed fieri hydropem ex partibus inanibus (id est, ex ventriculo, mesenterio, intestinis ac renibus) intemperiem patientibus habitualem, à qua iecur refrigerati significauit. est autem rationi consonū viuente animali adhuc facultatē sanguificatricem aliqua ex parte contineri in iecinore, qua sanguis, non bonus quidem, sed icorosus generetur. Quia, si omnino intercederet officium sanguificationis, qua ratione tamdiu nutriri possent particulæ, quamdiu durat hydrops? propterea nō est omnino facta intemperies, sed aliqua ex parte adhuc fit. Verū quia sunt hæc à nobis explanata in iis, quæ de æquali & inæquali intemperie scripsimus, hæc adnotasse sufficiat.

40 Sequitur certe inflammationem iecinoris iam primum inchoantem alui adstrictio, quia ex chisti fellis non transmittitur bilis irritatura intestina ad expulsionem fœcum, & quia etiam ab ardore febris exiccantur fœces. Atq; cum primum incipit hydrops, nondum iecur habitualem contraxit intemperiem, quam consequetur in progressu: atq; tunc aluus excrementa reddet liquidiora, carnis recenter mactatæ loturæ admodum similia. Quando igitur Galenus inquit: Si inflammatio iecinoris contingat cum imbecillitate fieri deiectiones liquidas: nomine imbecillitatis intelligit intemperiem habitualem, & factam: vel quæ proxima illi sit: quam imbecillitatem in essentia propria vocare consueuit libris de præsagione ex pulsibus. at sine hac imbecillitate, vt satis superq; demonstrauimus, hydrops potest incipere.

50 Sunt qui alio modo huic difficultati satisfaciunt, dicentes, Galenum non definiuisse, quam debilitatem diceret. Quia certe sola debilitas facultatis commutantis non est satis cum inflammatione coniuncta ad tales excretiones, nisi etiam simul accedat debilitas attractricis. Ergo cum per intemperiem frigidam in habitu debile est hepar, & tamen inflammationem patiens (nam nihil vetat habere intemperiem frigidam in habitu, calidam in dispositione) red-

duntur deiectiones illæ subcruentæ, quia languescunt trahendi, & commutandi facultates: de quibus facultatibus Galenus loco dicto disputabat. Verum præ intemperie calida & sicca in habitu hepar est debile, vt cum hydrops succedit hepatis inflammationi, & si facultas commutandi sit debilis, proindeq; aqua generetur, quæ regionem ventris repleat, tamen tractio nihil minuitur, sed aucta est: fitq; per venas mesenterii magna succi attractio ac siccatio excrementorum. Causa, qua per intemperiem frigidam languescit facultas trahendi, per calidam vero minime est, quod calor tardissime & minime lædit facultatem trahendi, frigus maxime ac citissime. Nam etsi quæuis intemperies possit tandem omnes facultates tollere, tamen quasdam illarum quædam intemperies minime & tardissime: quasdam maxime & citissime. Vt trahendi facultas à calore minime læditur, quia calore maxime iuuatur, contraria de causa frigore citissime læditur. Ergo cum hepar ob inflammationem intemperiem in habitu calidam atque siccam contrahit, prius amittit bonam commutationem, quam tractionem. quanquam enim commutatio etiam agitur calore, tamen agitur moderatiori, quam tractio. Itaq; eo tempore, quo præ calida intemperie & sicca minuta erat commutandi vis, non minuta trahendi, generabitur multa aqua, & redentur arida ventris excrementa: illud debilitare facultatis commutantis, hoc nimia tractione sui. Verum cum hæc intemperies nimium creuerit, adeo vt iam omnino euerterit membri naturam debilitata, tandem etiam facultate trahendi accidet profluuium ventris, etsi hydrops ab hepate ceperit initium: id vero fit in vicinis iam morti. Hæc illi in proposita materia subtiliter disputant. Quorum opinio licet docta sit, videaturque maxime probabilis, mihi tamen minime satisfacit. Neque possum in præsentiarum scribere, cur displiceat opinio, quia hora iam instat lectionis publicæ, tabellariusque festinat discessum. Aliàs scribam, si non citius, certe cum Octauius ad vos venerit, quod breui futurum spero. Tu interim cura, vt valeas, & Camillo Symonettæ meo nomine salutem plurimam dicito.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER NONVS.

SENATVI PEDEMONTANO.

Quod medicamenta componere non deroget nobilitati artis. Pro Domino Iulio Contareno Medico.



VT non defuerunt in omni ætate, qui præstantissimos Medicos odio prosecuti sunt immortali: sic hodie eiusdem generis reperiri quam plures, & in omni fere prouincia, manifestissimum esse puto. Exempla possem, PATRES Amplissimi, afferre multa, sed ne sim longior duntaxat, quid Iulio Contareno vestro ciui accidat, enarrabo. Hunc doctum equidem virum, & in artis operibus exercitatum, præsertim vero in medicamentorum compositione absolutissimum, cum duodecimo ab hinc anno receptus in Collegium fuisset Medicorum Augustæ Taurinorum, & in hanc vsque diem citra controuersiam eo fuisset potitus: Nunc quidam indignum Collegio iudicant, quod asseuerent, propriis componere manibus medicamenta,

camenta, & nobilitati facultatis medicæ plurimum derogare. Collegium vero nobilium esse Medicorum. At, ego quia contrarium omnino sentiendum duco: vtputa, qui sciam nobilissimos Medicos, Reges potentissimos, Principes magnos hanc artem non mediocriter caluisse & exercuisse, sum vobis ostensurus, non esse vitio vertendum Contareno, si Pharmacorum compositoni incumbit: imo potius maximis extollendum laudibus, ac præterea honore atque præmio dignissimum. Primum vero summam opinionis meæ in medium afferam. Deinde paulo altius petito principio sigillatim, ac quo ad eius fieri potest, etiam diligenter demonstrare conabor.

Eius igitur, qui medicamenta componit, scopũ contemplari debemus. Nam si, vt humanæ vitę opem ferat, vtq; certior fiat, pharmaca id pręstare, quod titulo promittunt; pietate & charitate Christiana ductus, suo exemplo ignaros pharmacopolas, ad rectam componendi methodum excitare in animo habeat, medicamenta componit: tantum abest, vt hunc nobilitati artis derogare aliquid putem, vt contra, de arte optime meritum ab omnibus honorandum, ac summis laudibus extollendum, vbiq; statuam. At vero, si quispiam duntaxat lucri causa, vtq; publice venalia teneat pharmaca, eam sibi assumere voluerit prouinciam, hunc certe præstantiæ facultatis huius plurimum detrahere profitemur.

Disputatum olim fuit, an Medicina inter artes nobiles, & libero homine dignas, connumeranda sit: neque enim defuerunt, qui sordidam & mœchanicam esse tradiderint. Respondet Andreas Tiraquellus (vt alios prætermittam, qui hoc argumentum tractarunt) libro de Nobilitate cap. 30. nu. 523. Nobilem esse Medicinam, & Medicos nobiles: verum non secundum se totam, sed duntaxat Diæteticam & Pharmaceuticam. Excipit ille chirurgiam, tanquam omnium sordidam atque vilissimam. Nobilitatem porro medicinæ late comprobauit idem IC. in eodem cap. num. 181. Possem hac ipsa contentus diuisione, quæ satis communis ac firma videtur apud Iurisconsultos, pronunciari huiusce mei veritatem comprobare: quia medicamenta componere ad pharmaceuticam pertinet. At mihi certe non placet, citra distinctionem fidem adhibere Tiraquello. Nobilis enim etiam est ipsa chirurgia. Certe qui manu operatur cataplasmata imponendo, vrendo, secando, saniem & purulentas materias detergendo, ac sordida quæque tractando, ignobilis erit artifex, sordidus, mœchanicus. Maxime si quæstus gratia publice, ac ex professo omnibus venalem suam exhibeat operam. At qui chirurgiam duntaxat docendo ad sordidum non descendit opus (nisi tamẽ vbi artifices desint idonei) sed ministris imperando artem exercet, hunc appellauerim nobilem, & honore dignum haud minus, quam in aliis partibus versatum. Idem iudicandum sentio de pharmaceutica. qui enim docet rationem vtendi medicamentis, & eadem recte componendi, artifex scientificus, ac præstans iudicabitur. At qui solius quæstus causa componit pharmaca, non est re ipsa Medicus. sed minister. sed qui componit, non quidem ob hunc duntaxat finem, sed etiam ob alios supra enarratos, non minister, non pharmacopola, sed vere architectus est. Vbi de hominum agitur vita, non licet profecto, medicamentorum compositiones vnicuique obuiam committere. quidam enim sunt pharmacopolæ admodum rudes, qui pro salutaribus, maxime lethalia componunt pharmaca. & sane horum causa multo plures, quam aut morborum violentia, aut Medicorum negligentia moriuntur. In præcipuis Italiæ ciuitatibus lege cautum est, pharmacopolas medicamenta expurgantia, & magnas confectiones (ita enim vocant theriacam, mitridatum, auream Alexandrinam, ac eius generis alias) componere non posse sine assistentia vnius aut plurium Medicorum. neq; hoc est cuiusuis Medici officium, sed eius in primis, qui fuerit ea in arte exercitatus: atque ita humano generi optime consulitur. At in iis ciuitatibus, in quibus hæc consuetudo non adest, periculosum videtur mihi, omnia in potestate pharmacopolarum relinquere: nam licet horum aliqui sint diligentes, tamen longe plures existunt negligentes, quorum causa aliquando obseruaui, nonnullos repente fuisse è medio sublatos. Romani Im-

peratores hac de causa curam Galeno reliquerunt, componendi theriacam, vt eius testimonio constat libro primo de Antidotis, in quo docet, apertissime sese theriacam composuisse ad instantiam Antonini & Seueri Imperatorum. Imo eodem libro addit: Ad Medicos proprie magnatum Antidotorum compositionem pertinere. Velim considerari, cur dixerit, proprie ad Medicos pertinere? an quia extabant Galeni tempore pharmacopolæ, extabant vnguentarii, ad quos secundo loco pertinebat illarum compositio: sed tamen ad Medicos magis exercitatos pertinebat hoc munus. Quis ergo, si hæc vera sunt, audebit Iulium Contarenum arguere, quod non confisus in Taurinensium pharmacopolarum industria, voluerit propriis manibus pharmaca præstantissima componere, quibus pro suis duntaxat ægrotis sanitati restituendis vteretur? Placet hic afferre, quæ Galenus in huiusce rei confirmationem scribat. Verba illius habent in hunc modum: Si vel Mitridatum, vel Theriacam, vel aliquam aliam maiorem Antidotum componere aggrediatur, quæ & multa comprehendat, & cinamomum accipiat, optimis quibusq; indiget medicinis, quæ quoniam alio in tractu, quam Romæ haberi non possunt, propterea tales Antidotos Romæ conficiunt, non solum optimi quique Medici, sed etiam vnguentarii.] Dixit optimos quosq; Medicos, quia nolebat, vbi de hominis agebatur vita, vnguentariis confidere. Neq; enim alia excogitari potest ratio, cur componentibus vnguentariis eiuscemodi antidotos optimi Medici etiam voluerint componere. Hinc factum fuisse putauerim, amplissimi Patres, admirabilem Galenum passim in libris de compositione medicamentorum per locos & per genera quamplurium medicamentorum facere mentionem, quæ fuere à clarissimis Medicis composita, Asclepiade, Archigene, Demoerito, Appollonio, Scribonio, Hera, Musa, Cassio, ac aliis fere sexcentis. Quid? si turpe est, & indecorum magni momenti componere medicamenta, derogatque nobilitati artis medicæ, cur non erit pariter turpe, atq; sordidum in simplicibus cognoscendis, & conquirendis tantam impendere operam, quantam Heraclidem Terentinum, Crateuam, Nigrum, Dioscoridem, Iolam, Ruffum Ephesium, atq; alios adhibuisse constat? Quantam etiam admirabilis Galenus, vt illius frequens in Lemnum nauigatio manifestum facit. Recentiores etiam rei herbariæ studiosissimi manus aqua, & luto, ac aliis coinquinamentis nõ raro infecerunt, terram etiam passim foderunt. an propterea dicemus, illos fecisse opus mechanicum? mihi quidem non videtur. Finis est, qui specificat opus, non res ipsa, quæ fit. Dominus etiam noster IESVS collyrium ex sputo ac luto fecit pro sanando cœco nato. quod nemo sordidum opus iudicabit. Quid si nobilitati derogat artis pharmacorum compositio. an Imperatores, ac Reges magni, an summi Duces, an Apostoli, an Sancti, an Pontifices, an Cardinales, qui medicamenta composuerunt, nobiles statuendi non sunt? In primis Augustus Cæsar, vt testatur Plinius Valerianus libro primo de re medica cap. 18. author fuit medicamenti, quo sæpe vtebatur, & quod passim omnibus commendabat. Galenus lib. 5. de compositione pharmacorum per genera citat pastillum à Tiberio Cæsare compositum. Aetius libro secundo, sermone tertio, cap. 113. refert, collyrium viride ab Adriano Imperatore inuentum. Titus Imperator inuentor fuit cataplasmatis maxime vtilis, vt patet ex Galeno lib. 10. de composit. medic. sect. loc. cap. 3. Iustinus Imperator ad affectus renum & vesicæ præstantissimum inuenit medicamentum, quod Iustinum suo nomine appellauit. Attalus Rex Pergami emplastrum composuit Attalum nomine, auctore Celso libro primo cap. 19. & Marcello libro de medicamentis cap. 22. Mitridates Rex Ponti maximus omnium Regum, & cui duæ & viginti diuersarum linguarum nationes parebant: Mitridatum faciebat. Agrippa Rex Iudæorum Agrippæ illud vnguentum composuit. Saporem illum Medorum Regem & Persarum varia composuisse medicamenta, Mesues testatur, & Aurelius victor Nono de gestis Romanorũ cap. 8. Auicenna Hispalensis Bithyniæ aut Cordubæ Rex, vt aliis placet, idem effecisse ex illius libro quinto canonis constat. At tacebo Diuum Ambrosium, cuius extat

extat syrupus ad febrem, vt Antonius Guainerius Papiensis testatur libro de febribus, capite de tertiana. Refertur etiam syrupus ad D. Augustinum, cuius frequentem mentionem facit Altimarus. Perhibent præterea, quendam ex Apostolis composuisse vnguentum Apostolorum nuncupatum. Extant etiam pharmaca à Petro Hispano composita, qui fuit Pontifex Maximus, & Ioannes XXII. nomine appellatus. Ad recentiorum exempla accedamus. Petrus Andreas Matthæolus suũ composuit helleborismum ad quartanam, aliosq; affectus melancholicos, quem nisi rarissimis & amicissimis, quibus reuelare volebat Medicis. Componebat etiam idem passim oleum illud ad venena præstantissimum Carauitæ, & alias præstantissimas antidotos. Ioannem Cratonem Medicum Cæsareum quamplura composuisse pharmaca, eius monumenta testantur. Ioannes Cortusius Patritius Patauinus adeo hac arte componendi delectabatur, vt fere parem non habuerit, legendæ sunt eius doctissimæ ad Matthæolum epistolæ, & ad Prosperum Borgarucium Medicum præstantissimũ. Eram fere oblitus inter studiosos pharmaceutices recensere Cosmum Mediceum Magnum Hetruriæ Ducem, cuius extat celebratissima contra venena compositio, & contra pestem, aliave quamplura humano generi vtilissima. Audiui etiam à fide dignis Ernandum eius filium omnium Cardinalium decus & ornamentum hoc studio maxime delectari: Dies quidem non sufficeret, si vellem sigillatim prosequi artis huiusce studiosos: ii igitur sufficiant, ex quibus arbitror ostendisse me, non esse turpe, Medicum pharmacorum compositioni operam nauare. Sed video, quid fortassis obiicient. Primum dicent, eos, quorum vsi sumus testimonio, fecisse composita medicamenta ob solam delectationem artis, non ob quæstum. Deinde, quod non composuerint passim omnia, sed quædam magni momenti ac præstantissima. Tertio, quod Iulii Contarini in hac re haud esse debet authoritas tanta, vt sciat recte componere pharmaca, adeo vt illi omnino adhibeatur fides: Quibus in hunc modum breuiter satisfacio. Dico primum, honestum lucrũ arti liberali & nobili conuenire, omnis enim labor exigit præmium. de qua re extat sententia Hippocratis libro, cui titulus est præceptiones, vbi vult Medicum pacto conuenire cum ægroto de illius mercede, quam tamen nimis rigorose postea exigi non vult. Verba illius afferenda sunt, quia certe maxime confirmant propositum tractationis nostræ: ea sic habent: Si enim à mercede inceperit (conducit enim hoc vniuerso negotio) ægroto quidem huiusmodi cogitationem inducis, quod videlicet non ipse relicto abibis. Si vero non pacisceris, quod ipsum negliges. & de quibusdam in rem præsentem non admonebis. Curare igitur oportet de constituenda mercede. inutilem enim esse putamus eiusmodi ægroti ipsius cogitationem, multo enim magis in morbo acuto. Morbi autem celeritas temporis occasionem non præbens ad reuersionem, non impellit bonum Medicum ad quærendam suam commoditatem, sed vt magis existimationis suæ rationem habeat] & parum postea. At vero (inquit) remunerationis exigendæ acerbitatem, absque præparante ad disciplinas cupiditate, hortor, vt ne valde inducas, sed & ad opulentias & facultates respicias] hæc ille. Ad secundum dicimus, Iulium Contarinum non componere passim omnia medicamenta, quibus abundant pharmacopolæ, sed præstantissima & selectissima, atq; in hac ciuitate insueta. Neq; docere vult illos, primum, quia euidens est inter ipsum, & pharmacopolas, simultas, deinde, cum horum quidam ignari sint, quidam negligentes, non putat è re ægrotorum esse, tanti momenti remedia illorum autoritati committere. Neque verum est, quod imponunt quidam, proponere singulis venalia. Sed solum, quæ ipse composuit, pro suorum duntaxat ægrotorum curationibus vsurpat. estque adeo mitis & benignus in mercede exigenda, vt mitior inueniri non possit. Ad postremam obiectionem respondeo, doctum esse, & in artis operibus exercitatum: propterea nouit ille, quibus de causis componenda sint pharmaca, quæ ingredi compositionem debeant, qua ratione compositio tota absolui debeat, & quibus morbis applicanda sint. & vero quod attinet ad artificium compositionis ac præparationis, ausim

dicere, æqualem non habere, aut nullum ſuperare illum. Locus hic poſtulat, vt quædam de ſuo extracto è reubarbaro dicam, cuius cauſa tot natæ ſunt controuerſiæ. Duo enim vitio vertunt illi: vnum, quod pro extracto reubarbari exhibeat ſuis ægrotis mineralia quædam, in quibus antimonium ingredi præparatum aſſeuerant. Deinde alterum eſt, quod putent, à Medicorum vſu omnino extirpanda eiuſcemodi pharmaca. Prima certe accuſatio impia eſt, nam aut norunt, quæ ille adhibet ægrotis, aut ignorant. ſi norunt, iam quidem ſciunt, pharmacum ex reubarbaro conſtare, vt ego profiteor, qui ſcio, & viderim ipſum componentem, formamq́; purgandi ex corpulenta ſubſtantia reubarbari mira quadam arte elicientem. Si neſciunt, cur arguunt? cur ita temere pronunciant? ſum ego vſus ipſo pharmaco, coniux, filii, tota familia ſucceſſu ſemper vtili. Principes multi, frequentiſſime tamen Illuſtriſſimus & excellentiſſimus Philippus è Sabaudia Nemourſii Dux, eius filii; atque alii ſexcenti ex hoc pharmaco vtilitatem magnam reportarunt. Bonum igitur exiſtere pharmacum experientia facit manifeſtũ. Deinde communis vſus, nam Vuecheluir, Andernacus, Cordus, Geſnerus, Quercetanus, Seuerinus Danus, Zuinzeris, Ludouicus Rochafortius, Ioannes Crato, Cortuſus, ac alii præſtantiſſimi fere omnes, extractum reubarbari inter purgatoria remedia deſcribunt. Sed eſto, non ſit extractum reubarbari; ingrediatur in ipſo antimonii præparati ſubſtantia, aut vis, an propterea non eſt vtendum? quis ita ſtatueret? quaſi quod præſtantes Medici in contumacibus, ac maxime refractariis morbis antimonio non vtantur? Ego tamen profiteor, pharmacum illius eſſe ſolum reubarbari extractum, alia ratione elicitum, qua ſoleat ab aliis extrahi. Ex iis etiam conſtat, quam inanis ſit ſecunda accuſatio: in qua certe videntur, accuſatores rem non bene perſpexiſſe, cum vitio vertant illi; quod foret alioquin maxime laudandum. Quandoquidem in eliciendis rerum formis excellit Contarinus, ſiue ſimplicium, ſiue compoſitorum pharmacorum naturam, & eſſentiam volueris. Ex manna, & caſſiæ attramento diebus præteritis purgatoriam facultatem extraxiſſe animaduerti. Vidit etiam Illuſtriſſimus Cardinalis è monte reguli, & admiratus hominis fuit ſtudium atque diligentiam. Placet hic afferre, quæ Proſperus Borgarutius nobilis Patauinus, & Medicus præſtantiſſimus de Iulio Contarino ſcriptis mandauit in libro, cui titulus eſt, Pharmacopolarum fabrica. ſic ait: Iulius Contrarinus nobilis Taurinenſis, quem Deus Maximus multis pulcherrimisq́ue ornauit qualitatibus, quotidie magnam theriacam deſtillat, quam ſciunt omnes, quam ſit efficax remedium ad multa humanæ vitæ pericula. Et ex ipſa theriaca vi quamplurium & diuerſorum inſtrumentorum quendam elicit liquorem habentem omnes qualitates, quas antea habebat theriaca, præclariſſimum certe liquorum omnium, ictibus canum rabidorum, atque peſtiferum animalium] atque eodem libro folio 469. inquit: Atq; id præſertim facit, quando eo potiſſimum modo, quo extrahitur ab accuratiſſimo Iulio Contarino Taurinenſi, cuius aliàs mentionem fecimus] Ioannes Coſteus Medicus & Philoſophus hac noſtra ætate præſtantiſſimus, & de medicina optime meritus, in ſuis annotationibus in Meſuem, Iulium Contarinum in præparandis pharmacis præſtantem eſſe ſcribit. Franciſcus præterea ab Alexandris Vercellenſis Medicus celeberrimus in ſuo de peſtilentia commentario, Iulio Contarino in extractis medicamentis conficiendis, ac recte vſurpandis primas partes tribuit. Ego vero ita ſcripſi in quadam Epiſtola ad Sirochum Fulginatem. Tanta vis eſt horum extractorum, vt expurgent noxios humores citra incommodum fere omne, præſertim cum bene fuerint præparata: in quo munere præſtantiorem vidi neminem Iulio Contarino Taurinenſi Medico egregio, & in artis operibus exercitato.] Hæc quidem ſatis manifeſtum faciunt, quantum ſit Contarino in hac arte tribuendum. Cæterum hic ego non diſputo, an ſit melius pro morborum curatione vti extractis remediis, an autem vſualibus: hoc enim ad aliam tractationem pertinet: ſed illud dico ac profiteor, vitio non eſſe vertendũ cuiquam Medico, ſi opportune extractis vti voluerit: atq; nullam habere accuſatores occaſionem

sionem probabilem contra Iulium Contarinum, vt eum statuant indignum collegio, quo, vt iam dixi, multo antea pacifice (vt ita loquar) potitur. Postremum, quia dicunt, nolle ex collegiatis aliquem de cætero componere medicamenta. Dico, decretum hoc ab illis fieri non posse in alterius præiudicium, imo totius artis & ægrotantium. Illi quidem iam concessa authoritas est, à nostro fuit admissa collegio, cur post concessionem anno 20. plus minus deneganda? Mox cur non licebit in dies artifici perficere, quæ ad artis dignitatem pertineat? an infima res ac nullius momenti iudicabitur, tuto & iucunde medicari? quod ille tractis pharmacis, ac aliis eius generis delicatissimis efficit? cur deinde ægrotis hoc impartiri debebit damnum, qui longo temporum interuallo sunt assueti medicamentis eiuscemodi? Lex maxime satisfaceret mihi, si non licere collegiato Medico præciperet, medicamenta more seplasiorũ publice venalia componere: atq; simul si alia adderetur. Non licere cuiquam ex eo numero quæstus duntaxat causa, & citra necessitatem aliorum ministrorum vlcera detergere, cataplasmata imponere, suere, incidere, cauterizare, ac alia eius generis sordida efficere. hoc certe multo magis ad nostri collegii dignitatem pertinere videtur, quam componere medicamenta. Conclusio igitur sit discursus huiusce mei, non derogasse quicquam nobilitati artis Iulium Contarinum medicamenta componentem, atque nulla ratione collegio priuandum. Vos interim amplissimi patres pro vestra prudentia iudicabitis.

ILLVSTRISSIMIS, OZASCHO MAGNO CANCELLArio Serenissimi Ducis Sabaudiæ: & Ludouico Puteo primario Præsidi Pedemontani Senatus.

Ostenditur neq; sal, neq; oleum oliuarum contagionem recipere pestilentem posse.

QVAMVIS tum publicum docendi munus, tum in visendis ægrotis, & in rebus familiaribus priuatum, reddant me hoc tempore occupatissimum: Tamen, quia vobis & Illustrissimis viris, & perpetuo obseruandis, deesse, neq; possum, neq; debeo. Problema mihi hesterna die propositum diligenter, quo ad eius fieri potest, dilucidabo. Illud quidem hisce verbis scriptum à vestro secretario datum fuit mihi:

THESIS.

Si sal, & oleum oliuarum exportatum ex Genuensibus littoribus, sine inuolucris, & saccis, & cordis, & citra commertium infectorum hominum sint capacia contagionis.

RESPONSVM.

In sale duo sese offerunt consideranda: Vnum est eius natura. Aliud, quod cum sale communiter deferri solet, inquinamentum, aut terreum, aut saxeum, aut sabulosum, aut alia qualitate præditum. Dixerim igitur, salis naturam seminaria pestilentiæ recipere non posse, aut certe non conseruare, si forte recipit. Est summa pestilentiæ, vt dicebat Hippocrates, ipsa putrefactio: quod cum Galenus præuidisset, quæcunque corpora statim videbantur illi humida, omni opere exiccare conabatur: quæ vero sicca erant, in iis antiquum habitum conseruabat. sal habere vim exiccandi potentem, neminem esse arbitror, vel ex vili plebecula, qui nesciat: vt etiam illud notissimum omnibus est ob siccitatem imputrida seruare corpora, & quæ semiputrida sunt, ad pristinũ suæ naturæ statum reducere. Quod itaq; antidotum est præstantissimum, & pro curatione, & pro præseruatione funebris huiusce mali, id quidem nequit esse capax contrariæ dispositionis. An autem, quemadmodum ex Æthiopia semina pestilentiæ in Græciam à ventis fuisse aliquando exportata, dubitasse videtur Galenus: sic fortassis ex Ianuensibus illis oris cum sale deferri posse quispiam dubitabit. Sed hoc nequit consistere. Ex ventis enim mala seminaria contagionis asportari

posse docuit olim experientia: & à D. Augustino eleganter expositum est libris de Ciuitate Dei. est etiam pariter à fomitibus id aliquando contigisse obseruatum. Verum vt omnis ventus ad eam deferendam pernicem idoneus non est: in hunc modum nec omnem fomitem idoneum statuemus. Sed ille duntaxat aptus censebitur, qui recipere potest, & conseruare inimica humano generi semina. Vt quæ sum vobis dicturus notiora sint, statuere oportet, semina pestilentiæ esse substantias quasdam vaporis specie ab infectis corporibus vi caloris effluentes qualitate viscidas, ac naturam eius corporis præseferentes, à quo defluxerunt, corrupti, siue fuerint spiritus, siue solida cordis substantia, siue humores in sinubus cordis contenti: propterea semen dicitur ea substantia, quia talem vim habet gignendi, qualis fuit, à qua defluxit. habetque analogiam ad particularem substantiam: quoddam ad spiritum, quoddam ad humorem, aliud ad solidas partes, quia fluxit semen vel à spiritu vel ab humore, vel à solido corpore. Quoniam vero semen pestilentiæ diu conseruari in fomite solet, inhærere debet illi; quodque inhæret viscidum corpus est. Quod attinet ad primas qualitates humida primum sunt, nam ex materia putrefacta, imo corrupta deducuntur: sunt etiam calida, non tamen vrentia: impedit enim humiditas, ne magnam caliditatem habeant. Sic habent seminaria pestilentiæ. Fomes vero corpus est laxum, molle, non durum, non compactum, non densum. Nam in illo seminaria ingrediuntur: in hoc ingredi non possunt, adde quod neque apprime calidum esse debet, neque frigidum. calidum enim vaporosam illam substantiam, ceu ignis quidam purgatorius dissolueret: Frigidum autem extingueret. Hæc quæ diximus, ex communi omnium consensu verissima sunt. Sal igitur hasce conditiones habere non potest. Primum quia compactam, ac densam substantiam sortitur. Deinde quia maximam siccitatem habet coniunctam insigni caliditate. Recipiens, ac receptum debent inuicem conuenire, alioquin inuicem vniri non possent. Seminaria pestilentiæ humida, ac tepida, quomodo contineri & conseruari salua poterunt in substantia siccissima, dura, densa, calidissima? cur non dissoluetur in auram ab igneo calore pestilentiæ seminarium? Hac de caussa, omniũ Medicorum consensu à natura fomitum pestilentię excluduntur corpora calida, & sicca, dura, ac densa: quemadmodum etiam frigida siccitati coniuncta. Si ex me scire vultis, Amplissimi Partes, quæ propria seminaria pestilentiæ recenseantur, ea inquam esse, quorum Moyses in Leuitico meminit, nempe, vestes, ac panni lanei, pelliceæ supellectiles, stamina, & subtegmina; Constat etiam bombicem, gossippium nuncupatum, lanam, linum, canabim, sericum, & quæ ex illis constant, primas partes tenere, vt quotidiana experientia manifestũ facit. quæ vero frigida, & sicca sunt, vt metalla, lapides in vniuersum fere omnes, acetum, omphacium, acida etiam omnia sunt contra pestilentiam antidota. In hoc ordine collocanda sunt etiam sicca vincente calido, vt aromata omnia, castoreum, euphorbium, salis omnia genera, & quæ sunt conditionis huius. Constat ex iis, sal ipsum, de quo controuertitur, seminarii pestiferi fomitem esse non posse, imo potius antidotum contra pestem ob exiccandi potentiam calore coniunctam: quia summa curationis, & præseruationis in siccitate consistere ex Galeno, in communi omnium medicorum decreto, supra demonstrauimus.

Porro de his, quæ cum sale asportari, & misceri solent coinquinamentis, ita sentio. Natura eorum est consideranda. nam si fuerit concors cum propositis pestilentiæ principiis, aliquid efficere possent illa plus, aut minus, prout aut magis aut minus accedent. Dixi, aliquid, quia contemplari oportebit, quid illis coinquinamentis accedat ex natura salis, quam contra pestem antidotum esse diximus. Saxa, sabulum, paleæ, stipulæ seminaria pestilentiæ recipere non posse, certissimum videtur mihi. De terra non ita constat, quia si contagionis seminaria deducantur è terra, non nihil certe poterit. At certe pestilentia, quę nũc Ianuensium exercet ciuitatẽ, non habet à terreo veneno originẽ. At vero alia possunt etiam permisceri, sed cum ignorem quæ illa sint, nihil habeo, quod certi afferam,

ram, in hac quæstione: quia pro ipsorum varietate deliberatio fieri varia debet. Idem etiam facio iudicium, de ea quæstione, an sal possit venenari à scelestis hominibus, cum enim id mihi sit incognitum, aliquid certi pronunciare non debeo. Quædam enim fortassis venenorum existunt genera, quæ incognita sunt, quibus viribus suos imprimant effectus, de quibus nihil dicam, quia nihil habeo, quod dicam. solum putauerim communia inquinamenta cum sale exportari solita, non inferre labem pestiferam, tum ob rationem iam dictam, tum vel maxime, quia in ciuitatibus pestilentia obsessis omnes morerentur, cum omnes non modo, sal eo modo coinquinatum contrectent, sed etiam degustent. Nihil autem fuit eiuscemodi obseruatum in hunc vsq; diem in pestilentiis contigisse, quinimo contrarium apparet, cum omnes vtantur sale tanquam remedio. De primo problemate dixi, quid sentiam, non quidem contradictionis studio, quod in me nunquam fuit, sed solius veritatis causa.

Nunc de ipso agamus oleo: de quo licet maxime ambiguum sit, quid pro veritate sentire oporteat, tamen magis in eandem sententiam, quam proposui, de ipso sale, inclino, quam in contrariam. Dubitant quidam, quod oleum eam non habet siccitatem, qualem habere sal, diximus, deinde quia habens substantiam humidam recipere potest seminaria pestilentiæ, atq; ob visciditatem conseruare. Adde, quod modus exportationis adaugere potest non mediocriter suspicionem; in vtribus enim ex oris Ianuensibus portant illud, vtres vero possunt diu conseruare eiuscemodi seminaria. Ex alia tamen parte me non fugit, nunquam oleum oliuarum inuentum fuisse putre: ac illud experientia fecit manifestum, oleum temporis diuturnitate purius quotidie magis euasisse: propterea dicerem, seminaria recipere non posse putredinis, vt Aristoteles docuit: atq; inter recentiores confirmat Iulius Cæsar Scaligerus, & postremo experientia testatissimum facit. Oleum (inquiunt) humidum esse, actu concesserim, quia fluidum. at non magis humidum, quam siccum: calidum, quam frigidum existimari debet, quemadmodum scribit Galenus lib. de simpl. medic. facult. Visciditas ac densitas olei non admittit humorem: quod ex eo constat, quod si oleum aquæ misceas, nunquam adhærebunt inuicem, oleo semper supra natante. hac potissimum de causa, nisi decipior, non admittit putredinem: hac ratione ductus putauerim sal, & oleum tuto recipi posse in hac prouincia.

Prudentius tamen consilium fuerit, curare, vt hæc, si fieri possit, ex aliis regionibus non infectis exportentur. Quia, quicquid sit de vestra propositione in thesi facta: Ego, vix putauerim asportari posse in hanc cisalpinam regionem sal, ac oleum, sine commertio infectorum, aut saltem sanorum in aere pestilenti, aut coinquinato degentium. Quod si aliunde nequeant asportari: duo etiam atq; etiam me consultore curanda sunt: Vnum, ne infectam regionem sani homines petant; nam attracto malo aere possent postea reliquos inficere: sic etiam cauebunt, ne aliquod habeant cum infectis commertium, imo neq; cum sanis. Aliud vero vt abstinentes ab vtribus, in quibus portari solet oleum, portetur in doliis: sal vero ipsum in loco ponatur à ventis borealibus agitato, crebroq; ventiletur, saltem spacio dierum quindecim, atq; vt omnis tollatur suspicio ab omnibus coinquinamentis, quoad eius fieri potest, diligenter detergatur. Atq; hæc mea opinio est. Taurini, die 15. Martii, 1585. Augenius.

SEBASTIANO AVGENIO COGNOMENTO PAPARELLÆ.

De sanguinis ibicis, & hirci domestici facultatibus, & de exhibendi methodo.

REMEDIVM illud, quo sanatum obseruasti conciuem nostrum, Sebastiane frater, est sanguis ipsius ibicis. Huius animalis historiam ex Ioanne Stumpfio in cronicis Heluetiæ, prius afferam, mox enarrabo, quomodo eiusdem periculum fecerim. Vix dici potest, quam sit pernicitatis admirandæ animal, &

quam vastis cornibus id ornauerit natura. Bina cornua accedunt ad pondus librarum vigintiquatuor. Nulla montium tam præceps, tam edita rupes est, quam non saltibus aliquot superet, si modo aspera sit, & spatia tanta promineant, quanta salientis vngulas excipere possit. Parietem scandit, si asper sit, & non incrustatus. saliendo rupicapram longe superat. Hoc tantum valet, vt nisi quis viderit, non credat. Venatores impellunt eam ad rupes feram, excelsas, & leues: illic cum euadere nequeat, conficitur, vel ab homine funibus per rupem dimisso, vel ab iis, qui scandendo per rupium latera accidunt. Fera venatorem expectat & solite obseruat, an inter ipsam, & rupem, vel minimum sit spatium. Nam si vsu duntaxat intueri (vt ita loquar) possit, impetu facto se transfert, & venatorem impulsum præcipitat. Sin ille ita presse fixeq; rupi hæreat, adeundo vt nulla interualli spes appareat, fera loco manet, in quo vel capitur, vel conficitur. Caprum syluestrem vocãt, quem viuum in castro pulcherrimo Cercenaschi prope Taurinum millaria sexdecim, iam primum vidi, dum ibi commorarer procuratione Illustrissimi D. Alerani Valpergæ Diui Michaelis apud Christianissimum Galliarum Regem, militis. Maximam patiebatur ille tussim, qua cum ingens etiam aderat anhelitus difficultas. Nocte media dolores Nephritici accesserunt acerbissimi. Acersiri me iubet, Annuo. atque dum paro clysteres, anodyna remedia, reuellentia, expurgantia, ac eius generis alia, quæ pro mitificando affectu, & pro sanando necessaria iudicabam, tum ille mihi dixit, sperare se multo citius liberaturum ac tutius ex vsu remedii cuiusdam celebris, de quo non semel alias in se ipso, in aliis vero frequentissime periculum fecisse, dicebat. Peto quid illud sit. Respondet sanguinem esse Capri syluestris, quem incolæ montium Augustæ prætoriæ, vocare solent bocco castagno. addiditque sese bis eodem laborantem dolore ex eo sanguine fuisse sanitati restitutum. Anceps eram, dubiusque erat animus: verebar enim, ne, si quid contigisset mali, mihi tribuetur, tandem recordatus, quæ de hirci domestici sanguine antiqui scriptores memoriæ mandauerint, putaui validiores habere vires syluestrem: propterea admitto remedium, sed non anteaquam vomitu ventriculus fuisset optime purgatus, & acriori clystere intestina. Sumit sanguinis ex vesicula (sic enim solet asseruari) scrupulos quinque, ac ex vino albo tenui dissoluit, & calidum bibit. Dolor statim mitigatus est, atque spatio horarum quinque non sine magna admiratione vrinas emingens crassas, & multo sabulo plenas, fuit in totum liberatus: ac idem aliis contigisse omnibus profitebatur. Dabat etiam idem pharmacum eadem mensura iis, qui ex alto ceciderant, & contusionem viscerum patiebantur. Hoc exemplo permotus in multis experiri pharmacum volui, cumq; nouissem profuisse omnibus, communicaui remedium meo genero, à quo fuit conciuis noster liberatus. Volo, Sebastiane frater, postquam in hunc sermonem incidimus, te certiorem facere eorum, quæ scribit de hoc argumento Tigurinus ille alter (vt ego nuncupare soleo) Plinius Germaniæ, libro de animalibus, cuius mihi copiam fecit Serenissimus Princeps. Hic summis laudibus extollit pharmacum, non modo ad calculosos renes, sed etiam ad vesicæ calculum. Verba illius habent hoc modo:

Vini appiati (hoc est, in quo adhuc musto appium aridum, aut eius semina imposita sint) partes circiter sex: sanguinis partem vnam, simul feruefaciunt. mox in vase reseruant, & ter in die potum inde præbent mane, & tum quidem in balnei solio sedenti in meridie, vesperi. hoc triduo fieri iubent. Futurum enim vt calculus in arenam comminutus vna cum vrina excernatur. Si minus exsecandum esse, tanquam extremo remedio frustra tentato] Hæc ille.

Antidoti huius vim nondum sum expertus in vesicæ calculo, experiar cum mihi dabitur occasio. Interim dubito plurimum circa præparationem, atque, vt tecum libere loquar, nondum plane assequor. nã cum inquit: Vini appiati partes sex sanguinis partem vnam. Dubito an sanguis recens, an coagulatus, & siccus debeat permisceri vino: deinde quo vase sit asseruandum. Tum etiam demum ad quantam debeat mensuram efferuescentia terminari. Si recentem sanguinem

nem vult ille in permistionem venire, id erit fere impossibile: quia animal raro viuũ capitur, vbi vero conficitur, sanguis concrescit. Sed statuamus ibicem viuum sumi. præparatum statim habere appiatum oportebit vinum, quod non est facile. At vbi hoc forte fortuna deficeret, quid agendum? an vim illam admirabilem frangendi lapidem sanguis amittet? An vinum appiatum dabit sanguini eam facultatem? Rursus cum triduo dandum sit, & singulo quoque die ter, qua dosi dari debeat ignoramus. nam si drachmas sex vini, & drachmam vnam sanguinis miscueris, fere non videbitur vinum sufficiens pro distribuenda facultate huius ad vesicam antidoti? Propterea si verum est, quod vidimus, quod propriis manibus contractauimus de hoc ipso sanguine, methodum vtendi in affectionibus vesicæ docere possumus. Primum à scrupulis quatuor vsque ad qninque satis accomodata est dosis pro sanando affectu renum. pro vesicæ calculo dosim augere oportet, ita indicante maiori affectæ partis distantia: erit meo iudicio sufficiens vsque ad drach. duas. Modus exhibendi est duplex, vnus cum vino albo tenuium partium, aut ex vino diureticis pręparato: vt seminibus appii, anisorum, aneti, radicum assari, ac aliorum id genus. Vini vnciæ sex deducent pharmacum ad renes, at pro vesicæ morbo dosis est exigua: sufficiens erit (me iudice) vnciæ nouem. quo enim distantior est pars, eo magis indiget vehiculis deferentibus vim medicamenti, vt scis ab Auicenna, & multo antea à Galeno fuisse scriptum. Quod vero ille iubeat, pharmacum dari ter singulis diebus, non placet. Quod enim meridie datur crudum inuenit in ventriculo cibum, quod distributum vretico pharmaco per venas, renibus, ac vesicæ non parum afferre noxæ poterit. Ego solum darem semel ieiuno stomacho, & ab omnibus excrementis purgato, horis ante prandium quinque, vtiliusque foret, vt ille etiam recte præcipit, si in solio calidi balnei, sumeret diebus octo continuis, optima interim victus ratione instituta.

Porro, quod attinet ad ipsam præparationem, Venatores Augustani, nullam adhibent, vt à fide dignis mihi relatum est. colligunt enim sanguinem, sinuntq; exiccari quomodocunque, exiccatumque in quibusdam reponunt vesiculis. At meo iudicio præstiterit diligentius præparare, quemadmodum domestici hirci sanguis ab antiquis parabatur: de quo scribam nonnulla, cum sciam tibi rem gratissimam facturum. Marcellus Empiricus libro suo de medicamentis ita scribit capite vigesimo: Hircum segregatum, vel clausum septem diebus lauro pasces, & postea à puero impubi occidi facies, & sanguinem eius excipies mundi-ter, ex eo dabis laboranti ex vini cyatho scrup. tres, vt vero eius rei experimentum capias, lapillos fluuiatiles in vesicam immittes, in qua sanguis exceptus fuerit (nam in vesica excipi debet, & reponunt signatam) intra dies septem solutos inuenies] ac rursus parum postea. Calculosis (inquit) expertus affirmat incredibiliter succurri remedio tali. Si Hircum, melius si agrestem: adhuc melius si aniculum, & si mense augusto claudas loco sicco per triduum, & ei solas laurus edendas subministres, & aquæ nihil accipiat: at postea tertia die id est, aut Iouis, aut Solis occidas: melius autem erit, si purus castusque fuerit & qui occidet, & qui accipiet remediũ. Ex secto igitur gutture eius vtilius si ab inuestalibus pueris excipiatur: comburitur in vase fictili vsque ad cinerem. Vas autem in quo torrebitur coopertum & illitum gypso in furnum mittetur, quod cum vapori exemeris, in puluerem rediges. Nec non, & polypum marinum identidem, vt dixi, exustum in puluerem rediges. confectio autem vniuersi medicamenti hæc est.

Sanguinis huius hirci vnc. iiii. thymi vnc. i. Pulegii vnc. i. hæc omnia separatim tunsa, & ad leuissimum puluerem redacta cõmisces, dabis infirmo melius die Iouis, aut Solis, coclearis mensura in meri potione, aut cuiusq; dulcis poculi. prouidere autem debes, vt digesto, ac ieiuno potio detur, & rursus, vt eadem potione bene digesta cibos accipiat, & eo melius erit, si hanc potionem cum condito post balneum in sabunis adhuc constitutus acceperit] Atque parum postea subdit. supra omnia efficax aliud ex eo facies medicamentum sic. sanguis

hircinus ea obseruatione, qua supra excipitur in patella ferrea candente, vt aduri possit, & continuo stringi ipse sanguis, ita vt postea in puluerem redigatur: vel certe continuis aliquot diebus ad solem ipsum sanguinem pones, ita vt rore iam decusso post horam secundam ponas, & ante nonam colligas, postquam ita fuerit siccatus sanguis, vt nullum humorem habeat, colliges eiusdem crustulas, & teres, atq; ex eo leuissimum puluerem rediges. Deinde accipias herbam tribolum, id est, semen spinosum reiicias: ipsam autem herbam lectam, de locis maritimis siccabis, tundes, ac in puluerem rediges: confectio autem medicaminis totius hæc est:

Herbæ triboli vnc.ij. piperis vnc.ij. petroselini macedonici vnc.ij. folii sertulam, id est, coronam, siue sphęram vnam. hæc omnia separatim tunsa, & ad leuissimum puluerem redacta, cum sanguine hircino miscebis, & dabis infirmo die Solis, vel Iouis cochlearii mensuram in meri potione, aut cuiusque dulcis liquoris. Prouidere autem debes, vt digesto, ieiunoq; potio detur, quam cum acceperit, qui calculum patitur, mox lapides solutos omnes per vrinam emittet.] Hæc Marcellus. Circa cuius compositiones hæc mihi obseruanda curaui. Primum quidem in componendo pharmaco non oportere tanta vti superstitione, quantam ille adhibet: nempe, vt die Iouis aut Solis detur pharmacum, eodem die iuguletur hircus, quod qui medicamentum sumit, sit castus, vt etiam qui occidit, vt sanguis ab hirci gutture emanans, excipiatur à puero sine vestibus. Quid enim hæc ad medicamenti efficientiam? tam certe valebit pharmacum si nullam, quam si maximam superstitionem adhibueris. Deinde in secunda compositione Marcelli non ponitur dosis sanguinis hircini. Ludouicus Pater substituebat eandem quantitatem, quam in priori compositione recipiendam scripsit. Atque suos illos admirandos pulueres, quos tibi & mihi duntaxat communicauit, ita parabat.

Rec. herbæ triboli vnc.ij. piperis nigri vnc.ij. thymi vnc.ij. spicæ nardi Italicæ drach. iiij. sanguinis hircini optime parati vnc. iij. singula puluerizentur per se: mox misceantur, atq; vitreo vase in loco sicco seruentur.

Præterea tribolum eligebat ille terrestrem. Duæ enim sunt illius species: aquaticus, ac terrestris: longe præstantior terrestris. at magis præstant semina. promiscue foliis cum seminibus fœlicissimo successu vtebatur. Pro folio substituebat nardum Italicam: præsertim eius flores odoratissimos.

Circa dosin, est admodum exigua, ac certe insufficiens, quæ proponitur à Marcello, drach. scilicet vna. Ego nunquam dedi minus quam scrupulos iiij. nunquam supra sex exhibui. in regione, non admodum calida cum mero tenuis substantiæ, quodque diureticum sit, aut cum decoctione diuretica. Æstate, ac regione calida minori quantitate indigemus: dissoluique medicamentum debet ex decoctione diuretica permiscendo semina frigida maiora, radicem glycyrrhizæ, & graminis. Apozematis quantitas sit vnciarum octo aut nouem. alioquin ad vesicam non penetraret pharmacum. Admonebat præterea, vt continuis diebus decem exhiberetur pharmacum homini in balneo calidæ aquæ moranti: atque ita quidem clarissimus pater pharmaco vtebatur. Cæterum quod attinet ad sanguinem hirci syluestris, si quispiam eodem modo pararet, efficacius fieret medicamentum. sed maxime difficile est, hunc habere viuum: atque si aliquando contingat, in venatorum manus peruenire viuum, id hyeme potissimum accidit. Conabor tamen, vt venatores rectius præparent. Habes, Sebastiano frater, quid sentiam de hirci vtriusque sanguine, & quomodo communis præceptor, Ludouicus pater, eo vtebatur. Vale.

PETRO

PETRO GRILLO MEDICO PRÆSTANTISSIMO.

De medicamentis ad extirpandam carunculam in ostio vesicæ nascentem, & de morte Fratris Ambrosii Barbauaræ Mediolanensis Theologi præclarissimi.

NON id quidem ego dicebam, Grille præstantissime, carunculam in ostio vesicæ natam, luem veneream indicare. Sed, quam curandam suscepisti, & de qua mecum egisti, sanari non posse contendebam, nisi luem illam antea curauerimus. me non fugit ex antiquatis vlceribus nonnullis calidum contrahi, & nonnullis mollem carnem creari, & quotidie adaugeri: vlcera vero penis vel colli vesicæ duplicem originem habere: aut à virulenta gonorrhæa, luem veneream concomitante: aut citra gonorrhæam, vel ex rupto abscessu, vel ex acrium humorum fluxione. Dicebam igitur iuuenis illius non cuiuscunque, nec omnem carunculam foueri à mala qualitate, ac venenata gallicani morbi: huncq; extirpandum funditus, anteaquam ad illius sanationem accederemus. Non putauerim te non venire in meam sententiam, vbi certior redditus fueris hunc morbum pati: sed ne citra rationem me gratis loqui putes, affero coniecturas, quæ me in eam opinionem deduxerunt. Signa igitur hæc sunt. primum passus est bubones duos, qui non suppurarunt. Deinde cariem in glande habuit fædam, ac diuturnam, & gonorrhæam statim à coitu passus est, quæ anno integro durauit: hinc factum fuit vlcus in meatu, in vlcereq; ipso sensim increuit caruncula, Cuius caussa vrina reddebatur ex angusto meatu adeo tenuis, vt filum repræsentaret. Retulit præterea mihi socrus, duas habere gummas, vnam in crure dextro, aliam in brachio sinistro. Non dubito quicquam Grille, hæc indicia esse huiusce morbi certissima: propterea decoctum ligni guaiaci exhiberem ineunte vere, ad dies quadraginta, atq; tenuem rationem victus, huic medicationi assuetam, instituerem: postea remediis vterer pro extirpanda eiuscemodi caruncula accomodatis, de quibus nunc ago, vt tibi satisfaciam.

Scripserunt multi de carunculis, è vesiccæ ostio extirpandis, vt nemo diligentius Laçuna, & Amato Lusitano, vterque tamen ex Philippo Gallo eam didicisse medendi rationem constat: ea fiebat ex vnguento cathereticο, id est, mollem illam carnem sensim colliquante: quod vnguentum vario modo parabant: erat autē hoc celebre. Rec. viridis æris, auri pigmenti, vitrioli Romani aluminis rochæ an. vnc. iii. infundantur omnia in aceto acerrimo horis 12. atque inter duos lapides marmoreos in pollinem tenuissimum redigantur: tum æstiuo soli exponantur: siccata rursus in acetum imponantur, indeq;, vt antea, marmorum attritu, sic comminuta, vt digitis subiectum nihil occurrat asperitatis, soli deniq; exponantur, quousque in pollinem tenuissimum reducantur, omnisque eorundem euanuerit acrimonia, quod fiet octo fere dierum spatio. hinc Rec. olei rosati completi, vnc. iiii. lethargiri vnc. ii. coquantur ad ignem, donec coiuerint in emplastrum solidæ consistentiæ, ab igne tum semotis, adde prædicti pulueris vnc. ii. misceantur spatula, & igni subiiciantur, quousque totum in durum medicamentum non crescat, adeo, vt ipsi candelæ ceræ, vel virgæ plumbeæ adhærere possit, sic, vt, ne manibus quidem tractata, excidant. Ego autem in robustis hominibus, ac in rusticis hoc admitterem pharmacum: in adolescente delicatissimo, ac maxime resolubili, nobilissimoque, suspectum haberem; nihil æque obest in curatione huiusce affectus, quam acribus vti pharmacis, à quibus dolore concitato, & fluentibus humoribus, non raro fit in iis partibus inflammatio, quæ misere hominem ægrotum adueniente gangrena interimere solet trium, aut quatuor dierum spatio: nunquam placuit mihi eorum opinio, qui celeriorem curationem efficere volentes, acrioribus vsi, pręcipitant ęgrotos: satius est, si cito curare non possis, ac tuto: temporis longuitudine curare tuto, ac iucunde: hac de caussa mitiora vsurpare Medici est prudentissimi, & certe in rem præsentē accōmodatissima. Volo hic recensere omnia, quę vtilissima scripserūt,

& ego opere cognoui, poſtea vero vtendi rationem ſcribam. Præparata habere
oportet multa medicamenta. Primum remedium fit ex ipſa mulſa, & thymo. vt
ex vnciis dilutæ mulſæ tribus, & thymi ſubtiliſſime puluerizati drach. iii. Aliud
eſt aqua ſtillaticia, quam albuminis nuncupo ouorum, fitque in hunc modum.
Rec. Aluminis rochæ vnc. iii. aquarum roſatæ plantaginis an. vnc. iii. ſucci ro-
ſarum plantaginis, & portulacæ an. vnc. iii. ſucci nicotianæ drach. iii. albumi-
num ouorum num. xv. miſceantur omnia, & poſita in alembico aqua ſtilletur
in duplici vaſe lento igne, & ſine fumo diligenter, ac in vaſe vitreo reponatur
ad vſum. Tertium fit. Rec. Ceruſſæ, lethargiri auri præparati vtriuſque vnc. s.
olei roſati, & è mirrha ſing. vnc. i. s. liquefacito igne remiſſo, deinde adde, thutię
præparatæ, ſtibii, ſpongiæ vſtæ, omnibus in ſucco plantaginis maceratis, ac dein
ſole ſiccatis ſingul. drach. i. radicis ariſtolochiæ rotundæ, mirrhæ, aloes, maſti-
ces, pulueris tenuiſſimi plumbi crudi an. vnc. s. camphorę drach. ii. s. omnia co-
te marmorea tenuiſſime terito, dein in mortario plumbeo diu in vnguentum ſu-
bigito. vel ſic parato pro corporibus delicatioribus. Rec. Ceruſſæ venetæ opti-
mæ vnc. iiii. thutiæ electiſſimæ præparatæ ac lotæ in aqua roſarũ vnc. s. lethargiri,
auri præparati drach. vi. ſtibii ſelecti & in tenuiſſimum puluerem redacti, & ex-
creti vnc. s. camphor. drach. s. muſtias, olibani, aloes epaticæ ſing. ſcrup. ii. com-
minuenda marmoreo lapide conterantur adiecto plantaginis ſucco atq; ad ſo-
lem ſiccentur: dein rurſus exacte trita in mortario cum piſtillo plumbeo, adie-
cto oleo roſaceo q. s. diutiſſime agitentur, & fiat vnguentum. Quartum eſt
quod ſequitur. Rec. Aloes optimæ drach. ii. mirrhæ, ariſtolochiæ, vtriuſque
drach. i. s. thutiæ præparatæ drach. s. fiat omnium puluis, ex quod cum ſtyrace li-
quida fiat maſſa, quę emplaſtri craſſitiem habeat. Poſtremum, quod in hoc o-
pere paratum habere oportet remedium ſic habet. Rec. vnguenti roſati recens
confecti, & aqua roſacea loti, vnguenti de ceruſſa, pomadis, ex adipe hœdi ſine
aromatibus paratæ an. vnc. i. miſce ac diutiſſime in mortario plumbeo ſubige,
fiat vnguentum.

Iam vero enarro tibi, quomodo his vtar medicamentis, expurgatis diligenter
primis viis duabus horis ante prandium, ac totidem ante cœnam, per ſiphonem
vrinarium imitatur ſenſim aqua mulſa cum thymo, idq; fiat quater. frequenti
enim vſu mulſæ, nonnihil ſemper deraditur ipſius tuberculi. quia vero ardorem
inter mingendum patitur ægrotus, catheretica vero pharmaca aliquid ſemper
habent acrimoniæ, propterea alternatim vtendum eſt mulſa, & aqua ex albu-
minibus ouorum præparata: quam tamen immittere non ſoleo, vbi acrimoniæ
ſenſus nullus adeſt. Tranſactis quatuor diebus cereolum ex therebentina præ-
paratum, vt in hoc fieri caſu conſueuit, blande in meatum penis immittatur à
manu experta, ac docta; ac in ingreſſu diligenter exploret, vbi nam offendit
impedimentum, quod liberum cereoli tranſitum remoretur. Vbi inuenerit
blandiſſime tangat, neque violentiam adhibeat aliquam, ſed leuiter, num pe-
netrare poſſit, experiatur. Hic ego illorum admittere opinionem non poſſum:
qui putant chirurgicum opus recte admodum procedere cum repugnante ca-
runcula ſpecillo, aut candelæ, eaque ſuperata ex violentia immiſſionis ſanguis
multus profunditur. Obſeruaui non raro, qui hoc modo fuerunt curati, ali-
quando in quarta, aliquando parum infra ſeptimam, aut ſupra, oborta inflam-
matione miſere fuiſſe iugulatos. Eo minus hanc recipio curandi rationem,
quod dicat, vrinã ipſam per ſe, habere vim detergendi atq; conſolidandi. Nam
ſi vrina non poteſt recenter genitum vlcus, aut in renibus, aut in veſica, deter-
gere, & conſolidare, quomodo poterit antiquatum? Ego vero ſemper animad-
uerti ex vrina eiuſcemodi vlcera non mediocriter exacerbari. Quamobrem iu-
beo ſuauiſſe imponi ſpecillum, atque cereolum: atque ſi hoc modo ſuperare po-
teſt illam, (confidendũ quidem ob molliciem ſuperari poſſe) meminerit ægro-
tus, ipſum cereolum ſemper intus geſtare: cumq; mingendi venerit tempus, re-
moueat, poſtea vero rurſus imponat poſt mictum. Eſt autẽ ad totius curationis
abſolutionẽ hoc vtiliſſimum. Vt vero ſuperari poſſit, fiat primũ ex therebentina
candela

candela ipsa, ne liquescat in vesica. deinde excauari debet cereolum, & oblini-ri vnguento tertio ordine scripto, quod dum à loci caliditate liquescit, sensim ac certe, vt non raro obseruaui, sine dolore carunculam exedit: tantum in hoc o-pere incumbendum, dum superatam atq; omnino abrasam noueris: quod scies tunc accidisse, cum vrina, quæ tenui & admodum exiguo meatu prodire vide-batur, liberius effluens pleno canali exit, & ipsum cereolum nullo prorsus offen-diculo in cauitatem vesicæ penetrat. Ergo, vbi iam id noueris, quidem mutare vnguentum oportet, nam consolidare dilaceratam partem tunc scopus est. con-solidabit, ac etiam aliqua ex parte carunculam exteret, quarto loco descriptum 10 cereolo aptatum, quemadmodum superius cathereticum: hoc ipso consolidan-te multis diebus, imo etiam si mensibus vtaris, multum proderit. Opus succe-det etiam fœlicius, si aquam albuminum aliquando immittemus: hæc enim præterquam quod corpus ipsum reddit ab inflammatione tutum, ardoremque mitigat, & contra incommoda à cathereticis fieri solita, mire pugnat, insignem possidet consolidandi potestatem. Si vero dolorem aliquempiam, aut ardo-rem, vel ex medicamento catheretico (quod alioquin admodum rarum est] vel ex vrinæ acrimonia, vel noua fluxione ægroto accidat, candelam oblinito po-stremo vnguento, eoque vtaris tribus aut quatuor continuis diebus: mitigabi-tur statim dolor, neque consolidationi eris impedimento. Cæterum soleo per-20 ficere curationem dierum quadraginta spacio. Singulisque decem diebus ex-hibeo drach. decem floris cassiæ cum drach. j. pulueris liquiritiæ, & si ex sena ægrotus non turbatur, (quibusdam enim ex propria natura id contingere obser-uatum mihi fuit) perlibenter syrupi de sena solutiui vnc. iiij. ex aqua lupulorum exhibere soleo. Sed siue hoc, siue illo vtaris, parum refert: modo scias solis le-nientibus pharmacis vtendum esse. Communicaui tibi perlibenter (vir claris-sime) quibus medicamentis sanare consueuerim carunculam, non quidem vt noctuas Athenas, sed vti tibi satisfacerem, qui nimis officiose & humaniter bi-nis literis efflagitasti. Illustrissimo ægroto meo nomine salutem plurimam di-30 cito.

Nostra Academia maximam fecit iacturam ex morte clarissimi Philosophi ac Theologi fratris Ambrosii Barbauarę Mediolanensis communis amici. Mor-tuus est ex Anginæ in peripneumoniam transmutatione. Horis octo anteaquam moreretur, dũ siti inextinguibili cruciaretur, tanquam sonorus cygnus Domi-no cecinit hosce versus, à me illo dicente statim conscriptos:

Improba, quæ algentem stomachum, viresq; parantem
Reficere exagitas, Dira sitis, quid age hoc?
Vult Deus ardore hoc niuei, vilisq; liquoris
Te scire, vt sua mi sint sitienda magis.
40 *Iamq; canas: sitit, vt Ceruus vehementer aquarum*
Flumina, sic mea te mens sitit alte Deus.
Sancte Deus, qui me ita moues, pungisq; iacentem,
Improba non, mitis sed iam, & amica sitis.

DVRANTI SCACCHO NVRSINO MEDICO.

Ne ingeneretur polypus, præseruatio pro nobili Matrona.

OBSERVAVI diligenter vtramq; narem, atque licet nonnihil appareat in dextra, quod fortassis renascentis polypi suspicionẽ inferre posset: Tamen non renascetur, (nisi fallor) aut si renasci cœperit, tu qui in artis operibus exerci-50 tatissimus es, Matronam hanc nobilem facile sanabis. Cur autem credam poly-pum non esse reuersurum, duo potissimum faciunt. Alterũ, quod nullam vide-rim imminentẽ carunculam, quę vel naris meatũ impleat, vel posterius pendens in fauces irruat, obstruendoq; respirationi negotium faciat. Vidi in medio mea-tu in interiori parte subrubeum, quidpiam albi coloris referens, quod mihi vi-detur vestigium cicatricis ab ignito ferro olim prudenter inductæ. Si enim radix

esset Polypi, vtique iam cæpisset foras erumpere, aliquidq; appareret ibi inæqualitatis. Secundum in eandem opinionem me ipsum confirmans est, quod respirandi, emungendi, loquendi actio læsa non est: neque conturbet nos, quod vocem subraucam habeat. hoc enim certum non est polypi signum, sed destillationis: & fortassis id à natura contingit: eius enim frater, qui mecum summa familiaritate coniunctus est, eandem vocem citra polypi suspicionem habet. Hæc igitur, si vera sunt, sola præseruatio à nobis pretermissa curatione exercenda est: præseruationis modum indicabit rei natura. Fit enim polypus ex materia crassa, & viscida, quæ sensim à cerebro ad nares appellit: quod non fieret, nisi esset humidius. Ergo præsiccandum est cerebrum. corroborandumq; ne materiam mittat. affectum vero locum ita roborare debemus, ne post hac recipiat excrementum: atque, si quod forte fortuna receptum est, vel de cætero recipietur, vt paulatim citra doloris sensum, (dum tamen id fieri possit) discutiatur vel exedatur. Hæ summæ sunt, si bene iudico, Scacche, præseruationis leges. Sed quia præsiccare caput non licet, nisi vacuato prius toto corpore. Idcirco, si abundauerit sanguine, ineunte vere eius instituenda vacuatio est, secta vena cubiti exteriori, aut in poplite, si menstrua restiterit purgatio, seruata semper loci affecti rectitudine. Necessaria vero maxime purgatio est humoris crassi, & viscidi quam ego in hunc modum absoluerem. Rec. mellis rosati solutiui vnc. iiii. decoctionis senæ vnc. ii. fiat potio. Materiam postea pararem ex syrupo de pomis, de betonica, de mellissa, ex accommodato apoxemate, quem paratum expurgarem ex sequenti pharmaco. Rec. aquarum betonicæ, mellissæ an. vnc. ii. vini optimi vnc. s. macerentur agarici troc. drach. i. s. zinziberis gr. sex. & in expressione dissoluito confectionis amech. drach. iii. elect. de dactylis drach. i. mellis rosati solut. vnc. ii. mis. Hanc purgandi rationem bis obseruari velim, Vere & Autumno, conuenienti victu, non iis modo, sed reliquis temporibus, seruato: quem hic non scribo, quia putauerim illam ex diuturnis colloquiis clarissimorum Medicorum optime nosse, quid in victu iuuare, & quid lædere possit.

Corpore vacuato circa ipsum caput adhibenda prouidentia est. abradantur capilli, qua parte sutura coronali continetur, ac postea lauetur singulis hebdomadis ex lixiuio facto ex cinere vitium, in quo stechas, betonica, origanum, baccæ lauri, & nepita incoxerint, cũ drach. iiii. agarici electi in sindone ligati. deinde facta lotione, & exiccato capite aspergito puluerẽ thuris, ac mirrhæ an. drach. i. At vero in Autumno maior adhiberi debet diligentia, nam abraso diligenter capite (conseruatis duntaxat capillis in anteriori, ac posteriori parte pro ipsius ornatu) cataplasma imponatur, quod sequitur. Rec. Thuris, mirrhæ an. vnc. i. pulueris maioranæ siccæ drac. ii. cochleas integras quatuor, contusas tamen diligenter, misceto omnia, & addito ceræ vnc. ii. albumina oui numero duo, fiat cataplasma, quod imponatur in sutura coronali: nouemq; diebus gestetur: decimo die ex oleo antea emollitum remoueatur: atque caput, vt supra, abluatur. mox cataplasma innouetur, ac ita toto Autumno quater fiat. Cæterum quod attinet ad remedia, quibus à regeneratione polypi præseruare illustrem Matronam valeamus, rem paucis absoluam ea solum scribens, quæ longissima experientia docuit maxime proficua. In primis vero sese offert remedium à Galeno, Auicenna, & in vniuersum ab omnibus Medicis celebratum, ex omnium malorum punicorum succo: nempe acidorum, dulcium, & medii saporis. Hoc ego recte præparato non modo prçseruasse multos à polypo, sed etiam incipientes perfectissime curasse, profiteor. Modum præparationis habes à Galeno scriptum libro tertio de composit. medicamentorum secundum locos cap. 3. Tenuior illius pars madefaciat turundam ex linteo tenuissimo paratam, qua locus affectus frequenter intingatur. Imo etiam ex cathetere paruo paulatim instilletur in ipsas nares, & citra illius vsum ab ægrota attrahi sursum potest. Varios modos propono, quia, vt dicebat Galenus, molestum est semper intus gerere collyrium. Sic igitur tenuior succi pars vase stannneo reposita vsurpari debet, vt Galenus præcipit. Crassiorem partem conseruato diligenter in pila contusam, ac leuiga-

leuigatam, quam ſiccari permittito: mox vero facto puluere illius portionem cum ſpecillo nari affectæ immittito, aut inſufflare iubeto, vel vino liquatam inijcito: & nunquam deſinere oportet, quin ſemper aut tenuiori, aut craſſiori vtatur pharmaco. Porro ſi pro indicationibus propoſitis alia deſiderarentur, (quod non putauerim) præ cæteris omnibus commendo oleum ex calcantho, cui tres partes miſtæ ſint tenuioris ſucci punicorum, aut etiam miſcebimus tantundem ſucci, prout magis ac minus illius vim corrigere in animo fuerit. ſed ſi forte ad manus non ſit eiuſcemodi oleum, aut ſuccus ita præparatus, eligatur ſuccus punicorum potabilis, qui paſſim aſſeruatur pro potu febricitantium, & ob alios vſus: Pro oleo ex calcantho longe præſtantius eſſe noui ſubſtituere oleum, ex ligno cornu factum, quod non modo naſcentem polypum ſanari poſſe ſcio, ſed etiam confirmatum. Periculum feci in Cingulanis montibus olim faciens medicinam quater, vt in meis obſeruationibus Cingulanis adnotaui. Poteſt autem parari citra laborem: Sed ſi neq; hoc fuerit ad manus aqua aurificum ſeparationis contemperata ex duabus partibus aquæ roſaceæ, vel plantaginis, aut tribus, erit opportuna. Poſtremo, ſi oportuerit, ad ignitum ferrum perueniendum eſt, vt aliàs te feciſſe ſcio. Verum ob rationes iam dictas non putauerim oportere hiſce cauſticis vti remediis; quia affectus admodum leuis videtur mihi. Interim vero prætermittere non poſſum, cauteria in brachiis ratione reuulſionis vtilitatem maximam præſtitura. Hæc habui, Scacche, quæ de hoc argumento ſcriberem: Tu interim Medicis Fabrianenſibus, præſertim D. Polydoro Saraceno, & Fauorino Clauario, meo nomine ſalutem dicito plurimam. & me, quod te alioquin facere non dubito, viciſſim ama. Scribito quæſo, quid agatur in Cingulanis montibus. Quid ille Serrarigus? Quid cæteri? Nunciato veſtris Clauellis in hac ciſmontana regione adeſſe etiam Clauellos ex Fabriano, vt illi profitentur oriundos: nempe in Pinarolo, & in Ceua illuſtribus huius prouinciæ ciuitatibus. Vale.

MATTELICANO MEDICO.

De præſeruatione à ſputo ſanguinis à pulmonibus, ab eroſione potiſſimum creati, in habitu corporis admodum gracili, & temperamento totius calido & ſicco. Pro Archipresbytero Mattelicano. Reſponſum.

VTINAM quemadmodum nihil antiquius habeo, quam inſeruire tibi, ac in vniuerſum omnibus Peregrinis: Sic, quę ſcribentur, eam præſtent operam, quam deſidero. Tuum certe erit, vt iam feciſti, obedire mihi de cætero, alioquin minimus error, graue poterit inferre damnum.

Quater quotannis expurgaberis accommodato tempore, Vere, Æſtate, Autumno, hyeme in hunc fere modum. Rec. diaſebeſten ſine ſcammonio, caſſiæ. enim extractæ an. ſcrup. v. s. reub. electi ſub. pul. drach. i. s. fiant boli cum zucharo ſumendi horis tribus ante cibum. Eunti dormitum aſſueſcat zucharo roſaceo horis à cęna tribus: Sumendo vnc. s. pro vice, atq; nullo tempore, ſi fieri poteſt intermittat. Vere potiſſimum, & Autumno ante cibum capiat vnc. s conditi, quod habet. Conſeruæ roſarum ſiccarum, ſymphiti an. drach. v. trociſcorum de carabe, & de terra lemnia an. ſcrup. i corrallorum, & margarit. electarum an. ſcrup. s. ſyrupi roſati è roſis ſiccis q. s. fiat conditum. Eiſdem temporibus ſequentem ſyrupum lambendo capiat ſæpiſſime ſiue ante, ſiue poſt cibum, præſertim vbi faſtidierit conditum. Rec. paſſularum expurgatarum vnc. i. polipodii cerquini liquiritiæ abraſæ an. drach. ii. vngulæ caballinæ, ſcabioſæ, poligoni, conſolidæ maioris, pimpinellæ an. m. i. ſeminũ altheę maluarũ, bõbacis an. drac. i. fiat decoctio in fontana optima ad librã i. in qua diſſoluito zuchari fini quartaria tria. fiat ſyrupus mediocriter coctus. ſumat omni hora coeclearia duo. nam detergit, ac pulmones roborat. Æſtiuis temporibus duo ſunt obſeruanda remedia: Vnũ eſt potatio aquæ Villenſis de Lucca. Nam ſi quod remediũ à ſputo ſanguinis

præſeruare poteſt, hoc ſane primas habere partes profiteor. Aliud vero eſt dulcis aquæ balneum, in quo horis tribus ante cibum ingrediatur, ac moram trahat hora fere integra, niſi virtutis obſit imbecillitas, continuet diebus duodecim, vel quindecim. Potabit igitur medicatam aquam à 20. Maii vſque ad finem menſis, vel parum ſupra principium Iunii. Balneum vero dulcis aquæ ingrediatur vigente canicula, iis obſeruatis conditionibus, quas ſcripſi alias. Hyeme vero duo potiſſimum habeat parata remedia: vnum eſt theriaca, de qua ſumat drach. s. vſque ad ſcrup. ii. eunti dormitum, ſed tunc abſtineat à zucharo roſaceo. Eligenda mediocris ætatis. Vetuſta nimis, quam par ſit exiccat. noua ob præpotentem vim oppii excrementorum diſſolutionem impediret: ſi caloris aliquem perciperet ſenſum permiſceat ipſam cum tertia parte, aut dimidia zuchari nenupharini, aut roſati. Aliud eſt, vt ſingulis diebus viginti plus aut minus, ſumat ſcrup. iiii. agarici trociſcati factis ex eo pillulis ſex aut ſeptem cum ſyrupo myrtino. Nec præterea omittat in principio hyemis ſemel ſumere bolum ſupra ſcriptum: quem etiam aliis anni temporibus ſumat. A vino abſtineat generoſo, quia vero mattelicanū omne caput petit, aliunde ſibi pro potu comparabit magis opportunum: quod præſertim nullam ex arte habeat cocturam. Fortaſſis apud Aluacinenſes accommodatum reperiri poterit. Rubrum eligendum, maturum, & ſubdulce. à compotationibus abſtineat. Aduerſiſſima ſunt nimia exercitatio, ingens calor, inſolatio, excandeſcentia, ira, ac in vniuerſum omnes animi paſſiones. Alimenta vitabit calida, ſale condita, imo ſi fieri poteſt, à ſale abſtineat: vtatur lacte, ac cibis ex lacte paratis, atque ptiſana tum colata, tum non colata, ſiue ex hordeo, ſiue ex zea, ſiue ex auena præparata. Omnia aromata nocebunt, ſomnum vitabit diurnum, quo tempore, aut venti, aut nebulæ, aut pluuiæ adſunt, domi ſeſe contineat. Si hoc obſeruare voluerit, non dubito, quin ſanetur, aut in meliorem certe ſtatum redigatur. De radice China alias deliberabimus. Cauteria ſeruet aperta: nam ſi clauderentur, occaſionem deſtillationi darent. Deus Optimus Maximus ſit largitor ſanitatis.

EIDEM.

De ſtupore vtriuſque brachii, minante paralyſin pro moniali Sanctæ Claræ.

NON eſt ambiguum, quin Reuerenda hæc monialis, de qua docte, & copioſe ſcribis, ſtuporem in vtroque brachio patiatur ab humoribus frigidis, & viſcidis neruos obſtruentibus, à quibus motus, ac ſenſus brachiis communicatur: ac etiam minari paralyſim eoq; magis verendum, quod hæreditarius videatur morbus huic familiæ. Ne hoc illi contingat, breuiter ſcribam, quæ obſeruanda ſint.

Hac hyeme vſque ad medietatem veris hæc fiant: Expurgetur ex vnc. iiii mellis roſati ſolutiui vnc. i. ſyrupi de capillorum veneris, & vnc. ii. s. mulſæ dilutæ. mox accommodato apoxemate præparet materiam, vt Rec. decoctionis maioranæ, ſpicæ Italicæ, nepitæ origani, betonicæ, ſaluiæ, vnc. iiii. ſyrupi de betonica, de ſtichade an. vnc. i. miſce pro vno, & ſic pro reliquis. poſtea vero expurgetur ex ſcrup. iii. s. agarici troc. & ſcrup. i. pilularum cochiarum, ex ſyrupo de betonica fiant pilulæ num. v. aut vii. capiat horis ſex ante prandium. Cauteria poſtea fiant illi tria, vnum in principio ſpinalis medullæ, & duo in cruribus infra genu loco aſſueto. Sumat frequenter hinc optatam. Rec. conſeruæ betonicæ, ſaluiæ, & roriſmarini an. vnc. s. ſpecierum aromatici roſati drach. i. s. cum ſyrupo de menta fiat opiata ſumenda horis duabus ante cibum vnc. s. pro vice. Spinam dorſi foueat ex oleo vulpino, & adipe anſerino. In loco habitabit calido, eamq; viuendi legem ſeruabit, quam tibi menſe tranſacto ſcripſi. Singulo menſe accipiat drach. i. pillularum cochiarum ex melle roſato.

In ipſo autem vere exhiberem, niſi quid impedimento eſſet decoctum ligni guaiaci cum vnc. ii. ſalſę parilię: repetita prius præparatione, & expurgatione humo-

humorum obstruentium. atque, si accipiat diebus quadraginta continuis obseruata victus ratione tenui, quam tu præscribes, erit vtilissimum, præsertim si prouocabitur sudor. Meam sententiam audiuisti, quam pro tua doctrina corriges. Misericors Deus, sit dator auxilij.

EXCELLENTISSIMO D. SIGISMVNDO COLREVTERO Primario Sereniss. Saxoniæ Ducis, ac electoris Augusti Medico.

Agitur de remedio præstantissimo ad calculum vesicæ frangendum, atque de modo incidendi pro extrahendo lapide, pro responsione ad literas Colreuteri.

Debebam ante multum D. Andreæ Pauli, Serenissimi Saxoniæ Ducis, & Electoris consiliario. Nunc vero duabus de caussis me plurimum debere sentio: primum quia mei erga illum amoris, & obseruantiæ memoriam seruat. Deinde quia cum occasionem dederit tibi, ad me perhumaniter & doctissime scribendi, te ipsum non cognoscendi modo, sed etiam amandi, atque ob summam animi tui præstantiam maxime obseruandi, data mihi facultas est. Quis enim non mutuo amaret, suam amicitiam vltro promittentem? Quis non obseruaret virum doctissimum, insigni iudicio, & incredibili humanitate præditum? Tuæ illæ literæ me adeo deuinxerunt, vt pollicear omnino me, quantus quantus sim, totum semper fore tuum: non officiis, non laboribus parcam, vt cognoscas perpetuo mei animi candorem, atq; tibi potissimum, mox vero tuis omnibus inseruiendi desiderium. Accedo ad tuam epistolam.

Duo sunt, quæ potissimum ex me scire cupis. Vnum, vt communicem tibi, quale sit illud remedium, quo pro frangendo calculo vesicæ vsum magna fœlicitate Romæ Adolescentem sanasse profiteat: atque si id facere non placuerit, saltem, vt ad te puluerem mittam, doceamque vtendi modum. Aliud vero, vt quid de sectione facienda ignitis cultris pro extractione calculi ex vesica ex mea opinione constituam.

His anteaquam satisfaciam, præfari volo, Doctissime Colreuteri, primum non profiteri me scire aliquid, quod tu multo antea non sciueris, exactissimoque iudicio tuo non præuideris: si de hoc igitur scribam argumento, id faciam libentissime, non vt doceam, aut admoneam (neque enim sus Mineruam) sed vt solum tibi, cui volo inseruire, moram geram. Deinde illud addo, inter omnia morborum genera fere nullum inueniri magis refractarium, & contumax vesicæ calculo. Hic enim tum ob longitudinem viarum, tum etiam ob duram substantiam medicamentis non cedit: adeo vt admirabilis Galenus magis in ipsa sectione, quã in medicamentis confidere videatur. Multa multi scribunt. Maria montesque (vt est in prouerbio) pollicentur, permiscendo etiam quædam superstitiosa, vt facilius vulgares decipiantur, aut vt in admirationem ducantur; at vero effectus non respondent postea pollicitationibus, & euidentissime in ipsis artis operibus statim conspiciuntur mentiri.

Num igitur inquies, calculum, in vesica existentem frangi non posse arbitraberis? Ego quidem non id arbitror. Sed magna cum difficultate id fieri posse, contendo. Durum sane, & antiquatum frangere nemo potuit. Molliorẽ, tophaceum, friabilem, recentem cum difficultate frangemus, in iuuene, non in sene, vbi aperti sunt meatus, non adstricti, vbi vires validæ sint, & ægrotus Medico pareat, Medicusq; suo munere perfungatur. Ac etiam si conditiones adsint huiusmodi, raro tamen hoc opus medicamentis absoluitur. Ludouicus Pater, qui supra annos 65. medicinam fecit, vnum duntaxat sanasse medicamẽto à Raze descripto profitetur: & Bartholomæus Eustachius Picenus dũ Pisauri medicinam secum faceret, id obseruauit. Ego bis in hanc diem vsq; fractũ vidi, primum casu, mox deliberatione, atq; matura cõsultatione addita. Casus fuit. Filium Zanetti Pontificii Tipographi Romæ expurgandũ susceperamns Doctissimus D. Iuuenalis Ancinas Fossanensis, & Ego, vt postea tutior ad ipsam sectionẽ accederet (iam.n. eũ Nursino artifice de pretio conuenerat,) tentauit enim ante omnia re-

mediorum genera tum à Medicis Venetis, tum Florentinis excogitata, cumque nullam subsecutam posset vtilitatem, secari cupidus, sacerdotem iussit accersiri, vt sumptis S. matris Ecclesiæ Sacramentis, si ex sectione moreretur, animæ fuisset consultum. Religiosus fuit ex societate Iesu, qui audita confessione ab ægroto: & cognito morbo generi proponit illi pharmacum, vt dicebat, magni vsus, de quo & in se ipso, & in aliis periculum fecit. Experiri placuit. Neq; facti pœnituit. Eodem remedio in renum calculo sum vsus bono semper successu. Vidi enim circuitus illos nephriticos fuisse nec sine assistentium admiratione sanatos. In affectu vesicæ nunquã sese mihi obtulit occasio experiundi, nisi semel, sed æquali cum superiorib. euentu, variato tamen exhibendi modo sumpta indicatione ab ambiente aere, ac ab hominis temperamento. Describam primum pharmacum ab ipso Iesuita traditum, mox vero aliud. Sed inprimis tum illud remedium approbo. quia nihil certe deesse video, quod possit ad huiusmodi opus perficiendum, exoptari: vim agnosco simplicium egregiam, componendi rationem exquisitam conspicio. ac eo magis probo, quod pro basi cõtinet antidotum, in quo summa vis inest ad frangendum calculum. Habet autem Reuerendi illius Iesuitæ pharmacum.

Pulueris millepedum præparatorum drach. j. ad summum scrup. iiij. aquæ vitæ vnc. s. iuris cicerum rubeorum vnc. ix. vel x. capiat calidum horis ante prandium quinque. Enemate vtebatur emolliente ante medicamenti potum: instituebat simul emollientem victum: vrgente siti dabat stillaticium ex floribus fabarum ad vnc. vj. cum vnc. ij. iuleb. violati pro vice.

Effectus medicamenti fuit. Horarum duarum spatio absumpto pharmaco totũ corpus incalescebat: angustiabatur ægrotus, sitiebat, ac fere loco stare non poterat, ac alquando circa pubem dolores vrgebant: vrinæ hora quinta cæperunt crassiores reddi: sed non multæ. Secunda die cõtingebant eadem, sed vrinæ copiosiores, & crassiores. Tertia sabulum apparuit multum. Septima tandem die adeo plenæ sabulo visæ sunt, vt recte quis diceret eas nihil esse aliud, quam sabulum aqua dissolutum: omnia in meliorem statum redigebantur, ita vt, qui proxime incidi debebat, liber ab omni malo nona fuerit die, & hic adhuc viuit, ab eo morbo Dei benignitate liber.

Ego vero iuuenem annorum 28. calido, & sicco temperamento totius corporis, natione Apulum curaturus cum Hieronymo Vitelesco Fulginate Medico præstantissimo, duxi minuendam quantitatem aquæ vitæ, & vbi singulis diebus datum alteri fuit antidotum, huic alternatis dare iussi: ac pro refrigeratione totius corporis aquam fragariæ & fabarum ad vnc. decem propinabam intermedio die cum guttis vj. olei de calcantho, & vnc. j. iuleb violati. Hoc autem modo pharmacum indicabam.

Recip. pulueris assellorum præparatorum drach. j. aquæ vitæ drach ij. decoctionis cicerum rubeorum vnc. viij. misce, & capiat tepidum horis sex ante cibum. Sed cum excalefaciebam igne pharmacum, ibi non erat aqua vitæ. Verum vbi ab igne remota erat, miscebatur, qui alioquin dissoluitur in auram. Procurabam dare medicamentum in balneum decoctionis emollientium herbarum, vniuersalibus præcedentibus, quæ tu nosti, quod licet sermone non explicetur, semper tamen audiri debet.

Si fides adhiberi experimento debet, constat facultatem frangendi calculum consistere in ipsis millepedibus: neque enim cicerum decoctum, neque aqua vitæ admirandam hanc habere facultatem possunt. Hanc nouisse antiquos, tum Græcos, vt Dioscoridem, Aetium, Galenum, ac alios, tum Arabes, vt Auicenna, ac Serapionem, ac Rasim, eorum testantur monumenta. Aqua vitæ, & decoctum cicerum sunt vehicula quædam basis ipsius medicamenti. Restat, vt præparationem dicam, quæ eiuscemodi est.

Rec. assellorum, quã volueris quantitatem. abluito diligenter vino albo generoso, mox in ollam coniicito nouam vitro obductam. incrustato illam luto aliquopiam: ac postea in furno exiccentur. ita vt possit in tenuem puluerem redigi.

digi. Tum vero affunde vini eiusdem generosi quantum poterunt imbibere, & rursus exiccato, ac tertio imbibito, & exiccato, vt supra. quarta vero puluerem irrorato aqua destillationis fragarum, & olei ex calchanto drach. j. permisceto inuicem, & exiccato rursus; vbi vero sic fuerit exiccatum, in tenuissimumque puluerem redactum, seruetur in vase vitreo, aut aureo, aut argenteo.

Quod vero ad ipsam incisionem attinet, nihil est, quod à me aliquid expectes noui: hoc vnum dico, si fiat sectio ignitis cultris multo fœlicius successuram. Hanc rationem secandi, meâ persuasione adhibebat Romæ quidem ex meis discipulis, ac omnes fere sanitati restituebat. Persuaderem tibi, quanti intersit inter hunc secandi modum, ac alium, qui fit cultris nô ignitis, si tu is esses, qui à me de hisce rebus persuaderi deberes. Neque etiam quicquam edissero de artificio in sectione obseruando: tu enim pro tua summa doctrina docebis chirurgum; & ego, quia meo munere perfunctus videor, hic finem dicendi facio.

Interim te etiam, atque etiam oro, vt me mutuo prosequi amore non desinas, dignumq; aliquando censeas tuis literis. Augenium tibi in omnibus inseruiturum putato. Ægroto meo nomine salutem dicito, ac illi, vt bene speret, persuadeto: gratiasq; agito immortales de donario. Bene ac fœliciter diu valeas vir clarissime. ex Augusta Taurinorum 14. Ian. 1582.

EVGENIO MEDICO.

De suffusione alterius oculi.

Noui ex iis, quæ ad me non minus docte, quam elegâter scripsisti, Odoardum communem amicum suffusione laborare oculi dextri: eamque non esse penitus confirmatam. Sed non perinde noui, an detur locus remedio. Dum enim Galeni libros, de compositione medicamentorum secundum locos considero, inuenio reipsa verissimum esse, quod ibi scribitur. Ocularia medicamenta ab Antiquioribus inuenta, titulo quidem polliceri multa, vbi vero ad actum deducuntur, non stare promissis. Scribam tamen, vt tibi viro amicissimo satisfaciam, quid in graui casu agendum sentiam: si prius quædam supposuero mihi, ex quibus tota curatio dependet, atque pro præseruatione, ne scilicet alter oculus in eundem affectum incidat, quod certe maxime vereor. Suppono igitur suffusionem fieri ab humore aqueo paulatim descendente per opticos neruos, ac in pupilla, vel inter ragoidem tuniculam, & humorem crystallinum concrescente. qui affectus, cum sit morbus in numero, postulat oblationem illius humoris. At hunc frustra tentabimus remouere, nisi prius caussam congestionis, quæ in ipso cerebro consistit, remoueamus. est autem eiuscemodi caussa intemperies humida cum affluxu humoris pituitosi. Hunc prius vacuare oportebit. Sed neque id tuto faciemus, si prius non fuerit adhibita toto corpori prouidentia: sic enim omnem superuacaneam expurgabimus pituitam, & de cætero impediemus, ne regeneretur noua. Ab hoc scopo. Eugeni, exordiri curationem oportet: qui vt maxime necessarius est ad vtramque actionem à nobis propositam, sic diligenter executioni demandandus conuenienti victus ratione instituta in hûc fere modum.

Victus extenuans esse debet, qualem Galenus copiose libello huic tractationi dicato scribit. Aerem calidum, & siccum eligat: Austrinum, ac etiam Aquilonium deuitet. nam ille fundendo: hic vero exprimendo augere poterit morbum. Sit serenus, nec multum luminosus. Hic enim disgregando spiritus maiorem faceret in oculis imbecillitatem. Somnus meridianus vitabitur. Nocturno solum vtatur, sed non admodum longo, cum expediat multo magis vigilare, quam dormire. Exercitatio superiorum partium inutilis: inferiorum commodissima. Procurabit quotidie alui excrementa, aut natura, aut artis beneficio excerni. Plurimum nocebunt passiones animi. Circa cibum, ac potum hæc seruanda sunt: primum quod attinet ad vinum, sunt, qui præcipiant, abstinendum vino suffusis toto curationis spatio. Ego autem vinosum, ac generosum non lau-

do ob magnam copiam euaporationis. Mediocris ætatis, ac ſubadſtringens parce potatum erit quidem vtiliſſimum. Nam ſi dolores oculorum ſanat meripotio, cur non magis iuuabit in conſimili oculorum affectu? nam dolentibus oculis, à quacunque cauſa contingat, materia trahitur: vinum tamen, quod fluxiones facit, exhibet Hippocrates, quam ob cauſſam nos verebimur dare vinum in frigido affectu citra doloris ſenſum? Vinum concretos humores eliquat, quales exiſtere conſtat in ſuffuſione, ac eoſdem calefaciendo moderate diſſoluit. Longe igitur tutius datur vinum ſuffuſione affectis, quam oculorum doloribus laceſſitis. Cauendum tamen ne ex potu vini cruditas fiat ex immoderata copia: cuius cauſſa, cum non ſeruetur proportio, cibi potuſque, fieri ſolet in ventriculo fluctuatio, ex qua concoctio impeditur, vtputa quæ fiat quiete non motu. Vina craſſa, & nigra admitti non debent. Saluberrima ſunt flaua, aut quæ ex flauo, & nigro miſta ſunt, nam hæc facilius diſtribuuntur, & quatenus non multum retinentur in ventriculo, vaporationes non multas edunt. Sed ſi tuis excellentiſſimis collegis videatur omnino abſtinendum à vino, magis obtemperandum illis præſentibus, quam abſenti mihi: noſcunt enim illi propriam naturam ægroti. Pro vino tunc ſubſtituamus decoctum glycyrrhizæ, cinamomi, & zuchari, vel dilutam mulſam. Alimenta generantia craſſum ſanguinem, vt quæ ex paſta fiunt, vt laganæ, itria, quæ etiam in ſartagine friguntur, carnes pręterea magnorum quadrupedum, vt boum, bubulorum, cerui, capreoli, ac aliorum id genus, omnino euitari debent. In hoc ordine piſces lacunoſi reponendi ſunt. vt anguillæ, lampretæ, tenchæ, ac alij. adhæc limaces, teſtitudines, fructus horarii omnes interdicendi. cauendum ab omnibus euaporantibus, vt ab alliis, cępis, aſcaloniis, ac etiam ab omni fere aromatum genere: vnico alimento in menſa ſit contentus. perſuadeatq; ſibi nihil æque obeſſe, quam ciborum varietatem. Aſſatis pro maiori parte vtendum alimentis: elixis raro. poſt cibum ſemper guſtet aliquid vim habens comprimendi, vt pyra, poma cotonea, vel etiam eorundem conditum cum zucharo, vel coriandros præparatos ex eodem zucharo, vel roſaceum zucharum antiquum, & tabulatum. Ego tracheam ſoleo adhibere meis ægrotis à cibo, quæ ſatis eſt efficax. Rec. ſeminum feniculi, aniſorum, carui, ameos, an. drach. j. s. ſileris montani ſcrup. ij. euphraſiæ drac. ij. macis cinamomi, garyophyllorũ, nucis muſcatæ an. drach. j. zuchari fini ad pondus omnium, fiat trachea.

Circa pharmaceutica hęc mihi occurrunt dicenda. Expurgabitur ægrotus bis quolibet anno, quod minimum erit. Si enim me auſcultare voluerit, etiam ſingulis menſibus aliquippiam ſumet, quo excrementa purgari, & reuelli poſſint. Exempli gratia, (cogor hæc minutatim ſcribere, quia ſic Illuſtriſſimus Cardinalis præcepit mihi) vere, ac autumno, ſumat diacatholici drach. x. ſyrupi de ſenna ſolutiui vnc. ij. ex aqua fœniculi fiat potio ſumenda horis duabus ante prandium. Præparetur materia ex ſequenti ſyrupo. Recip. betonicæ, ſaluiæ, origani, iuæ, euphraſiæ, an. man. s. fœniculi ſeminis, & aniſorum, appij, libiſtici, ac rutæ contuſorum, an. drach. j. coquantur in mulſa diluta ad libram vnam. tum decoctionis huius recipiat vnc. v. ſyrup. de betonica, de ſtichade an. drach. vj. oxymelitis ſimpl. vnc. s. miſce pro vno, & ſic pro aliis donec parata videbitur materia. Hanc ita paratam vacuabimus ex pilulis aureis, & ſine quibus an. ſcrup. ij. ex melle roſato. & horis tribus tranſactis capiat vncias tres ſyrupi roſati compoſiti ex aqua fœniculi. Aſſueſcat etiam intermediis temporibus ſumere ſcrup. iiij. maſſæ pilularum de agarico, & cochiarum. Quæſiuit ex me Illuſtriſſimus Dominus, an decoctum ligni guaiaci magis, quam aquarum medicatarum potus conueniat. Reſpondeo vtrunque remedium, maximam afferre vtilitatem poſſe: ſed meo iudicio maiorem conſequuturum ex medicatis aquis. Vereor enim ne ex decocto guaiacino euaporationis oculis faciant negotium. atque eo magis vereor, quod licet non ſit denſum corpus, ſudorem prouocari poſſe non ſpero, præſertim, quod alias decoctum expertus, ſudare non potuit. Quia vero nihil æque ſuffuſis obeſt, quam euaporationis copia, prætermitterem eiuſce-

eiuſcemodi decoctum.ac proximo vere conſulerem, vt aponenſes aquas biberet,iis obſeruatis regulis,quas excellentiſſimi Patauini Medici præſcribẽt. Conſulto prætermiſi venæ ſectionem duplici nomine:primum, quia affectus nõ indicat remedium. Deinde, quia neque vires videntur mihi ferre poſſe,quia corpus ægroti eſt molle, album, ac facile de cauſa reſolubile. & certe quod ad affectum pertinet, prætermiſſa ratione ſumpta ab indicantibus ſcopis, experientia manifeſtum facit ſuffuſis obeſſe multum venæ ſectionem. Experirer omne genus reuulſionis,frictiones,clyſteres, cucurbitulas ſiccas,cauteria,in quibus potiſſimũ magna vis ineſſe creditur pro præſeruando.Setones in collo fere omnes admittunt:in brachio etiam directo parum ſupra cubitum inuſtiones vtiles eſſe perhibent. vtrunque remedii genus laudo. magis placent mihi veſicatoria in ſutura coronali facta ex cantaridibus præparatis,euphorbio,fermento,& aceto, ac pro conſuetudine ſingulis octo diebus repetita. Nonnulli ex antiquis pone aures eiuſcemodi cauſtica remedia adhibere ſolẽt, nempe ſub infimam auriculam:in hoc enim loco ramus adeſt è vena iugulari intro ſubiens, & in opticum neruum vtrinque excurrens. Quod mihi etiam non mediocriter ſatisfacit. fiat ergo emplaſtrum exiguum, vt puta vnguis magnitudine drach. j. ſeminum ſynapis, euphorbii ſcrup. j. cantharidum paratarum ſcrup. iiij. & fermenti aceris vnc. j. quo tempore hæc adhibemus,magna circa oculum opus eſt diligentia. Nam,quia humor ibi concreſcit,oportet liquare ipſum,attenuare,atque diffundere, vt facilius refelli poſſit,atque etiam inhalitum digeri.Recipiat igitur vaporem in oculo affecto ſequentis decocti. Habet ſeminum feniculi, & aniſorum an.drachmam vnam s.florum maluarũ,altheæ,roriſmarini,betonicæ,violarum an. manipulum vnum.fiat decoctum pro euaporatione, aut fotu. Solent commendari acerrima collyria, quæ ſcilicet fiunt ex fellibus: alij ex vrina pueri deſtillata:alij ex vrina,melle,ac fellibus conficiunt: tãdem ocularia propemodum infinita ſunt pharmaca & ab antiquis,& à recentioribus deſcripta. Ego vero, vt ingenue fatear,ex localibus remediis vix duo inuenire potui proficua tot annorum ſpacio,quibus medicinam feci:vnum vtile,ac tutiſſimum hoc modo parari ſolet.ſumito ouum ſub cineribus coctum,ac induratum,medium diuidito: ac remoueto vitellum.illius loco ſubſtituito, Fellis galli,vel ſi haberi poſſit, accipitris, & calcanthi Romani an. q. s. mox coniungito ſimul partes diuiſi oui, & ligato ex filo,ne ſeparentur,totumq; diebus tribus macerato ex aqua euphraſiæ, & roſarum,dein fiat fortis expreſſio ipſius oui,quam pro collyrio vſurpabis: mitius erit collyrium,ſi ſolo calcantho Romano impleueris ouum. Hoc collyrium diſcutit citra ſenſum caloris,oculumq; roborat. collyrium immittito poſtquam oculus euaporationem ſuſceperit.idq; ter,aut quater ſingulis diebus fieri poteſt.

Aliud collyrium à me ſimiliter expertum pro ſuffuſione nondum confirmata ſic parabitur.Rec.iecinoris hirci iuuenis,ſani,ac recentis lib.ij.calami aromatici,mellis an. vnc. s. ſucci rutæ depurati drach. iij. fellis auium de rapina viuentium, ſin minus galli vnc.j.aquæ chelidoniȩ vnc.vj.aquarum fœniculi,berbenæ,euphraſiæ an. vnc.ij.piperis longi,nucis muſcatæ garyophyllorũ an. drac. ij.croci ſcrup.vnum,florum roriſmarini contriti man.s.ſarcocollæ,aloes epatici an.drach. iij. contundantur contundenda, mox adde zuchari fini vnc. ij. mellis roſati drach. vj.miſceantur omnia,& cum alembico vitreo in duplici vaſe deſtillentur:ac bene obturato vaſe,ne tranſpiret, vſui reſeruetur.

At vero ſi ex euaporatione, & collyrio videbitur oculus inflãmari,aliquot interponere dies oportebit,poſtea ad ipſum opus reuertendum. Hæc certe præſeruabunt, & curabunt effectum mihi propoſitum, ſi quæ tamen veræ curationis ratio inueniri poteſt. Nam vereor plurimum hanc ſuffuſionem ſanari non poſſe medicamentis: quod ſi contingat, (vtinam non contingat) ad manualem operationem acu perficiendam, confugiendum eſt. Vale præſtantiſſime vir,ac meo nomine Cirocho, Cordellæ, ac aliis,quos in curatione ſocios habes,ſalutem dicito.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER DECIMVS.

ARCHANGELO MERCENARIO CONCIVI SVO PHIlosophiam Ordinariam in Gymnasio Patauino profitenti, viro præstantissimo.

Explanatur definitio concoctionis ab Aristotele lib. 4. Meteorologicorum proposita.



GAM tecum, Mercenari, de concoctione, non quidem secundum Medicorum decreta, id enim nõ postulas, sed ex Aristotelis duntaxat sententia, quem in tua schola profiteris. Atque ne ordo desit tractationi nostræ, primum definitionem illius interpretabor, mox disputabo contra dilucidationem à te propositam, tertio satisfaciam omnibus dubitationibus: quibus pro rei dignitate explanatis, tu quidem cum primis, mox alij iudicabunt, vter nostrum rectius Philosophi sit opinionem assecutus. Hic igitur libro quarto Meteorologicorum, siue potius de passionibus mixti concoctionem definit his verbis. Concoctio est perfectio à proprio, & naturali calore ex oppositis patibilibus: hæc autem sunt subiecta vnicuique rei materia. hæc ille. cuius definitionem sic explanare soleo. Definitio proprietatum, atque accidentium potissimum constare debet genere, quod illis pro forma substernitur: materia siue subiecto, & efficiente causa. Galenus addit etiã aliquando finem in definiendo pulsu. Omnia hæc Aristotelis complectitur definitio. Dum enim ait: Concoctionem esse perfectionem, formam affert, dum ex patibilibus qualitatibus, materiam, ac subiectum indicat. efficientem vero caussam, cum dicit à naturali, & proprio calore. ijs addo finem etiam contineri, cum dicit, perfectionem esse. Sigillatim hasce particulas declaremus. In primis cum ait: concoctio est perfectio. hoc nomine quendam intelligit motum, non terminum, vt quidam scripserunt, putantes alio modo sumi coctionem ab Aristotele, quam à Medicis. Significat enim apud vtrosque alterationem, qua res ipsa ad summam, quam adipisci potest, perfectionem deducitur. Alexander enim Aphrodiseus hoc modo interpretatur, cui Do. Thomas adhæret. Deinde dicens, ex oppositis, indicat apertissime mutationem, quæ fiat ab vno termino ad alium, ita significante particula ipsa, Ex. Adde nomina in Io. terminata omnia significare motum, vt elixatio, assatio, coctio. Galenus tandem primo de naturalibus facultatibus ex Aristotelis sententia ita definitionem explicat. est igitur concoctio motus quidam rei genitæ ad summam suæ formæ perfectionem acquirendam. Concoctio rem supponit genitam. Generatio minime. Nihil enim coquitur, nisi postquam genitum est. Porro, quod statim est genitum, quandam habet imperfectionem, qua ex motu concoctionis, ad absolutionem propriæ naturæ, properante, priuatur. Sic plantæ, sic fructus, sic animalia in lucẽ illico edita suam non sunt assecuta perfectionem summam. Quamobrem, quod in potentia ad perfectionem ducitur, id coctione duce perficitur, ac ad actum redigitur, vt alimentum in ventriculo, exempli gratia, elaboratum, nondum est perfectum alimentum, quia nondum vere concoctum, sed potentia tale dicitur, vt etiam

Meteor: lib: 4°: cap: 2°:

Concoctio Arti quid sit?

Genus seu forma in definitione:

Nota

Concoctio Gal: quid? v. 348: 345 / 346 / 26. 16 / 257 /

etiam ſanguis in iecinore genitus: quod autem in ſingulis partibus abſolutam ſuſcepit à calore naturali, & proprio alterationem, ſola indigens vnione cum nutriendis partibus actu alimentum dicitur. Concoctionem eſſe perfectionem eo potiſſimum argumento Ariſtoteles demonſtrat: quod omne concoctum perfectum eſt: ac idcirco perfectum eſſe aſſeruit, quia ſuam formam, & eſſentiam iam adeptum eſt, ad quam tanquam ad proprium finem contendebat. Expedit hic afferre illius verba. ſtatim enim (ait) ac coctum aliquid eſt, perfectum, & factum eſt, & parum infra cauſſam affert dum inquit: Finis autem his quidem natura eſt, natura autem, quam dicimus, vt ſpeciem, & eſſentiam. His autem in ſubiectum quandam formam finis eſt coctionis, cum humor, vel per aſſationem, vel per elixationem, vel per putredinem, vel per aliud caloris genus talis redditur, ac tantus. Ex quibus colligo, primum quidem nomine perfectionis Ariſtotelem intelligere motum ad perfectioris formæ acquiſitionem, qui motus eſt tanquam forma concoctionis ſucceſſiue acquirenda. Secundo hunc motum eſſe quodammodo finem, ad quem res cruda, vt ſuam vltimam adipiſcatur perfectionem, tendit. propterea Ariſtotelē non contentum dixiſſe rem coquendam tendere per concoctionem ad formam, ac eſſentiam perfectiorem, nomine finis eandem voluit circumſcribere. Habet autem hoc loco dubitationem minime contemnendam: ſi concoctio eſt motus rei perfectibilis, quomodo ſtatuemus concoctionem contrariam eſſe cruditati. Eſt (inquam) concoctio cruditati contraria, eſt etiam putredini in hunc modum. Cruditas, & coctio opponuntur inuicem priuatiue, vt imperfectum opponitur perfecto, vt priuatio opponitur formæ: omne enim crudum, quia crudum, imperfectum eſt, & omne concoctum perfectum, inquit Ariſtoteles. crudum erit terminus à quo. coctum terminus ad quem. concoctio autem eſt via ad termini, ac formæ acquiſitionem. Sed caue, ne dixeris, coctionem eſſe motum contrarium cruditati. quia cruditas nunquam poteſt eſſe motus, & quod coctum eſt, Archangele Mercenari doctiſſime, nunquam poteſt proprie recrudeſcere, manente ſcilicet, eadem ſpecie. Nam ſi forte fortuna, res adepta ſua forma, ac perfectione, eandem amittat, non continget id per cruditatem, ſed vel per putredinem, vel per marcorem. Carnes aſſatæ, quin aſſatæ ſint, neque fieri poteſt, neque etiam animo concipi: ideo nunquam recrudeſcent, quia tales exiſtunt, vt tertio collectaneorum recte admodum ab Auerroe dictum fuit: at poſſunt putrefieri, & ariditatem ſiue μάρανσιν pati. Fructus, plantæ, animalia cum nactæ ſunt perfectionem ſuam, ſi eandem amittent, non euadent denuo cruda, at incidere poſſunt in marcorem, ac putredinem. Propterea ſtatuo cum aliis philoſophis concoctionem eſſe motum contrarium putrefactioni. Illa enim fit à calore naturali, & proprio: hæc autem à calore alieno, ac omnino præternaturali. Illa ſupponit calorem proprium validum, materiamque vincere, terminare, & circumſcribere, Hæc eundem ſupponit imbecillum, humidumque interminatum reddi, neque vinci poſſe à calore naturali. illa fit cum humidum proportionatum coercetur, continetur que: hæc, contra cum humidum fluit, ac proprium terminum amittit. cum igitur Ariſtoteles ait: Concoctionem eſſe perfectionem. genus illius docuit, eſtque perinde, ac ſi dixiſſet, cōcoctionem eſſe motum perfectiuum rei genitæ. Si omnes motus inductione proſequaris, non inuenies alium, cui poſſit melius, quam coctioni accommodari, vt infra demonſtrabimus. Nunc de materia. Ex oppoſitis paſſiuis (inquit Philoſophus) Materia eſt res concoctilis: verum non eſt quodcunque coctile: ſed quod à calore euinci, ſuperarique poteſt: id vero humidum eſt ſiccitati coniunctum. Humidum duntaxat, nō admittit coctionem, vt aqua, ſerum, & in hydropicis illorum aqua. de qua re locutus eſt in hunc modum Philoſophus. Fit autem imperfectio ob defectum naturalis caloris, & immoderationem ad humidum maturandum. Nullum enim humidum ipſum per ſe ipſum maturatur ſine ſicco. Aqua enim ſola humidorum non craſſeſcit] hæc Ariſt. Ita vero fieri concoctionem dico. Naturalis, & proprius calor, cum res concoquitur, humidum ipſum non terminatum, neque circumſcriptum, vnit,

ac terminat, ac illius multam copiam absumit, expellitque. Ergo concoctio nascitur ex absumptione humidi superuacanei, & ex circũscriptione humidi non excedentis, vt idem hisce verbis declarauit. Atque hoc quidem pati omnibus vsu venit, cum materia, atque humor superatur. is enim à calore naturali circumscribi solet, atque natura tantisper est, quo ad ille secundum proportionem est] rursus in capite de maturatione dicebat. Atque ex tenuibus semper crassiora fiunt, quæ cocta sunt omnia: & hæc quidem ad se ipsa natura trahit, hæc expellit] hactenus Aristoteles. in his verbis videtur mihi significasse modum coctionis. Natura (inquit) id est calor naturalis & proprius hæc expellit] id est, humidum superuacaneum absumit. Ad se vero trahit] id est coercet humidum, circumscribit, ac terminat, qui non excedit supra conditionem rei concoquendæ, quandoquidem omnia, quæ proprie concocta sunt, humida cernuntur, quædam tamen magis, quædam minus, prout natura est rei coquendæ, ac maturandæ: vua, exempli gratia, maiorem habet humiditatem concocta, quam persica, aut pyra, aut cotonea, tandem in omnibus magna est latitudo in eo quod magis, ac minus. Quod autem Aristoteles dicit coctionem fieri, cum humoris portio absorbetur: non ita debet intelligi, vt in omni re concoquenda oporteat semper portionem humidi expelli, atque absorberi. id enim non habet veritatem, nisi vbi superuacanea adsit humiditas: quæ si defecerit, calor tunc humidũ illud proprium continet, circumscribitque, ac exacte permiscendo cũ sicco dicitur coquere. Quam enim pyrum, malumque cotoneũ dicemus complecti humiditatem excrementitiam? quam, alia fructuum genera, quæ licet in sua specie maturitatem adepta sint, a austera tamen, acerbaque permanent? Neque rursus debet intelligi, in omni tempore progressus huius ad coctionẽ, adesse superuacaneam humiditatem expellendam; nam in principio quidem sicca sunt & austera omnia fere coctionem admittentia, vt ostendit omphacium, & vua. illud non habet in initio excedens humidum, cum fit vua, acquirit humoris copiam, cuius portionẽ absumit, & expellit calor naturalis, & proprius, reliquum vero terminat, ac vnit. Amygdalæ, castaneæ, glandes acerbæ sunt in principio, & sine succo: humorem adipiscuntur aliquem inter coquendum, ac superuacaneo expulso, alterius cõsistentia fit: idem de reliquis fructibus dicendum est.

Proprius igitur modus coctionis est, cum à calore naturali ac proprio humidum rei concoquendę, ac illi proportionatum retinetur, cohibetur, terminatur. quam rem dum facit, quæcunq; superuacaneam humiditatem habent, illa prorsus dissoluta, puriora fiunt. Hac de caussa dixit Philosophus concoctionem esse perfectionẽ à naturali, & proprio calore ex oppositis passiuis, id est, ex propria materia concoctili. Dubitationem habet, quomodo calor iungat heterogenea, cuius est illa separare? Dicũt doctissimi quidam Philosophi, contingere humidi cum sicco vnionem, terminationemque non quidem à calore, vt calor est, sed qua naturalis: Quia calor cum efficit coctionem, iam est naturalis, velut directus à forma requirente eam mixtionem. ea autem forma consistit, vel in re coquente, vel in aere propter vim seminariam à cœlo communicatam. Hoc dicere volebat M. Antonius Zimara in theoremate decimoseptimo cum ait: Calorem per se ipsum rarefacere & attenuare, eundem vero, vt cœlestis corporis, aut animæ instrumentum terminare, & condensare: neque absurdum esse idem agens, tum per se, tum vt alterius instrumentum est, efficere diuersos effectus. Ego vero dixerim calorem ex accidenti condensare ob euaporationem humidi, vt in contextu dicebat Philosophus, atque ob exactam mixtionem humidi cum sicco, vt hisce verbis explanare mihi videtur Philosophus. Et hæc quidem ad se ipsa natura trahit, hæc expellit.] Porro vocat Aristoteles passiua opposita: quia humidum opponitur sicco, circa quæ versatur concoctio. vel etiã quia hæc ambo simul iuncta, vt passiuæ qualitates, opponuntur agenti. nam agens & passum, vt Aristot. inquit: opposita dicuntur. Non placet, quod Alexander Aphrodiseus inquit: passiua opposita nuncupata fuisse hic alimenta, quæ initio dissimilia, & opposita, in fine coctionis euadunt similia. Nam Aristotelis sententia multo vali-

to vniuersalius intelligenda est, quam quod solis conueniat animalibus: multa enim dicuntur in suo genere concocta, quæ sane ad ipsam nutritionem minime referuntur, vt plenius parum postea docebimus. Hæc verba, quæ sunt propria cuiusq; materia] nonnulli etiam de alimentis interpretantur, cũ aliud sit alimentum proprium vni, aliud vero alteri speciei. Explanatio consistere non potest: quia, vt proxime diximus, non agit de concoctione vti passio est animati corporis, sed solum, vt mixto per se conuenit. Rectius dicemus aliam esse materiam coctionis in vna specie, aliam in alia. cum eadem sit genere, & substantia humida, & sicca. Sed speciatim magna variatio est in eo quod magis ac minus. aliam enim proportionem habebunt fructus hebuli, mandragoræ, à natura concocti, atque poma, & pyra; aliam melopepones, aliam anguriæ, aliam vuę, & sic de reliquis. Sed de materia satis. Nunc de efficienti agendum, de quo ex communi omnium explanatorum consensu agit in his verbis. A calore & naturali, & proprio. Satis autem videtur difficile, quod hic proponit. Nam si intelligamus eo nomine calorem rei concoquentis, hic naturalis, & proprius nuncupari non debet, sed alienus, cum reipsa sit extra naturam rei concoquendæ. Deinde concoctio cum putredine confundi videtur, nam panis, & caro vbi concocta in ventriculo sunt, putrefacta, & corrupta videntur: spoliata enim propria forma, chyli sumpserunt naturam. Mox chylosis fit à calore alieno à re concoquenda, nempe à calore ventriculi. atqui putrefactio est corruptio proprii, & naturalis caloris, vt exempli gratia formæ carnis, & panis ab alieno calore facta in materia subiecta. Quamobrem videbitur fortassis longe melior explanatio, si dixerimus eo nomine significari calorem proprium atque naturalem rei concoquendæ. Sed si ita statuamus, cur Galenus, dum agit de concoctione, passim docet fieri illam à calore solidarum partium? cur ventriculo, & iecinori vim tribuit concoctricem? Admittunt enarratores Philosophi à partium calore coctionem fieri. Ego tamen, vir clarissime, hanc non recipio explanationem multis de caussis. Atque primum ostendam tibi euidenter (nisi fallor) Aristotelis verba hanc interpretationem non recipere. præstat afferre illa in medium ex capite secundo eiusdem libri, quæ sic habent: Statim enim ac coctum aliquid est, perfectum, & factum est, & principium perfectionis à proprio calore contingit, etiam si auxilio aliquo eorum, quæ externa sunt, compleatur, vt cibus per balneas & alia eiusdem generis adiumenta perficitur. Verum tamen principium est in calore, qui in ipso est.] hæc Aristotelis verba à nobis diligenter considerando sunt, Mercenari. Vult meo iudicio docere ijs ipsis, concoctionem semper fieri à calore proprio rei concoquendæ, adiuuari tamen aliquando posse ab externo, proponitque exemplum cibi pro re coquenda, balnearum vero pro calore alieno. cum igitur ille dicit coctionem fieri à calore proprio, voluit docere perfectiuum hunc motum semper exordiri à proprio calore, vel saltem fieri non posse, nisi illius concursus adsit, verum per se non semper sufficienter, sed principaliter solum agere; propterea indigere alieno calore, vt absoluatur: qui calor, vel extrinsecus accidit, vt à sole, ab aere à medicamentis vel in animalibus, intrinsecus est in partibus huic operi destinatis: propterea dicit: Etiam si auxilio aliquo eorum, quæ externa sunt, compleatur.] Omnia porro, quæ concoquuntur, pro absolutione indigere calore externo, inductione persuaderi potest. In arboribus fructus nunquam maturantur, licet ipsorum maturatio à proprio calore fructuum initium capiat, nisi calor adiuuet solis, atque perficiat. Alimentum quantumuis natura calidum in ventriculo nunquam vertitur in chylum, nisi à ventriculi calore adiuuetur. Est aũt hoc loco animaduertendum, non dixisse Aristotelem perfectionis hoc principium inchoatum à calore proprio, adiuuari ab externo auxilio. Sed dixit, compleri] quasi quod dicere voluerit Philosophus: calor naturalis ac proprius aliquando imbecillus est, nec potest coctionem absoluere, indiget tunc externo calore auxiliante ac perficiente id opus. Perpendo hæc vltima Aristotelis verba. Veruntamen principium est is calor, qui in ipso est] petierim abs te, de quo calore intelligenda sint hæc verba, qui

Efficiens in definitione:

Pulchra et subtilis dubitatio

Calore nalis et ppius rei concoquendæ est principium concoctionis

principium concoctionis rei concoquendæ est internum, non concoquentis

Gemina dubitationis solutio.

Nota

in ipso est.] si dixeris de calore animalis fuisse locutum, absurdam, vt ego sentio, explanationem facies. quia de animali nulla mentio in cõtextu fit: propterea illa dictio. In ipso] non potest intelligi de calore animalis. Ideo debet omnino referri ad verba antecedentia, in quibus proponens cibum pro materia concoquenda, dicit principium huius concoctionis fieri à calore proprio, qui in ipso est] scilicet cibo, licet absolutio fiat ab alieno. Scio hanc explanationem tibi duriorem videre, cum assuetus fueris antiquo dogmati omniũ fere interpretum. Sed ne videatur tibi dura, est rationibus confirmanda, ac postea difficultatibus satis faciemus. Mustum, quod in dolio maturescens fit vinum, non quidem à calore vitis fit maturum, sed suo ipsius calore ebulliens, efferuescensque concoquitur, ac in vini transmutatur naturam. Liquor ex oliuis expressus, non statim quidem fit oleum, sed vbi in suis vasib. repositũ à proprio calore perfectionem recipit vltimam. Mespilla, & sorba ante maturitatem lecta, ac reposita maturari cernentur, non tamen naturali calore arboris, sed proprio. Eadem ratio est de pomis, ac pyris, ac aliis id genus fructibus, qui maturantur hyeme etiam rigentissima. Sed hæc à te conceduntur (quia vero sensata sunt, concedi debent) cur non admittes (quæso) in aliis omnibus id contingere? Si natura coctionis vniuoca est, vnde nam hanc poteris imaginari diuersitatem? Porro supponamus rem ab Aristotele tunc dici concoctam, cum calor naturalis, ac proprius materiam obtinuerit, euicerit, superauerit. Humor ille solet à calore proprio rei concoquendæ contineri, & circumscribi. Dum coquitur, humido calor dominatur, ac ad bonam terminationem, circumscriptionemque deducit. idem certe calor circumscribit humidum, qui in circumscriptione retinet. sed humiditatem domare, & circumscribere, atque cum domita fuerit, continere, proprium est caloris interni cuiuscunque rei concoquendæ, ideo concoctio fit à proprio & naturali calore rei admittentis coctionem. Putauerim demonstrasse me duplicem calorem ad coctionem conuenire, vnum per se, quem proprium esse dixi, alium externum, atque hic quidem duplex est, vnus, qui concurrit aliquando ad hoc opus & ex accidenti. alius vero per se, & externus est à re concoquenda, vt calor solis, & aeris in respectu ad vegetabilia, & calor animalium in respectu, ad alimenta. Aristoteles externum accidentalem absoluere inchoatũ opus dixit: qui per se certe non inest, cum aliquando coctio sine ipso perficiatur, vt in fructibus contingere demonstratum est à nobis. Ex accidenti inest, quia non semper adest, atque cum adest, absolutionem concoctionis adiuuat, absoluitque tunc potissimum, cum naturalis ac proprius calor fuerit imbecillior, vt per se solus coquere non possit, exemplum balneorũ Aristoteles dedit, nos autem vniuersum afferre possumus omnia medicamenta coctionem iuuantia, de quibus egi alias diligentius. Multa sunt, quæ hanc arguere opinionem videntur. Primum, quod in fine tertij capitis ab Aristotele scriptum legimus, elixationem fieri à calore ventriculi. verba illius in hunc modum habent. Nam & cibi in corpore concoctio elixationi similis est, etenim à corporis calore in humido, & calido fit. En igitur concoctionem fieri à calore proprio rei concoquentis, non autem concoquendæ. Adde Galenum, omnesque Medicos huic opinioni refragari: nam ventriculum coquere cibos, & habere facultatem coquendi asserunt: illumque roborare passim contendunt, quando bona concoctio non fit, calor igitur ventriculi concoctionis principium est, non autem cibi. Tertio pro varietate partium variæ gignuntur coctiones, in ventriculo fit chylosis, in iecinore emaptosis, in singulis partibus humiditates secundæ, quæ res contingit solum ob diuersitatem caloris partium concoquentium. Quarto cibus, cum in chylum vertitur, corrumpitur, ad idem calor sui ipsius nequit esse corruptiuus, quia idem sibi ipsi contrarium non est. Quinto putredo concoquit, atqui putredo fit à calore alieno. Putredinem coquere Aristotelis verba manifestissimum faciunt, quæ sic habent. Finis est concoctionis, cum humor, vel per assationem, vel per elixationem, vel per putredinem, vel aliud caloris genus, talis redditur, ac tantus.] hic manifestissime apparet concoctionem fieri à calore putredinoso, hæc quamuis plurimum

plurimum vrgere videantur, tamen non habent solutionem difficilem, quod nunc sigillatim demonstrare aggredior.

Quod ad primã difficultatem pertinet, responsio quorundam est, elixationem, ac assationẽ non esse simpliciter coctiones, sed cũ adiectione, quasdam coctiones. Nã proprie sunt alterationes, aliquid coctionis habentes, vt colligitur ex verbis Philosophi in princ. 2. cap. 4. Meteorologicorum. Elixatio præcipue est actio composita ex liquatione, & coctione. Confectio ciborum proprie elixatio non est, sed, vt Arist. placet, similis coctioni. Tria enim in elixatione adsunt. Liquatio ciborum, concoctio quædam, actio ventriculi in cibum, vt eum in suam vertat naturam. Parum igitur habet confectio cibi in ventriculo, coctionis, atq; illud quidem sortitur cibus, à calore, qui in ipso est. At vero liquationem, & assimilationem acquirit à calore ventriculi. Idem de aliis dicẽdum actionibus, quas Medici respectu proprii finis coctiones vocant, vt in lib. de concoctione secundum Placita Medicorum demonstratum mihi fuit. Nunc ad Arist. nostra conuertatur oratio. Hic dum ciborum coctionem considerat, sub ea ratione, qua coctio est, dixit, fieri illius principium à calore naturali & proprio existente in ipsis cibis, licet aliquando absoluatur à calore balnearum. At in fine capitis tertij considerans in hac transmutatione adesse liquationem, & quandam assimilationem, & esse similem elixationi, propterea dixit fieri à calore ventriculi. Ego soleo respondere aliter: Nempe elixationẽ, & assationem sub coctione tãquam sub genere locatæ, non fieri à calore extraneo, sed à calore naturali, ac proprio. In pueris quidem coctio, est elixatio. In iuuenibus erit assatio. In tritico, & milio, ac aliis id genus maxime consistentibus, assatio. In vua, in melonibus elixatio. At propter inopiam nominum illæ naturales subeunt nomen artificialium. Elixatio autem & assatio horum definitur per calorem extraneum: quia re vera prodeunt à calore igneo: ac ideo proprie non sunt coctiones, sed per similitudinem quandam. Quia enim calor ignis ab elixante, vel assante determinatur ad perfectionem alendi, non aliter, quam calor solaris à vi naturali plantæ, ideo annumeratur speciebus coctionis. Velim, Mercenari, hoc mihi concedas, cuius etiam in superioribus memini, coctionem passionẽ esse corporis mixti perfecti, non autem animati duntaxat, vt communis est, affectio habet communem caussam efficientem. Hæc vero est calor duplex. quorum vnus est externus à re concoquenda, naturalis tamen ratione operis efficiendi: hic est calor cœli, vt solis, & ambientis aeris, cuius beneficio mixta præparantur ad coctionẽ: vt aperte conspicere licet in vegetabilibus, ac in aliis. In animalibus vero licet concurrat, vt caussa vniuersalis aeris & Solis calor, magis proprius tamen dicetur calor innatus ipsorum. qui in ventriculo, in iecinore, in singulis partibus disponit materiam coquendam aliquando ipsam, ac segregando, atq; impedimenta omnia remouendo. Adest præterea alius calor proprius in re coquenda, qui opus absoluit. vtrumq; agens complexus est Arist. in definitione, nempe naturalẽ, & proprium, cum dicit concoctionem esse perfectionem à naturali, & proprio calore. In hũc modum concoctio fit à calore naturali ventriculi, & proprio rei concoquendæ. Iam vero non inficiamur concoctiones illas à Galeno vocari alterationes: ventriculoq;, iecinori, & singulis partib. fuisse attributam concoquendi vim. quod ab illo factum fuit ex propriæ artis vsu, exquisitam nominum rationem ex sua alioquin consuetudine prætermittens. & vero facultas ventriculi magis commutatrix, & alteratrix deberet nuncupari, vt etiam idem author aliquando facit in 1. meth. med. ac in arte medic. vbi coctionẽ speciem quandã vocauit alterationis.

Pro varietate partium non fiunt re vera coctiones variæ, quia vbique vna coctio est facta calore proprio rei concoquendæ in subiectam materiam, siue in ventriculo, siue in iecinore, siue in singulis partibus. At pro harum varietate alteratio succedit varia, & alimenti commutatio varia: quia partes singulæ contendunt assimilare alimentũ, & pro varia illarum natura, & officio variẹ fiunt transmutationes, cum tamen, quemadmodum dixi, re ipsa in omnibus vnica sit ratio, & forma coctionis.

Concoctio fit a dupliei calore { naturali, ventriculi. / proprio rei concoquendæ.

partium scil. ventriculi, iecinoris &c.

Quod dicũt cibum in ventriculo corrumpi, duplicem habere sensum potest. Vnus est, vt statuatur corrumpi, quatenus alimentum est. Alius, vt corrumpatur species, in qua continebatur alimentum. priori modo minime corrumpitur, sed perficitur: alio admittimus corrumpi. Sed, vt vnusquisque, quod dicere volo, consequatur, propono panem pro exemplo. Hic in ventriculo corrumpitur, vt panis, quia propriam amittit speciem, qua panis est. Verum non priuatur propria forma, qua alimentum erat: imo huius caussa ducitur ad perfectionem: quia quod in ipso pane erat in potentia, in vẽtriculi actione incipit ad actum deduci, multoque magis deducitur in iecinore, ac maxime in singulis partibus, in quibus verum alimentum, ex quasi alimento, & futuro alimento, constituitur. Principium autem transmutationis huius ex forma panis ad formam alimenti fuit calor proprius ventriculi agens in pane, & ab ipso remouens contrarias dispositiones, deducensque ipsum ex potentia ad actum, & ad propriam formam alimenti delitescentem in materia panis. Ad huius ipsius calor proprius est, qui opus hoc concoctionis perficit, absoluitque. est autem aliud principium transmutationis, & principium perfectionis. hoc enim semper à calore rei concoquendæ: illud autem aliquando ab extrinseco aduenire potest.

Quod postremo de putredine dicitur, ita accipiendum est: quandam putredinem participare coctione: quia hac de causa nuncupatur à Galeno species coctionis quædam, 1. de feb. diff. cap. 3. vt puris generatio, ac etiam humoris putridi in venis maturatio. nam pus, & sedimentum habent coctionis aliquid, quatenus non fætent, & consistentiam æqualem habent. At, quatenus nutrire non potest, estque omnino præter naturam, putredine participat. Quamobrem mixta est illius generatio vtriusque caloris soboles. An autẽ quemadmodum idem potest esse coctum, & putridum, sic à duobus motibus contrariis fieri debeat, nempe à coctione, & putredine: an ab vnò duntaxat motu explanatum fuit in eius libri commentario.

Nunc vero, quæ abs te pro dilucidanda Arist. definitione dicta sunt, perpendamus. Primum tibi Ludouici Buccaferrei displicet sententia, qui dicebat idcirco perfectionem esse, quia concoctibile ad actum reducebatur, neq; enim putas concoctionem dici hac de caussa perfectionem: sed contra, quia alimentum reducitur per coctionẽ, ab inutili pro nutritione materia, ad vtilem. Quod enim ad nutriendum aptum non est, imperfectum alimentum dicitur, quod vero nutrire valet, id perfectum dicitur. Rursus alimenti huius perfectionem aliam non esse dicis à terminatione humidi cum sicco: qua humor suam adeptus est consistentiam: contra vero inconcoctionem, & cruditatẽ esse, quando non est terminata, neque constans humiditas. Concludis, dicere coctionẽ esse perfectionem, idem significare, atque consistentiam, & terminationem humidi, per quam alimentum vtile factum est nutritioni. Caloris porro naturalis, ac proprii nomine intelligendum esse calorem à re concoquenda extraneum, sed proprium & naturalem rei concoquentis. Hunc dici naturalem asseueras, quia humidum vincit. Proprium vero, quia commensuratus est illi humido, proportionatusque. Cum vero calor non dominatur humido, gignitur cruditas, quæ contraria coctioni dispositio est. Postremo dubitas, cur Hippocrates in Aphorismis dixerit, concocta medicari, & mouere non cruda. quia iis verbis ex tua sententia admittere videtur, coctionem à frigidis fieri, quemadmodum potissimum contingit in febribus ardentibus. Respondes quæstioni, coctionem proprie dictam, quæ scilicet alimentum pro nutritione idoneum supponit, à solo fieri calore, at vero alias improprie dictas, fieri posse à frigore. summatim videor tuam opinionem recensuisse. In qua multa certe sunt, Mercenari, quæ mihi maxime displicent. Ac illud in primis, quod de ipso dicis coctionis genere. Perfectionem esse dicis, quod alimentum vtile nutritioni redditur, At non est hæc perfectio. Multa coctionem habent exactissimam, quæ nihil nutriunt: imo quædam naturam habent magna ex parte nutritioni contrariam, quædam vero omnino contrariam, venenatamque. An hebuli, & samsuci semina maturata nutrient? an cicutæ, an mandra-

mandragoræ? an cucumeris asinini fructus? an lathyridis grana? an alia eiusdem generis sexcenta: fortassis dices in his non adesse veram concoctionem. At quæ verior inueniri potest species concoctionis ipsa maturatione? hæc enim prorsus, & sola etiam fortasse vera concoctio est. aliæ per similitudinem hanc merentur (ex clarissimorum quorundam Philosophorum sententia) appellationem. Præterea recordari oportet Philosophum in hoc libro agere de passionibus corporis mixti, quatenus mixtum perfectum est, non quatenus animatum, aut viuens: idcirco coctio ab Arist. definita respicit mixtum perfectum. Tum autem videris mihi, cum de sola nutritione sermonem habeas, considerare coctionem pro passione corporis viuentis. sed fortasse dices coctionem fieri in solis viuentibus. id non est admittendum. Mustum enim in dolio coquitur, ac fit vinum. Succus ex oliuis expressus, coctione fit oleum. Sed, si hoc tibi concedamus, tu mihi etiam hoc concedes, in viuentibus fieri coctionem, non vt viuentia sunt, sed vt mixta, multaq; in viuentium latitudine concoctionem habere, quæ minime nutriant. Vrget præterea opinionem, quod humores putrefacti, vbi concocti sunt, id est, euicti ab ipsa natura, non illi quidem nutrire possunt, quãuis meliorem substantiæ conditionem à priori acquisierint, vt in sedimento, & pure conspicitur. Habebis fortasse, quod respondeas, nempe Arist. verba intelligi debere de propria coctione ad nutritionem ordinata. sed hoc nequit dubio procul consistere, tum quia Philosophus declarans, quõ concoctio sit perfectio, docuit conuenire hoc nomen & iis, quæ non nutriunt, exemplo puris vsus, sic enim scribit: siquidem vtile tunc ad concoctionem peruenisse dicimus, vt mustum, & quæ in tuberculis colliguntur, tum in pus sunt mutata, & lacrymas cum in libras conuersæ sunt] hæc illę. Quibus addo, quod explanans, qua ratione concoctio perfectio sit: quia inquit, ad finem ac formam peruenit res concocta, aut si nõ absolute ad formam (quia nequeunt omnia acquirere summam perfectionem) saltem ad quandam veniunt meliorem formam, igitur concoctio non est perfectio, quæ ad nutritionem referatur, sed qua res concoctilis è potentia ad actum reducitur: vt e. g. in animalibus, futurum alimentum, fit verum alimentum. Examinemus aliam tuæ sententię partem. Dicis perfectionem hanc nihil aliud esse, quã terminationem, & consistentiam humidi. Quæ res mihi displicet plurimum. Primum quia Philosophus coctionem esse perfectionem ideo dixit, quia refertur aut simpliciter ad formam, aut aliquampiam formam. Est forma quid optimum, & diuinũ in rebus, vt ait Philosophus 1. Phys. motusq; omnis ad formæ perfectionem acquirendam, perfectio est. In coctione res genita, vt nos dicebamus, habens adhuc formam imperfectam, illius perfectionem adipiscitur: aut si amiserit suæ perfectionis bonitatem, coctione, ad meliorem, ipsa putredine, formam redigitur, vt pus, & sedimentum, de qua transmutatione Arist. ita scribit: His autem in subiectam quandam formam.] verum qui dicit, terminationem, & consistentiã humidi, hic quidem nullam perfectionẽ affert. Etenim coctio proprie non est terminatio sed à calore fit terminante. Amplius videretur definitio coctionis conuenire cum definitione generationis, quæ ab Aristotele eodẽ proponitur hisce verbis: Simplex autẽ naturalisq; generatio mutatio est ab his facultatibus, cum proportionem obtinuerint ex materia, quę cuiq; subiicitur naturę. atq; hę facultates sunt, quas patibiles diximus.] ex quibus verbis oẽs peripatetici colligunt, generationem simplicem esse, cum passiuæ qualitates ab actiuis terminantur. Vidisti difficultatem, quam multo antea contra Aristotelem Argenterius libro 3. suorum comment. ad librum Galeni artis medicæ proposuit: atq; huic difficultati satisfacere conaris admittendo eandem esse definitionẽ generationis & concoctionis, si vtraq; sumatur pro dispositione pręuia ad formam. Inuicem vero distingui ratione termini intrinseci: nam hic in generatione est forma: at in concoctione est accidens: quia dicit Aristoteles, finis coctionis est, cum humidum tale fit, ac tantũ.] terminus vero coctionis externus ipsa substantia est. Multa mihi contra responsionẽ suggerunt. Potiora propono. si generationis & concoctionis definitiones sunt eędem, iam quidem definita erunt eadem. cur igitur

locis diuersis philosophus de vtraq; pertractat? nempe de generatione in primo de generatione in cap. 2. ac 3. An ita decebat breuiloquum, & grauem Philosophum? deinde re ipsa diuersæ sunt definitiones, quia termini definitionis sunt diuersi. In definienda coctione dicit, esse perfectionem: huius non meminit in definitione generationis: & merito, quia neque etiam potuit meminisse, si vera sunt, quæ supra diximus. Deinde, in concoctione definienda, inquit, fieri à calore naturali, & proprio: & generationem efficit calidum & frigidum simul, licet calidum primas partes habeat. Dicit enim: Est mutatio ab his facultatibus.] Addito, quod caliditas elementalis nō potest dici calor naturalis, & proprius: multoq; minus si cum frigiditate cōiungatur. naturalis enim ac proprius calor complexionalis est, in mixto residens, ac ex omnium qualitatum elementalium temperie resultans: at qui simplicem generationem facit, solus est elementalis. Præterea generatio æqualiter versatur circa passiuas qualitates: ac certe concoctio magis circa humiditatem. Item, generatio est affectio rei nondum existentis: & concoctio est motus rei existentis. Illa supponit rem in potentia: hæc rem in actu & constantem, sed non in actu perfecto. Postremo falsum est, quod ais, terminum coctionis esse accidens, quia terminus hic forma est & natura corporis iam geniti: quæ forma, quia statim facto mixto, suam non habet perfectionem; hanc acquirit motu coctionis perfectiuo, vt Aristot. verba manifestum faciunt, quæ in nostra explanatione proposuimus, & nunc in tui gratiam repeto. finis autem his quidem natura est.] vides finem ab Arist. nuncupari naturam, non accidens. Declarat postea, quid intelligat per naturæ nomen dicens: Naturā autem, quam dicimus vt speciem & essentiam.] An hæc verba sunt accidentibus tribuenda? vel etiam, quæ immediate sequuntur. His autem in subiectam quandam formam.] Hæc manifestum facient tibi, aut certe aliis, terminum coctionis intrinsecum esse formam & naturam, non accidens, vt scribis, sed circa genus coctionis satis videor dixisse. Nunc de efficiente quædam. Vocare calorem naturalem ac proprium, caliditatem extraneam nunquam Aristoteles consueuit, & quamuis plura afferre possem in medium exempla, pro multis satisfaciet definitio putredinis, in qua de vtroq; calore meminit his verbis: Putredo est corruptio proprii, & naturalis caloris in vno quoq; humido ab aliena caliditate, hæc autem ambientis est.] in qua definitione seiungit calorem alienū à naturali ac proprio vocatq; proprium calorem, qui inest in re putrefacienda: ac alienum extrinsecus aduenientem: vt omnes illius explanatores admittunt: & tu ipse manū porrigis. Cur igitur in definienda concoctione volumus ipsum fuisse hisce nominibus abusum? cur tam paucis interpositis lineis? Ergo si in definitione putredinis proprii caloris nomine audit calorem rei putrefaciendæ, sic in definitione concoctionis audit calorem rei concoquendæ. Præterea nomen concoctionis, aut æquiuocum est, aut certe analogum: quod animaduertens Philosophus antequam definiat coctionem, voluit prius diuidere, vt omnem è medio tolleret ambiguitatem. propria species coctionis maturatio perfecta est. Elixatio vero & assatio secundum tua principia (quid enim ego sentiam, explicui supra) licet nomine conueniant cum exacta coctione, re tamen ipsa discrepant ratione efficientis: quandoquidem non fiunt à calore naturali, & proprio, sed ab extraneo. Elixatio à calore externo humido. Assatio à calore externo sicco & igneo, qui duo calores non sunt proprii rei concoquendæ, sed solum concoquentis. Hic velim, doceres causam, ob quam Aristoteles veram coctionem definiens, dixerit, perfectionem esse factam à proprio calore rei concoquentis. at vero definiens elixationem & assationem dixerit fieri à calore externo rei concoquendæ? Hic enim naturalis ac proprius est rei concoquentis, vt etiam prior & vterq; calor positus in definitionibus à re concoquenda, vt explanas, alienus est. Quamobrem oportebat vtranq; definitionem complecti calorem naturalem ac proprium rei concoquentis: vel calorem alienum à re concoquenda. cum igitur in prima definitione calor naturalis ac proprius ponatur: non est certe idem cum calore extraneo posito in aliis definitionibus. Atqui in his est calor alienus à re concoquenda.

Generatio et Concoctio in quibus differunt:

putredo quid?

quenda. ergo in prima erit calor proprius rei concoquendæ. Amplius si præterea naturalis calor dicitur, quia vincit humidum, petierim quis existat calor naturalis in musto concoquens illud, & in vini naturam conuertens? si dixeris, esse calorem musti, iam naturalis calor internus erit. si alienum doceas, qui sit hic calor vincens humidum: & qua ratione non putrefacit magis, quam concoquat. Addo, si per calorem hunc intelligas calorem per se sufficientem ad coctionem, ita vt non indigeat alio, sententia erit contra Philosophum, qui admittit, principium coctionis esse calorem in ipso cibo existentem, aliquando tamen posse perfici ab alio. An fortasse dices, calorem dominari in ipsa mixtione supra frigus, vel supra calorem rei concoquendæ. Sed si ita statuas, negare hoc dici potest: A mammis enim, cerebro, ossibus, glandulis coquitur sanguis à calore illarum partium subdominante frigore secum mixto & sanguini coquendi. Victoria, de qua loquitur Aristoteles, intelligenda est in propria duntaxat actione coctionis: quia tribuitur illi actio mixti, ad quam non requiritur victoria caloris supra contrariam qualitatem. Longe melius, nisi tamen fallor, diceremus, authorem coctionis esse calorem naturalem ac propriũ mixti, qui complexionem illius sequitur. & hac de causa naturalis dicitur, atq; etiam dicitur proprius, quia quælibet res proprium habet calorem, quo ab aliis distinguitur.

Restat, vt dubitationes dilucidemus. Affero primum Argenterii. Deinde tuas. ille sic ait: Aristotelis definitio, etsi ab omnibus sit recepta, tamen mihi non videtur proprie exprimere, quod quærimus. Nam genere vtitur nimium communi: etenim generatio, mixtio, & alia quælibet alteratio, quam res exigit, est perfectio. siquidem res dicitur perfecta, cum id est assecuta, quod illi deficit. Præterea generatio, eodem authore, etiam fit, cum calor obtinet qualitates passiuas, & propriam cuiuscunque materiam: quare communis esse videtur definitio generationi & coctioni. Addo, quod in ea definitione non comprehenduntur omnia, quæ concoquentur. Nam assatio & elixatio non à proprio, sed ab externo fiunt. Nec etiam docet, quid materia patiatur à calore, cum fit concoctio, an scilicet acquirat calorem, vel frigus, vel siccitatem, vel humiditatem, vel aliam quamcunq; qualitatem. Hæc Argenterius. Quibus sigillatim respondeo;

Ad primum dico, nullum excogitari potuisse genus magis accommodatum, quam perfectio: qua, vt superiori discursu dicebamus, Aristoteles intelligit motum perfectiuum rei genitæ ad suam perfectionem. ex quo patet, longe diuersam esse naturam generationis & concoctionis, ac aliorum alterationum. distat igitur à generatione, quia hæc supponit rem in potentia: concoctio in actu. à mixtione quia est vnio miscibilium, quæ dispositio est ad formam. At concoctio non est dispositio ad formam simpliciter, sed ad quandam vtputa meliorem formam. Secundæ argumentationi satisfecimus tecum disputantes, vbi differentiam generationis & coctionis diximus: ac etiam parum antea. Tertia ratio non habet solutionem difficilem. quia concoctio dicitur de omnibus speciebus, vel æquiuoce, vel analogice, aut saltem non vniuoce, si aliorum interpretum sententiam sequamur: nam me ipsum aliter sentire nosti. Ad postremam dico, adeo diligenter declarare, quid calor efficiat in materia concoquenda, vt maxime admirer, doctissimum hominem non animaduertisse. calor quidem humorem superuacaneum expellit, alium continet, coercet, circumscribit, ex quibus postea sequitur perfectio formæ, iam in materia introductæ. Hactenus de Argenterio. Tu vero quatuor in medium dubitationes proponis, quarum duæ videntur à nobis in superioribus explanatæ. reliquæ examinandæ sunt. Recte dubitas, quomodo concoctio sit perfectio, si nihil aliud est, quam humidi terminatio: nam illius forma si est consistentia humidi; non erit perfectio, sed corruptio. quia propria natura humidi est, non habere terminum. Des igitur habere terminum. non erit igitur secundum propriam naturam. Dixi, recte dubitasse, quia nisi fallor, hoc argumentum videtur mihi explicari non posse. Hanc responsionem affers. Humidum consideratum, quatenus humidum est, non perfici, vt argumen-

Concoctio q^to differt a Generatione

& A mixtione.

tum concludit. Sed consideratum in relatione ad nutrimentum perficitur, quia vbi terminatum sit, redditur vtile nutritioni. Responsio magnam patitur instantiam, ea est, quod humidum sub propria ratione terminari non potest, neq; enim aqua concoquitur (inquit Aristoteles) neque nutriet. Coercetur humidum alieno termino, sicco permixtum. Argumentum erat de humido, vt humidum est. Adde, quod ratio perfectionis in re coctibili non consistit in terminatione humidi, sed in absolutione formæ, vt dicebamus. Secundum argumentum erat de coagulatione, quæ fit à calido tenuiores partes dissoluente, humidumq; terminante. Definitio igitur coctionis coagulationi conuenit. Respondes differre, quia coagulatio fit à calore naturali & proprio, siue commensuratio. coagulatio non fit à calore naturali & proprio, sed à quocunq; calore etiam intenso. At vide, primum conuenire secundum principia à se posita: nam vtraq; passio fit à calore externo, & vtraq; à calore commensurato, quia quod habet vim coagulandi lac ipsum, illud non erit commensuratum ad coagulandum sanguinem. ergo coagulatio supponit determinatum calorem, & in subiecta materia proportionatum. Cæterum quomodo inuicem differant hæ duæ passiones, adeo notum arbitror, vt alia non sit opus explanatione. Quoniam igitur, Mercenari doctissime, videor præstitisse, quæ in principio fueram pollicitus, finem dicendi facio. Te etiam atq; etiam orans, vt quæ scripsi, boni & æqui consulas. Taurini, die 24. Septemb. 1583.

Com'ensurato.

In causa dissolutionis matrimonii inter Dominum & Dominam, Augenii responsum.

Multa explanantur de naturali potentia & impotentia ad coitum, de paralysi virgæ, de maleficiatis, ac frigidis, atq; sigillatim causæ omnes recensentur, quæ impotentem aliquem reddant.

v. pagi: 401.

Cap. I.

Propositum dicendorum.

QVOD ex tempore in præstantissimorum hominum corona olim à me dictum fuit, id nunc ipsum, maturiori facta consideratione, scribendum duco: non alia quidem de causa, nisi vt veritatem, qua nihil habeo antiquius, defenderem in ea controuersia, quæ nunc pro dissolutione matrimonii versatur, inter Dominum Horatium, & Dominam Mariam. Ad Medicos quatuor potissimum capita pertinere videntur mihi: horum primum de magnitudine virilis membri pertractabit: de eiusdem erectione secundum. Tertium considerabit historiam eorũ, quæ à quatuor Medicis vnanimi consensu in secunda Domini Horatii visitatione gesta sunt. Postremo loco experiemur, quanti fieri debeat obstetricum iudicium. hunc seruabimus in scribendo ordinem, quia hac habita ratione temporis in hunc modum successiue acta sunt, sicque in actis notariorum descripta: dum vero hæc examinabo capita, sigillatim conabor omnibus satisfacere difficultatibus, hac tamen lege, vt nihil me in hac scripturum pollicear tractatione, quod clarissimorum Medicorum autoritate, ac ratione, experientiaq; confirmatum non sit. Verum quia, vt inquit Horatius, cæcus est amor sui, & quod ait Persius, non videmus manticæ, quod in tergo est, præstantissimorum Medicorum iudicium desidero.

Suma reru' considerandar capita.
1. 2. 3. 4.

Cap. II.

Oportere pro exercenda venere membrum virile magnitudinis esse mediocris, & penes quid eiuscemodi mediocritas debeat obseruari.

DVO igitur, qui iam primum Dominum Horatium visitarunt, Medici sententiam hisce verbis dixerunt suam: HIS SIC CONSTITVTIS. Credimus, Domi-

Dominum Horatium habere sua vasa seminaria, suos testes naturaliter constitutos, colem autem non habere suam iustam magnitudinem, neque longitudinem, vt vnicuiq; datum est videre, nisi forsan duo hæc per erectionem acquirat.] hæc illi. Certissimum est sine virili membro, tanquam proximo generationis instrumento coitum exerceri non posse, in quo membro, vt alia taceam, de quibus loquemur postea, accommodata requiritur magnitudo. Duoq; solent in magnitudine vitio verti, excessus, & defectus. Excessum voco, cum adeo in omni dimensione abundat, vt recipi à muliebri pudendo non possit. Defectum autem, cum adeo exiguæ quantitatis existit, vt ingredi vas muliebre aliqua ratione non valeat. hac de causa mediocris pudendi magnitudo, tum ad vtriusq; sexus delectationem, tum ad conceptionem efficiendam vtilissima censetur. Definiri eiuscemodi mediocritas debet, non certa & determinata quantitate, vtputa trium quatuorve digitorum, sed pro varietate conformationis, dispositionisque corporum vtriusque sexus: nam paruæ mulieri, gracili, cuius pudenda non multum emineant, quod satisfaciet virile membrum, id sane minime nuncupabitur mediocre in relatione ad mulierem magnam, pinguem, cuique plurimum promineat cunnus. Sic vice versa; quod proportionatum est huic alterius respectu modum excedet. Existimari autem, recteq; diiudicari hæc magnitudo non potest, nisi quando membrum ex concursu flatuosi spiritus erectum atq; tensum est. Nam quoduis membrum citra tensionem, etiam si asini fuerit, paruum iudicabitur, ac minime ad opus venereũ accommodatum. Hæc si vera sunt, quæ tamen verissima existere iudicat experientia, qua ratione potuerunt Medici ex inspectione penis Domini Horatii iudicare, non habere illud iustam magnitudinem longitudinemq;? certe iudicium hoc ab illis fieri neq; potuit, neq; debuit. Deinde si omne membrum ex ipsa tensione fit maius ac longius, vt docet quotidiana experientia, cur dubitatiue proponunt illi, dicentes: NISI ex erectione hæc duo forsan acquirat.] quod affirmatiue proponi debebat? admiratione præterea dignum est, quod in secunda visitatione scripserunt scilicet, paulo breuius & gracilius visum esse membrum, quam hominibus iustæ magnitudinis esse consueuerit. Quis enim aliquando Medicorum cuiuscunq; sectæ, & cuiuscunq; ætatis definiuit crassitiem, & longitudinem membri hominibus iustæ quantitatis? aut quæ ratio id persuasit? aut quod afferri potest experimentum? Videmus certe quotidie homines paruos, magnum: magnos, paruum habere membrum. Quamobrem ii debebant Medici, viri alioqui iudiciosi ita statuere, sese vidisse erectum Domini Horatii penem, eumque sic erectum, nouisse non esse proportionatum ad ingressum in pudenda Dominæ Mariæ: simulque docere oportuisset, quantæ magnitudinis requireretur virile membrum pro exercenda venere cum eiuscemodi Domina: ac idem postea confirmare autoritatibus Medicorum. Quoniam vero hæc illi, tanquam impossibilia non præstiterunt, fit, vt omnino statuam, illorum hac in re testimoniũ esse nullius momenti: idque facio certius, quod in secunda visitatione causam impotentiæ non referant amplius illi, in exiguitatem penis, sed in frigiditatem corporis, & in paralysim virgæ: quæ inconstantia manifestum facit, in eam opinionem sese dedisse præcipites, causæ Dominæ Mariæ magis, quam veritati fauentes, aut certe nimis festinanter, & citra præmeditationem de re seria pronunciasse. Habebunt fortassis aduersarii, quod respondeant; nam dicent, admiraturos esse ferri non posse exactum de magnitudine virilis membri iudicium, nisi quispiam erectum viderit. Sed me interrogabunt, an erectum aliquando viderim: si enim me non vidisse dixerim, quomodo inquient, iustam habere magnitudinem Dominum Horatium contra nostram sententiam iudicabis? igitur si dari iudicium ab eo nequit, qui non viderit, tu, qui non vidisti, iudicare non potes. At nos certe iudicare potuimus, qui iam diu operam dedimus, vt nobis erectum aliquando membrum ostenderet. Præterea dicent, sese fuisse dubitatiue locutos, non quia non essent certi, omne membrum erectione fieri maius, sed quia erant incerti, an membrum illius erectum conuenientis esset magnitu-

Primũ considerãtu ppositũ.

Geminus in sua Anat: peni tribuit longitudinẽ 7 vel octo pollicũ. verũ fatetur variari in vnoquoq; eius longitudinẽ vt plurimũ, ideoq; certã eius mensuram statui nõ posse: quod idẽ statuit Bauhinus.

dinis. Rursus, qua parte dicimus. Debebant Medici viri alioquin iudiciosi ita statuere, sese vidisse erectum Domini Horatii penem, eumq; sic affectum non esse idoneum ad ingressum in vuluam Dominæ Mariæ. Dicent illi, optimum quidem esse iudicium consiliumq;, sed minime tutum, vt experimentũ demonstrauit, ac proinde à viro probo deuitandum. Addunt, quæstionem non esse vniuersalem, sed versari circa particularia, ac proinde experimentis indigere. Audio postremo incusare nos, qua parte de proportione inter colem & cunnum loquebamur: dicunt enim, hæc honestatis excedere limites, esseq; turpissima, nec posse iudicari, nisi oculorum testimonio. Hæc illi contra nos disputant. affero nunc, quid sentiam. In primis argumentum illud meum contra illos adeo validum esse arbitror, vt demonstrationis cuiuspiam habere locum videatur mihi. Erat enim illorum conclusio. Colem non habere suam iustam magnitudinem ac longitudinem. At hoc dicere non potuerunt illi, cum nunquam viderint erectum. Ego vero non id dico, neque illi inhæreo fundamento, vt qui nihil aliquando de eiuscemodi magnitudine dicere voluerim. Disputo enim contra vos ipsos: primum, quod ille non habeat naturalem impotentiam ad venerem exercendam: secundo, quod membrum virile non sit paralysi affectum, neque frigidum esse totum corpus: deinde asseuero, maximam apud me vigere maleficii suspicionem. at dicent, ex coniecturis iudicasse membrũ non erigere, quod spacio bimestri nunquam erectum ostendere potuerit membrum. Sed cur, boni viri, non iudicauistis oppositum, ex actis & actitatis, vt dici solet, in curia? Interrogata enim illius Domina, an viro suo erigatur membrum, respondit: Erigere aliquantulum. rursus interrogata, an semen emittat, respondet: Frequentissime. An certiorem notitiam desideratis? ego sane ita sum affectus, vt magis somnianti coniugi in hac re credam, quam vobis vigilantibus. Ex quibus colligo, noluisse illum demonstrare erectum penem: quod neq; etiam demonstrare voluit coniugi, cuius intererat cognoscere. Dicetis, ex officio quæsiuimus, institimusq;, vt erectum ostenderet nobis membrũ. sane id ego non facile crediderim. Cur enim vobis demandare voluit Illustrissimi Cardinalis Vicarius, vt erectum videretis membrum, non plane assequor. Mandatum forte fuit vobis ab illo, vt pudenda inspiceretis, iudicaretisque secundum artis fundamenta, an bene, an male essent conformata. propterea que vos optime ex inspectione sanxistis. HABERE sua vasa seminaria, suos testes naturaliter constitutos.] Addo, turpe admodum esse ostendere pudenda, multo magis turpe, erecta. plerique, quiduis potius patientur, quam facere eiuscemodi periculum. Virum enim probum decet verecundia. imo scio, nonnullos nec etiam coram mingere posse. Deinde illud etiam profiteri volo, non esse situm in nostra potestate membrum erigere. nam aliquando, cum volumus, non erigitur, & aliquando erigitur, cum nolumus. atq; cum erigitur, non manet tamdiu erectum, vt vocari ad inspectionem possint Medici. igitur mirum non sit, si spacio duorum mensium einstantes nunquam erectum videre illius membrum potueritis. Hactenus euertimus præcipuum fundamentum. Porro quod olim dixi, id nunc repeto, exactam haberi de magnitudine membri scientiam non posse, nisi ab eo, qui erectum viderit, noueritq; simul conditionem mulieris: neque enim quatuor aut quinque, aut sex digitorum membrum sufficiens esse potest, nisi in subiecto disposito. Admiror, cur, hoc tutum non esse consilium, dicant. Ego in hoc argumento viam non habeo certiorem. Dicent, non esse honestum. At cur, quæso, honestum non est, si rei, de qua controuertitur, exactam scientiam parit? an fuit honestum; viri docti, quod vos præcepistis? vt manentibus sponsis in lecto nudis, anteaquam ad veneream peruenirent copulam, vt vobis erectum sponsis membrum ostenderet? vos, qualia sint hæc, iudicabitis. In hac certe parte recte admodum dicitis, particularem esse quæstionem, & experimentis indigere. id fateor vestra causa. Sed debebat, viri optimi (mea tamen sententia) quapericulum secretum fieri, non publicum, præuia sponsorũ cohabitatione, quæ lis iam supra annum intercessit, vt relatum mihi fuit, præuiis etiam omnibus sacramentis

cramentis Sanctæ matris Ecclesiæ, omniq́ue odio inter ipsos deposito. Experimentum, quod vos ipsi parastis, necessarium non extitit, (nisi decipior) vt dicam diligentius loco suo. Dicitis excedere honestatis limites, quod nomine CVNNI sim vsus: in qua re demonstrastis, quam sitis in Galeni doctrinę exercitati: legatis, si placet, per ocium eius verba libro primo de semine cap. quarto & quinto capite libri secundi; comparationem facit inter penem, & cunnum. at libro de dissectione vuluæ capite primo situm docet cunni. Quæ de erectione virgæ dicitis, diligenter examinemus. Sum enim breui ostensurus quam magna sit vis
10 ipsius veritatis. Vestra verba interpretamini: cum enim dicitis: nisi per erectionem duo hæc acquirat] exponitis idcirco vos ita fuisse locutos, vt notaretis, quod etiam si membrum virile erigatur Domino Horatio, dubium tamen adhuc esse apud vos, an ille membrum habeat iustæ quantitatis. Placet mihi vestrum iudicium, & admitto pro thesi, omne membrum erectione fieri maius, ac longius: ex qua deduco, vos coactos esse admittere Dominum Horatium habuisse membrum iustę magnitudinis. Verba sunt hęc vestra, in consultatione secundæ visitationis. VIRILE MEMBRVM parum breuius, & gracilius vobis visum est, quam consueuit esse hominibus iustæ magnitudinis.] Atqui, o viri docti, quod paulo breuius & gracilius est non erectum, id fiet iustę quantatis erectum: quia erectione fit maius, ac longius. Perspicite quæso, in quam nolentes incidistis foueam. Addo magnam in vestris inconstantiam inueniri verbis: nam in re-
20 sponsione ad meas rationes, obliti eorum, quæ scripseratis, non amplius paulo breuiorem, quam hominibus iustæ magnitudinis, sed pusillum admodum conspici pudendum asseueratis. toto hæc inter se distant cœlo. sed satis hæc, ad alia propero.

Conuellit inconstantiam Aduersariorum.

CAP. III.

Qui dicantur naturaliter potentes, vel impotentes ad venerem exercendam.

POST inane illud periculum Domini Horatii, quatuor Medici vnanimi consensu dixerunt, non esse illum naturaliter potentem pro exercenda venere. In gratiam veritatis placet illorum verba transcribere, quæ sic habent: EX QVI-
30 BVS OMNIBVS pronunciamus, Dominum Horatium omnino impotentem esse, caussamq́ue impotentiæ, non in aliquod maleficii genus, sed in partium imbecillitatem, quæ ad veneris vsum destinatæ sunt: eamq́ue ex intemperie frigida contractam esse, ac in mollificationē virgę præcipue, ita vt merito, & iure impotens dicendus sit: non quia maleficio aliquo infectus aut affectus, sed quia frigidus, cum actio videatur, non modo imbecilla, sed penitus virtus abolita] hęc illi: qui mihi de proposito argumento tria potissimū dicere videntur. Primum Dominum Horatium esse omnino impotentem. Secundum impotentiæ caussam non esse maleficium. Tertium idcirco existere impotentem, quia mollifica-
40 tionem virgæ patiatur: atque imbecillitatem partium veneri inseruientium, ex intemperie frigida contractam. Hincq́ue deducunt esse frigidum. Hæc sigillatim à nobis examinanda sunt. Iuuat principium sumere à totius disputationis fundamento, docentes, qui naturaliter sunt potentes, vel impotentes ad coitum, ex quo postea deducemus reliqua. Ac primum sic mihi liceat ratiocinari. Qui omnes partes habent, qualitate, numero, conformatione, situ, vnitate, ac substantia à principio generationis bene dispositas, quæ partes mediate, vel immediate ad seminis generationem eiaculationemq́; concurrunt, dicuntur naturaliter, & omnino potentes ad coitum. Duo enim ad hoc opus exercendum conducunt: vnum est semen, aliud geniti seminis expulsio, pro generatione se-
50 minis vasa seminaria immediate concurrunt. At tres principes partes, cor, cerebrum, iecur, & arteriæ iugulares (si credimus Hippocrati) remotè, sed tamen ex necessitate conueniunt, ex communi non Medicorum modo, sed etiam Philosophorum consensu. At vero pro eiaculatione seminis membrum constitutum virile fuit; quod fistulosum natura pro seminis emissione fecit. Iam inuentum est, qui naturalem habeant potentiam ad coitum. Duplex porro est eiusce-

modi potentia naturalis: vna est generatiua ſeminis: alia expulſiua iam geniti.
Omnis potentia deducitur aliquando ad actum: neq; enim ſemper fit, ſed cum
nihil adeſt, quod impediat. Quod vero pertinet ad rem noſtram, actus poten-
tiæ coeundi non ſemper exercetur, ac ſolum cum partes conuenientem habent
magnitudinem, cum ſuppetit materia ex vltimo alimento, cum vires valeant:
propterea neque pueri, neque ſenes ad hoc opus idonei ſunt. Poſt pueritiam,
quæ anno decimoquarto finitur, atque ſenectutem decrepitam, ætates mediæ
ad coitum exercendum accommodatæ ſunt. Ac etiam nec ſemper in hiſce
ætatibus conſtituti venerem exercent, multis enim de cauſſis facultate perma-
nente incolumi, venus impediri poteſt. Nam quemadmodum potentia natu-
ralis ignis ſurſum mouendi, poteſt impediri non mutata ſua natura, vt in ſubtera-
neo potiſſimum conſpicitur: ſic, ſalua eiuſcemodi potentia, coeundi actus im-
pediri poteſt, vt quotidie obſeruamus. Contra vero naturalem habebunt impo-
tentiam ad coitum, qui à principio generationis partes ipſas huic muneri deſti-
natas male affectas habuerint: quæ impotentia nullo tempore poteſt exercere
venerem, ob repugnantiam, ac reſiſtentiam contrariæ diſpoſitionis: neq; pror-
ſus poſſibile eſt, hanc, aut à natura, aut ab arte emendari poſſe, vt exempli gratia:
ſi quiſpiam hermaphroditus naſcatur, ſi nullos teſtes habeat, ſi fuerit ſubuulſus,
ſi monſtroſum penem habuerit, ſi prorſus pene deſtitutus, atque alia eius gene-
ris multa. Habebunt hic etiam aduerſarii quod nobis obiiciant, dicent enim nos
omiſiſſe cauſam maxime neceſſariam naturalis potentiæ ad coitum: ea vero eſt
tranſmiſſio copioſi ſpiritus, ac flatus ad colem, cuius cauſſa diſtenditur, attolli-
turq;: quæ cauſſa non adeſt in Domino Horatio, quia non poteſt erigere, vt
manifeſtum fuit in ipſo congreſſu cum coniuge. Opus eſſet, inquient, Augeni-
um demonſtrationes afferre à cauſſis petitas, oſtendentes hoſce ſpiritus ad co-
lem fluere: vt nos ex effectu, à neceſſario demonſtrauimus. hic etiam experiri
placet, quem exitum, veſtrum hoc habere debeat ſubterfugium. Mea demon-
ſtratio, Docti viri, in hunc modum conſtituitur. Qui habet omnia principia, &
omnes cauſſas ad venerem exercẽdam neceſſarias, hic naturalem habet coeun-
di potentiam. At vero Dominus Horatius veſtro iudicio habet omnia principia,
& omnes cauſſas. igitur naturalem habebit coeundi potentiam. Ex hac demon-
ſtratione, cuius veritatem inficiari nemo poteſt, ſequitur illum neceſſario eri-
gere membrum, & aliquando ſemen emittere. At quomodo, dicetis id ex ne-
ceſſitate ſequitur? Modum nunc explicabo, ſi animo minime perturbato, audi-
re volueritis. Inter principia, neceſſario ad veneris vſum requiſita, vnum eſt vl-
timi alimenti abundantia, quæ ſuppetit omnibus corporibus, ſecundum natu-
ram ſeſe habentibus poſt ętatem augumenti. Nutrimentum enim parari debet,
toto vitæ tempore, vt nutriat, ſed non in omni vita, vt augumento, ac genera-
tioni inſeruiat. ab ortus principio vſque ad 21. annum, aut parum poſtea, augu-
mento, & nutritioni potiſſimum, poſt vigeſimum primum vſq; ad vltimam ſe-
nectam inſeruit ſolum nutritioni, atq; generationi. ſic à natura comparatum eſ-
ſe, atq; ſic omnibus contingere, tum experientia ipſa, tum Philoſophorum, &
Medicorum decreta manifeſtiſſimum faciunt. Hoc nutrimentum, quod poſt
nutritionem ſingularum partium ſupereſt, materia ſeminis eſt, quæ tranſmitti-
tur pro maiori elaboratione teſtibus, vaſiſq; ſeminariis; quæ illius copia turgen-
tes, ac expellere, foraſq; vt ita dicam, eructare, pro ipſius naturæ inſtituto, ſata-
gentes, neceſſario ſequitur ex ſpirituum concurſu colis erectio ac poſtea ſeminis
effuſio. Ergo fieri non poteſt, vt qui habet in ætate conuenienti omnia principia
immediata, & mediata pro veneris vſu requiſita, ſecundum naturam diſpoſita,
quin hic erigat, & ſemen emittat. Ex enarratis breuis in hanc formam inſtituatur
ratiocinatio. Qui abundant ſeminali materia, aliquando erigunt, ac ſemen e-
mittunt. In ætatis vigore conſtituti, cum ſecundum naturam habent, omnes
quidem abundant ſeminali materia. Ergo in ætatis vigore conſiſtentes, aliquan-
do erigunt, atq; ſemen emittunt. Neceſſaria proculdubio eſt eiuſcemodi ratio:
qua vobis, viris alioquin doctiſſimis, oſtendit Augenius, neceſſe eſſe Domi-
num

num Horatium aliquando erigere,& ex cõsequenti flatum ac spiritum conflue-
re ad pudenda. Reliqua prosequor. Dicitis Dominum non posse erigere. Pri-
mum, inquam, vos falsum asserere: arguit enim mendacii Domina, quæ dicit,
virum suum erigere, & aliquo tempore erectum conseruare colem, ac fre-
quentissime semen emisisse. Huic, Huic, viri optimi, non vobis, credendum
negantibus: maior nulla in hoc argumento inueniri potest fides. Deinde pe-
tierim, vnde collegeritis, non erigere. dicetis, scio, collegisse vos ex congressu
cum sua sponsa, in quo fieri nunquam potuit voti compos. Et vero fallacissimus
est hic locus. ratio à facultate ad actionem valet: ab ipsa actione ad potentiam
10 negatiue, minime, vt passim Galenus docet libro de morbis ac symptomatis. e.
g. callias non concoquit alimentum, quia coctile non est, quia in copia excedit
modum, quia in ordine maximus error adest. hæc citra facultatis concoctricis
labem contingunt, ita, vt si quispiam dixerit: hic non concoquit, ergo facultas
est imbecilla, plurimum aberrauerit. Amplius, nemo est, quantumuis salacissi-
mus, cui aliquando non accidat coitu vti non posse cum ea, quam sexcenties et-
iam cognouit. Infinitæ propemodum caussæ sunt, quæ erectionem impedire
possunt. Effectus semper suam sequitur caussam, si non impediatur. Est au-
tem duplex effectus. Vnus qui semper fit vt à corde pulsatio: à motore æterno,
ęternus motus. alius, qui aliquando fit. Quemadmodum ille nunquam fieri non
20 debet: ita hic semper fieri non debet. Arbor non semper flores, ac fructus habet.
nec qui generare debet, semper, cum voluerit, penem erectum habuerit: quod
igitur ex quibusdam interuallis contingit, atque ex necessitate, vt supra demon-
strauimus, naturæ, id quidem suo tempore producitur: nec aliquando extra su-
um fit tempus. nisi fuerit monstrosum. Sed satis multa, de re alioquin manife-
stissima, videor dixisse.

Cap. IIII.

Dominum Horatium naturalem habere potentiam ad venerem exercendam.

30

EX iis, quæ proximo capite dicta sunt, deduco Dominum Horatium non
habere naturalem ad veneris vsum impotentiam. nam habet omnia princi-
pia, omnia membra necessaria pro exercendo coitu, & proxima, & remota na-
turaliter disposita. vestra si placet, optimi viri, audiatis verba. Primi duo sic a-
iunt: CREDIMVS, D. Horatium habere sua vasa seminaria, suos testes natu-
raliter constitutos] Deinde quatuor Medici vnanimi consensu ita pronunciant.
PRIMVMQVE inspecto habitu totius corporis ætate, optimaq; temperatura
tum totius, tum partium singularum, potissimumque earum, quæ principa-
tum continent in corporibus nostris, quæque ad generationem, & veneris vsum
40 dicatæ sunt, inspeximus testes, & pudendum (quod quidem paulo breuius, &
gracilius visum est, quam consueuerit esse hominibus iustæ magnitudinis) re-
liqua bene esse affecta inspiciebantur] hæc vos ipsi. quæ si vera sunt, profecto
dubitare nemo potest, quin D. Horatius naturalem habeat potentiam ad vene-
rem exercendam. Idcirco admirari subit, cur dixeritis, omnino esse impoten-
tem. Amplius liceat mihi Platonis consuetudine interrogare: cum dicitis, viri
docti, illum esse omnino impotentem, vel loquimini de potentia naturali, vel de
acquisititia. si naturali, verba superius posita redarguunt vos: neq; enim talis esse
potuit à natiuitatis principio. si vero dixeritis impotentem esse ex accidentaria
dispositione post generationem acquisita, primum hic omnino impotens statu-
50 endus non est: quia possunt aliquando remoueri, quæ ex accidenti adueniunt.
Deinde afferendum erat tempus, in quo origo cæperit dispositionis huius, atq;
cum multæ sint causæ accidentales, vestrum erat inductione facta in singulis,
veram causam proponere. Dicetis, inuenisse fortassis veram causam, quia molli-
ficationem pati, & esse frigidum asseueratis, vt dicam loco suo de vtroq; affectu.
Rursus interrogo, an hi affectus fuerint illi naturales, an accidẽtales: primũ dici

non potest, quia omnes D. Horatio insunt partes bene constitutæ. non secundum, quia in membro virili aliud vitium non cognoscitis, quam breuitatem, & gracilitatem. Demum erat à vobis explanandum, an ante initum matrimonium, an post, quibus de caussis, an affectus recipere aliquam sanationem possint, vel omnino sint incurabiles, atque alia eius generis, sine quibus rectum fieri iudicium à vobis neque potuit, neque debuit. Postremo debebat vos testimonium illud exactissimum suæ coniugis cautiores reddere. Accedamus ad reliqua.

Cap. V.

Maximam adfuisse in proposito casu maleficii suspicionem.

Erat secunda illorum conclusio, nullam adfuisse suspicionem maleficii. Verum, quia erubescimus, cum sine ratione loquimur, propterea etiam rationẽ afferre voluerunt in medium, dicentes, cum actio videatur, non modo imbecilla, sed penitus abolita] quasi quod dicere voluerint, maleficiatum nõ fuisse D. Horatium, quia coeundi actio prorsus abolita est. Qui hanc è medio tollet rationem, facile demonstrabit contrarium. rationis euersio multis non indiget machinis, cum per se ipsa ruat. Nam ex maleficiis, aut eadem prorsus, aut fere, contingunt mala, quæ in frigidis corporibus ac etiam aliquando multo seuiora, vt quotidie obseruamus. Deinde, quæ à notariis conscripta sunt, in processu videntur multas de maleficio præbere coniecturas. Nouerunt qualia sunt hæc, & quanti momenti sint, si totam legere Historiam voluerunt. sed hæc prætermittantur: volo hic afferre duplicem caussam, vtranque etiam maximam, ipsius maleficii. Harũ vna est, quod in lecto iacens, nudus cum nuda nulla præcedente defatigatione, alia ve excalefaciente caussa, totus in sudorem prorumpit, & nunquam membrum erigitur. Iuuenis quidem est annos natus 26. optimo corporis temperamento præditus, vt dixerunt, nullo morbo lacessitus, vasa spermatica, testesq; habens secundum naturam bene constitutos: principes omnes partes, & quæ illis inseruiunt, nullam patiuntur labem; & tamen coire volens, non potest. Quam hic naturalem inesse causam dicent? sane nullam inuenio, nec alios inuenturos putauerim. quamobrem hoc referendum est vel in maleficium, vel in causam aliquampiam externam, de qua dicam loco suo. Alia causa est, quod ipse iureiurando affirmauerit, septem, aut octo hebdomadas, vt in actis notariorum patet, alias maleficiatum adeo fuisse, vt nunquam suam cognoscere potuerit sponsam: ac liberatum à maleficio fuisse ope Sacramentorum Sanctæ Matris Ecclesiæ. Cur igitur idem casus denuo contingere non potuit?

Argumentũ pbabile maleficij duplex a duplici causa petitũ: quax 1ª. 2ª.

Cap. VI.

D. Horatium non habere paralysim virgæ.

Dilucidanda reliquuntur duo. Vnum est an D. Horatius paralysim virgæ patiatur: alterum an frigidus debeat nuncupari. de vtroque agam, ac primum de paralysi. In hunc igitur modum argumentor. Qui paralysim patiuntur, ii sensu ac motu priuantur, aut solo sensu, aut solo motu. At virile membrum Domini Horatii sensum, ac motum habet. Ergo non est paralysi affectum. Sentire quidem, vnusquisque potest percipere. Ego enim periculum feci. Acus puncturam, & caliditatem, ceræ liquefactæ cadentis ex candela, sensisse obseruaui. Rursus noui sentire frigiditatem sensato experimento Auicennæ, membro enim in aquam perquam frigidam immerso, ipsis oculis contractum fuisse vidi: certissimum signum, si illi credimus, membrum non esse affectum paralysi. Adesse preterea motum Domina Maria manifestissime testatur: cum dicat, erigere membrum, & sæpenumero semen emittere. Quatenus enim erigit, mouetur certe: quemadmodum cum semen emittit; nam sine motu eiaculatio seminis fieri non potest. Hic ego tacere non possum, quod maxime in fauorem facit D. Horatii, atq; suspectam reddit fidem Medicorũ, qui primum visitarũt. Fecerunt illi

Non esse paraliticu Dᵉ Horatiũ: qđ est pmũ membrũ diuisionis. secundũ vide pag: 633.

illi aquæ frigidæ periculum, nouerunt non esse membrũ paralysi detentum, idcirco in prima visitatione prætermissa paralysi impotentię causam esse dixerunt, membri paruitatẽ. At iidem, in secunda visitatione hanc reiicientes causam, hominem affectum paralysi dixerunt: ex quibus constat illos magis egisse partes Dominę Mariæ, quam recti iudicii experimentum occultantes. Quia vero illi multa contra me, & contumeliose scribunt; ego non contumeliis (nam apud me longissime abest hoc scribendi genus) sed rationibus sic contra illos disputo.

Facto periculo aut nouerunt membrum paralysim pati, aut esse ab ipsa paralysi immunem. Si dixerint nouisse, veram igitur caussam adepti sunt impotentiæ, quam significare iudicibus debebant. sed cur hac prætermissa ad paruitatem virgæ confugere voluerunt? quam tanquam fictitiam noscentes postea, non sine inconstantiæ crimine, abiicere debebant? At si ex periculo sciuerunt non habere paralysim, quam ob causam in secunda visitatione prætermissa paruitatẽ virgæ dixerunt, resolutionem pati. Nescio quid sint responsuri: Nisi fortasse dixerint, viros esse probos, bonæ famæ, ac magis duobus, quam vni Augenio adhibendam fidem. Verum hoc non valet subterfugium. Non de moribus, non de fama hominum disputo: sed tracto, quod ad me pertinet, nempe res medicas, & vt Medicus disputo aduersus illos, quibus adhibere fidem nolui, nec pœnituit, non adhibuisse fidem, quia manifeste noui ex ratione iam dicta, non esse resolutum: nouerunt etiam alii. sed quid moror? viuit Dei gratia D. Horatius huic periculo paratissimus, qui cum libuerit, errorem aliorum ostendet. Risu præterea dignum videtur mihi, quod illi contendunt, Dominæ Mariæ testimonium non esse admittendum. verba illorum sic habent: DOMINÆ Marię, vtpute imperitę testimonium in hoc casu nullius est momenti. &c.] Quis enim decipi potest, in iis, quæ ad erectionem virgæ pertinent? Quis imperitam vocauit in hoc munere coniugem? vnde quæso fieri potest in hac re deceptio? non imperitæ quidem, sed doctissimæ sunt mulieres in iis, quæ ad coitum pertinent, maxime ad erectionem virgæ, ad emissionem seminis, quia res sensatæ sunt. reuertor, vnde mea digressa fuit oratio. Secundo. Hæc paralysis, aut contracta fuit ante matrimonium: aut post matrimonium. Probabile non est ante matronium paralysim fuisse passum, quia non duxisset vxorem: Deinde probabile non est, nullis vsum fuisse remediis, vt sanaretur, sic haberemus notitiam à seplasiario, à Medico, ab assistentibus: at certe id non constat. si post initum matrimonium incidit in morbum, casus hic nulla ratione impedit matrimonium. Video quid fortassis huic argumento respondebunt, tum ipsa Domina, tum Medici. Dicet illa spatio annuo, quo simul cohabitarunt, consummatum nunquam fuisse matrimonium, cum propter imbecillitatem membrum ingredi suum vas nunquam potuerit. Medici vero admittẽt (nisi fallor) ipsa coacti veritate, erigere membrum, sed imbecillam esse dicent erectionem, ac minime sufficientem ad deflorandam virginem, colemque pro hoc efficiundo munere, oportere diu erectum teneri, alioquin claustra ingredi non posse virginalia: atque cum dicunt Dominum habere paralysim, intelligunt diminutam atque imbecillam. Verum hæc nullius esse in rem præsentem momenti, facile me persuadere posse, arbitror. In primis vrgeo coniugem hoc pacto. Virtus tecum habitans erecto membro virili, sæpenumero emittit semen: ergo illud emittet in proprium vas: neq; potest imbecillitas in caussa esse, quin vas suum recipiat semen: facilis enim est ingressus in anteriorem vuluæ partem, quæ cunnus appellatur, cum satis late pateat augustiori existente posteriori parte: Aliud est ingredi proprium vas, aliud penetrare vsque ad intimum. illud ad matrimonii consummationẽ necessarium est, hoc autem minime. Idcirco cum non sit probabile, semen extra suum vas effudisse illum, videor mihi certus, matrimonium fuisse consummatum. Contra Medicos disputo hoc pacto. In quo ægroto facultas generatiua seminis, & motiua virilis membri prorsus abolita & extincta est, ibi perfecta adest, absolutaq; paralysis. In Domino Horatio erat facultas prorsus extincta eorundem Medico-

v. 626. quã facetè deridet adversarios.

rum decreto : ergo Dominus, non quidem imperfectam, ſed abſolutam patie-
batur paralyſim. qui enim facultatem imbecillam cum abolita confundunt, pri-
ma ignorant medicinæ fundamenta, quod de illis ſentiendum non eſt : qui ho-
minem omnino impotentem dixerunt ac frigidum : ex alia parte, neque poſſunt
ſtatuere abſolutam adeſſe paralyſim, quia teſtimonio Dominæ conuincuntur.
Nam in quo adeſt facultas generatiua ſeminis, & eiuſdem expulſiua, ac motiua
membri virilis, in eo extincta facultas non eſt. Atqui in Domino Horatio hæc
adeſt virtus, vt Domina Maria teſtatur. Amplius ad deflorandam virginem
non eſt ſemper neceſſarius conatus ingens, qualem ſupponere videntur ex co-
le admodum rigido, ſed, vt plurimum ſufficit mediocris erectio : cum enim in
oſtio vteri nullum ſit interſeptum virginale, atq; vterus tanquam animal quod-
dam (vt cum Platone loquar) ſeminis deſiderio flagrans, ex illarũ partium titilla-
tione, & confrictione, ſua dehiſcens labia ſemini occurrit, in ſinumq; ſuũ auidiſ-
ſime recondit. Deinde, ſi moderata penis non ſufficeret rigiditas, nunquam
poſſent primi, & ſecundi ſenes deflorare virgines : nam in illis nõ adeſt ea rigidi-
tas penis, quam habebant in iuuentute. At conſtat ipſa experientia atque Hi-
ſtoriarum tum diuinarum, tum humanarum veritate, illos defloraſſe virgines,
ac ex illis habuiſſe filios. Mirum eſt præterea, quod dicant oportere penem diu
rigidum in vulua conſeruare: Nullum enim in hac re ſtatutum eſt tempus,
cum quidam à primo contactu ſtatim emittant ſemen, vt de hac re optime ſcri-
pſiſſe Auicennam ſcio. Sed neque etiam neceſſarium eſt ipſum ſemen, pro effi-
cienda conceptione reiectari in ſinum vteri, cuius rei experientia fidem facit, &
clariſſimorum Medicorum decreta. Experientia quidem, quoniam videmus
in dies fieri ſuperfœtationes : quæ non fiunt, quod in ſinum vteri iaculetur ſe-
men. nam hoc ipſo tempore magnam adſtrictionem habet vteri oſtium, ita, vt
non poſſit ingredi per ipſius meatum violenter ſemen. Ratio vero idem per-
ſuadet, quia, ſi clauſum eſt oſtium, ex vehementi penis impulſione aperietur,
ſtatim ſequeretur abortus. Rem ita ſeſe habere oſtendo illis ex Auicenna, qui
dum aſſeuerat clauſas mulieres aliquando poſſe concipere, non putat id fieri,
quod oſtium vteri apertum reddatur, ſed quia ſemen effuſum, per quædam a-
perta foramina in vterum penetret, aut attrahatur. Voco clauſas mulieres, in
quibus duriſſima gignitur membrana in oſtio vteri, quam cum rumpere nun-
quam poſſit virile membrum, ſola manuali operatione indiget, quæ ferro diui-
dat. Concipiunt igitur hæ : tamen minime eiaculatur ſemen in cauitatem vte-
ri, cum ſit omnino impoſſibile eiuſcemodi penetrationem fieri. Concipere il-
las aliquando verba illius teſtantur, quæ ſic habent :

Contra opinionem pluximox Anatomicox qua de re amplissime scripsit tractatũ Augenius in Epistola prima huius Tomi 2ᵃ. lib. 1. pag.: 326.

Et quandoque accidit, vt clauſa retineat per accidens conceptionem : quare
moritur ipſa, & fœtus ipſe procul dubio, ſi non regitur. & hoc quidem non eſt
poſſibile, niſi aliquo duorum modorum, aut, vt ſit illud, quod opponitur ori
matricis, de clauſura raræ texturæ, aut ſi habens foramina plura. itaque poſſibile
ſit matrici, attrahere de ſpermate aliquid, licet etiam paucum ſit : tamen ex illo
pauco fit conceptio : ſi pars eius eſt veritas, quod viſum eſt Philoſopho, & pars
eius, quod viſum eſt Galeno Medico] hæc ille. quæ videntur mihi adeo exacte
confirmare propoſitum, vt fere neſciam, an maior inueniri poſſit confirmatio.

Poſtremo neque etiam omnes habent ęqualem ſymphyſim adſtrictionemq;
oris vteri. tenellæ maiorem : at maiores præſertim luxurioſæ minorem, ac for-
taſſe iis ſymphyſis nulla eſt ; quas penis mediocriter erectus deflorabit : cuius rei
ſignum euidentiſſimum eſt, quod ex virginibus defloratis quædam, non red-
dant cruentatum linteolum. Sed ſatis videor contra Medicos per inſtantiam
egiſſe : Nunc per conceſſionem agamus. Concedamus illis, quod petunt prin-
cipium diminutam, aut etiam perfectam habere paralyſim, an propterea inſana-
bilis iudicari debet ? ſi quæ mediam totius corporis partem occupat, aliquando
fuit ſanitati reſtituta, cur non poterit reſtitui vnius determinatæ partis ? cur non
ſanabitur in florenti ætate ? cur omnes Medici ſanandi rationem membro para-
lyſi affecto docuerunt ? ſaltem cur experiri non debet, nũ ſanari poſſit ? atq; de-
mus

qua de re lege fusius Capite 5ᵒ. Epistolæ primæ huius Tomi 2ᵃ. et capite 10ᵒ: eiusdẽ epistolæ. lib: 1. pag: 329. et 336.

mus non sanari, cur interim cum hæc fiunt simul cohabitare non debent iuxta præcepta sanctæ Matris Ecclesiæ: transacto triennio, quod dari audio frigidis, ac maleficiatis: si nulla spes erit sanitatis restituendæ, tunc dissoluent matrimonium, ad quos pertinet. Sed anteaquam canam receptui, vnum dicere volo, ex verbis Dominæ Mariæ non colligi Dominum Horatium habere imbecillam erectionem: sed quod membrum erectum diu non conseruetur. Verba illius recenseo, quæ sic leguntur in actis notariorum.

Poco spatio di tempo teneua il membro cosi eretto & più volte ha mandato fuori il seme.] Ex iis verbis non colligitur, diminutam habere erectionem: sed diuturno temporis spatio non permanere erectum: quod ad temporis diuturnitatem pertinet. Quo igitur tempore fuit rigidus, ac tensus, eo vim habere sufficientem poterit ad virginem deflorandam, cum nihil impediat temporis duratio. De hoc argumento satis: accedo ad aliud.

Cap. VII.

Dominum Horatium non esse frigidum.

RELINQVITVR examinanda pars, qua statuunt D. Horatium esse frigidum, id est, intemperiem frigidam pati in iis partibus, quæ ad Veneris vsum destinatæ sunt. nam satis non fuit illis paralysim virgæ, siue, vt verbis eorum vtar, mollificationem obiecisse: sed voluerunt etiam, vt maiorem grauioremq; casum constituerent, hominem statuere frigidum: bene conscii frigidos, ac paralysi affectos venerem exercere non posse: videamus modo exitum opinionis huius. Tribus vti volo argumentis, quorum singulum erit à caussis petitum, priora duo ab essentialibus: aliud vero ab externis caussis, sed tamen necessariis.

In primis quæro ab illis quid intelligant nomine partium vsui veneris inseruientium: non possunt illi intelligere testes, ac vasa seminaria: sic enim in eam, quam fecerunt, foueam inciderent. sic enim scribunt: Nam credimus D. Horatium habere suos testes, sua vasa seminaria bene constituta.] Neque possunt audire superiores partes, atque præcipuas, quia in secunda visitatione sic aiunt: TESTES, & pudendum, & reliqua bene affecta conspiciebantur.] & rursus. COR, cerebrum, iecur, & totum corpus optimam habere temperiem nouimus.] fortassis pudendum solum intelligent. Sed hoc perperam dicetur, quia in superioribus fuit iam comprehensum: mox dicere non debebant, PARTES, sed PARTEM. Adde, quod ex huius partis frigida intemperie non dicitur quispiam frigidus, licet fortassis ad venerem impotens dici possit.

Secundo, frigida corpora nuncupantur, quæ neque semen generant, neque emittunt. Atqui Dominus Horatius generat semen, ac emittit: non igitur frigidus est. Postremo, frigidi nuncupantur, qui extincta virilitate causas intus continent omnino prohibentes generationem seminis, eiusdemq; eiaculationem, suntque eiuscemodi causæ in vniuersum quatuor ex communi Medicorum consensu, vna medicamentorum vsus quæ aut proprietate totius substantiæ, aut manifesta qualitate semen extinguunt. Alia incantamenta, & maleficia. Tertia senectus decrepita. Quarta morbus diuturnus, vt tabes, phthisis, ac alii id genus morbi, à quibus calor influens è corde, vna cum spiritibus dissipatur. Hæ causæ frigiditatis recensentur, nec aliæ admittuntur. Quamobrem si Dom. Horatius frigidus est, oportebit ad aliquam ex hisce quatuor caussis referre, aut ad omnes, aut ad plures. Sed constat ipsum nunquam vsum fuisse medicamentis semen extinguentibus: constat esse in florenti ætate constitutum, cum agat annum 26. plus aut minus. tertio constat non esse tabidum, non phthisicum, non alium habere morbum, sed optima, vt dicunt illi, temperie præditum: ergo si frigidus est à sufficienti enumeratione partium, maleficio affectus est.

Hisce rationibus, postquam contumeliose scripserunt multa, (quæ honoris

Secundu[m] membru[m] divisionis factae in pag: 630. in principio capitis sexti.

frigidi v. pag: 635. qui dicendi.

Causae phibentes seminis generatione[m] et eiaculatione[m].

illorum causa, ac modestiæ meæ silentio inuoluenda censui) in hunc modum respondent. Ad primam quidem dicentes, aliud ab ipsa partium constitutione considerandum esse. quid vero id aliud sit, neq; illi declarant, neq; ego diuinare possum. cum igitur sic argumentabar: ille non est frigidus, qui naturalem habet omnium partium constitutionem ad vsum veneris destinatarum: ac huiusmodi esse Dominum Horatium. maiorem propositionem non videntur admittere, quia aliud à constitutione partium requiritur. Secundæ rationis dissolutio continetur his verbis: Præterea non sunt tantum dicenda illa corpora frigida, quæ semen nec generant, nec emittunt: Sed etiam quæ non possunt vti venere, quia non erigunt penem, sublata maleficii suspicione. Pro alterius solutione aiunt: Tertio, confugiunt ad causas, non tamen attingunt immediatas, quas doctissimus proponit Altimarus: ex aliorum sententia ipsi recensent antecedentes: ac proinde nihil efficiunt.] hæc illi. 10

Ego vero, viri doctissimi, vt satisfaciam dubitationibus vestris, hoc vnum profiteor, bonam ipsarum partium constitutionem sanitatem esse, malam autem morbum. nomine constitutionis intelligo temperiem similarium partium, constructionem organicarum, vnionem, atq; continuitatem vtrisque communem. nec aliud desidero, vt bonæ actiones fiant, quam quod tria hæc sint bene constituta, aut in toto corpore, aut in determinata particula, (duplex enim sanitas est: vna totius, alia vero partis) vt e. g. in proposita materia, si membra genitalia & vasa spermatica fuerint secundum naturam constituta, sanitatem habere dicentur: bonasq; actiones pro natura & conditione illarũ semper efficient. Quia vero duplex est harum actio: vna generatio seminis: alia iam geniti eiaculatio, quæ fit pene rigido; propterea necessarium est, vt Dominus Horatius omnino penem erigat, & semen emittat. Adeoque necessaria est huiusmodi ratiocinatio, vt (nisi fallor) quædam nuncupari debeat demonstratio. Res perinde sese habet, atque in arboribus, aliisque vegetabilibus: quæ cum bene disposita fuerint, suo tempore flores ac fructus edere videmus; sic etiam in animalibus, vbi illorum partes bene fuerint constitutæ, efficiunt actiones proprias, cum efficiendi tempus extiterit. Atque si vobis placuerit, in singulis inductionem facere, cognoscetis, rem aliter sese habere non posse. Magna igitur contradictio est, admittendo constitutionem adesse secundum naturam: negare, ab ea non proficisci proprias operationes. 20 30

Constitutio sana quæ

Magna contradictio.

Nec magis, quæ pro secundæ rationis dissolutione dicta sunt à vobis, probabilia sunt: dum enim nos dicebamus, frigida corpora nuncupari, quæ non generant semen, vos admittentes hanc, pro parte addendum putatis, etiam frigida nuncupari, quæ venere vti non possunt, quia non erigunt. quæ responsio pluribus nominibus displicet mihi. Insto primum sic: Qui paralysim patitur, non erigit, at hic non est frigidus. Secundo, qui non habet penem. Tertio, qui maxime monstrosum. adest in his vis generatiua seminis, non frigiditas. Quarto, multi non erigunt, renum, ac lumborum vitio. Quinto, cum muliere, quam odio prosequitur, si quis coire cogatur, vtique nunquam eriget. Deinde timor, verecundia, cogitationes, mœrores multi, erectioni sunt impedimento, & in corporibus non frigidis. Tumores etiam præter naturam erectionem impediunt. Octauo, vlcera virgæ prohibent coitum. Omnes erunt ex admirabili vestra doctrina, qui sic affecti sunt, frigidi: in hunc modum omnia solent confundi, ac peruerti. Mox vero per concessionem argumentor hoc pacto: sit frigidus, qui non erigit. quomodo, quæso, viri doctissimi, demonstrastis non erigere? Demonstratum fuit vobis, primum testimonio illius, cuius intererat maxime, & cuius solius iudicium certum est, erigere, & sæpe semen emittere. Deinde vero demonstratione efficacissima. Vos nullam probabilitatem affertis in medium, excepto periculo illo mariti cum sponsa facto: de quo loquar parum postea: atq; hic iuuat dicendis addere, velle me in gratiam vestram admittere, non erigere Dominum Horatium. erit ne propterea frigidus? Ignoro, vnde vos hoc argumentum deducatis: Hyeme olea non floret: ergo non produ- 40 50

Causæ cur penis non erigatur enumeratio.

producet fructus. Horatius non erigit hodie: ergo nunquam eriget? aut antea nunquam erexit, vel de cætero erecturus non est? quam sint eiuscemodi rationes argumentandi fallaces, nemo est, qui nesciat. Patiamini, quæso, pro vestra tamen humanitate, vt ego etiam vos aliquid doceam. Cum sint causę multæ, ob quas quispiam non erigit, erant distinguendæ singulæ à vobis, vt inuenire propriam ac determinatam valeritis. Aliquas hic ex communi omnium consensu recenseo. Membrum paralysi, ac aliis nonnullis morbis obnoxium erigi non potest. neq; secundo eriget, qui vasa spermatica habebit vitiata. Tertio, idem accidit ex affectu principalium partium & consentientium. Quarta causa sumitur ex membrorum intermediorum dispositione. Quinta, ex vicinis partibus, vt vesica & ano. Sexta, ex defectu flatuosi spiritus in toto corpore. Septima, ex eiusdem inopia, vel defectu in membris genitalibus. referuntur harum quædam ad frigiditatem, quædam ad alias dispositiones, estq; hominis stupidissimi hæc non distinguere. Frigidus itaq; nuncupetur proprie Medicis, qui causas contrarias habet generationi seminis, à quibus illius ortus impeditur: siue hæ manifestæ sint, siue occultæ, vt incantamenta & maleficia.

Mirum est præterea, quod pro solutione tertiæ rationis dicunt, me non proponere immediatas causas frigiditatis: id enim esse falsissimum, breuiter ostendo. Magis immediata inueniri nequit causa, quam seminis generationis impedimentum. hanc ego in priori propositione statim notaui, cum dicebam: Frigidi nuncupantur, qui extincta virilitate causas intus continent omnino generationem seminis prohibentes.] an clariora desiderant? porro quæ sequuntur verba, errorem illorum manifestissime ostendunt. Quas doctissimus proponit Altimarus.] Hominis enim huius authoritatem libentissime recipio. nam ille primum eo in capite non agit de frigidis, sed de ignauis partibus genitalibus: non est idem corpus existere frigidum: & habere ignauas partes genitales: habent multi hasce partes ignauas, qui frigidi non sunt: vnum horum est genus: aliud species. Deinde vero, si perlustrabimus, quæ ille dicit, quam aberrauerint, apertum fiet. Verba illius hæc sunt: Excitatur autem vt plurimum, vel ex pudendorum resolutione, quæ ob frigidam aliquam intemperiem in eis exortam efficitur, vel ob seminis inopiam.] duas hisce verbis duntaxat causas recenset, ob quas ignauæ sint partes genitales, ac licet alias profiteatur existere, harum duntaxat tanquam præcipuarum meminit: vna est resolutio: alia seminis inopia. Egimus iam de resolutione. nunc de frigiditate tractamus, quæ ab illo diuersa est. Dicebamus, hanc fieri ex seminis defectu, vel ex impedimento generationis seminis. Altimarus vero dicit: ex inopia seminis. eadem igitur tum Altimari, tum Augenii, viri boni, sententia est. Eam porro vniuersalem causam immediatamque frigiditatis in quatuor particulares diuido ex vsu artis, vt docti norunt.

Cap. VIII.

Quæ circa historiam secundæ visitationis animaduertenda sunt.

ERAT tertium nostræ disputationis caput, considerare, quæ in secunda visitatione à quatuor Medicis vnanimi consensu facta sunt. circa quam duo potissimũ animaduertenda videntur mihi: Primum, cur D. Horatius nudus, cum nuda in lecto sponsa manens, coire non potuerit. Aliud, quid eos impulerit Medicos ad faciendum eiuscemodi periculum. Agamus de primo. Dum omnia diligenter considero, duas huiusce euentus causas reperio: Vna maleficium est, de quo maxime suspicandum esse, ea manifestum faciunt, quæ contra illos supra disputauimus: eoq; magis in eam opinionem confirmor, quod cum inter sponsos maxime præcesserint simultates, iusserunt illos accedere ad congressum sine sacramentis sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ (vt ego sentio) nulla ratione debebant prætermitti: maleficia, vt plurimum locum non habent aliquem, vbi Ecclesiæ adsunt Matris nostræ propugnacula. id sibi euenturum in eo congressu

bene ſuſpicabatur ille: atque idcirco licet nullum laborem ſumpſiſſet repente in maximum ſudorem prorupit. hæc vna cauſſa eſt, ſi neceſſarium dicere non vis, ſaltem probabilem dices. Prætermittamus hanc, ne videamur ob manifeſtarum inopiam, ad occultas accedere. aſſeuero igitur cauſſas adfuiſſe manifeſtiſſimas ex Medicorum decretis quam plures. Vna fuit continua meditatio eorum quæ illi contigerunt ad honorem, ac famam conducentia. Alia recordatio rixarum, & contumeliarum, quas habebat cum vxore, cum ſocru, & ſocero: Tertia, iracundia, quam tunc temporis ſocer prouocauit prolatis quibuſdam verbis erga ipſum maxime iniurioſis. Quarta fuit verecundia, & turpitudo, quæ contingere cognoſcebat circa eiuſcemodi actum. Sciebat ille ſeſe cum ſua ſponſa congreſſurum, ſed ſecreto fieri debere congreſſum arbitrabatur: non coram quatuor Medicis, notario archiepiſcopali, ac etiam obſtetrice pro foribus exiſtentibus: neque putabat, vbi cognoſceret ſeſe paratum ad congreſſum, oportere hiſce teſtibus: erectum oſtendere virile membrum. Adeo turpia ſunt hæc, & indecora, viri optimi, vt ſæpe animo perturbato aliud facere cogant hominem, quam in animo habebat. Eſt homo vt noſtis, animal morigeratum, verecundum, maxime abhorrens à ritibus beluarum. An Medici negabunt mihi ab hiſce cauſis erectionem impediri poſſe? ſi negauerint, arguet eos Auicenna, qui de hac materia ita ſcribit: EX EIS QVÆ debilitant coitum, & virtutem eius, ſunt tres meditatiuæ, ſicut horribilitas coeundi aut verecundia eius, aut coaceruatio intellectus ad cor. debilitat enim coitum, & facit deficere, & proprie cum illud aliqua hora caſu accidit: nam quoties euenit reiteratio aſſimilatur illud in mente] hæc Auicenna. Quibus etiam volo addere, quod ante congreſſum fuit dolore nephritico laceſſitus, vt ſuis literis ad Dominum Vaccium conſtat, qui eo die in lecto manens cum vrinæ difficultate reperiit. Quis in eiuſcemodi cauſſarum ſyndrome putabit erigi poſſe colem? venerem exerceri? Neque arbitrari oportet peregrinum eſſe eiuſcemodi caſum congreſſuris ad venerem. Meminerunt etiam caſus fere conſimilis antiquiores Medici, vt Aetius, & Ruffus, cuius verba in hunc modum habent: Adoleſcens enim quiſpiam nos acceſſit, & ſe vehementer coitum appetere confeſſus eſt: verum vbi commiſceretur, flatus plurimos ſibi per ſedem erumpere] hic tamen ſanitati reſtitutus fuit à Ruffo: igitur non eſt mirandum, ſi Dominus Horatius matulam petierit vrinæ difficultate preſſus, ſique pauca quædam ex aluo excrementa deiecerit. Hæc, ſi vera ſunt, nihil omnino dubitandum eſt de cauſſa huiuſce rei, ac multo magis mirandum, qualis fuerit veſtri conſilii ratio, cum præcepiſtis, vt nudo ipſo exiſtente cum nuda ſponſa erectum vobis membrum oſtenderet virile. Dicetis fortaſſis id feciſſe vos decreto ſacrorum canonum inſpectionem admittentium. At nunquam hunc admiſere caſum. Iubent inſpici in vtroque ſexu pudenda, vt oculata fide iudex fiat certior, an in illis notorium aliquod, euidensque vitium adſit, matrimonium impediens. At certe nunquam (quod ſciam) leges præceperunt, inſpiciundum virile membrum erectum. In viris notorium vitium adeſſe dicimus, ſi ambo deſint teſtes: vel ſi ambo fuerint monſtroſi, ſi non bene diſpoſiti, ac ſuo loco conſtituti, ſi amputatus ſit penis, aut deficiat illi maior pars, ſi paruus admodum natura ſit monſtroſus vt ruſtico Cingulano contigiſſe in obſeruationibus demonſtratum fuit, & alia eiuſdem generis. In mulieribus vero, ſi tunica adnata ſit in oſtio vteri, illud claudens, adeo dura, vt ab homine venerem exigente validiſſimo ſuperari non poſſit: ſed ferrum, aut ignem exigat. Inſpectiones horum cauſa fiunt, ſi de thori ſeparatione fiat controuerſia. Subterfugium quoddam afferre placet eorum quo vtuntur, vt meis ſatisfaciant rationibus. Dicunt veram cauſam, ob quam coire non potuit Dominus Horatius, extitiſſe, quod erectum penem non habuerit. Illa non eſt vera cauſa rei quæ animum audientis quietum non reddit. Scimus non potuiſſe coire, quia non erexit, contingit hoc in omni impotentia coeundi: at qui audit non quieſcit, cum verum non habeat propter quid. Adhuc enim datur locus interrogationi. propter quid ſcilicet non erexit?

atque hic etiam responsionem afferunt ancipitem: quia (inquiunt) non impletur fistularis ille meatus flatuoso spiritu. Et id verum: At nondum immediata responsio est. Oportet altius inuenire principium impedimenti huius, à qua in curando remedia dependent. Necessaria & immediata causa est mala constitutio, aut totius corporis, ac genitalium simul, aut genitalium duntaxat, aut principiorum, aut cum illis consentientium. ac ita in particulares causas postea fit dissectio: quæ vel sunt externæ, vel internæ. Externæ sunt vlcus pudendi, tumor, mala testium conformatio, fistularis viæ tortura, animi passiones, ac aliæ huius generis multæ. Intrinsecæ, paralysis, morbi, ac in vniuersum absumptio 10 seminis, & illius omnimodò corruptio. Ego igitur in casu proposito, quia noscebam internam non adesse causam, qua erectio impediri potuisset, solum ab extrinsecis caussis originem habuisse animaduerti.

Scit maleficio vel animi passionibus.

CAP. IX.

Nullam pro indaganda veritate certiorem esse viam, quam illius caussas perquirere.

RELINQVITVR, vt videamus, quid impulerit medicos ad faciendum eiusmodi periculum. Causam afferunt illi hisce verbis: cum admodum diffi- 20 cile videretur, ex sola partium veneri dicatarum inspectione, imo impossibile ferre iudicium de potentia, vel impotentia ad concubitum, ita vt rationes à caussis petitæ, nullius aut exigui momenti viderentur: tutiorem igitur & certiorem viam ingressi, ab effectis eiusdem in suas causas resoluendo ordiendum esse duximus.] Et parum postea dicebant: Quærimus enim causam, cur Dominus Horatius congredi non possit.] Deinde addunt: Nos demonstramus ab effectis hoc pacto. Non fit erectio: Ergo non confluunt spiritus.] Postremo. nos enim argumentamur: Socrates non erigit penem: Ergo coire non potest.] hæc quidem summatim ille: à quibus toto (quod dici solet prouerbio) distamus cœ- 30 lo. Nam quemadmodum inter aliarum rerum scientias nulla exactior, nulla certior inueniri potest, quam quæ deducitur à caussis: sic in proposita materia notitia à caussis petita, adeo certa est, vt nulla certior. Statuamus vasa seminaria, testes, pudendum, cor, cerebrum, iecur, partesq; intermedias ad efficientes causas referri, ex iis certissima deducetur notitia potentiæ vel impotentiæ naturalis. liceat autem mihi in hunc modum ratiocinari contra illos.

Qui ex inspectione cognoscit proximum, atq; necessariam causam actionis: hic etiam necessario cognoscit actionem ab ea causa proficiscentem. Atqui Medicus huiusmodi est. Ergo Medicus inspiciens omnes partes ad veneris vsum destinatas proximas & remotas, necessario cognoscet actionē ab illis prodeuntem. discursus videtur mihi maxime necessarius: quia, qui scit causam, 40 propter quam res est, & quoniam illius est causa, & non potest aliter sese habere; cognoscet proprium illius effectum. Temperies (ex communi omnium Medicorum consensu) est actionis causa. Ergo temperies particularium partium est causa particularis actionis earundem. Bonæ quidem actiones, bonas; malę vero malas insequuntur temperies. Iam vos ipsi statuistis, Dominum Horatium, optimam habere totius corporis temperaturam. Deinde etiam vasa seminaria, pudendum, ac testes bene constitutos esse. velitis, nolitis, hinc necessarium est concludere, bonas actiones fieri & corporis totius, & pudendorum. Prætermittamus actiones totius corporis, agamus de iis, quæ ad pudendas partes pertinent. Inuenio, tres actiones adesse: vna est generatio seminis: alia est e- 50 missio geniti: tertia erectio pudendi ex concursu flatuosi spiritus ad membrum. Primus effectus est generatio seminis, quem necessario sequitur eiaculatio: quia non fit semen, nec elaboratur in testibus ob corporis vsum, sed vt generet in alium: hinc emitti foras debuit: at non potuit emitti, nisi erecto pene flatuosus spiritus adiuuaret erectionem, ac etiam eiaculationem seminis. Penis igitur concurrit, vt instrumentum emissionis in vtero seminis: Testes vero, tanquam

Conclusio necessaria ex præmissis.

vasa seminaria ita se habent ad testes, vt meseraicæ ad iecur.

efficiens causa huius generationis: vasa seminaria, vt quæ præparant materiam, habent enim sese ad testes, vt meseraicæ ad iecur: Tertio concurrunt principes partes exhibentes ipsi semini facultates, animales, naturales, vitales. Hæc si vera sunt, nullam habet difficultatem mea demonstratio: qua conficiebam, ex bona constitutione vasorum seminarium, testium, pudendi, & omnium partium principum, ac intermediarum, necessario sequi generationem seminis, emissionem eiusdem, atq; erectionem penis.

Ex alia parte nulla magis fallax est via, quam quæ sumitur ab effectu, cuius causæ sint plures. Si enim quispiam coitu non potest vti; non propterea naturalem amisit potentiam ad coeundum: vt ignis, etiam si non vrat salamandram, tamen non amisit vrendi potestatem. Magnes etiam perunctum allio, etiam si non trahat ferrum, habet potentiam trahendi. In summa, si aliquis effectus sit, qui à multis caussis pendeat, absurdum est omnino vnam duntaxat inferre causam: quemadmodum in nostro proposito contingit. nam quod aliquis non vtatur venere, contingere potest, vel quia frigidus existat, vel quia maleficiatus, vel quia membrum virile paralysi affectum sit, vel quia amputatum, vel quia monstrosum, vel quia subuulsum, vel quia testes non habet, vel monstrosi sint, vel quia prorsus obstructæ sint viæ, vel quia diuturno morbo tenetur, vel decrepitam senectutem habet, vel iugulares venæ incisæ fuerint, vel tres principes partes frigida laborant intemperie, vel verecundatur, vel maximis animi affectibus ac perturbationibus lædatur, vel etiam aliis de causis. cum igitur tot sint causæ huius effectus, ille certe Medicus censebitur generosus, qui facta circa singulas inductione veram illius inuenerit causam.

Vsu veneris causarum impedientium diligens enumeratio.

1. cor, 2. hepar, 3. cerebrum sunt. 627 hac nota.

Qua parte dicitis, quærimus enim causam, cur Dominus Horatius coire non possit.] Quæstionem proponitis falsam, ex falso inquam supposito. Nam ponitis illum congredi non posse, quod non admittimus: imo eam proponere quæstionem non licebat vobis, quibus incognitum prorsus erat, an possit congredi. Sic erat, viri optimi, proponenda quæstio. An possit congredi: Non, cur non possit congredi. erat in vtramq; partem agitanda quæstio, atq; vbi constitisset, posse congredi, omnes controuersiæ natæ inter sponsos, omnino cessassent: sicq; contrarium constitisset, indagare causam immediatam oportuisset.

Cum dicitis: non fit erectio. &c.] quomodo, quæso, id probatis? ego sic vrgeo, vt audiuistis, quod repeto, quia ad confutationem opinionis vestræ magni refert. Dominus Horatius erigit: ergo potentiam habet erigendi. ergo ad penem spiritus flatuosus pro erectione facienda confluit. In vltima parte fallacem, & maxime captiosam argumentationem proponitis, vt ex superioribus constat. Argumentatio enim debebat fieri hoc pacto: D. Horatius nunc non erigit penem, nec de cætero poterit erigere. ergo coire non potest, nec de cætero poterit. In casu particulari argumentatio necessaria sic instituatur.

Dominus Horatius in lecto manens cum sponsa, quam antea alapa percussit, qua cum tunc litigabat de thori separatione, odioq; prosequebatur, simultatem habens cum socero & socru, atq; ex quatuor Medicorum decreto pollicitus demonstrare illis, anteaquam coiret, membrum erectum, eo tamen die erigere penem non potuit: ergo eo die non potuit coire. Necessaria proculdubio argumentatio est. Ex qua non concluditur, quin cras e.g. aut hinc ad mensem non possit: Aberrabitq; toto cœlo quispiam, si de cætero concludet, coire non posse. sed satis de hoc argumento.

Pulchra Conclusio Ironicè collecta. quæ tamen summam necessario considerandam bellè complectitur.

CAP. X.

Quanti fieri debeat obstetricum iudicium, & dictorum epilogus.

CIRCA obstetricum iudicium, de quibus postremo loco agendum erat, breuiter dico, nullum certum signum virginitatis afferri ab illis posse. Etenim libro huic tractationi seorsum dicato, fuit à nobis demonstratum, virgines eam non habere cartilaginem siue membranulam, quam Græci ὑμήν vocant, Latini claustrum,

qui liber primus est huius tomi secundi.

claustrum, siue interseptum virginale. propterea obstetrices maxime decipi ex inspectione duntaxat putantes, certum de virginitate iudicium præberi posse. Ego certe nullam adhibeo fidem obstetricibus nostri temporis rudibus omnino fœminis, ac rei medicæ ignaris, nihil aliud scientes, quam vmbilicum præscindere, & nascentem gremio recipere. At doctæ admodum erant antiquiores, vt ex Platonis & Galeni monumentis explicatum à nobis diligenter fuit. Concludo igitur, Dominum Horatium naturalem habere potentiam ad coitum: nihilq; valere quatuor Medicorum decretum. Hæc pro veritatis tutela dixisse volui ad laudem sanctissimæ Trinitatis, quæ meas actiones semper diri- 10 gat ad æternam gloriam. Taurini, 2. Iulii. 1588.

nostri aevi obstetrices qua aestimatione sint habendae.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER VNDECIMVS.

20

De fistuloso vlcere in ano, non solum penetrante in cauitatem intestini, sed etiam varios cunicolos habente in spina dorsi, cum luis venereæ complicatione in habitu corporis sicco atq; denso; Responsum.

AD MEDICOS VERCELLENSES.



FISTVLAM hanc sanare neq; debemus, neq; possumus. non quidem debemus, quia cum tot annorum spacio natura per 30 eam, tanquam per cloacam purgare solita sit corporis vniuersi excrementa, maximum periculum minabitur, si hanc viam aliquando impedire voluerimus. Generabuntur illa continuo, at si per assuetam non vacuarentur, vel insolitam, ac certe deteriorem parabunt sibi, vel ad ea reuertentur principia, à quibus fluxerunt: quod si contingat, exitiale malum sequeretur. Adde, quod cum patiatur luem veneream, facilior erit curatio, & maxime accommodata, si fistulosi conseruabuntur meatus aperti, per quos iecur virulentiam perniciosissimæ huiusce luis expurgare possit. Sed, etiam si deberet sanari, non tamen posset, nisi meum me fallit iudicium. Quod enim remedium excogitabitur ad fi- 40 stulam ani antiquissimam, quæ scilicet annis perdurauerit sexdecim, quæve non solum in ipsa intestina penetrat, ac in illis callum pro fistularum more contraxit, sed etiam alte ascendens regionem ipsorum fere peruadit renum? Quidnam igitur in horum morborum complicatione agendum? causæ fouentes eiusmodi vlcus tollendæ sunt è medio: mox vlcus, quoad eius fieri potest, detergendum, dolorque mitigandus est, ne scilicet de cætero sumat maius incrementum. Causæ porro duorum sunt generum: aliæ naturales, aliæ vero præter naturam. Corpus enim natura melancholicum habet ægrotus: quod quotidie malorum succorum generare copiam apparet, à quibus tum augeri, tum foueri fistulam certo certius est. At lues illa venerea adeo magnum facere incremen- 50 tum potest, vt fortassis aliunde maius imminere non possit. Ergo impuritas corporis emendetur, lues venerea sanetur, quod vbi præstiterimus, facilem habebimus viam ad sinuosi huius vlceris mitificationem. Hos ego mihi in curando scopos proponerem: Quorum medicinalis materia, quæ continetur pro antiquorum Medicorum consuetudine, in chirurgia, pharmacia, & dietetica medicinæ parte seorsum ac sigillatim tractanda.

Vena incidenda est interior sinistri cubiti lato foramine ineunte vere, atque repetitis vicibus duobus successiuis diebus ad vnc. vi. pro vice. sic enim sanguis melancholicus, à quo maxime fouentur propositi affectus citra virium iacturam vacuabitur. Venas hæmorrhoidales, aperire non placet mihi, quod partes inferiores satis superq; imbecillæ à natura, & à morbo, redderentur ex hac vacuatione longe debiliores.

Expurgentur communes viæ, ex vnciis quatuor syrupi de sena solutiui, & vnc. s. electuarii lenitiui ex aqua lupulorum. deinde vero parabitur humor ex apozemate & syrupis accommodatis. vt Rec. florum cordialium an. p. s. mellissæ, boraginis, buglossæ, cetrach, cichorii, an. m. i. quatuor sem. frig. mai. an. drach. i. decoquantur ad tertias, & in iuris decocti & colo transfusi vnc. v. dissolue syr. de melissa (vel de pomis compositi) de lupulis an. vnc. i. misceantur pro syrupo, continuando donec signa coctionis appareant: ac tum postea rursus expurgetur vel decoctione, ex mirabolanis Montani, vel de epythymo Mesue, vel hoc, quod habet. syrupi rosati solu. vnc. iiii. reub. electi drac. i. s. agarici troc. scrup. ii. disoluantur ex decocto communi florum ac fructuum q. s. Dum sumet syrupos capiat ante cibum horis duabus conseruæ boraginis, & violarum an. drach. iii. & singulis diebus saltem ante prandium continuabit.

In hunc modum corpore diligenter purgato capiat postea decoctum radicis chinarum, quod hac ratione parari debet. Rec. radicis chinarum in talleolas minutissimas incisæ vnc. ii. ligni indici optime præparati vnc. i. s. macerentur horis 24. in aquæ fontanæ feruentis lib. 12. cooperto vase ne euaporet, mox coquantur lento igne sine fumo ac puluere ad consumptionem medietatis, & facta colatura, sumat decoctionis huius lib. vnam, hora matutina ante cibum quinta; postea hora vespertina ante cœnam tertia, procurabitq; sudorem manendo in lecto bene pannis munitus horis duabus: postea vero sudore deterso ambulet in domo, & vbi voluerit modo tamē pluuiosum tempus non sit, aut nebulosum, aut ventosum. Quod vero relinquetur decoctionis chinarum radicis, sit illi pro potu loco vini, dum chinam sumet: de quo decocto bibat ad libitum, at si non sufficiet, paretur noua decoctio in eadem china iam semel decocta, imo poterit etiam tertio, ac quarto decoqui potissimum in clysterum administratione, vt infra explanabo. Singulo quoque die fieri debet decoctum: nam diutius conseruatum acescet: ideo quo die coquitur radix, eo ipso eadem seruata quantitate, & modo coquendi nouam facere macerationem debemus. Terminus sumendi hoc decoctum sint dies quindecim, aut quod summū, sint decem & octo.

In proposito casu non vterer decocto solius ligni guaiaci, quia vererer ne ob insignem caliditatem gracile hoc corpus ad tabem deduceretur, ad quam alioquin ob continuam vacuationem ex fistuloso vlcere proficiscentem, & ob natiuam corporis gracilitatem maxime procliue est. Nec propter easdem caussas miscerem salsam pariliam, ac etiam, quia hæc ventriculum solet non mediocriter labefactare. At china præterquam quod totius substantiæ proprietate vim habet luem veneream curandi, in gracili corporis habitu supra omnium medicamentorum conditionem prodest, quia neque multum calefacit, neq; corpus extenuat, imo potius impinguare adeo solet, vt tabidis magno successu exhiberi iam compertum sit. Hic ego simul cum china misceo ligni tantillum, vt in prouocando sudore vim chinæ exacuam, præsertim in hoc vere, cuius inchoantis constitutio frigida est: non certe miscerem illius multum, tum quia non videntur inuicem sese compati, vt in tractatione de china disserui, tum nimis excalefaceret.

Quo tempore sumit decoctum chinæ, abstineat, vt supra dixi, à vino. idem potabit decoctum. alimentis extenuantibus vtatur, vt biscocto pane ad vnc. iiii. pro vice simul cum medietate pulli parui assati, aut vnum edat turdum, aut vnc. iii. carnis assatæ vitulinæ; pro cœna vero sumat solum vnc. iii. passularum corinthiacarum simul cum pane biscocto, aut amygdalarum decorticatarum tantundem.

tandem. Tertio quoq; die vtatur clysteriis ex solo decocto chinæ paratis, additis vnciis duabus zuchari rubei, & mellis rosacei vncia. Caueat, ne oleum suis immisceat clysteriis, nam illud vlcus adeo sordidum redderet, & fortassis conditionis multo deterioris, vt fuisse vsum pœniteret: idq; perpetuum sit illi mandatum, quocunq; tempore nouerit indigere clysteriis. Sed de iis loquemur infra.

Quod vero ad ipsum vlcus pertinet, scio, non mediocrem vtilitatem consecuturum, si in fistula per catheterem iniiceretur, quotidie aliquodpiam pharmacum detergens, & mediocriter exiccans, ac etiam aliquando, quod simul dolorem mitiget. Materia horum remediorum erit aliqua medicata Lucensis salsa, quæ iniicienda per fistulam est ad vncias quatuor pro vice, aut quod summũ, ad libram semis. Deterget minus hordeacea, hanc superat ptisana & mulsa. Aliquando lac ipsum asininum proderit, vel si huius copia non sit, caprinum. Vbi multæ sordes apparuerint, nihil excellentius aqua medicata, huic succedet serum lactis, addito melle rosaceo. nollem vltra progredi exiccando, ac detergendo, ne magno ægroti damno fistulam adstringeremus. Pro dolore mitigando, qui fere continuo lumbos exercet, extrinsecus quidem, lenirem totam spinam dorsi ex oleo de vitellis ouorum, & de lumbricis permixta quarta parte vnguenti rosacei. Fouerem etiam ex vesicula plena ex oleo chamæmelino: vel fotum fieri curarem ex decoctione florum camomillæ, altheæ, maluarum, & absinthio in aqua, ac tandem insessionem pararem in superiori decocto addendo, tapsi barbati flores, ac folia, stæchas, amaracum, & iua. Hanc insessionem efficiat hora matutina ante prandium horis duabus post vniuersalem purgationem, atq; decoctionis radicis chinarum vsum.

Cæterum quod attinet ad rationem victus, hanc ille obseruet perpetuo, nisi cum chinæ decoctũ potabit (iam enim huius respectu victum accommodatum descripsimus) ac primum ab aere nocturno, humido, & caliginoso cauebit. Somno nunquam vtatur diurno, atq; si huic fuerit assuetus, paulatim dissuescat, nocturnus tamen sit diuturnior horarum septem. Nunquam lectum petat, nisi horis duabus cum dimidia, aut tribus à cœna, quo spacio leuiter ambulabit. Magis illi conuenit stare quam sedere, ac sedens conetur mollem habere sessionem. Exerceatur singulis diebus ante cibum horis plus minus duabus, nec sit exercitatio nimis laboriosa: post exercitationem non statim cibetur, sed quod minimum est, hora quiescat dimidia. Caueat etiam atque etiam, ne à cibo exerceatur; nam vt leuissima ambulatio post cœnam iuuabit, sic motus post prandium laboriosus maxime nocebit. In cibo, potuque has potissimum regulas obseruabit: Primum, quoad eius fieri potest, mensam vnicam diligat: nihil enim æque obesse potest, quam ciborum multa vti varietate. sit principium cibationum aliquod alimentum, quod vim habeat, vel succedendi aluum, vti sunt passulæ, pruna, cocta ex zucharo, lactis vsus, iuscula optimæ carnis, fercula ex oleribus emollientibus, atque eius generis alia, de quibus meminero parum infra. Carnibus vtatur optimi succi, præsertim auium nemoralium, vti sunt turdi, merulæ, atagenæ, ficedulæ; laudo etiam carnem veruecinam, ac vitulinam, & hœdinam. Elixis magis quam assatis iuuabitur ob magnam adstrictionem alui, ac etiam, quia admodum siccum aridumque totius corporis temperamentum humidis corrigendum est, & humores melancholici mitificandi sunt. Aromata, caseus vetus, acria in vniuersum omnia euitabit. Non tamen acetum negauerim illi ratione condimenti maxime addito zucharo, aut melle, aut passulis. legumina omnia inutilia, excepto iure cicerum rubeorum. Alimenta, quæ cum difficultate concoquuntur, omnia sunt inutilia. vtatur borragine, buglossa, beta, atriplice, cum butyro ac oleo. Pisces vt plurimum inutiles, præsertim lacustres & paludosi, vt anguillæ, ac tenchæ, trutta potissimum fluuiatilis commendatur, & temerus, ac omnes maritimi saxatiles: nunquam vtatur alimentis frictis in sartagine. Est autem vtilissimum præceptum, quodcunque gustabit, alimentis nunquam satiari. Post cibum semper aliquid graue sumat comprimensque, vt panis crustam, aut biscocti portionem, aut coriandros præparatos,

aut cidonia condita; nec postea bibat. Porro quod attinet ad potum, nunquam interdiu bibat. Abstineat ab aqua. Non bibat eundi dormitum. sit potus proportionatus cibo: nam qui nimius est, crudum alimentum distribuit per vniuersum corpus, qui paucus, alimentum difficilis coctionis reddit. sit vinum aut album, non fumosum, non dulce, pro potu, aut nigrum bene maturarum, nec generosum, nec dulce. Inter omnia præcepta ad victus rationē pertinentia vtiq; nullum est, mea sententia salubrius, quam aluum habere humidam. quando igitur ex hoc victu nihil adhuc consequatur vtilitatis, vtique vtilissimum erit ante prandium ac cœnam sumere drach. semis pilularum ex aloes succocitrinæ non lotæ, nam si continuabit vtique non dubitauerim, quin aluus humectetur. est enim hoc pharmacum stercorarium, quod etiam putredini resistit, & vlceri non parum prodesse poterit. sit igitur illi familiare medicamentum, quod fere nunquam intermittat. Verum, si aluus adeo etiam esset adstricta, vt neq; victu humectante, neque aloe lubrica reddi posset, tunc subueniendum est clysteriis, & nostro syrupo leniente. In vsu clysteriorum abstinendum semper ab oleo cuiuscunq; generis, & aliquando à sale; ab oleo quidem, quod vlcus reddat sordidissimum; à sale quod exedat, & aliquando affectam particulam nimis excalefaciat: maxime, si pharmacopola fuerit negligens in conterendo, ac dissoluendo sale, haud tamen negauerim aliquando vtilem esse vsum salis, quando scilicet roborare particulam, & detergere animo fuerit, tunc vel ex salsa Lucensi parandi sunt, vel modicum salis optime in decocto liquandum est. Aliud etiam circa clysteres animaduertendum, vtilissimos esse ex ptisana, ac adhuc vtiliores ex mulsa diluta: quæ si pręparetur ex aqua chalybeata, melior erit: subducet quidem vt mulsa, at vero ratione chalybis roborabit particulam. Nec prætermitti debent facti ex sola aqua lactis, additis vnc. iii. mellis rosacei & duabus zuchari. Abhorreo in hoc casu plurimum decoctum commune, emolliendo enim vlcus non mediocriter augeret, vtputa quod postulat exiccantia, & detergentia. Syrupus meus quo singulis decem diebus vti citra incommodum potest, in hunc modum parabitur. Rec. radicum enulæ campanæ, altheæ polipodii, seminum cartami contusorum an. vnc. i. boraginis, mellissæ, buglossæ, violarum, mercurialis an. man. i. seminum bambacis, maluæ, altheæ an. drach. iii. capillorum veneris, politrici an. m. s. fiat decoctio ad vncias quidecim, in qua infunde foliorum senæ mundatorum, agarici trociscati an. vnc. iii. zinziberis albi drac. i. radicum polipodii quercini vnc. s. fiat leuis omnium ebullitio, & facta expressione addito zuchari fini vnc. xv. fiat secundum artem syrupus: de quo sumat vnc. ii. s. vel iii. cum iure pullæ decoctionis passularum, & liquiritiæ. Hæc habui, quę circa propositum casum scriberem, quæve sigillatim iudicanda & censuranda propono ab excellentissimis Medicis Vercellensibus, præsertim à sene admodum Venerando M. Antonio Cusano Medico hac nostra ætate præstantissimo. Faxit Deus Optimus Maximus, vt proposita à nobis auxilia sint ægroto sanitatem allatura, vt speramus.

MEDICIS CANAPICIIS.

De quadam specie melancholiæ per consensum, quam veteres aut ignorarunt, aut non aperte explicarunt: pro puero annorum 16. Responsum.

AFFECTVS, quem mihi proposuistis, est species cuiusdam desipientiæ, quam fortassis ignorarunt veteres, aut certe non admodum aperte explicarunt. Receptissimum est, comitialis morbi speciem vnam per consensum esse, quæ fiat ab aura maligna ab imis pedibus ad cerebrum ascendente, cuius causa ægrotus corruat conuulsus. at consimilem differentiam in melancholia morbo admisisse veteres nondum mihi constat. Scio tres existere illius species, vnam per essentiam laborante cerebro: duas per consensum: vna à toto corpore, aliam ab hypochondriis. At vero melancholiam fieri ex aura frigida, & malæ qualitatis ascedente ab vtroque crure ad cerebrum, hactenus à nemine, quod sciam

ſciam fuit explicatum. Caſus ſic habet. Puer annorum ſexdecim ex quibuſdam interuallis ſingulo quoque anno fere circa lunæ coitum ſentit moueri ex palma vtriuſque pedis frigidiſſimum flatum, hunc q; aſcendentem percipit vſq; ad cerebrum: atque ſtatim delirus euadit, neque parentes, neq; affines cognoſcens, blaſpemat, obloquitur incompoſite, ſemper mouetur, nunquam dormit, ac domi contineri non poteſt. ſurdus pręterea fit, oculi redduntur concaui, aſpectus terribilis ac ferus. diebus ſex, aut octo in hoc ſtatu manens, ſponte liberatur, nulla præcedente vacuatione ſenſibili, aut per aures, aut nares, aut palatum. tunc que reſtituitur puero memoria, iudicium, ratio, perinde atque ſi nullum antea perpeſſum fuiſſet morbum. Rem ita ſeſe habere obſeruaui præteritis diebus: nam veſtris litteris nouitatem caſus cognoſcens, vt certior fierem, iuſſi puerum accedere Taurinum.

Hæc igitur, viri doctiſſimi, conſiderans, videor mihi certus, hunc affectum reponendum inter melancholiæ ſpecies. Eſt enim melancholia delirium ſine febre: quod, ſi cum furore ægrotum exerceat, vtiq; mania eſt, ſi citra furorem ſolam appellabimus melancholiam. Hic nullus furor adeſt. Verum quia delirium perpetuum non eſt, idcirco non fit cerebro per eſſentiam læſo, ſed per conſenſum ab inferioribus partibus. Eſt porro certiſſimum, neque à toto corpore proficiſci, neque ab hypochondriis. non à toto corpore, quia optimo ſanguine abundat: non ab hypochondriis, quia neque flatibus abundat, neq; coctio difficilis eſt, neque, vt ſummatim dicam, alia adſunt ſigna hunc affectum concomitantia: ac nemo ambigere poteſt, quin ſit origo mali in vtroq; crure, præſertim in dextro, ex quo maiori impetu malam aſcendere qualitatem percipit. Nondum animaduerti ab aliquo id fuiſſe ſcriptum: tamen maxime conſonum rationi eſt, talem concitari poſſe affectum. Scripſit en m Hippocrates, Melancholicos fieri epilepticos. & epilepticos melancholicos pro vario ſitu humoris. nam ſi melancholicum excrementum ex cerebri corpore ad ventriculos irrepat, fiet epilepſia ex melancholia: ſi vero ex ventriculis moueatur ad cerebri ſubſtantiam quam ille mentem vocat, epilepſia fiet melancholia. Iam vero malignus ille vapor ſurſum aſcendens ex pedibus non ingreditur cerebri ventriculos, ſed mentem obtenebrans melancholiam efficit.

Cum igitur ita ſentiam de natura affectus huius, curandi rationem non quidem aliam inſtituerem, quam purgando prius humorē melancholicum anteaquam acceſſio inuadat, ex ſyrupo de ſena, epithymo, polipodio confectionem hamech, atq; ſyrupo ex helleboro, cuius compoſitionem noſtis. Verum hęc propria non eſt curatio: at potius præſeruatio: non enim expurgato melancholico humore, maligna & pernicioſa qualitas tantum faciet incommodi. Propria curatio conſiſtit in ſcarificationibus crurum, veſicatoriis, & cauteriis. Anteaquam inuadat acceſſio, ſcarificanda ſunt crura ſcarificationibus profundioribus: verum quia expedit apertas illas quidem conſeruare ſcarificationes, vellem, vt in vtroque crure emplaſtrum imponeretis ex cantharidibus, euphorbio, aceto, & fermento, factaſque veſicas rumperetis, & ex aſſungia, aut butyro, à foliis braſſicæ apertas conſeruaretis diu. Ac, vt maior fieret prouidentia, infra vtrunque genu digitis quatuor cauterium faciatis, exhortor. ſic putauerim malam auram diſſipari poſſe, tum ex locis ſcarificatis, ex apertis veſicis, tum etiam ex cauteriis. Verum his rite peractis, ſi adhuc mali fomitem ſeruari in cruribus noueritis, expediet, cum primum, puerum iam incipientem conqueri noueritis, ligare vtraque crura vinculis non admodum ſtrictis, ſed faſciis paruis, ad inhibendum aſcenſum ad cerebrum malæ huiuſce qualitatis. ſtricta vincula non poſſent diu contineri citra damnum affectæ partis. Quæ vero ad victus rationem pertinent, omitto volens, cum nullam prorſus in hac re difficultatem habeat. Interim non obliuiſcamini promiſſionis, expecto angelicam, thoram valerianam, aliaſq; peregrinas plantas. Famulus meus hebdomoda ſequenti ad vos veniet. hunc plantis onuſtum remittatis mihi, etiam, atque etiam rogo. Valete mei memores. Taurini 8. Mai 1583.

PHAVORINO CLAVARIO FABRIANENSI, Palęstinorum Medico præstantissimo.

Humores artificiali purgatione educi duntaxat alienos: non familiares ac intimos, nisi ex accidenti. Per venas, & ex venis solis eductionem hanc fieri. Naturam, pharmacum, & humores, vt efficientes causas concurrere. Huius tamen operis primarium opificem esse pharmacum. Quomodo pharmacum humores expurget ex sententia Asclepiadis, Erasistrati, & Galeni. Aristotelem à Medicorum placitis, aut nihil, aut parum dissentire.

NVNC respondeo binis tuis, cum antea ob aduersam Illustrissimorum Bozzuti & Rosarii valetudinem non potuerim. Accedo ad primas: Humores familiares, intimiq; naturæ nunquam educuntur purgatione artificiali, nisi ex accidenti: id enim per se duntaxat humoribus alienis conuenit. Familiares & intimos voco sanguinem, & illius partes: quæ ob similitudinem cum humoribus excrementitiis illorum nomine appellantur. frequens apud Galenum mentio fit, idem esse sanguinem, atq; omnes humores: ac rursus sanguinem constare ex bile, & pituita, & ex melancholia: esset longe melior loquendi ratio, si diceremus, totam sanguineam massam habere quatuor partes, acriorem, crudiorem, terrestrem, ac temperatam. Vna dicitur sanguis biliosus. Alia, pituitosus. Tertia, melancholicus. Quarta, maxime temperatus. Hæ partes omnes conueniunt in vna sanguinis natura: cum sint præditæ fibris, quarum causa extra venas existentes coeunt, in grummosq; vertuntur. omnes rubeo colore, magis tamen ac minus perfusæ sunt. Omnes in verum alimentum mutantur, ex quo fit nutritio, augmentatio, generatio. Res haud habere, dissimiliter videtur mihi quam in vino & lacte: est enim vtrumque ex pluribus substantiis compositum: illud ex crassiori, quam fecem vocamus, ex tenuiori, quam florem, & hæ conspicuæ sunt. crudior non ita semper conspicua pars est, postrema vinum absolute dicitur. Hoc vero constat ex sero, butyro, & caseosa substantia. Velim hæc supponi, vtputa declarata libro de humoribus. Porro sanguis intimus est, & familiaris humor naturæ: quia, vt proxime dixi, ex hoc fit verum alimentum, cuius beneficio singulæ partes nutriuntur, augentur, generantur. Ex illo nutriuntur omni tempore, donec animal præ siccitate marcescat. Augentur stato tempore, ex quantitate alimenti, quo non indigent pro nutrimento partes. Alimentum enim, vt substantia nutrit, vt quantum auget. Transacto incrementi tempore, magna pars alimenti excedentis. veluti quoddam excrementum à natura transmutatur in semen pro generatione efficienda. Aristoteles nuncupauit excrementum, quia superest, & corpus eo non indiget, nec pro alimento nutriente, nec quantitate augente. Sed non est simpliciter excrementũ, sed vtile ac maxime necessarium ratione generationis efficiendæ in alio. Huic igitur humori familiari non debetur purgatio: propterea nullum est pharmacum, sanguinem vacuans proprietate substantiæ, quicquid Galenus scripserit libro de facult. medic. purg. cap. 4. Vel, si statuamus inueniri, certe vsurpari nunquam debet: quandoquidem præstat sanguinem, tanquam thesaurum in corpore conseruari. Purgatio igitur proprie debetur humori à natura alieno. Est alienus à natura, qui nutrire non potest, non augere, non materiam pro generatione accommodatam suppeditare. Huius naturæ est humor excrementitius, siue naturalis, qui ob vsus multos à natura generatur, siue præternaturalis, vt putridus, vel alia qualitate affectus. vtriq; debetur purgatio: illi, cum quantitate adeo increuerit, vt sanguini mixtus lædat, nequeatque mitioribus remediis vacuari: Huic autem tum ratione qualitatis malæ & vitiosæ, quam Græci vocant κακοχυμίαν, & κακοήθειαν, tum ratione quantitatis. Atque hoc certe proprie dicitur, Phauorine charissime, purgare, id est, sanguinem ipsum purum reddere ab excrementis illius naturam coinquinantibus. Quemadmodum aurum purgatur, quando ab aliis metallis cum eo permixtis, id ipsum segregamus: atq; agricolæ triti-

triticum purgant, separando ab auena, ab hordeo, à lolio, ac aliis eius naturam conspurcantibus. sic profectò dum medicamentis purgantibus vtimur, excrementitiosq; humores vacuamus ex venis, sanguinem purgamus, id est, purum reddimus & sincerum, restituendo ipsum suæ naturæ. Est igitur necessaria purgatio, cum humores excrementitii sanguineam coinquinant massam. Quam rem, cum aliquando Galenus animaduerteret, 4. de sanit. tuenda scripsit. Non conuenire sanguinis vacuationem, cum humores ab illius natura sunt distantes, & quanto magis distauerint, eo minus conuenire. Declaraui ego aliàs, humores à sanguine differre tribus modis, nempe generatione, putredine, & mixtione. porro cui non conuenit venæ sectio, necessariaq; vacuatio est, cum alio non possit remedio sanari, purganti indiget pharmaco. Sunt autem quatuor huius genera, prout quatuor sunt humores purgandi: bilis, pituita, melancholia, serum. Hinc pharmacum aliud est colagogum, quod bilem: Aliud melanogogum, quod melancholiam: Aliud phlegmagogum, quod pituitam: aliud postremo, quod aquam educit, hydragogum appellatum. Dictum est hactenus, qui humores pharmaco expurgentur. Nunc ad secundam accedo quæstionem.

Per eandem transmittitur viam pharmacum expurgans, per quam ex ventriculo chylus, & ex hepate sanguis. Constat enim illud per mesenterium penetrare ad iecinoris portas: atque ex ipso iecinore per venas sanguinem ad totum corpus mitti. sic pharmacum primum, atque fuerit actuatum ex ventriculo per mesenterium ad iecur, mox ex iecinore ad venas peruenit, ab his ad alias minores, à minoribus ad minimas, donec ventum sit ad humorem purgandum. Sed attractio facta à pharmaco, in hoc potissimum differt ab attractione, quam faciunt partes. quod pharmacum non semper attrahit humores à toto corpore, sed tunc duntaxat, cum in toto expurgandi humores adfuerint: at vero si in via humorem excrementitium inuenerit, eam ducit. Partes nutriendæ omnes alimentum attrahunt, quia omnes nutritione & incremento indigent. Secundo differunt, quod attractio chyli ab ipsis fit membris, at humorum attractio non fit à membris, sed à pharmaco. membra enim expellunt excrementitios humores, vt posthac explicabo. Quamobrem expurgandi humores ex venis deducuntur, & per venas extra corpus feruntur: vt Auicenna scribit 4. sectio. 1. lib. quod etiam Galenus manifestum fecit libello de facult. medic. purg. cap. 4. & 5. cum inquit: Nam quæ purgant, purgantia passim idcirco nuncupantur, quod sanguinem ab antedictis humoribus purum constituant.] Hic autem duo facere dubitationem videntur: Primum, Aristotelis verba lib. 1. proble. 42. in quo dicit: expurgationem fieri per cœcos quosdam ductus: quæ ita habent. Vbi enim per abdita foramina illinc ascenderunt, atque materiam agitarunt, eodem tramite, secum quæ corripuerint, excrementa, colliquamentaque deducunt.] Hæc ille. Deinde, multæ sunt vacuationes factæ medicamentis, non transeuntibus priores venas: Adde Auicennæ verba in 4. primi cap. 4. quibus idem confirmat, nam ait: Maior quoque humorum purgatio fit à venis ipsis, nisi membrum fuerit valde vicinum: tunc enim ex eo, & in venas & non venas humor trahitur: vt in humoribus, qui in pulmonibus sunt, fieri solet: hi enim per viciniorem viam trahuntur in ventriculum & intestina, licet non permeent per venas.] hactenus Auicenna. Ex quibus patet, non fieri attractionem per solas venas, ac humores non educi ex solis venis. Sed soluuntur facile difficultates. Nam quod pertinet ad primum, non est institutus hic sermo de medicamentis lenientibus, sed solum de attrahentibus, quæ suo munere non funguntur, nisi virtutem ad venas calor influens post illorum actuationem, mittat: nisi tamen contingat, humorem alienum à natura contineri extra venas, viciniori busq; partibus, nunc attractio fit ex loco, in quo humor continetur: vt plurimum tamen ex venis eiuscemodi attractionem fieri videtur mihi certissimum. Quod vero pertinet ad Aristotelis verba, non est negandum, vacuationes aliquando fieri posse per alias vias, quam per venas, præsertim si pars expurganda canales habuerit, & emissarios, per quos sua excrementa purgari soleat, vti sunt pulmones ac renes.

Verum quia hoc nō semper contingit, idcirco denominatione facta ab eo, quod accidit, vt in pluribus, dicebam hanc vacuationem fieri ex solis venis. Auicenna hoc animaduertens in fine cap. 4. dicebat: Maior quoq; humorum purgatio fit à venis ipsis] quæ verba limitant, quæ supra dixerat, nempe fieri purgationes ex solis venis. & certe merito statuēdum est ex solis venis fieri, si respiciamus præcipuum purgationis institutum. Etenim alius non fuit, quam sanguinem ipsum purum reddere ab omnibus excrementis illius substantiam coinquinantibus; quoniam vero hæc in venis consistunt, alioquin non coinquinarent ipsum, vt recte ex Galeno colligebam libello superius citato, propterea fit hanc segregationem ex solis venis fieri debere. iam igitur patet sibi ipsi non contradicere Auicennam, patet etiam modus, quomodo humores expurgandi attrahuntur ex venis, ac etiam per venas expelluntur.

Porro hanc ipsam purgationem tria sunt, quæ efficiunt. Pharmacum scilicet, facultas expultrix, & humor expurgandus. Pharmacum vna est ex caussis primariis duplici ratione: tum quia vapores à pharmaco elati, ac etiam corpulentæ illius substantiæ aliquando nonnihil è ventriculo in venis mittuntur, ex quibus natura stimulatur ad expellendum, ac etiam simul humores ab eorundem acrimonia attenuantur, meatusq; magis aperiuntur, tum quoniam simul cum eiuscemodi vaporibus, ac substantia transmittitur in totum corpus facultas attractiua ab influente calore actuante medicamentum. Hæc facultas aliquando est simplex: aliquando non simplex. voco simplicem, quæ vnū humorem attrahit duntaxat; non simplicem, quæ duos, aut tres. erit simplex: exempli gratia, in diagridio, à qua vacuatio fit solius bilis: non simplex in reubarbaro, in agarico, in diacatholico: nam illa vacuant pituitam cum bile: hoc autem attrahit omnia excrementa. Sed quo hæc fiant illustriora, sciri velim, species attractionis esse tres: quarum vna est, cum attrahens rem attractam mouet, atque ipsum etiam vna mouetur. Quemadmodum si decem homines nauim traherent, mouetur quidem nauis, sed simul etiam mouerentur homines. Alia est species attractionis admodum æquiuoce dicta: qua dicere solemus, rem vnam attrahere aliam: non quod impellat ad sese illam, neque quod qualitatem, aut virtutem aliquam communicent, cuius causa res ipsa moueatur. Hoc modo dicere solemus finem ipsum, cum sit perfectio eius, cuius est finis, attractionis esse causam impellentem, agens ad ipsius consecutionem. sic ab eo quod bonū est, noster trahitur appetitus: sic locus ad se locatum trahit: sic trahit sua vnumquemque voluntas. Tertia species attractionis est, qua res attracta mouetur duntaxat, attrahens autem non mouetur, solum transmittens virtutem ad rem attractam, cuius ratione mouetur ad ipsum attrahens.. Hoc modo partes corporis trahunt ad sese alimenta, magnes ferrum, succinum palleas, & festucas. quod autem aliqua virtus ex trahente mittatur ad rem attractam, manifestum facit experientia. si enim magnetem vngas allio, attrahere ferrum non poterit, amittens pro tempore facultatem attrahendi: Ambra non attrahit palleas, nisi antea calefiat: quemadmodum declarauit Auerroes septimo physicæ auscult. commentario decimosexto, in aurea digressione de attractatione. Prima vocatur attractio violentia: Secunda æquiuoca. Tertia proprie est, atque dicitur attractio. Quæri solet hoc loco, qua attractione pharmacum humorem expurgandum attrahat. Respondeo breuiter, quod stante veritate eorum, quæ alibi demonstrata sunt à nobis, pharmaco purganti conuenit species attractionis proprie dicta. Omnium enim iudicio conuenire non potest metaphorica attractio, qua neutrum mouetur: neque conuenit illi attractio violenta, quia pharmacum ipsum secundum corpulentam substantiam nō mouetur ad humorem purgandum, vt per se efficiat purgationem: sufficit enim solum transmitti virtutem, vt exemplo magnetis attrahentis ferrum, & membri attrahentis alimenta demonstratum fuit.

Secūda causa expurgationis est facultas expultrix: quæ nisi ad hoc opus concurreret, nulla fieret purgatio. Pharmacum indiget primum auxilio naturalis

ralis caloris, vt suo munere perfungi possit, à quo è potentia deducitur in actum. Secundo indiget facultate expultrice. nam licet pharmacum attrahat ad sese familiaritate substantiæ humorem alienum à natura, atque hac ratione sanguinem ipsum reddiderit sincerum, ac purum: tamen nisi facultas expultrix insurgat ad expellendum extra corpus humorem, & medicamentum etiam ipsum, nulla sequetur euacuatio. Quoniam vero facultas expultrix in omnibus partibus naturaliter consistit, quæritur hoc, an omnium concurrat expultrix, an quarundam duntaxat partium. statuamus dilucidiores doctrinę gratia, expultricem adesse in iis partibus, ex quibus humores expurgandi deducuntur: atque etiam in iis, ad quos humores attrahuntur. locus à quo sunt venę, aut totum corpus: locus ad quem est ventriculus, & intestina. in singulis locis adest expultrix facultas: inquirendum igitur venit, quarum partium expultrix concurrat. an venarum, & totius: an solius ventriculi, & intestinorum: an omnium simul concursus fiat. Respondeo aliquando vacuationem fieri ex concursu facultatis expulsiuę venosi generis, ac totius corporis. Semper tamen esse necessariam facultatem intestinorum, & ventriculi. nunquam enim obseruatum est, factam fuisse expurgationem à medicamento purgante sine harum partium expultrice: at vero non ita sentiendum est de facultate venosi generis. Quomodo vtrunq; contingat breuiter exponamus. Si materia maturata, & deuicta à calore naturali, sit ex venis purganda, satis probabile est excretricem venarum, ac totius corporis validam esse, ita vt addito stimulo à pharmaco, post coctionē insurgat ad expellendam: vel etiam dato esse imbecillam, nec posse per se solam humorem noxium, & iam concoctū purgare, accedente medicamenti facultate veluti manū corrigentis, humorem segregatum à bonis facile expellet: sic duo inuicem concurrunt, pharmacum attrahens humorem malum: ac natura eundem expellens. Porro vbi humor attractus est ad fundum ventriculi, & ad intestina graciliora; foras expellitur postea, non quidem à pharmaco sed solum à facultate naturali excretrice ventriculi, & intestinorum, quæ ad expulsionem mouetur grauata ab illius pondere, & ab acrimonia, alia ve eiusdē generis maligna qualitate irritata. Hoc modo bene succedunt expurgationes à natura, & ab arte simul. At si maxima vrgente necessitate crudam vacuare materiam conueniat, natura expultrix loci, ex quo humor detrahitur, ad hoc opus minime concurrit. quia natura nunquam insurgit ad expellendum, nisi prius materiam concoxerit maturaueritq;, & à bona segregauerit: at hic neq; segregatio neq; maturatio pręcessit: propterea difficilis purgatio fit natura prorsus reluctante, atq; pharmaco expurgante solum humorem noxium ad sese trahente: ac tunc ad euacuationem conuenit duntaxat facultas expulsiua ventriculi, & intestinorum.

Tertia purgationis huius causa est humor expurgandus, circa quem considerare possumus duo: vnum est, humor, quatenus attractus est à pharmaco, & secundum hanc relationem causa solum materialis est nō efficiens: aliud est principium internum in humore existens, quod proportionem habet ad pharmacum attrahens. Hoc principium intrinsecum actiuum cum sit, causam efficientem purgationis nuncupo. Verum vt iuniores facilius cōsequantur, quod animo concipio, sciendum est, pharmacum habiturum facultatem attrahendi familiaritate substantiæ humorem aliquempiam non attrahere illum, nisi haberet principium intrinsecum, analogatum & proportionatum ad facultatē attrahentem pharmaci. Exempli gratia: Magnes facultatē habet attrahendi ferrū. & ferrum principium intrinsecum habet mouendi sese ad magnetem. Tollas principiū in ferro, tolles etiam vim attractoriā in magnete. sic penitus res habet in medicamento purgante, si humor caruerit hoc principio intrinseco mouendi se ad pharmacum, vt sanguis, ipsum pharmacum non habebit determinatum ac proportionatum humorem, quem attrahat familiaritate substantiæ. Legito, vir doctissime, quæ magnus Auer. scribit lib. 7. phys. com. 10.

Dubitationem habere videtur hoc loco non contemnendam, quam ob causam dictum à nobis fuerit, hoc internum principium existens in humore pur-

gando, esse efficientem causam. id enim videtur falsum. Quia ad omnem purgationē concurrunt tria, ipsa attractio, quæ dicitur motus: ipsum attrahēs, quod est mouens siue efficiens: & res attracta quæ est, quod mouetur, ac patitur, verum ipsa materia efficientis causæ naturam non habet. Respondeo in purgatione considerari duo; vnū est attractio, aliud est expurgatio attracti. si consideramus rem secundum quod attrahitur, materia est, ac principium passiuum habet. at si consideramus totum hoc opus, quod purgatio dicitur, tunc humor habens principium internum mouendi sese ad facultatem attrahentem, secundum hanc relationem actiuum est, & efficientis naturam habet.

Cæterum circa postremam difficultatem quatuor opiniones adsunt. Asclepiadis nempe, Erasistrati, Galeni, & fere Medicorum omnium, Aristotelis postrema. de quib. sigillatim agam, & quo ad eius fieri potest, breuiter. Opinionem Asclepiadis recenset Galenus lib. de elementis secundo cap. 3. hisce verbis: At Asclepiades, qui optima queq; huius artis ob illos admirabiles tumores, meatusque sua ratione euertere sibi proposuit, conatur nos dissuadere, quod medicamentum quodcunq; peculiarem sibi humorem detrahat, sed illum potius transmutat, conuertit, alterat, ac tandem in sui ipsius naturam, quod traxerit, qualecunq; fuerit, corrumpit, ac deinde iuuamētum, quod purgationem subsequi videmus ait ipse, euenire non propterea, quod id vacuetur, quod infestabat, sed ex communi potius vacuationis ratione] rursus lib. de fac. purg. medic. sic ait: Est autem ipsorum oratio eiuscemodi medicamentum omne, cui purgādi vis inest, quemcunq; attigerit humorem in sui naturam conuertit, idq; transmutat: nam flauam, nigramq; bilem facit id quod est bilis huius, vel huius, vt ipsi appellant, eductiuum, similiter pituitam, aquosamq; substātiam, quod vel pituitæ, vel aquæ euacuatiuū istorum vocabulo nuncupatur. Postremo, vt summatim dicā, commutatio est eorum, qui in venis sunt humorum, non vnius alicuius vacuatio: illaq; purgatio appellatur, vt istorum oratio introduxit] hæc Galenus, quæ de industria afferre placuit in medium, vt mihi facilior esset via, opinionem Asclepiadis declarandi. Putabat igitur ille pharmaca non expurgare proprios humores, sed eos quidem generare, ac postea genitos educere, ita vt medicamentum cholagogum dicebatur illi, quod bilem: phlegmagogum, quod pituitam, melanogogum, quod melancholiam: hydragogum, quod serum generabat. Arbitrabatur humores, qui expurgabantur, non inesse actu in ipso corpore, sed potentia, ac proinde generari à facultate ipsius pharmaci expurgantis. Secundum huius hominis opinionē purgatio sic succedebat. Assumptum pharmacum statim peruadebat totum corpus, atq; adhærebat postea massæ sanguineæ, hanc alterabat, transmutabat, corrumpebat, postremo ex hac corruptione generabatur hic vel ille humor, nempe biliosus, aut pituitosus, aut alius, prout pharmacum habebat facultatem generandi hunc aut illum, & hoc modo fiebat purgatio: iuuamentum vero non fieri corporibus ex vacuatione huius, aut illius humoris, sed ex communi quadam vacuationis, atq; inanitionis ratione. Porro duas in verbis Galeni contradictiones inuenio. vna est, quod dicat ex Asclepiade pharmacum nō vacuare proprium humorem. at lib. de purg. medic. facult. dicit proprium humorem vacuari, multoq; euidentius in fine cap. 1. cum ait: Purgādo autem non omnes, sed vnum aliquem, ac solum illum, quem ducere existimatur] Quæ verba aliam contradictionem continent: quia in eodem capite dixerat, omnes humores purgari à pharmaco. Harum contradictionum explicatio sic habet: Asclepiades non vult vacuari humores sibi familiares, sed vult generari ipsos virtute pharmaci: cum ergo inquit Galenus, educi bilem, aut pituitam, intelligebat educi illam non præexistentem in corpore, & familiaritate substantiæ coniunctam cum pharmaco: verum ab huius facultate generatam, siue fuerit illi familiatis, siue secus. Secunda contradictio facile soluitur, quia certe nolebat Asclepiades vacuari omnes humores, sed determinatos: at velit, nolit, cogitur omnino admittere vacuari omnes humores, vt Galenus contra ipsum deducit. Propterea hæc Galeni verba. Postremo, vt summatim dicam, commutatio est omni-

omnium, quæ in venis sunt, humorum : non vnius alicuius vacuatio : illaq; purgatio appellatur, vt istorum oratio introducit] explicant absurditatem, ad quam peruenire cogitur Asclepiades. Nam quamuis dicat vnum purgari humorem, nihilominus cogitur admittere expurgari simul omnes. Sed hæc satis de opinione Asclepiadis.

Erasistrati sententiam Galenus affert lib. de purg. medic. facult. cap. 2. & 3. Hic quidem asserebat expurgari omnes humores æqualiter ab ipsis venis, ordinate tamen, ita vt primum tenuiores, mox crassiores educerentur, non quidem ob aliquampiam medicamenti vim, sed ratione vacui, quod maxime abhorret 10 natura. sic validũ quodcunq; pharmacum primum vacuat serosam substantiam, secundo bilem, tertio sanguinẽ, quarto pituitam, ac vltimo melancholiam. Dicebatq; præterea, non differre purgationem à venæ sectione quicquam : cum vtraq; ex venis omnes humores exhauriat, idcirco asserebat, purgationem esse omotimen (volo eius vocem vsurpare) cum phlebotomia, quam ille ob hanc fortasse causam è numero medicinalium remediorum eliminauit: cum nusquam in suis operibus reperiatur illam adhibuisse. Addebat etiam humores, cum sunt extra corpus, statim tam magnam recipere corruptionẽ, vt discerni inter sese non possint, an scil. sit flaua bilis, an melancholia, an pituita humor expurgatus. Differt autem hæc opinio à superiori multis modis. Asclepiades dicebat, expur- 20 gationem fieri communi ratione vacuationis. Erasistratus ratione vacui. Asclepiades nolebat humores purgandos actu contineri in corpore, sed potentia. Erasistratus eos purgari dicebat, qui actu inerant. ille generari à pharmaco humores, aiebat. hic vero minime. Ille vnũ determinatum ac propriũ vacuari contendebat. Hic vero omnes successione vacui. Ille post purgationem distinctos apparere humores : hic vero corrumpi ipsos ita, vt discerni non possint.

Accedo nunc ad explanandam Galeni sententiam, quæ eadem Hippocratis est, Auicennæ, ac omnium Medicorum. Hic statuit medicamentũ purgans proprium, atq; determinatũ humorem educere ob facultatẽ attractoriam in pharmaco existente : quæ facultas attrahat humorem secum familiaritate substantiæ 30 coniunctum : quæ nisi inter attractum, ac attrahens intercederet, nulla quidem fieret expurgatio. Nam quodcunq; trahit, vel propter familiaritatem substantię, vel ratione caloris, vel etiam ratione vacui trahere dicitur. Iam quidem arbitror nullam habere apud te difficultatem, pharmacum non habere hanc facultatem ratione caliditatis: quandoquidem nosti generis huius quam plura facultate frigida, vt tamarindi, mirabalani, cartamum; ac rursus calida multa, quæ nõ expurgent, vt piper, zinziber, caryophyllum, ac alia huius generis aromata. Neq; asserendum purgationem fieri ratione vacui, id ego persuadere conarer aliis, vt non persuadere debeo tibi magno Philosopho & insigni Medico. Sola igitur familiaritas substantiæ relinquitur atq; similitudo, qua ex naturæ propensione res ipsæ 40 trahuntur : neq; enim alia de causa magnes ferrum : & succinum festucas attrahit, & paleas. Hoc loco notari velim, aliud esse simile, aliquid esse alicui, aliud vero idem, aut specie, aut numero. Attractio non fit ab eo, quod idem est. Sed ab eo, quod diuersam speciem habens, familiaritatem substantiæ, & similitudinem continet cum re attrahenda. Hac de causa, aurum non attrahit aurum, neq; magnes attrahit magnetem, neque homo attrahit hominem. quia sunt hæc eædem inter se, vel numero, vel specie. Sed magnes trahit ferrum: quod à magnete differt specie: & cnicum trahit pituitam, quæ diuersæ speciei est à carthamo: at certe habent similitudinem substantiæ inter se : quemadmodum arbitror nouisse te ex Galeno lib. 4. de simplic. medic. facult. cap. 23. Video, quid mihi obiicies, 50 nempe Auicennam lib. 1. suæ medicinæ, sect. 4. cap. 4. contrarium dixisse. At si contrariæ opinionis fuit, modo rationes ipsæ non demonstrent nobis contrarium, illius auctoritas contemnenda est. Sed, si verbo contrarius Galeno & Hippocrati fuerit, non re, postulabunt eius verba interpretationem. Putauerim, illum non quidem arguere Galenum, sed eos, qui ex illius verbis malum sensum eliciebant. Nam aliquis ex illius verbis potuisset imaginari omnia, quæ simili-

tudinem haberent inter se, habere facultatem attrahendi, hoc potissimum ductus argumento. si substantiæ familiaritas & similitudo vim habet attrahendi, quæ maiorem habent familiaritatem & similitudinem, hæc magis attrahent. atqui in eadem specie constituta, maiorem habent similitudinem, quam quæ diuersarum specierum sunt, ergo magis attrahent. idcirco magnes magis attrahet magnetem, & aurum, aurum. quod tamen falsum esse, ostendit experientia. Vera igitur non est Galeni sententia, si quispiam hoc modo illam interpretetur. Galenus hic diceret, aliud esse identitatem substantiæ, aliud similitudinem: attractionem non fieri ab identitate, quia idem se ipso non indiget, vt perficiatur. Sed duntaxat à similitudine, quia simile & conseruat & perficit simile, hanc reor dilucidam esse loci huius explanationem. 10

Porro hanc Hippocratis & Galeni opinionem rationi maxime consonam existere, quæ in plantis conspicua sunt, declarant. Quandoquidem plantæ, quæ proprio solo viuentes, ex eo deducunt per attractionem propriũ alimentum familiaritate substantiæ conuenientẽ: aliæ aquosum trahunt, vt platanus, & scion, simbrion & meon: aliæ salsum: aliæ amarum succum, vt absinthium, & soldanella: alia locis apricis, aridisque continentur: aliæ in opacis & humidis consistunt, prout fert similitudo singularum ad proprium nutrimentum. Hoc modo pharmaca habent similitudinem substantiæ ad humores diuersos: quædam habent familiaritatem ad pituitam, vt cnicum, & turbith: quædam ad serum, vt lathyris, succus iridis, & ebulorum: quædam ad bilem, vt scammonium: quædam ad melancholiam, vt epithymum, senna: quædam ad plura, vt reubarbarum. Hic eorum meminisse oportet, quæ supra dicebamus ex Auerroe 7. Phys. com. 10. de differentiis attractionis: nam pharmacum immobile existens attrahit, & mouet aliud: in ventriculo enim manens purgatoria facultas, quam nomine attractionis ab Hippocrate significari, non ambigo, per totum venarum ambitum mittens, duce calore influente, suo munere perfungitur. Hæc de Medicorum sententia, quantum postulat ratio epistolæ, sufficiant. 20

Aristotelis opinio de medicamentis purgantibus potissimum proposita ab eo fuit in 1. sect. probl. nempe in 41. 42. 43. 44. & 48. Explanabo primum, in quibus manifeste conueniat cum Medicis: mox dicam, in quibus dissentire videatur, ostendam postremo, maximum esse inter Galenum & Aristotelem consensum. Conuenit igitur primum cum Medicis, quod putet à pharmaco educi humores excrementitios, & alienos ab ipsa natura: nisi forte sequatur superpurgatio, qua familiares & intimi naturæ solent expurgari. Secundo, nõ vult Philosophus humores excrementitios generari à pharmaco, vt dicebat Asclepiades, sed actu in corpore contineri. Tertio, quia asseuerat, crudũ existere pharmacũ, id est, à natura euinci, superariq; non posse, licet alteretur. nam experientia id manifestissimum facit, cum quotidie videamus, pilulas educi simul cũ excrementis, quemadmodum fuerunt ingestæ. Quarto conuenit, quod pharmacum purgans à veneno distinguat. Hoc enim ita crudum est & insuperabile, vt nullam omnino ab ipsa natura queat recipere alterationem: pharmacum alteratur illud quidem, cum de potentia ad actum deducatur, imo quædam etiam horum eliquantur. Quinto, quod cum ipsis admittat Medicis, pharmacum facultatem mouentem habere, quam rem bis docet, tum in probl. 41. tum in 48. Porro, si habet facultatem mouentem, opus est, facultatem inesse illi attrahentem, vt Hippocrates passim ait, primo de hominis natura, & passim alibi. Nam quod mouet, aut mouet ad se, & sic attrahit: aut mouet à se, & sic expellit. at videmus manifestissime pharmacum ad se ipsum mouere, quia humores expurgandi mouentur ad intestina & ventriculum, in quibus continetur pharmacum: propterea hic motus ratione pharmaci expulsio dici non debet. Vltimo conuenit, quia non vult causam immediatam, ob quam pharmacum attrahit, esse elementalem dispositionem, vt caliditatem vel frigiditatem: sed aliam qualitatem, quam ille medicamentosam vocauit: Medici vero hanc vocant proprietatẽ & familiaritatem totius substantiæ, ob quam propriam vim sortitur, medicamentum purgans. 30 40 50

Docea-

Doceamus modo sigillatim, in quibus videatur dissentire. Primum in eo videtur consistere dissensio, quod Aristoteles dicat, purgantia per aluum pharmaca habere facultatẽ terream: at Medici omnes igneam habere contendunt. At hæc nullius momenti dissensio est. Nam de purgantibus medicamentis duobus modis loqui possumus, vno modo absoluto sermone, alio modo in comparatione: priori locuti sunt Medici asseuerantes, calidam & siccam facultatem habere omne pharmacum, qua purgans est. Aristoteles in comparatione loquitur: confert enim pharmaca per aluum purgantia, cum purgantibus per vrinam, aitq; illa magis esse terrea, hæc vero magis aquea. Nam si materiam respicias, quæ hu-
10 mida sunt, magis abluunt renes, & sine horũ adminiculo: quæ vere vretica sunt, administrari non possunt. at pharmaca per aluum purgantia nullo etiam humore misto potentissime educunt, vt ostendit scammoniũ, lathyris, turbith, ac alia eiusdem generis. Adde quod adsunt in pharmacis duo, virtus, & corpulentia: de virtute Medici loquuntur, Aristoteles ibi de corpulentia meminit. Secundo, in probl. 43. videtur dissentire, dicens: pharmacum purgans non educere determinatum humorem, sed omnes simul. Respondeo, neq; hic aliquam adesse dissensionem, quia sententia Aristotelis in eo contextu est intelligenda de humoribus existentibus in viis ductum, qui successione quadam omnes simul vacuantur. At humores in venis existentes proprii, & determinati educuntur: de quibus il-
20 le dicebat in eo problemate, quod agitantur in venis. Postremo, dissidere videntur inuicem, quod Aristoteles doceat, corpulentam substantiam omnium pharmacorum transmitti ad venas pro efficiunda purgatione, at Medici id negant. Multiplex hic afferri potest responsio: vna est Io. Fernelii, Aristotelem fuisse locutum de pharmacis imbecillis, vt cassia, manna, tamarindis, ac aliis eiusdem generis, Galenum vero de validioribus. Secundo dico, Aristotelem nunquam dixisse, pharmacorũ totam substantiam transmitti ad humorem purgandum, sed aliquam duntaxat portionem admodum exiguam, quam rem minime negarent medici. Tertio, nunquam in Galeni doctrina (quod meminerim) obseruare potui, negasse ipsum, quin corpulenta medicamenti substantia
30 perueniat ad venas: sed hoc inficiatur ille, in corpulenta hac materia vim consistere purgatoriam. Postremo assero, neq; Aristotelem in probl. 43. dixisse, corpus medicamenti transmitti ad humores, sed solum dicit resolui, siue liquari: at hoc potest contingere, prçterquam quod corpus pharmaci penetret venas, cum sit satis penetrare virtutem.

Hactenus itaque, Phauorine, pro responsione ad tuas literas demonstrauimus, qui humores artificiali purgatione ducuntur, per quas vias, quæ causæ efficientes sint huius operis, quid de facultate pharmacorum purgantium Asclepiades, Erasistratus, Hippocrates, Galenus, & Aristoteles sentiant, huncq; grauissimum Philosophum à Medicorum decretis non dissentire. Tandem rectis-
40 sime olim à me fuisse Pontificio Medico dictum. Purgantia pharmaca non expellere humores extra corpus: sed solum attrahere illos ad ventriculum & intestina. Expulsionem vero fieri à facultate earundem partium expulsiua, in quibus & medicamentum & humores attracti continebantur. Valetudinem tuam curato. Ex vrbe Roma, 16. August. an. 1575. iubilei.

EIDEM.

Cum quo humore pharmacum purgans, maiorem habeat affinitatem: an corrupto, aut non corrupto. Qui humor facilius purgetur. corpulen-
50 *tam substantiam pharmaci necessario non transmitti ad humorem purgandum, sed duntaxat virtutem attractoriam deferri à calore influente.*

PLVRIMVM gaudeo, Phauorine, placuisse, quæ de purgantibus medicamentis pro responsione ad tuas literas, mẽse præterito scripseram. Nunc scribis, desiderare te adhuc pleniorẽ de eadem materia tractationẽ: ac præcipue vt

explicem mei paradoxi ſenſum, de quo vt Medicus Pontificius, & Alexander
Petronius, Bartholomæusq; Euſtachius non mediocrem admirationem ſuſce-
perunt. Ego licet exiguum datum ſit mihi ocium, hodie duxi obtemperandum,
tu qualecunq; id ſit, boni, & æqui conſules. Meum illud, vt illi vocarunt, parado-
xum eſt. Medicamentum purgans maiorem habere ſimilitudinem ſubſtantiæ
cum humore non putrido: Deinde maiorem habere cum humore putrido non
concocto, quam cum concocto. Humorem vero coctũ, & à natura ſuperatum
facilius educi, quam vel putridus non maturatus, vel nondũ putredinem exper-
tus. De hoc primum ediſſeram. Suppono prius non loqui me de omnibus medi-
camentis purgantibus, ſed duntaxat de validis, quę virtutem attrahentem habe-
re proprium humorem dicebam, quæ ve per excellẽtiam purgantia nomine ge-
neris appellantur. Alia enim vacuant, aut leniendo, aut cõprimendo, quos in viis
ductuum inuenerint, humores. Deinde vero aliud etiam ponendum eſt princi-
puum, de quo egi in alio diſcurſu, ſimilitudinem, quam attractionis cauſam Me-
dici faciunt, non in qualitatibus elementalibus vel primis, vel ſecundis, vel tertiis
ſpectandam, ſed ſolum in ſubſtantia: quę materia, & forma eſt ſimul ſumptę me-
dicamenti naturam conſtituentes. nõ certe particularius ac diſtinctius explica-
ri poteſt, niſi dixerimus, indicibilem eſſe occultamq;, ac proprietatem tempera-
menti, aut medicamentoſam virtutem, vt Ariſtoteles appellare viſus eſt. Iam ve-
ro accedo ad explanationem meę ſententię. Humor alienus à natura non putre-
factus integram habet ſuam ſubſtantiam, quę nihil continet in ſeſe, quod aduer-
ſetur attractationi ipſius pharmaci. Putrefactus vero incipit ſuam formam a-
mittere, atq; prout natura ipſius putredinis fuerit magis aut minus intenſa, eo
quidem magis aut minus propriam ſubſtãtiam amittet. Igitur pharmacum pur-
gans bilem maximam cum ea ſimilitudinem habebit, cum nullam mutationem
in ſubſtantiã, vel patitur, vel paſſa eſt: adhuc minorem ſimilitudinem cum mu-
tatur: & adhuc minorẽ, cũ adhuc mutata eſt. Atqui humor non putrefactus nul-
lam mutationẽ paſſus eſt, maiorem igitur ſimiltudinem habebit cũ pharmaco.
Porro genus putredinis eſt duplex: aliud in quo leuis adeſt mutatio in ſubſtantia:
quæ poteſt ad priorem ſtatũ ſuæ bonitatis reuerti aut artis, aut naturæ beneficio:
Aliud, in quo ita progreſſa mutatio eſt, vt reuerti amplius ad priorem bonitatem
nequeat, licet naturæ, ac artis beneficio meliorem ſuſcipere conditionem poſſit.
Prior mutatio continet eandem materiam, ac formam: non bonam tamen, ſed
ſemimalam. Poſterior omnino propriam perdidit formam ſumitq; malam. Po-
ſterior omnino malã, vt humor in ſphacelo cõtentus, vel aliqua ex parte bonam
vt pus in abſceſſibus, & in vrinis ſedimentum. Idem profecto accidit in humori-
bus, atq; in vino: quod poteſt putrefieri aut leuiter, aut multum. cũ aceſcere illud
incipit, nondũ acetum factũ eſt, poteſt euentatione, vel alio remedio ad vinum
reuerti: at cum acetum factum eſt, nequit: quia à priuatione ad habitũ non fit re-
greſſus. ſic leuis humorum putredo corrigitur euentatione, concoctione, refri-
geratione. magna vero ſola illius vacuatione, perbelle Galenus declarauit exem-
plo carnis putridæ 11. de meth. med. cap. 8. Humor omni ex parte putridus ali-
quando tantam ſuſcipit malitiam, vt nullam poſſit de cętero bonitatem acqui-
rere, qui adeſt in parte gangrena obſeſſa. aliquando vero meliorem recipit con-
ditionem, vt cum ex ſanguine putrido in abſceſſu gignitur pus, in venis vero fit
bilis flaua, & atra, & ex aliis humoribus putrefactis ſedimentum. Si hęc vera ſunt,
nullam difficultatem meum habet dictum. Si quidẽ aliqua adeſſe non poteſt ſi-
militudo inter melãcholiam, & pharmacũ melanogogum vbi melancholia am-
plius non eſt, mutata eius ſpecie in aliam, vt in ſedimento: aut ſi adeſt aliqua, exi-
gua certe eſt maiorem habere apparet, cum incipit putrefieri, & non eſt ex toto
putrefacta. & adhuc maiorem cum ſubſtantia nullam mutationem ſuſcepit ſiue
in ſanis, ſiue in ęgrotis corporibus. Rationẽ ita formabã. Qui humores aut pro-
priam formam non habent, aut eam amittere iam inceperunt, ſecundum eam
formam minorem habent ſimilitudinem cum pharmacis. & qui integram ha-
bent, vel parum alteratam maiorem. Sed humores putrefacti aut propriam for-
mam

mam non habent, aut amittere iam incipiunt. non putrefacti vero propriam retinent formam. Minorem ergo similitudinē habent humores putridi, quam non affecti putredine. Illi vero contra thesim hoc modo disputarent: Vbi maior adest similitudo substantiæ, ibi faciliores fieri purgationes: & econtra, vbi dissimilitudo adest, difficiliores, rationi & meis principiis consonum videtur. Nam si colagogum detur medicamentum facilius meracissimam, vt dicit Hippoc. lib. de hu. nat. educet bilem: pituitam, aut non educet, aut certe longe difficilius. Contrarium tamen contingere docuit experientia clarissimorum authorum. Primum in sanis laboriosas existere purgationes constat, & ab Hippocrate scriptum fuit
10 lib. 4. aphor. Deinde in ægrotis longe sunt faciliores, cum materia concocta est, quam cum est nuda. Dicebat enim Hippocrates, concocta medicari, & mouere non cruda. & Galenus tum in eius aphor. com. tum in 4. apho. asserebat, nunquā bonas fieri vacuationes, nisi humores fuerint concocti. Artemq; debere naturam imitari, quæ prius concoquit humorem, postea segregat, ac tandem expellit. ideoq; inchoantibus morbis, si quid vacuatur, id omne symptomatis & casus ratione contingit. Ergo si bonæ & faciles sunt purgationes, quando concoctio præcedit, ac humor concoctus propriam amisit formam, sequetur faciliorem non fieri purgationē in humore crudo, vt ex nostra opinione deducebatur. Porto licet hæc videantur subtiliter disputata, non tamen facile admittuntur. Primo
20 loco non sequitur, faciliores purgationes existere, vbi maior inuenitur similitudo substantiæ; faciliorem enim, mi Phauorine, purgationem, non quidem sola facit similitudo, sed naturæ expellentis robur. quod, nisi concurrat, dubio procul laboriosæ purgationes fiunt. Propterea sana corpora non facile ferunt helleborum (hoc nomine quodcunque purgans, intelligi debere pharmacum, nemo est, qui dubitet) non quia non adsit similitudo in corpore inter pharmacum & humorem, sed quia natura, pro sui conseruatione indigens humoribus, retinens illos, non sinit expurgationem fieri: atque nisi vehementissimum pharmacum sit, naturæ robur in retinendo superans, vacuatio non succedit. ac, cum succedit, adeo laboriosa est, vt multo maiora sint damna, quam vtilitates. Res in æ-
30 grotis alio modo se habent. Ponamus humorem excrementitium sola copia facere negotium: oportebit vacuari illum, in quo munere concurrit facultatis expulsiuæ opus à multitudine, & fortassis aliqua mala qualitate ad motum proritatæ. Si vero putrefactus fuerit, duplex adest occasio, expulsionem adiuuans, huius multitudo & putredo. si concoctus extiterit, iam tres in vnum concurrunt causæ, multitudo, mala ex putredine qualitas, ac tandem tempus accommodatum ad expulsionem: tunc etiam natura optime humorem educit, cum ipsum antea à bonis diuidens, postea concoxerit. Similitudo hoc tempore est minor, sed robur expulsionis naturæ longe maius.

40 Nec potest negari, Phauorine, quod disputantes dicebamus, humorem concoctum minorem habere similitudinem cum pharmaco, quam crudum; si modo sententiam intelligamus de humore putrefacto, quod scilicet ad naturæ propriæ bonitatem reuerti non valeat. pus enim nullam cum pharmaco habere similitudinem, certissimum est: Quis etiam dubitat, quin humor in sedimenti naturam transmutatus, formam bilis, pituitæ, & melancholiæ amiserit? atq; si hoc est verum, quod quæso pharmacum erit colagogum, melanogogum, phlegmagogum humoris concocti ratione? secus omnino statuendum in humoribus semimalis, qui coctione, euentatione, refrigeratione ad priorem bonitatem reuertuntur. nam cessante putredine eandem humoris formam retinent, quam prius habebant; ideoq; eandem etiam similitudinem substantiæ. sed iis, mî Phauori-
50 ne, non conuenit purgatio: nam qua ratione priorem habitum recuperarunt, eadem in corpore sunt conseruandi ob easdem vtilitates; nisi fortassis contingat alia de causa purgandos esse.

Dubitabit autem hoc loco aliquis, vacuationē humoris concocti esse impossibilem ratione pharmaci: quia in humore concocto nulla adest substantiæ familiaritas: nulla igitur existente substātiæ familiaritate, nulla sequetur vacuatio.

Recte concluderetur, si huius generis humores alii non continerentur in corpore partim crudi, partim semimali: quos dum attrahere properat pharmacum natura illius stimulis agitata, bonos pro se ipsa retinens, & semimalos aliqua ex parte expurgari sinens, concoctum humorem, euictum, & segregatum totum expellit: atq; ita vacuatio sequitur fœlicissima humoris putrefacti & concocti. Adde quod licet facta sit transmutatio substantiæ, tamen etiam aliquid semper similitudinis remanet: nam e. g. sedimentum biliosum refert etiam adhuc naturam aliqua ex parte ipsius bilis, quæ sufficit ad expurgationem efficiendam. Videor hactenus id explanasse, quod potissimum ex me quærebas, nunc ad aliud accedo propositæ tractationis caput. 10

Circa ea, quæ de corpulenta medicamentorum substantia dicebam, obiicis, cum putes pharmacum penetrare vsq; ad humorem. affers experimenta quædam. at primum cassiam, tamarindos, & reubarbarum videri certo per corpus distribui, vt vrinarum color manifestum facit. Secundo cantharides vesicam statim petunt, ac vrinam potenter mouent. Tertio Auicenna capite de agarico dicit: Agaricum aliorum pharmacorum penetrationem adiuuare, quod quidem non fieret, nisi substantia penetraret ipsius per venas. Videor his in vltima parte mei discursus satis euidenter satisfecisse: nunc vero, quia ita postulas, plenius dicam. Pharmacorum quædam mitia sunt, quædam valida: Mitia quidem naturam non modo medicamenti, sed etiam quædam alimenti naturam sapiunt, aut certe omnia carent venenata qualitate, vt reubarb. manna, tamarindi, 20 cassia, sebesten, ac alia eius generis plura. Valida sunt omnino inimica naturali calori, & deleteriam habere facultatem videntur. Nihil prohibet mitiora transmitti per venas, vt optime dicebamus, atq; quotidiana experientia manifestum facit. nos vero quando corpulentam pharmaci substantiam non penetrare profitebamur, locuti potissimum sumus de pharmacis validis, attrahentibusq;: quę suo munere perfunguntur sine transmissione alicuius substantiæ per venas, cum satis sit virtutem deduci à calore natiuo illa è potentia ad actum deducente. Est tamen animaduertendum non esse absurdum, (volumus enim hoc in tui gratiam admittere) aliquid corpulentæ substantiæ transmitti ad venas, sed quod 30 contendo, est, ipsam humorum expurgationem, non fieri ab ea substantia. Verum à virtute pharmaci: corpus vero illud aliquid certe iuuat, nempe acrimonia & caliditate, nam præparat vias, atque ad expulsionem virtutem stimulat. Totam vero transmitti est contra experientiam: quia videmus pilulas vacuari integras, vt ingestæ sunt, nec aliqua ratione persuaderi potest, illas omnes venas peruasisse, mox remeasse per eandem regionem. Vrget etiam, quod pilulæ ex hermodactylis purgant ab articulis, at quis putaret, ad eos vsque peruenisse, & quodam veluti miraculo postea permeasse? Adde, quod totam coinquinaret massam sanguinis, si tantæ perniciei pharmacum penetraret venas. Postremo ipsa experientia euidentiam facit, nam pharmacum vomitu post duas horas vacuatum vidimus, tamen factam postea fuisse sufficientem purgationem. Neq; 40 putandum est, Phauorine, leuiorum pharmacorum totam substantiam penetrare venas: nam cassia, & reubarbarum, & senna, vt tingunt vrinas: sic etiam tingunt fœces, quæ res ostendit, aliquam partem mitti ad vrinas, & eam exiguam, maiorem vero per aluum duci.

Quod de cantharidibus dicis, alio modo se habet: non loquimur de pharmacis vrinam mouentibus, sed de iis, quæ proprietatem habent substantiæ attrahendi determinatum humorem. illæ solum vrinam prouocant, non mouent aluum, aut vomitum. Imo cantharides vesicę venenum esse perhibentur, haud secus, atq; lepus marinus pulmonum. Concludo igitur, opus expurgationis fieri, 50 non quod necessario transmittatur corpulenta substantia ad venas, aut vapores medicamenti ad humorē educendum: sed quia pharmaci attractoria facultas in vniuersum corpus delata, & ad actum deducta vim habet deducendi particularem, & sibi similem humorem. Vale, & me, quod te facere non dubito, vicissim amare non desinas. 24. Septemb. 1575. Ex vrbe anno iubileo.

LVDO-

LVDOVICO PICHINO GENERO.

De curatione febrium omnium contingentium à partu.

PVERPERIS tres febriũ ſpecies contingere ſolent, Ludouice fili: vna, quam puerpera vitare nulla poteſt: duæ, quæ ex accidenti prorſus contingunt. Nequit euitari febris à lactis generatione procreata. Prouida enim natura non ſolum infanti nutrimentum parauit in vtero, ex matris puriſſimo (vt alibi demonſtraui) ſanguine: ſed etiam ex eodem ſtatim extra vterum egreſſo, lactis generationem in eundem vſum procurauit. atq; ita decebat eam, quæ concepit, & nouem menſium ſpacio aluit in vtero, ſtatim paratum habere alimentum extra vterum. Lac incipit generari in mammis, paulatim poſt quintum menſem, aut parum antea, præſertim in prole maſcula; at ſtatim edito fœtu ex maiori ſanguinis fluxu ad carnes ſpongioſas, & ſimultaneo motu caloris influentis pro generatione lactis copioſioris, vt ſufficienter extra nutriri poſſet fœtus, neceſſario fit febris: quæ putrida non eſt, cum nihil putridum in lactis generatione adſit, neque ethica, vt conſtat. Sed magis eſt inter ephemeras reponenda: quia certe fit ab inflammatione, & motu caloris ac ſpirituum ſubito (quod Græci ἄνθεσκος dicunt) ad lactis generationem confluentium ex tranſmutatione ſanguinis. Ita profecto in omni tranſmutatione ſubſtantiarum febres contingunt, vt in pure conficiendo conſtat, atque in ſtatu febrium, cum putridus humor in ſedimenti naturam degenerat. Hanc febrem omnibus contingere enixis, plus aut minus adeo certum eſt, quam quod certiſſimum. ſunt autem ſigna febris huius admodum conſpicua, ex incremento, duritie, ac tenſione mammillarum: quibus cum tamen reliqua bene habent ad mulierem enixam requiſita. neq; calor febrilis eſt admodum acris, neq; ſymptomata ſæua, ſed omnia mitiſſima: quæ biduo, aut quod longius eſt, triduo euaneſcunt.

At aliæ febres ex accidenti puerperis adueniunt, potiſſimum iis, quæ puellas pepererunt, vt ex hiſtoriis colligitur ab Hippocrate propoſitis libris de morb. vulg. harum enim partus ſunt longe difficiliores, quam ſint partus maſculorum. Et hæ febres ſunt duorum generum: quædam enim per ſe ſunt febres: quædam veluti accidentia aliorum morborum. per ſe voco febres, quæ non ſequuntur ad alios morbos, non concurrentes ad generationem febris: veluti accidentia morborum ſunt, quas parit inflammatio. hæ frequenter contingunt puerperis ex vteri inflammatione & abſceſſu. Diſtinctius ſingularum cauſas & ſymptomata expendamus.

Quæ pepererunt, aut non bene ſecundam naturam expurgatæ in febres incidunt, aut cum bene expurgantur. Accidit quidem illis ex retentione ſanguinis in vtero exiſtentis, vt plurimum inflammatio, ex qua acuta poſtea gignitur febris. Aliquando vero ſynochus putrida. Duplicem enim eſſe ſynochum, docuimus, vt ſcis alio in opere, vniuerſalem vnam, proficiſcentẽ ex putredine ſanguinis in omnibus venis, aut ſaltem maioribus, quæ interſunt inter alas & inguina. Aliam particularem ex ſanguine putrefacto circa venas vteri: nam plurimas & pergrandes (vt Galenus ait de hac febre loquens 6. epid. ſect. 1. com. 1.) venas natura dedit vtero: quarum conſultatio totum corpus affici ſynocho poteſt febre. Duplex igitur ex ſanguinis retentione & aliorum excrementorum, quæ ex vtero purgari conſueuerunt, naſcitur febris, vna inflammationis comes, & ſymptoma neceſſarium, alia febris ſynochus citra inflammationem.

Oritur inflammatio in vtero duplici de cauſa: quarũ vna fluxio eſt ſanguinis, præſertim tenuiſſimi è vena caua violenter elapſi in vteri ſubſtantiam, quod certe longe frequentius contingit in eius ceruice, quã in vteri corpore. Alia ex ſanguine antea confluxo, & non habente exitum, cuius tenuior ſubſtantia viam craſſiori præparans, in ceruicem vteri, aut in totum eius corpus imbibita, tumorem facit. In enixis non fit inflammatio ex fluxione, ſed ex iam confluxo. at contra in aliis ex fluxione fit. rem ita habere, oſtendit rei natura. ſiquidem in vtero gerentibus, paulatim ſanguis ad vterum ducitur ob alitionem fœtus, cuius pars vtilior ipſum nutrit, alia ad mammas ſenſim mittitur pro generatione lactis,

quod reliquum postea est retentum, statim à partu educitur: qui, si non educatur, sed in substantiam vteri perueniat, inflammationem parit, si in venis contineatur, ac putrescat, efficit synochum. Ex quibus satis conspicuum fit, non fieri omnem inflammationem à fluxione: cuius rei notitia, quanti referat ad totius curationis absolutionem, infra patebit.

Inflammationem vteri cognosces ex ardenti dolore muliebrium locorum, pubis, imi ventris, ac lumborum (inquit Aetius libro decimosexto) & si digitus in os vteri submittatur, occurrit ad contactum durum, clausum, feruens, ac retractum: maxime si inflammatio in ipso fuerit, vel in eius collo. Est quidem compressio oris vteri commune symptoma conceptionis, & tumoris præter naturam: differunt autem, quod molle est grauidis, & secundum naturam, neq; dolens: at durum renitens, dolens, vbi pars intumescat, quemadmodum constat. Authoritate Hippocratis & Galeni 5. aphor. 51. & 54. Febris vero continua est ardens omnibus, plus aut minus pro qualitate humoris peccantis. & horrifica: id est, in qua horrores frequentes fiunt: ac ii etiam inordinati, non solum enim sanguis inflammationem facit, sed etiam variorum generum excrementa: hinc horrificæ, & vt plurimum inordinatæ sunt febres, præsertim quando inflammatio augetur, vel quando iam eadem ad abscessum terminatur. si vniuersus vterus non fuerit inflammatus, sed pars eius, aut dextra, aut sinistra, aut anterior, aut posterior, dolor in ea parte magis intenditur, atq; sentitur. Si enim posteriores vteri partes inflammatæ sint, dolor magis exercet lumbos, ac dorsi spinam, aluus ratione compressionis maxime supponitur. Anteriori parte affecta dolor occupabit pubem, & stillicidium, vrinæq; difficultas, vesica pressa concitabitur, sinciputq; dolebit: at magis occiput dolet in posterioris partis affectu, vt docet experientia, testaturq; Hippocrates lib. 6. epid. sec. 1. Lateralibus partibus affectis dolor communicatur capiti è directo, communicatur inguinibus, & cruribus, & coxis, ita vt aliquando, si magna fuerit affectio, contingat crura ipsa claudicare nonnullis, aliis vero stupefieri; omnibus certe grauitas inest earum partium, & Galenus ait 6. de loc. aff. cap. 4. & vbi cauitas seu fundum vteri tumorem contraxerit, magis ad vmbilicum dolor vergit, tumoremq; obsidere altiores partes apparet tactui, ac etiam tangendo partem plurimum exasperatur. hæc potissima sunt, quæ inflammatum vterum, symptomata contingunt.

Porro, si adfuerit synochus, equidem præterquam quod horrifica non est febris, sed vnicam habet à principio ad finem vsque accessionem, vel augendo, vel accrescendo, vel in eodem tenore semper manendo: nullus dolor puerperam exercet in pube, in imo ventre, in ostio, à dextris, aut à sinistris, sed solum dolent lumbi, ob communicationem venarum ad spinam dorsi, dolet vniuersum caput ob euaporationes continuas. neque alia adsunt symptomata, quę proprie concomitari diximus inflammationem vteri. nulla quidem adstrictio, nulla diurities circa orificium vteri. nec ita supprimuntur in vtero purgamenta, quin aliquid effluat, sed est id admodum exiguum fœtidum, non bene coloratum. Addito his coniecturam sumptam à totius corporis plenitudine, quam significat plectorica syndrome à nobis alio in opere diligentius explanata. Hæc quidem de febribus, quę contingunt post partum tum ratione partus ex necessitate: tum ex morbis in ipso vtero existentibus.

Alia febris ab hac ipsa longe diuersa est, quando scilicet à partu mulier recte expurgata, incidit in febrem: cuius modi casus contingit Philini vxori, quæ filiam pepererat, & secundum naturam purgata fuit, & cum alia leuiter transegisset exactis quatuordecim diebus à partu, igne correpta cum rigore fuit. lege Hippocratem 1. epid. sec. 3. ægr. 4. Consimilem casum refert contigisse vxori Dromeadæ, quæ rursus filiam pepererat, cui aliis omnibus secundum naturam factis, secundo vix rigor accepit, & febris acuta. longe diuersam esse dixi hanc febrem, quia priores duæ originem habebant ab expurgatione retenta: hæc vero minime. Sed ex mala humorum præparatione, qui occasione partus putrefacti, febrem putridam efficiunt plerunq; continuã, & acutam, aliquando tamen intermit-

intermittentem. Harum minera non ipso in vtero consistit, sed vel in venis maioribus vel minoribus, vel extra venas. Obseruaui aliquando post partum quartanam superuenisse, aliquando tertianam intermittentem: imo mulierem vtero gerentem noui patientem tertianam notham, quæ peperit filiam, & à partu à febre libera fuit quatuordecim dierũ spacio, postea vero febris quartana rediit, qua nouem mensibus fuit obsessa, de hisce febribus non solum locis citatis Hippocrates locutus est, sed etiam alibi frequenter: & quotidiana experientia harum euentum demonstrat.

Signa febris huius satis conspicua sunt: quia nulla inflammationis sese offe-10 runt signa: deinde purgationes ab vtero sunt quidem secundum naturam. Sufficiunt hæc duo ad ostendendam naturã huius febris: quæ, vt mineram habet putredinis diuersam, sic computationes dierũ fieri alio modo debent: nam in illis, quarum causa consistit in vtero, vtiq; computationes fieri semper à die partus consueuerunt, etiam si febris tertio, aut quarto, aut quinto post partum contigisset: at in hac febre semper Hippocrates computationem facit à die febris. lege quæ alibi de hac materia scripsimus.

Nunc rationem curandi doceamus, exorsi à febre ex lactis generatione procreata, agemus postea sigillatim de reliquis. sunt qui hanc febrem contemnunt, & proinde puerperam nutriunt optimis cibis, & bibendum exhibent illis vinum 20 generosum, oua sorbilia, multis vtuntur etiam aromatis, hac potissimum ratione persuasi, quod aromata purgationes ex vtero promoueant. Verum ego nunquam fui opinionis huius. Nam vsque ad secundam septimanam semper optimum consilium putaui, abstinere à vino generoso; & ab aromatis, maxime in primiparis, calido temperamento præditis, & consimili cœli statu. sic enim tutissimæ redduntur à febribus putridis, quæ occasione calidorum facile concitari solẽt. Primis igitur diebus optimi succi cibis vtendum est, vt ouorũ vitellis, iusculis paruæ pullæ, pane contrito, ptisana hordeacea dissoluta cum eiuscemodi iure & addito croco, & tantillo cinamomi: sorbitiones magis conueniunt, quam solidiora alimenta, tum quia facilius nutriunt, tum quia aluum humectam red-30 dunt, quod in hoc ipso casu præstantissimum est, à vino abstinendum prorsus, dandamque eius loco hordeaceam consulimus, addito cinamomo pro ventriculi robore: aut si hordeacea displicuerit, detur decoctio radicis graminis. & si æstas fuerit succi granatorum mediocris saporis portionem aliquam permiscebimus: at transacta septima vinum oligophorum dabitur, & paulo pleniorem victum instituemus. Alio non indiget hæc febris remedio. Porro, quæ ex inflammatione contingit, omnem diligentiam postulat, vt sanguis, & reliqua excrementa fluant ex vtero, protinus mittendus est sanguis ex vtroque crure, scarificatio etiam si oportuerit adhibenda, frictiones partibus extremis siccæ, & asperæ quotidie administrandæ sunt. Pessis præterea vtendum prouocantibus 40 sanguinem, atque fomentis emollientibus, & moderate discutientibus. Sunt qui contendunt ex cubito sanguinem mittendum esse ratione, vt illi dicunt, reuulsionis. hoc vero non est rationi consonum; quia reuulsione non indigemus, vbi fit inflammatio citra fluxionẽ sanguinis ad vterum à superioribus partibus; est enim reuulsio remedium indicatum à particula fluxione tentata, vt Galenus docet libro 13. de meth. medendi, & nos explanauimus tum secundo, tum septimo de ratione curandi permissionem sanguinis. *Inflammatio, de qua agimus*, fit à sanguine in vtero iam multo antea confluxo, imo neque confluxo, *si proprie loqui volumus*, sed paulatim, & sensim à natura misso, & attracto ab ipso fœtu: ideo præcipua indicatio est vacuatio sanguinis in vtero conten-50 ti. Galenus etiam hoc manifestissime docuit libro de phlebotomia cap. 18. & 13. meth. cap. 11. Ac multo antea Hippocrates libro primo de morbis mulierum: vbi ex proposito de hoc casu pertractat; sic enim inquit: Nunc vero dicam de puerperii purgamentis, & his, quæ post partum exeunt. quum mulieri, aut partus purgamenta non fuerint purgata, aut menses non prodierint, aut etiam vterus durus fuerit, dolor habet lumbos & lateris mollitudinem, & ingui-

na & femora, & pedes amarè dolet, & venter attollitur, & horrores per corpus discurrunt. ex talibus autem fiunt febres acutæ] ac paucis interpositis ait: si vero febrim habeat à balneis abstinere, fomẽtis autem & tepefactoriis imum ventrem, & lumbos curare: in potu autem exhibere pharmaca vterina, aut sepiæ ouis, aut castoreo admixtis, posthæc vero farinam cum ruta coctam, aut ptisanæ succum sorbendum dare.] quibus verbis scopum in eiuscemodi affectu obseruandum proponit: nempe vteri expurgationem. Imo hanc duntaxat spem salutis adesse docet parum infra, cum scribit: Et vbi hæc facta fuerint, fieri non potest, vt mulier superstes maneat. Pereunt autem aliæ alio tempore pro corporis, & affectionis ratione: verum vnam, & vigesimam diem non excedunt: id quod plerunq; sic contingit.] remedium vero tanti periculi affert, dum statim inquit: Si vero purgatio ipsi eruperit, siue à pharmacis, siue sua sponte (fit enim & hoc, si vteri os laxarint, à sanguine aceruatim de repente delato coacti, & si eruperit, graueolentia purulenta depurgantur, quandoque etiam nigra) & melius habebit, & curata sanescit.] hęc Hippocrates. Est autem certissimum, Ludouice fili, venæ sectionem ex cubito non posse prouocare purgationem ex vtero, sed contra eam inhibere. at vero, quæ fit ex venis inferioribus, purgat illa, ac simul reuellendi potestatem habet, si reuulsione indigeamus.

Circa medicamentorum vsum eligenda sunt, quæ menses prouocant, quæve in hoc genere, vel mediocria sunt, vel refrigerantium mistione contemperata. Hippocrates admiscet vterinis pharmacis castoreum: quo nullum præstantius; nam præstat non solum, quod præcipue quærimus, sed etiam prætereaflatum discutit, qui complicari solet cum eiuscemodi affectu. Soleo parare decoctum ex radicibus altheæ, graminis, ex foliis pulegii, & artemisiæ, ac in vnc. v. aut vi. liquare scrup. i. castoreii, vel si febris vrgere videatur, vnc. ii. syrupi de artemisia. In summa, quia locus hic non postulat hæc me sigillatim prosequi, satis sit, scopum attigisse. Victus ratio debet esse tenuis, & exquisita primis diebus: vbi vero ex vtero aliquid purgari incipit, paulo plenior instituendus est: quod autem à vino abstinendum sit, etiam me tacente constat. Synochus illa ex vtero eandem curandi rationem postulat.

Postrema febris longe diuersam curationem exigit: tum in vacuandi ratione, tum in victu. Non expedit venam incidere in poplite, aut malleolis, quia sponte humores per vterum effluunt, ac etiam quia mali fomes in vtero non est. si postulare morbus videatur, vtiq; sanguis mittendus est ex cubiti venis, quæ proxime ab affecta particula vacuabunt. atq; si febris post vndecimam aduenit, nullum esse poterit impedimentum, quin statim remedium fiat. si vero post primam hebdomadam, cautius agendum. mittendus quidem sanguis, sed non in die septima, ac non ita confestim, ne fluentẽ ex vtero impediamus, verum magis conueniet partitis vicibus id efficere, vt virtuti consulamus. Sed intra primam hebdomadam adueniente febre (quæ non sit à lactis generatione, id enim semper suppono) suspecta mihi videtur venæ sectio: sperandum est enim fluente sanguine affatim, ac subito ex vtero, naturam forte malorum fomitem per eandem regionem vacuaturam: quod si non faciet, interim tentatis aliis quæ circa dięteticam, & pharmaceuticam necessaria iudicari possent, prorogandum remedium, donec natura maximum illum ex vtero impetum absoluat, hunc enim impedire iudicarim periculosissimum.

Pharmaca adhibẽda sunt refrigerantia, detergentia, & attenuantia, quorum scilicet beneficio non solum obstructi meatus detergeri, sed etiam tum menses, tum vrina prouocari possent, atq; tandem vbi ex vtero fluxio non faciat negotium, purganda erit cacochyma per eas regiones, per quas magis procliuem esse naturam iudicaremus, quod si notæ procliuitatis huius non appareant, per aluum. Victus ratio non est instituenda tenuis, qui purgationibus rite subsequentibus, vires eam ferendo non essent. neque rursus conuenit plena, qualem puerperis ex consuetudine solent præcipere. Sed esto mediocris, iudicio prudentis Medici limitanda. at certe nullam habere difficultatem, videtur abstinendum esse

esse à vino, atque si dandum est, oligophorum duntaxat bibendum, & nunquam antea vndecimamquartam, prout febris magis, ac minus acuta videbitur. Vale.

MEDICIS ASCVLANIS.

De muliebri profluuio, inappetentia, cruditate, decoloratione faciei, tumore pedum œdematoso, & dolore capitis periodico. Responsum.

NON ex literis modo, quas ad me doctissime, pro vestra consuetudine scripsistis, sed etiam ex iis, quæ admodum illustris matronæ vir, mihi satis accurate retulit, in eam opinionem venio, malorum omnium fomitem in toto corpore contineri, quamuis ex ipso vtero principium sumpserit, secundus nunc agitur annus, ex quo supprimi cęperunt menses, ex timore maximo; vt ille dixit, cum vero agat ipsa annum secundum supra trigesimum, fueritq; optimo corporis habitu prædita, & cibis optimi succi assueta, non debebant in ea ætate supprimi. est autem certissimum, & ab Hippocrate primo de morbis mulierum, & alibi etiam passim memorię commendatum, sanam esse mulierem, si secundum naturam menses procedant, & è contra, ægrotare illam oportere, si violenter supprimantur. Hinc mirum non est, viri excellentissimi, si tot huic matronæ contigerunt symptomata. In primis enim ex sanguinis suppressa vacuatione, par fuit totius corporis genitam fuisse plenitudinem, mox vero calore naturali imbecilliori facto, ac ex plenitudinis ipsius successiuo incremento fere suffocato, non modo ventriculi, sed etiam iecinoris, & totius corporis functiones læsæ plurimum sint cruditates continuæ inappetentia cum vomitu pituitoso, indicant ventriculo affectum: sanguificationis officiũ, quod non bene fit, iecinoris frigidam intemperiem. Decoloratio totius corporis, & viuidus color deperditus, non bene nutriri corpus indicant, pedum tumor ędematosus, tum iecinoris imbecillitatem, tum sanguinis inopiam boni, tum postremo totius corporis affectum apertissime denotat. Album illud ex vtero profluuiũ, atq; etiam cõtinuum, quid aliud significabit, quam naturam, copiam pituitosi excrementi per vterum exonerare? quod gigni quotidie in ventriculo, & in iecinore, ac abundare in toto corpore adeo notum est, vt meo iudicio, explanare necessarium non sit, præsertim vobis & doctissimis, & in artis operibus exercitatissimis: neq; enim decet, quod in prouerbio est, noctuas Athenas. Igitur ob eas causas putauerim horum symptomatum syndromen, non magis referendam ad affectum vteri, quam totius corporis: nosq; omnino frustra laboraturos, si scopos curationis ad solum dirigeremus vterum. non tamen est negandum, originem præcipuam omnium malorum extitisse vterum ob mensium retentionem. Sed duorum annorum spatio frigida intemperies contracta est in visceribus præcipuis, ac deinde in toto corpore: quæ nunc tanta est, vt iure videar maxime suspicari, ne in aquam inter cutem illustrissima incidat ægrota, quod vero effluens ex vtero excrementum sit pituitosum, non solum ex ventriculi cruditatibus, vomitibus, inappetentia, decoloratione corporis, tumore œdematoso pedum constat, sed etiam ex propria excrementi natura: dolorem nullum in transitu facit, non ardorem in ostio vteri, album est illud viscidum, nunquam viride, nunquam colorum, siue luteum, quæ omnem certe dubitationem è medio tollunt. Quod vero ad dolorem capitis pertinet, licet videam aliquam inter vos adesse controuersiam, cum alius per ἰδιοπάθειαν, alius per συμπάθειαν concitatum putet. Ego tamen nihil re ipsa controuersum esse inter vos reor: cum vterque vestrum recte sentiat. Quod ex quibusdam determinatis circuitibus magis exacerbetur dolor, manifestum facit ex fluxione inferiorum partium originem habere, quod vero, quamuis exacerbatio continua non sit, semper tamen grauitatem, & imbecillitatem capitis pati assueceret, cur dubitandum, affectum ex consensu factum fuisse per essentiam? adhucq; foueri, & augeri ex inferiorum partium consensu: maxime vero ex vtero, quo scilicet tempore solebant ex natura menstruæ purgationes

prodire, quemadmodum ex literis vtriusq; vestrum constat. Non est impossibile effectum per essentiam exacerbari, ac determinatis circuitibus inuadere, quemadmodum vos in omni scientiarum genere clarissimi nouistis. Sed iis, quæ alioquin nullius momenti sunt, prætermissis, ad methodum medendi accedo. Remedia à rei natura indicata sic habent: Primum, quia malorum omnium origo ducitur ex intemperie iecinoris, ventriculi, ac totius corporis; ea debet contrariis remoueri calefacientibus, exiccantibus atq; roborantibus. Verum quia fouetur à multitudine humoris viscidi, hoc remedium recte nequit exerceri, nisi prius pituita repurgetur, quæ rursus antea præparanda est, viæq; cõmunes detergendæ, vt præparatio fieri accommodata possit. Ergo remedia sunt viarum communium detersio: humoris viscidi præparatio. Expurgatio, roboratio iecinoris, ventriculi, vteri, totius corporis. Video hic vos ancipites, nam inter omnia remedia, videtur potissimũ vacuatio multitudinis: etenim dicebat Hippocrates lib. apho. qui morbi fiunt à plenitudine sanat vacuatio, & econtra. cum itaq; omnia symptomata ex retentione sanguinis mẽstrui facta sint, cur primum omnium eundem non prouocabimus? Certe, si primis mensibus curationi astitissem, huic incubuissem operi: at quia nunc sanguis bonus exiguus est, malus autem plurimus, virtusq; satis imbecilla est, vacuationem sanguinis tentare non auderem; deinde nihil etiam si tentaremus, efficeremus, quod afferre posset ægroto vtilitatem. Qui enim fieri potest prouocari posse menses in hoc habitu corporis, restituere prius in integrum oportet partium præcipuarum temperamenta, mox vero vbi de cætero generabitur sanguis abundantior, si eum natura non expurget per vterum, erit à nobis omni opere, ac diligentia euacuandus: ita quidem sentio de remediis. Nunc perlustremus materiam medicam, prius in diætetica, postea in pharmaceutica. nam quod attinet ad ipsam chirurgiam, locum non inuenio aliquem.

Cauere in primis debet ab aere humido, ac frigido: quia vero Asculanæ ciuitatis talis videtur mihi, & ob flumina, quæ ipsam circundant, & ob vicinam ad maximos montes, placeret mihi maxime, vt locum mutaret. Accomodatissimus videtur Ripa Transonis, aut alia eiuscemodi ciuitas maritima, præsertim quæ non esset austro exposita. vix dici potest, quantum confidam in hac mutatione. Quo tempore pluuiæ, aut nebulæ, aut aer caliginosus est, sese continebit domi, atq; si forte cogatur foras prodire, capite munito incedat, nec multo tempore in eiuscemodi aere morabitur. In summa cum aer calidus, & siccus est, proderit illi multũ, cum non extiterit talis, arte procurabitur, ideo hyeme suffumigabit cubile, & perpetuo ignem ex lignis odoratis domi paratum habebit.

Exercitatio moderata vtilis est, vt fere nihil magis: propterea assuescat singulis diebus exercitio: quod ambulatione potissimum fieri vellem, & vsq; ad sudorem ante singulas cibationes horis duabus: ocium cruditates augebit. Cauebit à somno diurno, sitq; nocturnus breuior solito. Indigemus enim iis, quæ digerunt excrementa, non quæ retinent, at vigiliæ maxime digerunt. Vitabit omnem ciborum satietatem: nunquãm cibetur, nisi famescat: deponatq; quotidie alui excrementa, si natura fieri non possit, saltem artis beneficio, præsertim vero sumendo ante cibum immediate drach. i. pilularum ex aloe epatico semel singulo quoq; die. nam frequens huius vsus, non modo iuuabit multum pro deponendis fęcibus, (est enim hoc pharmacum pro hoc munere perficiundo proprium) sed etiam roborabit ventriculum, præseruabitq; corpus ipsum à putredine: ac præparabit vterum ad purgationem sanguinis menstrui. Victus ratio conuenit extenuans, quæ scilicet non modo calefaciat & exiccet, sed etiam vim habeat incidendi humores viscidos. Verum quia vterus affectus est, cogimur hic abstinere ab aceto, ac iis, in quibus illud ingreditur, vti est oxymel, ac alia eius naturæ: licet enim hæc incidant, sunt particulari quodam priuilegio parum amica vtero, quemadmodum scribit Hippocrates libro tertio de rat. vict. in morbis acutis. acetum igitur, & acida omnia vitanda sunt. Vescatur auibus paruis assatis, inter quas maxime laudantur, Galerita, quam alaudam vocant,

starnæ,

ſtarnæ, & turdus, & turtures: in ſumma omnes in ſepibus degentes. & econtra deteſtandæ ſunt, aues omnes paludoſæ, vt anates, ac anſeres. Piſces omnes vitabit, etiamſi petroſi fuerint & ſaxatiles à Galeno nuncupati: maxime vero omnium deteſtandi ſunt paluſtres, & lacunales, & nati in ſtagnis, ac foſſis vrbium. ſunt peſſimi omnium tenchæ & anguillæ. Eadem ratione caueri debebit etiam ab omnibus alimentis, factis ex farina, vt laganæ, vel frictis in ſartagine, & à carnibus quadrupedum, præſertim bouinis, ceruinis, & capreolorum, & leporum, & cuniculorum. Inter olera hæc primum locum tenent: ocymum, ſerpillus, maiorana, ſatureia, origanum, mentha, nepita, pulegium, petroſelinum noſtrum; quæ ſemper vſurpare debebit in ſuis ferculis pro alterando iure ad ſiccum; & pro præparatione illius ad incidendos humores. Vtendum aromatis, vt cinamomo, caryophyllis, macis, nuce muſcata, gingibere; miſto tantundem zuchari, ſicq; continuo in ſuis ferculis ſumat aliquid horum, non parum iuuabitur. Soleo parare ptiſanam ex farina milii, quam huic affectui mirum in modum ſubuenire noui, additis pro corroboratione aromatis. Vinum vetus dandum eſt, non fumoſum, nec multum odoratum, in exigua quantitate, & citra mixtionem aquæ.

De pharmaceutica vero ita ſentio: Frequenter vtendum vomitu ſemel, nempe ſingulis decem diebus ſtatim à cibo. Putauerim, hanc optimam eſſe reuellendi rationem, maxime quia huic aſſuetam eſſe mulierem ſcribitis. At non eſt prætermittenda vacuatio per aluum, qua fiat deriuatio eorundem excrementorum: quemadmodum neque omittenda eſt vrinæ prouocatio ac ſudoris: nam quoniam excrementum hoc pituitoſum vniuerſum occupat corpus, eſt etiam totum corpus vacuandum. In eius viri gratiam ſigillatim deſcribo ſingula, licet noſcam, me ſuperuacaneum onus aſſumere. Ineunte vero poſt vomitum à cibo ſequenti die exhibeantur vnc. iiij. mellis roſati ſolutiui cum vnc. s. diacatholici ex mulſa. mox parabitur materia ex vnc. ij. ſyrupi infraſcripti, & vnc. quatuor decoctionis ſaluiæ, menthæ, origani, nepetæ, matricariæ, abſinthii. Syrupum ſic parare ſoleo: Rec. marrubii albi, agrimonii, cetrach, capill. veneris, politrici, matricariæ an. m. j. radicum apii, fœniculi, petroſelini, an. vnc. i. hyſſopi, origani, an. m. s. ſeminum aniſorum, & fœniculi, an. drach. j. ſeminum frigidorum maiorum, an. drach. j. s. caryophyllorum cinamomi electi, an. drach. iij. fiat decoctio. s. a. & in vnc. xv. colaturæ addendo zuchari fini, tantundem fiat ſyrupus. Hunc eundem purgatiuum facere conſueui ſumendo decoctionis huius ſyrupi. vnc. viij. in quibus macero foliorum, & folliculorum ſenæ vnc. ij. agarici electi vnc. j. zinzib. ſcrup. ij. cinamomi drach. j. horis decem. mox facta forti expreſſione cum vnc. viij. zuchari fini ſyrupum conficiundum curo. de quo exhibeo ſingulis octo, aut decem diebus poſt vomitum, vnc. ij. s. aut tres cum iure pullæ. roborat enim ſyrupus hic omnia viſcera naturalia, præſertim vterum & ventriculum, ab obſtructionibus corpus liberum reddit: atq; purgando ſemper iuuare conſpexi. exhibeo etiam ſine agarico & ſenna, ſyrupum ſiccum, ante prandium & cœnam vncias duas pro vice hora vna aut duabus. Pharmacorum valde purgantium vſus in hoc affectu non placet mihi, quandoquidem magna cum adſit imbecillitas ventriculi, & iecinoris, & vteri, ex diuturna vacuatione humoris excrementitii, & ex naturalium ſuppreſſione menſium, valida nunquam ægroto dare pharmaca debemus, vtputa quæ ſemper illis viſceribus nocent. Hac de cauſa, neq; diacarthamum, neq; diaturbith, multo minus antimonium darem præparatum. Ego quidem ſic ſentio: Atq; cur ita ſentiam, explicaſſe volui. In ſumma ita concludo, purgantia eſſe vtilia, ſed paulatim purgandum, nec aliquando validis, & quæ purgando roborant, ſemper vſurpanda.

Porro vbi hoc modo ſecundo & tertio purgatum fuerit corpus per vomitum, per aluum, per vrinas, duxerim etiam purgandum per ſudorem, vt corpus vndique ſiccatum ab excrementis, priores reſumat vires à nimia humiditate imbecillas. Ac licet in hac re videamini diſcordes, ſi tamen rei naturam contemplamur, fere non adeſſe controuerſiam video. Radicem chinæ pro ſudore prouocando efficaciſſimam noui: ſed ſimul non multum opitulari humidis corpori-

bus animaduerti. Salsam pariliam, vt vocant, duplici nomine suspectam habeo: primum, quia ventriculo obesse creditur: idque hactenus bis obseruaui: mox, quia pro salsa orientali smilacem asperam venalem in quibusdam Italię locis haberi scio: cuius vis, quam distet à vera salsa parilia, norunt omnes operibus in artis exercitati. Lignum guaiacum placet mihi præ cæteris omnibus, quia roborat ventriculum, siccat corpus, per sudorem vacuando à centro reuellit ad circumferentiam. Eritque tanto præstantius decoctum, si lignum sassaphras addiderimus: cuius quantæ sint vires in corroborando ventriculo, & iecinore, & vtero, ea manifestum faciunt, quæ Acosta Aphricanus memoriæ commendauit. Lignum hoc habebitis Anconæ. Vtendi modus erit sumendo ligni guaiaci non 10 admodum antiqui, nec ex trunco, sed ex ramis, præparati vnc. x. aut lib. vnam, corticis eiusdem vnc. ij. Macerentur s. a. horis 24. in aquæ matricariæ & menthæ an. lib. vj. mox decoquantur ad dimidias, ac vbi finis coctionis iam prope erit, tunc quidem addito ligni sassaphras in tenuissimas partes redacti drac. iij. vel iiij. coletur postea decoctum, ac vsui reseruetur. Sumat bis decoctum pro consuetudine mane ac vesperi, continuetque diebus, quod minimum triginta, & quod maximum 45. sit autem principium inchoante Aprili. Si magis siccans, roboransq; desiderabitis pharmacum, addenda tertia erit pars vini albi & generosi in decocto. fiat, exempli gratia, maceratio in libris quatuor vini, ac tantundem aquarum menthæ ac matricariæ. Illud autem, vel me tacente constat, vi- 20 ri excellentissimi, oportere singulis decem diebus expurgare ęgrotum, dum hoc sumit decoctum, vel ex suprapositο syrupo, vel diacatholico, vel eius generis alio. Victusq; rationem toto hoc temporis spacio non modo tenuem instituendam esse, sed etiam simul exiccantem: qualis potissimum erit ex pane biscocto, & passulis.

Cæterum, quæ scribitis de aquis medicatis Apponitanis & Porrectanis, in aliud & certe commodius tempus deliberabimus. interim quæ scripsi, sufficere videntur mihi pro hoc tempore. Valete, & si me amatis, vt scio, reddatis me certiorem de euentu huius affectus. Erit enim mihi adeo gratum, quam quod 30 gratissimum.

HORATII AVGENII EPISTOLARVM, ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM, LIBER DVODECIMVS.

PANTALEO MARCELLO ACQVENSIVM Medico præstantissimo. 40

Quibus de causis medicamentis stuporem inducentibus vtendum sit, & quæ sint obseruandæ regulæ in recto ipsorum vsu.

CAP. I.

Quam indicationem præbeat dolor, & quando illi omnem operam ac diligentiam adhibere conueniat relictis causis. 50



ALIQVANDO si verum extitit Plinii dictum: Solo medico impune est, hominem occidere. Verissimum esse noui diebus præteritis, ex iis, quas ad me, & perhumaniter, & doctissime dedisti literas. Scribis enim, in quendã forte fortuna incidisse Medicũ, qui passim, atq;

atq; nullo prorsus adhibito discrimine, pharmacis stuporem inducentibus abutitur: huncq; in hoc errore admodum alioquin turpi, insenuisse. Certe, charissime Pantalee, vt illi aliquid condonare, sic nobis dissimulare non licet. Ille sub malis, vt audio, præceptoribus altus, habitum nō bonum medendi adeptus, non potest non aberrare in artis operibus, quæ ex habitu ducuntur, & cum ex arte quæstum capiat, senex opinionem mutare non vult, veritus ne male sit rebus consultum suis, si inconstans in ea ætate, medendi rationem mutet. Non quidem putauerim illum, ita iudicii inopem existere, quin fortassis noscat, sese neque rationem, neq; authoritatem præstantissimorum Medicorum imitari. At nostrum est, eiuscemodi errorem non dissimulare, quos serenissimus Princeps præfecit, vt veram doceremus medendi methodum: idcirco hæc ad te scribenda duximus, vt copiam faceres illi, ac si vellet, in melius mutare posset sententiam: si minus, vt saltem nostro perfuncti munere videamur, sua postea relinquentes officium aliis. Præstiterit autem, quo hæc fiant dilucidiora, sumere principium ab indicationibus, quas dolor promit: quia huius ipsius affectus causa præcipue stuporem inducentia vsurpari solent: ex iisque patebit accommodata in reliquis omnibus vtendi regula. Dolor igitur duobus modis considerari potest, vno quatenus est symptoma, quæ consideratio est ipsius propria. Alio modo quatenus causæ rationem lædentis gerit. Dolor sub propria ratione consideratus nullam habet indicationem propriam: quia cum insequatur morbum, tanquam vmbra corpus, ad remotionem morbi statim remouetur: vt enim remoto corpore vmbra nusquam est, sic remoto morbo, symptoma ab ipso dependens, permanere non potest. sed consideratus, quatenus non modo lædit, verum etiam vim habet omnino facultates, corpus gubernantes, corrumpendi, ac morbum augendi, assumit sibi vim iudicandi, estq; eiuscemodi indicatio vitalis, non curatiua. Cogimur enim incumbere doloribus, vt viuamus. atq; ita scio à Galeno scriptum fuisse libro 12. methodi medendi. Vocatur hæc indicatio proprie mitificatio, vel lenitio quædam: etenim tantisper mitigamus ipsum, donec euadimus certi, ne vires prosternantur. Dolor autem magnam in eo quod magis ac minus, latitudinem habet: statuamus dilucidioris doctrinę gratia gradus tres: nempe dolorem leuem, mediocrem, maximum. Leuis quidem nullam prorsus habet indicationem à morbo diuersam. mediocris vero propriam habere potest, & communem: maximus propriam duntaxat habebit. quomodo autem hæc intelligenda sunt, exponamus.

CAP. II.

Quot modis sanari possint dolores.

RATIO sanandi ipsos dolores duplex in vniuersum est: prima est cum remouentes causas, dolorem etiam remouemus. secunda est, cum neglecta causa illi duntaxat omnem adhibemus diligentiam. Prima non est doloris, quatenus dolor est curatio, sed morbi. Namq;, si vno remedio, tum symptoma leniri, tum morbus curari queat, id vtique non fuerit symptoma respicere, aut symptomatis causa remedia sumere, sed omnis eiuscemodi remediorum species (vt cum Galeno loquar) plane morbi curatio est. Neque enim cum lateris dolorem in pleuritide misso sanguine, vel corpore purgato sanamus, nec cum abscessum distentum, & cum dolore pulsantem incidimus, ac pus emittimus, eiuscemodi curatio symptomatis est, at duntaxat morbi, à quo symptoma fit. estque generatim duplex eiuscemodi curatio: vna, qua intemperiem contrariam admouemus: alia, qua diuisam vnitatem emendamus conglutinando. Secunda vero medendi ratio doloris est propria: atq; hæc rursus duplex. Alia est, quæ dolorem lenit iis pręsidiis, quæ vere anodyna sunt, quibus calor naturalis totius, ac partis fouetur, ac conseruatur. Alia vero ex accidenti, & omnino æquiuoce dolorem lenit, pharmacis sensum ab affecta particula remouentibus. de vtraque anodynorum pharmacorum virtute Galenus hoc modo locutus est libro

quinto de simpl. medic. facult. cap. 3. Transeundum deinceps est ad sermonem de facultatibus anodynis hoc est, dolorem sedantibus, & paregoricis, & praintícis id est, lenientibus, aut mitigantibus, aut vtcunq; nominare libuerit. Facultas igitur anodyna alia re vera est: alia tantum dicitur, tanquam, si quispiam hominem mortuum, dicat anodynum, quia dolore vacet. Cæterum facultas re vera anodyna est eorum, quæ primo ordine excalefaciunt, si vtiq; in essentia tenui contineantur. At facultas eorum, quæ dicuntur, frigidorum est, quæ absoluto vtentia frigore partem obstupefaciunt. hæc ille. Ex quibus colligo dolorem mitem nullam omnino propriam habere curationem: sed remoueri ipsum simul cum morbo, à quo fit, & conseruatur. Ad mediocrem dolorem dupliciter sanamus, tum illius causas oppugnando, tum iis, quæ vere anodyna sunt, mitigando illius impetum: possunt autem, quæ eiuscemodi facultatem habent, non esse causis contraria, sed similia, vt cum dolorem à calida fluxione causatum, mitificare conamur oleo ex camomilla, vel adipe gallinæ, vel alio eiusdem generis. At si adeo magnus existat dolor, vt vere anodynis mitigari non possit, cogitur Medicus, velit, nolit, vsurpare anodyna æquiuoce dicta, & id statim efficere, alioquin, si morabitur, de cætero nullus dabitur locus remedio. Nos prætermissis remediis causas dolorum oppugnantibus, ac etiam vere anodynis, agemus duntaxat de recto stupefacientium vsu. sed prius docendum, quando vsurpanda sint.

CAP. III.

Stupefacientia non esse vsurpanda, nisi maxima vrgeat necessitas.

IAM vero constat non esse vtendum pharmacis stupefacientibus, nisi maxima vrgeat necessitas: sed hoc generatim explicasse satis non est, nisi speciatim explanemus, quomodo maximam hanc cognoscere necessitatem valeamus: vbi enim id notum nobis fuerit, accomodatum vtendi tempus minime latebit. sunt qui dicunt occasionem esse, cum ipsum corpus ob vehementiam doloris ex calido fit frigidum, cum tremor inuadit, aut totum corpus, aut determinatam particulam, pulsus ex magnitudine mutatur in paruitatem, ex æquali, ordinatoque redditur inæqualis, & inordinatus. Verum si quispiam diligentem adhibere in hac re considerationem voluerit, conspiciet, hæc non esse certa signa opportunitatis exhibendi stupefacientia, sed magis iudicare virtutis imbecillitatem, atque potius ab illis abstinendum: vtrunque doceo. Certissimum est frigiditatem totius corporis repente ex dolore factam, præcedente antea caliditate significare magnam imbecillitatem caloris influentis in totum corpus, quæ imbecillitas nasci potest, vel quia dissolutio eius facta sit multa, vel quia à frigidis causis dolorem inferentibus nimium alteratus fuerit, vel tertio, quia ob vehementiam inflammationis internæ calor ad viscera refugiat, vt contingit in febribus lypiriis, ac aliis eius generis valde malignis. Ex quacunque causa contingat frigiditas, vsus stuporem inducentium salubris esse non potest. nam si magna facta est dissolutio spirituum & caloris influentis, quis illa exhiberet, quæ imbecillum calorem, præ frigiditate possent extinguere. sic enim proprie calor extinguitur, per σβέσιν vt dicunt Græci, adueniente contrario: cum sit alter modus corruptionis calori adueniens per μάρανσιν, qui modus huic proposito non conuenit. Demus nasci frigiditatem ex secunda causa: quis non iudicabit esse periculosissimum adaugere frigiditatem? Quis dubitat frigiditatem caloris, ac spirituum existere illorum corruptionem? Si propositum est in exhibendis stupefacientibus prorogare vitam, hæc autem in calido consistit, quomodo eam, quæso prorogamus, si caloris innati substantiam nimium refrigerabimus? Si frigiditas ex inflammatione contingat, equidem intus exhibita inflammationem augebunt nimis adstringendo, & constipando, ac ita etiam longe difficiliorem reddent: extrinsecus vero nullum habebunt vsum, præterquam quod constipando meatus, impedient illius ad externas partes exitũ, quod alioquin magnum esset malum. in summa, quia frigiditas corporis imbecillitatem caloris

caloris indicat, ac multo magis tremor, pulsus paruus, inæqualis, inordinatusq́; prorsus impediunt vsum horum pharmacorum. Est enim regula communis, nunquam exhibenda esse illa, nisi vires valeant. Dicet fortasse quispiam, me contradicere magnis viris, qui ita scripserunt. iis ego inquam, parum referre, si contradicam. at maximi referre, si contra rationem scripsero. non est in scientiis absoluendis adhærendum authoribus, vbi ratio inueniri potest. at si quid ratione careat, duplex est comprobandi ratio, experientia, quæ in hoc genere primas tenet partes, mox illustrium Medicorum authoritas. Sed certe illis non contradico: quia illi, cum ita loquebantur, nolebant docere occasionem exhibendi stupefacientia, sed solum affectus causari solitos à vehementissimis doloribus, quando scilicet minantur extremum exitium. ideoque illi hæc verba scripserunt:

Et omnis quidem dolor interficit, qui fit fortior; quoniam ex eo in primis accidit frigiditas corporis, & tremor; postea fit pulsus paruus, deinde destruitur, postea moritur.

Ex quibus constat, non significasse iis verbis occasionem exhibendi soporem inducentia: sed solum effectus exitiales doloris, vt nos cautos redderet in dolorum curatione: quia dolorem aliquando contemnere oportet, cum fuerit paruus, aliquando nec prorsus contemnere, nec prorsus magnifacere, vt in mediocri: & aliquando omnem adhibendam esse illi diligentiam, cum scilicet maximo existente veremur plurimum, ne virtus labascat. Doceamus itaq; quomodo maximam hanc necessitatem cognoscere valeamus. Nullam ego certiorem viam adesse putauerim, quam ab iis sumere coniecturam, quæ iuuare ægrotum deberent, nec tamen recte administrata iuuarunt, vt si dolor non cedat remediis oppugnantibus causam, non vere anodynis, tunc certa sese nobis offert necessitas vtendi stupefacientibus remediis. Nunquam igitur illis vtendum, nisi prius vtrunq; genus præcedat auxiliorum, si tamen speramus, virtutem ferre posse. In lenibus, mediocribusq́; affectibus, cum locum non habeant stuporem inducentia, vt dixi, solum res controuersa videtur in doloribus vehementissimis. In quibus considerandum, quam valida sit virtus, & quam dolor vigeat. si enim putabimus naturam ferre posse, nihil tutius, quam vti prius vacuantibus, alterantibus, & vere anodynis: quæ vbi conspexeris non iuuare, statim accedendum ad stupefacientia: atq; hæc regia est, & tutissima medendi ratio. At si maxima suspicio sit in mora, ita vt appareat virtutem magnitudini doloris esse longe imparem, vt nonnunquam in colera contingit, ac in reiectantibus sanguinem, crudelis medici fuerit prorogare auxilium, quod vitam in tuto posset constituere. Verum in curandis doloribus id aut nunquam, aut raro admodum contingere profiteor: sed fient hæc ex sequentibus euidentiora.

Cap. IIII.

Quæ sit stupefacientium pharmacorum facultas, quæ incommoda, & quæ commoda corpori afferant.

QVÆ stuporem inducunt pharmaca, duorum sunt generum: quædam enim horum facultatem habent omnino aduersam iis, quæ vere dolores leniunt, refrigerant siquidem omnia corpus gradu quodam admodum intenso, & sensum eo vsque obstupefaciunt, vt si paulo liberalius ebibantur, mortem afferant. Quædam etiam sunt, quæ tota essentia nobis contraria sunt. proinde, si vel minimum eorum sumptum fuerit, omnino lædat, necesse est, ceu dryopteris, & pitiocampe, & tapsia, & solanum maniacum, & hydrargiros, & fungorum nonnulli, præterea saliua, & fel venenatorum animalium, nam talia omnia genere sunt deleteria, non quantitate. Ac proinde nihil eorum in Alexiterias Antidotos inditur, veluti papaueris lachryma, & myrrha, & styrax, & crocus: siquidem hæc si largius bibantur, quædam dementant, quædam mortem inferunt. Verum conuenienti quadam mensura aliis admixta adiuuant. Porro quæcunq; inter ea mentem lædunt, continuo etiam pleraq; caput degrauant, vapo-

rum prauorum congerie ipsum implentia. Sed & quædam os ventriculi tentant atq; affligunt, vt & inde caput per consensum lædatur; communiter vero vniuersa duobus modis cerebrum affligunt, aut cum tota substantia sunt contraria, aut cum vna, duabusve qualitatibus temperaturam immutant. Quemadmodum, quæ secundo ordine stuporem inducunt, non permiscentur Antidotis Alexiteriis, sic etiam neq; pro doloribus sedandis obseruatum est, aliquem illa ægrotis exhibuisse. refrigerantia duntaxat anodynis contraria vsurpantur. contraria hæc diximus anodynis, quia hæc calida sunt, tenuesq; partes habent, caloremq; naturalem fouent atq; conseruant: illa vero refrigerant, crassas partes habent, calorem naturalem extinguunt, ac à sensitiuis partibus omnino facultatem tollunt sentiendi, si nō omnino, magna saltem ex parte: hinc etiam impedimento sunt, ne materia ipsa dissoluatur, vtq; dolor de cætero maior insurgat; atq; hæc horum pharmacorum est facultas, hocq; incommodum. Ex alia parte maxima certe commoditas est, hominem statim à certissimo periculo mortis liberare: vehementissimus enim dolor statim prosternens, vires sanari non potest, nec anodynis, nec remouentibus causam. illa enim longe imbecilliora sunt, quam postulet vehementia doloris: hæc vero statim prodesse non possunt. At dolor est vehemens, nec postulat moram. Quid igitur in huiuscemodi contrarietate agendum est? maximam quidem adhibere diligentiam oportet, atque ne quid hic desiderari possit, eam breuiter expono.

CAP. V.

Regulæ in recta stupefacientium medicamentorum administratione obseruandæ.

PRIMVM omnium diligens fieri debet comparatio inter morbum & vires: atq; cognoscendum, vtrum ex his speremus præualiturum. Si videamus, ægrotum ex resoluendis viribus in mortis discrimen tendere, nulla prorsus adhibenda procrastinatio est: si vero vtendo iis remediis, quæ morbum sanant, quod optamus, efficere possumus, omnino abstinendum est ab hisce medicamentis, quæ somnifera nuncupantur. Eiuscemodi notitia pendet, vt dixi, ex morbo ac viribus: si validior extiterit virtus, abstinendum, si non extiterit validior, vtendum. Coniecturas autem de statu virium habere possumus multas ex anni tempore, cœli constitutione, regione, habitu corporis, temperamento, vitæ genere, consuetudine, ex morbi specie, ac vehementia, ex facili ac difficili tolerantia, & ex iuuantibus causis. Si hæc omnia aut plurima ostendent robur virium, audacter in sola insistendum curatione, quam supra regiam vocauimus: & econtra, si omnia, aut maior pars futuram virium dissolutionem indicauerint magnam, anteaquam ea contingat, protinus remedium exequendum est. Hæc prima sit regula in horum vsu obseruanda, quam Galenus hisce verbis 12. lib. de meth. med. affert: Quippe si fas est iis remediis, quæ morbum sanant, vtendo, quod optamus, efficere: abstinendum ab iis somniferis medicamentis est: quæ vocant anodyna. Sin vigiliis & viribus resoluendis ad mortis discrimen æger tendat, tunc profecto tempestiue eiuscemodi medicamentis vtaris, scilicet non ignarus corporis habitum nonnihil ex his lædendum; læsionem autem, quam mortem potius optandam.

Secunda regula est. Perpendenda est noxa, quæ fit à medicamento stuporem inducente, cuiusmodi sit: quædam enim est exigua facile corrigibilis: quędam vero admodum magna. prior quidem est eligenda, quia emendare postea possumus damnum, & corrigere ita, vt inde nullum accidat virtuti incommodum, etiam si Medicus cogatur denuo repetere pharmacum. At vbi magnū sedse offert damnum, consideratius agendum est. Conferre oportet hoc ipsum ad damnum, quod ex morbi fit vehementia. si ex morbo, exempli gratia, nisi statim succurratur, moriendum sit ægroto, dubio procul adhibendum est, quod stupefaciat sensum: estq; magis ipsa morte stupore eligibilis. Si vero ex medicamento infera-

inferatur mors, vtiq; abstinendum, inferri mortem colligemus, quod vires anteaquam sumatur pharmacum, sunt valde debiles ac resolutæ: quo in casu omnino cauendum ab vsu stupefacientium. Regula igitur sit: stuporem inducentia nunquam sunt exhibenda, nisi vires valeant. in huius regulæ confirmatione audire oportet, quid Galenus scribat. Nam ille postquam dixerat, læsionem autem potius quam mortem magis optandam; subiungit hæc verba: nam si hæc admodum magna non sit, saltem postea spacio longiore eam sarcire licebit. Sin ea ira est immodica, vt nec prolixo spacio persanari queat. at certe hanc ipsam eligendam potius remur, quam vt homo pereat. hac nimirum persuasione ipse quoq;, tametsi omnium maxime ab vsu sopientium pharmacorum plurimum abhorrens, aliquando tamen ea, & colicis exhibeo, & iis, qui vel oculorum, vel aurium, vel aliarum partium vehementissimo dolore cruciantur. Interim vero & cum æger vehementi destillatione tenui, vigiliis, ac vehementissima tussi vrgetur, pauxillum eiusmodi medicamenti offero, facile noxam eius, si quis semel est vsus, spacio emendatum iri ratus.] hæc Galenus. Consimilem sententiam habet Auicenna lib. 1. sect. 4. cap. 30.

Tertia regula. In stupefacientium vsu gradatim oportet incedere ab imbecillioribus ad validiora. cum enim multæ sint horum differentiæ, quarum nonnullæ validissime stuporem inducunt, quædam vero imbecillam habent facultatem, & alia mediocrem, experiri prius imbecilla, dein mediocria, tandem ad validiora perueniendum est. Rursus horum, quædam sunt simplicia, quædam composita. Simplicia, vt opium, poma, & semen mandragoræ, & cortex radicis eiusdem, papauer, vtramq; iusquiamum, solanum stupefaciens, semen lactucarum, nix, aqua frigida, ac eiusdem generis alia. Composita, theriaca, mithridatum, athanasia, requies Nicolai, philonium Romanum, philonium Persicum, ac eius generis multa. Simplicibus raro vtimur, præsertim intrinsecus, & si aliquando adhibemus illa, id parce facimus, & cum nō exigua correctione. Compositis vero frequentius vti licet. Opium autem solum, etiam si correctum sit, vtiq; nullus aliquando vsurpauit intrinsecus.

Quarta regula. Maxima vrgente necessitate dum adhibemus intrinsecus narcotica, aliquando exordimur statim à pharmaco validissimo. causa huius rei est, quia periculum est in mora, atq; debile remedium satisfacere minime potest pro morbi vehementissimi propulsatione. Regula est Galeni lib. 5. de methodo medendi in curatione sputi sanguinis in matrona Romana contingentis. Hęc regula est superioris quædam exceptio.

Quinta regula. Composita stuporem inducentia nunquam potari debent, nisi fuerint annua: aut certe, quod minimum est, sex mensibus antea fuerint composita. habent enim recenter composita vim præpotentem opii. Sunt autem quidam casus, in quibus aliquando conuenit adhibere pharmaca recentia: sed vt plurimum inueterata eligenda sunt: & quo fuerint vetustiora, eo tutiora: sed minus efficacia: propterea mediocrem habere debent, pro hoc opere perficiendo ætatem, vt ait Auicenna.

Sexta regula. Caueto, quo ad eius fieri potest, ne secundo ac tertio exhibeas: etenim quanto frequentius dederis eiusmodi pharmaca, tanto magis ipsas vires labefactabis nimium refrigerando calorem natiuum, quod si vehementia doloris contingat repetere, inter vnam ac aliam potionem accommodatum intercedat interuallum, in quo emendetur noxa à pharmaco stuporem inducente impressa.

Septima. Inter omnia medicamenta stuporem inducentia, nullum est præstantius theriaca & mithridato. iis proxime accedit philoniū Romanum & Persicum. quæ de correctione ac ætate horum diximus, à Galeno confirmantur his verbis: Itaq; & spacio longiori ad ægri curationem, & Medico, qui egregie in arte sit exercitatus, est opus. nisi enim certa ratione postmodum curationem aggredietur, verendum erit, ne succi secundo in flatuosum spiritum versi, eundem dolorem renouent: vnde rursus stupefacientium aliquid medicamento-

rum exhiberi sit opus, eadem scilicet necessitate vrgente: ac pari modo tertio & quarto, & sæpe deinceps, quoad homo insanabilis effectus, in malum totius corporis habitum perueniat, & post longa tandem tædia pereat.] De ætate vero sic habet: Vtendum autem est philonio, & omnibus ex opio confectis medicamentis non recentibus, sed anodinis, aut minimum semestribus.] ac rursus. Omnia tamen id genus magis sunt salubria, si post annum à compositione sumantur, velut quod ad Philonem referunt authorem, quod ad dolores ex sensus torpore sedandos, nullo minus est celebre.

amnotinis

Philonij laus.

Octaua. In affectu dentium stupefacientia, aut nullum, aut exiguum damnum inferunt. Quædam sunt membra, quæ maxime læduntur à narcoticis, vt oculi, & intestinum colum: oculi quidem, nisi Medicus fuerit in arte exercitatus, ex illorum administratione facile obcæcantur. dolor vero colicus adaucta materia frigida, & impediendo digestionem materiei maxime augetur. Quædam rursus membra sunt, quæ non ita læduntur, vti sunt ossa, præcipue vero dentes. habent enim substantiam densissimam, quam non ita facile peruadit medicamentum, ac si perruaderet ipsum, non fit communicatio toto corpori, nec calori aliquod impendet periculum: hac de causa authores fere omnes in dentium affectibus opio vtuntur frequentissime: in oculi affectibus rarissime.

Summam videor explicasse, Marcelle, rationem vtendi pharmacis stuporem inducentibus; atque tibi & meo muneri, & fortassis etiam illi medico, quod maxime quidem desidero, hac in re satisfecisse. Interim cura, vt valeas, mei memor.

ONOPHRINO MEDICO CELEBRI.

An vtero gerentibus acuto morbo laborantibus medicamenta purgantia danda sint: quæ, & quo gestationis tempore. Nunquam decere fœtum occidere.

EANDEM fœtus cum vtero cohærentiæ, & coalitus rationem habet, quam cum arboribus fructus. Nam hi adhærent in generationis principio pediculis admodum imbecillis, tenuibusq; : atq; ideo facile decidunt, si aut ventus aliquispiam validior, aut violenta manus arborem concusserit. cum vero grandiores facti sunt, robustioresq;, firmius inhærent ita, vt non tam facile ex quauis iniuria in terram cadant. Maturiores postea redditi, etiamsi nulla accidat illis extrinsecus occasio, sponte decidunt. Eadem eueniunt fœtibus. In primo enim generationis initio, cum adhærere vteris incipiunt, adeo debilia ligamenta sunt, vt ex leuissima causa abrumpantur, vt si vel saltauerit mulier, quod olim ancilla quædam Hippocratis iussu obseruauit, vel lubrico loco contineri non valens, cadat, vel quomodocunque animo & corpore agitetur. Rursus cum omnino perfectus fuerit, vterusq; amplius continere, & ob magnitudinem, & ob alimenti penuriam fœtum non possit, grauis iam naturæ factus, & calcitrans exitum sponte quærit: atq; si hoc ipso tempore aliqua sese offerat occasio, ruptis vinculis abortus fit. In medio gestationis tempore validius inhærent, ac ipsi cotiledones firmius retinent, ideo neque tanta cum facilitate decidunt. Hæc magnus Hippocrates considerans in aphorismis, legem tulit de purgatione mulierum vtero gerentium, cum ait: Prægnantes purgabis, si materia turgeat, quadrimestres, & vsque ad septimum mensem. Sed has parcius: minores vero aut grandiores conceptus abstinebis.] quibus verbis præcipit: Medicum vti posse purgatione in vtero gerentibus, à quatuor mense vsque ad septimum: id est, in mensibus ipsius gestationis intermediis: statuamus fœtum gesturi nouem exactis mensibus: in primis tribus suspecta purgatio est: in tribus vltimis idem accidit. in illis ob nimiam laxitatem, lubricitatemq; ligamentorum: in his autem ob maturitatem fœtus. accommodatum igitur tempus est à quarto vsque ad septimum. Verum non semper conuenire vtero gerentibus purgatio videtur, etiam si morbum patiuntur, sed tunc cum materia turget, id est, cum materia ipsa mouetur quodam motu vago, modo ad vnam, modo ad aliam partem, vel ad nobi-

quarto

nobilem aliquampiam appellit, tũc enim indiget pharmaco veluti manum porrigenti humori iam agitato, quemadmodum Galenus ait. Dubitationem facit hoc loco, quibus pharmacis vtendum ex sententia Hippocratis. Deinde an liceat prægnantes acuta febre obsessas, etiam si materia non turgeat purgante vti pharmaco. Rursus an tutius sit mittere sanguinem. Quid sentias, vir doctissime, noueram antea ex litteris, quas Spirito Martino Salutiarum Medico præstantissimo, doctissime scripsisti: at nunc multo diligentius ex iis ipsis, quas ad me dedisti, sententiã percepi tuam. Atq; licet eam experientia coneris, & rationibus confirmare, adhuc tamen ego in eadem opinione persisto, quia nondum
10 mihi plane satisfactum puto. Habebis hic breuiter vtriusq; nostrûm assertionem explicatam, tu postea calculum, aut album, aut nigrum addes, & vero alium controuersiæ huius non desidero iudicem. Dicis Hippocratem præcepisse benignis, ac mitioribus vtendum esse pharmacis, primum, quia materia est in motu, indigens auxilio manum porrigente, quo ad excretionis locus deducatur, vt Galenus tum primo tum quarto Aphorismorum dicebat: fieri autem hoc potest à benignis pharmacis, quæ non electiue humores ducant, sed duntaxat leniendo. deinde, quia cum à materia turgente magna fiat in corpore agitatio, si pharmacum validum dederimus, augebitur fortassis ita, vt effreni reddita pharmaci operatione, abortus necessario sequeretur, quamobrem ne hoc accidat,
20 mitioribus agendum consulis. In horum numero proponis syrupum rosatum solutiuum, Mannam, reubarbarum, & huiusmodi alia, quibus aliquando addendum suades, vel diaphenicon, vel diaprunon laxatiuum, vel electuarium de succo rosarum. Secundæ quæstioni respondes, non turgentem materiam pharmaco purgante nunquam vacuandam: quia Hippocrates solum locutus fuit de materia turgente: at vacuationem esse necessariam per aluum, non pharmaco purgante, sed clysteriis ex mulsa, ex ptisana: vel per vrinas, vt ex decoctione anesi & apii, ex oxymelite, vel per sudorem, vel etiam aliquando per vomitum, si materia habeat raptum ad superiores partes: profiterisq; Galenum in febribus putridis nunquam vsum fuisse medicamentis purgantibus, quod contendis
30 probare ex lib. 11. meth. in quo ex proposito generalem curandi rationem harum febrium prosequitur: atq; ita quidem videris mihi confirmasse opinionem Aloysii Mundellæ. Tandem longe tutiorem esse venæ sectionem, ipso pharmaco à quarto vsq; ad septimum: quod vero in meis ad Spiritum Martinum Hippocratis regulam ad tertium extendere mensem voluerim, asseris id nouum tibi decretũ videri, ac postremum quęris, an liceat aliquando prouocare abortum; hæc tu quidem doctissime scripsisti.

Ego vero hoc vnum præ cæteris duo significandum, Hippocratem nomine Medicationis audiuisse medicamentorum purgantium actionem. vocat ille sua lingua, purgare, φαρμακεύειν, id est, medicari, quod est purgante medicamento vti.
40 Erant autem illi assueta purgantia valida, vt peplium, & helleborum in pleuritide, vt Galenus explanauit secundo de ratione vict. in morb. acutis: ac etiam alia eiusdem generis. Nec ego hactenus obseruaui φαρμακεύειν nomine aliud eum authorem intellexisse; cuius rei testimonium perhibent, quæ ille passim scribit, sed præsertim in 4. aphor. in quo ex proposito agens de purgationis præceptis, hellebori solius mentionem facit. Me non fugit mitioribus etiam vsum fuisse illum pro corporibus expurgandis, vt lacte asinino in ardente febre, in cholera morbo, quarto acutorum: rursus sorbitionibus attractoriis vt constat ex secundo, & quarto eiusdem tractationis: sed hæc non dignatur nomine pharmaci: quo semper intelligit purgans, & ex eorum numero, quæ cognita fuerunt
50 illi, atq; frequenter vsurpata. hęc, si vera sunt, demonstrant Hippocratem in vtero gerentibus à quarto vsq; ad septimum medicamentum proposuisse validum, quo scilicet sua tempestate vtebatur: nec potuit de mitioribus intelligere. primum, quia sorbitiones attractorię nunquam illi sunt appellatæ nomine pharmaci, multo minus lac asininum. deinde, quia quæ in vsu sunt apud nos mitissima, ignota erant illi: Neq; facile admiserim, Onophrine charissime, materiam tur-

duco rectius vt opinor.

v. 343.

Vtero gerentes purgare licet.

gentem mitia postulare pharmaca, quoniam cum magna immineant pericula ex motu humorum inordinato, vel imbecillitatis virium, vel incrementi febris, vel raptus ad nobilem particulam; obuiam ire non possumus miti pharmaco: nam si forte non moueret humorem ad locos communes, de ægroto actum esset. deinde opus est omnino ea dari pharmaca, quæ proprietate totius substantiæ vim habeant attrahentem humorem proprium, qui turget: porro quæ sunt eiuscemodi facultate prędita, ea quidem mitia non sunt, neq; sub lenientibus pharmacis comprehendi possunt. Adde quod celeriter expurganti pharmaco indigemus ob subitum ex turgentia periculum: lenientia vero, non nisi longo tempore suas exercent vires. Putauerim igitur materiam turgẽtem, secundum Hippocratis doctrinam valida postulare pharmaca, deinde quia propositæ rationes ita persuadent. At dices validum pharmacum materiam magis agitare. Ego admitto agitationem in ipsa fieri, imo hoc necessarium esse dico. quia cum illa moueatur vago quodam motu, opus est medicamento interturbante eum motum, & ad vias intestinorum ducente, quod fieri non potest, nisi motu moueatur contrario: in quo agitatio fit magna in principio, cessat autem statim atq; ad intestina materia à pharmaco incipit moueri. Non hæc dico, vt putem, in prægnantibus hisce pharmacis vtendum esse, sed, vt explanarem, qui secundum Hippocratis dogmata conueniant: Hæc tamen nostris temporibus non sunt vsurpanda, cum longe præstantiora, ac tutiora nobis medicamenta suggerantur. sed certe ipso in casu sola non satisfaciunt lenientia: vt quæ mali fontem non eradicent, admista validioribus erunt vtilissima: atq; hic certe non possum non maxime laudare consilium tuum: satis hæc sint de prima quæstione.

At in secunda toto, quod dici solet prouerbio, distamus cœlo. Si vterogerentes acuta febre prehendantur, neque liceat illis venam incidere, à quarto vsq; ad septimum tuto purgantibus pharmacis vti possumus. quod hisce rationibus persuadeo. Primum quotiescunq; eadem immineant pericula, quæ ex materia turgente, purgans pharmacum exhibendum est, licet materia non turgeat. Atqui in vtero gerentibus cum acuta febre detinentur, eadem imminent pericula, quæ materia turgente. Ergo pharmacum purgans exhibendum. maiorem nullam habere difficultatem puto; causa enim ob quam medicari statim oporteat materiam turgentem, est, vt euitemus pericula, quæ magna imminent, à Galeno explanata: eadem causa præsente effectus idem esse debet. Porro tria sunt eiuscemodi pericula. vnum, ne humores nobilem petant partem. aliud, ne robur virium dissoluatur: Tertium, ne febris augeatur. quis dubitat in acutis morbis non turgentibus hæc adesse pericula? statuamus non conuenire venæ sectionem, vel quia mulier nõ abundet sanguine, vel quia affectus ex cacochymia originem ducat, vel ob ęgroti timiditatem. morbusq; interim magnum postulet remedium; quid agendum? necessarium esse duco, materiam concoctam pharmaco purganti vacuare, nec valido, nec admodum miti, sed mediocri: Dixi concoctam materiam, quia tunc naturam habemus adminiculatricem. Crudã non auderem purgare eiuscemodi pharmaco, quamuis non dubitarem lenienti, & stercorario (vt ita dicam) communes vias detergere, præsertim, si nouerim materiam contineri circa ventriculum, intestina tenuia, mesenterium, ac hepar: ex quibus locis posset materia præcipitari ad vterum, & fœtum vel multitudine suffocare, vel malignitate extinguere. Soleo in hoc casu parum ante prandium exhibere tamarindorum acidorum decoctionis vnc. iii. liquando mannæ Calabriæ vnc. ii. Aut etiam simul cum cibo attractoriam sorbitionem aliquampiam more Hippocratis. vt e. g. cum ptisana diluere reub. elect. drach. i. s. & eam dissoluere ex vnc. tribus macerationis foliorum senæ, ac epithymi: cum cibo quidem exhibita pharmaca nullam inferre noxam possunt, estq; tutissima medendi ratio, & in vtero gerentibus, & in aliis morbis, in quibus facilẽ vacuationem desideramus, vt recordor me alibi explicuisse. Præterea vtero gerentes ferunt tuto venæ sectionem, vt explanauimus in libris de ratione curandi per venæ sectionem, igitur ferent etiam, si morbus indicauerit pharmacum expurgans, quando-

Nota. v. 34[illegible]

10

20

30

40

50

quandoquidem certum est maius periculum internecionis fœtus nasci ex vacuatione sanguinis, ex quo nutritur, quam humorum excrementitiorum, qui à natura illius maxime distant. Atqui dices alui fluorem ex Hippocrate abortum facere. ac etiam libro de morbis popul. 5. historia.18. mulierem dicit periisse ob pharmacum. At ego, inquam, cum Cornelio Celso nihil referre, quid intus in corpore geratur, sed quę sint vires ęgrotorum potissimum considerandum, quia validus senex, robustus puer, & mulier vtero gerens valida tuto curatur. Alui profluuium non quodlibet facit abortum, sed immoderatum, nec alui profluuium vocabitur, quod ex pharmaco fit, & moderatæ qualitatis, & vacuationis.
10 Neq; vxor Antimachi in larissa prægnans mortua fuit ex pharmaco simpliciter. Sed ex vehementiori elaterio, quam oportebat. Nos vero non damus quidem elaterium vtero gerentibus, sed benigna pharmaca. Deinde erat illa in secundo mense constituta, qua Hippocrates in ipsa Historia dicit vtero gessisse illam diebus quinquaginta. nos abstinemus in illis duobus, aut tribus mensibus: Notanda sunt hęc verba Historiæ. Huic potu datum est elaterium, vehementius, quam oportebat] quibus significat antiquiores Medicos in vtero gerentibus validissimis pharmacis fuisse vsos. non arguit, quod elaterium sumpserit, sed quod vehementius quam oportebat. Ac ibi nullam facit mentionem abortus, sed solius mortis; equidem mirum videtur cur secundo mense non fecerit abortum: sed
20 fortassis id fuit, quod eadem die mortua fuit, qua sumpsit pharmacum. Est etiam notandum Hippocratem dixisse huic datum fuisse pharmacum, vt innueret id ab aliis fuisse factum; ipsum vero fortassis præcepisse, vt abstineret.

Amplius ferunt vtero gerentes purgationem per vomitum, multo igitur magis ferent per aluum. nam illa vacuandi ratio est admodum laboriosa, vt quæ sit omnino præter naturam: hæc facilior, & secundum naturam: duo autem ostendunt vomitum non semper efficere abortum experientia, & clarissimorum Medicorum autoritas; neminem ego esse arbitror in artis operibus exercitatum, qui nesciat quasdam prægnantes primis mensibus (qui alioquin multo magis suspecti sunt) quotidie non bis modo, sed ter & quater euomere: imo nonnullæ et-
30 iam toto gestationis tempore vomitum patiuntur saluo fętu: addo naturam crisim per vomitum fecisse in vtero gerentibus tertio mense, legito Hippoc. primo epid. sec. tertia ægroto. 13. Tu præterea admittis, in secundo gestationis tempore, si natura ad superiores partes moueatur, vomitum tentari posse. Ego obseruaui frequentissime; idem Fernelius, qui diassari vsum tutissimum esse pueris, senibus, & vtero gerentibus profitetur. & vero, quod titulo promittit pharmacum, id præstare non semel animaduerti. Adde, multorum dierum inediam longe certius efficere posse abortum, quam breuium horarum expurgationem. Atqui obseruaui illustrem mulierem, diebus præteritis mensem integrum transegisse in inedia fere exquisita, quo mense maiori fœtus indigebat nutrimento:
40 erat enim octauus, ac singulis diebus euomebat: nec antea potuit sanari, quam prouocato ex arte vomitu, vt scripsi in obseruationibus medicis. poterit igitur vtero gerens sine periculo abortus, non in vltimis mensibus, sed in mediis, vnius diei pati perbreuem expurgationis molestiam. consimilem casum vidit etiam Fernelius, dum scribit: Mulierem vidi grauidam, cui tuberculo duro, eoque ingenti ita os ventriculi obturabatur, vt quicquid indebatur, attracto ventriculi ore, mox remearet, atq; redderetur. sic astantium omnium iudicio nihil cibi, potus ve bimestri tempore ea vorauit. tandem morbo, desipientia, febreq; confecta decessit, edito partu, quem vitæ superstitem reliquit.] Postremo hanc medendi rationem confirmo ex Galeni verbis lib. 5. aph. 55. com. cum ait: Graui-
50 dis quibusdam mulieribus, in quibus prius quam conciperent, vitiosi humores fuerunt aceruati, vsu venit, vt aliquando febribus vehementibus corripiantur, vt omnino abortiant. nonnunquam vero moderatioribus detineantur, sed cum exacte perpurgatæ non sint, aliquid cacochymiæ in corpore relictum est, vnde febres reaccensæ exarserunt. Neque enim Medici propterea, quod prægnans esset mulier, potens aliquod remedium adhibere, neque exquisitam victus

Nota: vene sectio pericolosior purgatione.

Error in quanto non in quali.

vomitio pericolosior purgatione.

Observatio diassaru. v. 297 ☿

rationem imperare ipsis sustinuerunt. Quæ causa est, vt, & febris subinde reuertatur: & temporis magnam partem affligat grauiter] hæc Galenus quæ profecto manifestissime indicant, vtero gerentes à Medicis fuisse non exacte purgatas, sed leuioribus pharmacis, qualia scilicet postulabat illorum conditio, ideo dicit: neq; potens remedium adhibere sustinuerunt Medici.] sic neq; nos purgabimus validiori, neq; mitissimo, sed moderato pharmaco. Quod porro scribis non esse pharmaca purgantia exhibenda in putridis febribus, mihi certe satisfacere non potest, vt quia alias docuerim esse illa quidem maxime necessaria. satis autem fuit Galeno in 11. methodi proposuisse remedium, humorem scilicet putrefactum per aluum vacuandum esse, per vomitum, per vrinas, per sudorem: neq; debebat explicare singulorum remediorum materiam: hoc enim non pertinet ad methodum, sed ad libros Galeni de medicamentis, vt idem author passim docet: quod, si de aliqua materia agit in methodo, id principaliter non facit, sed ratione exempli. mirum igitur non est, si medicamenta prętermiserit purgantia: atq; etiam vomitum concitantia, ac alia eius generis. de hoc argumento plura non scribo.

Accedo ad venæ sectionem. Est hæc remedii vacuantis materia, quam adhibere, nunquam in quolibet statu corporis non conuenit, si plenitudinis affectus cnm morbo magno præsenti, ac futuro adsit: vel particula fluxione sanguinis tentetur, aut sit tentanda, viresq; valeant, in affectu cacochymiæ non conuenit hoc remedium exercere, siue turgeat materia (in qua nullam adesse difficultatem video) siue non turgeat: sed purgans pharmacum dandum est. At vbi venam secare vsu veniat, longe tutius est primis mensibus eam exercere, quam mediis, aut postremis, quia in illis fœtus paruulus existens, tanto non indiget pro alimento sanguine, quantum retinetur in vtero. econtra purgatio primis maxime suspecta est mensibus ob vinculorum laxitatem, vt in principio disputationis dicebam: & hoc animaduertisse videtur Auerroes lib. 5. coll. cap. 29. & 7. cap. 4. Venæ sectio suspecta in aliis est mensibus, quia fœtus maiori indiget alimento: purgatio vero minime; quia fœtus vtero fortius adhæret. Legito, vir clarissime, si placet, quæ scripsimus lib. 5. nostræ tractationis de ratione curandi per sang. mis.

Hippocratis regulam ad tertium mensem aliquando extendi posse, nouum non est, Galenus enim primus omnium eius meminit primo epidemiorum sect. 3. ægroto. 13. in historia illius, quæ tertio mense vtero gerens à morbo acuto liberata est. Nec ego ex recentioribus primus locum animaduerti. elegantem enim hac de re epistolam scribit Mainardus Ferrariensis, estq; prior libri decimiquinti. & quamuis ille multa docte, pro sua alioquin cõsuetudine scribat: ego tamen putauerim ipsum non fuisse assecutum causam, cur scilicet tertii Galenus meminerit, & Hippocrates in aphorismis prætermiserit. Dicerem, quæ mea sit in hac re sententia, si postulasses: Abstineo igitur, ne videar extra rem tecum agere, atq; ad postremę disputationis explanationẽ mea sese transfert oratio. Pro qua dilucidanda volo prius recensere, quę aliorum opinio sit. Dicunt igitur quidam viri doctissimi, morbum, quo vtero gerens laborat, aut esse salubrem, aut lethalem. In morbo salubri à purgatione abstinendũ, quia natura erit per se sufficiens morbificam superare materiam. Si vero sit lethalis morbus, & ex iis, qui medicamentis cedere nequeunt, existimant tutius esse non purgare illas, ne nostro errori mortis periculum adscribatur, nisi purgatio fiat abortus causa sub certa vitæ matris desperatione: tunc quidem vbi matrem omnino cognoscimus morituram, licebit dare purgans pharmacum, vt succedente abortu consulamus animæ pueruli, Propterea suam hisce verbis opinionem concludunt. In morituris vero, si quando licet, id est, abortus gratia, ne matre vi morbi interempta, fœtus quoque citra Baptismatis Sacramentum sanctum, intereat. Hęc illi. Ego vero hic multum dubito. Ac primum salubris morbus est duplex. quidam acutus, de quo agit Hippocrates lib. 3. prognosticorum, quidam non acutus proprie, vt febris tertiana exquisita. In vtroque morborum genere prægnan-

v. pag: 101. 102.

prægnantes purgare saluberrimum est. In priori, quia acutorum morborum non sunt omnino certæ pronunciationes salutis, ac mortis. potest enim valida esse natura pro humore concoquendo, at erit fortassis imbecilla in expellendo, hinc non leue imminebit aliquando ægrotæ periculum. Adde quod si natura etiam sit valida in expellendo, dum eo fungitur munere, contingere possunt incommoda quam plura, vel quod effrenis sit in vacuando, vel quod non vacuet per conuenientem regionem, vel quod parum vacuet, vel cum dolore, & animi deliquio, ac alia eius naturæ: ex quibus morbus suapte natura salubris euadere potest lethalis. Pro quibus incommodis nulla potest excogitari magis accómo-
10 data ratio, quam vbi concoctam Medicus viderit materiam, naturamque non tentare motum aliquem, mouere ipsam hora motus eius, vt dicebat sapientissimus Auicenna. status morbi hora naturæ est, in cuius vltima parte mouendum ducerem. In exhibendis vero medicamentis eam cautionem adhiberi velim, vt eligantur benignissima, & quorum vis nihil haberet deleterii: vt in simplicium genere mannam, vel reubarbarum, vel etiam agaricum trociscatum (nisi de imbecillo ventriculo aliqua suspicio sit.) Tamarindorum pulpam, atramentum cassiæ fistularis, lac asininum, vel eiusdem serum, ac alia eius generis plurima. inter composita vero syrupus de Cichorea cum reubarbaro, vel de eupatorio, vel de capillorum veneris, vel rosatus solutiuus ex nouem duntaxat infusio-
20 nibus, vel addito reubarbaro, & agarico, vel etiam diacatholicon, vel diaprunon simplex. Vt vero carerent omni suspicione, statim exhiberem eiuscemodi pharmaca ante prandium: at si in morbo salubri natura bene indicaret morbum, vt fere accidit in tertiana exquisita, nihil mouerem, nec innouarem, vt Hippocrates in Aphorismis præcepit. Accedo nunc ad morbum omnino lethalem: atq; primum dico non esse dandum pharmacum, vt abortus fiat: tum quia abortus ex eo prouocari non posset: tum quia, si posset, non liceret. declaro vtrunq;. Si omnino morituram vi morbi cognoscimus, vtiq; illud etiam nouisse necessarium est, facultates omnes ad extremam imbecillitatem peruenisse: ac propriam essentiam, vt sæpe Galenus dicere consueuit, corruptam ita, vt de
30 cætero locus non sit remedio: si hoc verum est, vtiq; à medicamento purgante abortus fieri non poterit. Duobus enim modis id posset contingere, vel ex multa illius vacuatione, vel ex malignitate: at neq; purgatoriam facultatem exercere potest pharmacum, nec suas vires vtero communicare virtute ad extremum existente imbecilla. Quid enim actuabit medicamentum? atque si non actuabitur, dare mulieribus sic affectis validissimum pharmacum, esset perinde, ac si mortuis exhiberetur corporibus. si dicerent, mulieres non intelligere adeo imbecillas, sed in ancipiti casu constitutas, in quibus aliqua etiam adhuc spes adsit vitæ. Tunc multo minus, tanquam desperatæ tractandæ sunt: quia, vt supra dicebam, acutorum morborum non sunt omnino certæ pronunciationes salutis,
40 ac mortis: idq; ipsum quotidie videmus contingere, sanari, scilicet, quas morituras iudicabamus; Hippocratesq; in artis operibus id manifestissimum fecit in muliere tertio mense grauida, quæ decumbebat in littore: hæc enim adhuc graui, & acuto morbo laborauit, vt mirum fuerit eam fuisse sanitati restitutam. Quis in ancipiti casu matrem, ac fœtum simul præcipitaret? deleteria facultas pharmaci occidere posset fœtum: idem purgatio efficiet immoderata, hunc mortuum quomodo virtus imbecilla educet? Quam habemus certitudinem à purganti pharmaco viuum educi puerum; ac, si viuus educitur, quam spem habemus vitę, & matris, & fętus? Quamobrem in casu ancipiti remedium tentari non debet, quod certam inferre mortem possit. Hac etiam de causa dico, etiam si a-
50 bortus prouocari possit, non esse tamen à Medico tentandum. id remedium, Onophrine, exerceri non debet, quod nullam inferre vtilitatem potest. Etenim remedium quodcunq;, vtile appellatur à Galeno passim in libro de optima secta ad Thrasybulum: videamus modo cui possit vtilitatem afferre abortiuum remedium. Matrem quidem non iuuat: quia causa mortis est. nam Galenus dum exponit Aphorismum quarti libri dicentem: Quæ gestantes vterum febribus

ℬ. Aph. 19. lib. 2.

v. supra Aph: 19. lib. 2. ℬ v. 156. 177.

corripiuntur, aut vehementer sine euidenti causa extenuantur, eæ difficulter, & cum periculo pariunt: aut abortiendo periclitantur. recenset] abortū inter causas periclitationis matris. Non viuat fœtui, quia mortem in vtero accelerat pharmacum abortiuum. illius enim obitus causæ multæ sunt: vna est febris ardens, quæ vt matrem, sic longe facilius puerum occidet. secunda est inedia, quam seruare aliquando vtero gerentem oportet: fœtus enim indigentia, ac fame perit, non regenerato pro illius nutrimento sanguine. Tertia est febris incrementum, si cibum enim damus, cuius causa mater citius interit. Quarta est qualitas medicamenti abortiui, quæ omnino est contra naturam fœtus. Igitur quia non est imaginabile, cum ardentissima febre, ex qua omnino moriundum sit matri, viuum conseruari posse in vtero fœtum, pharmacum mortuum educens (dato id posse fieri) nullam fœtui vtilitatem affert. Ita statuendum esse ex Galeni decretis, eius verba manifestum faciunt quinto Apho. com. 31. cum ait: Siue enim acutus cum febre morbus sit, necesse est febrem continuam esse. Talis enim est morbus acutus, vnde geminum impendet fœtui periculum: vnum à febre ipsa eum perimente: alterum, quod ex longo interuallo cibaria dantes, eundem alimenti indigentia, & fame necamus. Quod si, vt hunc seruemus cibaria benigne, & crebro exhibuerimus, intempestiuo cibo aucta febris continuo prægnantem tollemus de medio, hæc Galenus. Hactenus de hac opinione. Auicenna fen. 21. 3. tract. 2. cap. 18. contendit tribus de causis licere Medico partim prohibere, partim interimere conceptum. Vna, quando vtero gerens tenella est, quæ sub partu facile subcumbat. alia quando in vtero morbus aliquispiam adest partum impediens. tertia est affectus vesicæ, periculum scilicet imminens, ne illa disrupta, mater moriatur. Videtur Auicenna hanc sententiam ex Aetio fuisse mutuatum, qui lib. 16. c. 16. idem consuluit. iis ego non adhęreo, nam quæ fœtum corrumpunt, omnia quidem deleteria, & maxime periculosa, certam matris ipsius salutem polliceri non possunt: adde quod in abortu dolores, & pericula longe maiora fiunt, quam in partu legitimo, estq; abortus in muliere periculi causa, vt ex Galeno supra dicebamus: hac de re longe satius est, & consilium prudentius abstinere semper ab iis, quæ fœtum corrumpunt. Neque casus ab Auicenna, & Aetio propositi videntur mihi aliquid persuadere. imo satis inanes videntur. Hippocrates videtur varius, nam, in suo iureiurando legem statuit, ne Medicus aliquando prouocet abortum. At libro de natura pueri contrarium scribit, persuadens cuidam ancillæ, vt saltando fœturam emitteret. sic quidē habent eius verba: Ego vero cum audissem, iussi ipsam ad terram saltare; & postquam septies iam exiliisset, genitura in terram profluxit, & strepitus factus est, atq; illa conspecta ipsa admirata est. qualis autem erat, ego referam.] Magna certe contradictio est, quam duobus modis explicare possumus; vno, vt statuamus librum de natura pueri non esse Hippocratis, sed Polipi. Galenum enim aliquando dubitasse hac de re satis constat, licet hanc sententiam libro de semine, & de formatione fœtus citet sub nomine Hippocratis: quod ille facit ex communi consuetudine. Ego huic opinioni adhæreo duabus de causis: vna est, quod computationem in prægnantibus exactis mensibus solaribus faciat, quam lunaribus fieri debere Hippocrates manifestum fecit libro de septimestri partu. de qua materia plura scripsimus libris nostris de partu hominum. Alia est, quod scribendi modus non videtur mihi maiestatem illam, & grauitatem, & breuitatem propriam Hippocratis præseferre: licet ea tractatio maximi sit momenti. Qui vero hunc librum tanquam legitimum admittunt, inter quos est doctissimus Hieronymus Mercurialis, quem hic honoris causa nomino, aliter satisfaciunt difficultati. Dicunt apud antiquos licuisse cōceptum educere anteaquam animatus esset: vt nefas fuisset animato conceptu abortum facere. hanc legem scripsisse Aristotelem septimo politicorum. c. 16. Ex hac lege soluunt contradictionem, docentes in iureiurando de fœtu animato, in libro de natura pueri, de fœtura & conceptu nondum animato fuisse locutum; erat enim dierum septem, quo tempore animata esse nō potuit. At sane si vera fuit ea consue-

consuetudo, solutio nullam habere difficultatem videtur: sed Aristotelis verba reddunt me ambiguum. ita enim habent: Ad filiorum multitudinem nimiam euitandam anteuenire oportet, vt non concipiantur, nam postquam concepti sunt, & sensum & vitam acceperint, nefas est attingere eos] videntur mihi hæc verba omnino detestari abortum; quia dicit: anteuenire oportet, ne concipiantur] hoc remedium ad euitandam filiorũ multitudinem. quod si concepti sunt, nefas est eos attingere, multoq; minus, si iam sensum ac vitam acceperint. Nam vbi conceptio facta est, vita ac sensus necessario succedit: propterea qui conceptum statim factũ deiicit, hic necessario priuat sensu, & vita ipsum conceptum. huncq; explanandi modum sequuntur præcipui illius loci commentatores. Receptui canens, Onophrine doctissime, hoc dico & profiteor, nunquam licere prouocare abortum: in sanis mulieribus nefas omnino est, atque maxime impium. In ægrotis tum detestabile, tum periculosum & matri & fœtui. Audiuisti igitur, quid sentiam. Tu postea iudicabis. Excellentissimo Oelemcapio salutem meo nomine dices plurimam. Gratias habeto illi immortales, quod tam bene de me scripserit D. Mauritio. Tuam curato valetudinem. Neq; aliquando obliuiscaris, esse me tui amantissimum.

EIDEM.

Cur Galenus tertium mensem in vtero gerentibus pro expurgatione ferenda, alijsque incommodis facile tolerandis addendum putauerit. An tertius & quartus sint tutiores reliquis, nempe quinto, sexto, septimo. De victu vtero gerentium, cum acuto morbo detinentur.

PLVRIMVM gaudeo, vir clarissime, quas mense præterito scripseram, satisfecisse tibi, responsiones: vtinam, quæ nunc paro, æque satisfaciant. De tribus abs te propositis acturus, exordior à dubitatione circa tertium mensem proposita. Erat dubitatio, cur Galenus trimestres & quadrimestres periculis abortus minus obnoxias cæteris iudicauerit. In qua re quæstiones sunt duæ: vna est, cur trimestrium meminerit, quas excludere videtur Hippocrates quarto aphorismorum. Alia, cur trimestres & quadrimestres sint magis tutæ ab eiuscemodi periculo, quam quimestres, sextimestres, septimestresq;. Dicebam in superiori epistola, priorem difficultatem animaduertisse alios: at mihi non plane in explicatione satisfacere. Io. Manardus de re medica optime quidem meritus, ait, Hippocratem in aphorismis ea scripsisse, quæ ratione maxime consona videbantur, propterea rationem magis, quam experientiam sequutum: cum enim totum gestationis tempus in tres diuisisset partes, in extremas duas, & vnam mediam: ex duabusq; illis extremis primam quidem ob redundantem in connexibus, quibus fœtus vtero alligatur humorem: & tertiam ob eorundem nexuum nimiam siccitatem ineptas omnino putasset ad motum, qui in purgatione contingit tolerandum. Mediam vero solam, ceu ab vtroq; extremo pariter semotam, ad purgationis impetum perferendum iudicauit idoneam. In libro vero epidemiorum, in quo non rationi, sed obseruationi innititur, tertii mensis vim agnouisse, seruata in eo simul cum fœtu muliere, & vehementissima febre & symptomatis admodum sæuis laborante, hæc illi solutio maxime satisfacit. Sed mihi certe parum, vt qui putem eandem esse rationem quarti & tertii. In primis volo supponere morbum illius mulieris, quæ decumbebat in littore extitisse maximum, atq; vt ego sentio, ex materia turgente: ac licet Hippocrates remediorum non meminerit, rationi tamen consonum est, arbitrari vsum fuisse illum omnibus, quæ postulabat illius morbi vehementia. Decimoquarto fuit indicata duplici vacuationi: per vomitum flauæ bilis copiosæ, & per sudorem. Galenus admirandum hunc explanans casum dicit, trimestres tolerare angustias, & labores acuti morbi: ac reddens huiusce rei rationem, inquit ex Hippocrate: quod à quarto vsque ad septimum vtero gerentes purgandæ sunt, si materia turgeat: verba affero dilucidioris doctrinæ gratia, quæ sic habent: iam illud quoq; me-

minisse par est, fœtum trimestrem & quadrimestrem præter cæteros iniuriis resistere. cuius non ignarus Hippocrates in aphorismis dixit: Grauidæ purgandæ sunt, si materia turgeat à quarto mense vsq; ad septimum mensem: minus vero has: minores & prouectiores caueto. itaq; fœtus vincula, quibus adhærent vtero imbecilla habent, & vniuersum corpus tenerum, qui vero prope partũ sunt, quia sunt iam magni, multo indigent alimento, quo si deficiantur, crebro in morbis acutis pereunt.] hæc ille. Quæ manifestissimum facere videntur mihi, Galenum sententiam aphoristicam in medium protulisse, vt ratione confirmaret historiam Hippocratis: fœtum, inquit, trimestrem & quadrimestrem præter cæteros iniuriis resistere, hac potissimum ratione, quod scripserit Hippocrates vtero gerentes à quarto mense vsq; ad septimum, si materia turgeat, esse medicandas. Sed cum in aphorismo de trimestri fœtu, ne verbum quidem ille faciat, frustra sententiam affert in medium, nisi eadem ratio sit in trimestri, quam in quadrimestri nouit. Absurdum est, quod hic Manardus commentatur, Galenũ adduxisse aphorismum, non ad approbandum tertium (de eo enim nulla ibi mentio) sed ad ostendendum quarti valorẽ, qui sit tertio non solum ordine, sed virtute proximus. Nam in explanatione eius historiæ non oportebat Galenum quarti valorem explicare, vtputa qui nihil prorsus ad eam faceret: debebat quidem probare, cur tertius iniuriis resistat: ideoq; si ea probatio nihil facit ad tertium, iam tum inanis probatio est, tum etiam historia ipsa remanet citra confirmationem aliquam rationis. Deinde, si responsio valeret huius hominis, dicere etiam possemus sub septimo octauum contineri, qui proximus est illi: at omniũ iudicio semper excluditur octauus. Ego itaq;, vir eruditissime, persisto in Galeni explanatione, qui confirmans Hippocraticæ historiæ veritatem, idcirco inquit, illam mulierem trimestrem morbo acutissimo, ex materia turgente, ac etiam complicato restitisse, ob eam rationem, qua resistunt fœtus in mediis mensibus, de quibus 4. aphoris. scribitur. Est autem eadem ratio: sed sub ea aliquando includendum esse tertium mensem, iam dico: Partus naturales fiunt nono, decimo, & vndecimo mense, vt docuit Hippocrates libro de septimestri & octimestri partu: quo cum omnes Medici consentiunt: imo partus etiam naturalis est mense septimo, non solum fere exacto, sed etiam inchoato: vt cum attigerit 182. diem cum dimidio: vt ibidem sentit idem author, atq; iurisperiti illius auctoritate decreuerunt: Quæ, si vera sunt, docent aliquando tertium mensem includendum inter menses intermedios: esseque hac ratione tutum, quemadmodum etiam sunt alii. Regula est: Menses intermedios esse tutiores reliquis. Parturiat nono mense mulier. quartus, quintus, sextus, intermedii sunt. Parturiat decimo. medii sunt, quartus dimidiatus, quintus, sextus, septimus dimidiatus. Parturiat vndecimo. medii sunt, quartus ex dimidio vsque ad septimum exactum. Verum quia partus, vt plurimum exacti sunt decimestres, deinde nouimestres, rarissimi sunt vndecimestres, septimestresque. hinc factum fuit, Hippocratem pro munere optimi artificis, regulam scripsisse vniuersaliorem: quando dicit à quarto vsq; ad septimum: qua potissimum includuntur decimestres ac nouimestres. Septimus enim mensis non includitur in mensibus intermediis totus in partu nouimestri, sed pro parte: in decimestri fere totus, vt etiam in vndecimestri. Principium vero intermediorum certe in omnibus est mensis quartus, aut exactus, aut ex aliqua parte. At in partu septimestri nunquã quartus mensis potest intermediorum esse principium, nunquam septimus potest esse finis. Hac de causa hunc mensem in aphorismo non posuit: alioquin regulam non fecisset vniuersalem. At non exclusit ipsum ab vniuersalissima ratione, qua intermedii mẽses dicantur esse tutiores. In septimestri partu medii menses sunt: tertius, & quartus. si partus fieri debet 182. die. si in fine septimi, aliqua aderit portio quinti mensis: Ergo ratio tertii mensis est eadem, (non in relatione ad omnem partum, sed solum ad septimestrem;) cum quarto mense: quæ ratio, quia in eo aphorismo comprehenditur, fit quidem, Galenũ iure confirmasse Hippocratis historiam ex verbis ipsius aphorismi. hæc igitur, Onophrine, vna est cau-

est causa, & meo iudicio necessaria, ob quam tertii mensis in aphorismo facere mentionem recusauerit. Alia est etiam satis probabilis, ad medendi methodum pertinens. Quia in mensibus intermediis debebant exerceri auxilia expurgantia: vt plurimum vero certi non sumus partum fore septimestrem, ac certi fere sumus, partum fore nouimestrem, vel decimestrem, propterea menses intermedios, in quibus eam exercere medicam materiam debebant Medici, docere voluit, relicto tertio tanquam dubio & ancipiti, quia nequit aliqua certa afferri notitia partus septimestris, cum solo euentu cognoscatur minime frequenti.

Porro, si ex me quæsieris, an coniectura aliquapiam probabili discerni possit, 10 qui sit futurus septimestris vel nouimestris partus. Dicerem, aliam non esse apud me coniecturam, quam quæ sumitur à formatione fœtus, quam motus illius manifeste indicat. Regula enim est, quæ non fallit in artis operibus. Moueri fœtũ duplo formationis spacio. Nasci duplo spacio motus: ita vt sit spacium, quod est à prima inceptione conceptionis vsq; ad motum, triplum e. g. Formatio 30. 35. 40. 45. 50. Motus 60. 70. 80. 90. 100. Natiuitas siue partus 180. 240. 260. 270. 300. Ergo vbi constiterit principium motus, constabit finis formationis & partus principium: quæ res in quadam latitudine intelligenda est, distincta in eo, quod magis ac minus, vt declaratum fuit mihi libris de partu hominis. Sed ex mulieribus vtero gerentibus primiparæ, vt inexpertæ non possunt exacte scire 20 motum, aliæ vero facilius.

Declaremus modo secundum. Verba Galeni sic habent: fœtum trimestrem & quadrimestrem præter cæteros iniuriis resistere.] quæ duplicem, ac fortassis triplicem habere sensum videntur mihi, prout comparatio fieri potest ad duo: vel, vt statuamus prçter cæteros antecedentes: vel præter cæteros subsequentes, vel etiam præter cæteros, tum antecedentes, tum subsequentes. Comparationẽ cum vtrisque faciendam putauerim: media enim dicuntur in relatione ad extrema: nequit fieri comparatio ad alterum extremorum, quia in vno quoq; abortus contingit in primo quidem extremo ob nimiam humiditatem vinculorum, & imbecillitatem fœtus: in alio ob siccitatem eorundem, atque grauita-30 tem, & maturitatem fœtus. Quamobrem si hasce causas consideramus, quas considerasse videtur Galenus, vtique mensis tertius & quartus tutiores aliis existunt, sed non eadem ratione. quartus quidem vt plurimum. tertius vero raro. Ille mensis ab iniuria abortus longe tutior est cæteris, qui ab omnibus extremis æque distat: est eiusmodi partus. nam partus nouimestris frequentissimus est: quartus dimidium habet: nam satis est, mensem vltimum non esse exactum: etenim licet absolutio sit decimestris, vt demonstratum mihi fuit libro secundo de partu hominis, non ita frequens est, vt nouimestris, ideoq; illum sub nouimestri comprehendimus aliquando, vt etiam doctissimus notauit Lilamantius. Mensis igitur quartus cum aliqua portione quinti exacte medius est in 40 partu nouimestri. exigua portio non computatur in numerum. propterea est tutior antecedentibus & subsequentibus. Quia vero hoc, vt in pluribus contingit, & Medicorum regulæ, vt in prognosticis ac alibi dicere Galenus consueuit, vt in pluribus verificantur, factum est, tanquam vniuersalem receptam esse regulam, à quarto vsq; ad septimum. Proxime huic accedit quintus ob decimestris perfectionem. Hunc sequitur sextus. At non ita tutus septimus est, in quo bene formatus, & grandior fœtus est, ideo minus septimestres purgare oportet, vt Hippocrates inquit, sic habent medii. In extremis porro mensibus tutum non est generosum adhibere auxilium. In octauo maxime periculosum, cum neminem eo in mense vitæ superstitem euasisse, Hippocratis testimonio constet. 50 Septimo epidemiorum text. 36. scribit historiam vxoris Olympiadæ, quæ octauo facto abortu, mortua est. in nono, ac aliis deinceps non est par ratio. cum enim absolutus sit fœtus, ac vt plurimum vitalis, si aut vi morbi, aut alia de causa externa contingeret emitti fœtum, abortum omnino non vocarem; nam ratione temporis, ratione absolutionis fœtus, abortus nuncupari non debet. Hæc licet vera sint, non tamen persuadent, valida conuenire pharmaca: satis est,

mitioribus egisse. Tertius porro mensis iniuriis resistit magis, quam cęteri menses, non absolute, sed solum in relatione ad partum septimestrem: quia centesimo & octuagesimo secundo die natus ex doctissimi Hippocratis testimonio, haberi pro vitali D. Pius Pontificibus rescripsit. quia vero rari sunt hi partus, propterea tertii mensis inter vniuersales regulas meminisse noluit: nec Galenus alibi meminit mensis tertii, quam semel in explanatione contextus Hippocratis: quod ob raritatem casus factum putauerim. Hæc quidem circa materiam turgentem, & morbos acutos vtero gerentium dicenda videntur mihi. Verum si consideramus alias causas abortus, fortassis medii menses erunt magis periculosi, inter has causas vna est sanguinis multitudo, suffocans fœtum; obseruabis, 10 multas singulis annis abortire, aut mense tertio, aut quarto, aut quod summum quinto: atq; fœtum mortuum edere nulla externa causa præcedente: quæ res à duabus potissimum causis contingit: vna est sanguinis multitudo: alia est mala qualitas & deleteria à lue potissimum venerea contracta. Plectora venæ sectione corrigenda est primis mensibus, bis ac ter etiam, si oportuerit, repetita; sic citra damnum aliquod, aut matris, aut fœtus soleo multitudinem exonerare: igitur à primo vsq; ad tertium fiat, in quo spacio paruus fœtus exiguo nutrimento indiget. à quarto vsq; ad septimum remedium non est ita tutum, quia corpus infantis maius est, ac maiori indigens alimento, non ita tuto sanguinis missionem tolerat: vrgente nihilominus necessitate, salubriter etiam sanguis mittitur 20 vicibus repetitis tribus aut quatuor. At si maligni humores ac venenata qualitate participantes abortum faciant, nihil salubrius vomitu: qui primis tribus magna securitate potest tentari: nam quemadmodum natura in illis per vomitum sese exonerat fœlici successu, sic ad illius imitationem agere licebit nobis. Purgantia vero pharmaca tuta non sunt. Sed, quia propositum est agere de morbis acutis vtero gerentium, satis hæc, alibi reliqua explanabimus.

Ago nunc breuiter de ratione victus: Sunt, qui dicunt, mulieres vtero gerentes cum aliquopiam acuto morbo prehenduntur, victũ tenuem, & exquisitum ferre posse, eo potissimum argumento moti, quod videant, multos menses permanere ipsas, cum cibi fastidio, & vterum salubriter gestare. Quorum opinio a- 30 liqua ex parte satisfacit mihi. si enim primis mensibus cõtingat ipsas acuto morbo laborare, licet nunquam vterer proprie tenui & exquisito victu, ad eum tamen proxime accederem, cum certe nullũ periculum immineat abortus ob alimenti penuriam: dictum sæpe fuit à Galeno, ac ab omnibus Medicis confirmatum, multo maiorẽ primis mensibus copiam sanguinis contineri in vtero, quam pro nutrimento fœtus oporteat. Sed in mediis mensibus cautius agendum; quia fœtus iam grandior fit, postulatq; alimentum copiosius. In vltimis pleniorem adhibere victum opus est, cum plurimo tunc indigent alimento. Ab illis igitur dissentio: primum, quod nunquam victum vere tenuem & exquisitum instituerem; secundo, quod non distinxerint tempora vtero gerentium: in qua re 40 summa totius cibationis consistit. Galenus vniuersalem affert, certissimamq; caussam, ob quam tenuis victus non conueniat. ea vero est, quia inquit: victus tenuis diminuit alimentum infanti: at hinc sequitur abortus. Victus plenior, vt prodest infanti, sic matrem adaucta febre occidit: ideo dicebat Hippocat. vtero gerentes acuto morbo inuadi lethale est. Ex hac Galeni ratione inuenio formã victus conuenientem. Etenim neq; tenuis & exacta, neq; plenior instituenda est. sed quæ medio modo sese habeat inter extrema, plus aut minus ad alterum accedens extremorum, prout magis vel minus ad primos menses accesserit. Ergo, vt aliquod exemplũ proponamus, primis illis mensibus à vino, à carnibusque 50 abstinentes, dabimus ptisanam hordeaceam, iure pullæ dissolutam, panem contritum in eodem iure, vitellos ouorum permixto acido citri aut limonis succo. quantitas paulo maior esse debet, quam exhiberemus acute febricitantibus non gerentibus vtero: consuetudinemq; semper in cibationibus obseruabimus, nam aut ter, aut quater cibabimus, si sana existens ita cibari consueuit. illud porro vel me tacente constat, alimẽta instituenda esse medicamentosa, quæ pro varie-

rate

tate humorum decernenda sunt. In mensibus intermediis contusum parũq; pullæ mixtum cum ptisana dabimus cum acido succo, lactucam & vitellum oui cum iure pullæ, panis offam eodem iure maceratam. In postremis non contusum modò, & ptisanam, sed etiam concedemus, vt carnis pullæ paruæ degustet, aquam etiam carnis parabimus ex acidis: stillaticios liquores, & cardiacos instaurantes, ac alia eiusdem generis exhibebimus.

LVCIANO BELO SERENISSIMO VRBINI Ducis Medico.

10 *Quomodo pleuritis aliquando citra venæ sectionem sanetur. Explicatur difficilis Hippocratis locus. Atq; Galenus defenditur contra recentiores Medicos. De fomentis adhibendis in dolore lateris. Localibus remedijs nonnunquam sine vniuersalibus, & nonnunquam ante vniuersalia vtendum,*

LONGE ab opinione Menodoti Empirici, quem Galenus non semel arguit, nostra, Luciane Bele, distat sententia. Ille quidem nunquam incidendam esse venam, nisi plectorica syndromes adfuerit, arbitrabatur. Nos vero & in plenitudine, quoad vasa, ac etiam in alia respiciente vires hoc remedium admit-
20 timus. Ille solum in actu plenitudinem considerabat, nos etiam plenitudinem in potentia pro scopo indicante concedimus. Ille totius corporis πλήθωρην duntaxat, nos & totius & partis necessariam esse dicimus. Ille citra plenitudinis affectum nolebat aliquando conuenire sanguinis emissionem: nos vero etiam si plenitudinis non adsint signa, imo etiam si abundet corpus malis humoribus, reuulsionis gratia venã pertundere solemus, vt in iis, qui vulnerati sunt, vel ab alto ceciderunt. quod etiam ipsos empiricos factitasse, Galenus lib. 4. meth. cap. 6. demonstrauit. Plenius declaraui alias, quæ ad hoc negotium pertinebant: Tu poteris legere, quæ scripsi, atque ita citra laborem cognoscere, an valeant rationes, contra opinionem meam acutissime propositæ.
30 Quod dicebam de pleuritide, eiusmodi est: In omni inflammatione præcipuam indicationem esse, vacuationem sanguinis in phlegmone contenti: quæ vacuatio fit dupliciter: vel sensibili euacuatione, vel insensibili. Hoc remedium aliquando potest tuto exerceri, aliquando autem deriuatio ac reuulsio præponenda est. si exigua fuerit phlegmone, & à toto corpore nihil influat: tunc enim euaporantibus atq; scarificationibus multitudinem ex phlegmonosa particula vacuamus. At vero, si quid à toto, vel etiam à determinata particula affatu dignũ demandetur, effluatq;, hunc scopum statim executioni demandare non conuenit: præstat enim antea fluentem humorem reuellere atq; deriuare. In pleuritide non semper vrget fluxio, est enim aliquando parua adeo, vt solum vigeat sco-
40 pus euacuandi humorem in ipsa inflammatione contentum: tunc venæ sectio præmittitur ex cubito, aut ex alia vena magna societatem habente cum affecta particula: nec immerito. quandoquidem venæ sectionem magnum esse nosti remedium: quemadmodum etiam non deberi executioni demandari illam, nisi magnus extiterit morbus. At supponitur parua inflammatio, non igitur venę sectio conueniet: sed pro venæ sectione scarificatio affectæ partis, nisi quidpiam impediat; ac medicamenta digerentia vti sunt fotus. Rem in hunc modum sese habere, demonstremus tibi, tum Hippocratis, tum Galeni verbis:
Ille quidem ita scribit 6. epid. sect. 3. textu vlt. Impedimentum in cruenta spuentibus, anni tempus, pleuritis, bilis.] quibus verbis satis aperte videtur indicare,
50 Pleuritidem aliquando impedire venæ sectionem. sensus enim dictionis Hippocraticæ sic habet secundum Galeni in eo commentario explanationem. Quibus sanguinis expuitio contingit, iis tribus de causis aliquando nõ conuenit venæ sectio: vna est anni tempus maxime calidum ac frigidum: alia est pleuritis exigua, in qua statim ægrotus rubeum expuat: tertia est bilis, vt si reiectatio sanguinis habeat originem, à copia acerrimæ bilis erodentis vasa, in hisce tribus

affectibus interdicitur venæ sectio. Verba Galeni hæc sunt: Inter explanandum enim quendam ægrotum intuitus sum, qui me, vt sanguineo sputo vexatus, accersiuit, sed cruentum ob lateris affectum expuebat, sputum igitur ego conspicatus, ipsum interrogaui, num aliquem dolorem in coxa sentiret, ipse vero exiguum se dolorem percipere fassus est. Talis autem erat eius habitus atq; vires, vt si sanguinem expuisset, quoniam necessarium esset venæ secandæ auxilium, ad ipsum accedere ausus essem: sed cum morbus lateris mitis admodum foret, necesse non erat. ideo neq; id genus remedii adhibuimus: atq; euidenter hominem hunc lateris morbo laborare cognouimus, quod, & aliis huic morbo congruentibus remediis, citra venæ sectionem leuatus est. Mitissimi enim illi sunt lateris morbi, in quibus cruenta sputa eiiciuntur.] hæc Galenus.

Sunt, qui non admittunt hanc explanationem, durum enim illis videtur, Hippocratem dicere, Pleuritidem venæ sectionem non postulare, neque Galenum sese ab hac difficultate extricare putant: propterea nouam illius aphorismi expositionem imaginantes, ita scribunt: Quapropter ego in alium sensum feror, intelligoq; impedimentum dici, non quod missioni sanguinis, sed quod curationi simpliciter obstat. quasi diceret, cum quis sputo sanguinis laborat, tempus anni valde, aut calidum, aut frigidum. & pleuritis (si scilicet simul tenetur pleuritide, vt fieri solet) & bilis toto corpore redundans, impedimentum est, quo minus recte curetur. Quia vterq; temporis excessus, & frigus inquam, & calor auget sputum cruentum, illud rumpens, hic laxans. bilis exedit, quare cum sint hi tres modi, quibus possit sanguis exscreari, ruptio, anastomosis, & corrosio, necesse est, hæc tria obstent curationi. preterquam quod bilis petit vsum expurgantium, quæ aperientia sunt, & irritantia. Iam vero pleuritis non aliter curari potest, quam execrando: neq; hæmaptosis quicquam petit magis, quam thoracis quietem: vt ne loqui talibus libenter permittatur. Obstant igitur magnopere omnia hæc sputi cruenti curationi. Hanc esse legitimam loci huius explanationem, facile intelliges ex Galeno in com. 16. 1. sect. aphoris. ibi enim ita est scriptum: Etenim contraria indigent curatione, sputum sanguinis est pleuritis] si igitur contraria petunt auxilia, necesse est, mutuo simul impedimento sint. hucusq; recentiores.

Hæc explanatio, quamuis videatur satis ingeniosa, Galeni explanatione minus probabilis videtur mihi. In primis mirandum est, cur dixerint, Galenum sese ab hac difficultate extricare non potuisse, quantumuis laborauerit. nihil enim ab ipso potuit scribi dilucidius. Dubitatio erat. cur pleuritis venæ sectionem impediret. si pleuritis omnis venæ sectione sanari videtur. Respondet, non sanari omnem hoc remedio: sed duntaxat magnam. Paruam vero ac mitissimam eo non indigere. Nos itaq; videntes, hanc Galeni enarrationem lucidissimam esse, simulq; verissimam, experiamur, an extricabunt sese à difficultatibus, quas illorum explanatio affert. sic interrogo: cum loquuntur de sputo sanguinis, vel loquuntur de illo, qui accidit in inflammationibus, vt in pleuritide & pneumonia: vel de illo, qui fit sine inflammatione, si excluduntur inflammationes: non erit dictio hæc aphoristica vniuersalis. Quo enim vniuersalior est aphorismus, eo melior. At si de vtroq; sputo loquantur, sententia Hippocratis non est vera: quia sputũ sanguinis in pleuritide & pneumonia contingens, non impediunt curationem: imo signum cum sit coctionis, facilitatem & securitatem iudicii siue sanationis indicabit: si enim statim appareat, vt Galenus & Hippocrates dixerunt, morbum abbreuiat. Præterea in calido cœli statu multo facilius sanantur, quam in frigido, vt quotidiana demonstrat obseruatio. Deinde præsentia bilis non impedit curationem, nisi vniuersali quadam ratione, quatenus causa morbum fouens. Nam quemadmodum bilis in tertiana exquisita febri contraria est, curationem tamen nõ impedit: sic neq; impediet contraria existens sputo sanguinis ab erosione proficiscenti. Dein quæ ab illis de pleuritide dicuntur, consideremus: Dicunt, si quispiam simul tenetur pleuritide, vt fieri solet. ambigua videntur mihi hæc verba, & veritatis forsitan incertæ. Si enim volunt

lunt coniungi posse pleuritidem & sputum sanguinis. aderunt in ipso casu duæ sanguinis expuitiones: vna ratione pleuritidis, quę proprium est ac essentiale illius symptoma: alia, seiunctam à pleuritide habens naturam. est certe complicatio horum affectuum, aut impossibilis, aut adeo rara, vt ego, qui in factitanda medicina iam insenui, nunquam eiuscemodi viderim complicationem. nec mirum esse debet, quia cum omnis inflammatio fiat à sanguinis fluxione appellente in locum, ex quo exitum postea non habeat, in proposita complicatione apertio adest venarum, ex quibus foras eructari sanguis potest. Vt ex vtero fluente sanguine, impossibile est ipsum inflammari posse, aut maxime difficile: sic ex 10 thorace sanguine reiectato, vix imaginari potest inflammationis aduentus. propterea miror, quid sibi voluerint, cum dicant, vt fieri solet.] cum sit casus admodum insolens. Est autem consuetudo Hippocratis, ea prætermittere, quæ raro contingunt, vt in prognosticis explicatum non semel fuit. Hæ difficultates vrgent horum opinionem. At Galeni nullæ. Redditurq; aphorismus vniuersalis. Nam perinde est, atque si diceret: Nunquam conuenit venæ sectio, vbi affectus fuerit paruus: quem ille significauit exemplo pleuritidis, in qua maxime videbatur generosum hoc remedium conuenire. Nunquam conuenit in solius bilis abundantia: cacochymiam enim significat, cui proprie debetur purgatio. Postremo, nunquam conuenit in statu cœli admodum intemperato: hunc si- 20 gnificauit per anni tempus, vt consueuit quarto acutorum commentario decimonono. Quid si dicerem, hoc præceptum esse contrarium huic. in acutis morbis sanguinem mittes, si vehemens morbus videatur, floruerit ægrotanti ætus, ac virium adfuerit robur? fortassis non male sentirem. In parua pleuritide non conuenit venæ sectio, quia morbus acutus & vehemens non est. non conuenit in anni temporibus excedentibus, quia vires non ferunt. Hactenus, Luciane doctissime, arbitror me demonstrasse ex eo Hippocratis aphorismo, & Galeni commentario, in pleuritide aliquando venæ sectionem non esse admittendam.

Alium affero tibi locum, haud minus hoc ipso dilucidum. est autem secundo 30 de ratione victus in morbis acutis contextu primo, vbi dicitur: Dolor autem lateris, siue in principio fiat, siue postea, non ab re est, calidis fomentis tentare soluere dolorem.] locum hunc non modo ex Galeni, sed etiam ex communi Medicorum opinione, de pleuritide interpretor: quam senex vocare lateris dolorem ab insigni symptomate consueuit. sic autem habet sensus dictionis huius: Pleuritidis dolorem, siue statim incipiat, quod frequentius contingit, siue ad alios morbos insequatur, vel ex errore; non erit ab re tentare soluere fomentis calidis: id est, experiri, an solis fomentis pleuritis sanari possit: sanabitur autem, si fuerit exigua inflammatio, si in toto corpore nō adfuerit plenitudo, si dolor non fuerit admodum vehemens. frustra quidem ad magna atque generosa remedia 40 deuenimus, vbi exigua sanare possunt. Hoc igitur consilium non est intelligendum de omni pleuritide, sed duntaxat de parua, quam speramus leuioribus posse auxiliis sanari, qualia fomenta sunt. Aberraret vtiq; generosus Medicus, si dolore lateris existente magno, febre ardente, difficultate respirandi molestissima, tussi admodum contumaci, pulsuq; plurimum serino, statim voluerit curationem aggredi à fomentis: essetq; error longe maior, si corpus plenum esset. Neq; hic ego illorum expositionem recipio, qui dixerunt, Hippocratem hoc remedii genere fuisse vsum, vt exploraretur, an affectus vera esset pleuritis, an notha. quandoquidem signa habet manifestissima, quæ nedum Hippocratem, sed neminem latere possunt. Quamobrem illud tentare non ad explorationem, sed 50 ad curationem referri debere, videtur mihi certissimum. Nec etiam aliam recipio: quæ ait, non agere Hippocratē in eo contextu de pleuritide, sed in vniuersali, de omni dolore thoraci contingente, siue per essentiam, siue per consensum, siue à flatu, siue à fluxione, siue ab humoribus crudis. Hæc enim explanatio non potest cōuenire verbis Hippocratis: nam de illo dolore lateris intelligenda sunt, quem si non sanauerint fomenta, venæ sectio soluit. postquā enim de fomentis

egit, hæc ſcribit verba. Si autem non ſoluitur ad fomenta dolor, non expedit multo tempore calefacere, etenim ſiccat hoc pulmonem, & ſuppurationem facit. Sed ſi dolor ſignificationem ſui præbeat ad clauiculam, aut grauitas in brachium, aut circa mammam, aut ſupra ſeptum tranſuerſum, ſecare venam iubeat internam in cubito.] quæ verba non poſſunt referri ad omnem dolorem lateris, ſed ſolum referuntur ad dolorem pleuriticum, cui duntaxat venæ ſectio conuenit. Adde quod ex vſu fomentorum immoderato veretur multum, ne aut ſiccentur pulmones, aut fiat ſuppuratio: at hæc incommoda contingere non poſſunt, vbi dolor lateris, vel à flatuoſo ſpiritu, vel à crudis humoribus, vel à deſtillatione humoris pituitoſi, vel ab affectu lienis, vel iecinoris cauſetur: ſed ſolum 10 quando hunc efficit inflammatio. Hæc, ſi vera ſunt, Luciane doctiſſime, manifeſtam facere fidem videntur, venæ ſectionem, etiam ſi vires validæ ſint, generoſum remedium admittentes, in pleuritide non ſemper eſſe neceſſariam, quia non ſemper vehemens morbus eſt. Deduco etiam ex eiſdem, localia remedia aliquando exercenda, præterquam quod fiant vniuerſalia: ac etiam ſi fiant, particularia aliquando præcedere, vt hic apparet, cum fomenta calida, ſi non ſanent dolorem, ad venæ ſectionem in cubito internæ confugiendum docet. Sed quia hæc videntur apertiſſima, finem dicendi faciam, vbi quædam de fomentis in pleuritide vſurpandis ex ſententia Hippocratis antea dixero, ſic facile iudicabis, qui fuerit verborum meorum, in ſympoſiaca diſputatione, ſenſus. 20

Tria fomentorum genera adhibet pro curanda pleuritide. duo quidem humida. Siccum vnum. Vocat humidum, quod actu tale eſt, quamuis fortaſſe poteſtate ſit ſiccum: etenim quod ſecundo loco deſcribit ex aceto, eruo, & hordeo, exiccandi facultatem habet: quia conſtat ex materia fluuida, qualis eſt acetum. ſiccum porro appellat illi oppoſitum, quod omni caret humiditate fluxibili. Primum omnium maxime laudat fotum ex aqua calida, quem dicit optimum eſſe. Omnes explanatores dubitant, cur optimum dixerit fotum ex aqua calida: reſpondent horum quidam id contigiſſe, quia in fluxione bilioſa, exigua exiſtente materia, humoriſq; tenuiſſimi, vel flatu facile diſſipabili, melius inueniri nequit 30 fomentum: eſt igitur optimũ non abſoluto ſermone, ſed ſolũ in morbis eo indigentibus. non ita iuuaret, ſi cruda materia & pituitoſa faceret dolorem, aut flatus multus & craſſus. Verum non ita ſentio. nam abſoluto ſermone optimũ iudicotum iam fuit, Hippocratem pleuritidem propoſuiſſe ſibi pro acutorũ morborum exemplo: quæ certe vtplurimũ fit à bilioſa fluxione, ſiue magna fuerit, ſiue parua: in hac conuenire fotum aquę calidæ quis dubitat? nam licet actualem habeat caliditatem, ea tamen cum humido ſubiecto conſiſtat, euaporareq; faciat humores tenues, & acres vix aliquam habere vim poteſt calefaciendi: maxime ſi contegatur linteolo fomentum ipſum, nam ſic pluri tempore ſufficiet, & permanebit in loco, ſimulq; ne vapor ad ægrotantis ſpiritum efferatur, prohibebit, niſi 40 videatur hoc etiam vtile ad aliquid eſſe, vt Hippocrates monuit. In aliis vero fluxionibus duplici nomine vtilitatem afferre poteſt: dolorem ſcilicet mitigando, & euaporando materiam: quæ licet ſtatuatur craſſior atq; frigidior, in principio nihilominus fluxionis adeſt continuo aliqua portio humoris biliosi, vt alibi ex Galeno recordor demonſtraſſe. Solebat fomentum efficere ex aqua calida in ventre, aut in veſica poſita, aut in ęneo vaſe, aut cruſtaceo: quod ſi in vaſis eiuſcemodi ponatur, ſubſternere inquit oportet molle aliquid ad latus lenitatis gratia. Hodie vero, quod etiam ille præcipit, ſpongiam mollem magnam ex aqua expreſſam apponimus. Aliud genus fomenti deſcribit his verbis: Adhuc autem & hordeum & eruum macerata in aceto diluto, vt paulo acidius ſit, quam vt quis 50 bibere poſſit, ac feruefacta, & in marſupia coniecta apponere, & furfures eodem modo. hoc fomenti genus magis prodeſſe videtur in materia viſcida, & craſſa, licet etiam non ſit omnino ineptum in bilioſa pleuritide. Poſca enim acrior licet ſiccet, non tamen multum, namque aquæ humor impedimento eſt: adde quod magis ob aceti tenuitatem penetrat, neq; calefacit. Eruum calidius reddit, hordeũ tanto fere frigidius. Putauerim macerationẽ hãc fieri in aceto calido, ac

eruum,

eruum, & hordeum contundi, vt horum vis facile penetrare possit. Post macerationem horis duodecim, aut paulo minus fit ebullitio. ex materia implentur marsupia siue sacculi, & calidi loco dolenti applicatur. Hæc duo genera fomentorum pleuritidi maxime conueniunt incipienti: primum in biliosa, aliud in mixta vtilissimum. Postremum vero maxime conuenit in pleuritide, quæ ad alios insequitur morbos, aut in qua adest magna copia excrementorum siccationem postulantiũ. de hoc scribit Hippocrates hæc verba: Fomentum autem siccum prębet sal, & milium torrefactum in laneo sacculo conuenientissimum, etenim lene, & blandum est milium.] Cælius Aureliarum Medicus ex authoritate Sorani arguit Hippocratem, quod sal torrefactum nimis sit acre, ac febrem augeat: milium vero vstum graue olens, & capiti graue sit. At certe, vbi febris calor maxime vrgeret, ab hoc fomento abstineremus: in aliis magna siccatione indigentibus tuto potest vsurpari: licet aliquid incommodi afferre possit. nullum enim esse censeo auxilium, quod non obsit aliqua ex parte ob mistionis varietatem. Hæc habui, vir excellentissime, quæ scriberem pro responsione ad tuas literas. Reliquum est vt acri tuo iudicio, atq; doctrina insigni diiudices, an recte senserim. Tuum enim non in hac modo, sed in omnibus lucubrationibus meis iudicium desidero. Vale Medicorum Piceni decus, ornamentum. Ex montibus Cingulanis.

ALOYSIO GRATIOSO ÆSINORVM MEDICO.

De diarrhæa biliosa, & tussi magna, pro muliere puerpera, Responsum.

PERDIFFICILIS casus est, quem curandum proposuisti mihi, nempe mulierem septimo à partu die tussi magna, & continua, quam tu ferinam vocas, affici cœpisse, cum diarrhœa biliosa. Nam si tussim curare voluerimus, lenientibus, expectorantibusq; vtendum fuerit: hæc vero alui fluorem augebunt: ac etiam fortassis, ex vtero purgamenta impedient: nam & frigida conueniunt, quia vt scribis, acris, & salsus catarrhus est; & quia tenuis, impendet quidem vtero non leue periculum ab hisce remediis. si enim purgationes, quæ in prole mascula, dies triginta; & in fœminea, quadraginta, debent progredi, parum post septimam supprimantur, inflammabitur vterus, aut alia eius generis lethalia nasci poterunt incommoda. Si præterea alui fluorem curare voluerimus, res sese offert plena periculi. Etenim expurgantia, non bene fert puerpera à principio partus, medicamenta, tum ob virtutem imbecillam ex partus doloribus, ex magna profusione sanguinis, ex vigiliis fere continuis, atq; ex tussi. tum quia etiam atq; etiam vereri oporteret nimiam dissolutionẽ virium à pharmaco purgante, cuius acrimonia febrem afferre posset, ac expurgatione plurimum aucta labefactare vires. Deinde cum sit, quæ deducitur maxime acris materia, periculum affert, ne exulcerentur intestina, doloresq; fiant vehementissimi. Prętere, si obtundentia humoris acrimoniam adhibeamus, hæc quia emplastica sunt, vacuationem ex vtero impedient. Postremo, si adstringentibus vtamur, grauiorem casum reddemus, & causa morbi intus repressa, & expurgatione vterina prorsus impedita.

Quid igitur (inquies) in tantis difficultatibus agendum est? nempe, vt contrariis indicationibus ex rei ipsius natura perspectis, eis incũbamus primo, quæ magis vrgent, aliis interim minime neglectis. Puerperii tria consideranda sunt tempora. primum quod à principio partus incipiens, octaua die terminatur: in quo magna esse debet purgatio ex vtero, præsertim vsq; ad quartum. incipit enim à quarto aliquid paulatim remitti; quandoquidem sanguinis aliqua portione ad mammas pro lactis generatione confluere incipit die quinta. Aliud tempus secundam complectitur septimanam, in qua purgationes fiunt longe minores, quam in prima: & copiosiores, quã in tertia. In hac enim maxime sensibiliter incipiunt diminui, extenditurq; postremum hoc tempus vsque ad trigesimam diem, vel ad quadragenariam. Impedire purgamenta vteri statim

in prima hebdomada, periculosissimum est, ita, vt si forte eiuscemodi contingeret casus, putauerim nullum dari posse remedio locum. In secundo tempore non ita periculosum, quia non fluit amplius ex vtero sanguis, subito, & affatim, sed sensim fere, tamen tutum non est hunc motum impedire. At post decimam quartam diem natura incipit supprimere paulatim, ita, vt die 21. plurimis nihil ex vtero sensibiliter effluat, aliis vero parũ omnino stillet. In quo tempore, si aut à natura, aut etiam ab arte supprimeretur vacuatio, vtiq; nullum subsequi posse incommodum, ratio, & experientia manifestum faciunt. Consideremus modo, Aloysi carissime, quæ ex aliis affectibus contingere possunt incommoda. Ex ferina tussi, maximum contingere video. Mulierem proponis mihi gracili corporis habitu præditam, & quæ à natiuitate thoracem angustum habuit: Video imminere ex acrimonia humoris destillantis erosionẽ venæ in pulmonibus, vel ex vehementia tussis, magnoq; impetu, rupturam. vtrunq; vbi contigerit, in eo habitu corporis, mortale. Video etiam ex raptu humoris superiores partes, fere necessario supprimi ex vtero purgamenta. Video, in gracili corporis habitu, ac dissolubili, ex vigiliis immoderatis vires breui ad extremum fore languidas: maxime in calido, & sicco cœli statu qualis potissimum est anni huius. Ego enim, qui alioquin diligens obseruator esse soleo temporum anni, vix recordor calidiorem, sicciorem q; æstatem. Diarrhœa postremo vrgere maxime videtur, primum quia ex vacuatione multa dissolutio magna fit spirituum. Augent hanc non mediocriter vigiliæ, & ex tussi, vt dicebas, & ex diarrhœa concitatæ. Deinde proximum exulceratiouis intestinorum video imminere periculum: imo, nisi pro tua diligentia, statim manus porrigas adiutrices, vix arbitror præcaueri posse. At, si imbecillæ mulieri ex partu, ex vacuatione sanguinis, ex vigiliis, tormina adueniant, quam spem salutis habebimus? vel, vt rectius dicam, quod remedii genus excogitabimus opportunum? Ex iis, quæ dixi, videor mihi certissimus, Aloysi, duos hosce affectus maiores, ac præstantiores indicationes proferre, quam puerperium: atque idcirco potissimum illis incumbendum, non tamen contempto puerperio. Velim prius caussam remoueri affectus vtriusque, quæ quoniam acris humoris abundantia est, duo remedia sunt maxime necessaria, vnum quod multitudinem vacuet, aliud, quod acrimoniam obtundat: ergo vacuatio primum, mox mitificatio adhibenda: ac vtrunque remedium fieri potissimum ex ea debet materia, quæ vel vteri purgationibus non obsit, vel certe parum afferre possit detrimenti. Atque, si inueniri possint auxilia tum pro sananda tussi, tum pro diarrhœa, erunt maxime optanda: sin minus, cum id fieri non possit, quod optamus, id faciemus, obseruata superiori methodo, quod possumus. Reubarbarum, qua purgat bilem, vtile: sed qua amarum, calidum, & adstringens nonnihil detestandum habet: displicetque maxime, quod fuerit torrefactum: magis enim adstringens redditur, fitq; noxium thoraci, & vtero. Tamarindi non ita suspecti, quia vim refrigerandi habent: aciduli vero, non acerbi, vtiliores, quia non ita constipant. si placebit, tamarindorum pulpæ vnc. i. michletæ vnc. s. dare poteris ægrotæ, vel factis bolis ex zucharo, vel dissolutis ex accommodato apoxemate. Mihi tamen videtur magis vtilis materia expurgationis lac ipsum asininum, pro antiquorum, maxime Hippocratis consuetudine, aut caprinum: quandoquidem purgat, refrigerat, detergit, acrimoniam obtundit ac nutrit. Est igitur materia satis idonea pro duplici remedio indicato à diarrhœa. Est etiam materia remedii indicati à tussi, quia lenit, abluit, mitificat, & moderate admodum tenues humores incrassat.

Exhibeto igitur citissime libras quatuor, aut quinque lactis asinini, si haberi non poterit, caprini tantundem, horis ante prandium quinque, tribus matutinis continuis: inter libram vnam, ac aliam spatium intermittito aliquod, ne prouocetur vomitus: obseruato materiam expurgatam per aluum: solent enim primum biliosa vacuari, & admodum flaua: mox cum videris solum lac expurgari, tunc iudicabis sufficientem factam fuisse vacuationem: id quidem in tertio die, vt plurimum, solet contingere.

Non

Non admiraberis, me tantam præcipere lactis quantitatem, quoniam, nisi ita fiat, nunquam lac materia esse potest expurgantis remedii. estque hic antiquus modus exhibendi ab omnibus Græcis admissus. Hippocrates enim Eratolai filio dedit lactis asinini excocti quasi nouem Atticas cotylas. sunt autem nouem cotylæ Atticæ vnciæ 81. quæ Romanas libras constituunt sex, & vncias nouem. Legito, quæ ille scribit 7. epid. ægroto quarto. & quæ Græci recentiores in curatione dysenteriæ.

Post tres dies vti soleo lacte caprino, sed vt absumatur serum: neq; enim amplius purgare in animo est, cocto ad libram semis. continuando diebus octo plus aut minus. quibus transactis aliis octo darem lactis bubuli vncias tres, aquæ cisterninæ vnc. s. vini nigri austeri drach. ij. Hippocratis consuetudine. Obseruaui, Aloysi doctissime, adeo certam esse hanc medendi rationem, vt ausim dicere, neminem hactenus vidisse me periclitari, qui hoc remedio vsus recte fuerit. at, si cui prodesse debet, ratio persuadet, huic maxime profuturum mulieri, quæ gracilem corporis habitum habens, in calido & sicco cœli statu multas vacuationes passa, & plurimum dissolutis spiritibus videtur esse ad tabem inclinatissima.

Transactis tribus primis diebus, inciperem iniicere clysteres molles, & acrimoniam obtundentes: quales potissimum fieri solent ex lacte caprino, vel ex cremore ptisanæ, vel sero lactis, & decoctione hordei: nec materiam iniicerem magis emplasticam, ne humores acres, si qui forte inhæserint tunicis ventriculi intestinorumq;, ex illorum administratione magis impingerentur.

Extrinsecus circa totum ventrem roborantibus ac adstringentibus vterer, vt linimentis, fotibus, cataplasmatis: sed præ cæteris emplastrum diaphenicon, cui Gallia muscata additur, præstantissimum est. Pro sanatione diarrhœæ hæc sufficere videntur mihi.

Pro illa vero tussi admodum difficili, vbi triduo vsi fuerimus pro totius corporis expurgatione lacte asinino: quotidie frequenter elegmati huic assuescat: quod habet. Emulsionis quatuor seminum frigidorum maiorum, & seminum papaueris vnc. viij. specierum diadraganti frigidi drach. ij. s. zuchari fini vnc. iij. coquantur simul ad consistentiam elegmatis: ac vbi coctum fuerit, in medietate addito terræ lemniæ drach. j. in alia medietate nihil. Alternatim sumat lambendo, modo vnam, modo aliam partem. etenim quæ terram lemniam recipit, iuuabit prohibendo catarrhi descensum, & moderate exiccando: alia vero solum leniendo ac detergendo operam præstabit. Elegmata è farfara, ex althea, diacodion, tum solida, tum liquida vtilitatem afferre possunt. Extrinsecus thoracem lenire oportebit ex oleo amygdalarum dulcium, & butyro recenti: aut etiam ex vnguento pectorali nuncupato. Tandem vero si res extrema videretur, non abhorrerem aliquando exhibere eunti dormitum drach. s. aut scrup. ij. philonii Persici aut Romani non recentis: modo tamen virtus ferendo sit.

Quod attinet ad rationem victus, necessarium est, vt omnino abstineat ab omnibus aromatis: pessima enim viget consuetudo in piceno fere omni, puerperis exhibendi quotidie multa aromata, prȩsertim in vestra ciuitate, putantq; male consultum illis, si forte abstinuerint: at certe nihil æque perniciosum est, potissimum in primiparis: sanguis enim inflammatur, atq; extenuatur adeo, vt mirum non sit, si febres superueniant, sanguinis fluores immoderati, diarrhœæ, dysenteriæ, ac alii morbi ab humorum adustione procreati. Alium etiam abusum euitare oportebit illam, nempe, vt à vino caueat. Ego, qui fere in omnibus nostræ regionis ciuitatibus hactenus medicinam feci, obseruaui puerperas maxime delinquere in potu vini. si enim olygophorum esset, fortassis error ferri posset: sed quia generosum est picenum vinum, in ipsis vero montanis locis generosissimum, vtputa quod coctura igneam adauxit qualitatem, nullus error maior potest contingere. Putauerim certe hisce de causis in hunc affectum incidisse illam. Vini loco bibat chalybeatam decoctionis tantilli cinamomi, addendo etiam octauam partem oxyzacchar æ, vt gustui sit gratior atque vtilior. Ma-

tutina cibatio sit leuior vespertina: lac enim nutriendi vim habet, atq; licet primis diebus, quo lac sumit, ratione purgationis, exiguum nutrimentum exhibeat, fieri tamen non potest, quin retineatur aliquid corpus nutriturum: atque deinde quo tempore indicatio viget purgandi, eo quidem debemus omnino tenuiorem dare cibum. Præterea Hippocrates in eiuscemodi casu, semel duntaxat, cibabat ad vesperam, vt constat ex septimo epidemiorum: at id in puerpera non concederem: satis est cibari bis, ac matutina hora tenuius. Prisanam dari vellem totam dissolutam ex iure optimæ pullæ, quam coquerem in chalybeata cum foliis portulacæ, plantaginis, & poligoni: permiscereḿque tertiam partem contusi, additis continuo seminibus frigidis maioribus: non insisterem in solis sorbitionibus, sed in alia mensa aliquid masticandum præberem: concedereḿque malorum punicorum grana, & aliquando etiam, vt tantillum gustaret diacithoniton cum zucharo, & coriandros præparatos. Reliqua non prosequor, ne noctuas Athenas. Tu qui & iudicio vales, & in artis operibus exercitatus es, facile cognosces, quid factu sit opus. Vale. Ex montibus Cingulanis. 10

FRANCISCO CIROCHO FVLGINATI
Medico præstantissimo.

vide initiu lib: 4. Tomi prioris.

Agitur de ratione curandi exulceratos renes. Responsum pro admodum Illustri D. Antonio Rogato Recinensi ciue. 20

EAM, quam olim tecum habui, dum simul Antonii Rogati, viri admodum illustris saluti incumberemus, consultationem, publici commodi gratia in lucem dare, Francisce charissime, atque dicare tibi pro veteri aliorum scriptorum more, duplici nomine libenter hoc tempore constitui: Primum quidem, vt harum literarum occasione nostræ consuetudinis, amorisq; præsertim mei, atque maximæ erga te ipsum obseruantiæ recorderis. Deinde vero, vt omnes palam sciant, non minus nos insimul aliàs pro eo clarissimo viro concorditer elaborasse, atq; nuper doctissimus meus Cordella, & ego fecerimus, pro D. Ægidio Franceschino Secretario Apostolico vnanimes: &, vel inde coniiciant altercationem, quam cum Iulio Cino Medico Collensi habui, non quidem à nobis, sed ab illo fuisse causatam. Ad rem igitur, vt tunc temporis acta est, venio. 30

Quoniam omnia, à quibus ægrotus præter naturam efficitur, aut certe maior pars ab vnius visceris affectu originem habent: hunc, qualis sit, explicemus, & quibus ducti coniecturis in eam opinionem venerimus: Deinde medendi methodum aperiamus. Assero igitur, hunc affectum vlcus existere dextri renis: à quo vlcere videntur mihi deduci posse causæ aliorum omnium, qui satis numerosi videntur, affectuum. Rem in hunc modum habere ostendamus, ab eo, quod huic inquisitioni plurimum conducit, sumpto principio. Est autem hoc sanguinis mictio: Solet sanguis mingi, vel renum vitio, vel vesicæ, vel partium, quæ cum illis vicinitate coniunctæ sunt. Profluxisse ex renibus sanguinem multa sunt, quæ nobis certissime persuadent. Primum, quia nequit aliunde sanguis profluere citra dolorem, quam à renibus. Nullo autem doloris sensu præcedente, sanguinem eminxisse, frequenter ille testatus est mihi. Deinde vero, qui effluit ex vesica, paucus est, è renibus autem multus. Amplius affecta vesica sanguis educitur ante vrinam purus: at à renibus simul cum vrina exquisitissime permistus: quod nostro contigisse ægroto, omnibus in confesso est. Iam vero ex hoc principio progressi doceamus, quomodo & quibus de causis hic sanguis è renibus fluxerit. Causæ multæ tradi solent eiusce symptomatis. Renum scilicet imbecillitas, simplex illorum apertio, iecinoris infirmitas. Plenitudo ex retentis mensibus, aut hæmorrhoidibus, aut ex aliis partibus sanguinis effluẽtis retentio. Deinde in renibus non vnum dicunt affectum esse venarum: nam aliquando ex apertis, aliquando ruptis, & aliquando erosis prodit: vel rarefactis tunicis venarũ sanguis tenuis percolari potest. Verum, vt libere dicam, quod sentio: adeo 40 50

raræ sunt eiuscemodi causæ, vt cruentam emictionem vix solam efficiant. Ego putauerim, duplicem causam sanguinis renum profusionem vt plurimum efficere: vna est externa, vt contusio, vulnus: alia interna, vt calculus, & arenularum asperiorum copia. atq; hæ duæ duntaxat fecerunt sanguinis mictum. Etenim significauit ille mihi, ter adhuc incidisse in hunc affectum, ac semper occasionem fuisse equitationem duram ac violentam: est autem certissimum, nihil æque obesse renibus. Præterea idem etiã retulit consueuisse sese emingere multas arenulas: ac præteritis diebus quasdam vidisse magnitudine lentium, ac satis asperas, quas dum emingeret, ardorẽ non mediocrem effecerunt. Ioannes Perciuallius Racanatensis insignis Medicus, qui particularem huius ægroti noscit naturam, significauit mihi suis literis, huic morbo maxime obnoxiũ esse. Nosq; cum vna visitabamus, occulta fide veritatem perspeximus huius rei. Causa igitur potissima fuit arenularum multitudo & asperitas. Porro in dextro rene malum contineri, duo certissimò indicant: quorum vnum est, quod cum primum sanguis effluere cœpit, in eo grauitatẽ quandam percepit, quæ in hanc vsq; diem perdurat. scribit enim Hippocrates lib. 6. epid. in renibus dolorem grauem fieri. Præterea bis affectus fuit dolore maximo, anteaquam in sanguinis fluxionẽ incideret eiusdem renis: quæ res fidem facit, manifestam in ea sede contineri doloris fomitem. Imo præteritis diebus, dum ipsum curabamus, post sanguinis mictum incidit in dolorem, quo postea fuit liberatus ex vacuatione multarum arenularum, quæ certe suspicionem effecerunt calculi.

Videor hactenus partem affectam inuenisse, & morbum in ea existentem. est pars affecta, ren dexter: morbus, solutio continui, & vlcus: cuius fidem faciunt quamplura. Primum, quod vrinas emingere admodum crassas cępit, mox vero non crassas modo, sed albas, & sero lactis persimiles, quæ vix subsidebant, tandem quinq; vidimus cum vrina carunculas, easdem etiam viderunt Ioan. Perciuallius, Hieron. Vittelescus, & Io. Franciscus Santius. Illas albas & lacteas vrinas à purulentia tales fuisse redditas, hæc demonstrant:

Primum, quia à sanguinis mictu sequitur puris mictus, quemadmodum à sputo sanguinis insequitur expuitio puris. Sunt enim renes carnosi, & calore abundant, ideo par est, sanguinem extrauenatum à caliditate loci conuerti in substantiam puris: à quo vrinæ redduntur & albæ & perturbatæ. Tres enim substantiæ permisceri solent simul cum vrina: Semen, pus, pituita. In proposito casu ex permixtione seminis non fieri tales vrinas, signum euidentissimũ præbet permixtio exquisita simul cum vrina: etenim semen, quia maxime tenue & aereum est, non miscetur vrinæ, sed innatat in superficie consistens. Pituita vero viscida existens, & continua in omnibus partibus sedimentum continuum ac viscidum reddit, quod graue alioquin existens, statim subsidet in fundo. At purulenta materia, neq; innatat, vt semen, neq; statim residet, vt pituita, sed per totam vrinam permiscetur, ita exacte, vt aut nunquam eiuscemodi vrinę, aut longo post spacio residеant. Est autem omnium signorum certissimum caruncula, de qua memini Hippocratem scripsisse hoc modo: Quibus in vrina crassa existente carunculæ paruæ, aut veluti capilli vna exeunt, his à renibus excernitur. Galenus vero com. 76. sic ait: Paruæ quidem carunculæ renum substantiæ indicia sunt, qui vero vti capilli, nullo modo renum, & parum postea. Paruæ igitur carunculæ renum substantiæ exulceratorum partes existunt: & lib. 6. de loc. aff. cap. 3. scribit: Sed efficacissima vlceratorum renum coniectura est, si cum vrina exiguæ quædam carunculæ excernantur, vtputa quas renum essentiæ partes, easq; ob vehementem vlceris erosionem auulsas esse constat.] ex his ac aliis, quorũ supra meminimus, video explicasse, renem dextrum exulcerationem fuisse passum.

Sed quia huic non adhæret opinioni Vittelescus, ponamus quid ille sentiat, experiamurq;, an illi satisfacere viro alioquin doctissimo valeamus, duplex fuit cum eo controuersia: vna de renum vlcere: altera de febre, de vtraq; transigam exorsus à prima. scribit ille hæc verba ad D. Ægidium: Vlcus pati renes non putauerim, eo quod vix fieri potest, quin tractu temporis aliquam patiatur in

mingendo difficultatem: sed, vt ex tuis literis animaduerti, nullam omnino diebus præteritis, nec etiam præsentibus, dum mingit, patitur molestiam. Præterea illud obseruatur semper contingere in antiquatis vlceribus, vt pus emittant fœtidum: cum igitur annus iam præterierit, vrinam fætentem ægrotus redderet. at dubio procul omni caret fœtore. adde, quod viderim vrinam albam, sed tenuem diebus fortassis decem processisse. Cum Cinguli inuisi Dominum, recordor demonstrasse mihi Augenium iuuenem citra omnem controuersiam doctissimum, in vrina nescio quid album, & consistens, quod præseferre videbatur carunculam, sed tamen magis videbatur mihi pituita concreta] hæc ille. Ego autem adhuc in eadem opinione sum. ac primum dico, vrinæ fœtorem ob puris præsentiam proprium esse signum exulceratæ vesicæ, non renum, vt 4. aphor. 81. Hippocrates docet hisce verbis: si sanguinem, aut pus, minxerint aut squamulas, & grauis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat] Galenus in commentario eius aphorismi, sic dicit: Odor quidem grauis hoc est molestus, adhuc autem magis, & squamulæ propriæ sunt vesicæ. Auicenna vero agens de renum vlceribus, atque differentiam explicans ab vlcere vesicæ, sic ait: Et differentia quidem inter vlcera renum, & vesicæ est, quod vlcera renum sunt cum facilitate vrinæ, & vlcera vesicæ sunt cum difficultate] idemque docuit Paulus Aegineta libro tertio cap. 45. Aetius, Oribasius, ac in vniuersum omnes Medici. Ex quibus constat quomodo inuicem differant vlcera renum, & vlcera vesicæ. causa porro ob quam vlcera ipsorum renum pus emittat minime fœtidum, at vesicæ fœtidissimum est, vt dixi, calor vniusmodi non est, in vesica, à renibus. illa exanguis prorsus, ac frigida est, ideo elaborare non potest materiam in exquisiti puris naturam. at vero maiori caliditate abundant renes. maioris, minorisq; fœtoris causa duplex est: vna est abundãtia aut inopia natiui caloris, alia autem materiæ conditio apta aut inepta ad eiuscemodi formam suscipiendam, vt Gal. docuit 1. progn. vlt. commentario. Antiquata vlcera pus habere fętidum non semper solent: si vera sunt, quæ dixi, at antiquata, & recentia, si affecta pars calore langueat, malaq; sint excrementa, vtputa maxime humida. Fateor Vittelescum obseruasse vrinas tenues aliquando eminxisse ægrotum, cũ easdem non ego modo, sed Parciuallius, & Sanctius obseruarint. Sed tunc illę indicabant vrinæ inflammari vlcus: etenim constipatione facta in renibus vrina veluti percolabatur, propterea erat tenuis, & alba, quia sanguis retinebatur. Rem ita sese habuisse testantur duo. Vnum est, quod quo tempore tales apparuerunt vrinæ febris augebatur. alterum, quod remittente febre vrinæ protinus cœperunt reddi crassiores, & omnino lacteæ. licet vbi primum apparere crassiores cœperunt, simul coloratæ magis visebantur. Porro quod attinet ad carunculã, equidem res adeo certa est, vt dubitationi locus nullus omnino sit. ignarus prorsus videtur mihi, qui à pituita discernere nequeat carunculã. hactenus explicata videtur mihi prioris controuersiæ ratio.

Altera fuit controuersia circa febrẽ, putauit ille febrem esse amphimerinam, habereq; naturam omnino contrariam, seu diuersam à renis vlcere. Contendebam ego ex vlcere proficisci, & esse omnino symptomaticam. Dicebat Vittelescus: Quotidianam febrem esse primum, quia calor erat admodum mitis, & humiditatem præseferre quandam per totũ corpus videbatur: quod proprie conuenire pituitæ putrefactę certissimum est. Deinde quia humores pituitosos euomuerit aliquando. Tertio, quod singulis diebus exacerbationẽ patiebatur, hora potissimũ vespertina, qua quotidianæ inuadere consueuerunt. Quarto addebat ætatem, primum scilicet senium; regionem frigidam, anni tempus, nempe autumnum; Quinto illius temperamento confirmabat, quod equidem pituitosum existere omnes affirmabamus; Postrema illius coniectura fuit, quod febris inuadere videbatur ęgrotum, cum refrigeratione extremarum partium, & cum profunditate somni satis magna, quæ res accidit potissimum quotidianis.

Hæc ille contra meam sententiam doctissime disputauit: quæ quoniam non videntur mihi necessaria, in eadem opinione maneo, nempe hãc febrem alium non

non habere fomitem, quam dextri renis exulcerationem. rationes affero primum, quibus moueor, dein vero satisfacias Vittelesco. Pro meæ opinionis confirmatione quatuor affero in medium rationes. Prima est, quod febris incepit, quo fere tempore incepit dolor, dum illi remittebatur, protinus diminuebatur febris; dum vero augebatur, protinus illa etiam sumebat incrementum. Secundo nullum assignari potest determinatum febris huius vniuersale tempus. Non quidem principium: nam iam quidem quadraginta diebus perdurauit. Non incrementum, quia hæc febris aliquando augetur, aliquando minuitur, & aliquando in eodem tenore permanet. Neque status afferri potest his de causis; nam primum vrinæ aut coctionis, aut cruditatis aliquod afferre signum non possunt: motus autem morbi (adeo inordinatus est) nihil certi indicat. Multoque minus symptomata, quæ tum pro dolorum natura, tum pro excrementorum retentione, ac fluxu nunc augentur, nunc diminuuntur. Præterea quotidianæ febres non symptomaticæ maxime iuuari solent humoris pituitosi vacuatione. at vero in casu proposito, post vacuationem humoris multo peius habuit: imo eo ipso tempore, quo vomitus erant continui, & magni, febris tantum abest, vt minueretur, fuerit plurimum adaucta. Postremo quo tempore purulentæ fuerunt vrinæ, sensim minuebatur febris; cum tenuiores reddebantur, pure ipso retento, augebatur: vt tu ipse mecum obseruasti præteritis diebus: manifestum equidem (nisi fallor) argumentum, febrem ab ipso vlcere habuisse originem.

Modus generationis febris huius est. Exulcerata renum substantia pus continuo generat: quia sanguinis portio ad renes attracti in pus vertitur. Dum pus generatur fit febris: tum quia calor adest igneus, qui per venas, & arterias communicatur cordi. tum etiam quia substantia illa putrida emittit vapores putridos principio insiti caloris, sicq; fit febris. Est igitur putrida, non ex putredine huius, aut illius humoris, à quo putridæ febres non symptomaticæ concitari solent, sed ex putredine sordium, & excrementorum affecti loci, quæ tamen maiori ex parte à sanguinis frigidi, & pituitosi degeneratione in pus, originem habent. Adde etiam concitari hanc febrem ex putredine, & corruptione substantiæ renis. Quamobrem erit symptomatica febris insequens naturam vlceris aut absoluti, aut inflammati: neq; hanc simpliciter vocarem phlegmaticam, aut melancholicam, aut biliosam: quia nomina hæc indita sunt essentialibus febribus. Genus igitur febris est putrida. Species vero symptomatica. Putredo duplex, & humorum, & substantiæ renum. Humores vniuscuiusque generis putrescunt, præsertim sanguis pituitosus ad renes attractus, aut fluens, quo sanguine plurimum abundare ægrotum constat.

Si quispiam petierit, quam ob causam febris non fiat ardentior. Lenta enim semper extitit febris, adeo vt aliquando nata fuerit inter assistentes Medicos controuersia, an ægrotus febricitaret. Responderem multas esse causas. Vna est, quod à renibus purulentis materia putrida continuo expurgatur per vrinas, si non omnis, maior saltem illius portio. hinc exigua febris apparet, cum exiguum quidpiam retineatur puris: at si contingat maiorem partem retineri, aut totam intensiorem fieri febrem oportet: quemadmodum ægroto contigisse ter hactenus obseruaui: Altera causa longitudo viarum, nam renes longe distant à principio insiti caloris. Tertia vero, quod materia, ex qua fit febris, frigidior est, vt diximus. mirum igitur non est, si lenta à principio fuit febris: imo neque mirum, si aliquando non febricitet. propterea ad vlcus renum febris ex necessitate non sequitur, vt Græci, & Arabes authores apertissime significarunt.

Quia igitur dixi, quæ sit hæc febris, & quomodo generetur, nunc satisfaciamus Vittellesco. Videor iam primæ rationi satisfecisse, cum demonstraui causam, ob quam exulceratis renibus febris aut nulla, aut exigua sit. Adde etiam à bile fieri posse mites febres, vt alibi diximus. Secunda ratio nostram opinionem non modo non refellit, verum etiam confirmat: nam si idcirco pituitosa dici febris debet, quod ægrotus vrgente nephritico dolore euomuerit pi-

tuitam, cur non etiam biliosa, quod bilem vacuauerit per vomitum? Deinde si febres amphimerinæ postulant expurgationem pituitæ, à qua sanantur, explicet ille mihi causam, cur contigerit post vomitum pituitæ exacerbatam fuisse febrem? Varii huiusce vomitus alia afferenda caussa non est, quam consensus ventriculi cum renibus: iis enim vehementer læsis, vt in nephritide contingit, aut semper, aut magna saltem ex parte insequi consueuit vomitus eorum humorum, qui tunc in ventriculo continebantur. atq; si contingat carere humoribus, aut cibatum fuisse nuper, solus euomitur cibus. Porro inuadere febres hora vespertina multarum febrium commune est, ac, vt alias inuoluam silentio, præter- 10 mittere non debeo, quod Auicenna, & Paulus Ægineta scribunt, hoc proprium esse affectorum renum, quamuis non conueniat solis. Addito his posse febres symptomaticas statutis quibusdam periodis inuadere, suosq; habere circuitus ab humorum natura procreatos. sic febres ex pleuritide prodeuntes, vt Galenus testatur, & nos quotidiana experientia nouimus, tertianum habent circuitum: sic lethargum aliquando offendimus periodum habere quotidianam. ratio enim, ac propria periodi essentia tum ex humorum putridorum natura, tum ex partium dispositione proficiscitur: nec refert, an putredo contineatur in abscessu, vel in vlcere. Quid igitur impedimento esse potest, quin pituitosus sanguis in renibus putrefactus, attractusq;, aut expulsus accessionem faciat quotidianam? postremo dicimus rationem sumptam ab accessionis hora, nihil ne- 20 cessario concludere, qua singuli humores putrefieri, & moueri singulis horis possunt.

Reliquum est modo, vt explicem causas somni profundioris, quo in accessionis principio maxime detinetur. Non fere omniũ communem esse sententiam, fieri somnum profundum (quem fortassis soporem rectius diceremus) perfrigerato primo sensiterio ab humoribus viscidis, & frigidis, siue per essentiam genitis, siue aliunde transmissis. Ego vero quemadmodum hoc ipsum aliquando contingere non dubitauerim, sic vniuersalem esse causam vniuscuiusq; soporis eo prorsus inficias. Nam si verum est, tunc prorsus fieri somnum cum calor naturalis influens, relictis sensuum organis, ad proprium fontem retrahitur: 30 vtiq; somnus, aut magis, aut minus profundus fiet pro maiori, aut minori contradictione caloris huius. Vbi enim diuturna, & magna fuerit contractio, diuturnior euadet somnus: vbi pauci temporis, breuior. multa autem sunt, quę magnam hanc facere contractionem possunt: ne singula prosequar, nimis enim longum esset, vnam, aut aliam caussam proponam. Affectus capitis, replendo ductus & meatus, ac refrigerando, impedito transitu caloris naturalis è corde ad cerebrum, somnum efficiũt profundum illi etiam sunt hoc ordine reponendi, per quos contingit, cerebri ductus adstringi, vt in contusionibus cerebri. Idem accidit in morbis naturalium partium, vt in febrium putridarum principi- 40 is, violenter confluente calido ad viscera, præsertim autem ad fomitem putredinis: ex qua contractione refrigerantur extremæ partes, ac somnus succedit profundus nihil prorsus patiente cerebro, nisi quod priuatur spiritu, & influentis caloris præsentia. A vaporum præterea frigidorum, & crassorum multitudine contingit somnus: cuius manifestissima signa sunt distinguentia hanc causam ab aliis.

His in hunc modum suppositis, statuamus primum somnum hunc non esse admodum profundum, neque proprie inter sopores numerandum (si per soporem eum intelligimus, qui difficilem habet expergefactionem) nam hic leuissima de causa excitatur, ac statim composite loquitur. Sed meo iudicio, mediam habet naturam inter somnum naturalem, atq; profundum. Deinde, profitemur 50 hunc somnum non fieri refrigerato primo sensiterio, quoniam nullum omnino signum apparet eiuscemodi refrigerationis: nec etiam fit à frigidorũ humorum euaporatione ad cerebrum concitata: quandoquidem tot dierum spacio, quibus hoc afficitur symptomate, iam in cerebro aliquispiã morbus esset per essentiam factus. Adde, quod apparuissent aliqua signa flatuosi spiritus in cerebrum: nulla

nulla tamen hactenus apparuere. Quid igitur statuendum est somnum hunc fieri ex contradictione calidi influentis ab externis partibus ad internas. potissimum vero ad renem affectum. id nobis persuadent, quod eo tempore, quo renes ipsi, vel inflammabantur, vel certe manifesta illa purulenta retinebatur, longior apparebat somnus, refrigeratioque extremarum partium multo maior. Vbi vero pus cœpit per vrinas expurgari, tunc sane somnus, & refrigeratio extremarum partium minorem dederunt molestiam: vt prætermittam efficacissimam illam rationem, quod nullum apparuerit indicium in capite, aut refrigerationis primi sensiterii. Ex his quæ diximus, collige duos adesse morbos, symptomaticum vnum, in intemperie calida, & sicca, nempe febrem: Alterum primarium, vlcus. Alia vero sunt horum symptomata, cum hos insequantur, vt vmbra corpus, potissimum vero vlcus ipsum, quod omnem diligentiam, operam, atque studium postulat; hoc sane morbus dicetur in soluta continuitate: huius proxima causa sordium præsentia, & sabuli copia: sordes tum generantur in renum substantia, tum etiam ab aliis partibus transmittuntur, præsertim à ventriculi cruditate. Ex dictis inueniamus indicationes curandi. Vlceris propria indicatio est vnitio; vniri non potest, nisi abstergatur: Abstergi nequit, nisi prius cautum fuerit, ne humores ad eam partem alioquin debilem transmittantur, vel ab ipsorum ignea renum caliditate attrahantur: hæc indicatio tempore præcedere debet omnes alias. Hic igitur sit indicationum omnium ordo. Prima impedire ne humores ad renes perueniant. secunda expurgare hactenus confluxos. tertia abstergere sordidum vlcus, postrema omnium consolidare. Hæc enim quæ prima in ipsa fuit inuentione, actione vltimum locum tenet. & quamuis affectus videatur magnus, audacter curatio tentanda est: quare ex hoc affectu hominem conualituram spero; Nam exulcerati renes etsi nequeant perfecte sanari; tamen raro homines occidunt, tum quia cum sensu careat illorum substantia, doloribus non afficitur: tum quia non sunt vsus maximi, neque habent corde, cerebro, & hepate insignem consensum. Diuturni sunt omnes affectus renum duplici de causa, vna est quod sanguinis serum, quod in ea parte in vesica prorupturum, percolatur, haud raro impedit curationem, potissimum cum sint exulcerati, nam vrina vlcus ob acrimoniam adauget; alia est quod longe distant à ventriculo, idcirco medicamenta imbecilla ad locum veniunt. Arbitror igitur non esse illi moriundum ex hoc morbo. deinde putauerim diuturnam fore curationem. Cæterum an perfecte sanari possit nec ne, difficultatem habet, primo quia solent eiuscemodi vlcera in fistula terminari: nullamq; sanationem recipere. Deinde vero affectus renum & vesicæ in senioribus videntur haud posse optime curari: vt Hippocrates & Galenus in aphorismis testantur: tamen non est diffidendum. tum quia renum vlcera, vbi sunt recentia, aliquando perfectissime sanantur cum sint carnea, abundentq; calido innato. contrarium accidit in vlceribus vesicæ, quæ sane propter exanguem frigidamq; temperiem nusquam obseruatum est sanari posse. tum quia etsi non sit iuuenis, tamen non est meo iudicio senex, cum videatur inter iuuentutem senectutemque constitutus, aut saltem in primo viridiq; senio. Postremo est admodum diues, multũ enim possunt diuitiæ in morbis acutis propulsandis. quamobrem videtur probabile, vt statuamus, quod si talem se ipsum præstabit, qualem decet, fortasse poterit sanari. Age modo veniamus ad remedia singulis indicationibus accommodata.

REMEDIA.

QVANTVM igitur ad primam indicationem pertinet, opus est ad contrarias partes humorem fluentem reuellere, & ad propinquas deriuare: duplici modo fieri potest reuulsio, sanguinis missione, & vomitu, ipso in casu vtrunque necessarium. Illa sane motum feruescentis sanguinis inhibens corpus ab inflammatione tutum reddit, excalefactosq; renes refrigerat. hic vero omnis generis excrementa, potissimum cruda, euacuans, subtrahit materiam renibus, ne sabulum in durum lapidẽ concrescat, atq; vlcus illorum copia sordescat. Re-

nes medio quoddam ordine conſtituti ſunt, cum habeant tam cum inferioribus, quam ſuperioribus partibus vicinitatem, & conſenſum; Idcirco ambigentes poſtulant pro auerſione venarum ſectionem ex cubito, & ex malleolo, vel poplite; vt Galenus libro de ratione curandi per miſſionem ſanguinis manifeſtiſſimum fecit. Ego tamẽ vbi ſanguinis fluxio vehementer itruit ex venis in gibbero multo fœliciorem exerceri poſſe reuulſionem putauerim: Vbi vero impetus extiterit minor, tunc equidem crurum venas pertundere expediet; vt ſimul ac ſemel non ſolum fluentem ſangninem auertamus, ſed etiam fluxum deriuemus: hac adhibita diſtinctione ſoluitur contradictio, quæ de loco incidendæ venæ in affectu nephritico in Græcis authoribus apparet. Prætermiſſa fuit in caſu duplici nomine venæ ſectio ex cubito. primum quia hic morbo iam facto acceſſit diebus ab illius principio intercedentibus, quindecim: tunc enim exquiſitæ reuulſionis ratio nullum habere locum mihi videbatur. Alterum vero, quia corpus non continebat ſanguinis abundantiam talem, quæ magnam vacuationem poſtularet. Hac de cauſa, vt reuellerem, vacuaremq; ex malleolo ſanguinem pro virium tenore detraxi. Vomitus autem adeo neceſſarius eſt, vt iudicem, nullum remedium commodius inueniri potuiſſe; pręparaui materiam ex melle roſaceo, & ſimplici oxymelite: mox poſt çibum vomitum prouocaui, vt experirer, an faciliori hac via voti compos fierem: neq; meum me fefellit iudicium; nam cum cibo generis omnis excrementa fuiſſe vacuata conſpexi. Demum vero adhibita, vt conueniebat, præparatione ieiuno ſtomacho exhibito diaſſaro, tum pituitam, tum bilem vacuaui: atq; hiſce poſtremis diebus ſeminis vrticæ, drach. ii. cum optimo vino diſſolutis adeo felici ſucceſſu per vomitum expurgaui, vt omnes admirarentur. Quia hæc excrementa propter coctionis tarditatem, caloris innati imbecillitatem, victuſq; rationem haud bene inſtitutam, quotidie cumulantur, opus eſt, vt frequentem adhibeamus vomitum hac de cauſa ſingulis decem diebus prouoco euidentiſſima ſane omnium ęgrotantium commoditate. Me quidem non fugit, nihil fore magis commodum, quam aluum habere fluidam. Idcirco præterquam quod expurgari debet corpus ab humoribus excrementitiis, vt explicabo neceſſarium eſt, vt ſingulis diebus aſſumat aliquid pro vſu propoſito conueniens, Vt caſſiam fiſtularem, vel zucharum ex maluarum floribus, vel nenupharinũ & roſaceum addito reubarbaro in hunc modum. Rec. zuchari roſacei, & ex nenuphare an. vnc. ii. reubarbari maturi optimi drac. iii. permiſceantur exquiſitiſſime: vtatur ante prandium horis tribus vnc. i. pro vice; ſunt qui pari ſucceſſu conſeruam prunorum exhibent ante cibum vnc. s. aut tantundem electuarii ex mixariis quotidie dantes leuiter ab omnium excrementorum multitudine corpus exonerant. Enematis vtendum quæ flatum diſcutiant, quia nephriticis melancholicis hæmorrhoides innatæ bonum; hirudinibus ano appoſitis euacuato ſanguine facilis fit deriuatio. Purgatio inſtituenda eſt, leuis tamen, nam qui purgatoriam vim habent vehementem, hæc ſane nimis excalefaciunt: exemplum ſit purgationis. Rec. flor. caſ. n. t. el. ex mixariis an. drac. vi. pul. glycyrrhizæ drac. ii. cum zucharo fiat bolus cap. horis tribus ante prandium, die ſequẽti pro humorum pręparatione aſſumat ſyrupum: Rec. mellis roſacei, ſyrupi acetoſi an. vnc. i. decoct. infraſcriptæ vnc. iii. s. Rec. radicum altheæ, & maluarum remoto meditullio an. vnc. ii. ſem. melonum, bombicis, maluarum, altheæ, angurinæ, cucurbitæ an. drach. ii. capil. ven. man. i. agrimoniæ man. i. bulliant omnia ſimul in aquis capil. ven. lib. iii. ad conſumptionem medietatis, deinde facta colatura, & leui expreſſione capiat pro tribus vicibus: mox iterata decoctione nouem capiat ſyrupos. Aſſumptis primis tribus, faciat ſecari venam poplitis ex directo ad renem affectum, vſq; ad viii. vnc. Poſt nouem ſyrupus purgetur. Rec. electuarii de ſebeſten vnc. i. floris caſ. vnc. s. ſyrupi violati ſolut. vn. ii. s. decoctionis ſyrupi q. ſ. fiat purgatio, detur in aurorã. Enema flatum diſcutiens. Rec. florum camomillę aneti, origani, an. m. s. fæniculi, cumini, aniſorũ an. drac. ii. ſem. lini, fœnu græci an. vnc. i. fiat decoctio in iuris colati libra diſſoluito olei camomelini vnc. iii. mellis roſacei vnc. ii. ſatis communis drach.

drach. j. fiat frequenter; nam affert maximam nephriticis omnibus vtilitatem. Expurgato corpore duæ aut tres hirudines ano applicentur: sinatq; vacuari sanguinem, vaporem ex consuetudine calentis aquæ recipiens, donec sponte fluxerit; nisi tamen succedat vacuatio nimia: tunc enim esset statim supprimenda. Videor hactenus, primam & secundam explicasse indicationem reuellendi, & deriuandi his remediis, quæ fluxionis causas remouent, nam duplex inerat causa sanguinis feruidioris impetus viscidorum humorum abundantia: Ad hæc vero ignea rerum caliditas.

10 Reuulsio per vomitum, per sanguinis missionem; Deriuatio aluo fluida, expurgatio corporis, sanguinis ex hæmorrhoidibus prouocatio; medicamenta refrigerantia omnes causas emendant: quemadmodū pro renum corroboratione ac refrigeratione satis conueniens est hoc, quod sequitur, linimentum. Rec. suc. rosarum, foliorum myrthi & lenthisci an. vnc. j. infrigid. Galeni simpl. vnguenti rosacei an. vnc. j. misce, & fiat linimentum pro renibus: quo æstate frigido, hyeme tepido vtendum est. Nunc accedamus ad remedia, quæ renes abstergunt.

Renes sordidosq; sabulososq; abstergentia.

THEREBINTINA cypria optime detergit renes, per inferiorem aluū deriuat: vsus illius est à drach. ij. vsq; ad iiij. horis ante prandium v. huius copia si
20 desit (vt fere deesse solet) communem exhibere soleo æquali successu ab vnc. s. vsq; ad j. diebus quadraginta continuis. Mirum quidem est auxilium, quo sane non modo ab vlcere, sed etiam à lapide multos in hanc vsq; diem perfecte sanatos vidi. Idcirco meo iudicio non est prætermittendū. Græci authores ptisanam laudibus extollunt, neq; ego illam reprobo, vellem tamen, vt dissolueretur cum mulsa satis diluta: sic enim non modo refrigeraret, sed certe potenter abstergeret, essetq; nutrimentum satis conueniens. Non sunt audiendi, qui putant in frigidorum humorū copia, quales pituitosi sunt, non conuenire ptisanam, quia refrigerat. Nam Galenus in meth. med. pro illorum abstersione admittit, cum non sunt maxime impacti: Pro quibus oxymel satis facit, vt diximus in eius loci an-
30 notationibus: neq; refrigerabit, si multa dissoluatur, aut si mel coctum, aut rosaceum admisceamus ipsa cum iure pullę dissoluta, quo cum sint cocta folia capillorum veneris & asplenii; additoq; cinamomi tantillo, qui exhibendi modus apud me frequentissimus est, satisfaciunt mihi maxime pro hoc munere obeundo aquæ medicatæ, quæ ferream à prædominio, & aluminosam à subdominio qualitatem habeant; nam quatenus ferreæ per aluum expurgant, viscera naturalia refrigerant, renes abstergunt, quatenus aluminosæ, corroborant: quæ facultas in ipso etiam ferro adest, satis manifesta, variæ sunt in Italia ad propositum affectū accommodatæ: vt in agro Senensi Auinionis balneum, antiquissimū & Musis vere sacrum: balneū ficuncellæ, seu fegatellæ, aquæ ductus, seu de buxo,
40 balneum magnum. Aqua villæ in agro Lucensi, de aquis balneo in Pisano, & reginæ, vescicatoriæq; olim dictæ in Tuscia; caldanæ, in Veronensi calderianū, in flamina sancti Marini, ferrata iuxta Neapolim in Luculiano in Ænatia insula: atque aliæ fortassę quamplures, ex his tamen præcipua est, meo quidem iudicio, Villensis, quæ tum suauitate saporis, tum facultatibus miris pro naturalibus partibus corroborandis habere primas partes videtur, sed quoniam hisce temporibus frigidis vix possumus vti medicatis aquis, oportet vt in tempore suo remittamus, nempe in æstate, quo salubriter potari consueuerunt. Interim vero, si therebintum assumere non valuerit: quædam enim sunt corpora, quę illius ferre vsum non possunt, atq; si validius aliquodpiam desiderabimus, quam ptisana
50 sit auxilium, oportebit aliquod exhibere decoctum, cuius vnū aut alterum proferemus exemplum; Hoc inprimis laudatum à multis, me nunquam certa fefellit experientia. Rec. pentaphylli cum radicibus & foliis m. ij. granorum alchechengi vnc. j. s. agrimoniæ. m. j. sem. com. frig. maiorum an. drac. ij. radicum graminis vnc. ij. politrici, cap. veneris, cetrach an. s. limonum cum carne sua minutim incisorum nu. ij. contundantur omnia grosso modo, & aspergantur lib. vna

aquę infuſionis roſarum,& cap.veneris:poſtea deſtillentur per balneum Marię, vel à lembico aliquo vitreo,& aqua vſui ſeruetur. Rec. huius aquæ vnc. v. ſyrup. cap. veneris,& roſati an. vnc.j.ſumat ſingulis diebus in auroram loco ſyrup. atq; immediate ante huius aſſumptionem capiat ſyrup.j. ſequentium trochiſcorum. Rec.trochiſ.ex alchechengi drach.ij.ex abſinthio drach.j. ſucci liquir.ſcrup.iiij. cum ſyrup.de capil.veneris reformentur magdaliæ : ex drach.j. fiant pilulæ tres, capiat vnam pro vice. Hoc medicamentum abſtergit,lenit,refrigerat,corroborat, vlcusq; conſolidat : aſſumat diebus continuis viginti quinq; plus minus. eſt etiam quod præſtantiſſimum. Rec.radic. altheæ vnc.iij.cicerum rubeorum vnc. j.cetrach,comarum maluæ cum floribus, & ſemin.an.man.j. agrimoniæ m.s.ſemin. bombacis, endiuiæ, melonum, cucurbitæ, & anguriæ an. drach. j. aſpleni man. j. decoquantur in ſeri caprini, vel in mulſæ dilutæ lib. iiij. donec ſuperſint duæ aut etiam vna cum dimidia : ius decoctum colo transfundatur. Rec. decocti vnc. iiij. s. in quo diſſolue trochiſcorum ex haliacacabi drach. ij. ſyrup. de liquir. vnc. j. Alia quidem ſexcenta inueniri poſſent remedia, tum ab aliis conſcripta, tum ex tempore compoſita, quæ ſigillatim recenſere longiſſimum eſſet : ſatisfaciunt quæ diximus, in quibus adeſſe omnia videntur mihi, quæ ad rectam pro vlceratis hiſce partibus medicamentorũ compoſitionem deſiderari ſolent: Hæc enim quinq; ſunt, vt tibi notiſſimum eſt Franciſce : Nam debent cum primis glutinoſam quandam habere facultatem, vt poſſint in exulcerata particula permanere tamdiu, quamdiu oportuerit : ſiquidem tenuis ſanguis, icoroſusque renes abluens, augere poteſt exulcerationem, niſi auxilium diutius permaneat: hacque de cauſa vnctuoſum aliquid habere debent, vt affectum membrum defendant ab humorum acrimonia, ab vrinæ ſalſedine, & à medicamentorum caliditate : quoniam vero longam facere viam debent, vt penetrare valeant, permiſcenda ſunt quædam vretica, tenuem ſubſtantiam habentia. Cum autem omne vlcus gaudeat ſiccis, & abſtringentibus, & corroborantibus ; neceſſarium eſt admiſcere cum his medicamenta conſolidantia. Poſtremum vero, quia tum propter puris acrimoniam, humorumq; vrinæ conditionem, & aliquando arenularum aſperitatem aduenire dolores conſueuerunt ingentes ; anodyna permiſcenda ſunt : neq; ſtandum in iis, quæ vere ſunt talia, ſed etiam accedendum ad narcotica haud infrequenter. In his profecto conſiſtit methodus componendi medicamenta ad exulceratos renes. atq; etiam veſicam : quam ſi quis obſeruauerit in curandis morbis, nunquam aberrabit : hac de cauſa vlceratis renibus lac maximam afferre vtilitatem creditur : nam cum tribus ſubſtantiis præditum ſit, caſeoſa, butyroſa, & ſeroſa : prima vlcus glutinat, ſecunda mitigat dolorem, atq; ne fiat, exeſio prohibet : tertia vero potenter abſtergit. Quæritur hoc loco, quale potiſſimum conueniat. ſunt qui præferunt omnibus aſininum, aut equinum ; vtpote tenuius, & magis penetrabile : ego tamen dixerim aliquando tenuiſſimum; aliquando autem craſſius magis conuenire : dum viget abſtergendi indicatio, aſininum detur : dum vero conſolidandi vlcus, ouinum, aut aliud aſinino craſſius. ſunt qui cum lacte permiſcent pulueres aſtringentes, exiccantesq; : cum ſcilicet vlcus ſanare volunt : Alii mel aut zucharum cum maiorem facere abſterſionem deſiderant : Alii ſerum abſumunt candenti ferro ; vt in diabete Aetius & alii clariſſimi quidam Medici : huius tamen vſus cauendus eſt, vt lapis, aut in renibus, aut in veſica continetur : quoniam lac, quodcunq; fuerit, calculum facit : extirpato lapide audacter vtendum : vt præcepit Aetius his verbis : Porro vbi per vrinam prodierit lapis, lac aſininum melle mixtum præbeatur : & reliqua etiam dięta commodior, veluti ad vlcera fieri conſueuit, conſtituatur ; ob vexationem videlicet in locis ex lapide factam. quam rem authoritate Philagrii & Archigenis infra declarauit. Quid agendum, vbi cum vlcere adfuerint arenulæ ? Arenulis abſterſis non incommodus erit vſus : At vero ſi nondum fuerint aliis medicamentis expurgatæ ? In aliorum penuria vtilis fuerit ſeri administratio.

Remedia ad consolidationem vlceris.

CÆTERVM pro consolidando vlcere satis egregiam operam præstabit lac ouinum aut caprinum, vtrumq; coctum, dum scilicet serum absumptum fuerit. Expedit apozematis superioribus dissoluere trochiscorum ex spodio, vel ex succino drach. j. & in vsu frequenti habere; obseruatum est à patribus nostris, nullum efficacius remedium fuisse aliquando compositum ad exulceratos renes; quam trochiscos ex alchechengi: præstabit habere præparatos cum & sine oppio drach. j. vsq; ad drach. j. s. cum vino albo tenuissimo dantur, vel cum 10 lacte dissoluuntur, aut cum aliquo ex apozematis supradictis successu efficacissimo. Nam obseruaui D. Cæsarem Botiboldum, & Hieronymum Guarnerium socerum meum Auximates patricios, ex horum trochiscorum vsu ab vlcere renum fuisse perfectissime liberatos. Dantur diebus decem aut quindecim continuis: adhibita interim prouidentia, vt præbeantur horis quinq, ante cibum; quodq; vlcus aut sponte, aut artis beneficio fluat.

Victus ratio.

DE industria in hoc loco victus rationem reposui: quandoquidem cum sit communis indicationibus omnibus, contingatq; variari per illarum diuer- 20 sitate, post illarum applicationem locus videtur magis conueniens. Aer igitur in actiuis temperatus eligatur: nimium calidus dissoluit vires, humores calidiores facit, & ad motum inclinat, frigidus vlceribus mordax. In passiuis ad siccum declinabit. Somnus magis conuenit quam vigiliæ, proinde magis dormiendum quam vigilandum, quo tamē tempore incumbimus expurgationi vlceris, si fuerit somnus breuior, haud nocebit: supinus accubitus caueri debet. In curandis renum vlceribus nihil est, quod quidem magis conueniat quiete: quamobrem caueant illi, quantum fieri poterit, ab omni exercitationū genere, siue incedendo, siue equitando, siue etiam in vehiculis, vt curru, lectica, nauiq; facta: pro exercitatione eorum leuis fricatio sufficiat, hoc tamen limitari debet præceptum: 30 quoniam dum abstergere sabulum, & pus ex renibus consilium fuerit, tunc sane oportebit leuem motū ægris præcipere: sic enim facilius abstergimus, effluitq; ex ipsis renibus materia; coitus tanquam pestis quędam deuitandus est. Procurandum omni diligentia, vt aluus fluida sit: cum repletis intestinis renes haud mediocriter laborare videantur, si natura talem non habuerit vacuationem arte supplendam, aut enematis, aut cassia fistulari, aut elect. ex mixariis, vel etiam diapruno simplici. Deuitetur ira, furor, atq; tristitia: gaudeat quoad eius fieri potest. Quod vero ad cibum potumq; pertinet, hæ obseruandæ sunt regulæ: Prima, vt satietatem deuitet, cruditatesq;: secunda, vt fugiat ciborum varietatem: tertia, vt minor sit cœna ipso prandio: postremo, vt omnia deuitet acria & aci- 40 da, à quibus non parum exulcerationes asperantur. condimenti autem gratia haud negauerim acetum passulis, aut sapa temperatum. Cauenda pariter sunt omnia magnæ dulcedinis: nihil crudum desumi debet, nihil quod maxime crassum & viscidum. vtatur prisana tota, eiusdem cremore, amylum, similago tota cum lacte, cum potissimum vlceris consolidationem quærimus. lac eius permixtum confert. oua sorbilia, quinimo citra coctionem deuorata prodesse multum, significauit Aetius: Iusculum Gallinæ pullorum, phasianorum, starnarum, francolinorum, ficedularum, & reliquarum volucrium montanarum teneram carnem habentium, quæ tamen non sint antiquæ, & earundem carne comesta prodest. Nec inutilis est leporis caro, hœdi, iuuenis veruecis: magis vtendum 50 assis pro consolidatione vlceris: magis elixis pro abstersione: vtraque vigente intentione, tum assis, tum elixis. Piscibus vtatur facilis coctionis, vti sunt saxatiles, asellii, gobii, mugil è pelago, gambari, locustæ fluuiales, cancri: qui veluti remedium, & non tanquam solum alimentum præbeantur, Aetii testimonio. Erinaceus quoque recens familiariter permittatur. Ex bellariis passæ conueniunt vuæ, nuces pineæ duabus aquis maceratæ, simul cum seminibus melo-

num eodem modo præparatis: Nam creditur, ex horum vsu continuo maximam ægrotis vtilitatem venturam fore. Admittuntur pistachia, amygdalæ virides, maturæ, probeq; mundatæ: siccæ similiter præmaceratæ & decorticatæ vtiles. vua pensilis admittitur, cucurbitarum vsus recentium bonus: nam abstergunt & refrigerant, melonum in prima duntaxat mensa accommodatus est: optimi tamen eligendi suauitate saporis insignes. Ex oleribus conuenit malua, omne genus cichoreæ, rumex, portulaca, asparagus palustris, cucumis, lactuca, omnia tamen cocta: lacte vtendum asinino primum, mox caprino, tandem ouino aut vaccino. causa diuersitatis à diuersitate pendet indicationum: Nam si fuerint præualentes, quæ mundificationem exigunt, tenuissimum, si quæ glutinationem, crassissimum eligito. si tarde ex ventriculo descendit, salis tantillum, aut mel despumatum, aut rosaceum permisceto. quantitas sit vnciarum quinq; horis quinq; ante cibum: neq; dormiat, neq; exerceatur assumpto lacte. conueniunt omnia ex lacte præparata edulia. Potu vtatur exiguo. Vino albo subastringenti expurgationis tempore: at consolidationis nigro & austero. temperatū sit fontana primis diebus, postremis cisternina, atq; etiam chalybeata: nam non modo naturales partes roborat, sed etiam visceri læso vtilitatem miram afferre potest: quinimo hoc certe testari possum, vt quis citius ab hoc affectu curetur: atq; vt ab imminentibus malis præseruetur, nullum inueniri posse magis accommodatum auxiliū, quam paucitas potus: atq; etiam vino vti chalybeato: cuius conficiendi rationem aliàs docebimus: interim sciat, quod si ignitum chalybem optimo vino decies extinxerit, vtilitatem esse habiturum ingentem; & hæc satis de proposito affectu. Interim vero, Francisce optime, curabis valetudinem tuam, & me, quod te facere non dubito, mutuo amabis. Cinguli, die 4. Febr. 1571.

FINIS TOM. II.

INDEX

INDEX

RERVM ET VERBORVM,

IN HOS EPISTOLARVM ET CONSVLTATIONVM MEDICINALIVM LIBROS,

Alphabetica serie digestus:

Cuius prior numerus versiculum; posterior folium denotat.

A.


Absinthii vsus pro tertianarum curatione ex Galeno. 40.171
Accessionis principium, quæ constituere dicantur. 26.535
Acetum nunquam ad vini naturam reuerti posse. 46.26
Acetum quomodo fiat ex vino. 50.585
Acidi qua ratione fiant. 41.537. & seq.
Aciditatis causa proxima est frigiditas, remota vero calor. 48.585
Acidulæ aquæ quomodo differant ab aceto. 40.537
Acidulæ aquæ non sunt acres. ibid.
Acidularum aquarum effectus. ibid.
Acidularum aquarum temperamentum quale. ibid.
Acconitum non occidere hominem, si aliud inuenerit in corpore venenum, quo cum certet. 44.204
Adoreum semen cereale & frumentaceum quid. 16.154
ADRIANVS SEXTVS, P. M. an fuerit præseruatus à pestilentia ex vsu arsenici. 41.205
Aeris & salsæ destillationis procumbentis in pulmones in corpore gracili curatio. 40.223
Aeris coinquinamentum pestilentes febres efficere. 15.85
Aerem putridum efficere pestilentes febres. ibid.
Aerem non putridum aliquando efficere posse pestilentiam. ibid.
Aerem nutrire spiritus ac simul refrigerare. 8.75
Aerem, quē inspiramus non esse simplicem substantiam. ibid.
Aerem, odorem, & vaporē sanguinis perfectè nutrire spiritus quomodo intelligendum. 37.75
Aetium frequenter exhibuisse lac asininum calculosis. 29.46
Aetium in causa diabetis afferenda aberrasse. 38.424
Aegrotis aliquid concedendum, quod sapiat palato. 21.7
Aequalibus remediis in gradu, aut etiam inferioribus pro curandis morbis vtendum, quam ob causam fiat. 34.474
Agens naturale facit effectum præter naturam non ratione sui, sed ratione subiecti ac modi agendi. 26.37
Agnodice prima obstetrix post leges ab Atheniensibus contra mulieres promulgatas. 54.331
Agnodice puella prima omnium medicinam fecit. 15.331
Alabastrini vnguenti vires. 26.541
Albucasis opinio de cauterio in sutura coronali. 16.415
Album ius ex Galeno quomodo conficiatur. 15.265
Albi iuris varia præparatio apud Galenum, & cur varie parauerit. 40.265
Alcimari sententia reprobata de vsu lactis in dysenteria. 50.239
Aleces vtiles malaciæ. 35.428
Alexander Petronius Medicus Romanus celebris. 25.544
Alexandri Aphrodisei sententia de organo tactus. 7.389
Alica & condrum quomodo conueniant in tertiana. 55.171
Alicæ vires. 5.172
Alimentum duplex Hippocrati, humidum & siccum. 1.511
Alimentum quasi alimentum. 3.255
Alimentum futurum alimentum. ibid.
Alimentum proprie quid. 29.509
Alimentum quomodo fiat excrementum. 28.254
Alimentum triplex ex Hippocrate, verum alimentum, quasi alimentum, & futurum alimentum. 10.510
Alimentis assuetis, an insuetis vtendum sit magis. 30.11
Allium quomodo ab Hippocrate dicatur, flatum efficere. 1.580.
Allium flatum discutere. ibid.
Allium non inferre sitim. ibid.
Aloes vsus parum ante cibum. 43.343
Aloes præseruat pueros à vermibus. ibid.

Nnn

Aceto Scyllitico calculosis vtile. pag: 40. lin: 43.

Alterationem non semper ad primas qualitates referri. 485. & seq.
Alterationem primis qualitatibus acceptam referri. 52.481
Altimari sententia de vrinis colliquatiuis refellitur multis rationibus. 20.650
Ambrosij Barbauaræ Theologi præstantissimi mors. 30.605
Ambrosij Perrei sententia de intersepto virginali. 20.327
Ameos semen sanat malaciam. 2.429
Amylum sanat malaciam. 35.428
Andreæ Tiraquelli opinio de nobilitate medicinæ. 20.593
Andreæ Tiraquelli opinio reprobata. ibid.
Andreæ Vacci libri de cornu monocerotis. 52.205
Antidotum ad obstructiones hepatis. 27.171
Antimonij præparati vsus damnatur ab Augenio. 34.27
Antipater Medicus de medio sublatus est ex palpitatione cordis & asthmate. 2.529
Antipatrum medicum ex palpitatione cordis fuisse mortuum. 25.112
Antiquos fuisse superstitiosos in vsu medicamentorum ad calculosos. 1.95
Antiquorum opiniones variæ de odore. 1.68
Antonius Portus Firmanus Medicus à Cubiculo Sixti V. Pontificis Maximi. 39.559
Annus australis quomodo possit esse in totum silens à ventis. 32.& 44.163
Annus bisextilis à quo primum institutus. 6.& 8.184
Appetitus rerum malarum & insolitarum, ex qua causa fiat. 34.425
Appetitum esse duplicem. 40.56
Apoplexia cur desinat in paralysim: at epilepsia nunquam. 32.298
Apologia Cyni in Vincentium Cibum Fulginatem reprobata. 27.206.vsq. ad 217
Apologia Iulij Cyni Collensis medici in Augenium tota subuertitur. 17.32.vsq. 48
Aqua an vertatur in bilem disputatio. 7.382
Aqua in hydropicis quomodo in capacitatem abdominis colligatur. 10.590
Aqua hordei inuentum esse Arabum. 5.13
Aqua hordei quibus obsit. ibid.
Aqua salsa intestinorum sanat vlcera. ibid.
Aqua salsa an adstringat aluum. 46.384
Aquæ acidæ Goppingenses, acidæ sunt neq. ob putredinem, neq. ob caloris imbecillitatem. 40.537
Aquæ non medicatæ potum interdicit Auicenna in catarrho. 3.418
Aquæ hordei varia decoctio & varius vsus. ibid.
Aquæ salsæ vtiles pro clysterijs. ibid.
Aquæ medicatæ pro acri destillatione ad pulmones, quæ conueniant. 40.226
Aquæ optimæ conditionis pro ptisana concoquenda. 35.3
Aquæ sinceræ nomine quid intelligendum ex Augenij sententia. ibid.
Aquæ pro ptisana conficienda, quæ adhibenda quantitas. 35.5
Aquam gignere bilem, quomodo intelligendum sit. 38.569
Aquam nutrire carnosas partes. 46.384
Aquam solidas partes nutrire. 39.384
Aquas acescere ob mixtionem rei alicuius acidæ. 40.537
Aquas Villenses mire proficuas pro præseruatione à sputo sanguinis. 55.607.
Aquarum medicatarum vsus pro sanandis arenulosis. 2.284
Aquarum salsarum sumendi modus. 5.13
Aquarum somniferarum descriptio. 45.123
Aquarum variarum medicatarum vsus pro catarrho. 36.417
Ardoris vrinæ curatio. 22.286
Archangelus Mercenarius ex Monte sancto summus Philosophus. 27.388.& 52.416
Archangeli Mercenarij opinio de concoctione redarguitur. 1.621
Archangeli Mercenarij opiniones reprobatæ. 30.114
Archangeli Mercenarij problemata Augenio missa. 50.48
Argenterij de concoctione sententia reprobata. 50.26. de doloris natura eiusq. causis. 10.54
Argenterij rationes contra Aristotelem de concoctione reprobantur. 10.623
Arrhenicum est materia remedij, sanantis asthma. 15.530
Arrhenico vtebantur antiqui pro sanatione maximorum affectuum. ibid.
Arenulæ quibus de causis fiant. 1.282
Arenulæ quo loco fiant. ibid.
Arenulæ quando calculum significent rerum. ibid.
Arenulosis prodesse serum. 29.283
Arenulosis serum exhibendi modus. ibid.
Arsenicum crystallinum non prodesse pestilenti febri, gestatum prope cor. 19.204

Arsenti vivi [illegible] 266. 267.

Arthritici dolores [illegible] 293

Arsenicum crystallinum frigidum & siccum existere. ibid.
Arsenicum crystallinum attrahere ad se se venenum non posse. ibid.
Aretæi error in causa diabetis afferenda. 38.424
Aristotelis locus libro de sensu, ac sensiterio capite de sapore, de igne explanatus. 6.488.
Aristotelis opinio de facultatibus medicamentorum purgantium. 29.650
Aristotelem de organo tactus non semper eodem modo fuisse locutum. 38.388
Aristotelem antiquorum opinionem de odore impugnare. 1.68
Aristotelicæ rationes de odore contra Pythagoricos suspectæ. 6.69
Aristotelicarum rationum de odore quod non nutriat explanatio. 1.68
Ars medica coniecturalis dicitur ob quantitatem remedij. 48.582
Artem carere consultatione ex Aristotele. 33.430
Artem imitari naturã multis modis. 9.30
Artem non semper imitari naturam in tempore purgationis. ibid.
Artem medicam consultationem exigere. 41.431
Artes omnes supponere Artificem præstantißimum. ibid.
Artium genera esse duo, & in quo ipsa consistat consultatio. 41.430
Artifex à principio morborum purgans ad imitationem naturæ purgare dicitur. 25.30
Artifex qui melior iu prædicendo sit. 44.176
Artificem non semper adhibere consultationem. 41.431
Ascites prominentiam facit duntaxat abdominis, gracilitatem vero in extremis partibus, & quam ob causam id accidat. 32.400
Ascitem omnem gigni ex aliqua solutione continui. ibid.
Ascitem qui facile incurrant. ibid.
Asclepiadis & Aetii sententia de farre. 35.154
Asclepiadis opinio de facultate pharmaci purgantis. 25.646
Assensum uteri ad superiores partes esse causam aliquando clysterici affectus. 33.
Asinini lactis vsus pro præseruatione ab asthmate. 8.395
Asinino lacte vtebantur antiqui pro curanda hydrope. 49.413
Aspasia Diuini Platonis, & Periclis magistra mulier medica. 54.331
Aspectum Saturni non efficere octimestrem partum mortalem. 20.184
Asthma quam ob causam inuadat per circuitus. 10.468
Asthma cur magis Vere & Autumno, quam aliis temporibus inuadat. 32.468
Asthmatis curatio aliquando nõ admodum difficilis. ibid.
Asthmatis remedia quæ. ibid.
Asthmatis curandi tempus. ibid.
Asthmatis causæ quæ. 19.468
Asthmatis curatio. 33.469
Asthmati prodesse decoctum Guaiaci. 33.469
Astrologorum sententia de partu octimestri reprobata. 20.184
Astromorum gentem solo odore viuere ex Plinio. 53.70
Athletarum habitui quid conueniat. 45.25
Atra bilis non putrida non est concoquenda ante purgationem. 7.27
Attractio quibus de causis fiat. 27.649
Attractoria pharmaca sunt purgantia secundum Hippocratẽ & Galenum. 31.21
Attractoriæ sorbitiones quæ. 48.344
Auerrois opinio reprobata de facultate separatrice. 570. per totum.
Auerrois rationes quod odor non multiplicetur in medio cum exhalatione substantiæ. 6.73
Auerrois rationibus respondet Augenius cum medicorum sententia. ibid.
Auerrois sententia de organo tactus. 7.389
Auicennæ locus explanatus de purgantium facultate pharmacorum. 49.649
Auicennæ regula in faciendo cauterio. ibid. 16.415
Auicennæ sententia de organo sensus tactus. 3.389
Auicennam in reddenda causa diabetis aberrasse. 34.425
Augenii commentarius in libros Galeni de feb. diff. & de arte curandi ad Glauconem. 47.416
Augenij explanatio an ptisana debet exhiberi morbo sicco. 7.12. obseruationes de calculo vesicæ. 24.36. responsiones ad problemata Mercenarii. 50.49. Experimentum ad hictericas. 25.305
Augenii opinio in exhibendo viuo in catarrho. 36.417
Augenii syrupus cardiacus. 8.378

Augenij syrupus purgatorius. 29.329
Augenij vinum medicatum pro malacia. 5.429
Augerij Ferrerij opinio reprobata de pilulis ex hydrargiro & scammoneo. 21.205
Ausonij Galli poetæ Burdegalensis historia de muliere venefica. 46.204

B.

BAlneum aquæ dulcis pro præseruatione à sputo sanguinis. 24.395
Balneum pro somno inducendo. 36.122
Bartholomæus Eustachius Anatomicus præstantißimus. 43.326
Bilis flaua an præparanda ante purgationem. 54.19
Bilis flaua putrefacta quas habeat qualitates. 348.& seq.
Bilis in erysipelate statim à principio purganda. 9.20
Bilis non putrida non est concoquenda ante purgationem. 6.27
Bilis, quæ à sanguine plurimum, & quæ parum recedat. 12.422
Bilis vnde ad ipsam cutem transmittatur, hictericiam faciens. 25.228
Bilem flauam & pallidam obstructionem efficere non posse sua natura. 27.157
Bilem non semper expurgari per chisti fellis. v.43. ibid.
Bilem magnam habere latitudinem. 12.422
Biliosus humor hictericiam faciens, quo loco maneat. 11.228
Bolus armena quomodo iuuet in pestilenti febre. 27.467
Bolus armena conuenit pro præseruatione, & pro curatione pestilentis febris. ibid.
Bonum aliquid, aut malum esse dupliciter. 33.29

C.

CAcochymia, seu malus succus, quid. 42.20
Cacochymiæ deberi purgationem. ibid.
Cacochymiam aliquando exigere venæ sectionem. 1.77
Calcanthum misceri potest cum aqua tribus modis. 27.538
Calculus est causa morbi, quando retinetur, & quando expellitur. 35.34
Calculus existens in vesica, siue ibi fuerit genitus, siue deriuatus aliunde, parum ad curationem refert. 17.36
Calculus in vesica puerorum gignitur, quia calidiores iuuenibus ex Hippocrate. ibid. v.44.
Calculus in vesica puerorum coagmentatur ab innato calore. ibid.
Calculi vesicæ potißimum gignuntur ex vrinarum craßitie & tentore. ibid.
Calculus formalis causa & efficiens quomodo statuatur. ibid. v.39.
Calculus non fit ex materia toto genere præter naturam, sed opus ex ipsa materia genitum est huiusmodi. 46.33
Calculum non gignit putrifica constitutio, vt vult Fernelius. 10.34
Calculum nasci ex omni materia viscida, quæcunque sit. v.15. ibid.
Calculum à pituita gigni, communi consensu statuitur. ibid.
Calculum facit efficiens in subiecta materia, aliquando magis efficiens, aliquando magis materia concurrit. ibid.
Calculi vesicæ curatio quomodo differat à curatione calculi renum. 28.94
Calculus omnis primo frangendus, postea educendus. v.47. ibid.
Calculus non est obstructio. 3.35
Calculus quomodo vocetur morbus in numero à Galeno. 46.35
Calculus dum gignitur, nullam infert molestiam, nec etiam semper dum genitus est. 37.33
Calculum esse excrementum vitiatæ substantiæ toto genere præter naturam. v.46. ibid.
Calculus cur retineatur ac expellatur. ibid.
Calculi generationem quid efficiat. v.52. ibid.
Calculi renum vera definitio. ibid. v.5.
Calculum in vesica generari ex communi omnium consensu. ibid. v.32.
Calculum generari posse in vesica, & non generari omnem in renibus contra Fernelium. 14.542
Calculum vesicæ esse morbum maxime refractarium. 33.609
Calculus vesicæ magnus, & maxime durus frangi non potest medicamentis. ibid.
Calculum vesicæ recentem à pharmacis factum vidit Augenius. ibid.
Calculus quomodo fiat ex lacte pueris. 7.44
Calculum frangentia ac minuentia, quas vires habere debent. 22.40
Calculum frangentis remedij materia. ibid.

Calcu-

Calculum frangentia à proprietate occulta, siue à tota substantia. ibid.
Calculum gigni in multis partibus. 20.33.
Calculi in pueris efficientem causam esse duntaxat calorem natiuum, rationibus probatur. 10.37
Calculorũ & tabidorum curatio non conuenit in potu lactis. 51.47
Calefactionem non conuenire caliditati per se primo, sed igni: caliditati autem secundo loco. 3.486
Calefacere quomodo essentialiter caliditati referatur. 28.487
Calefacere non conuenire igni propter caliditatem: sed contra, conuenire caliditati propter ignem. ibid.
Caliditas non ageret, nisi à forma ignis acciperet agendi potestatem. 28.487
Calidum innatum est mixtum corpus ex omnibus elementis vincẽte calido. 11.484
Calor naturalis non corrumpitur à quocunque excessu. 39.586
Calor per se nunquam exiccat, sed semper calefacit per se. 34.500
Calor quomodo iungat, & heterogenea in concoctione, cuius munus est illa separare. 32.616.
Calor puerorum adurens, per accidens nuncupari potest. 8.38
Caloris imbecillitatem efficere aciditatem. 52.537
Calorem exiccare ex accidenti. 3.501
Calorem ad concoctionem concurrere, quatenus calor est naturalis, non simpliciter vt calor. ibid.
Calorem innatum esse substantiam se ipsum mouentem. 53.105.
Calorem innatum moueri, & secundum naturam, & præter naturam. 3.106
Caloris motum, vnionemq; ad viscera aliquando efficere febrem. v.12.ibid.
Calorem naturalem habere vim alterandi. 38.482
Calorem naturalem considerari posse dupliciter, vel sub ratione caloris, vel concausa animæ, habere vim etiam refrigerandi. ibid.
Calorem duplicem ad concoctionem efficiendam concurrere, vnum proprium rei concoquendæ, alium externum, & hunc duplicem vnum per se, alium per accidens. 26.618
Calorem naturalem concoquere, vt concausam agentis animæ. 40.485
Calx quomodo calorem amittat. 29.105
Camelarum lac butyro caret. 13.41
Cancros occultos non esse sanandos. 38.113
Cancri occulti qui. ibid.
Cancer exulceratus non est occultus. ibid.
Cancrum totum excidendum. ibid.
Cancrosus affectus ignito ferro vrendus. v.50.ibid.
Cancri origo. 13.112
Cancri in mamilla exulcerati curatio. v. 42.ibid.
Cancri curatio mitigatoria. 6.114
Caninæ appetentiæ à verme cucurbitino curandi ratio. 30.531
Capitellum chirurgis quid sit. 54.529
Capitis dolor licet per circuitum inuadat, potest tamen esse per essentiam. 46.659
Cardialgia laborans, ex vsu oxymelitis non parum læditur. 1.130
Cardialgiam reuulsionem postulare per inferiores vias. v.12.ibid.
Cardialgia quomodo vomitũ exigat. 13.129
Cardialgiam varijs de causis concitari posse. 54.127
Cardialgiam magnam habere latitudinem in eo, quod magis ac minus. 28.128
Cardialgiæ, scopi & indicationes curatiuæ, quæ. ibid.v.31
Cardialgia vigente vacuatio totius corporis fieri non debet. v.52.ibid.
Caro est medium, per quod fit sensatio in tactu. 1.390
Carnem hœdinam temperamento calidam & siccam esse. 10.79
Carnem suillam in nutriendo, & bonitate succi primas partes habere. 23.78
Carnem vitulinam secundum habere locum: tertium hœdinam: quartum agnorum carnem. 51.78.& v.10.22.79
Carnem iecinoris humores gignere. 47.259
Carnes nutriri sanguine. 18.517
Carunculæ in ostio vesicæ genitæ medendi ratio. 2.604
Carunculam in ostio vesicæ genitam, quæ indicent foueri à lue venerea. 7.603
Caseus maxime omnium gignit calculum. 17.41. Caseus humidus calc.[a] gignit. 40. 43.
Casei plurimum habent bubulæ, mox vaccæ. ibid.
Casei parum habent camelæ, mox equæ. ib.
Causæ actionum secundum medicos sunt corporis partes, licet vere ab anima prodeunt. 1.34
Causas, quas corrigere non potest medicus, aliquando in arte curatiua contemnendas. 1.87

Catapotia ex argento viuo pro elephantiacis. 21.459

Cauiarum esse genus ouotarticorum, vt etiam botarghe appellata. 33.264

Cauiarum salsamentum quod sit. v. 16. ibid.

Cauterium an debeat fieri in inio, disputatio. 2.414

Cauterium an fieri posit in sutura coronali. ibid.

Cauterium an magis conueniat frigido catarrho, an calido. ibid.

Cauterium in inio ab antiquis fuit maxime laudatum. ibid.

Catarrhos fieri per spinalem medullam. ibid.

Cauterium in cruribus non reuellit destillationem acrem pulmonum. 46.224

Cauterium in catarrho frigido conuenire reuulsionis gratia. 1.416

Cauterium in catarrho frigido conuenire gratia alterationis. ibid.

Cauterium in vtroq; brachio non conuenire in tortura oris. 36.555

Cauteria fieri possunt in omnibus fere partibus. 30.411

Cauterium quando in brachiis, & quando in cruribus debeat exerceri. ibid.

Cauterium parum prodesse in destillationibus per internas partes irruentibus. ibid.

Cauterium cruribus factum aliquando sanasse podagram. ibid.

Cauterium ob reuulsionẽ & deriuationem, quibus in partibus fieri debeat. ibid.

Cauterium in occipitio. ibid.

Cauterium in capite ratione vacuationis. 19.412

Cauterium in capite ratione reuulsionis. ibid.

Cauterium conuenit in materia calida & frigida. ibid.

Cauterij ex cantharidibus descriptio. ibid.

Cauteriũ non solum, vbi adsunt suturæ, sed etiam in alijs partibus capitis, tuto administrari potest. 4.415

Cauterium factum in inio, nunquam ex se nocet, nisi ex imperitia artificis. ibid.

Cauterium in sutura coronali faciendi modus. ibid.

Cauteria in sincipite, aut in vtroq; brachio non laudantur Augenio pro sanatione asthmatis. 12.469

Cauteria recipiunt arrhenicum. 1.530

Cauterium Falloppij ex arrhenico. ibid.

Cauteria vbi fieri debeant pro suffusione, 7.613

Cauteriorum vsum tribus de causis fuisse institutum. 410. per totum.

Cauterijs frequentissime vsum fuisse Aetium. 410.& seq.

Cerebrum & cor inuicem sese contemperare & alterare ex Aristotele. 38.482

Chinæ decoctum intermittendũ per diem. 48.380

Chinæ decoctum quem postulet victum. ibid.

China quam præparationem postulet. 3.378

Chinæ decoctum post vigintiquatuor horas putrescit. ibid.

Chinæ decoctum quomodo parandum. ibid.

Chinæ decoctum quibus morbis opitulatur. 13.377

Chinæ radicis electio. ibid.

Chinæ decoctum sumendi modus. ibid.

Chinæ radix quid. 25.376

Chinæ decoctum stimulat venerem. 19.379

Chinam & lignum guaiacum non esse simul miscenda. ibid.

Chinam in actiuis temperatam, aut parum esse calidam. 13.377

Chinarum radicis decoctum, ac vires pro morbis diuturnis. 14.298

Chinarum radicis decoctum pro tussi, & asthmate. 3.120

Chinarum radicis decoctum pro sananda fistula in corpore gracilis habitus. 20.640

Chinarum radicis decoctum quas habeat vires. 36.555

* Chylus quid. 26.255.

Cibandum aliquando in accessionum principijs. 3.445

Cibus crudus homine sano non elabitur ex ventriculo, sed eius pars concocta successiue vna post aliam. 1.117

Ciborum appetitionem in ore ventriculi, concoctionem vero in cauitate fieri. v. 20. ibid.

Cibos, dum concoquuntur, non simul omnes permisceri & confundi. ibid.

Cibos diuersarum naturarum non simul omnes concoqui. 25.509

Cibi differentiæ & natura. ibid.

Cibus absolute dictus, qui. ibid.

Cibus humidus ac fluxibilis. ibid.

Cibus medicamentosus. ibid.

Cibus, potus, medicamentum quod. 55.80

Cibi condimentum proprie quid sit.

Cibi

Cibi non concoquuntur in ventriculo, nisi omnes inuicem confundantur. 8.115
Cibi, qui prima mensa, qui posteriori degustandi sunt. 35.118
Cibi prima mensa edendi, qui facilius concoquuntur; secunda vero qui difficilius. 14.80
Cibo statim sumpto fames desinit. 40.115
Cibum in ventriculo inæqualiter concoqui, & inæqualiter distribui. 36.115
Cibum in ventriculo perfici, & corrumpi simul. 1.620
Cibos sumendos pro varietate propriæ naturæ. 40.118
Clausas mulieres aliquando concipere ex Auic. 11.401
Clysteres nutrire ex Aetio. 45.130
Coctionem à calidis, & humidis solum non iuuari, ibid.
Coctionem iuuari à calido, & à frigido. 7.371
Coctionem paßionem esse mixti perfecti, non autem animati duntaxat. 26.618
Cœlum agere mediante motu, ac lumine. 4.187
Cœlum esse causam communem & vniuersalem omnino, non autem sufficientem. 20.189
Cœlum quomodo agat in hac inferiora. 32.186
Cœlum non produxisse elementa, & mixta. v.40.ibid.
Cœlum concurrere ad generationem horum inferiorum, adæquando, augendo, & minuendo qualitates elementorum. v.74.ibid.
Cœlum solum non esse & efficientem, & sufficientem causam rerum inferiorum, sed duntaxat, vt coniunctum cum secundis causis. 20.185
Cœli nomine aliquando aerem intelligere apud Medicos. 41.86
Cœli nomine Augenium intelligere sydera. ibid.
Colliquationem pati duntaxat, quæ sunt pinguia. 49.549
Colliquationes albæ, & croceæ, & flauæ, quid significent. 37.554
Colliquari sanguinem quid significet. 4.549
Colliquari renes, & colliquari totum corpus quid significet. ibid.
Collyrium iure efficax pro corneæ ruptura, atq; pro inducenda in ipso oculo decoratricatrice. 24.540
Communis morbus non est prorsus contagiosus. 32.83
Conciliatoris opinio reprobata de sero caprino. 14.153
Concoctio cur sit perfectio. 28.346
Concoctio facit cessare putredinem manente substantia. 40.16. 34.26
Concoctio antecedens purgationem solum debetur humoribus putrescentibus. ibidem.
Concoctio febrilis materiei quæ sit. 39.257
Concoctio humoris semimali quid. 26.345.
Concoctio omnis rem genitam supponit, sed aliqua ex parte imperfectam, generatio vero supponit rem non genitam. 4.615
Concoctio est motus ad perfectionem rei acquirendam. ibid.
Concoctum omne perfectum. ibid.
Concoctio est contraria cruditati, tanquam forma & priuatio: non tanquam motus motui. ibid.
Cruditatem non esse motum. ibid.
Concoctionem & putredinem esse motus contrarios. ibid.
Concoctionis materia. ibid.
Coctibile quid sit. ibid.
Coctio quomodo fiat ex Aristotele. ibid.
Concoctio potißimum fit in statu, in quo etiam crisis. 3.348
Concoctio putridi humoris in quibus consistit. 32.348
Concoctio quomodo sit perfectio. 28.614
Concoctionem ab Aristotele definiri pro motu: dicens, eam esse perfectionem. ibid.
Concoctio quomodo sit alteratio. ibid.
Concoctionis apparentibus signis morbum non semper esse tutum. 30.565
Concoctionis definitionem non esse intelligendam de alimentis duntaxat, sed in communi. 2.617
Concoctionis materia genere eadem at specie multiplex. ibid.
Concoctionis efficiens causa. ibid.
Calor rei concoquentis, an concoquendæ sit causa efficiens coctionem differitur. ibid.
Concoctionis nomen significationes habere multas. 33.16

Concoctio alimenti quid. ibid.
Concoctio humoris semimali & semiputridi quid. ibid.
Concoctio humoris omnino putridi quæ. ib.
Concoctionis opifex innatus duntaxat calor non medicamentum. 28.346
Concoctionis vniuersale significatum secundum Galenum. 32.348
Concoctionem esse alterationis speciē quandam. 46.485
Concoctionem per se primo fieri ab anima non à calore. 46.500
Concoctionem omnem non fieri incrassando. ibid.
Concoctiones nō esse vanas re ipsa, licet pro varietate partium fiant alterationes variæ. 49.619
Concoctus humor quando purgandus. 28.346
Concocti humores & crudi quando expurgandi. 29.443
Concocti humores purgari possunt omni tempore, quo fuerint concocti. 35.28
Concocta multa sunt, quæ nihil nutriunt. 52.620
Coctionem Aristotelem definire tanquam paßionem mixti. ibid.
Coctionem rei putridæ esse perfectionem. ibid.
Coctionem non esse terminationem, sed fieri à terminante. ibid.
Coctionem, & generationem non esse idem contra Mercenarium. ibid.
Coctionis terminus est substantia. ibid.
Concubitus primus cum virgine non semper sanguinis effluxionem facit. 16.330
Concubitus primus quibus virginibus difficilior. ibid.
Condrus proprie est idem quod halica quæ fit ex zea. 3.155
Condrus, seu halica duplex: cocta & cruda. ibid.
Condri nomen multiplicem habere significationem. 15.154
Condrum, far, ptisanam aliquando confundi apud authores. ibid.
Constantini Cæsaris opinio de Halica. 49.154
Consultatio abusiua, & consultatio propria, quid requirant. 5.453
Consultatio duplex, propria & communis. 10.436
Consultans Medicus differt à Medico docente. ibid.
Consultatio duplex, tacita & expressa, & quid sit vtraq;. 5.430
Consultatio est agibilium, non effectibilium. 48.430
Consultationis terminus est prælectio. ibid.
Consultamus de iis, quæ per nos fiunt. ibid.
Consultationes fieri debere in artibus. ibid.
Consultationē versari circa duplicem materiam, propriam & communem. ibid.
Consultatio medica quid sit, & quomodo distinguatur à prælectione. 28.432
Consultationes non fiunt de fine, sed de mediis pro fine consequendo necessariis. ibid.
Consultatio non est necessariorum. ibid.
Consultatio non est impoßibilium. ibid.
Consultatio quibus instrumentis inueniet media pro fine consequendo. 24.438
Consultatio principalißime versatur circa humanas actiones. 24.431
Consultationis materia minus principalis est artis opus, affectioq;. ibid.
Consultationes cur in medicina fieri debeant. ibid.
Consultationem requiri ob incertitudinem, & obscuritatem rerum. ibid.
Consultationem versari etiam circa effectionem. ibid.
Consultationis finem esse duplicem, remotum, ac proximum. 5.435
Consultatio quomodo à prælectione differat, atq; conueniat. ibid.
Consultatio medica solum considerat remedia, & remediorum materiam. ibid.
Consultatio medica non considerat res naturales, nec res præter naturam, nec siquagna, nec res ipsas non naturales, nisi quatenus inseruiunt pro remedio, aut eius materia. ibid.
Consultationem sequi electionem aut prælectionem. 13.433
Consultationis medicæ definitio. ibid.
Consultatio est mediorum latentium pro consequendo fine. ibid.
Consultatio tacita nō meretur nomen consultationis. 20.446
Consultatio á quot Medicis fieri debeat. ibid.
Curationem morborum fieri debere magis à pluribus, quam ab vno Medico. ibid.
Consultationi non debent interesse Medici, qui simultatem habent inter se. 47.449
Consultationem facere debent Medici prudentiores, ac doctiores. 7.449
Consultationes reddunt Medicum immunem

nem ab omni suspicione internecionis. 9. 447
Consultationes fieri debere de magnis rebus. ibid.
Consultationes quibus de causis instituendæ sunt. ibid.
Consultationes maximas vtilitates afferre Medicis & ægrotis. 23.448
Consultationum communes regulæ. 449. per totum. & seq.
Consultans Medicus cur vtatur experientia. 45.438
Consultans Medicus rationem & experientiam adhibet: empyricus solam experientiam. ibid.
Consultationem pertinere ad Medicum prudentem. ibid.
Consultantis vltimo loco officium. 36. 457
Consultanti Seniori summa totius consultationis dari debet. 26.452
Consultantis primo loco Medici munus. ibid.
Consultantes si plures extiterint, ordinem habere debent. 8.430
Consultantium ordo. 20.451
Consultandum à Medicis non est omni tempore. 3.437
Consultationes fieri non debent circa deploratos. ibid.
Consultationes fieri non debent in omnino conualituris. ibid.
Consultandum aliquando magis de materia remedii, quam de remedio. ibid.
Consultatio quibus in morbis statim fieri debeat. ibid.
Consultationem versari circa remediorum qualitatem, quantitatem, & vtendi modum, atq; materiam medicam. ibid.
Consultata statim exequenda. 40.452
Consultantis secundo loco officium. 1.455
Consultantis opinio, an sit reprobanda publice. ibid.
Consultatricem facultatem sub habitu prudentiæ contineri. 43.429
Contagium omne consistere in putredine ex Fracastorio contra Valleriolam. 22. 92
Contagium non est simpliciter putrefactio, sed in alium transiens. ibid.
Contraria in iisdem partibus adæquate consistere non posse multis rationibus demonstratur. 49.535
Conuulsio non habet eandem partem affectam cum paralysi. 3.397
Conuulsio fit à solo morbo nihil efficiente natura. ibid.
Conuulsio quomodo symptoma, & quomodo sit morbus. ibid.
Conuulsio fit affectis musculis. ibid.
Conuulsio proprie non est morbus acutus secundum Galenum. 30.463
Conuulsio quæ statim fiat, ac statim soluatur. ibid.16.398
Conuulsionem fieri vel ab inanitione, vel à plenitudine. 32.193
Conuulsionis ab inanitione signa, quæ. ibid.
Conuulsionem paulatim contractam à siccitate fieri. 17.189
Copula cum similibus temperaturis non facit mulierem grauidam. 51.332
Cor principium & origo sensus tactus ex Aristotele. 28 389
Corneæ rupturæ species quatuor. 24.540
Corneæ rupturæ curandi ratio. ibid.
Corruptarum & prostitutarum mulierum fraudes. 16.300
Corruptionem substantiarum, & putredinem differre. 4.83
Corruptionem venenatam internis de causis gigni posse. ibid.
Crisis quid. 30.578
Crudus humor qui nuncupatur. 23.17
Cruentatum linteolum aliquod signum est virginitatis. 11.33
Cruentatum linteolum non esse perpetuum signum virginitatis. 16.330
Curatio morbi quid. 36.674
Curationem absoluunt tria. 8.365
Curationem esse duplicem, ordinariam, & non ordinarium. 26.29
Curatione ordinaria humores concocti sunt expurgandi: at secus in curatione extraordinaria. ibid.
Curationem indicantia tria sunt, duo, vnum. 74.436
Cutis an sit instrumentum tactus, vel caro, vel cor, vel neruus. 20.388

D.

Definitionis bonæ conditiones quæ. 14. 268
Definitiones proprietatum, ac accidentium quibus constare debent ex Aristotele. 30 614
Democritum vixisse triduo solo panis odore. 51.70
Deplorati dicuntur, qui morbis lethalibus præhenduntur, vt ex necessitate aut vt plurimum. 3.175

Cornu vnicornis vires contra vermes. 409.40
Cruditas non est motus. 27. 615. de cruditate vide plura. ibidē.

Deplorati dicuntur ægroti, vel reuera, vel sensus iudicio. ibid.

Deploratos non esse solis prognosticis relinquendos. 20.174

Destillationis acris, & salsæ curatio. 30. 223

Destillationi acri non conuenit decoctio ligni, & salsæ pariliæ. ibid.

Destillationem acrem procumbentem in pulmones non reuellit cauterium in cruribus. ibid.

Detergentibus non est vtendum, nisi post vacuationem. 30.370

Diabetes à quibus causis fiat Augenii sententia. 51.423

Diabetes quid. 25.285

Diabetis causæ. ibid.

Diabetis medendi ratio. ibid.

Diabetis causam à Galeno negligenter fuisse propositam. 8.426

Diabetem fieri ab intemperie calida & sicca renum. 8.424

Diabetes symptomata horumq; caussæ. ibid.

Diabetes causam non esse intemperiem frigidam & siccam renum. ibid.

Diarrhodon hepatis pag: 234. l: 20.

Diassari Ioannis Fernelij descriptio ac vires. 44.297

Dierum computatio in enixis ex aliorum sententia reprobata. 101.70

Dierum computatio in enixis, an fieri debeat à die partus, an à die morbi, disputatio. 14.169

Dierum computatio in enixis, quando à partu, & quando à febre inchoanda, secundum sententiam Hippocratis. ibid.

Diebus paribus vel imparibus iudicantur, qui habent accessiones diebus paribus, vel imparibus. 39.399

Diuisiuæ methodi præcepta tria præcipua. 48.461

Diuidentia membra æqualiter participare debent natura generis diuisi. ibid.

Diuidens membrum non debet sese habere vniuersalius diuiso genere. ibid.

Diuidentia membra simul sumpta, adæquant genus diuisum. ibid.

Diuretica, lac generantia, & menses mouentia, quo gradu calida sint. 44. 287

Diureticorum, lac generantium, & prouocantium menses differentia. ibid.

Diuretica sanguinem extenuant, ac fundunt. ibid.

Diuretica in fluore vterino conuenire. 18. 246

Diuretica vtilia in fluore aquosi sanguinis. ibid.

Diuretica in quo fluore vterino conueniunt. ibid.

Diuretica incrassare sanguinem. 25. 288

Diureticum esse, & mouere vrinam, non est idem. ibid.

Diuretica per se non prouocant menses. 1. 289

Diuretica, quæ moueant simul vrinas & menses. ibid.

Diuretica quomodo moueant menses. ibid.

Diuretico, quatenus diureticum est, quid per se insit. ibid.

Diuretica multipliciter dici. 8.287

Diuretica proprie dicta quæ. ibid.

Diuretica vti differant à prouocantibus menses, & generantibus lac. ibid.

Diuretica obsessis calculo, an conueniant. 55.290. & seq.

Diuretica non conueniunt fluentibus mensibus. 30.244

Diuretica omnia incrassant sanguinem. ibid.

Diuretica omnia attenuant, fundunt, incrassant. ibid.

Diuretica improprie dicta, conueniunt vlceribus renum. 11.292

Diuretica proprie dicta, non conueniunt per se vlceratis renibus. ibid.

Diuretica miscentur frangentibus calculum. 1.291

Diureticis an vtendum pro præseruatione à calculo. ibid.

Diuretica proprie dicta non frangere calculum. 10.290

Diuretica fracto calculo conuenire ad expurgationem. ibid.

Diuretica vtilia sunt, antequam frangatur calculus. ibid.

Diureticorum vsus quæ supponat. ibid.

Diureticorum natura & vsus explicatur. 45.286

Dolor est actio deprauata. 30.65

Dolor quis affectus præter naturam sit. ibid. & 55. & 63.

Dolor modum excedens, quos effectus pariat. 13.665

Dolor, quomodo sit actio deprauata sensus atq; appetitus. 30.65

Doloris causæ efficientes quæ sint. 43. 58.

Dolores causæ proximæ, quæ. 14.59

Doloris causam, quomodo Galenus dixerit esse

esse continui solutionem, atq; intemperiem. 29.66
Dolores maximi postulant reuulsionem, aut venæ sectionem, aut purganti pharmaco. ibid.
Doloris proximum genus esse tristem sensationem. ibid.
Dolorem duobus modis considerari posse. 17.663
Dolor quatenus causæ lædentis rationem subit, propriam habere indicationem, & eam vitalem existere. ibid.
Doloris mitigandi gratia stuporem inducentia adhibentur. ibid.
Dolorem duobus modis remoueri posse. ibid.
Doloribus duntaxat maximis cõuenire stuporem inducentia. ibid.
Dolorem esse paßionem non solum sensus externi, sed etiam appetitus ex Aristotele, & D. Thoma demonstratur. 55. & 56.
Dolorem fieri non posse nisi soluatur continuum, & actio fiat violenta. ibid. & 60.
Dolorem fieri ab obiecto vniuscuiusq; sensus. ibid.
Dolorem maximum fieri à frigido, & calido. 28.60
Dolorem non fieri ab æquali intemperie, sed semper ab æquali. 10.590
Doloris generationem esse, essentiam vero nunquam. ibid.
Dolorem fieri ab ijs, quæ alterant corrumpuntq; naturam. ibid.
Dolores non fieri ab humido. 40.60
Dolores moderatos fieri à sicco. ibid.
Dolorem non fieri ab intemperie. 20.62
Dolorem non fieri ex solutione continui. 24.61
Dolorem non esse morbum. 30.63
Dolor quomodo sit ex genere permanentium. ibid.
Dominus Botius & Hieronymus Landeus discrepantes, redduntur ab Augenio concordes de affectu æsophagi. 18. 149
Donati Antonii ab Altimaro opinio de vrinis hecticarum febrium, impugnatur. 27.548. & seq.
Dysenteria quando curetur clysteriis salsis & exiccantibus. 38.170
Dysenteriæ an conueniat purgans medicamentum. 13.239
Dysenteriæ definitio, eiusque explanatio. 5.227
Dysenteriæ differentiæ. ibid.
Dysenteria, quomodo sit vlcus. ibid.
Dysenteriæ causæ. ibid.
Dysenteriæ quod lac exhibendum sit. 36. 23
Dysenteriæ signa. 25.237
Dysenteriæ an conueniat mißio sanguinis. ibid.
Dysenteriæ vtilißimum esse lactis vsum eiusq; exhibendi modus. 15.438. & seq.
Dulcia non conueniunt picrocolis. 12.369
Dulces potiones nõ semper conueniunt pleuriticis. ibid.
Durantes Scacchus chirurgus magni nominis. 40.298

E.

Effectus vnus ac idem non potest attribui duobus agentibus natura diuersis per se primo. 3.486
Electio sequitur consultationem. 13.433
Electuarii ex chalybe præstantia pro obstructionibus liberandis iecinoris, ac lienis. 27.171
Elementa cur binas habeant qualitates ex Augenio. 13.503
Elementorum qualitates & substantiæ in mixtione secundum se totæ alterantur. 30.363
Elephantiasis natura quæ. 10.454
Elephantiasis an exigat vinum ex viperis. ibid.
Elephantiasis remedia, & eorũ ordo, & an vinum ex viperis conueniat. 54.457. & seq.
Elixationem non esse exquisitam concoctionem ex recentiorum philosophorum sententia. 3.619
Elixatio, & assatio quomodo fiant à calore proprio rei concoquendæ, & transmutandæ, & à calore rei concoquentis. ibid.
Enemata nutrire ex Aetio. 50.130
Enemata, & vomitus an conueniant in cardialgia cum febre. 26.131
Epialæ febris nomen vnde sit deductum. 23 532
Epialem febrem constare ex duplici intemperie inæquali, vna frigida, alia calida. ibid.
Epialam non esse omnino febrem, sed ex dimidio duntaxat. ibid.
Epialam fieri ex pituita semiputrefacta. ib.

Epialam non esse vnam intemperiem calidam & frigidam simul, sed duas. 2.533
Epilepsia non est vera conuulsio. 7.398
Epilepsia cur subito fiat, ac subito soluatur. ibid.
Epilepsiam non fieri ab humoribus crassis & viscidis contra Galenum. ibid.
Epilepsia nunquam facit paralysim. ibid.
Epilepsiæ per essentiam curatio in puero annorum sexdecim. 12.573
Electuarium ad epilepsiam. ibid.
Epilepsiam incipientem cum tertiana intermittente vidit Augenius. 1.464
Epidemius morbus, qui. ibid.
Erasistrati sententia de facultate pharmaci expurgantis. 6.649
Eringij radicis facultas ad calculum renum. 6.285
Erysipelas exquisitum non postulat venæ sectionem. 13.24
Erysipelas iecinoris postulat frigidam, etiam si materia concocta non sit. 27.444
Erysipelas postulat purgationem statim à principio. 3.22
Erosio duplex in vlcere considerari potest. 2.268
Errores in cibandis ægrotis duo maxime detestabiles. 50.7
Essentiam rei communi notioni respondere debere. 47.300
Excretio morbida quid sit. 16.93
Excretionis morbidæ nomine quid intelligendum. ibid.
Excrementum quomodo fiat aliquando nutrimentum. 18.256
Exemplum decoctionis ligni guaiaci pro præseruatione ab asthmate. 1.470
Exemplum purgationis & præparationis in humoribus crassis pro sanatione asthmatis. 20.512
Exemplis illustrari doctrinam. 47.439
Exhalatio quid sit. 6.68
Experientia bona quæ debeat nuncupari. 45.205
Experientiam seorsum tractandam à ratione. 37.465
Experientiam non debere necessario confirmari ratione. ibid.
Experimentum Augenij ad suffocatas ex vteri affectu. 25.305
Experimenta multa probantia odorem fieri non posse sine exhalatione substantiæ. 40.73
Explanatio aphorismi 22. quartæ particulæ. 40.30
Explanatio aphorismi 29. secundæ particulæ ex Augenij sententia. 4.24
Explanatio difficilium verborum Galeni lib. 2. de comp. med. loc. de Inio. 35.414
Explanatio loci Galeni 8. meth. cap. 4. de multitudine obstruente. 17.31
Exquisitis tertianis non conuenit venæ sectio. 14.22
Extracta medicamenta à Iulio Contareno fieri optima. 45.596
Extractorum pharmacorum facultas. 2.596. & seq.

F.

Facultas concoctrix quomodo præcedat separatricem. 7.579
Facultatem separatricem secundum Galenum admittendam. 7.579
Facultatem separatricem non esse re ipsa distinctam ab alijs quatuor ministrantibus. ibid.
Facultatem attractricem esse separatricem. ibid.
Facultatem expultricem esse separatricem. ibid.
Facultates naturales inseruientes generatrici & alteratrici esse quatuor duntaxat: Coctricem, attractricem, retentricem, expultricem. 12.578
Facultatem separatricem quæ admittere videantur præter illas quatuor pro Auerrois opinione. ibid.
Far adoreum, hordeaceum, triticum, quid. 22.154
Far ab alica proprie dicta plurimum differre. ibid.
Farris conficiendi ratio. ibid.
Febris colliquatiua ardens, pestilens, hectica. 49.552. & seq.
Febris est calor præter naturam extensus in totum corpus. 37.533
Febris definitio ab Auicenna proposita fuit Empedoclis & Zenonis. ibid.
Febris epiala est duplex intemperies, vna quidem calida, alia frigida. 1.533
Febris epiala vnde dicta. 23.532
Febris epiala est ex dimidio febris. ibid.
Febris intermittentis principium non est rigor. 40.533
Febris magnitudinem fieri à natura robore. 10.399
Febres post vacuationem cur plerunque ostendant signa malignitatis. ibid.
Febris causas quomodo Galenus statuerit quinque. 20.109

Febris

Fames inexplebilis ex verme cucurbitino Cubitox. 25. p. 530.

Febris hecticæ curatio malis symptomatis complicatæ. 50.146
Febris intermittens potest contingere cum morbis non proprie acutis. 40.463
Febris cur fiat in generatione puris. 28.106
Febris magnitudinem insequi multitudinem calidi innati. ibid.
Febrem non esse duntaxat calorem extraneum. ibid.
Febrem catarrhi concoctionem moliri ex Hippocrate. ibid.
Febrem fieri à calore naturali valido. ibid.
Febrem cessare causante actione caloris naturalis. ibid.
Febrem ardentem à natura solui tribus modis. 26.248
Febrem fieri ex tumore tendente ad suppurationem. 21.106
Febrem maiorem esse in statu morborum salubrium, ad minorem tutioremq́. 30.107
Febrem signum esse mali in corpore non leuis. 29.108
Febricitare longe melius, quam non febricitare præsente causa febris. ibid.
Febrem ratione sui indicare bonum. ibid.
Febrem per se non esse malum, sed occasionem mali. ibid.
Febris causam efficientem per se calorem esse. ibid.
Febrem lypiriam perpetuo habere frigus annexum in superficie. 25.534
Febris naturam per se contineri in totum corpus. ibid.
Febrem non esse calorem extensilem in totum corpus, sed actu extensum. ibid.
Febres ardentes sanari posse fluore sanguinis è naribus, aduersus Fernelium. 40.523
Febres lypiriæ duplicem habent intemperiem, vnam calidam in visceribus, aliam frigidam in corporis habitu. 8.534
Febres malignæ postulant purgationes attractorias. 41.344
Febres malignas raro indicari per maculas illas purpureas. 24.104
Febres malignæ quædam pestilentes, quædam non pestilentes. 20.83
Febres malignæ cum maculis non postulat venæ sectionem, nisi in principio. 55.103.& seq.
Febres pestilentes fieri ab humorum, aut solidarum partium, aut spirituum corruptela. 17.26
Febres contingere in omni transmutatione substantiæ. 4.695
Febrium genera tria contingere puerperis, quarum vnam vitare non possunt, alias vero ex accidenti. ibid.
Febris ex degeneratione sanguinis in lac, cuius generis existat. ibid.
Febrium colliquatiuarum differentiæ explicantur ex Augenio. 25.552
Febrium incrementum fieri ex actione simultanea caloris vitiati. ibid.
Febrium malignarum vasis ac minera, in quo humore consistat. 20.82
Febrium omnium ex Galeno causæ quinq́. 52.104
Febrium omnium vtero gerentibus contingentium curatio. 1.696.& seq.
Febrium pestilentium quasdam esse colliquatiuas. 8.549
Febrium omnium causas redigi posse ad tres. 3.105
Febrium causa quomodo sit putredo, & quæ sub putredine contineantur. ibid.
Febris causa quomodo sit res extrinsecus calefaciens. ibid.
Febris causa frequentißima quomodo sit motus, & vnio caloris. ibid.
Febribus malignis, apparentibus maculis, non semper conuenire cucurbitulas. 37.102
Febribus malignis etiam apparentibus maculis, conuenire venæ sectionem. 38.102
Febribus malignis, in quibus apparent maculæ publicares, an conueniat venæ sectio. 19.102
Febribus malignis non conuenire sanguinis mißionem vsq; ad animi deliquium. 52.102
Fernelij diaprunon. v. Fotus 1.283
Fistula ani sedecim annorum, an sanari debeat, vel poßit. 28.639
Fluor sanguinis ex naribus viscerum inflammationes soluit. 11.574
Fluorem sanguinis è naribus iuuare in febribus acutis, si ex directo fiat. ibid.
Fluorem sanguinis è naribus iuuare inflammationem iecinoris, cum in deuexa parte extiterit: non autem si in conuexa. ibid.
Fluorem sanguinis è naribus proprium esse ardentium febrium. ibid.
Fluente sanguine ex naribus in acutis febribus, tutum non est venam incidere, nisi gratia reuulsionis ex Galeno. 10.525
Fluente sanguine ex vtero, quomodo mittere sanguinem expediat. 43.271

Fluentibus humoribus deberi reuulsionem. 23.20
Fluxus colliquatiuus an semper in febre pestilenti. 3.142
Fluxus muliebris sine affectu vteri. 30.270
Fomes pestilentiæ quodnam sit. 1.598
Fomitis pestilentiæ conditiones. ibid.
Fomentorum varia genera pro pleuritidis curatione explicantur. 21.682
Fœminam esse quoddam monstrum, ac generari per accidens. 31.187
Fœtida suffocatis ex vtero conuenire naribus admota. 7.305
Fracastorius Veronensis Philosophus, Medicus, & Poeta insignis. 55.91
Franciscus Piccolomineus Philosophus celeberrimus. 53.416
Franciscus Valleriola Medicus impugnatur. 6.92
Francisci Valesii de intersepto virginali sententia. 1.327
Francisci Valesii opinionis impugnatio de intemperie æquali dolorem efficiente. 20.590
Frigida corpora relatione actus venerei, quæ dicantur. 38.633
Frigida danda inchoantibus febribus in curationibus coactis, & in erysipellate. 50.562
Frigida & sicca non faciunt concoctionem, sed impediunt putredinem. 43.346
Frigida nunquam exhibenda, si vna ex præcipuis partibus, aut illis inseruiens patiatur intemperiem frigidam. 10.563
Frigida non est exhibenda, si virtus fuerit imbecilla. ibid.
Frigida, an paulatim, an subito bibenda. 1.570
Frigidæ potum magis conuenire in die crisima. ibid.
Frigidæ potum dari etiam posse vtero gerentibus. ibid.
Frigidæ potus cur magis conueniat in synochis, & ardentibus febribus in statu, quam venæ sectio aut purgatio, ex Augenio, discursus contra omnes Medicos. 38.563. & seq.
Frigidæ potus non est institutus ob febres ex inflammatione, sed ob alias acutas citra phlegmonem. 28.561
Frigidæ potus nunquam exercendus, nisi venæ sectio fuerit in ardentibus & synochis prætermissa. 8.562
Frigidam admodum ac multam nunquam dari posse gracilibus corporibus. ibid.
Frigidæ potus hecticis febribus quomodo conducat. ibid.
Frigida quomodo maiorem acquirat frigiditatem artis beneficio. ibid.
Frigida non est danda inchoantibus febribus. ibid.
Frigidam optimam in suo genere eligendam, & actu refrigeratam pro potu acutarum febrium. 26.566
Frigidæ exhibendæ tempus accommodatum. ibid.
Frigidæ exhibendæ quantitas. ibid.
Frigidam potandam vnico haustu, non pluribus. ibid.
Frigidam exiguam dari oportere pro impedienda syncope. 26.568
Frigidum tuto exhiberi aliquando posse cruda existente materia. 25.567. & seq.
Frigiditatis nomine significat antiqui scriptores defectum caloris innati. 24.586
Fulgineum semper habuisse optimos Medicos. 48.124

G.

Galenus à contradictione vindicatur de farina hordei. 1.165. per totum.
Galenus defenditur à calumnia recentiorum Medicorum. 20.109. per totum.
Galenus duplex venenatorum morborum genus constituerat. 16.339
Galeni contextus libro de inæquali intemperie de febre lypiria emendatus. 9.534
Galeni explanatio vndecimi contextus libri secundi de rat. vict. in mor. ac. reijcitur. 355. per totum.
Galeni locus explanatus sexto de sanitate tuenda, de lacte asinino calculosis exhibito. 25.46
Galeni locus explicatus octauo methodi medendi. cap. 4. 26.422
Galeni locus vndecimo methodi cap. 15. explanatus. ibid.
Galeni sententia de doloris natura explanata præter aliorum sententiam. 30.53
Galeni sententia de motu vteri non admittitur. 13.301
Galeni sententia de organo tactus. 14.389
Galeni sententia de temperamento seriex planata. 42.153
Galenum exactam particularis naturæ notitiam

notitiam non habuisse. 26.176
Galenum in prædictionibus fuisse aliquando deceptum. 24.176
Galenum negligenter inuestigasse causam diabetis. 8.424
Galenum nunquam exhibuisse lac asininum homini laborante calculo. 25.46
Galenum nunquam meminisse intersepti virginalis. 13.327
Ganglium difficilem habere curationẽ multis de causis. 13.420
Ganglium dissoluens, & attrahendo pharmacum. ibid.
Ganglium emolliens medicamentum. ibid.
Ganglium attenuans pharmacum. ibid.
Ganglij curatiua methodus. ibid.
Ganglium quid sit, & quomodo generetur. 40.419
Ganglium quomodo distet à nodo & glandula. ibid.
Gari nomen significat salsamentum ex interraneis gari piscis factum. 52.263
Garum etiam fieri ex scombro, mænis, ac alijs rebus. ibid.
Garum fieri ex carne. ibid.
Garum esse liquidum salsamenti genus. 16.264
Garum fuisse olim præcisum liquorem. ibid.
Garum non esse cauiarum vocatum. ibid.
Gari conficiendi ratio ex Cassio Dionysio Viticensi. 11.264
Gari præparatio sine insolatione. 3.265
Gari hæmation præparatio. ibid.
Gentianæ vires pro sanandis febribus diuturnis. 30.172
Gentilem Fulginatem omnium Medicorum sui temporis subtilissimum. 46.27
Goppingenses acidulæ maxime perlucidæ omnium aquarum. 37.538
Goppingenses aquæ acidulæ quomodo generentur. 47.537
Goppingenses aquas non habere vaporem sulphuris. 42.538
Goppingensium aquarum facultas varia. ibid.
Goppingensium aquarum sumendi modus. 33.539
Græcos fuisse vsos frequenter cauterijs. 2.410
Grauidas purgare licet. 668. 669.
Grauidis an secanda vena. {672. 677.

H.

Habitus athletarum quam ob causam confestim soluendi sunt. 44.25
Halica quid Galeno & Auicennæ. 20.154
Halicam proprie fieri ex Zea. 25.154
Halicam proprie non esse far. iibd.
Hæmitritei natura. 25.341
Hæmitriteus periculosa. ibid.
Hepatis inflammatio quomodo indicari possit ex Galeno. 38.524
Hectica febris consistit in siccitate. 1.385
Hectica febris primi ordinis quando facilem, & quando difficilem curationem habeat. 6.195
Hecticam febrem fieri incipiendo, quomodo intelligere oporteat. 24.151
Hecticam non fieri ex destillatione à capite per spinalem medullam. 10.193
Hecticam febrem nunquam fieri sine siccitate cordis. 26.192
Hecticarum febrium origo duplex. 28.192.
Hecticæ febris causæ. ibid.
Hepatis facultas quos humores efficiat. 28.255
Hieronymus Cordella Picenus Medicus omnibus numeris absolutus. 17.573
Hippocratis alter locus explanatus contra recentiores Medicos de morbis pestilentibus. 1.465
Hippocratis tertius locus dilucidatur. ibid.
Hippocratis locus explanatus contra Fernelium. 45.588
Hippocratis locus libro de flatibus explanatur. 39.30
Hippocratis locus 4. acut. de allio explanatus. 37.581
Hippocratis & Galeni variæ sententiæ de sudore bono & malo in morbis acutis explanatæ. 48.132. & seq.
Hippocratis variæ sententiæ de motu vteri. 30.301
Hippocratis sententia explanata lib. 3. epid. sect. 3. tit. vlt. contra explanationem aliorum. 3.671
Hippocratem non scripsisse omnia ad editionem. 17.235
Hippocrati falso adscribi librum de internis affectionibus. ibid.
Hippocratem vsum fuisse pharmacis validis pro expurgatione vtero gerentium. 37.669
Hominem alio modo percipere odorem, atque pisces. 13.74
Hominem consistere ex humoribus, solidis partibus & spiritibus. ibid.
Hominem plus alijs animalibus habere ce-

rebri. 48.68
Hordeum pro conficienda ptisana quale esse debeat. 13.2
Hordeum quomodo coquendum pro ptisana. 10.3
Hordeum non esse calida aqua macerandum ac igne tundendum pro ptisana. ibid.
Hordei qualitas & electio pro ptisana. 52.5 & seq.
Hordei quantitas pro conficienda ptisana. 34.5
Hydrargiri præparatio. 4.267
Hydrargiri potatio an sit tuta. 25.266
Hydrargirum esse venenum, & medicamentum simul. ibid.
Hydrargiri exhibendi modus ex Matteolo. ibid.
Hydrargiri dosis. ibid.
Hydrargirum quibus conueniat morbis. ibid.
Hydropem fieri, cum pro sanguine iecur generat aquam, aut flatum, aut pituitam. 52.588
Hydrops incipiens ex inflammatione iecinoris, aluum adstrictam habet iam confirmatam humidam. 39.591
Hydrops an fiat à calida causa. 8.400
Hydropem aliquando fieri ex acuto morbo. ibid.
Hydropem omnem fieri à diminutione caloris naturalis. 24.586
Hydropem ex acuto morbo aliquando generari. 17.343
Hydropem fieri ab intemperie calida iecinoris ac totius. 20.585
Hydropem fieri per resudationem aquæ ex membrana iecinoris, vel ex ruptura. 4.589
Hydropicorum aqua in cauitatem abdominis, per quas vias colligatur discursus. ibid.
Hydropem ex acuto morbo proficiscentem dolor insequitur inanium partium. ibid.
Hydropem omnem fieri ab æquali intemperie iecinoris. 1.590
Hydrops non confirmata dolorem inferre potest: confirmata non potest. ibid.
Hydrops confirmata dolorem infert non in iecinore, in quo adest intemperies æqualis, sed in abdomine, in musculis, in cute, in quibus non adest hæc intemperies. ibid.
Hyemis constitutio quomodo esse posit austrina pluuiosa, ac simul tranquilla. 48.163
Hyeræ picræ vsum non conuenire in acutis febribus. 51.144
Hymen membrana secundum naturam non inest virginibus. 38.327
Hymenæum non gaudere musis. 4.300
Hystericus affectus quid sit. 22.300
Hystericas mulieres habere omnes corruptam imaginationem. ibid.
Hysterici affectus proxima causa quæ. ibid.
Hysterici affectus curandi ratio. 53.304 & seq.
Hysterici affectus gradus, seu species tres. 20.302
Hysterici affectus symptomata. ibid.
Humidum non semper absumitur in coctione, nisi quando superuacaneum est. 16.616
Humidum aqueum non admittere coctionem. 49.615
Humidum superuacaneum in concoctione dissoluitur & segregatur. ibid.
Humor expurgandus, quomodo habeat rationem materiæ & causæ efficientis. 1.648
Humor familiaris naturæ, atque intimus proprie sanguis est. 13.643
Humor putridus an sit venæ sectione vacuandus. 2.247
Humor putridus continet aliquando chylum potentia putrefactum. 38.258
Humori mixto sanguini non semper venæ sectionem esse necessariam. 7.249
Humori putrefacto quæ debeatur concoctio. 7.348
Humor cococtus non semper postulat purgationem. ibid.
Humores à sanguine distantes à prima ipsorum generatione qui dicantur. 1.422
Humores distantes à sanguine è corruptione. ibid.
Humores, antequam purgentur, præparandi sunt. 30.19
Humores crudos vacuari non posse sine aliqua naturæ iactura. 31.19
Humores corrupti an sint ante purgationem aliquando concoquendi. 11.27
Humores venenatos statim purgandos ante concoctionem. ibid.
Humores distant à sanguinis natura per admixtionem. 33.423
Humores putridos naturam non semper ex purgare per vrinas. 20.258
Humores quantitate & qualitate peccantes exigunt venæ sectionem, aut purgationem, aut vtrumq;. 38.20

Humores qui mouentur tuto purgari possunt ante concoctionem. 20.19
Humorum affluxum aliquando venæ sectione, & aliquando purgatione, & aliquando vtroq; remedio corrigi. 50.440
Humorum corruptorum nomine, quid intelligendum. 21.26
Humores corrupti statim purgandi. ibid.
Humorum putredinem aliquando corrigi concoctione. ibid.
Humorem fluentem pro reuulsione non semper postulare venæ sectionem. 43.443
Humorum præparationem non esse concoctionem. 10.20
Humores vel quantitate, vel qualitate peccantes qui dicantur. ibid.
Humorum obstruentium affluxus quomodo emendari debeat. 1.440
Humorum affluxum in putridis venæ sectione secundum aliquos emendari, & non purgatione. ibid.
Humoribus putrescentibus duntaxat deberi concoctionem anteaquam expurgatur. 1.27
Humorem pituitosum non postulare coctionem anteaquam purgetur. ibid.
Humores excrementitii non putridi ante purgationem non sunt concoquendi, sed præparandi. ibid.
Humoribus malignis & corruptis deberi purgationem anteaquam concoquantur. 20.23

I.

IBicis sanguinis præparatio ex Tigurino, Marcello, Augustanis, Ludouico Augenio. 39.600 & seq.
Ibicem capiundi modus. 6.600
Icteritiæ definitio, ac eiusdem explicatio. 48.227
Icteri causæ ex Augenii sententia. 5.229
Icteri causæ externæ. 9.229
Icterum non esse morbum, sed symptoma. 26.228
Icteri generandi modus, & causæ. 33.228
Icterum non fieri ex imbecillitate facultatis secernentis. ibid.
Icteri signa. 38.229
Icterum curandi methodus. 4.230
Icteritiæ sanationis materia. ibid.
Icterum aliquando sanari alexipharmacis 54.230
Icterum à venenatis animalibus non postulare venæ sectionem. 33.228
Icteri à venenis epotis curatio. ibid.
Icterus à venenis potatis sanatur vomitu: ab ictu animalium minime. 21.231
Icteritiæ ratione crisis factæ curatio. 1.232
Icteritiæ ex inflammatione iecinoris curatio. 13.232
Icteritiæ curatio ex intemperie, ex scirrho. 28.232
Icteri curatio ex obstructione. ibid.
Ictero ex obstructione non conuenire venæ sectionem. ibid.
Iecur esse officiũ, & principium sanguificationis ob calidam temperiem ipsius. 36.585
Iecur viuente animali ad tantam venire non potest siccitatem, vt terræ modo findatur, vt inquit Fernelius. 51.587
Iecinoris caliditatem pendere ex sola spirituum præsentia. 14.586
Iecur non generare humores sub ratione caloris, sed solum quatenus naturalis est, ex Auerroe. ibid.
Iecinoris concaua parte inflammata, sanationem fieri alui fluore, vrinarum profusione, & nonnunquam vomitu. 33.525
Iecinoris deuexa pars inflammata sanatur à natura, fluore sanguinis è nare dextra, sudoribus, & vrinis. ibid.
Iecinore fissuras ob siccitatem patiente non solum serum, sed etiam sanguis effluet. 28.588
Iecinore inflammato aluus adstringitur. 39.591
Iecinore patiente vesiculas aqua plenas, non siccitatem, sed humiditatem multam adesse significatur. ibid.
Iecur in hydrope mutauit temperamentum in propria essentia. ibid.
Ignis quomodo agat vt calidus, & quomodo alteratio primis qualitatibus referatur. 20.487
Ignem primo, & per se calefacere mediante caliditate. ibid.
Ignem duobus modis extingui, vel à defectu papulei, vel à contrario. 41.561
Ignem non esse causam nutrimenti, & incrementi præcipuam contra Mercenarium, ex Aristotele. 16.491
Ignem siccum esse primum docuit ipsa experientia quam transmutatio aut analogia. 36.502
Ignis qua via fuerit cognitus habere sicci-

tatem, ex Augenio. 33.499

Inædiam, & vigiliam efficere febrem mediante permixtione rei calidæ. 51.110

Incisio pro extrahendo calculo ex vesica tutior sit ignitis cultris. 6.611

Indicatio curatiua & vitalis quomodo differant. 12.367

Indicatio quid. 27.438

Indicatio sumpta à virtute omnes superat. 20.23

Indicationes curatiuæ pro renum calculo sanando. 26.39

Indicationes in putridis febribus à septem sumuntur ex Galeni sententia. 48.248

Indicationes curatiuæ pro oris tortura. 23.555

Indicationes curatiuæ pro curanda vertigine, nausea, inappetentia, & immoderata siti. 50.557. & seq.

Indicationes curandi sialismum cum variis symptomatis. 52.571

Indicationes, & remedia pro stupore minante paralysim 40.608

Indicationes, & remedia pro sanando sputo sanguinis. 39.607

Indicationes pro curando asthmate. 1.469

Indicationes pro curatione stuporis. 34.608

Indicationes pro curanda epilepsia. 29.573

Indicationes pro curando polypo, & pro præseruatione. 18.606

Indicationes pro curandis mensibus suppressis cum multis symptomatis. 14.544. & 545

Indicationes pro sanando catarrho. 20.607

Indicationes pro præseruatione à sputo sanguinis. 31.607

Indicationes sanandi vlcus fistulosum, & antiquum ani. 28.639

Inflammatio viscerum postulat purgationes attractorias. 1.345

Inflammationem iecinoris facere icterum. 20.229

Iniectiones in vesicam quibus fieri debeant remediis pro sanando calculo. 48.98

Intemperies capitis frigida, & humida quibus corrigenda. 49.294

Intemperiem iecinoris facere icterum. 24.229

Intercalatio quam ob causam fuerit instituta. 46.183

Inuestigatio definitionis vlceris. 11.268

Ioannes Baptista Cucina Pisaurensis Medicus insignis. 33.53

Ioannes Langius vir celebris. 35.541

Ioannis Baptistæ Montani opinio de cauterio in sutura coronali. 21.414

Ioannis Baptistæ Montani opinio reprobata. ibid.

Ioannis Scoti mors miseranda. 6.179

Ioannis Manardi opinio de odore eiusq; reprobatio. 49.70

Ioannis Fernelii sententia de calculosa constitutione non admittitur. 8.34. *eiusdem opinio reprobata de generatione calculi vesicæ, eiusdemq; defensio contra Cinicos.* v. p. 523. 29. 27.31

Ioannis Fernelii opinio de hydrope ascite fuit ante scripta ab Auicenna. 23.587

Iecinore non læso in propria essentia posse ventrem impleri aqua, ex Auicenna, & experientia demonstratur. ibid.

Ioannis Fernelii opinio de ascite multis rationibus reprobatur. ~~524~~. ibid. & seq.

Ioannis Fernelii opinio reprobata de spontanea sanguinis vacuatione. 524 37.271

Ioannis Fernelii sententia de intersepto virginali. Laur. 29.573 14.327

Ioannis Fernelii sententia de generatione hydropis ascite. 53.586

Ioannis Manardi opinio de vsu ptisanæ reijcitur. 1.10. & seq.

Iulius Contarenus ab Augenio defensus. 5.593

Iulius Contarenus Medicus celebris. 49.592

Iulius Contarenus in extractione medicamentorum nemini secundus. 1.597

Iulii Bosselli Prothomedici rationes de conuulsione reprobatæ. 20.196

Iulii Cini Collensis Medici apologia in Vincentium Cibum Fulginatem ab Augenio expenditur. 37.128

L.

Lac an bene diuidatur in exquisitum, & culpatum. 35.45

Lac asininum materia remedii sanantis calculum esse non potest. 12.40

Lac asininum pro curando calculo non conuenire. 43.41

Lac asininum confractum calculum non expurgat. 50.42

Lac asininum plane vlceri non conuenire. 11.43

Lac

Lactis in dysenteria exhibendi modus. 239. 240.

Lac asininum esse crassius lacte camelarum & equarum. 26.44
Lac asininum quomodo tenuius sit cæteris. 1.46
Lac asininum calculum habenti nunquam fuisse exhibitum à Galeno, aut ab alijs authoribus. 28.46
Lac asininum pro præseruatione calculosis exhiberi posse. ibid.
Lac asininum tabido calculum patienti, an conueniat. 48.47
Lac asininum per se non expurgare lapillos, arenulasq́. 6.48
Lac asininum quomodo expurget renes. 10.48
Lac camelarum & equarum careat butyro ex Aristotele. 13.41
Lac camelarum prodest hydropi, maxime si bibatur cum earundem vrina recenter fœtarum. ibid.
Lac camelarum impinguat. ibid.
Lac camelarum ob rationem pascui cæteris præstat. ibid.
Lac caprinum mediocrem habere consistentiam. ibid.
Lac humanum ac asininum fere æqualem habere consistentiam. ibid.
Lac humanum procreat calculum. ibid.
Lac dare in fluoribus alui an sit malum, disputatio. 40.239
Lac generantia quomodo differant ab vreticis & prouocantibus menses. 44.287
Lac nocere arenulosis. 50.282
Lac nullum caret caseo contra Cinicos. 7.44
Lac non esse æquiuocum aduersus Cinicos. 32.45
Lac omne vim habere generandi calculum. 16.41
Lac omne constat ex tribus substantijs. 8.41
Lac omne creare poterit calculum ratione casei. ibid.
Lac plurimi seri deobstruit, ac visceribus opitulatur obstructis. ibid.
Lac quando bonum, & quando malum in fluxionibus biliosis. 40.240
Lactis quantitas exhibenda pro detergendis renibus. 11.292
Lactis in dysenteria exhibendi modus. 15 238. & seq.
Lactis vsus in vigiliarum instantia. 49.122
Lactis asinini potus pro præseruatione à reiectatione sanguinis. 8.395
Lacte asinino vtebantur antiqui pro hydropis curatione. 48.413
Lachrymam quomodo frigidam vocet Aristoteles, quæ tamen ob calorem exulcerat. 26.586
Lapis Iudaicus ad calculum renum. 3.96
Laurentius Iobertus Medicus ingeniosissimus. 22.142
Leporis combusti medicamentum ad calculum frangendum. 29.95
Lethale dicitur, & quod necessario mortem infert: ac vt plurimum. 45.217
Ligni guaiaci decoctum, an aquæ medicatæ magis iuuent pro ipsa suffusione sananda. 49.612
Ligni guaiaci decoctum suspectum in puero annorum sedecim gracilis habitus ac dissolubilis. 23.555
Linteolus cruentatus an sit virginitatis signum. ibid.
Lotio somnifera. 50.123.
Lucius Bellaspica Cingulanus curatur ex antifistula. 10.296
Lucium Bellantium scripsisse contra Picum pro Astrologiæ defensione. 50.91
Ludouicus Augenius Medicus præstantissimus. 38.369
Ludouicus Leonus Medicus Bononiensis insignis. 66.541
Ludouici Vasæi opinio de virginali intersepto opinio. 8.327
Luti D. Bartholomæi vires in agro Patauino. 30.298

M.

Malacia accidit pueris, & vtero gerentibus, & ob quam causam vtrisq́. 24.426
Malaciæ varietas. ibid.
Malacia affecti cur aliquando similia, & aliquando contraria appetant. ibidem.
Malacia affecti cur aliquando melius, & aliquando deterius habeant post cibos. ibid.
Malacia affectæ vtero gerentes peius habent, si bono sanguine abundauerint, quam si malo. ibid.
Malacia affectæ vtero gerentes cur magis primis mensibus, quam alijs afficiantur. 10.427
Malacia affectæ cur ex vsu similium

pelus non habeant, quam contrariorem. ibid.
Malaciæ affectæ debent consequi rem desideratam. ibid.
Malaciam curandi ratio. 11.428
Malisicatum hominem pro re venerea exercenda, quæ indicent. 12.630
Maligni morbi significatio multiplex. 53.143
Marcelli medicamentum ex sanguine ibicis examinatur. 10.602
Marci Antonij Capelletti opinio de vino exhibendo in febribus examinatur. 45 367.& seq.
Marci Antonij Capelletti opinio de vino exhibendo in catarrho examinatur. 6.417
Matrimonium quibus de causis dirimendum. 45.401.& seq.
Maturationem perfectissimam esse concoctionem demonstrat. 1.621
Medicina an inter nobiles artes debeat numerari. 18.593
Medicinam chirurgicam etiam esse nobilem. ibid.
Medicamenta componere duntaxat quæstus causa mechanicum esse. ibid.
Medicamenta componere in plerisq; ciuitatibus non possunt seplasiarij sine præsentia aut Medici, aut aliorum. ibid.
Medicamenta magna componere propriè pertinere ad Medicos ex Galeno. 2.594
Medici quiq; præstantissimi composuere medicamenta. ibid.
Medicamenta composuisse Saluatorē mundi IESVM CHRISTVM. ibid.
Medicamenta composuisse Imperatores, Reges, Duces, Sanctos, Apostolos, Cardinales, Pontifices. 36.594
Medicamenta componere ob ægrotorum vtilitatem, reportando etiam quæstum moderatum non esse mechanicum atque sordidum. 27.595
Medicamenta componere non derogare nobilitati Medicinæ. 45.592
Medicamenta venenosa quæ dicantur. 10.266
Medicamenta venenosa quando sint exhibenda. ibid.
Medicamenta componendi methodus lapidem frangentia. 22.97
Medicamenti extracti ex reubarbaro facultas. 2.596
Medicamentum ex sanguine ibicis Tigurini examinatur. 23.600
Medicamentum ex sanguine ibicis Ludouici Augenij. ibid.
Medicamenti ex malis punicis pro præseruatione & curatione polypi descriptio, & vtendi modus. 41.606
Medicamenti ex millepedibus descriptio, & facultas admiranda pro frangendo calculo, ac vtendi modus. 18.619
Medicamenti purgantis nomine quid intelligat Hippocrates. 37.669
Medicamentis an æqualibus vel inæqualibus in gradu sit vtendum pro morbis propulsandis. 19.50
Medicatæ aquæ pro arenulosis. 3.28
Medicus morituros debet prædicere. 17.177
Medicos præstantissimos in prædicendo decipi. 20.176
Medicum in morborum diuturnorum prognostico nunquam decipi, in auctorem vero aliquando. ibid.
Medicum in morbis omnino lethalibus aliquid agere debere. 23.177
Medicus optimus cur aliquando aberret in prædicendo. ibid.
Medicos non suscitasse mortuos, sed deploratos sanasse. 9.178
Medicorum abusus in exhibendo lacte. 29.292
Melancholiæ quædam species antiquis incognita explicatur. 47.642.& seq.
Melancholia & mania quid. ibid.
Melicratum dilutum conuenire biliosis febribus. 26.160
Melicratum meracum non conuenire biliosis acutisq; morbis. ibid.
Melicrati antiqua præparatio ex Columella. 10.161
Melicrati præparatio ex Dionysio Cassio Vticensi. ibid.
Melicrati præparatio varia secundum Medicos. 2.162
Melicrati aquosi ac eius præparatio ex Medicis. ibid.
Melicrato cocto an crudo vtendum in morbis acutis. 3.163
Menses mouentia quomodo distinguantur à prouocantibus vrinam. ibid.
Methodus vtendi pharmacis frangentibus calculum. 22.97
Methodus componendi eadem sententia. ibid.
Michael chirurgus Montis regalis in artis operibus exercitatus, defenditur ab Augenio circa mortem Equitis Castrucij. 15.528

Minxa puterdinis. 24.106

Miscibilia proprie quæ dicantur. 37.363
Mixtionis medicamentorum causæ quattuor. 12.310
Morbus salubris coctionem non postulat nisi materia sit concocta. 7.28
Morbus salubris an in augumento, an in statu, vel declinatione postulet purgationem. ibid.
Morbus proprie acutus semper habet annexam febrem continuam. 22.463
Morbus quomodo generetur. 2.482
Morbi absentes eisdem fere curantur præsidiis quibus præsentes. 40.23
Morbi ancipites etiamsi materia sit cruda & non turgens postulant purgationem à principio. 1.28
Morbi omnino lethales non postulant purgationem à principio. 8.18
Mortis repentinæ causas esse tres. 22.529
Mortem ægrotis prædicere quando debeat Medicus ex Galeni sententia. 3.156
Motus quomodo calefiat. 30.111
Motus symptomaticos adiuuari an debeant à Medico. 14.407
Musculus proprie non est neruus. 24.397
Mustum proprie non est vinum. 6.368
Mulier quæ dicatur Ciceroni & Vlpiano. 9.324
Mulieres clausas aliquando concepisse ex Auicennæ obseruatione. 17.325
Mulierum proprii morbi qui. 9.331
Mulieribus exercere medicinam erat interdictum ab Atheniensibus. ibid.
Mulieres qualem habere vteri debeant temperiem, vt fiant grauidæ. 50.332
Mulieres mensibus fluentibus bene; prater naturam suppressis male habere. 16.656
Mulieres peritissimas esse in iis, quæ pertinent ad coitum. 25.631

N.

NArcoticorum vsum conuenire in diabete. Cautiones. 667. 9.286
Natura aliquando humores superuacaneos expurgat per vrinam. 4.258
Natura cur dederit cœlo instrumenta ad producendum calorem: non autem ad productionem aliarum qualitatum. 1.187
Naturæ institutum in creanda muliere 3.329
Nicolai de Lyra sententia de signo virginitatis. 33.36
Naturæ significationes variæ ex Boetto explicantur. 44.479
Naturæ variæ significationes ex Aristotele, & Galeno. 3.480
Natura significat apud Medicos frequenter ipsum temperamentum, & calidum innatum. ibid.
Natura corporis animati, aut inanimati, an habeat per se vim alterandi ex Mercenario. ibid.
Naturam, vt significat temperamentum, & calidum innatum habere vim alterandi ex Augenio. 30.481. & seq.
Naturam pro vltima forma substantiali habere vim alterandi per se contra Mercenarium disputatur. 12.485
Naturam esse principium motus. ibid.
Naturam rei animatæ, & inanimatæ agere supra vires primarum qualitatum aduersus Mercenarium probatur multis rationibus. 48.489. & seq.
Naturam nunquam bene vacuare, cum parum vacuat. 53.520
Naturam insolitas & abditas parare vias cum humorem noxium expellere conatur. ibid.
Naturam nunquam bene vacuare nisi prius segregauerit bonum à malo. 31.578
Naturam consistere in quadam symetria, & contemperatione. 3.584
Naturam per vias occultas, atque insensibiles parat suas commoditates. 16.589
Naturā nō posse suscitare mortuos. 30.178
Neruus est instrumentum sensus tactus ex Aristotele. 45.389. & seq.
Nerui præcipue afficiuntur in paralysi. 20.397
Nerui quomodo facultatem motiuam tribuant partibus, opiniones duæ. ibid.
Noe non fuisse primum inuentorum vini. 7.508
Nutrimur ex eisdem, ex quibus constamus. 22.71
Nutrire crassissimum nequit, quod est tenuissimum. 23.71
Nutriri proprie solidas partes, carnes ipsas, & spiritus. 28.510
Nutritio spirituum, solidarum partium, & carnosæ substantiæ per quæ præstatur. ibid.
Nutritio proprie an debeatur spiritibus. 37.515
Nutritionis ratio quæ. ibid.
Nutritio quibus partibus debetur. 40.743
Nutritio spiritus animalis ex quo fiat, & quomodo. 29.75

Nutritionem fieri à solo sanguine. 10.118
Nutrimentum commune omnium partium est sanguis. 5.517
Nutrimentum est proprie quod conuertitur in substantiam corporis. 27.513
Nutrimentum sumi pro vehiculo nutrimenti non conuenit. ibid.
Nutrimentum conueniens, quod debeat nuncupari. ibid.
Nutrimentum semper inseruit nutritioni corporis, non semper augumento, ac generationi. 35.628

O.

Obsonium quid. 49.80
Obstetrices virgines habere intersептum virginale testantur. 13.326
Obstetrices quam ob causam olim fuerint introductæ. 4.331
Obstetrices nõ exercebant artem, nisi prius parturiissent. 6.333
Obstetrices non admittebantur steriles. ibid.
Obstetrices iudicabant, quæ prægnantes essent mulieres. ibid.
Obstetrices nostri temporis ignaras. 77.333
Obstetricum incõstantia in intersepto virginali. 10.329
Obstetricum oculus, & manus sæpe falluntur. 10.334
Obstetricum inspectionem esse fallacem. ibid.
Obstetricum officium. 13.332
Obstetrices curasse omnes morbos. ibid.
Obstetricum proprium officium diuisum in partes tres. ibid.
Obstetrices cognoscebant apta corpora ad procreationem. ibid.
Obstetricibus ius delegatum, an mulieres vtero gererent. 10.332
Obstetricibus quibus adhibenda fides. 44.337
Obstetricibus nunquam de iure ciuili delatum arbitrium cognoscendi virginem. 49.330
Obstructio facta à multitudine fit etiam simul à crasso & viscido sanguine. 27.158
Obstructio & prohibita transpiratio non adsunt necessario in omni putredine. 53.92
Obstructionem tollere non debemus, nisi prius præcedat vacuatio. 10.441
Occasio disputationis inter Archangelum, & Augenium. 32.471
Octimestrem partum esse aliquando vitalem. 20.184
Ocyroe Chironis filia medicinam fecit. 39.231
Odor quid sit ex Aristotele. 15.68
Odor quomodo nutriat. 17.515
Odorem non esse vaporem. 1.68
Odorem non esse exhalationem. ibid.
Odorem in aere & aqua: idem quod sapor in aqua. ibid.
Odorem conferre ad sanitatem hominis. ibid.
Odorem non esse nudam qualitatem cum primum sese offert olfactui. 15.70
Odorem citissime nutrire ex Medicis. ibid.
Odorem non nutrire solidas partes contra Manardum ostenditur. 49.90 & seq.
Odorem non nutrire quatenus est species sensibilis. 44.71
Odorem in medio aere & aqua spiritualiter duntaxat ex Auerroe multiplicari. 2.72
Odorem esse fumosam exhalationem ex Galeno. ibid.
Odorem propriissima significatione esse accidens non substantiam. 49.72
Odorem non sumi à Galeno secundum propriam significationem. ibid.
Odorem non sentiri clausis naribus, homine tamen respirante. 43.73
Odorem nutrire multis modis intelligi posse. ibid.
Odorem omnem non habere vim nutriendi 48.75
Odorem nutrire mediante respiratione. 1.76
Odorem plurimum prodesse cerebro. ibid.
Odore animalia non nutriri ex Aristotele contra Pythagoricos. 52.68
Odore solum spiritus nutriri. 10.71
Odores cur fiant in aqua. 20.72
Odorum species esse duas. 42.69
Odoramentum pro somno conciliando. 42.123
Odoratam rem fieri non posse sine effluuio substantiæ. 23.72
Odoratæ res quam ob causam fiunt aliquando minores. 37.72
Oleum commune nunquam putrefieri. 21.

Oleum commune pestilentiæ seminarium esse non posse. ibid.
Oleum præstantissimum pro destillatione. 13.225
Olei ex calcantho vires ad Polypum sanandum. 10.607
Olei ex ligno cornu extracti mira facultas etiam pro cancro sanando. ibid.
Oliuarii ratio de inspectione contra Augenium. 40.333
Olygophorum vinum in principio catarrhi non esse exhibendum. 36.417
Omelysis compositio quid ex Galeni sententia secundum Iulium Alexandrinum. 15.166
Omelysin significare duo, compositionem ex farina hordei, & ipsam hordei farinam. ibid.
Ononidis radix & terebentina quomodo vrinas moueant. 10.287
Ordo ciborum qualis esse debeat. 47.79
Oribasium non admittere in virginibus membranulam, Hymen appellatam. 6.328
Oris torturæ curandi ratio. 23.555
Oris torturæ remedia, & medicinalis materia. ibid. & seq.
Oximelite non est vtendum in quotidiana in primis diebus. 40.370

P.

Palpitatio cordis asthmati coniuncta cur improuisam afferat mortem. 1.529
Palpitatio cordis antiquata non recipit curationem. 24.112
Palpitationem cordis inueteratam sanari non posse. 34.528
Palpitationem cordis mortem inferre subitam, & improuisam. ibid.
Phanerote mater Socratis fuit obstetrix. 54.331
Panis siligineus quid sit. 26.79
Panem ac vinum proprium non esse obsonium. 50.80
Paralysis non fit in eisdem partibus, nec ab eisdem causis, à quibus conuulsio. 37.396
Paralysis nunquam fit à siccitate. ibid.
Paralysis neruos neq; dilatat, neq; angustiores facit, sed molliores. ibid.
Parentes sponsæ in honorem filiæ linteolum cruentatum asseruabant. 5.326
Pharmacum attrahere humorem familiaritate substantiæ ex Galeno & Hippocrate. 27.649
Pharmacum purgans, an terream, an igneam habeat naturam. 1.651
Pharmacum nullum inuenitur educens sanguinem proprietate substantiæ. 41.644
Pharmacum per quas vias expurget humores alienos. 17.645
Pharmacum causa est efficiens purgationum pluribus nominibus. 13.646
Pharmacum attrahendo humores purgat. ibid.
Pharmacum attrahit humorem purgandum attractione proprie dicta. ibid.
Pharmacum quomodo humores purget, ex Asclepiadis sententia. 10.648
Ex Erasistrato. 6.649
Pharmacum purgans malignam efficere febrem potest. 40.396
Pharmacum potabile non datur post cœnam, aut prandium statim. 10.344
Pharmacum purgãs tuto miscetur cum sorbitionibus. ibid.
Pharmacum purgans primas vias leuiter ac materias labiles. 16.15
Pharmacum purgans vias medias, humores mediocriter dispositos, & mediocri virtute. ibid.
Pharmacum lenitiuum, eradicatiuum & minoratiuum quod. ibid.
Pharmacum eradicatiuum quod sit secundum recentiores. 3.16
Pharmaca valida cum cibis data maxime hebetari. ibid.
Pharmaca à mulieribus composita. 13.332
Pharmaca varia ad ganglium. 3.421
Pharmaca purgantia aliquando cum cibis, aliquando ante cibum exhibenda. 45.342
Pharmacorum purgantium differentiæ. ibid.
Pharmaca purgantia quomodo purgent. 19.390
Pharmaca purgantia mitissima quæ. 6.343
Pharmaca mediocria. ibid.
Pharmaca mitissima ante cibum interdum exhibenda. ibid.
Pharmaca mitia verti in substantiam corporis. ibid.
Partes corporis viuentis sese manifeste alterant. 54.481. & seq.
Partus facilitandi ratio. 45.577
Partum dierum 168. aut 174. esse vitalem ac naturalem rescripsit Augenius. 5.543
Partus naturalis, & vitalis qui. ibid.

Partus sextimestris aliquando naturalis, & aliquando abortiuus. ibid.
Passerculi Traglodytici historia proponitur. 1.526
Passerculum Traglodyticum non esse vulgo appellatam caudatremulam. ibid.
Pauli AEginetæ opinio de hysterico affectu reprobata. 32.300
Perfectio in definitione coctionis significat transmutationem ad esse perfectum. 26.347
Permanentiæ nomine quid Galenus ipse significat. 40.64
Permanentia esse multa, quibus tamen non conuenit ratio morbi. ibid.
Permanentiæ apud Galenum significationes esse tres. ibid.
Permanentiæ rationē conuenire omni morbo. 15.65
Permanentia quomodo à Galeno vocentur symptomata. ibid.
Petri Apponensis opinio de odore, quæ refellitur. 6.70
Pestis Galeno est morbus acutus. 14.463
Pestis est morbus acutus, & communis & perniciosa. ibid.
Pestis est videmia perniciosa. ibid.
Pestis sumpta pro constitutione pestifera potest esse sine febre. 25.464
Pestis pro congerie morborum contingentium in constitutione pestifera aliquando est cum febre, & aliquando sine febre. ibid.
Pestis congerie morborum pestilentium necessario annexam habet febrem continuam, & malignam. ibid.
Pestis & pestilentiæ nomen idem significat. 24.460
Pestis significat ex Hippoc. & Galeno anni statum pestilentem. ibid.
Pestis significat congeriem morborum pestilentium. ibid.
Pestis significat febrem pestilentem. ibid.
Pestis omnis secundum sententiam Authoris libri de flatibus est febris. 6.461 & seq.
Pestis tribus cancellis clauditur, morbo proprie acuto: communi, & contagioso. 48.367
Pestilens aer quomodo pestilentiam efficiat. 35.205
Pestilens febris omnis non est morbus vulgaris. 52.84
Pestilens febris quid sit. 18.83
Pestilens febris quomodo distinguatur à putridis. ibid.
Pestilens febris an sit affectus. ibid.
Pestilens febris an sit affectus venenatus. 46.83.
Pestilentis febris essentialis causa quæ. 6.84
Pestilentem constitutionem habere posse morbos minime pestilentes & citra febrem. 33.466
Pestilentes febres quomodo à putridis differant. 5.406
Pestilentes omnes morbi proprie cum febre sunt. 30.464
Pestilentes morbi quot. ibid.
Pestilentem constitutionem aliquando habere salubres morbos. ibid.
Pestilens febris sine peste. ibid.
Pestilentes febres omnes putridæ sunt. 1.83
Pestilentes febres fiunt à corruptione humorum. ibid.
Pestilentis febris gradus siue species. ibid.
Pestilentia cur inuadat aliquando solos homines aliquando beluas. 38.88
ex Pestilentia mortui omnes habuerunt febres, aut ephemeram, aut putridam, aut hecticam. 3.466
ex Pestilentia mortui quidam cur statuantur mortui sine febre. ibid.
Pestilentiæ seminaria varios effectus inducunt pro varia analogia ad corpus. 44.92
Pestilentiæ seminarium cæleste non est putridum nec actu, nec potentia. ibid.
Pestilentiæ vniuersales aliquando fuere. 1.80
Pestilentiæ summa in quo consistat. 44.597
Pestilentiæ vniuersalissima causa est aer ambiens. 11.85
Pestilentiæ descriptio ex Lucretio. 39.85
Pestilentiam à ventis fuisse asportatam ex Aethiopia in Græciam, vt Galenus ait. 52.597
Pestilentialis febris essentialem causam non esse aerem pestilentem. 14.84
Philoponi sententia de organo sensus tactus. 10.389
Pilulæ præstantissimæ Augenii pro præseruatione à doloribus articularibus. 20.295
Pilulas exhiberi posse post cœnam. 55.343
Pinguedinem habere sanguinem, renes, corpus totum. 36.548
Pisces quomodo habeant odorandi potestatem. 12.74
Pisces alimentum sumere ex re odorata, non semper verum. ibid.

Pisces

Penis magnitudo qualis. lin. 30. pag. 625.

Pisces rebus odoratis interfici, quæ sumunt pro cibo. ibid.
Pisces cur habent odoratum. ibid.
Pisces odorare alio modo, quam alia animalia. ibid.
Pituita non putris ante purgationem non est concoquenda, sed præparanda. 3. 27
Plethora siue plenitudo quid. 44.20
Plenitudini debere venæ sectionem. ibidem.
Pleuritis postulat pharmacum, purgans pro reuulsione, ex Hippocrate & Galeno. 32. 21
Pleuritis non fit à materia turgente. 10. 361
Pleuritidem non semper sanari venæ sectione. 48.679
Plexum retiformem in hominis cerebro non contineri. 36.70
Plinij sententia de Aconito non admittitur. 24. 205
Plumbi pulueris vires. 48.298
Polidamna vxor Tonis Regis AEgypti Medica. 47.331
Potentes vel impotentes ad coitum qui naturaliter dicantur. 27.627. & seq.
Potentes naturaliter ad coitum qui dicantur. 28.402
Potus proprie quid sit. 32.508
Potus finis duplex à natura institutus est. ibid.
Potus differentiæ quatuor. 6.509
Potus frigidæ an debeat exhiberi cruda existente materia. 56.443. & seq.
Potum frigidæ conuenire ante statum. ibidem.
Potum frigidæ non statim alterare totam intemperiem, ita vt amplius alterandum non sit. 43.582. & seq.
Potulenta facilius nutriunt, quam esculenta. 30.384
Prædicere mortem ægroto, quando liceat ex Galeno, & quando liceat ex Augenio contra Galenum. 17.156
Prædicendi ratio ex quibus constet. 6. 177
Prædictionem rectam fieri non posse sine præcognitione propriæ naturæ. ibidem.
Præelectionem versari circa duplicem materiam. 28.432
Præelectionem sequi consultationem. 13. 433
Præparatio humorum quibus debeatur, &

Prægnantes v. gravidas.

quomodo fiat. 40.19
Præparanda non est bilis ante purgationem. ibid.
Præparandæ semper sunt viæ ante purgationem. 12.20
Præseruatio à pestilenti febre quomodo fiat. 25.27
Præseruatio à doloribus articulorum. 6. 292
Præseruatio ab vteri suffocatione. 53. 304. & seq.
Præseruatio à reiectatione sanguinis, ex erosione, à pulmonibus, & ruptura. 394. & seq.
Præseruatio fit eisdem remedijs, quibus curatio, & quomodo differant. ibid.
Præseruatio à sputo sanguinis. 39.607
Præses prouinciæ dicere ius solebat mulieribus Medicis. 6.332
Principium morborum tres habere significationes. 9.16
Prohibita transpiratio & obstructio non adsunt necessario in peste ab aere coinquinato. 53.92. & seq.
Proprietas totius substantiæ quid sit. 30. 90
Probabile quod est, tum verum, tum falsum esse potest. 34.335
Prosperi Borgarutij testimonium de Iulio Contareno. 30.596
Prudentia habitum quæ absoluant. 1. 439
Pruritus à quibus causis fiat. 16.351
Ptisanæ nomen vnde sit deductum. 28. 1

Ptialismus eiusque curatio. 571. etc.

Ptisana refertur ad omnia leguminum genera, præsertim vero ad hordeaceum. ibid.
Ptisana cruda quæ. 51.2
Ptisana cruda coquenda pro sanis & pro ægrotis. 11.4
Ptisanæ pro ægrotis paratio cuiusmodi esse debeat. 31.4
Ptisanæ simplicis & compositæ præparatio, & vtra sit melior. 46.4
Ptisanæ cremor quomodo paretur. 8. 5
Ptisanam collocari posse dupliciter. 15. 5
Ptisanam alio modo antiquos, alio modo hoc tempore parari. 26. ibid.
Ptisanæ optimæ præparatæ vires. 3. 6.
Ptisanam cur omnibus alijs alimentis præponat Hippocrates. 20.6

Ptisana tota & cremore quando vtendum. 1.5
Ptisanæ visciditas continua est, & lubrica. 51.6
Ptisana nihil melius pro acutis morbis excogitari potest. 2.8
Ptisana non est exhibenda in aluo nimium adstricta. 10. ibid.
Ptisana non exhibetur vigente pleuritide. 28.8
Ptisanam in siccis morbis non esse exhibendam. 1.9
Ptisanæ exhibendæ tempus accommodatum. ibid.
Ptisana quibus bis dari debeat. ibid.
Ptisanæ quantitas quando augenda. 32.9
Ptisanam insuetum esse alimentum secundum Manardum. 1.10
Ptisanæ vsus multiplex. 50. ibid.
Ptisanam non esse insuetum alimentum secundum Manardum. ibid.
Ptisanam esse iucundum alimentum. 38.11
Ptisanam absolute in sicco morbo Hippocratem non negasse. ibid.
Puer in vtero per quam viam vrinam emittat. 29.587
Pueri lactantes vrinas habent crassas ob lactis potum. 10.42
Pueris quam ob causam magis nascuntur calculi in vesica, & à quo fiant calore, disputatio. 47.36
Pueris lactantibus cur gignatur calculus. 11.37
Pueris non fit calculus in vesica à caliditate ignea contra Cinicos. ibid.
Pueris magis conuenit decoctum radicis chinarum, quam ligni indici. 38.420
Puerperij tria consideranda sunt tempora. 47.683
Puerperis tres febrium species contingunt, vna necessaria, duæ ex accidenti. 3.655
Pulmonis inflammationes, & abscessus iudicari à natura facto abscessu in cruribus. 26.525
Pulmonis calidi signa quæ. 20.119
Purgatio quibus humoribus proprie debeatur. 45.644
Purgatio crudorum humorum fit cum naturæ aliqua iactura. 32.23
Purgatio facta à principio, an impediat coctionem. 8.31
Purgatio quibus necessaria. 10.645
Purgatio non fit facilior, vbi maior adest similitudo substantiæ. 20.653
Purgatio faciliorem fieri à robore virtutis. ibid.
Purgantium pharmacorũ differentiæ quatuor. ibid.
Purgationem vsque ad animi deliquium nunquam Augenium fecisse. 7.585
Purgationem vsq; ad animi deliquium veteres admisisse. 18.584
Purgationem vsq; ad animi deliquium esse periculosam. ibid.
Purgationem quomodo efficiat facultas expultrix, aut totius, aut partis. 54.646 & seq.
Purgationem aliquando fieri citra concursum facultatis expultricis totius. ibidem.
Purgationem efficere humorem expurgandum. ibid.
Purgationes à principijs morborũ aliquando tuto exercendæ sunt. 36.443
Purgamenta vteri impedire in puerpera quando sit periculosum. 10.684
Purgans pharmacum duas habet significationes. 26.14
Purgantia pharmaca vere & proprie quæ dicantur. ibid.
Purgantia cur febricitantibus noxia. ibid.
Purgantibus validioribus vsi sunt antiquiores, quam recentiores. ibid.
Purgantium pharmacorum tres differentiæ. 27.15
Purgantia pharmaca educunt humores ex venis familiaritate substantiæ attrahendo. 8.249
Purgantia sorbitionibus mixta, cur exhibenda. 41.344
Purgandum aliquando in augmento, & in statu etiam si materia non turgeat. 24.393
Purgare in plenitudine, & sanguinem mittere in cacochymia quando liceat. 1.77
Pus album fieri ex Galeni sententia à solidis partibus materiam transmutantibus, quæ albæ sunt. 7.168
Pus quando reddatur album ex Augenij sententia contra Galenum. ibid.
Puris substantiam albidiorem esse ipso semine. ibid.
Putredo quomodo febrem inferat. 27.110
Putredo quomodo quædam sit species coctionis ex

nis ex Aristotele. 30.618
Putredo quomodo calorem generet. 9.105
Putredinis differentiæ tres: quædam causam habet, quædam non habet: secundo, quædam in toto corpore, quædam in particula determinata: Tertio, quædam cum phlegmone, quædam sine phlegmone. 23.56
Putredinem non efficere aciditatem. 1.538
Putredinem non fieri semper ab impedimento calidi effluuii. ibid.
Putredinem non esse referendam ad adhæsionem rei calefacientis. ibid.
Putredines latere in humano corpore. 35.92 8. 91.
Putrefactus humor an debeat concoqui. 7.348
Putrida febris à principio postulat vacuationem, vel per venæ sectionem, vel per medicamentum purgans, vel per vtrunque. 35.441
Putridæ febris remedia quot sint. 51.439
Putridæ febres non sunt ex necessitate in humoribus. 17.258
Putridum humorem vacuari non debere venæ sectione. 20.247
Pylorum à natura cur factum fuerit angustius. 46.114
Pylorum non tenetur tamdiu clausum, donec tota alimenta fuerint concocta. 32.116
Pylori ex ostio vteri differentia. ibid.

Q.

QVALITATES elementorum totæ miscentur in temperamento. 20.364
Qualitates primæ omnes cur duæ vocentur magis actiuæ, duæ magis passiuæ Galeno. 1.236
Qualitates primæ omnes sunt actiuæ, & omnes passiuæ ex Galeno. 50.235
Qualitates primæ an sint formæ elementorum. 50.487
Qualitates primæ in respectu ad generationem animalium duæ magis actiuæ, duæ minus actiuæ sunt. ibid.
Qualitatum nomine Hippocratem intelligere substantias. 1.366
Qualitatum primarum cur duas Aristoteles actiuas, duas passiuas fecerit, ex Galeni sententia quæ refellitur. 46.206
Qualitatum primarum duæ semper actiuæ, caliditas & frigiditas: duæ semper passiuæ, humiditas & siccitas ex Aristotele quomodo statuendum. 12.207
Qualitatum primarum actionem & passionem esse duplicem. 25.207
Qualitatum operatione secundaria considerata duæ sunt actiuæ tantum, duæ passiuæ tantum. 3.208
Qualitatum primarum efficacissima est calor. ibid.
Qualitatibus operatio in sua contraria omnibus ex æquo conuenit. 34.207
Quantitatem remedii maxime difficilem esse cognitu. 45.473
Quantitatem remedii neq; dici, neq; scribi exacte posse. ibid.
Quantitatem remedii cognosci non posse, nisi cognoscatur propria ægroti natura, & hanc exacte cognoscere est impossibile. ibid.
Quantitatem remedii indicant duo, morbi magnitudo & natura siue temperamentum corporis. 12.474
Quantitatem remedii indicat natura quatenus mensura est actionis contrariorum & terminus. ibid.

R.

RAbi Salomonis sententia de signo virginitatis. 8.336
Ratiocinatio expressa quæ. 35.438
Rationes probantes non dari interseptum virginale. 36.328
Rationes contendentium nunquam à morborum principiis purgandum. 5.29
Rationes Valleriolæ contra Fracastorium de contagione an consistat in putredine. 20.92. earumq; pro Fracastorio solutio. ibid.
Rationum Archangeli Mercenarii explicatio contra Galenum, de vsu pharmacorum in gradu æquali. 1.50. & seq.
Realtus Columbus Anatomicus præstantissimus. 43.326. eiusdem opinio de virginali intersepto. 47.327
Regula vniuersaliter seruanda in ciborum ordine. 14.80
Remedium æquale quomodo secundum diuersam comparationem dici possit inæquale. 10.478
Remedia æqualia agunt in morbũ. 50.675
Remedia æqualia per se non faciunt actionem corruptiuam. 20.476

Remedia æqualia & natura simul contra morbum agentia habent vim minoris proportionis. ibid.
Remedia æqualia sola, quomodo possunt morbum corrumpere. ibid.
Remedia ad epilepsiam per essentiam in puero annorum sedecim. 33.574
Remedia ad exulceratos renes. 49.691. & seq.
Remedia magna quæ sint. 45.24
Remedia pro sanando sialismo, ac aliis symptomatibus. 52.571
Remedia pro suffusione. 45.611. & seq.
Remedia validiorem agendi potestatem acquirere opera ipsius naturæ contra Mercenarii sententiam. 52.488
Remediis æqualibus pro curatione obeunda cur sit vtendum. 34.674
Remediis inæqualibus esse vtendum aliquando si fuerint inferiora, nunquam vero superioribus. ibid.
Remediis localibus aliquando vtendum non præcedentibus vniuersalibus. 14.682
Remediis localibus aliquando vtendum ante localia. ibid.
Remissum in gradu habet vim remittendi intensum ex Galeno & experientia. 6.484
Remissum non semper remittere intensum. ibid.
Renes sensu carere. 52.250
Renum & vesicæ vlcera quomodo cognoscenda & distinguenda inter se. 33.250
Renum vlcus pus emittit non fœtidum, ac vrinæ maxime permixtum. ibid.
Renum vlcus potest consistere sine caruncularum emictione. ibid.
Renum exulceratorum signa. 29.687
Renibus exulceratis quæ febris consequatur. 1.689
Renibus vlceratis qui sanguis effluat, & quomodo. 2.251
Resistentia est naturalis potentia secundum quam aliquid non patitur etiam ab agente implicito: aut ægre patitur ob suæ naturæ defensionem ex Augenio. 34.495
Resistentia quid sit secundum Augenium. 22.52
Resistentia quid ex Mercenario Philosopho. 7.498
Resistentia duplex, vna perfecta, alia imperfecta ex Aristotele. 20.498
Resistentiam in communi sumptam non esse reactionem, sed potentiam naturalem contra Mercenarium. 1.497
Resistentiam esse in rebus seclusa omni actione. ibid.
Resistentiam non posse referri ad aliud prædicamentum, quam ad qualitatem ex Augenii sententia. 10.495
Resistentiam re ipsa non distingui à reactione probat Mercenarius, qui reprobatur. 1.497. & seq.
Resistentiam poni sub prædicamento qualitatis & actionis pro diuersa illius consideratione posse, secundum Mercenarii sententiam. 26.496
Reubarbarum in substantia magis purgare ac magis roborare eius diluto. 3.160
Reuulsio an imitetur naturæ motum. 50.390
Reuulsio quibus humoribus debeatur. 24.20
Reuulsio fit in morborum principiis. ibid.
Reuulsio quid. ibid.
Reuulsiua præsidia multa sunt. ibid.
Reuulsio quando fieri debeat purganti pharmaco, & quando venæ sectione. ibid.
Reuulsionis optimæ conditiones, quæ. 10.295
Reuulsionem fieri medicamento purgante. 50.391
Reuulsione, & deriuatione quando vtendum. 25.270
Rubificantia pharmaca quæ. 51.413
Ruptio & conuulsio quid. 30.268

S.

SAl non omnino febricitantibus interdicendum. 48.7
Salsamentorum genera multa ex intestinis piscium facta. 42.264
Sal ipsum neq; seminarium, neq; fomes pestilentiæ esse potest. 23.598.
Sal ipsum recipere non posse pestilentiæ seminaria. 40.597
Sal habere potentem vim desiccandi. 47.597
Sal præseruare corpora à putredine. ibid.
Sale mistum inquinamentum putredinis deferri non posse. 46.598
Saluatellæ venæ appellatæ sectio quas vtilitates afferat ex recentioribus Medicis. 20.201
Saluatellæ sectionis nunquam meminisse ex propria sententia ibid.
Sanatio morbi quid sit. 23.74

Sanguinem purgari quomodo dicamus. 21. 14
Sanguinem biliosum vocari bilem, ex Hippocrate & Galeno. 8.228
Sanguinem corruptum degenerare in bilem, quibus de causis contingat. ibid.
Sanguine fluente ex vtero an coueniant diuretica. 32.243
Sanguinem incrassantia multiplicia sunt. 4.245
Sanguinem dupliciter putrefieri posse ex Galeno. 50.247
Sanguine in naturam bilis transmutato, conuenit purgatio. 42.248
Sanguificatio propria est iecinoris actio. 32. 255
Sanguine retento præter naturam in vtero quæ contingant. 18.200
Sanguinis fluor ex vtero, aut in puerperio, aut sine puerperio, an venæ sectionem impediat præsente pleuritide. 16.270. & seq.
Sanguinis vacuatio facta à natura, non semper venæ sectionem prohibet. ibid.
Sanguinis fluor non est toto genere præter naturam. 36.243
Sanguinis missionem perniciosam esse in humorum corruptela. 7.249
Sanguinis missionem non indicat morbus magnus simpliciter sumptam. 33.199
Sanguinis missionem non indicari ab ætate. ibid. v. venæsectio.
Sanguinem non turgere. 24.262
Sanguinis missio quando indicetur in tertiana notha. 10.200
Sanguinis missionem ex saluatella conuenire affectibus lienis, ex antiquorum sententia. 1.202.
Sanguinis missionem non conuenire in vniuersali declinatione. ibid.
Sanguinis menstrui fluorem nō semper impediri à febre. ibid.
Sanguinem consistere in medio omnium humorum. 8.422
Sanguis putrescens adhuc seruat suam naturam. 43.422
Sanguinem corruptum maxime distare à natura sanguinis. 11.423
Sanguis ex putredine mutatur in vtramq; bilem. ibid.
Sanguinis mictus an à renibus, aut vesica. 36.686
Sanguinis mictus causæ quæ, tum ex aliorum sententia, tum propria. ibid.
Sanguinis stillicidium è naribus cur malum signum statuatur ex antiquis. 34.520
Sanguinis è naribus stillicidium aliquando lethale signum, & aliquando salubre existere potest in acutis febribus. 17. 521
Sanguinem constare ex quatuor humoribus, quomodo intelligendum. 19.644
Sanguinem purgare proprie quid sit. 45. 644
Sanguis ex vtero prægnantibus effluens, vnde ducatur. 42.400
Sanguinis missio ex inferioribus partibus pestilentibus febribus vtilissima. 1.406
Sanguinis missionem vsque ad animi deliquium non vacuare totam materiam euacuandam. 45.582
Sanguinis reiectationis præseruatio. 10. 394. & seq.
Sanitas & morbus opponuntur. 18.365
Sanitas quid sit. 1.482
Sassaphras ligni Indici vires. 7.662
Scarificatio crurum vtilissima pro pestilentium febrium curatione. 28.408
Scarificationem crurum esse vtiliorem in pestiferis febribus scarificatione humeri & dorsi. 20.409
Scialismus quid sit, & quomodo generetur. 2.571
Scialismi curatio cū grauitate capitis, vertigine, memoria imbecilla. 52.571. & seq.
Sebastiani Augenij opinio de vino reprobata. 21.372
Sebastiani Paparellæ opinio de vsu cauterij in catarrho frigido & calido. 28.415
Sectionem venæ in synocho putrida fieri solum ob multitudinem à Galeno. 42.248
Sedimenti materiam verti in humores excrementitios. 35.256
Sedimenti copia, qualitas, priuatio, quibus de causis. ibid.
Sedimentum est excrementum. 22.254
Sedimentum quale sit alimentum, & quomodo. 8.225
Sedimentum quomodo sit concoctum alimentum. ibid.
Sedimentum non est excrementum simpliciter. ibid.
Sedimentum quomodo in iecinore generetur. 39.255
Sedimentum non adesse omnibus sanis corporibus. ibid.
Sedimentum habere perfectiora in hepate. ibid.
Sedimentum esse particeps caloris. 1.256

Scialismi curatio 571.

Sedimentum album & æquale quomodo intelligendum. ibid.
Sedimentum vrinarum triplex. ibid.
Sedimentum subrubeum optimum sanitatis indicium. ibid.
Sedimentum esse sanguinem non exquisita ratione confectum. 28.256
Sedimentum in sanis propter quas causas desit. ibid.
Sedimentum proprie quid indicet. ibid.
Sedimentum non esse partem humoris putridi. ibid.
Sedimentum indicat dominium naturæ supra humores peccantes. 40.257
Sedimentum esse materiam febris putridæ aliquando. ibid.
Sedimentum non indicat purgationem. 35.258
Sedimentum à victus ratione proficisci. 11.259
Sedimentum est multum in pueris & in otio deditis. ibid.
Sedimentum copiosius in abundantia crudorum humorum. ibid.
Sedimentum indicat affectiones venosi generis. 51.260
Sedimentum non semper æqualis albedinis. 2.261
Sedimenti plus hyeme quam æstate. 7.260
Sedimentum quibus de causis album ex aliorum sententia. ibid.
Sedimentum in iecinore non est album. 2.261
Sedimentum quando suam perfectionem acquirat. 23.261
Sedimenti principium in hepate, quomodo. ibid.
Sedimentum album fieri à ventriculo. ibidem.
Sedimentum magna ex parte non adesse in principio putridarum, ob quam causam. 20.262
Sedimentum idem est in sanis & in ægrotis. ibid.
Sedimentum an aliquando Galenus definiuerit, obscurum est. 10.254
Semen & menstruum in veneni naturam facile mutantur. 27.339
Semen pestilentiæ diu conseruatur in fomite. 14.598
Semimali humoris concoctio non differt à concoctione omnino mali. 20.349
Semimali humores quomodo ad naturæ suæ bonitatem reuerti possunt. 30.345
Seminariorum pestilentiæ ex Moyse in Leuitico enumeratio. 33.598
Seminaria pestilentiæ quæ sint. 6.598
Seminariorum pestilentiæ conditiones quæ. ibid.
Senes à pestilentia facilius præseruantur, quam iuuenes. 44.205
Sennæ folia quomodo dicantur esse flatuosa. 45.580
Sensitiuum omne cum calido esse. 34.389
Sensus quomodo sua obiecta apprehendunt. 16.54
Seraphini Oliuarij disputatio cum Augenio de virginitate cognoscenda. 30.323
Serum prodesse arenulosis. 29.289
Serum caprinum vtilissime dari pro seruanda icteritia, & pro cachexia hydropici principio. 48.151. & seq.
Serum habere vim detergendi ac deobstruendi. 18.152
Serum caprinum modus exhibendi ab Augenio ex Galeno & Dioscoride sumptus. ibid.
Seri caprini temperamentum. 4.153
Sicci morbi qui dicantur. 8.9
Siccitatem inesse igni, qua via antiquiores Philosophi inuenerunt ex Augenio. 14.500. Et ex Archangelo Mercenario, qui reprobatur. 50.501. & seq.
Siccitatem adesse in igne, primum quidem sensu & experientia, mox à transmutatione fuit cognitum, contra Mercenarium. ibid.
Siccitas ignis aeris humiditatem corrumpit, siccitatemq́; inducit pro generatione ignis. 26.500
Sigismundus Colreuterus primarius serenissimi Ducis Saxoniæ Medicus. 5.609
Signi proprij nomine quid intelligendum. 50.336
Signorum distinctio ex Medicis. 1.337
Signa propria & inseparabilia quæ. ibid.
Signa indicantia frigidam intemperiem ventriculi. 1.531
Signa indicantia vermen cucurbitinum efficere famem caninam. ibid.
Silphij succus quid. 25.358
Simile fieri à simili, quomodo intelligatur. 9.111
Simonem Portium egisse de dolore. 41.53
Simplicij sententia de organo sensus tactus. 20.389
Sinapismata tribus de causis fieri. 3.410
Sina-

Sialismi curatio. 571.

Sinapiſmata fieri poſſunt in omnibus ferè partibus. 31.411

Sinapiſmata coxendici, capiti, ventri inferiori adhibita, quomodo iuuent. 42.412

Sinapiſmata quæ. ibid.

Sinapiſmus ab Aetio deſcriptus præſtantiſsimus. 14.413

Sinapiſmata an magis calido, quam frigido catarrho conueniant. 14.414.

Sinapiſmo vtebantur antiqui magis pro alteratione, quam reuulſione. 1.416

Singultus curationem per conſenſum non eandem cum curatione eiuſdem per eſſentiam. 36.546

Singultum & ſternutationem aliquando à ſiccitate fieri. 34.197

Solidas partes ex duplici ſubſtantia conſtare. 26.511

Sorbitiones attractoriæ quæ. 48.344

Sorbitionis nomine quid intelligendum. 12. 344

Sorbitionem dari debere in malignarum febrium curatione. 1.345

Sphæra prima cuinam innitatur. 43.386

Sphæra prima an ſit in loco. 48.387

Spirituum nutritio ex quibus præſtetur. 42. 510

Spirituum alimentum humidum. 10.511

Spiritus eſſe duorum generum, influentes, ac inſitos. 23.511

Spiritus Martinus Salutiarum Medicus præſtantiſsimus. 669

Spiritus cur vertantur in gyrum in ipſa vertigine. 51.252. & ſeq.

Stellariæ vis ad calculum frangendum. 6. 285

Stephani Philoſophi Athenienſis opinio de halicæ vſu in tertianis febribus. 17. 172

Sternutatio eſt motus cerebri. 32.197

Sternutatio à duabus cauſis proficiſcitur. 35. ibid.

Stuporem inducentia pharmaca non ſunt vſurpanda, niſi in maximis doloribus. 24.664

Stupefacientibus quando vtendum. 46.664

Stupefacientium pharmacorum facultas. 41.665

Stupefacientium pharmacorum commoda & incommoda quæ. 2.666

Stupefacientium pharmacorum adminiſtrandorum regulæ. 26.666

Stupefacientia pharmaca omnino ſunt contraria verè anodynis. 5.666

Stupefacientia nunquam ſunt exhibenda, niſi vires valeant. 3.667

Stupefacientia gradatim adminiſtranda ſunt. 17.667

Stuporis vtriuſque brachij curatio. 40.608

Stuporem non ſemper ab humiditate fieri, ſed etiam aliquando à ſiccitate ex Aetio & Galeno. 6.197

Succi propriè qui dicantur. 31.255

Succi gentianæ temperamentum & vires. 36.173

Sudor qui bonus & qui malus in acutis febribus. 40.132

Sudor optimus, bonus, inutilis, peſsimus, malus, in acutis febribus qui ſtatuendi ſunt. 45.132. & ſeq.

Sudor circa clauiculas & thoracem calidus, an ſit ſemper malus. 3. 135

Sudor quomodo diſſoluat febres continentes. 40.234

Sudorem particularem aliquando bonum. 36.139

Suffitus ad cerebrum corroborandum. 53. 394

Suffitus ac peſſi pro ſuffocatis ex vtero. 27. 305

Suffuſio quid, & quomodo fiat. 32.611

Suffuſionem patientibus dandum vinum, & quod. ibid.

Summa peſtilentiæ in quo conſiſtat, ex Galeno & Hippocrate. 43.597

Superſtitioſos fuiſſe antiquos in ſcribendis medicamentis pro calculo renum. 1. 95

Suppreſsionis menſium varijs ſymptomatibus comitatæ curandi ratio. 7.546. & ſeq.

Suppreſsis menſibus venæ ſectio ex cubito non conuenit. 16.546.

Syderum malus aſpectus an efficiat peſtilentiam. 26.91

Sydera quomodo benigna vel maligna dici debeant. 40. ibid.

Synochus febris quomodo ſanari poßit frigida. 10.569

Synochum febrem eſſe duplicem, vniuerſalem vnam, aliam particularem, ex Galeno. 38.655

Syrupus Augenij pro roborandis partibus præcipuis, & expurgandis humoribus. 24.661 Syr: de Betonica purgatious. 572.2.

Syrupus Augenij ex ſymphito & pulmonaria pro præſeruatione à ſputo ſanguinis. 34.395

Symphiti vſus pro ſputo ſanguinis. ibid.

Syrupus Augenij purgans sensim humorem melancholicum sine molestia. 27.642
Syrupus cardiacus Augenij. 8.378
Syrupus expurgatorius Augenij. 29.379
Syrupi ad frangendum calculum renalem descriptio. 42.284
Syderum effectus non proficisci à primis qualitatibus. 25.89
Syrupus purgatiuus pro expurganda melancholia. 2.113
Syr: Hellenij an Tabacho. 19. 470

T.

Tabachi mira facultas pro asthmate sanando. 5.470
Tactum & gustum sentire absq; medio. 3.389
Taurinenses Medici præstantissimi. 42.323. 324. 26.324.
Temperamentum æquale duplex, aliud reuera, aliud sensus iudicio. 53.590
Temperamentum æquale est, in quo corruptum est omnino temperamentum naturale. 14.591
Temperamenti nomen in Galeni doctrina sumi pro substantia & pro accidente. 27.363. & seq.
Temperamentum naturale pro accidentaria qualitate sumptum est mensura status morbosi, sanationis, & curationis terminus. 20.366
Temperamentum naturale per se non indicat curationem, sed ex accidenti. ibid.
Terebinthina quomodo vrinas moueat. 8.287
Terebinthinæ vsus pro destillatione procumbente in thorace. 1.226
Themistÿ sententia de organo tactus. ibidem.
Thomas Rodericus à Veiga Medicus præstantissimus. 49.589
Tiberinæ aquæ quæ. 10.284
Tragea à cibo sumenda pro visionis corroboratione. 30.612
Tridentinorum pestilentiam fuisse citra putredinem aeris. 30.87
Tristis sensatio potest esse causa continens doloris, & causa formalis. 53.65. & seq.
Tristis sensationis nomine quid intelligat Galenus. ibid.
Tumoris in ani musculis creati signa. 30.296
Turgentis humoris variæ significationes. 36.361
Sanguis non turgit. 362. 20.
Turgenti humori deberi solum purgationem. ibid.
Turgenti humori non deberi venæ sectionem. 30.362
Turgens humor est à reliquis separatus. ibid.
Turgens humor statim purgandus triplici de causa. ibid.
Turgentes humores ad purgationem præmeditationem non postulant. 45.23
Turgens materia non est paulatim purganda. 31.24
Turgens materia quot modis dicatur. 26.17
Turgens humor quocunq; turgeat tempore statim purgandus. 38.18
Tussis ferinæ curatio pro illustrissimo & reuerendissimo Nuntio Apostolico apud serenissimum Ducem Sabaudiæ. 41.559. & seq.

V.

Vacuatio vsq; ad animi deliquium cur instituta fuerit. 49.561
Vacuatio in putridis febribus cur prius exerceri debeat. 30.441
Vacuationes exquisitæ nunquam fieri debent. 25.581
Vacuationes extremæ periculosæ. 43.581
Vacuari totus humor peccans non debet, sed pars relinquenda, aut postea ab arte vacuanda, aut à natura. ibid.
Vacuationem nunquam rectè exerceri, nisi morbus & ipsa virtus inuicem consentiant. 20.582
Vacuatio ad animi deliquium an sit extrema. ibid.
Vacuatio extrema duplex, vna dicitur in respectu ad quantitatem humoris vacuandi: alia in respectu ad vires vacuationem non prohibentes. ibid.
Vacuari nunquam posse tantum humoris, quantum peccat, etiam si vacuatio sit extrema. 1.583
Vacuatio an confestim fieri debeat, an paulatim. ibid.
Vacuatio subita fit viribus existentibus validis, & materia pauca. ibid.
Vacuationem per vices quando fieri expediat. ibid.
Vacuationes subitas potissimũ fieri in morbis acutis. ibid.
Vacuationem partiri semper expedit morbo dante inducias. 11.584

Vapores melancholicos efficere suffocationem ab vtero. 1.304
Vapores habere aliquem odorem. 18.69
Vehiculum alimenti humidum: at non reciprocatur, vt omne humidum sit alimenti vehiculum. ibid.
Vehiculum duntaxat alimenti est aqua ex Galeno. 2.515
Vehiculum alimenti est res humida in actu. 27.508
Venenati humores statim purgandi sunt. 3.27
Venena non semper occidunt. 20.266
Venena duo simul permixta aliquando euadunt medicamentum & remedium. 42.204
Veneficæ mulieris historia. ibid.
Venenatorum morborum duplicem in vniuersum esse causam. 51.338
Venenata qualitas interdum fit ex insigni humorum putredine. 1.339
Venenati morbi signa. ibid.
Venenum externum quomodo cognoscatur. ibid.
Veneno pueri non facile resistent. 4.340
Venena externa quot causis fiant, & quas differentias habeant. 40.ibid.
Veneni stupefacientis signa. ibid.
Veneris vsus, vt commode fieri possit, quas conditiones postulet. 52.401
Venereo vsui notorie impotentes, qui dicantur. ibid.
Venæ sectionem obesse suffusis. 2.613
Venæ sectionem non conuenire pro reuulsione omnium humorum. 37.20
Venæ sectio ad animi deliquium, ac potus frigidæ nunquam debet exerceri, nisi magna vrgeat necessitas. 2.562
Ventri cur applicentur vesicatoria. 34.413
Ventriculum non nutriri chilo. 10.118
Ventriculum non attrahere ad se alimentum ex cibis omnino transmutatis in chilum. ibid.
Veratrum molle quid significat Hippocrati. 36.15
Vere vacuandum pro præseruatione ab articularibus affectibus. 3.294
* *Vertigo quid.* 53.252
Vertiginis causa. 4.253
Vertiginis signa siue per essentiam siue per consensum fiant. ibid.
Vertiginis ab acribus humoribus, & vaporibus curandi ratio varijs comitata symptomatis. 50.557
Vesicatoria medicamenta quæ. 48.412
Vesicatoriorum plura exempla. ibid.
Vesicatoriorum vsus in sutura coronali pro præseruatione à sputo sanguinis. 40.394
Vesicæ vlcus, quomodo differat à renum vlcere. 30.250
Vesicæ vlcus emittit pus fœtidum, renum autem minime. ibid.
Viæ præparandæ sunt semper ante purgationem. 12.20
Victus præseruans à sputo sanguinis. 51.395.& seq.
Vigiliarum immodicarum curatio. 1.122 & seq.
Vigiliarum instantiæ confert theriacæ antidotus. 21.122
Vigiliarum instantiæ quibus de causis contingant. 47.120
Vigiliarum causæ quæ. 44.197
Villensis aqua de Luca vtilis pro præseruatione à sputo sanguinis. ibid.
Vincentius Cibus Fulginas Medicus præclarissimus. 44.124.& alibi passim.
Vinum ex Viperis paratum non conuenire elephantiasi ex aliorum sententia. 3.454
Vinum ex viperis conuenire in elephantiasi. 1.456
Vinum maxime destillationibus obesse. 40.294.
Vinum nutrire solidas partes. 30.71
Vinum proprie non est obsonium. 50.80
Vinum luxuriam parere. 35.306
Vinum odoratissimum deglutire confert ex vtero suffocatis. 25.305
Vinum nutrire spiritus corporis. ibid.
Vinum nutrire odore, & etiam transmutatione facili in sanguinem spirituosum, ac tenuem. ibid.
Vinum nutrire carnosam substantiam. 1.517
Vinum nutrire solidas partes. ibid.
Vinum nutrit calidi innati substantiam in solidis partibus existentem. ibid.
Vinum an euadat crassum, & viscidum coctione discursus. ibid
Vinum totum non fieri vrinam, sed bonam eius partem retineri pro nutrimento corporis. 53.517.& seq.
Vinum quomodo dicatur crassum. 20.519
Vinum esse cibum ac potum ex communi omnium Medicorum consensu. 40.511
Vinum cur sit potus. ibid.
Vinum cur sit cibus. ibid.

Vinum alere omnes dicunt. ibid.
Vinum vtrum nutriat esse inquirendum, sed ex Medicorum sententia semper supponi debet. 5.512
Vinum consideratur vt medicamentum & vt alimentum. ibid.
Vina rubra & crassa pro gignendo sanguine accomodatißima. 11.512
Vinorum latitudo pro nutritione. ibid.
Vinorum nutrimentum magnum aut paruum ex tribus potißimum cognoscitur. ibid.
Vinum breui admodum tempore in sanguinem mutatur. ibid.
Vinum celerrimè nutrit. ibid.
Vinum habere omnes conditiones alimenti. 1.514
Vinum nullum proprie alimenti vehiculum. ibid.
Vinum oligophorum etiam nutrire corpus. 9. ibid.
Vinum quomodo alimentum, & non alimentum ex Hippocrate. ibid.
Vina dulcia proprie esse vina. ibid.
Vina dulcia inebriare. 39.514
Vinum minus calidum vocatur frigidum. ibid.
Vinum oligophorum calidum esse ex verbis Hippocratis ostenditur. 5.506
Vinum humidum ne an siccum. ibid.
Vini proprietas non est inebriare. 50. ibid.
Vini proprietas est lætificare cor hominis. 24.507
Vinum ad iucunditatem creatum, non ad ebrietatem. ibid.
Vinum medicatum Augenii pro sananda malacia. 5.429
Vinum quid sit. 15.504
Vini materia quæ. ibid.
Vinum cur liquor potius, quam succus. ibid.
Vini ab omphacio, & musto distinctio. ibidem.
Vini causa efficiens. ibid.
Vini finis triplex. ibid.
Vinum nutrire notio est communis. ibid.
Vinum omne suapte natura calefacit, at ex accidenti refrigerare potest. 11.505
Vinum quomodo frigidos efficiat morbos. ibid.
Vinum quomodo ab Aristotele nuncupetur genus aquæ. ibid.
Vinum oligophorum an sit calidum. ibid.
Vinum quid. 52.367. & seq.
Vinum oligophorum quid. 16.368
Vinum oligophorum an calidum. ibid.
Vini oligophori conditiones. ibid.
Vinum oligophorum non esse prorsus omnis qualitatis expers. ibid.
Vini color non præbet necessariam significationem temperamenti. 33.364
Vinum album duplex, oligophorum & vinosum. 10.369
Vinum dulce facilitat sputum. ibid.
Vinum dulce non conuenit picrocolis. ibid.
Vinorum fuluorum, rubrorum & nigrorum vires, ex Hippocrate. ibid.
Vinum omne calefacere & exsiccare. 34.969
Vinum oligophorum in principio catarrhi non esse exhibendum. 8.417
Vinum oligophorum caput petit. ibid.
Vino potato sorbenda est aqua. ibid.
Vinum augere fluxiones. 41.418
Vinum dulce non exhibendum in fluxione, imo nec post fluxionem semper pro expectoranda materia. ibid.
Vinum medicatum pro curatione asthmatis Ludouici Augenii. 16.419
Vinum acescens quomodo potest reuerti ad propriam naturam. 48.422
Vinosum vinum non esse dandum in febribus acutis. 52. ibid.
Vinum non semper coctionem adiuuat. 25.371
Vinum magis inebriat exigua aqua mixtum. 46. ibid.
Vino abstinendum vsq; ad 14. diem in acutis morbis. 22.372
Vinum quando maxime noxium in febribus. 33.372
Vinum miscendum aqua, quomodo. ibid.
Vinum assuetis quando sit exhibendum. 6.373
Vina dulcia conuenire pleuritidi & peripneumoniæ. ibid.
Vina Pedemontanorum generosa. 44. ibid.
Vina Piceni prouinciæ. ibid.
Vinum pleuriticis in principio non est dandum. 17.374
Vinum an dandum sit in crudis morbis disputatio. ibid.
Vinum non esse vtile febricitantibus. ibid.
Vinum oligophorum ephemeris, hecticis aut putridis potest concedi. ibid.
Vinum oligophorum nō semper conuenit in febribus acutis. 6.370
Vinum quando dari debeat inflammationibus extra thoracem. 48.375.
Vinum in curatione suffusionis conuenire. 6.612

Vinum in febribus intermittentibus quando exhibendum. vide 456 457 1.376
Virgo in primo congressu cum viro potest emittere sanguinem & non emittere. 40.329. virga iusta magnitudo. 625.
Virgines habent ostium vteri maxime adstrictum. 6.327
Virginitatis natura in quo consistat, ex Augenii sententia. ibid.
Virgines quando habent vteri orificium maximè adstrictum. ibid.
Virgines tenellas & annosas non habere æqualem symphisim & adstrictionem vteri. ibid.
Virgines non æquè ferunt primum cum viro congressum. 10.328
Virgines non semper emittere sanguinem in primo concubitu. ibid.
Virginem cognoscere admodum difficile. ibid.
Virgines habere hymen, qui admittant. 40. ibid.
Virginitatis signum an aliquod statuendum sit secundum medicos. 50.336. & seq.
Virginitatem habere signa obscura. ibid.
Virgo quæ dicatur. 5.324
Virgines habere membranam claudentem ostium vteri communis opinio est. 48. 324
Virgines habere hymen, ex Auicenna. 3.325
Virgines carere membranula, ac intersepto virginali, secundum naturam. 36.326
Virginitatis signum, an aliquod statuendum sit secundum Medicos. 50.336. & seq.
Virginitatis signa certa nulla sunt. 6. 324
Virgini puellæ sunt in ore matricis ante violationem panniculi contexti ex venis, ex Auicenna. 3.325
Virilis membri erectio, & sanguinis eiaculatio signum est naturalis potentiæ ad coitum. 42.402
Virile membrum pro exercendo coitu debet esse iustæ magnitudinis. 10.625
Virilis membri iusta magnitudo indicari non potest, nisi fuerit tensum. ibid.
Virile membrum magnum, aut paruum non determinatur ex magnitudine, aut paruitate corporis: ibid.
Virilis membri paralysis quibus dignoscatur signis. 41.630
Visitatio ab obstetricibus facta auget suspicionem, & præuidet iuramento viri. 45. 334
Visitationem pro cognoscenda virginitate non admitti de iure ciuili. 9.335
Vita ex quarum substantiarum conseruatione seruetur. 28.510
Vitia sedis omnia multis de causis difficilem habere curationem. 10.297
Vitium corporis quod. 49.269
Vitrum combustum calculũ minuit. 23.291
Vlceris omnis generatio. 18.38
Vlceris plani sanandi ratio. 34.39
Vlceris fistulosi curatio. 7.296
Vlceris ac tumoris in musculo ani existentis cognitio. 20. ibid.
Vlceris in ano existentia indicia. ibid.
Vlcera maligna & cacoethe vnde generentur. ibid.
Vlceris definitionis inuestigatio. 21.268
Vlceris genus est solutio continui. ibid.
Vlceris variam extitisse notionem apud antiquos. ibid.
Vlceris naturam necessario non includere corrosionem. ibid.
Vlceris vera definitio ex Augenio. 34.269
Vlcera proprie carnosum genus respiciunt. ibid.
Vlceris definitio explicatur. ibid.
Vlcerata vesica dolor aduenit sub finem mictionis, & ob quam causam. 2.252
Vlcerata vesica cur adsit dolor circa glandem. ibid.
Vlcus cacoethe purgationem statim postulat. 25.27
Vlcus omne quà distinguitur à vulnere, morbus est compositus. 18.38
Vlcus planus non est morbus compositus ex Galeno. ibid.
Vlcus omne non est necessario exedens. 8. 39
Vlcus & vulnus ex Galeni doctrina aliquando confundi. 43.267
Vlcus planum non est vlcus exedens, vt dicunt Cinici. ibid.
Vlcus est solutio continui facta in carne ex erosione. 43.268
Vlcus planum non esse duplicem morbum contra Cinicos Medicos. ibid.
Vlcus planum non esse morbum. ibid.
Vlcus à vulnere duobus potißimum videtur differre. ibid.
Vlcus omne duo excrementa semper continet: non autem ipsum vulnus. ibid.
Vnguentum somniferum. 37.123
Vnguenti alabastrini descriptiones variæ. 20.541
Vnguenti alabastrini vires. ibid.

Vnguentum antiquorum pro extirpanda caruncula. 30.603
Vnguenta acria pro extirpanda caruncula ostij vesicæ non conuenire. ibid.
Vnguenta quatuor, quibus pro extirpanda caruncula vtitur Augenius. Vtendi modus pro hisce vnguentis recte vsurpandis. 1.604
Vomitus an prouocari debeat in cardialgia cum febre. 25.127
Vomitum non semper prouocandum in cardialgia. 13.129
Vomitum prouocantia pharmaca, quibus exhibenda sunt. ibid.
Vomitum non semper sanari vomitu. ibid.
Vomitum maxime prodesse pro sanandis affectibus sedis. 7.297
Vomitum non conuenire in suffocatione vteri. 17.503
Vrina quid. 40.155
Vrinæ ardorem quatuor de causis contingere. 25.252
Vrinæ in principio acutorum morborum crasiores & turbidiores quam in statu. 27.257
Vrinas inspiciendas in morbis extra venas. 54.261
Vrina alba & crassa quibus de causis. 24.687
Vrinas telis aranearum similes, aut guttulas olei præ se ferentes continuo significare colliquationem. 31.548
Vrinas colliquatiuas indicare necessario febrem hecticam multis rationibus ostenditur. 52.548.& seq.
Vrinas colliquatiuas in pestilentibus febribus apparere. ibid.
Vrinas colliquatiuas apparere in febribus ardentibus, quæ non sint hecticæ. ibid.
Vrinas febrem hecticam significare, contra Altimarum. 21.550
Vrinam & sudorem mouere periculosum non antea vacuato corpore. ibid.
Vstionis nomen Galeno quid significet. 33.414
Vtero gerentes malaciam patiuntur à primo mense vsq; ad quartum. 15.426
Vtero gerentes aliquando humanam appetiisse carnem. ibid.
Vtero gerentes affectæ malacia peius habent si bono, quam si malo sanguine abundauerint. 48.426
Vtero gerentes malacia affectæ cur afficiantur primis duntaxat mensibus. 10.427
Vtero gerentes malacia affectæ cur melius habeant ex vsu contrariorum, quam similium. ibid.
Vtero gerentes affectæ malacia, an debeant consequi rem desideratam. ibid.
Vteri inflammatio quibus de causis oriatur. 47.655
Vteri inflammationem non fieri semper à fluxione. 52.655
Vteri inflammationis signa. 6.656
Vtero affecto quomodo gignatur synochus, & quæ illius signa sunt. 156.
Vtero gerentibus conuenire purgationem, etiamsi materia non turgeat à quarto vsq; ad septimum. 14.670
Vtero gerentes non semper abortire ex fluore alui. 7.671
Vtero gerentes tuto ferre posse vomitũ. ibid.
Vtero gerentes primis mensibus facilius venæ sectionem, quam purgationem exigunt. 21.672
Vtero gerentes ab ipso abortu semper sunt præseruandæ, ita vt nunquam liceat prouocare abortum. 25.673
Vtero gerentium mensis tertius an sit tutus ab abortu disputatio. 20.675
Vtero gerentibus, an quartus, quintus, sextus sint tutiores reliquis. 30.677.
Vtero gerentes acuto morbo obsessæ, an victum tenuem postulent. 27.678
Vtero gerenti octauo, aut nono mense non esse mittendum sanguinem ratione præseruationis ab abortu. 40.679
Vtero gerentibus sanguinem effluere posse singulis mensibus ex cauitate vteri, contra Galenum. 42.400
Vterum in hysterico affectu aliquando moueri, & aliquando non moueri. 6.301
Vterum moueri in confesso est: at quomodo moueatur non constat. ibid.
Vterus quomodo ad varias partes moueatur. 3.302
Vterum constare omnibus partibus principalibus. 17.303
Vteri suffocationes causæ communes. ibid.
Vteri suffocationis causa non est semen retentum, aut sanguis menstruus duntaxat, sed alia ijs addi causa debet. ibid.
Vteri suffocationem non fieri à siccitate contra aliorum opinionem differitur. 4.304
Vteri suffocationem non esse conuulsionem. ibid.
Vteri suffocationem à siccitate aliquando fieri, & quomodo. ibid.


Vterum


Vterum magnas habere venas. 49.270
Vteri suffocatio cur non accidat viris. ibid.
Vteri suffocatio cur à duabus duntaxat causis, ex Galeno, fiat. ibid.
Vteri suffocationis curatiuæ indicationes. ibid.
Vteri suffocatio in actu existentis quomodo sanari debeat. ibid.
Vtero suffocatas postulant fœtida naribus admota. ibid.
Vteri suffocationis ex semine retento curatio. 24.306
Vteri suffocationis à retentis mensibus curatio. 9.306
Vteri suffocationis præseruatio. 3. ibid.
Vteri suffocationis à venenatis humoribus curatio. 43.306
Vtero suffocatas sanari ex pilulis ex musco Augenij. 23.307
Vtero suffocatis conuenire cerotum ex Galeno. ibid.
Vtero suffocatæ cur iuuentur odoratis infra oppositis & fœtidis supra adhibitis. 39.307
Vulnera lethalia quot modis dicantur. 46.217
Vulnera lethalia vt semper quæ nuncupantur à Galeno. 8.218
Vulnera magna quot modis dicantur. ibidem.
Vulnera capitis lethalia quibus de causis fiant. ibid.
Vulnerata vna parte capitis, an alia pars illi opposita posit affici. 47.219
Vulnera exigua inferre mortem posse, quomodo. 20.220
Vulnus capitis, in quo discissum est cerebrum, non est lethale ex necesitate. 1.218
Vulneris causa semper æterna, at vlceris minime. 20.269

Z.

Zea an differat ab olyra & typha. 10.155
Zea, olyra, typha idem significari Herodoto, Dioscoridi, Galeno. ibid.
Zeam esse illud seminis genus, quod Itali vocant speltam.
Zeam deglubatam fere nihil differre à tritico. ibid.
Zeam & optimos & candidißimos efficere panes. ibid.
Zeicum far quod. 33.154

FINIS.





HORATII AVGENII A MONTE SANCTO,

Medicinæ, quam Theoriticam vocant, in Gymnasio Patauino Professoris Primarij;

Quod homini certum non sit nascendi tempus:

LIBRI DVO.

Adiecimus Embryon putrefactum vrbis Senonensis, cum leui & succincta exercitatione, de huius indurationis causis naturalibus.



FRANCOFVRTI,

Apud heredes Andreæ Wecheli, Claudium Marnium, & Ioan: Aubrium.

M. D. XCVII.

HORATII
AVGENII
A MONTE
SANCTO,

Medicinæ, quam Theoricam vocant, in
Gymnasio Patauino Professo-
ris Primarij;

Quod homini certum non sit nascendi tempus

LIBRI DVO.

Adiecimus Embryon putrefactum vrbis Senonensis, cum leui
& succincta exercitatione, de huius induratio-
nis caussis naturalibus.



FRANCOFVRTI,
Apud heredes Andreæ Wecheli,
Claudium Marnium, & Ioan. Aubrium.
M. D. XCVII.

FRANCISCO MOLI-
NO SENATORI VENE-
TO ILLVSTRISSIMO.



VÆ de hominis partu iam pridem conſcripta, & elaborata, nunc demũ in lucem, atq; omnium oculos prodeunt, Tibi, Senatori Illuſtriſſimo, duplici potiſſimum nomine dicanda duxi, tum vt meæ in te obſeruantiæ monumentum aliquod habeas, tum vt tuo hæc fulta patrocinio obtrectatorum ſugillationem & calumnias ſpernant. Nam vbi acerrimum cenſuræ tuæ iudicium ſubierint, iam nulli futuri ſunt, qui ea temerario auſu impotenter lacerare, & dente rodere Theonio, audeant: Quia nemo eſt, qui ſummi tui iudicij cunctis in rebus præſtantiam, tãquam Mineruæ, aut Colophonium quoddam ſuffragium, non agnoſcat, ſuſcipiat, veneretur, cum illi præſertim copulata ſit ea vitę integritas, atque innocentia, quæ priſcæ probitatis integerrimorum, & iuſtiſſimorum patrum laudem facile adæquet: quæque planiſſimam tibi vitam nullo benignioris fortunæ afflatu, ad ampliſſimos honores, dignitateſque muniuit. Et vero, vt hęc ipſa proborum animos tibi arctiſſimo vinculo obſtringunt: Sic me inter cęteros tam arcte deuinxerunt, vt nihil iamdudum magis in votis habuerim, quam aliqua non vulgari ſignificatione meum erga te ſtudium, ac pietatem teſtatum facere. Obtulit ſe nunc tandem huiuſce opuſculi tibi dicandi occaſio, longe ſanè impar tantę voluntati ſignificandę: ſed, vt verum fatear, non potui hanc diutius apud me continere. Si manum aliquando admouere libello, vbi grauiſſimæ rerum gerendarum curæ, pauliſper diffugiant, non dedignabere, offendes ſubinde aliqua vel ciuilem ſcientiam pertinentia, ad liteſque dirimendas, non mediocriter, vt ego ſentio, vtilia. Vnde nec tibi, opinor, munuſculum ſordeſcet: nec ineptum, indecenſque fortaſſis videbitur aliis. Quare hoc qualecunque eſt meæ in te obſeruantiæ, & pietatis argumentum, benignus accipe, meque ſimul tua beneuolentia, qua nihil poteſt eſſe apud nos antiquius, proſequere. Interim Deum Opt. Max. precabimur, vt te diu ſuſtineat, votaque tua, quæ nihil præter abſolutiſſimum virtutis ſpecimen reſpiciunt, cumulatiſſime impleat. Patauij 18. Septemb. 1595.

Amplit. tuæ addictiſſ.

Horatius Augenius.

IN LIBRVM DE PARTV HOMINIS, EXCELLENT. HORATII AVGENII.

Fabius Paulinus Philosophus, ac Medicus exarabat.



Vm parit Augenius muliebris carmina partus,
Vitalesque dies, & docet artis opes.
Forte recens scriptis adiecit lumina chartis
Lucina, & dixit macte age perge senex.
Tu meus auctor eris, tu nostro numine plenus,
Nec Coo dices inferiora sene.
Scripsit enim quæ nosse datum mortalibus ille,
Tu pandes etiam quæ mihi nota Deæ.

IACOBI DE CAILLI NOBILIS GALLI, IN LIBRVM EXCELLEN. D. HORATII AVGENII, Epigramma.

Pauca quidem multi, multo sub margine pandunt,
Parua sed Augenii pagina, multa docet.

IN LIBRVM EXCELLEN. D. HORATII AVGENII, MEDICORVM HAC TEMPESTATE facile principis, Michaelis Riberij eius discipuli: Epigramma.

Cum Liber authori dat famam, laudo vel author
Libro: Laudo magis, quod dat vtrunque simul.
Dat famam libro Augenius, dat nomen, & vltra
Et famam, & nomen dat liber Augenio.

Lupi Riberii eiusdem discipuli.

Vt mundi hic liber possit penetrare recessus,
Hoc tantum nomen sufficit Augenii.

INDEX

INDEX OMNIVM CAPITVM LIBRI HVIVS.

INDEX PRIMI LIBRI.

I. Cap. De quibus agendum hisce libris, & quæ supposita ponat hæc tractatio.
II. Quid annus,& quotuplex.
III. De anno Hebræorum, Romanorum & Græcorum.
IIII. Quid intercalatio, quot annis fiebat, & quæ necessitas intercalandi fuerit.
V. Quid mensis, quotuplex mensis, de quo mense instituta sit tractatio.
VI. Quid dies secundum medicos.
VII. De ratione computandi in vtero gerentibus.
VIII. Dubitationum quarundam explicatio.
IX. Non semper exactos,& plenos menses requiri ad naturalem partum.
X. Quid partus, & quæ de partu generaliter dicenda sunt.
XI. Quæ caussæ sint partus.
XII. Qui partus dicatur perfectus, & vitalis.
XIII. Quod homini certum nõ sit nascendi tempus.
XIIII. An puer sexto mense natus sit vitalis.
XV. Matthæi Curtij opinio.
XVI. Impugnatio opinionis Curtij.
XVII. Moderni cuiusdam opinio de partu dierum 163. vsque ad 182. diem.
XVIII. Impugnatio opinionis eiusdem.
XIX. Iurisconsulti cuiusdam Maceratensis opinio de partu dierum 171.
XX. Impugnatio opinionis supradictæ.
XXI. Partum sextimestrem esse aliquando vitalem.
XXII. Quid sentiendum de partu dierum 168. vel 174. nobis proposito.
XXIII. Dubitationes, quæ his dictis accidunt.
XXIIII. Explicatio propositarum dubitationum.

INDEX CAPITVM SECVNDI LIBRI.

I. Cap. Quid actũ superiori libro, quid post hac agendum, vt qui septimestres dicuntur partus.
II. Hippocratis difficilium verborũ explanatio.
III. Septimestres partus quam ob caussam censeantur vitales.
IIII. Septimestres partus raro vitales nasci, & quam ob caussam id contingat.
V. De quadragenariis quædam huic tractationi conferentia.
VI. Dubitationes contra superiorẽ sententiam.
VII. Positarum dubitationum explicatio.
VIII. Quid Aristoteles, Empedocles, Polybius, Plinius, Aulus Gellius de partu septimestri scribant.
IX. Iurisperitorum sentẽtia de partu septimestri.
X. Quis sit octimestris partus, & cur non sit vitalis ex astronomorum sententia.
XI. Impugnatio opinionis astronomorum circa partum octimestrem.
XII. Mathematicorum opinio de partu octimestri.
XIII. Impugnatio opinionis mathematicorum.
XIIII. Octimestris partus cur non viuat ex Hippocratis sententia.
XV. Dubitationes contra sententiã Hippocratis.
XVI. Octimestrem partum nasci aliquando vitalem.
XVII. De partu nouimestri.
XVIII. An fœtus septimestris sit maior, & validior nouimestri.
XIX. De partu vndecimestri.
XX. Authores qui vndecimestrẽ partum admisere.
XXI. Qui fœtum vndecimestrem reprobare videntur.
XXII. Partum vndecimestrem secundum medicorum, & philosophorum sententiam fore admittendum.
XXIII. Quomodo satisfaciendum authoritatibus Hippocratis, contrarium sentientibus: Librum de septimestri partu fuisse à Polybio scriptũ.
XXIIII. Iurisconsultorũ opinio de partu vndecimestri.
XXV. Cur Vlpianus partũ vndecimestrem non admiserit inter legitimos.
XXVI. De partu annuo.
XXVII. De partu aliorum mensium.
XXVIII. Dictorum epilogus.

HORATII AVGENII, DE HOMINIS PARTV LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De quibus agendum sit hisce libris, & quæ supposita ponat hæc tractatio. 10

PROPOSITVM nostræ tractationis est agere de hominis partu, ac ostendere quod certum non sit nascendi tempus: quæ res maxime difficilis, & necessaria accuratam diligentiam postulat. Quatuor autem mihi de hac materia tractaturo, sese offerunt consideranda. Primum, quid sit partus, & quotuplex. Deinde quo tempore homo in vtero matris genitus, formatus, enutritus, & adauctus in hoc publicum vitæ theatrum nascendo prodire debeat. Tertium, quot sint parturiendi modi. Po- 20 stremum, quæ matri, & puero, tum in partu, tum post partum, siue secundum, siue præter naturam contingant. De duobus primis agam hoc tempore: de reliquis cum ocium suppetet maius. Verum prius dilucidanda est ratio computationis, anni, mensium, dierum, quæ debet necessario fieri in vtero gerentibus, & quam semper in tota hac tractatione supponemus: quod vt commodius dilucidiusque fieri possit, explanandum antea, quid per annum, mensem, ac diem ex medicorum sententia intelligere oporteat: sic enim fiet, ex importuna interpellatione minime impediri orationem nostram. Hic autem repetendum, quod sæpe alias dixi, quodque omnium testimonio verissimum esse constat: duo scilicet instrumenta pro inuenienda, & cõfirmanda veritate ab omnibus fuisse scri- 30 ptoribus vsurpata: nempe rationem, & experientiam: atque horum non æqualem in omnibus esse facultatẽ. Quædam enim longe maiorem ex ratione, quædam contra ex ipsa experientia maiorem fidem sortita sunt: atq; ne ab hac tractatione longius abesse videar, Hominis generatio præcedens partum tota inhæret rationibus, demonstrationibusque: hæc vero plus experientiæ credit. atque vt in illa experientia interdum locum habet, sic in ista non infrequenter adhibebimus rationes, quæ licet demonstratiuæ non erunt, adeo tamẽ erunt probabiles, vt experientiæ iunctæ, necessariam fortassis probationem efficient. In hunc modum pro rei subiectæ natura vtroque vti consueuimus instrumento. 40

CAP. II.

Quid Annus, & quotuplex.

QVia de annuo tempore Galeni lucubratio non extat, quam libro tertio prædictionum, & primo de morbis passim vagantibus scripsisse commemorat, non erit vitio vertendum mihi, si paulo altius petito principio, quæcunque ad hoc ipsum pertinere videbuntur institutum, diligentius explanauero. Annus igitur est periodus, & circuitus temporis in eo puncto desinens, in quo incepit. Ægyptii, vt hunc significarent, anguem circularem, caudã suo ore complectentem, proponebant. Porro quia tempus à cœli motu dependet, rationi maxime consonum est, ex ipsius motus varietate, anni varietatem metiri. Motus diffe- 50 rentiæ sensibiles duæ sunt, magnitudo, & paruitas: hic duplicem annum primi Philosophiæ studiosi inuenerunt, magnum scilicet, ac paruum. Quia vero inter extrema mediorum magna diuersitas, atque latitudo inuenitur, ex mediorum comparatione anni medii multiplices inuenti sunt. Satis probabile videtur primum fuisse cognitum, atque inuentum annum Lunæ, id est, reciprocum eius motum

motum spatio mensis absolutum: & hunc paruum nuncupatum fuisse annum. Mox vero considerantes longe maiorem esse solis motum, pro rerumque generatione præstantiorem, magnum constituisse annum duodecim paruis annis, id est mensibus, constantem, de quo sic inquit Poeta:

Interea magnum sol circumuoluitur annum.

At mens hominis sublimiori contemplatione agitata, inueniens adhuc superiorum planetarum motus, vt Martis, & Iouis, & deniq; Saturni, qui altiorem sedem occupans, annis triginta tardiorem absoluit motum, maiorem effecit annum. Vt enim sol superans Lunam, magnum huius respectu annum facit: sic maiorem iis ipsis Martis motus annum constituit: adhuc maiorem Iouis, ac tandem Saturni annus longe maior anno Iouis, ac Martis. Neque iis annis contenta maximum quendam annum (ita enim Macrobio referente vocauit Aristoteles) excogitauit. Hunc etiam antiqui Philosophi Mundanum, seu mundi annum appellauerunt: Plato autem in Timæo annum perfectum. Est certe rationi consonum, annum magnum absolute pronunciatum, ad differentiam anni Solaris, quē in præsentiarum ordinarium appellare placet, fuisse ab antiquis excogitatum, ac eum potissimum dici, qui duorum luminarium cœli, Solis inquam, ac Lunæ motus, ac reciprocationes inuicē vnit, ac in idem tempus coniungit, atque terminat. Quia vero eiuscemodi vnio ab antiquis ciuitatibus Græciæ credita fuit fieri spatio duorum annorum, quia duodecim menses cum dimidio Lunares omnino poterunt in idem incidere cum anno integro Solari, putarunt illius temporis Philosophi duos annos Solares omnino conuenire cum duobus annis Lunaribus constantibus ex mensibus vigintiquinque: etenim vnum annum Lunarem duodecim, alium vero tredecim mensium constituerunt. Atque hic erat apud illos magnus annus, constans ex duobus annis Solaribus, quos vertentes nuncuparunt: Totumq; hoc spatium vocarunt illi Trienterida: non quidem, quod tertio quoque anno intercalaretur, erat enim circuitus biennij, & re vera diecteris est, vt cum Macrobio loquar, id est duorum annorum tempus. Sed quia tertio anno incipiebat magnus annus, at postea longe diligentius eiuscemodi mensuram considerantes, cognouerunt, id biennij spatio contingere non posse: siquidem erat impossibile, Solis, ac Lunæ motus tam breui tempore inuicem associari posse, quatuor annorum curriculo id contingere potuisse arbitrati sunt. quam rem Græci obseruantes quinto quoque anno redeunte Ioui Olympico in Elide agonem celebrabāt, vocarūt Græci magnum annum Periterida: atque tunc fuit Olympiadis apud Grecos, & Lustri apud Romanos institutio. Etenim vtroque nomine quatuor annorum spatium significat. Sed neque id satisfacit Eudoxo Gnidio, qui primus omnium & obseruasse, & ordinasse annum traditur, nam horum Luminarium associari motus, & coniungi (vt ita dicam) putauit octo annorum cursu: ideoque magnum hunc annum vocauit octo ecterida, ad quam Eudoxi institutionē respiciens Cæsar apud Lucanum dicebat:

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

Tandem vero, cum neque hoc ipsum penitus satisfaceret, magnus annus Methomicus inuentus est: hunc Methon Atheniensis, vel vt alii dicunt, Laconicus, & annis Solaribus decem & nouem constituit, ideoque eneateteris dicebatur, & septies intercalabatur, durauitque hic annus vsque ad nostra tempora: complectiturque hic annus, si bene computarunt, dies sex mille, DCCCCLX. Huius Methonis & anni meminit Aristophanes in fabula, cui titulum indidit. ὄρνιθες, id est aues, & M. Cicero ad Atticum ita scribens:

Dic quis erit cui credam? aut quomodo ipse Methonis annus veniet?

Columella vero de Eudoxo, & de Methone sic ait:

Verum in hac ruris disciplina, sequor nunc Eudoxi & Methonis, antiquorumque fastus Astrologorum, qui sunt apti publicis sacrificiis. Qui locus mihi videtur difficilis: quia non video, quam vtilitatem Agriculturæ afferre possit annus, vel Eudoxi, vel Methonis: at maximam, certe Solaris annus, constans die-

bus, CCCLXV. & horis sex, ac etiam Lunaris dierum CCCLIIII. Sed hæc aliis relinquantur discutienda: ita de eiuscemodi annis magnis censent, Macrobius, Eusebius Cæsariensis, atque Fauorinus Philosophus. Verum de anno mundi quædam. Mensura huius anni non pendet ex motu Lunæ, aut Solis, aut vtriusque simul, aut ex motu superiorum planetarum, de quibus hucusque tractauimus, sed ex motu omnium simul cum suo firmamento. Huius quidem ratio talis est, inquit Macrobius: Stellæ omnes, & Sydera, quæ infixa cœlo videntur, quorum proprium motum nunquam visus humanus sentire, vel deprehendere potest, mouentur tamen, & præter cœli volubilitatem, qua semper trahuntur, suo quoque accessu, tam sero promouentur, vt nullius hominis vita, tam longa 10 sit, quæ obseruatione continua factam de loco permutationem, in quo eas primum viderat, deprehendat. Mundani ergo anni finis est, cum stellæ omnes omniaque sydera, quæ aplanes habet, à certo loco ad certum locum ita remeauerint, vt ne vna quidem cœli stella, in alio loco sit, quam in quo fuit. cum aliæ omnes ex eo loco motæ sunt, à quo reuersæ anno suo finem dedere: ita vt lumina quoque cum erraticis quinque in eisdem locis, à partibus sint, in quibus, incipiente mundano anno fuerunt. Hoc autem, vt Physici volunt, post annũ quindecim millia peracta contingit.

De hoc anno ita locutus est aliquando Cicero.

In quo vix audeo dicere, quam multa hominum sæcula contineantur. 20

Plutarchus vero, tum de hoc ipso, tum de aliis magnis annis libro de Placitis philosophorum in hunc modum scribit:

Magnum annum, alii octennio definiunt: alij decem & nouem annis. alij quinquaginta nouem. Heraclitus annorum solarium millibus octodecim. Diogenes CCCLXV. annis tantis, quãtus est vnus Heracliti. Alij. VIICIↃIↃCCLXXVII. Hoc est vt interpretatur Guilielmus Zilandrus annis 7777. Neque hic prætermittenda est Hortensij apud Ciceronem libro de Natura Deorum sententia, magnum scilicet annum esse cum omnes planetæ in eundem locum recurrunt, fieriq; post annos duodecies mille noningentos quinquaginta quatuor solues. Hæc haberi, quæ de Magno anno ex Censorino: Macrobio, Eusebio Cæsariensi, Fauorino, & plerisque aliis grauissimis authoribus notarem, quoad eius fieri potuit, breuissimis. 30

solares habui

CAP. III.

De anno Hebræorum, Romanorum, & Græcorum.

EST autem certissimum, nostræ tractationi nullum afferre vsum posse annum vere magnum: quandoquidem partus hominis, aut nunquam supra duodecim menses extenditur, aut rarissime, atque si aliquando id contingit, exiguus excessus est. Propterea agamus de anno quatenus spatium duodecim mensium complectitur: omnes enim gentes, vt plurimum vel Lunæ, vel Solis circuitu an- 40 num metiri solent. Excipio hic Arcades, qui suum annum tribus duntaxat mensibus, & Acarnanes, sex, & Romanos olim rudes, Romulo regnãte, decem constare voluerunt. Atque licet omnes in hoc vno conueniant, differunt tamen, quia nonnulli ex solius Lunæ, nonnulli vero ex Solis motu, annum efficere consueuerunt: quæ res, quoniam huic negotio magnam vtilitatem affert, diligenter exponenda est, principio ab Hebræis facto, qui vt alias gentes antiquitate superant, sic principia sententiarum communicarunt omnibus, vt ego sentio. Vocat Galenus hos ipsos Palęstinos libro primo de morb. popularibus sectione prima commentario primo. Hi annum meriti ex Lunæ motu dixerunt annum constare diebus CCCLIIII. affero in confirmationem Galeni verba, quæ sic 50 habent:

scientiarum.

Vt vero Palęstini computant duodecim menses, efficiunt dies numero trecentos quinquaginta quatuor. Nam quando tempus à Lunæ cum Sole coniunctione, vsque ad aliam quamuis coniunctionem supra dies vigintinouem, alium præterea diem dimidium assumit: Idcirco dies in partes diuidunt inæquales. Atque al-

que alterum dierum viginti faciunt, alterum vigintinouem. Quare quibus hæc est ratio mensium, aliquem facere intercalarem coguntur, vt primum præteritorum annorum reliqua cumulentur, & tempus fiat vnius mensis. Nam quando menses sunt intercalares, intercalandum scriptum reliquerũt, tum alii Astronomi, tum Hipparchus, hæc Galenus.

Ex quibus colligere vnusquisque potest, annum Hebræorum constare ex duodecim mensibus Lunaribus, ex coniunctione Lunæ cum Sole: singuli autem menses dies habent 29. & horas 12. qui numerus multiplicatus duodecies facit CCCLIIII. dies, & vero hic idem erat Græcorum annus. distabant enim Hebræi à Græcis in principio anni, non in numero mensium, ac dierum. Nam Græci sumebant originem à mense Martio. Hebræi autem à Septembri, vt relatum mihi fuit à docto Rabino Saluato de Balmes. Hinc festum præcipuum, quo immolabant Agnum, erat in trigesima sabbata, computatione facta mensis Septembris dierum vsque ad 30. de quo sic inquit candidissimus Horatius:

Sed melori

Tempore dicam. Hodie trigesima Sabbata.

Vin tu

Curtis Iudæis oppendere?

Certe hanc veram esse loci huius explanationem puto, quam hic tanto libentius recipio, quod sciam Dionysium Lambinum eum locum sic explanasse. Sed qualecunque ex horum opinione fuerit principium anni, parum curemus, vtputa nostræ tractationi inutile. Porro animaduertendum est, Græcos, si Macrobio, Solino, & Ammiano Marcellino credimus, ad Lunæ cursum annũ constituisse Hebræorum consuetudine dierum CCCLIIII. Galenus tamen sexto epidemiorum sectione prima, non putat id omnibus Græcis commune extitisse: sic enim ibi scribit:

Cæterum non sunt pro ratione Lunæ menses subducendi: quod multis Græciæ ciuitatibus iam est solenne.

Et parum infra.

Apud eos, qui ad solem rationem ineunt statuas: id quod à Romanis, vt dixi: & Macedonibus nostratibus Asiaticis, & vero etiam aliis nationibus obseruari non paucis.

Ex quibus verbis lucidissime constat, quosdam Grecos ex Lunæ, quosdam ex solis motu, & circuitu suum solitos fuisse metiri annum.

At Romani vario modo constituerunt annum. nam cum primum rudes existerent, Romulo ita præcipiente, annum ordinarunt in decem mensium interualla. Singulisque mensibus dedit dies 36. vt alii dicunt, vel 30. vel 31. vt quibusdam viris doctissimis placuit, quod etiam multo antea scripsit Macrobius. Eratque annus ex hac computatione dierum trecentorũ, & quatuor. cur id factum à Romulo fuerit meum non est explicare. Admoneo tamen hunc neque ad Solis, neque ad Lunæ circuitum in hac ordinatione respexisse. Successit Romulo Numa Pompilius Astronomus peritissimus. Hic enim ab Ægyptiis edoctus Lunæ motum, Solis, ac Syderum omnium, Hebræorum, & Grecorum imitatione annum in duodecim menses distribuit, non solares quidem, sed lunares. licet postea totæ summæ resultanti ex computatione duodecim mensium, addendum curauerit diem vnum, propter suspicionem diei impuris, vt inquit Macrobius, atque ita secundum sententiam Numæ Pompilij annus erat dierum trecentorum quinquagintaquinque. Verum, quia neque hic perfectus videbatur annus, vt qui alternis annis intercalabat dies plures, & quia ipsa intercalandi ratio cæpit paulatim propter superstitionem prætermitti, nonnunquam vero per gratiam sacerdotum, qui cum publicanis proferri, vel imminui, consulto anni dies volebant, hincque modo auctio, modo imminutio extra necessitatem vllam proueniebat, ac sub specie obseruationis longe maior contingebat confusionis occasio. C. Iulius Cæsar hanc temporum inconstantiam, vagam adhuc, incertam, & rudem in ordinem optimum pulcherrimumq;

redegit, admittenti sibi. M. Flauio scriba, qui singulos dies descriptos ita ad dictatorem detulit, vt & ordo eorum inueniri facillime possit, & eo inuento certus illorum status perseueraret. Ergo Cæsar exordium nouæ ordinationis initurus, teste Macrobio, dies omnes, qui facere adhuc possent confusionem, consumpsit, ideoque annus confusionis vltimus in dies CCCLXVI. fuit prorogatus. Post hac vnum superesse diem, si non totum, saltem maiorem partem cognoscens, Ægyptiorum, & Hebræorum imitatione, cum solem suum peragere circuitum diebus CCCLXV. & horis sex, videret, annum suum, quem nos Iulianum appellamus hodie, constituit. At quoniam adhuc sex horæ aderant numerandæ, quæ multiplicatæ quater faciunt horas 24. hæ vero diem naturalem efficiunt: idcirco singulis quatuor annis intercalationem fecit mense Februario addendo illi diem vnum naturalem: atque hic annus nuncupatur bissextilis. Porro hæc anni ordinatio ea est, quam hucusque omnes obseruant. Cæterum in hac de partu hominis lucubratione, necessarium est, nos audire annum vtroque nomine: tum ex motu solis dierum, vt dixi, 365. & horis sex: sumendo mensium spacium pro triginta diebus. tum etiam ex motu & circuitu Lunæ, ex diebus 354. constantem, & mensem ipsum pro spatio dierum 29. & horis sex accipientes. cur vero hoc modo audire oporteat, declarabimus loco suo diligentius.

CAP. IIII.

Quid intercalatio, quot annis fiebat, & quæ necessitas intercalandi fuerit.

QVia intercalationis mentionem fecimus, ac etiam conueniet meminisse postea, dilucidioris doctrinæ gratia doceamus, quid intercalatio sit, quot annorum spatio fiebat, & quæ fuerit intercalandi necessitas. Intercalationem igitur nihil aliud fuisse arbitramur, quam additionem, siue interpositionē quorundam dierum, aut mensium pro totius anni aut Solaris, aut magni complemento. Qui interponebantur dies intercalares vocabantur: qui id facere iubebat, vel ordinabat intercalator, Græci vocant eos παρεμβεβλημένους, & ἐμβολίμους. Quod nomen Andreæ Alciato deductum videtur ἀπὸ τοῦ καλέω, id est voco, cum enim mensis diuidatur in Calendas, Nonas, & Idus, primus dies Calendis tribuitur: atque tunc Pontifex calato, id est, vocato populo pronuntiabat, quot dies à Calendis ad Nonas superessent. Confluere autem Nonarum die populares in vrbem oportebat, vt addiscerent, quid eo nomine in humanis, diuinisque rebus faciendum esset, quod audiebant illi à Pontifice Maximo, ad quem id muneris pertinebat. Ego vero non id facile recipio. quia, quod Romanis assuetum erat, id non erat apud alias gentes, quæ intercalationem faciebant. Est enim receptissimum, Hebræos, Aegytios, Arabes Lacedæmones, Græcos, ac in vniuersum omnes populos intercalationem adhibuisse: quæ non habebant Pontificem, cui demandatum fuisset munus vocandi populum. Idcirco putauerim nomen ab ipsius rei natura deriuatum: nempe ab ipsa dierum, aut mensium interpositione: proprie enim significat id nomen interserere, & interponere; quod eo magis admitto, quia intercalatio fuit multo anteaquam Roma conderetur ab Hebræis, Ægyptiisque instituta: propterea diximus, esse interpositionem quandam: addidimus dierum, aut mensiū; quia aliquando vnus dies fuit intercalatus, aliquando plures, & nonnunquam Menses tres: quæ autē tantæ varietatis extiterit causa, nunc breuiter doceo. Quando primum intercalatum sit, varie refertur. Macer quidem Licinius eius rei originem Romulo assignat. Antias libr. 2. Numam Pompilium sacrorum causa intercalationem inuenisse commemorat. à quo Rege, nundinas etiā fuisse institutas Varro docet. Tuditanus libr. 3. Magistratuum, inquit, decem viris qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse. Flauius in Martium consulem redigit, anno ab vrbe condita 562. inito mox bello Aetolio, cuius tamen opinionem arguit M. Varro, vt Macrobius testatur. Etenim antiquissimam legem fuisse incisam in columna ærea à L. Pinatrio, & Furio Coss. in qua mentio intercalationis fit, scriptum reliquit. Ego vero putaue-

putauerim, vt supra dixi, primos omnium Hebræos docuisse intercalandi rationem, vt qui antiquitate, & doctrina gentes alias longe superarunt: ab iisque deriuatam fuisse in Ægyptios, & post eorum ex Ægypto fugam, Græcis & Romanis communicatam.

Cum igitur Græci animaduerterent, temere sese trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinasse annum, necessitate ducti intercalabāt vel octauo anno addendo tres menses; vel alternis addendo dies 22. qui mos etiam apud Romanos olim fuit. Posterior facta fuit verior intercalatio, quarto quoque anno solari constante ex diebus. 365. à Caio Cæsare, quæ ratio intercalationis durat etiam hodiernis temporibus.

Iam dixi, quemlibet annum ex octennio cōstare diebus. 354. ideo fit, Lunarem hunc annum Solari breuiorem esse dierum vndecim. Octies vndecim multiplicatum parit dies octoginta & octo: quibus si duos addideris bissextiles, qui singulo quoque quaternio increscunt, habebis dies 90. qui per tria diuisi 30. dant dies. Hinc menses intercalares erant tres singuli resultantes ex diebus triginta, atque ij menses addebantur in fine cuiuscunque octennii Lunaris. Porro Græci maluerunt magis post exactum octennium facere intercalationem, quam antea, quoniam operosum, ac difficile videbatur omni anno vndecim dies, & quadrantem intercalasse, qui intercedebant supra 354. vsq; ad 365. putatione facta ex motu Solis: ideo multiplicato hoc numero octo vicibus, & additis duobus diebus ex horis 48. resultantibus supra 365. maluerunt tres constituere intercalares menses.

Qui vero primi annum ex eiusdem Lunæ circuitu metientes à Romuli constitutione desciuerunt, annis alternis intercalabant. constante enim anno 354. diebus, addentes vnum, fecerunt ipsum constare diebus 355. propter eam superstitionem, quo impar numerus plenus, & magis faustus iudicabatur, aut etiam, vt inquit Macrobius, per imprudentiam. quia vero ad adæquationē cum anno Solari dies supererāt decem & horæ sex, intercalabāt alternis annis, mensem addentes vnum nunc dierum 22. nunc 23. idque faciebant mense Februario inter Fœminalia, & Regifugium, quæ intercalatio perdurans annis octo exæquare videbatur numerum dierum, quos Græci singulo quoque octennio intercalabant, nempe dierum 90. Fuit hæc intercalatio admodum antiqua à Numa Pompilio Romæ instituta, vel vt alii dicunt à Tarquinio: durauitque vsque ad tempora C. Cæsaris. Qui cum esset Pontifex Maximus anno tertio sui consulatus, & M. Æmilij Lepidi, hunc emendauit intercalationem plurimum diminutis diebus intercalaribus, singulis annis quatuor intercalando. Anno enim existente dierum 365. & horis sex, ex motu Solis computatione facta, vtiq; horæ sex in quatuor annorum spatiis constituunt horas 24. quæ faciūt diem vnum naturalem. Hinc quarto quoque anno vnum Februarium bissextilem fecerunt: additusque dies 28. perinde atque prior sexto Calendas Martias nuncupabatur. de quo Celsus I. C. D. de verb. significationibus dicebat, id biduum haberi pro vno die. Quod, an vniuersaliter sit verum, declarabimus loco suo. Cæterum necessitas intercalationis fuit, quod dies 354. Solis motum in Zodiaco non explebant. nam deficiebant pro singulo anno dies vndecim, & horæ sex, cum aliquibus minutis. Deinde annus Solaris non solum constabat diebus. 365. sed aderant etiam horæ sex, & minutæ quædam partes. ideoque fuit necessaria intercalatio. Hæc de anno, quantum ad meum munus pertinere videbatur, dixisse volui, si plura desideras, consulito Astrologos.

CAP. V.

Quid Mensis, quotuplex Mensis, de quo Mense instituta sit tractatio.

NON possunt admodum variæ sententiæ de Partu hominis recte intelligi, nisi mensium distinctionem afferamus: alij enim intelligunt mensem so-

larem, alij Lunarem, atque nonnulli mensem peragrationis, alij consecutionis, alij vero illuminationis. cum agunt de computatione mensium in vtero gerentibus, propterea de mensibus agendum, sic enim fiet, vt omnem prorsus è medio difficultatem tollamus. Exordior autem à mensium diuisione. Mensis itaque duplex est, Lunaris vnus, Solaris alter. Mensem Lunarem vocari spatium, quod ab vno Lunæ coitu cum sole vsque ad alterum intercedit, nemo est qui nesciat, vt inquit Galenus in commentario libri de septimestri partu, & tertio prognostic. commentario 4. idcirco nomen mensis secũdum propriam appellationem tribuitur circuitui huic Lunæ ab vno coitu ad alium, non Galeni modo, vt dixi testimonio, sed etiam Macrobij. nam Luna dicitur μήνη: idcirco Lunæ ipsius cursus appellatur mensis, de quo Virgilius in Bucolicis ait: 10

Et totum ex ordine Mensem
Pascitur.

Quamuis Cicero libro de natura Deorum deducat huius nominis, etymologiam multo aliter cum dicit: Qui, quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur: quibus verbis videtur dicere, mensem esse rem quandam numero dierum mensam. Sed quicquid sit de ratione nominis huius, constat ex communi omnium consensu lunarem mensem esse triplicem: vnus dicitur mensis peragrationis, alius consecutionis, tertius vero illuminationis. Mensis peragrationis est tempus, in quo Luna integram vnam circuitionem complet ab aliquo puncto, donec reuertatur ad idem punctum. Hic quidem Lunæ motus est ab occidente orientem versus in suo eccentrico deferente planetam super polos Zodiaci. vt verbi gratia à primo puncto arietis (in quo eam fuisse ponito, cum in coitu esset cum Sole) ad eundem ipsum primum arietis punctum: & vero tempus est dierum 27. horarum octo, in tertiæ partis hora. 20

Secundus mensis Lunarius coniunctionis, siue consecutionis appellatus, tantum temporis complectitur, quantum Luna oberrando ab vna coniunctione ad aliam insumit, id est, quando Luna cum sole coiens lustrato suo cursu, solem iterum consequitur. Excedit autem hic Mensis præcedentem vnius fere signi spatio, id est biduo, & horis quatuor cum aliquot minutis. Nam cum Luna Solem in eo loco in quo nouissima coniunctione reliquerat, id est V. G. in primo puncto arietis, non reperiat: sed sit vltra progressus, & signum fere integrum emensus, ita, vt primum punctum Tauri attingat, ea biduum & horas 4. cum aliquot minutis in consequendo Sole impendit, quo fit, vt hic mensis sit dierum 29. & horarum 12. cum minutis 44. & aliquot secundis. de hoc mense Gal. ita loquutus est lib. 3. de dieb. decretoriis cap. 4. 30

Quod autem menstruum tempus non omnino 30. dierum constet, sed in his minus vnius diei dimidio, integro libro Hipparchus demonstrauit. Quin & vulgus prope vniuersum nouit, mensium alium esse, quem κοῖλον, id est, cauum, nominant nouem & viginti diebus constantem; alium vero plenum diebus triginta integratum. Oportet autem amborum mensium totos dies ad nouem & quinquaginta assurgere, siquidem alteruter in totũ triginta dierum est, dempta tamen dimidia diei parte. 40

Sequitur mensis tertius, quem apparitionis, seu illuminationis vocant, id tempus complectens, quo Luna lumen in terras demittens, nobis est conspicua, nec dum, vt dicitur, combusta, seu splendore solis opacata: quod tempus dierum 26. & horis sex esse dictitant, posito quod Luna radiis solaribus immersa toto triduo delitescat. Solet hic mensis ad portionem temporis occultationis aut minui, aut augeri, eoque non semper sibi æqualis est, ipsum tamen vulgo dierum 26. & horarum 12. faciunt. Secundum quam rationem breuior esset mense peragrationis horis 20. quod constabit, si tot horas 20. dico ad 26. dies & horas 12. addideris, summam enim constare comperies dies 27. & horas 8. Toties autem numerus dierum circuitus τῆς πρὸς ἡμᾶς φάσεως ἤτοι τῆς εἰς ἡμᾶς ἐνεργείας, id est, apparitionis, seu illuminationis congruit cum numero dierum mensis seu circuitus, τῆς οἰκείας περιόδου, id est peragrationis, quoties Luna in coitu biduo & horis 4. delitescit: 50

quoties Luna in coitu biduo & horis 4. delitescit: quoties autem mensis illuminationis dierum est 26. & horarum 12. toties Luna & totum triduum delitescit, & quoties biduum latet, toties mensis ille apparitionis dierum est 27. & horarum 12. quoties item vnum diem latet, toties ille 28. dierum & horarum 12. est. In summa quo diutius latet Luna, eo breuior mensis apparitionis est, contra quanto minori tempore latet, seu si vis, quo citius emergit, eo mensis ille maiori dierum numero abundat.

His mensibus ex Galeni sententia Petrus Apponensis ac recentiores alii, quartum addunt, quem illi medicinalem dicunt, vt ostenderent diem 20. magis 10 decretorium esse 21. contra opinionem Archigenis, & Dioclis, cuius mensis institutio in hunc modum habuit. Galenus causam dierum decretoriorum retulit ad superiorum corporum motum, præsertim vero Lunæ, nam toto mense præintellecto, & in hebdomadas diuiso xx. dies tres hebdomadas continere, quatuor totius mẽsis hebdomadas quatuor finiri terminis iudicatoriis tradidit. primam septimo, secundam 14. tertiã 20. quartam 27. quam rem probare non poterant diuiso mense in 30. dies. impossibile enim esset hoc modo imaginari, qua ratione 20. tertiam complecteretur hebdomadam. Eiuscemodi per hebdomadas computatio in mense peragrationis fieri non potest: quia hic mensis est proprij motus, & dies iudicatorii non insequuntur duntaxat motum Lunæ, sed et- 20 iam impressionem cõmunem, quam facit in his inferioribus. quemadmodum ergo ex propria humorum impressione in corpus humanum, & ex communi, quæ fit à luna, adueniunt iudicationes in his, aut illis diebus: ita ex mense communis impressionis Lunæ, & mense propriæ actionis, licebit componere medicinalem, vt vocant mensem; veluti medium duorum mensium, nempe peragrationis, qui amplectitur dies 27. & horas 8. & mense illuminationis, qui habet dies 26. & horas 12. hic autem habebit 26. & horas 22. totum enim constitutum est spatium dierum 53. & horarũ 20. cuius medietas est dies 26. & horas 22. & huius ipsius medietas est dies 13. & horæ 11. Quatuor igitur menses iam constitutos habent terminos. Peragrationis dies 27. horas 8. Consecutionis dies 29. ho- 30 ras 12. minutis 44. & aliquot secundis. illuminationis 26. & horas 6. aut 12. Medicinalis 26. horas 22. Mensis autem Solaris est quem Galenus plenum vocat, constatque ex diebus triginta pro quolibet mense, vt supra ex Galeno demonstrauimus: de quo mense agendum, infra docebimus. Est autem animaduertendum ex hisce quatuor lunaribus mensibus, neminem esse, qui non admittat priores tres. At quartum negant plures, inter quos est Auicenna, qui contra Galenum acerrime disputat libro quarto fen. secunda tract. 2. cap. 2. quo cum sentiunt multi non infimæ notæ medici. Quid in hac controuersia sentiendum sit, explicare non est huius loci, neque temporis: hoc duntaxat dico, hunc mensem nullam afferre posse nostræ tractationi vtilitatem. vt cum de computatione tra- 40 ctabimus, manifestum fiet.

Cap. VI.

Quid dies secundum Medicos.

SEquitur modo, vt de diebus transigamus, de quibus agam breuibus, quia nullam habet tractatio difficultatem. Dico itaque Galenum de diebus fuisse tripliciter locutum. vno modo quatenus à nocte secluditur: alio, quatenus diem & noctem complectitur. nempe pro spatio horarum æquinoctialium 24. postremo pro die medicinali. De ipso die, vt simul etiam noctem habet, loquitur lib. nono Methodi c. 1. cũ scribit: Dictum enim supra est, vigintiquatuor horas esse 50 sic appellatæ diei spatium, vtique cum nomine diei, nox quoque vna comprehendatur, quod tum decimo methodi medendi cap. 2. libro de septimestri partu, & sexcentis fere locis confirmat. Porro diem, vt à nocte distinguitur, declarauit his verbis: Quædam duabus, tribusue, aut quatuor horis tempus habent, nonnullæ diem totum, vel etiam post eam, noctem, vel maius dein spatium requirunt. Diem autem quatenus simul etiam cõplectitur noctem à Galeno non

ſimpliciter ſumi obſeruatum mihi fuit. Nam in Commentario primo libri de ſeptimeſtri partu, & libro 6. de morbis vulgaribus intelligit diem pro ſpatio, horarum 24. æquinoctialium, at vbi agit de diebus decretoriis, alio modo accepit diem, nempe pro ſpatio horarum 23. & decimam quartam partem vnius horæ: nos, qua ſignificatione vſuri ſimus, infra explicabimus.

Cap. VII.

De ratione computandi in vtero gerentibus.

DOcere, qua ratione fieri debeat computatio in vtero gerentibus, maximam tum difficultatem, tum vtilitatem habet. Difficultatis certe cauſſa eſt varia computandi ratio à recentioribus & antiquioribus medicis adhibita; nam recentiorum quidam Lunares, quidam vero Solares intelligũt menſes: rurſus quidam annum CCCLIIII. dierum, & quidam CCCLXV. & horis ſex. Auget difficultatem, quod ex antiquis auctoribus magnus Hippocrates in eadem exiſtere ambiguitate videatur: nam libro de carnibus, & de natura pueri vnam, libro autem de ſeptimeſtri partu aliam putandi rationem ſequitur. Porro tantæ vtilitatis eſt hæc tractatio, vt putem, aliunde quidem non poſſe certitudinem haberi aliquam de hominis partu, quam ab ipſa ſupputatione. De hac igitur, quo ad eius fieri poteſt, diligentiſſime pertractemus.

Primum omnium authorum, Hippocratem partum ſeptimeſtrem, cognouiſſe vitalem conſtat, atque ſimul docuiſſe rationem computandi eo libro, cui titulus eſt περὶ ἑπταμήνου, id eſt, de ſeptimeſtri partu. Expedit eius verba recenſere, quandoquidem ſummam totius dilucidationis continent. In hunc autem modum habet ſtatim in principio eius libelli ſenis venerandi oratio.

Enimuero ſeptimeſtres diebus centum octoginta duobus, & quota diei parte eduntur in lucem. Nam, ſi de primo menſe dies quidecim, de quinque vero menſibus centum quadraginta ſeptem, cum dimidiato die computaueris. (duo ſiquidem menſes diebus propemodum vnde ſexaginta conſtant) comperies ad ſeptimum menſem (anni dico dimidium diei etiam particula quota particulæ quotæ accedente) amplius quam viginti dies deſiderari. hæc ille.

Propono mihi hunc ſolum contextum, quia ex omnium authorum conſenſu, hęc ſententia tanquam Hippocratę digna recipitur: atque licet multa ſeſe offerant explananda, prætermiſſis reliquis in commodiorem locum, duo potiſſimum inſtituto meo conuenientia docere aggredior. Vnum, quam anni medietatem Hippocrates intelligat, cum ait: Anni dico dimidium: & cur de anni medietate mentionem fecerit. Secundo, cum agat de quinque menſibus intermediis de primo & ſeptimo inchoato, de quibus menſibus agat, an lunaribus, an ſolaribus, & an computatio hæc plenis, integriſque menſibus fieri debeat, an partim plenis, partim vero inchoatis, & imperfectis. In his quidem conſiſtit ſumma computationis efficiendæ.

Accedens ad primum dico, nullam habere difficultatem, hic intelligi debere annum pro ſpatio dierum trecentorũ ſexagintaquinque, & horis ſex: propterea annus erit Solaris: huius anni medietas complectitur dies centum octogintaduos & horas quindecim: quod ex eo conſtat, ſi hunc numerum duplicaueris reſultabit ſumma totius anni dierum trecentorũ ſexaginta quinque, & horis ſex. Hic igitur non eſt admittenda horum opinio, qui annum Lunarem intelligunt: nam Hippocratis verba adeo aperte horum opinionem arguũt, vt meo iudicio, nihil apertius inueniri poſſe arbitrer. namque anni medietas Hippocrati eſt dierũ CLXXXII. & horis 15. at Lunaris anni medietas cõtinet dies CLXXVII. deſunt itaque ad eam medietatem, quam Hippocrates proponit, dies quinque & horæ quindecim. totus Lunaris annus eſt dierum 354. quibus pro integritate anni Solaris deſunt dies vndecim horæ ſex: vt ſupra declarauimus. Colligo ex dictis, Caium Cæſarem, non fuiſſe primum inuentorem anni Solaris, vt grauiſſimi quidam ſcriptores dicunt. Hippocrates enim multo ante Cæſarem viguit, mo niſi decipior, ante vrbem conditam. Anni tamen Solaris in hoc ipſo meminit con-

nit contextu: Cæsar primus fuit fortassis apud Romanos, qui annum ordinauit, eo modo, quem nunc passim obseruamus. At non fuisse absolute inuentorem, videtur meo iudicio adeo certum, quam quod certissimum. Sed cur Hippocrates acturus de septimestri partu medietatis anni Solaris voluit meminisse? certe hoc videtur mihi difficile, & nemo adhuc explanare aggressus est: Quasi quod vel ante dimidietatem anni, vel post medietatem, vel prope finem septimi Lunaris, vel in principio eiusdem non contingat septimestrem edi partum. Dico, quod sentio, breuiter. Antiqua opinio fuit partum septimestrem nasci, cum exacti sunt & pleni menses septem Solares, qui complectuntur dies 210. de qua
10 ita scribit author libri de Principiis, siue de Carnibus.

Puer septimestri partu natus pro ratione natus est, & viuit, ac rationem talis habet, ac numerum ad hebdomadas, ac septenarium exactum.

Parum postea declarans, quomodo habeat rationem ad hebdomadas, & septenarium exactum, sic ait:

Habet autem & septimestris partus tres denarios, siue decades hebdomadum, & in vna quaque decade septuaginta dies. Tres vero hebdomadum decades ex toto sunt dies ducenti, & decem.

Ex quibus constat septimestrem partum secundum hanc opinionem, Solares complecti Menses, & exactos septem, constantes, vt supra dixi, ex triginta
20 diebus pro singulo mense. Hippocrates autem libro de septimestri partu experientia noscens in eiuscemodi partu non esse necessariam computationem ex mensibus solaribus, neque etiam ad vitalem partum concurrere debere plenos menses: vt declararet vtrunque, statim dixit, Vitalem esse partum septimestrem natum 182. die, & horis 15. quibus verbis excludit plenos menses, exactosque, atque ipsam faciens computationem, excludit Solares: apertissimam docens putandi rationem ex mensibus Lunaribus. Neque ita anni medietatis meminit, vt velit omnem septimestrem præcise eum attingere numerum, sed, quia medietas anni principium est septimi mensis, siue Solaris, siue Lunaris, vt ostenderet non solum in fine mensis septimi, sed etiam in principio nasci vitalem se-
30 ptimestrem: qui sane, vt in vltimo die mensis, & in proximis nasci potest: sic in medietate anni, & parum antea vitæ superstes orietur. Plura dicemus de hoc argumento sequenti libro. sit hoc loco satis, me summum Diuini Hippocratis docuisse artificium.

Nunc ad secundi capitis explanationem aggredior. Certissimum esse puto, si vera sunt Hippocratis verba, de mensibus duntaxat Lunaribus, nec exactis, & plenis omnibus computationem illam intelligi debere. id nunc in recentiorum medicorum gratiam expono. Inquit Hippocrates: Quinque menses integri dies continent centum quadraginta septem cum dimidio. Si hæc sententia de Solaribus auditur mensibus, falsa est. Quia pleni quinque men-
40 ses Solares dies habent centum quinquaginta. De Lunaribus vero mensibus verissima est. Etenim dies viginti nouem, & horæ 12. quinquies multiplicatæ constituunt dies 147. & horas 12. Sic prætereà faciendam computationem non solum docet summa quinque mensium, sed etiam verba, quæ addit pro declaratione huius putationis: sunt autem hæc.

Duo siquidem menses diebus propemodum vnde sexaginta constant.

Quæ dubio omni procul non possunt intelligi de solaribus mensibus: quia duo menses eiuscemodi habent dies sexaginta cum quibusdam minutis partibus. at Lunares, dies habent 59. cum quibusdam minutis: est igitur certo certius Lunares menses recipiendos omnino, minime vero Solares.

50 Amplius idem ex Galeno manifestum facio, qui sane in commentario libri huius mensem interpretatur pro spatio dierũ 29. & horis 12. vt parum postea explanabo. Verum quia mensis Lunaris est multiplex, recte hic quispiam quæsierit, de quo mense intelligenda sit computatio Hippocratica. Respondeo, solum de mense consecutionis, seu coitus, non autem de aliis, quam rem sic ostendo. Quinque menses intermedij habent dies 147. & horas 12. At quinque

menses peragrationis habent dies 136. & horas 16. Quinque menses illuminationis pleni habent dies 132. & horas 12. non igitur Hippocratica computatio attingitur, nisi intelligamus mẽsem cõsecutionis, siue coitus. Hęc videntur mihi manifestam fidem facere, non solum de lunari mense verba Hippocratis audiri debere, sed etiam de solo mense consecutionis, siue coitus: vt Galenus etiam in præfatione libri de septimestri partu docuit. Colligo ex his præterea duo, horum alterum est, non esse necessarium nasci puerum exactis mensibus ac plenis, quandoquidem computatio hæc dies quinque mensium integrorum enumerat: duos autem facit dimidiatos, primum, & septimum. Immo ausim hoc dicere, maiorem partem omnium partuum fieri mensibus refractis, vix quidem inueniemus natum plenis mensibus, aut septimo, aut nono, aut decimo, aut octauo, aut vndecimo, satis enim est, si aliquam partem fœtus ipse attingat de mense, de qua ex Hippocrate, & experientia dicam quædam in sequenti libro. Alterum vero, absurdam esse illorum sententiam, qui dixerunt, ex quolibet die, vnam diminuendam esse horam: quemadmodum etiam accidere dicunt in diebus criticis: hoc enim refragatur toti computationi: nam ex 29. diebus & horis 12. si demendæ sint horæ 29. cum dimidia, vtique non continebit mensis dies 29. & horas duodecim. Sed 27. aut 28. dies, at vult Hippocrates complecti dies 29. & duodecim horas. Deinde Galeni in præfatione Commentarij libri de septimestri partu, verba eandem opinionem aperte reprobant, docens nomine diei horas 24. intelligendas.

CAP. VIII.

Dubitationum quarundam explicatio.

SEd ne quid relinquatur in hac materia, q; facere difficultatẽ possit, quædam sunt dilucidanda maximi momẽti: Atq; illud in primis, quomodo idẽ author Hippocrates de vna, eademque materia tractans diuersam computandi rationem afferat. Nam libro de septimestri partu menses exactos, ac plenos in computatione non adhibet: at libro de carnibus, vt iam docuimus, desiderat. Vrget magis difficultas, quod si dies ducenti ac decem septimestrem constituunt partum, omnis septimestris erit necessario octimestris: hunc autem non esse vitalem vult, & libro de partu octimestri, & libro de carnibus, rem sic habere ipsa docebit computatio: finis enim septimi mensis ex nostra computatione habetur die 206. & horis duodecim. Pone igitur puerum natum die 210. hic ingressus erit octauum mensem spatio trium dierum, & horarum duodecim. Atque hæc prima, ac præcipua est in hac materia dubitatio. Alia vero est, quod secundum Galeni, & Auicennæ placita non videtur omnino verum, computationem fieri debere mensibus Lunaribus. Nam Galenus sic ait primo de morbis vulgaribus sectione prima, & commentario primo. Cæterum non sunt pro Lunæ ratione menses subducendi, quod multis iam Græciæ ciuitatibus est solenne: sed pro ratione Solis apud omnes vrbes antiquiores, & nationes complures numerantur. Idem dicit apertissime Hippocrates lib. de morbis popularibus secundo, sec. 3. cap. 31. cum inquit:

Aut à menstruis numerandi sunt nouem menses, aut à conceptione, & in ducentos septuaginta dies Græci menses fiunt, & si quid insuper aut maribus, aut fœminis hæc fiunt, aut contraria. Quibus verbis nemo non videt 270. dies exactum esse terminum nouem mensium solarium putatione adhibita dierum 30. pro quolibet mense, incipientes computare, aut à conceptione ipsa, aut à menstruis, quo scilicet tempore debebant erumpere, non fluentibus. Auicenna vero hanc sequitur computandi rationem, cum libr. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 2. inquit: Etiam dicitur, quod tempus æquale medium ad formationem eius est dierum 35. quare mouetur in septuaginta diebus, & nascitur ducentis & decem diebus, & illud est septem menses, & parum infra. & nascitur (ait) in 270. & istud est nouem menses. vides igitur hic adesse inter Hippocratem, Galenum, & Auicennam consensum. Porro neque desunt inter medicos recentiores, qui huic

qui huic opinioni fauent. Nicolaus Florentinus magni nominis medicus ex Solaribus mensibus computat. Hunc imitatus est Matthæus Curtius Medicus celeberrimus, & nostris temporibus Franciscus Valleriola, qui præterea in huius opinionis confirmationem alium citat locum Hippocratis libro de alimento, in quo inquit: Cumque & triginta Soles fœtum formant, septuaginta mouent, decem, & ducenti perficiunt, ex hoc loquendi modo aperte videtur significare, fœtus ex solaribus mensibus absolutionem esse metiendã. Addit ijs Curtius alia, quæ non affero, quia cum eius de partu sextimestri opinionem examinabo, illorum facere mentionem oportebit. Hæc potissima meo iudicio sunt, 10 quæ in hac materia difficultatem faciunt: quorum dilucidationem à priore exordientes, afferamus.

Ferdinandus Mena commentariis sane doctissimis in librum de septimestri partu, vidit in ipso Hippocrate repugnantiam; atque dilucidare illam hoc modo conatus est. Putat septimestrem partum ex Galeni sententia centum octoginta duobus diebus, quod minimũ est, terminari, ac perfici, quod vero maximum est, nunquam vltra ducentos quatuorque dies prorogari. In medio temporis spatio celerius, ac tardius maxima pars septimestrium (inquit) editur, pro vt à calida constitutione temporis, vteri calido temperamento, & victus ratione calida citius maturescit, aut contrariis de caussis suam maturitatem adipiscitur. 20 Rursus tres decades septimanarum ducentos decemque dies habent: in eisque quatenus sexti quadragenarij minimum capit, absolui poterit septimestris partus, quare ducentos & quatuor dies attingere circiter, quod experimenta Galenica testantur, nihil amplius, aut rarissime. Quintus præterea quadragenarius dies ducentos complectitur, ac plures quam ab Hippocrate proponuntur. Nihilominus ea assertione haudquaquam confecit amplius, ac si spatiosam partus septimestris latitudinem insinuaret, duobus terminis conclusam, intra quos serius, ac citius liceat septimestri fœtui vitali prodire, hactenus Mena. Cuius opinionem licet maiori ex parte admittam, adsunt tamen nonnulla, quæ mihi displicent. Quorum vnum est, ac etiam potissimum, quod nondum videtur mihi 30 explicata dubitatio. Equidem hoc tanquam verissimum admitto, de quo tamen plenius edisseram secundo libro, partum septimestrem duos habere terminos, primum esse septimi mensis Lunaris, siue solaris principium. Alium vero septimi Lunaris finem; qui aduenit die sexto, & horis duodecim, supra ducentos. at quomodo dies 210. septimestrem partum absoluunt? ex computatione quidem mensium solarium, id vtique verum fuerit, sed iam explanauimus. Hippocratem Lunares intelligere: quod, si verum est, sequitur dies 210. complecti octauum mensem, & in hoc ipso vitales nasci ex veteris illius authoris decreto. Etenim dies, vt diximus, de mense octauo tres cum dimidio in tota summa continentur. Neque difficultatem soluunt, quæ ille dicit. Quatenus sexti quadrage- 40 narii minimum capiunt partus septimestres absolui posse. quia, in virtute quadragenariorum parum omnino fidendum est, vt manifestum facit nobis eius principium & finis: nam principium, vitalem fœtũ complectitur, nempe à 200. vsque ad 206. & horis decem. finis complectitur etiam nonum mensem, vt à 235. vsque ad 240. propterea dixit Hippocrates libro de alimento agens de hoc termino dierum 240, est & non est. Quia in hoc spatio vitalis, & non vitalis ex illius opinione partus esse potest. Quadragenaria igitur illa est, & non est vitalis. Vitalis est, vt complectitur septimum exactum; nonum inchoatum non vitalis, vt mensem octauum habet. Sed prætermissa ratione quadragenariorum 51. 210. dies, principium continent octaui mensis, & hoc ipsum statutum iam fuit 50 ibidem, non esse vitalem, modus, meo iudicio non inuenitur, quo explicari possit eiuscemodi difficultas: maxime, quod principium mensis ex illius sententia pro toto mense sumitur.

Ego vero ita sentio. Primum, librum de carnibus non esse inter legitimos Hippocratis libros numerandum, inter quos dubio procul recipitur hic de septimestri partu. Cur ita credam, moueor non solum verbis Galeni eum librum

non recipientis; sed etiam multis coniecturis: non grauabor hic afferre vnam, aut alteram, vt ostẽdam eum librum omnino Hippocrate, nisi fallor, indignum. De formatione fœtus habet hæc verba.

Porro vita hominis septem dierum est. Primum etenim postquam genitura in vteros peruenit, in septem diebus habet, quæcunque corpus habere debet. Mirari autem quis posset, quomodo id sciam. Verum multa ego vidi hoc modo. Meretrices publicæ, quæ sæpius de seipsis periculum fecerunt, vbi cum viris rem habuerint, sciunt, quando in ventre concipiant, & postea conceptum intra se perdunt. Postquam autem iam perditus est, elabitur velut caruncula: hanc carunculam in aquam coniectam, si conspicatus consideraueris, omnia membra habere reperies, & oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digitos, & crura, & pedes, & pedum digitos, & pudendum, & reliquum totum corpus manifestum, hæc Author illius libri. Quæ falsa sunt, vt ostendit experientia, & iis contraria, quæ scribuntur libro de natura pueri, & ab Aristotele, & à Galeno libris de vsu partium. Vidi ego hactenus quater genituram infra diem vigesimum: vnam decimo octauo, decimo quinto aliam: decimotertio, & vndecimo alias: At articulationem, & formationem certe non vidi. Imo nec in decimooctauo die obseruare potuimus cum expertis obstetricib. distinctionem sexus. Atque si aliquid potest fides in hac re obstetricum, affirmare oportebit, omnino septem dierum spatio solum quædam trium principiorum apparere rudimenta, qualia declarauimus ex Galeno libris de hominis generatione. Affero etiam aliam sensatam experientiam. Pullus in ouo perfecte absolutus est die 22. ab ipsa incubatione. At nihil quicquam die septimo præter caput, & intestinorum inuolucra effictum, & efformatum esse à natura, cernet vnusquisque, qui voluerit experiri. manifestum argumentum in homine id contingere non posse, cuius absolutio in vtero fit septimo mense, quod breuissimum statuitur tempus. Præterea scribitur libro de natura pueri articulationem, & formationem membrorum distinctam, qualem proponit author libri de carnibus, in masculis die 30. in fœminis die 42. cognosci; vt plurimum enim hoc tempore aut paulo breuiore, aut paulo longiore articulatio ipsis contingit: igitur fieri non potest septimo die fœtum siue genituram habere actu omnes partes distinctas, ac manifestas, vt ille dicit. Amplius Historia cantatricis illius magnæ existimationis, falsitatem ostendit loci huius: refero verba Hippocratis; quæ sic habent.

Audierat autẽ cantatrix ipsa, qualia mulieres inter se dicunt, quod quando mulier conceptura est in ventre, genitura non egreditur, sed intus manet. auditis autem his atque intellectis hoc semper obseruauit, & cum aliquando sentiret genituram non exeuntem dominæ exposuit, & sermo statim ad me peruenit. Ego vero cum audissem, iussi ipsam ad terrã saltare, & postquam septies iam exiliisset, genituram in terram profluxit, & strepitus factus est, atque illa conspecta admirata est. Qualis autem erat, ego referam. Velut si quis ouo crudo externam testam circum circa adimat, in interna vero pellicula liquor pellucescat. Modus quidem talis erat, & vt abunde dicat, ruber erat liquor & rotundus, in pellicula vero fibræ quædam albæ, ac crassæ inesse videbantur, cum cruore crasso, & rubro obuolutæ, circum autem pelliculam foris cruenta vestigia instar suggillatorum; iuxta medium vero tenue quid eminebat, quod mihi vmbilicus esse videbatur, & per illum sane spirationem intus & extra primũ facere apparebat; quia & pellicula genituram ambiens, & complectens tota ex illo tendebatur. Talem sane ego genituram sex dierum existentem vidi. Hactenus ille. Quę si vera sunt, aperte indicant septimo die genituram distinctam & manifestam articulationem non habere: vnius enim diei spatium, quod interest, ex ea massa carnosa, & vt ita dicam, rudi efficere articulationem non potuit. Ad hæc refragatur huic opinioni Aristoteles, qui in septimo, de animal. Historia libro capite tertio, agens de abortu facto in die quadragesimo, ita scribit: Et quidem plurimi fœtus intra tot numero dies deprauantur. Mas, qui quadragesimo die exierit, si in quoduis aliud mittatur, diffunditur, atq; aboletur, sed si in aquam frigidam cogitur,

gitur, consistitque velut in membranula: qua rupta fœtus ipse apparet magnitudine formicæ maiusculæ, & membra iam inde discreta, tum cætera omnia, tum genitalia constant, & oculi quemadmodum in cæteris animalibus, prægrandes. Hæc verba formationem die 40. factam indicant, non septima.

Adde ex hac opinione falsam reddi de proportione formationis, ad motum, & de motu ad partum, regulam, nam omnis principium hoc ponet, fœtum esse formatum, aut 30. aut 35. aut 40. aut 45. tandem 50. sic autem scripsisse Hippocratem constat ex sexto epidem. & libro de Alimento, id etiam admisisse Auicennam certissimum est: cum igitur hæc sic habeant, quis admitteret 10 fœtum die septima formatum esse? certe neque si esset formica, quod gigneretur, tam breui spatio suam consequeretur perfectionem; tanto minus homo. Postremo absurdum est, putare septimo die distinctionem apparere sexus: nam pudenda non elucescere, nisi longiori tempore Galeni verba manifestũ faciunt lib. 14. de vsu partium, quæ habent hoc modo:

Neque enim statim, vt semen in vterum coniectum est, neque diutissime post (quod ex anatomicis didiceris) alterutrum adhuc pudendum formatur. Ignorabisque sit ne mas, aut fœmina, quod conceptum est, postea vero tandem deprehenditur, fitque manifestum. Vt merito dicere debeamus, multo tardius, quam spatio dierum septem pudenda formata conspici. Hæc satis aperte 20 conficiunt librum de carnibus ab Hippocrate non fuisse conscriptum. Alium etiam affero locum non minoris momenti: Est autem, quod scribat decadem hebdomadum complecti dies septuaginta, at hoc indignum est Hippocrate, quia dies vigesimus, finis est tertiæ hebdomadæ, & principiũ quartę, vt Galenus libro tertio, de diebus decretoriis contra Archigenem, & Dioclem pro Hippocrate, *disputans scriptum reliquit. Ideoq; terminus vniuscuiusque decadis hebdomadum* est dies sexagesimus septimus, non septuagesimus, vt inquit author libri de carnibus.

Scio, quid dicere nonnulli soleant, pro dissoluendo eiuscemodi nodo, nempe computationem dierum decretoriorũ alio modo fieri debere, in morbis 30 acutis, quam in vtero gerẽtibus: nam in illis computatio non fit integris diebus, sed refractis; ideoque vigesimus erit decretorius & acutis, at vero 21. erit tertiæ septimanæ finis in vtero gerentibus, & sic deinceps singulæ hebdomadæ integris diebus computandæ. Sane quemadmodum hanc differentiam computationis facile admiserim, sic etiam iudico ex opinione authoris libri de carnibus, id dici aliqua ratione non posse: quia eandem proportionem in vtero gerentibus, & morbo acuto oppressis concedit. Quod ita sese habere verba demonstrant eiusdem, quæ immediate sequuntur, nam inquit:

Quin & morbi acutissimi sic hominibus fiunt præteritis diebus hebdomadis 40 dimidiæ, aut vnius, in quibus iudicantur, aut moriuntur, aut sane euadunt, & tertii generis in vndecim diebus, hoc est vna & dimidia hebdomade, & quarti in duabus hebdomadis, & quinti in duode viginti diebus, hoc est, duabus & dimidia hebdomadis. Colligo ex hoc ipso contextu Hippocratem, siue, vt rectius loquar, authorem huius libri, computationem in acutissimis morbis efficere diebus & septimanis integris: nam 18. diem vocat dimidium hebdomadæ tertiæ; vt secundum Hippocratem est 17. dimidium hebdomadæ. alios possem afferre locos, sed hi duo satisfaciunt cum hoc ipso, quem tractamus, edisseram fortasse alias de hac re, interim hæc sufficiãt pro priori explanatione huius controuersiæ.

50 Deinde vero duobus modis hunc interpretari locum possumus. Siquidem vbi admiserimus librum Germanum Hippocratis: duplex enim hic sese offert interpretatio, vna quidem, vt statuamus Hippocratem in libro de septimestri partu retractasse, quæ libro dixerat de carnibus: nec id mirum iudicari debet, quia in iis, quæ obseruatione cognoscuntur, frequenter accidit, seniores multo exactiorem habere notitiam: immo frequenter etiam accidit, in dies certiorem acquiri scientiam. Putauerim in iis, quæ ad partum pertinent (de hoc

enim propoſito loquamur) certiorem habuiſſe Polypum diſcipulum Hippocra-
tis notitiam ſcribens ſeptimeſtrem partum eſſe vitalem die 180. cum ille volue-
rit ſolum id contingere die 182. & horis duodecim. Rurſus Ariſtoteli magis,
quam Hippocrati credendum, vt qui multa incognita Hippocrati, de hominis
partu nouerit: Hoc modo fieri per additamentum artes, ſcriptum fuit primo li-
bro metaphyſicorum. Secunda interpretatio eſt, vt dicamus hæc verba inter-
pretari poſſe duobus modis. Et rationem talis habet, & numerum ad hebdoma-
das, ac ſeptenarium exactum: nam per exactum ſeptenarium intelligimus,
vel ſeptenarium ita præciſe exactum, vt nihil omnino deſit: vel vt iam in proxi-
mo ſit & in vicinia, vt ſit exactum omnino. Priori ſenſu non eſt intelligenda ſen-
tentia: quia admodum raro contingit naturã in partu aſſequi eum finem, dein-
de vero impoſſibilis eſſet caſus, quia determinata non eſt hora partus, ita vt in a-
lia fieri non poſſit in latitudine partus vitalis: ſic profecto alios partus excludere-
mus. Poſterior autem ſenſus perpetuo veritatem habet: quia partus accedunt
ad terminum exactũ, plus, aut minus, vt declarabimus loco ſuo diligentius. Se-
ptimo igitur menſe natus rationem habet, & numerum ad hebdomadas, quia
naſcitur in tertia decade hebdomadum, vel dimidiata, vt ſi oriatur die 182. &
horis 12. vel exacta omnino putatione facta ex menſe Lunari, quod erit die 206.
horis 12. vel fere exacta & plena ex computatione menſium ſolarium. Hæcque
licet omnino exacta non ſit, tamen pro exacta & plena habetur. Locus hic ita
interpretatus nullam difficultatem habet. Niſi fortaſſe quiſpiam dixerit, refraga-
ri huic explanationi, quæ poſtea addit hiſce verbis: Habet autem ſeptimeſtris
partus tres denarios ſiue decades hebdomadum, & vnaquæque decas ſeptua-
ginta dies. Tres vero hebdomadum decades ex toto ſunt dies ducẽti & decem.
videntur hæc includere plenam exactamque tertiam hebdomadarum deca-
dem Solarem. Reſpondeo, neque vrgere, ſi quiſpiam hæc recte interpretetur.
Dicamus itaque, ſeptimeſtrem partum habere tres decades hebdomadum, vel
exactas & plenas Lunares, conſtantes diebus 205. horis 12. vel duas omnino
exactas, & vnam dimidiatam parum plus, aut minus: vt ſi naſcatur à 180. vſque
ad 184. aut quintum. Duæ decades dies habent 140. Dimidiata decas facit dies
175. huic ſi vnam addideris hebdomadam conſtitues dies 182. Atque ita ſepti-
meſtris partus dicetur habere tres decades. Quæ vltimo adduntur verba perti-
nent ad computationem: quia ſi decas hebdomadum continet dies 70. tres de-
cades ex toto, id eſt, plenæ habebunt dies 210. Quibus ille noluit ſignificare ſe-
ptimeſtrem ex neceſſitate habere tres decades hebdomadũ plenas. foret enim
ſibiipſi, & experientiæ contrarius. licet alij hoc ipſum tribuant authori illius li-
bri. Sed voluit ſignificare tertiam decadem ſeptimanarum exactam complecti
dies 210. ſatisfaciant hæc de loco libri de carnibus dixiſſe.

Erat alius locus difficilis ex Galeno ſumptus, primo de morbis vulgaribus:
qui non cogit. nam de anno, & menſibus vario modo loqui poſſumus pro va-
rietate ſubiecti, quod tractamus. Sed de partu ſeptimeſtri agendum eſt, ſem-
per computatio fieri debet menſibus Lunaribus, vt ex Hippocrate, & Galeno
declarauimus, ſi vero agendum eſt de conſtitutionibus anni, vt doceamus, qui
morbi vigeant in omnib. conſtitutionibus non Lunarem, ſed Solarem intellige-
re oportebit annum, & menſem; & hoc poſteriori modo locutum fuiſſe Gale-
num in eo commentario conſtat. Authoritatem Hippocratis libro ſecundo,
de morbis vulgaribus admitto: & omnino ſum mihi certiſſimus in partu noui-
meſtri quomodocunque computes recte ſuccedere. etenim nouimeſtris exa-
ctis & plenis menſibus Solaribus genitus, decimeſtris eſt ex Lunę motu: atq; de-
cimeſtris plenus Solaris, vndecimeſtris vocabitur Lunaris incipiens. Vitalis
eſt nouimeſtris, decimeſtris, & vndecimeſtris: ergo vtraque computatio reci-
pienda in huiuſcemodi partu. Quod ſi quis eum librum non reciperet inter
Hippocraticos, non aberraret. quia Galenus librum 6. epidemiorum ab Hip-
pocrate fuiſſe ſcriptum teſtatur, non autem ſecundum. Porro Auicenna dili-
gentiſſime locutus eſt de hac materia: in iis enim verbis locutus eſt de pro-

portione

portione generationis, siue articulatæ formationis ad motum, & à motu ad partum, quæ proportio ab Hippocrate fuit inuenta, & ab omnibus medicis approbata, ideoque ille sic ait: Et iam dicitur, id est, communis sententia est, vel iam dicitur ab Hippocrate, formatum puerum die 35. moueri 70. nasci autem duplicato hoc toto tempore, diebus 210. sic formatus 30. die mouebitur 60. nascetur 180. atque ita de reliquis in eiusce modi proportione connumerandi sunt dies ac menses vti currunt: nam parum refert quales sint. Hic autem notandum est, aliud esse nasci, aliud viuere; potest nasci fœtus quocunque die cuiusuis mensis: at vitalis edi non potest quocunque tempore, natus in 210. die, si credimus Hippocrati vitalis existere non potest, quia octauo mense inchoato natus est; quod multo certius apparet in iis, qui nascuntur in quinto, ac sexto mensibus.

Opinionem Nicolai Florentini non recipio. De Matthæi Curtii sententia loquemur in tractatione de partu sextimestri. In eodem errore consistit Valleriola, cum Hippocrates dicit, triginta Soles, hoc nomine intelligit dies: nam Sol ibi, diem significat.

Cap. IX.

Non semper exactos, ac plenos menses requiri ad naturalem partum.

CIrca hominis partum extremæ opiniones duæ adsunt: vna putat oportere semper plenos menses requiri. alia vero, sufficere duntaxat menses inchoatos esse. ac certe vtramque opinionem falsam esse demonstrãt Hippocratis verba, experientia, & ratio. Hippocrates quidem in computatione, quam facit in septimestri partu prioris opinionis falsitatem ostendit. nam intermedios quinque menses Lunares integros facit, numerans 147. dies & horas 12. duos refractos primum ac vltimum, ex quib. resultare dicit numerum dierum 182. & horarum 12. quo sane calculo apparet septimũ esse inchoatũ; si Solarem intelligis, dies adsunt duo, & horæ 12. si Lunares, quinque. atque hic vides portionem, & partem mensis admodum exiguam pro toto mense sumi ab Hippocrate; vt idem etiam apertissime testatur. Galenus etiam ait, septimestrem vidisse natum 184. idem Auicenna scribit: & in summa communis est omnium authorum opinio. Arguit præterea secundam opinionem Galenus, cum dicat terminum esse vltitimum, quem tamen ille viderit & obseruauerit 204. diem. Hippocrates libro de carnibus videtur admittere 210. diem pro pleno & exacto termino, vt dicebamus. eiusdem sententiam imitatur Paulus iurisconsultus, vt docebimus infra. his Auicennam, & alios authores non infimæ notæ astipulari, quæ superiori capite diximus manifestum faciunt. Ergo nascitur non modo septimestris, sed etiam octimestris, nouimestris, ac alij omnes, mensibus aliquando plenis, & aliquando inchoatis, & aliquando dimidiatis: neque potest afferri certa coniectura, aut ratio, quę persuadeat ortum pueri semper inchoatis, aut semper plenis fieri mensibus. Huic sententiæ experientia quotidiana fidem facit: neminem enim esse putauerim, qui non viderit aliquando puerum nasci in principio mensis septimi, vel octaui, vel noni; & aliquando in medio spacio, & nonnunquam in fine mensis. Cæterum si aliqua ratione id confirmari, & euidenter demonstrari debeat, (haud enim, vt diximus in principio tractationis huius, rationes inuestigandæ sunt demonstratiuæ in materia, quæ illas recipere non potest) hanc esse vnam putauerim. illo tempore præcise nasci debet fœtus, quo tempore suã perfectionem, ac maturitatem adeptus est. Verum hanc ipsam adipiscitur in vago tempore: id est, in quo certa dies, & hora assignari non potest absolutionis. est autem eiuscemodi tempus, vt explanabo posthac, quando fœtus ita adauctus est, vt amplius in vtero contineri non possit, illique accommoda- ... sufficiens ex matre nutrimentum deficiat.

Cap. X.

Quid partus, & quæ de partu generatim dicenda sunt.

HActenus dilucidasse videor, tum quæ ad annum, menses, ac dies, tum quæ ad computandi rationem pertinent. nunc cominus ad nostram tractationem accedamus. Partus nomen haud semper eadem significatione sumitur: Nam Plinius partum vocauit fœtum in vtero existentem, cum inquit libro septimo naturalis Historiæ: Cæteris animantibus statutum, & pariendi, & partus gerendi tempus est. ac rursus: Ergo (inquit) cum grauidis fluxit, inualidi, & non vitales partus eduntur. Hunc imitatus videtur mihi Theodorus Gaza, dum Aristotelem de animalium natura disserentem in latinum vertit, cap. 4. libri septimi, in quo ita scribit: sed cum cætera animalia omnia singulari, ac simplici modo partum suum perficiant. Verum licet eiuscemodi significatio nostro proposito non multum conuenire videatur: quæ enim ad partum hoc modo consideratum pertinent, maiori ex parte explanata sunt à nobis libro de Generatione hominis. tamen quia tractationes hæ maxime sunt connexæ inuicem, cogimur hanc vsurpare, vt cum quæremus, an partus sextimestris, vel alius sit vitalis. Hic certe maxime proprie sumo partum pro editione fœtus ex vtero cum suam maturitatem adeptus est. Cum enim excidit genitura anteaquam formatum sit animal, non appellatur Aristoteli partus, sed effusio, siue abortus: neque eo nomine dignum est appellare cum formatum animal educitur, sed nondum magnitudine perfectum est; vt cum tertio, quarto, quinto mense educitur, nam cõsueuerunt omnes vocare abortum omnem editionem fœtus ante septimum. Ex veterum scriptorum consuetudine partus incipit à 7. mense, vsque ad 11. vocari: num vero sexto mense aliquispiam vitalis existat partus (licet omnino antiquiores negauerint) explicabitur infra. Cæterum non est loci huius docere causas abortus; quoniam de partu in genere instituta tractatio est, idcirco prætermisso abortu, de ipso partu docebimus primum, quæ causæ sint naturalis partus: Deinde, qui partus dicatur vitalis. Tertio loco agemus de tempore, in quo nasci hominem contingit.

Cap. XI.

Quæ causæ sint partus.

PArtus est quoddam opus ipsius naturæ maxime admirandum, vt cum Galeno loquar: quo illa os vteri ita gliscescens, constrictum & agglutinatum, vt neque specilli cuspidem admittere posse videatur, vt Herophilo olim placuit, adueniente parturitionis tempore ita adaperiat, vt fœtus cõmode in lucem prodeat. Sed certe rem in hunc modum habere ignorat nemo: quo autem pacto id accidat, mirari quidem possumus, intelligere non possumus, vt Galenus inquit. Auicenna existimat pubis ossa tum necessario se iungi, horumque commissuram, quasi dissolutionem parere: quod tamen an aliqua fieri naturali ratione possit, ambigo, sed si fit, opus certe admiratione dignum est, vt alia pleraque naturæ opera. Quandoquidem ipsa prouidit, quo pacto fœtus, qua conueniebat figura, ad collum matricis perueniret: ac etiam quomodo ipsum peruaderet citra labem subiectarum partium: nam cum pueri caput ostio matricis indidisset, id aliis muniuit viam. Atqui si fœtus obliquus, aut transuersus paret egredi, aut, si secundum longitudinem quidem, sed non vt nunc, hoc est caput non insereret collo vteri, quod nonnunquam etiam, sed raro accidit, vel crus ante caput, vel manus exerens, difficilem aliis membris exitum efficeret. Ac si ter, & quater non concinne excidens, non suffocaretur, eo certe modo accideret ex 40. verbi gratia fœtibus centum impediri: sed cum in pluribus millibus semel accidisse id cernatur, in mentẽ nobis inde venire debet, quę bona is artifex, qui nos conformauit, sit largitus, tum etiã cognoscere plane debemus, non eius modo sapientiã, verum etiam potentiã. Quis enim Phydias, aut Polycletus bonus adeo est artifex, vt in multis operũ factu difficiliũ millibus, ne semel quidem hallucine-

hallucinetur? Num igitur iis duntaxat nominibus naturam iure laudabimus, an quod omnium est maxime admirabile, nondum à nobis est comprehensum? Quod scilicet animal partium omnium actiones statim editum, docuerit. Sed de iis alibi loquar diligentius. Hæc sane, quæ videntur fortassis extra rem dicta, eo pertinent, vt in ipso partu hominis, maximam artificis potentiam, sapientiamque admiremur, vtque diuinum hunc opificem præcipuam caussam efficientem esse statuamus; cui postea accedit corporis particularis natura suis facultatibus prædita, maxime quidem expultrice, quæ tunc plurimum viget. Refertur etiã inter caussas effectrices puer validis viribus præditus, dum locum
10 quærens magis commodum manibus, & pedibus calcitrando, pelliculasq; rumpendo vias parat sibi: concausa est grauitas eiusdem præsertim capitis, sic enim stimulatur natura, vt validius expellat. Porro causa formalis partus est pueri exitus ex vtero, motus inquam ille, quem facit puer ex vtero extra vterum per collum matricis. Materia pręcipua est puer in vtero iam formatus, & adauctus cum suis membranis, ac reliquis, de quibus superioribus libris satis superq; diximus. Finis proprius est conseruatio speciei, cum enim in indiuiduo conseruari non posset, natura successione id efficere voluit.

CAP. XII.

20 *Qui partus dicatur, perfectus, & vitalis.*

CÆterum partus tunc potissimum emittitur, vt dicebamus, cum suam perfectionem, & maturitatẽ adeptus est. Perfectio vero, ac maturitas fœtus tunc potissimum adest, cum has ipsas conditiones habuerit. Harum prima est iusta magnitudo.

Appello iustam magnitudinem, quando totam impleuerit capacitatem vteri secundum naturam habentis: tunc enim cum maiorem acquirere in vtero magnitudinem non possit, necessario abrumpũtur vincula, & membranæ ipsum ambientes: quæ res dupliciter accidit, tum ab ipsa distensione plurimum aucta, tum à fœtu calcitrante, ac mouente violenter manus ac pedes, vt ab Hippocrate
30 scriptum est lib. de septimestri partu, & nos lib. sequenti, oratione prosequemur. Hanc intelligere conditionem debemus in iis, quæ non sint steriles, licet vtero gerant. Est enim genus quoddam sterilitatis, vt idem Hippo. lib. de sterilibus docuit, quæ concipere quidem possunt, at retinere ad tempus constitutum non valent, propter crassitiem, aut humiditatem, aut ob exiguitatem vteri, quod omnino pro magnitudine fœtus dilatari non possit. Talibus quidem accidit abortus aliquando statutis temporibus, vt 3. aut 4. mense; aliquando autem incertis: sed in iis quidpiam adest mulieribus præter naturam impediens conuenientem dilatationem vteri. Sunt, qui dicunt iustã tunc habere fœtũ magnitudinẽ, cum omnes & similares, & organicæ partes fuerint optime cõstitutę numero, & figura
40 & quantitate. ideoq; si desit aliquid, vel si additum fuerit, non bene formatũ esse fœtum dicunt, ac eius partũ præter naturam appellitãt. Sed certe aliud est, puerum pręter naturã affectum dici, aliud vero partũ. Fateor, vbi desit aliquid affatu dignum, naturaliter sese non habere puerũ, vt etiam si addita aliqua fuerit pars: at dum hic in lucẽ editur, vtiq; ratio parturitionis, nisi quid ipsam perturbat, naturalis est, sic mulier monstrũ, & hominẽ parturire potest. Nos, vt supra diximus, de partu in vniuersum agimus: Infra vero in particulari, & sigillatim prosequemur omnia ad eiuscemodi partus pertinentia. Prima hæc in duas diuidẽda conditiones: vna est, summũ incrementũ fętus in relationes ad capacitatẽ vteri. Alia
50 vero continentis vteri distensio adeo magna, vt maior nõ possit consistere. Ex iis aliã conditionem deduco, nempe alimenti conuenientis diminutionẽ. Est equidem necessariũ alimentum, quod à matre illi suggeritur fœtu iam grandiori facto, diminui: quia illa eandem gignit quantitatem sanguinis, quam generabat antea, at certe multo maiorẽ copiam absumit puer grandior, quam paruus: cogitur igitur puer, vt vberius alimentum inueniat, pelliculas rumpere: de qua re sic loquitur Hippocrates libro de pueri natura. sic etiam vbi auctus fuerit puer,

mater non amplius illi sufficiens alimentum præbere potest: vberius nanque præsens alimentum puer quærens calcitrando pelliculas disrumpit, & à vinculo exolutus simul foras prodit. & parum supra dixerat, si puer plenus, ac maturus existat copiosius alimentum desiderans, calcitrat, & pelliculas rumpẽs initium partus matri inducit: & hoc patiuntur magis mulieres primiparæ: Deficit enim pueris alimentum, vt ad decimum vsque mensem sufficere non possit. Velim hic notari, quod ille dicit. Patiuntur autem magis mulieres primiparæ, quandoquidem in his ipsis neque potest vterus ad tantam capacitatem attolli, ad quantam in aliis distenditur, quæ multos peperere filios: neque alimentum abundare potest, ob senellam ætatem, cum indigeant alimento primum, vt viuant, secundo, vt augeantur, tertio, vt fœtum alant, augeantque. at sane non potest tantis seruire necessitatibus, sanguis puellæ annos natæ quatuordecim, aut etiam decem & octo: nam, vt plurimum huius sunt ætatis primiparæ. Vt hasce conditiones facilius assequaris, velim animo concipias, pulli generationem ex ouo, quæ tibi ostendet, quale sit, quod diximus de alimenti defectu, & de capacitate vteri. Habet autem ex Hippocrate in hunc modum. Incumbente Gallina ouum incalescit, & quod in ouo inest, à matre mouetur. Incalescens autem id, quod in ouo est, spiritum habet, & alterum frigidum ab aere per ouum attrahit. ouum enim adeo rarum est, vt spiritum, qui attrahitur, sufficientem ei, quod intus est, transmittat; & augescit volucris in ouo, & coarticulatur modo eodem, & consimili, veluti puer in vtero, nascitur autem ex Luteo oui volucris: alimentum vero, & augmentum habet ex albo: atque hoc iam omnibus manifestum factum est, qui animum aduertant: vbi autem deficit alimentum pullo ex ouo, non habens id sufficiens vnde viuat, fortiter mouetur in ouo vberius alimentum quærens, & pelliculæ circum dirumpũtur, & vbi mater sentit pullum vehementer motum, putamen exculpans ipsum excludit: atque hæc fieri solent in viginti diebus, & manifestum est (inquit Hippocrates) quod ita se habẽt: vbi enim excussa est volucris, nullus humor in oui testis inest, qui sane memorabilis existat, expẽsus est enim in pullum. hæc ille.

tenella

Aliam maturitatis & perfectionis conditionem Galenus addit libro decimoquinto de vsu part. cap. 7. cum ait: Partus autem fit, cum fœtus ita iam est perfectus, vt per os nutriri possit. supponit Galenus fœtum in vtero per vmbilicum nutriri, & recte quidem: an vero ita per vmbilicum fiat huius nutritio, vt nunquam nutrimentum capiat per os, disputatum mihi fuit libro quarto de generatione hominis. Non est autẽ hoc loco prętermittendum, statim animali genito per se alimentum suscipere modo prorsus admirando, cum nunquam antea didicerit. Verum quod ad alia omnia animalia pertinet, alibi explicabitur; Homini quidem natura statim genito parauit alimentum ex eadem matre. Papilla enim mammæ ori infantis indita confestim quidem eam suis labiis constringit, & protinus buccis dilatatis succum attrahet: post autem curuata lingua in fauces propellet, perinde atque si multo ante tempore didicisset. Inde autem stomachus in ventriculum deducit, & ipse veluti edoctus: deinde ventriculus vbi eo est vsus, mittit intestinis, quod sibi est superfluum. Hæc autem sibi deinceps mutuo dispertiunt, vsque ad postremum. sunt hæ potissimæ conditiones partus naturalis: nam quæ alij comminiscuntur de pueri in caput descensu, non pertinent ad partum in genere; sed potius ad naturalem modum parturiendi, de quo, vt de aliis omnibus loquemur infra diligentius. Cæterum quæri solet hoc loco, qui dicatur partus vitalis: quæstionis ratio est, quod nonnulli putant, partum aliquempiam esse naturalem, vti est octimestris, at non esse vitalẽ. Alij contendunt octimestrem non dici partum naturalem, sed abortiuum. Ego autem naturalem partum hisce cõditionibus, quas diximus, insignitum, protinus vitalem existere reputauerim. Quia partus non vitales sunt: non quicunq; à natiuitatis principio statim moriũtur (multi enim alioquin sua natura vitę participes statim moriuntur, aut superueniente morbo, aut ex errore) sed qui propter imbecillitatem in vtero contracta viuere non possunt. Huiusmodi censentur, qui eduntur in

lucem

lucem anteaquam maturi ſunt, vel qui in vtero ſuo tempore conſiſtentes ægrotarunt, ac nondum ſanati foras prodierunt. Non maturi eduntur cum ſit abortus, cuius cauſſa eſt ſanguinis miſſio, ac omnis alimenti ſubtractio, vtcunque contingens fœtus corruptio à veneno, à medicamento purgante, & educẽte menſes, vehemens animi motus, ac id genus alia. Morboſus redditur in vtero fœtus, vel ob malam diſpoſitionem ſeminis, vel ob malum victum vtero gerentis, vel ob particularem diſpoſitionem fœtus. Redditur imbecillior ob vacuationem ſanguinis ex vtero, vt Hippocrates in Aphoriſmis præcipit. Vbi ergo nihil horum contingat, fætus vitalis eſt: de qua re ita loquitur Hippocrates. 10 2. epidem. ſect. 3. aph. 25.

Ὅσοισι μὲν οὐδὲν εἴσω τοῦ τεταγμένου χρόνου ἑκάστοισι τὰ τικτόμενα ἄφορα γίνεται quod eſt:

Quibus nihil intra conſtitutum tempus accidit: iis ſingulis, quæ pariunt, vitalia ſunt. quod etiam repetit 6. epidem ſec. 8. aph. 6. concludens igitur meam in hac re ſententiam dico, partum omnem maturum quantum ſit merito ſui, vitalem exiſtere. Non maturum verò, morboſum imbecillum non eſſe vitalem. ſed ſatis hæc.

CAP. XIII.

Quod Homini certum non ſit naſcendi tempus.

20 NVNC diligenter agamus de tempore. Putat Ioannes Lalamantius in ſuis ad ſecundum de diebus decretoriis Galeni librum commentariis partum naturalem eſſe duntaxat nono menſe editum, alios verò, qui ante fiunt, abortiuos, & qui poſtea, monſtroſos appellat. Ego verò ſum poſt hac oſtenſurus, hunc tota, quod dici ſolet prouerbio, aberraſſe via: cum de partubus poſt nonum menſem tractabo. Hic docebo non eſſe abortiuos ante nonum, imo neque ante ſeptimum genitos. Sed prius exponamus, quid generatim de hac materia ſcribat Ariſtoteles. Eius verba ſic habent, libro ſeptimo de Hiſtoria animalium, capite 4.

30 Sed cum cætera animalia omnia ſingulari, ac ſimplici modo partum ſuum perficiant (vnum enim pariendi tempus ſtatutum omnibus eſt,) Homini vni multiplex datum eſt. nam & ſeptimo menſe, & octauo & nono parere poteſt, & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam vndecimum tangunt. Fœtus, qui maturius, quàm ſeptimo menſe prodeat, nullo pacto vitalis eſt: qui ſeptimo, vitalis quidem hic primus exit: ſed magna ex parte infirmior. hæc Ariſtoteles. Exponemus priorem partem huius dictionis hoc ipſo capite, aliam verò in tractatu de partu ſextimeſtri, & ſeptimeſtri.

Animalia bruta pariendi tempus habent certum: ſolus homo incertum habet. Capra enim, & ouis quinto menſe fœtus edũt. Sus, quarto, Aſina, & equa 40 vndecimo parit, vigeſimaſecunda die vt plurimum, aut vigeſima quod minimum, pullus ex ouo exit, computatione facta à primo die incubationis Gallinę. Canis ſemper quarto menſe. Felis menſe tertio. Elephas anno ſecundo partum edit. Vacca vno anno gerit vterum: atque ſic de reliquis animalibus dicendum eſt. Homo naſcitur aliquando quinto, & ſexto menſe, vt docebimus infra tum Hiſpanorum medicorum authoritate, tum etiam ex propria ſententia. Interdum ſeptimo, & octauo, nonnunquam nono, decimo, aliiſq; deinceps menſibus. Cur verò ſtatutum non ſit pariendi tempus homini, licet ab aliis nondum planè explicatum ſciam, conabor tamen rationem afferre, ſatis, niſi fallor, probabilem. putauerim igitur id contingere triplici de cauſſa, vna ſumitur à fœ- 50 tu, alia à nutrimento, tertia ab vtero. Fœtus enim generatio cum ſit à ſemine, pro huius ipſius conditione varia, redditur fœtus nunc quidem validior, nunc autem imbecillior ex calidiori, & magis vegeto ſemine, robuſtior fit puer, ex frigidiori languidior. Porrò quanto vires habuerit validiores fœtus, tanto citius formatur, & perficitur, & in lucem editur: & contra, quanto fuerint vires illius imbecilliores, & diuturniorem moram in vtero habet: hinc poſtquã forma-

tus est puer, & adauctus ad eam magnitudinem, quam indiuidua illius postulat natura, aliquando citissimè prodit in lucem, aliquando tardissimè, & aliquando mediocri quodã modo sese habet. Iã verò nutrimentũ considerantes cognoscemus hoc etiam ad huius varietatem constituendam plurimum posse. Quæ enim mulieres eusarchæ sunt, & plurimo sanguine abundant, possunt longiori tempore fœtum nutrire in vtero: quæ minus habent sanguinis, breuiori. cuius argumentum est, quod abortus facilè contingit ab inedia. in summa puer non habens in vtero vnde nutriatur, foras prodire coactus est, vt vberius nutrimentum inueniat. Cæterùm vterus, qui iam assuetus est portando oneri, vt accidit mulieribus, quæ plures partus ediderunt, ac etiam, quæ ex natura vteri capacitatem maiorem habent, longiori tempore gestant vtero: quæ angustum habent locum, non possunt, nisi breuiter ab eo pondere sese expedire. fœtus quidem habens spacium, capacitatemque idoneam, in quo maneat, non deficiente illi nutrimento, tamdiu ibi manet, quamdiu potest, ac tandiu potest, quamdiu tota impleatur vteri cauitas, vt supra dicebamus: vbi adauctus ita est puer, vt amplius nequeat contineri, tunc calcitrando cogitur mutare locum. Omnes hasce caussas videtur mihi author libri de natura pueri prosecutus cum ait: Et hoc patiuntur magis mulieres primiparæ: deficit enim pueris alimentum, vt ad decimum vsque mensem sufficere non possit. Deficit autem per hũc modum. Sunt quædam mulieres, quibus sufficientes menses purgantur: quædam quibus pauciores: Hoc ipsum, si semper fiat in natura & genere, maternũ ipsis existit. quæ verò menses paucos demittunt, hæ etiam pueris postremo tempore, vbi iam maturi fuerint, alimentum nimis exhibentes ipsos calcitrare faciunt, vt & ante decimum prodire festinent. Modicus enim sanguis à iuuenculis, ac nouellis matribus procedit: vt plurimum verò contingit tales mulieres etiam sine lacte esse, quæ paucos menses demittunt, sicciores.n. sunt, & densiorem vterum habent. hæc ille. Ex quibus facilè colligere vnusquisque potest, certum non esse homini pariendi tempus, & quam ob caussam contingat.

calcitrare

Cap. XIIII.

An puer sexto mense natus sit vitalis.

Haec generatim de partu. Nunc de singulis partubus acturo exordiri placet à sextimestri duplici de caussa. Primum, quia Matthæus Curtius Medicus certè clarissimus, aliiq; recentiores de hoc argumento tractarunt. Deinde quia olim quæsitum de me fuit, an puer natus die centesimo, & sexagesimo octauo, vel ex aliorum computatione centesimo, & septuagesimo quarto, fuerit vitalis, recordorq; me illustrissimis, & Reuerendissimis Bozzuto, & Rosario S. R. E. Cardinalibus Amplissimis respondisse, vitalem existere. Hoc loco plenius, ac diligentius exponendum, cur ita iudicauerimus. cæterum dilucidioris doctrinæ gratia expedit prius recensere, quid alii sentiant, horum enim reprobatis opinionibus facilius constabit, quid pro veritate in materia tum difficili, tum maxime explicatu necessaria, sit affirmandum. Nouerint omnes casum mihi propositum eundem esse, cum casu, de quo scribit Curtius: nam licet ille de puella quærat nata die centesimo, & septuagesimo primo, ego verò de Puero nato centesimo, & sexagesimo octauo, vel septuagesimo quarto, idem tamen casus est: cum puellus à puella, quo ad hoc attinet, nihil omnino, aut certè parum differat. Mox vero constat ex probatissimorum authorum consensu diem 171. & 168. & 174. contineri in latitudine sexti mensis: de qua re plura supra diximus, ex Hippocrate rationem supputationis docentes in vtero gerentibus: atque licet Medicorum quidam aliud sentiant, tamen eorum opinionem falsam esse parum postea sumus demõstraturi. Quæstionem igitur sic proponamus, an Puer natus 174. vel 168. die sit vitalis.

Cap.

CAP. XV.

Matthæi Curtii opinio.

MATTHAEVS igitur Curtius huic quæstioni respondens duo proponit capita. Primum: Puellam natam die 171. post conceptionem non esse vitalem. Secundum: non potuisse aliquo tempore superuiuere. Probatque ille vtrunque rationibus quibusdam, ac primum eius dictum hoc modo.

10 Hippocrates libro de septimestri partu agens, de primo partu vitali eum septimestrē statuit, qui scilicet natus sit die centesimo,& octuagesimo secundo cum horis duodecim, & quarta diei parte: qui dierum numerus constituit anni solaris medietatem, toto scilicet anno constante ex diebus trecentis sexagintaquinque, & horis sex. Cum itaque hic primus vitalis sit partus, satis, inquit ille, constare poterit vnicuique rem diligentius contemplanti, puellam 171. natam non esse vitalem: cum hic dies distet à primo vitali spatio dierum vndecim, aut duodecim. alioquin sextimestris primus foret vitalis. Quod nullibi dictum ab Hippocrate fuit. Ex hoc eodem contextu colligit computationem fieri debere mensibus solaribus; quod Hippocrates scripserit, medie-20 tatem anni solaris pertingere eiuscemodi partum. Huic ego addo auctoritatē Aristotelis libro septimo de Historia animal. cap. quarto vbi dicit: ante septimum mensem nullum partum fieri vitalem. at hic est ante septimum, de quo agimus, partus, non igitur fuerit vitalis.

Secundo idem ostendere conatur ex Hippocratis libro de alimento. & secundo de morb. vulg. sect. secunda, & alibi passim; quibus in locis vult tria tempora considerari in vtero gerentibus, primum formationis, secundum motus, tertium verò partus. à formatione ad motum duplum spatium adest, ad partum autem, triplum. vt formatus in 30. nascitur in 180. mouetur in sexagesimo. Patet autem hoc modo consistere computationem, ex superioribus 30 discursibus. Sumamus modo tempora formationis ab illo proposita. Sunt tria 35. 40. 45. Hinc motus fiet. Die 70. 80. 90. Partus 210. 240. 270. à quibus parturiendi terminis, quam distet partus dierum 170. omnibus conspicuum est. Ergo siue formata sit puella hæc in vtero die 30. siue 35. siue 40. aut 45. aut etiam, si ita contingat, 50. dubio procul hic partus nec naturalis, nec vitalis esse poterit.

Tertio ad id confirmandum facit, quod fœminæ ex communi omnium medicorum consensu, vt etiam Hippocrates ait, multo tardius formantur, quàm masculi. Horum formatio est die, 30. vel quod plurimum 35. fœminarum, 40. vel etiam 45. ideoque necessarium fuisset extendi partum multo 40 supra 171. diem, vt statuamus hunc vitalem reddi potuisse fœtum. Porro quod viuere ad aliquod temporis spatium non potuerit, hoc modo conatur persuadere. Fœtus, qui secundum naturam editur in lucem, vitalis est. Qui præter naturam abortiuus. Neque enim abortus nuncupatur simpliciter partus, sed cum additione abortiuus, vt homo pictus, aut mortuus homo absolutè non est, nec dicitur: at abortus vitæ particeps esse nequit: quia fœtus ante suam maturitatem ex vtero prosiliens non potest ob imbecillitatem nutriri, quod non nutritur, non viuit. At natus die 171. abortiuus est, quia ante 182. diem in lucem prodiit. ergo viuere aliquo spatio temporis non potuit. Sed posito puellam vixisse, vt dicunt, necessarium est statuere, multò citius fuisse formatam: matrem-50 que impudicitiæ culpandam. Tantam, inquit, certitudinem habemus, natum ante septimum viuere non posse, quantam habemus, magnetem trahere ferrū reubarbarum purgare bilem, & ignem esse calidum. hæc summatim Curtius.

CAP. XVI.

Impugnatio opinionis Curtii.

HAEC opinio maximè suspecta videtur mihi duplici de caussa: primum, quia septimestrem partum admittens, non putat ipsum ante centesimum octogesimum secundum diem vitalem fieri: nos verò sequenti libro demonstrabimus, fœtum 178. 179. & 180. die natum, & septimestrem, & vitalem existere. Secundò, quia cum non vult admittere partum sextimestrem inter vitales partus, in multos meo iudicio incidit errores. 10

Duas in primis contra ipsum dubitationes affero: vna est, sermones medicinales veros esse, vt in pluribus, non autem semper, quamuis absolutè idest citra distinctionem aliquam proponantur, vt Galenus ait admodum frequenter, præsertim verò libro 3. de diebus decretoriis, & sexto Aphorismorum. Sententia igitur Hippocratis libro de septimestri partu, qua contendit, septimestrem habere 182. dies, non ita accipi debet, vt intelligatur semper habere veritatem, ita vt fœtus post 182. diem natus vitalis non sit: aut ante eum diem putet nunquam viuere posse. ergo vt plurimum septimestris partus initiũ sic habet: sed non semper. 20

Secunda dubitatio versatur circa partum sextimestrem. Sumo mihi, primum nec Hippocratem, nec alium quempiam ex antiquis, aut etiam recentioribus rationem aliquam demonstratiuam attulisse in medium, qua persuadeat, natum sexto mense viuere non posse. Secundo Hippocratem prius, quæ ad partum pertinent, dilucidasse, cum ante ipsum nihil exactè scriptum extitisset. Sed ita tamen dilucidauit, vt iecerit semina, ac fundamenta, eaque duntaxat scriptis mandauerit, quæ duce experientia ipse prius nouerat, & ab obstetricibus didicerat. Tertiò Aristotelem in hac materia fuisse diligentiorem Hippocrate. nam hic septimestrem partum esse vitalem nouit, & obseruauit primus octimestrem nullum vitalem esse voluit. Ille autem nouit in octimestrem vitalem in Græcia, in Aegypto, ac in aliis regionibus, in quibus fœcundæ sunt mulieres. Alii mouerunt Romæ, & in Hispania viuere. Alii in aliis prouinciis. Tandem suppono artes ipsas (quod omnium consensu verissimum est) fieri per additamentum, vt in procemio metaphysicæ scribit Aristoteles: atque in iis, quæ solo euentu cognoscuntur, nullam dari certiorem notitiam, quàm quæ ab ipsa ducitur obseruatione. imò prorsus non dari aliam cognoscendi viam. His in hunc modum sese habentibus ita videtur argumentari Curtius: Hippocrates nunquam vidit natum ante septimum mensem viuere. Ergo sextimestris partus nunquam est vitalis Hæc inquam argumentandi ratio captiosa, & fallax est. Quia si non vidit Hippocrates, viderunt alii. Nec vnus potuit omnium singularium habuisse notitiam. scripsit, quorum habuit certitudinem, vel ex se ipso, vel ex relatione obstetricum. Sic alii scribunt, quæ viderunt ipsi, & à fide dignis mulieribus, matronis probatis, optimisque obstetricibus didicerunt Artis munus est (inquit alicubi magnus Hippocrates) ea inuenire posse, quæ hactenus inuenta non sunt. In hunc modum Polybius discipulus Hippocratis referente Plutarcho libro de Philosophorum placitis, septimestrem nouit nasci diebus 18[illegible]. & 181. quod etiam Accursius Iuris Consultus significauit. & ego vitalem obseruaui diebus 178. natum. Videat igitur Curtius, quantas difficultates patiatur eiuscemodi argumentatio. in summa consimilis est ratio illius huic. Galenus nunquam vidit hominem lue venerea obsessum, aut pestilenti febre sudorifica, aut alio eiusmodi morbo incognito antiquis: ergo eiuscemodi morbus in rerum natura admittendus non est. 30 40 50

Vidit

Vidit Matthæus Curtius inextricabiles hosce nodos,ac dissoluere conatus est: propterea ille primæ difficultati hoc modo respondet. Sermones aut sunt aphoristici, aut non sunt aphoristici. Illi quidem, non sunt semper veri, sed pro maiore parte: at verò idem fieri de aliis iudicium non debet, qui non sunt aphoristicè scripti ab Hppocrate, sed longiori quodam sermone, atque, vt Ganus aliquando scripsit Dioxedicè. Porrò diuersus hic scribendi modus rem ipsam non variat: non enim res vera, aut falsa est, quod hoc aut illo modo scribatur, sed contrario modo res habet. Vera enim, & falsa oratio est, ex eo quod res est, aut non est, inquit Aristoteles. Quod, vt plurimum, aut
10 semper verum existit, semper tale fuerit quomodocunque scribatur. Accedo ad sermones medicinales. Hi sunt vt plurimum veri, siue in scribendi genere aphoristico, & laconico: siue fuso, & attico. ideoque libro de diebus decretoriis, in methodo medendi, libris de locis affectis, ac etiam alibi Galenus idem scripsit, in quibus certo certius est, aphoristicè non scripsisse. Ad rhombum. ait Hippocrates, septimestrem partum habere 182. dies, & horas quindecim, idest medietatem anni solaris. non propterea negauit ante id spatium posse viuere septimestrem: aut etiam sexto mense natum. Cæterum hic addit Curtius. Subiunxit Hippocrates, quod licet nati mense septimo viuere possint, vt plurimum tamen moriuntur, idem dicere debuisset de natis ante septimum mensem: si a-
20 liqui naticitius septimo mẽse viuere possent. Hæc ille. quæ nihil persuadent cõtra nostram sententiam. Concedo Hippocratem solum meminisse dierum, 182. & horarum 15. prætermisisse partus priores: non tanquam impossibiles, sed tanquam incognitos illi. Sum tamen ostensurus & fortassis demonstraturus (quantum subiecta patitur materia) ex iis seminibus, quæ de partu posuit Hippocrates, sextimestrem omnino admittendum.

Pro euitanda secunda difficultate respondet Curtius: In Philosophia, & medicina esse multa quæ solo experimento sciri possunt, nec ratione demonstratiua probari valent: vt quod omne reubarbarum bilem attrahat: magnes ferrum, quodque ignis calidus existat. Hæc. n. scita sunt. Sed non alia via, quàm quod
30 semper ita vidimus, & experti sumus. Nemo enim aliquando vidit ignem frigidum: nec reubarbarum non habere vim attrahendi bilem: nec magnetem, qui non attrahat ferrum. Non enim ratione probare valemus hæc ipsa, sed solo sensu, & experimento concludimus ita sese habere. Quod de morbo Gallico dicitur nihil ad rem facit, quia in iis, quæ accidentaliter fiunt, vt morbi, & ab arte apertè concludimus aliquid de nouo fieri posse, & videri, quod nunquam factum sit, & nunquam visum. Quis enim dubitat monstrum fieri posse, quod nunquam fuit? Et medicinam aliquam compositam ex variis simplicibus fieri, quæ nunquam fuit. Quoniam tales compositiones infinitis modis variari possunt. secus autem dicendum in rebus, quæ fiunt à natura. Si vnquam
40 dari posset ignis non calidus, aliquando talis visus esset: & si dari posset magnes sine virtute attractiua ferri, aliquando id experientia deprehendere licuisset. Pari modo si fieri posset naturaliter, vt natus citius septimo mense viueret: iam quandoque istud experientia cognitum fuisset Propositio namque vniuersalis inductiuè in omnibus singularibus, cuius oppositum non valet intellectus ratione concludere, pro principio certissimo tenenda est. hæc ille in tractatione de partu. Quæ si benè considero, nondum videntur mihi satisfacere difficultati propositæ. Quæstio enim instituta est, non quidem an Hippocrates, vel alius quispiam sextimestrem aliquando vitalem nouerit.: Sed an repugnet naturæ partum huius esse vitalem. Hæc longè differunt in-
50 ter se, non tamen ita, vt opposita sint: nam inuicem possunt consistere. Quandoquidem vitalis partus esse potest, Hippocrati, aut aliis incognitus. Non enim, vt parum supra dicebam, ex eo, quod aut cognitum, aut incognitum sit aliquid, res vera, aut falsa est: sed contra ex eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera aut falsa. Accedamus ad rem. si partus, inquit,

ſextimeſtris vitalis eſſet, cognitum aliquando fuiſſet. atqui nunquam fuit. In hoc poſtremo deceptio eſt. poteſt incognitum longiſſimo tempore aliquidpiam manere, quod aliquando tamen diligentiori adhibita conſideratione poterit innoteſcere. Fuit certè incognitum Hippocrati, fuit Galeno, fuit Ariſtoteli. at quid tum poſtea? non potuit ab aliis cognoſci vitalis? meræ ſunt nugæ. Argumentum de lue uenerea maximè vrget. Sic. n. dico. Socrates, aut alius medicus haud nouit luem veneream. ex hoc perperam concluditur: non eſt igitur lues venerea. ita res habet in propoſito caſu. Partus ſextimeſtris ſemper fuit aliquando vitalis. at non ſemper cognitus vitalis: antiqui primum vitalem conſtituerunt ſeptimeſtrem. Recentiores illis diligentiores conſtituunt ſextimeſtrem. Cum igitur Curtius dicit: Si partus citius ſeptimo menſe viueret, iam quandoque illud experientia cognitum fuiſſet. Dico hoc non eſſe neceſſarium. quia ad hanc vſque diem, quædam permanent incognita, quæ poſtea cognoſcentur. Sed concedamus hoc illi. Quid tum ſequetur? incognitum fuit antiquis, incognitum fuit ipſi Curtio, an propterea incognitum erit recentioribus, ac poſteris? an quod ignorauit Curtius, ignorabunt alii? Ego certè admitto, atque profiteor, mihi fuiſſe experientia cognitum, puerum ſexto menſe natum vitæ ſuperſtitem poſſe euadere. Interim explicet mihi Curtius, cur ſit impoſſibile, natum 170. die fore vitalem: ſit verò poſſibile, natum 178. ac aliis deinceps vſque ad 182. quam ille de hoc poſtremo partu rationem afferet, eandem ego partui ſextimeſtri accommodabo. Si enim cum Hippocrate ſtatuat, partum ſeptimeſtrem ideo eſſe vitalem, quod fœtus adauctus in vtero amplius ob eius paruitatem diſtendi non poſſit, aut quod deficiat illi nutrimentum: cur idem contingere non poſſit nato in fine ſexti menſis non video. Poſtremò confirmant opinionem meam, quæ ſcribit Hippocrates de octimeſtri partu. ſic enim ait: octimeſtris partus nullus unquam vixit. quæ ſententia intelligenda eſt, non quidem abſolutè, ſed quatenus ipſe obſeruauit, & nouerit obſtetricum relatione. Ariſtoteles autem lib. 7. de animal. Hiſtoria, cap. 4 maiorem de hominis partu habuit experientiam, propterea addit viuere octimeſtres in Ægypto, ac in aliis regionibus, in quibus mulieres fœcundæ ſunt. idem etiam Ariſtotele poſteriores obſeruarunt, vt in tractatione de octimeſtri partu planum fiet. Ergo ſi antiquiores dixerunt, non viuere puerum natum ante ſeptimum menſem, intelligi debet, quantum illi cognouerunt. quia eiuſcemodi notitia, vt rectè Curtius inquit, ex ſolo pendet experimento, non ex ratione.

Nunc verò reprobata illius concluſione perpendamus media, quibus concluſionem nititur confirmare. Primæ rationi ſumptæ ex contextu Hippocratis libro de ſeptimeſtri partu, reſpondent quidam natum 171. die ſeptimeſtrem eſſe. principium verò ſeptimi menſis eſſe diem 162. at 171. vix primam eius menſis excedere ſeptimanam. Terminum verò dici ab Hippocrate 182. ſed quia falſam eſſe hanc opinionem demonſtrabimus parum poſtea: noſtraue diſputatio non controuertitur circa ſeptimeſtrem partum, ſed ſextimeſtrem, alio modo reſpondendum eſt, ſupponendo partum 168. aut 171. aut 174. contineri in latitudine ſexti menſis lunaris: huncque finiri die 178. Dico itaque ex hoc contextu nihil aliud deduci, quàm quod ſeptimeſtris viuere poſſit natus die 182. quodque Hippocrates nullam habuerit experientiam natum ſexto menſe puerum viuere poſſe. Hæc ego admitto libenter, quæ tamen non cogunt, vt à numero vitalium fœtuum ſextimeſtrem debeamus remouere. Neq; hic admittenda eſt Curtii ſententia, qui putat, computationem fieri debere menſibus ſolaribus, quod Hippocrates dimidietatis anni ſolaris meminerit. quemadmodum quandoquidem computatio Hippocratica eſt menſium lunarium, quemadmodum ex ipſius verbis, ſupra explanatis, manifeſtiſſimum eſt. Neque Hippocrates dicit medietatem anni in cauſſa eſſe, vt ſeptimeſtris uiuat: experientia enim demonſtrat viuere ante medietatem, vt 180. die viuere poſt medietatem

etatem, vt 184.190.&204.& 205. die, idque fuit à Galeno partim explanatum, partim ab aliis experientia cognitum: sed solum ait: natum 182. die & horis 15. medietatem anni solaris complecti. Porrò septimestris primus vitalis est secundum Hippocratem, non autem primus secundum rei naturam, & veritatem. imo ex eius sententia primus terminus est dies 182. at secundum Polybium eius discipulum primus est dies 180. Noscat ex his Curtius, quam fidendum huic loco sit.

Quod attinet ad secundam eius rationem sumptam à proportione, eam ego libentissimè recipio, vt puta qui ex hac ipsa loco suo sum illi ostensu-
10 rus, natum sexto mense aliquando vitalem fore. ad autoritatem Hippocratis libro de alimento, qui primum terminum formationis efficere videtur diem 35. facilis responsio est. ibi enim Hippocrates ex aliorum opinione loquitur, vt eius indicant verba. ait enim: Alii 35. alii 40. alii 55. alii 50. quæ verba manifestissimè indicant de proportione loqui secundum aliorum sententiam: colligitur prætererea ex libro de natura pueri, in quo de formatione agens citra proportionem dixit triginta diebus formatum esse masculum, hocque vt plurimum: fœminam quadraginta. Quod etiam Auicenna confirmauit de quo loquemur infra. Admitto igitur terminos formationis libro de alimento propositos, & proportionem. at illis terminis addo 30. diem, &
20 nonnunquam 27. 28. 29. & post trigesimum intermedios omnes: in quibus, si quispiam diceret non esse formatum fœtum aliquando, toto cœlo aberraret.

Tertia ratio longè maiorem euidentiam habet, quia vt libris de generatione hominis demonstratum est mihi, ex Hippocratis, Galeni, aliorumque medicorum opinione, fœmina tardius formatur masculo. Sed tamen hoc non est audiendum, vt semper, sed, vt plurimum. ex mulieribus quædam citius formantur quibusdam masculis, vt quæ solo sexu differunt ab illis, in reliquis non masculorum actiones habent: hæ vocantur antiquis viragines: quas nihil omnino prohibet fuisse formatas 28. die, vt proximè di-
30 cebamus. Certè in casu mihi proposito huius mulieris non vrget ratio, quia mascula fuit proles: quam si formatam concedemus die 28. conficiemus nasci posse sexto mense iam exacto, vt docebimus in propria de septimestri partu tractatione.

Cæterum maximè admirandum est, quod partum sextimestrem dicat Curtius nullo tempore viuere posse: nam, vt octimestris puer viuit aliquo tempore, quemadmodum docet experientia, cur aliquo tempore non poterit viuere sextimestris? Partus abortiuus non viuit, inquiet Curtius, id fateor. At vero abortiuum non semper appello partum sextimestrem. Qui decimo, aut nono mense suam adipisci debet perfectionem, si nascatur
40 sexto, erit vtique abortiuus: at si perfectus erit in fine sexti, eo ipso natus mense nunquam profectò vocabitur partus abortiuus. Hæc contra Curtium.

Cap. XVII.

Moderni cuiusdam opinio de Partu dierum 163. vsque ad 182. diem.

Aggredior nunc ad explanandam, ac reprobandam opinionem Neoterici cuiusdam, qui libro contradicentium Medicorum hoc argumentum
50 pertractans, postquam varia proposuit principia, putauit partum 171. editum septenarium esse: vult enim principium septimi mensis incipere die 163. ab hoc vsque ad 182. nasci septimestrem partum: hunc perfectissimum existere ex septimestribus, eius præsertim, qui in primis quindecim diebus suæ generationis coniunctionem Lunæ, & oppositionem habuit. Anteaquam opinionis huius ab-

ſurditatem demonſtrem, afferre in medium volo eius verba: quæ habent in hunc modum. His cognitis (inquit) ſeptimeſtres vitales ſunt ratione menſium à 163. die ſupra patet. quia ſex exegerunt Lunares menſes, & ſeptimum ſunt ingreſſi. quod ſi voluiſſet tantum natos 182. eſſe ſeptimeſtres, & vitales: debuerat computare ſex menſes Lunares completos, qui ſunt 177. dies ſolum. & ſic ad dimidium anni ſupererant etiam dies quinque: & ideo natus in dimidio anni dicetur ſeptimeſtris, tam hoc modo, quàm primo. vult igitur clare quod natus 163. die ſit ſeptimeſtris. Nec poteſt dicere, quid velit, vt expleuerit dimidium anni, & ſex menſes. nam ſic poterat computare menſes integros: nam vt dictum eſt, vtroque modo æqualiter natus in dimidio anni ſeptimeſtris eſt. Nec potes dicere, quod ex hac computatione prima dando dimidium primi menſis pro menſe, in viginti diebus reliquis, qui ſuperſunt ad anni dimidium neceſſario cadat coniunctio, vel oppoſitio alia Solis, & lunæ. vt ſic ſint ſeptem menſes completi: qui non eſſent completi ex ſecunda computatione dando ſex menſibus dies 177. nam poſſet accidere, quod in quinque ſuccedentibus diebus nulla fieret coniunctio, vel oppſitio Solis, ac Lunæ: & ſic non compleretur, vel ſaltem non adderetur dimidium ſeptimi menſis, quod neceſſario euenit in prima ſupputatione dierum 162. Nam ſi propter hoc dixiſſet, erat initium perfectionis 178. dies, non 182. quia quando 162. diebus ſex oppoſitiones & totidem coniunctiones, in ſedecim diebus ſequentibus quomodocunque acceptis neceſſario eſt vna coniunctio, vel oppoſitio: igitur in 178. erit abſolutus ſeptimus menſis, non in 182. ſolum. feciſſet etiam Hippocrates mentionem perfectionis ſeptimi menſis, cuius non meminit: imò videtur vti menſibus incompletis, & quod plus eſt, non adducit aliquid coniectari illum conſideraſſe, quod dies viginti, qui ſuperſunt ex ſeptimo, ſint plus dimidio menſis lunaris. hæc ibi. ac parum poſtea dubitans, inquit: Quod ſi dicas, cur igitur ſi dies 183. vitalis eſt, quia ſeptimi menſis initium, qui meminit dimidii anni? At hoc reſpondeo. Quod vt 163. dies eſt primus vitalis in ſeptimeſtri, ſic 182. eſt perfectiſſimi ſpatii ſeptimeſtris terminus, illius nato, qui in primis quindecim diebus ſuæ generationis coniũctionem luminarium, & oppoſitionem habuit. Ex hoc patet, quod verba Plinii corrupta ſunt, & ſic debent legi. Ante ſeptimum menſem haud vnquam vitalis eſt: in dimidio autem anni non niſi pridie poſtero in plenilunii die, aut interlunii concepti naſcuntur. Quis non videt hanc eſſe exquiſitam Hippocratis ſententiam? Ex his verbis colligere vnuſquiſque poteſt, quid ille ſentiret de partu dierum 168. vel 174. nam ſi ex illius opinione finis ſexti menſis eſt dies 162. principium ſeptimi erit dies 163. & 182. propè finem exiſtens menſis complectitur ſummam perfectionem partus ſeptimeſtris. natus igitur in 168. vſque ad 174. erit ſeptimeſtris. Quia verò noſcebat legem Vlpiani ſuam opinionem reprobare: hiſce verbis eam interpretatur.

Lex autem 182. diem pro initio termini vitalium ſumpſit eorum, quos Plinius ſequutus eſt in interpretatione decepta. Vel dic. quod verius, legem ſemper eſſe de iis, quæ frequentius accidunt. at eorum qui ante diem 182. & poſt 163. naſcuntur, etſi vitales exiſtant, maior tamen pars moritur: ea cauſſa, quod vix vllis accidat illorum, vt plenilunio, vel interlunio concepti ſint. Quare cum in quindecim diebus quatuor tantum ſint vitales, & qui perfectionem ſeptimi mẽſis præſtare poſſint: vndecim autem non vitales, & in quibus non contigit ſextum menſem totum expleri: ob id lex ſic ſanxit. Vt enim recte Tacitus ſub Caſſii perſona dicit. In omni lege neceſſarium eſt, vt aliquibus iniuria fiat, & inſontes pro ſontibus habeantur: Sed lege ipſi ſufficit, vt multitudini ipſi benè conſulatur. Si quis tamen natus intra 182. diem ſex plenilunia, & totidem nouilunia obtinuerit, quod in 163. die etiam accidere poteſt: hic ſeptimeſtris eſt, & vitam licet non facile aſſequi poterit. Hæc ille, qui etiam plura addit contradictione octaua libri primi contradicentium tractatu quarto: quæ à me conſulto prætermit-

termittuntur, quia non pertinent ad institutam de sextimestri partu disputationem, & quia summa opinionis hominis huius in superioribus comprehensa est.

Cap. XVIII.

Impugnatio opinionis eiusdem.

HIc ego circa veritatem opinionis huius dubitabo, atque nisi meum me fallit iudicium, non multo negotio sum ostensurus, neque Hippocratis, neque Galeni, neque recentiorum, aut antiquorum doctrinis esse consonam. ac pri-10 mum exordior ab Hippocrate, qui libro de septimestri partu apertissimè hanc sententiam refellit.

Hic igitur septimestrem partum anni medietatem continere statuit: petierim de qua medietate intelligat, an scilicet anni solaris, an lunaris. Si solaris dixerit, hæc medietas habet dies 182. & horas quindecim: at vero à 163. die usque ad eum terminum, partus continere non potest anni medietatem distans plus minus spatio dierum viginti. Si lunarem annum intelligit, hic ex mensibus consecutionis suam medietatem habet die 177. nam annus constituitur ex diebus 354. ex vtraque igitur computatione falsum est, partum dierum 163. esse septimestrem. At dicet, sese intelligere mensem lunarem peragrationis constan-20 tem ex diebus 27. sic enim spatium sex mensium constituit dies 162. Verùm hoc non conuenit, quandoquidem apud Galenum, Hippocratem, ac alios, mẽsis pro spatio sumitur dierum 29. & horis 12. in pueritione partus, vt parum postea demonstrabimus ex eiusdem auctoris sententia, licet in priori parte huius tractationis de iis ipsis abundè egerimus.

Secundo ex opinione hac sequitur, Hippocratem non cognouisse hunc partum septimestrem, quem exordiri vult a die 163. Sed omnium consensu constat, illum primum extitisse, qui partum septimestrem admiserit. Duæ enim inueniuntur computandi rationes Hippocrati attributæ, vna, quæ fit ex mensibus solaribus, & exactis vulgi consuetudine, secundum quam putationem septi-30 mestris partus complectetur dies 210. Alia verò fit mensibus lunaribus græcorum consuetudine, constantibus, vt iam docui ex diebus 29. & horis duodecim. Hanc libro de septimestri partu Hippocratem fuisse sequutum, declaratum supra fuit. Vtramque si recipere voluerit ipse computandi rationem, nunquam conficiet partum dierum 163. dici debere septimestrem. Nam à priori desunt dies 57. à posteriori 54. parum plus aut minus. Si nõ plenos audiat menses, principium septimi mensis ex vna putatione est dies 181. ex altera verò dies 177. Neque inuenire aliquod subterfugium potest: quia de ratione computãdi menses ex consuetudine Hippocratis ita ad verbum scribit.

Hoc genere vsus est, quicunque dixit, septem menses dies continere 210. 40 vulgi consuetudini potius, quam exactæ supputationi subscribentes: cum, vt dictum est, septem menses sint dies 206. cum dimidio: non 210. nam in fœtuum gestatione nunquam mensibus solaribus vsus est Hippocrates.

Et parum supra agens de mensibus dixerat.

Mensis est paulò maior diebus 29. cum dimidio. Hoc genere mensis vtitur Hippocrates libro de partu septimestri.

Statuamus itaque cum eo, Hippocratem computationem facere mensium lunarium, & græcorum more constantium diebus 29. & horis 12. Certissimum quidem hinc fiet, septimestrem partum nunquam fere nuncupandum ante diem 177.

50 Neque valet, quod sibi confingit ex verbis Hippocratis cum dicat, si quindecim primi mensis diebus concipiat mulier: iisque addantur postea dies 147. ex toto resultabunt dies 162. quasi quod hic sit terminus sexti mensis, & principium septimi: quia ex eiusdem sententia sexti mensis finis est dies 176. & principium septimi dies 177. & semper Hippocrates vsus est hac putandi

putatione

ratione, & hisce mensibus. Deinde Hippocrates ea verba addit, vt suam hanc Thesim probaret ex computatione.

Qui septimestres nascuntur centum octuaginta duobus diebus accedente particula id substinent.

In verbis proximè sequentibus vult docere, quomodo id contingat: summa verò demõstrationis consistit. si mulier 15. primis diebus concipiat, mox non intercedant 149. dies, vtique desunt ad summam 182. dies 20. ex quo fiet, partum septimestrem inchoatum habere primum mensem, & vltimum: nam de primo quindecim, de vltimo 20. capit dies. hæc certè ex communi omnium explanatorum sententia, est demõstratio Hippocratica, non quam bonus hic vir sibi confingit. Si quæsierit quispiam, cur mensibus plenis exactisque non computauerit: dicerem id factum, vt etiam supra dictum fuit, quia volebat ostendere falsam esse opinionem vulgarium contendentium, tum menses solares accipiendos, tum plenos, ac exactos in gestatione fœtus: ille autem hac putatione neutrum esse necessarium docet: non primum, quia menses quinq; asserit complecti dies 147. ac rursus: duos menses habere dies 59. Non secundum: quia primi mensis quindecim sumit dies, vltimi autem viginti. Sed hæc sequenti libro longè diligentius explicabuntur.

Tertio in eo etiam est error: quod putet partum dierum 182. continere vltimam, summamque perfectionem. id enim ex Hippocrate concedi non potest: vtique est verissimum diem 182. esse principium septimestris, vt Hippocrates opinatur, sed contra falsissimum est, esse vltimum ac perfectissimum diem. Vltimus enim terminus diem complectitur 206. Galenusque commemorat sese vidisse partum septimestrem dierum 204. atque ita statuendum secundum Hippocratis decreta certò certius est. Porrò ex eiusdem auctoris sententia sumentis menses dierum 27. septimi finis erit dies centum & nonaginta: in quo ratio ipsa persuadet fœtum existere in ea specie perfectiorem: quo enim diutius puer bene sese habens in vtero moratur, eo magis perficitur; atqui editus die 190. magis moratus est in vtero, quam editus die 163. vel 182. longè igitur perfectior est.

Quartò Hippocratis verba manifestè admodum redarguunt hunc vnum. Nam statim, atque computationem posuit, de qua supra diximus, hæc subdit: Cum enim ad hoc perfectionis principium partus peruenerit, maturescenti fœtu & robore multum augescenti, perfectius, quam in aliis temporibus, pelliculæ, in quibus à principio sunt connutriti, a fortissimis, & maximis embryonibus violantur, atque corrumpuntur, partusque edere coguntur. hæc ille. ex quibus colligendum est, diem 183. non esse vltimum diem septimestris partus, sed duntaxat principium perfectionis ipsius.

Quintò idem colligendum est ex eodem Hippocrate, qui septimo mense natũ esse dicit in quinta quadragenaria: est autem quadragenaria hæc à 160. die vsq; ad ducentesimum. Porrò nemo ambigit, quin quadragenariæ huius tota latitudo contineatur in partu septimestri: sed solum à 183. die vsque ad 300. vt ex Galeni commentario constat: ea verò pars, quæ antecedit 183. diem vsque ad 160. ex eiusdem decreto septimestrem non respicit partum, sed magis sextimestrem.

Sexto. Pars mensis in computando non est sumenda pro toto mense, nisi in vltimo, in quo absoluto iam fœtu, & omnibus partibus perfecto, quacunque die mensis prodierit in lucem, in eo mense natus dicetur. At in primo mense res non habet hoc modo. nam pars mensis non sumitur pro toto mense, sed pro ea portione, quæ post conceptionem restat: si enim conceptio facta fuerit vigesima mensis, in computatione sumi debent dies decem, non plures. sic de aliis dicendum diebus: atque hoc modo tota fieri debet cõputatio dierum.

Hippocratis exemplum manifestissimum est: quandoquidem sumit ille in putatione dies mensis quindecim, non triginta: ac iis addens 147. dies pro spatio integro & pleno mensium quinque, concludit postea fœtum absolutum esse post 40. diem integrantem scilicet totam summam dierum 183. ac licet fœtus de septimo mense non cœperit, nisi dies quinque & horas quindecim, tamen pro toto sumitur septimo: cum sit vitalis perinde, atque si decem, aut quindecim, aut viginti, aut etiam totum mensem sumpserit. quæ res quotidiana experientia manifestum facit, quia in singulis partibus accidit, nasci posse puerum in principio, & in medio, & in fine mensis septimi, noni, 10 decimi. Ex his colligo, fieri computationem debere à conceptionis die, quacunque contigerit, vsque ad vltimum computando dies 49. & horas 13. pro quolibet mense. Sed quia satis videor demostrasse hanc opinionem non esse conformem Hippocratis doctrinæ, nunc doceo breuiter contrariari eandem doctrinæ Galeni.

Hic igitur in fragmento commentarii libri de septimestri partu, hæc habet verba: Plerasque igitur intra medium terminum centum nonaginta, & ducentorum dierum gestasse fœtum deprehendi, celerius, aut tardius paucas. ante centesimum, & octuagesimum secundum diem, & quindecim horas, vel post quartum supra ducentesimum nullas, vt septimestris par-20 tus editionis primus terminus esse dimidii anni tempus reperiatur. quippe cum nulla citra hoc omnes vltra parere conspiciantur. Quod sanè tempus centesimo & octogesimo secundo post conceptum die & quindecim horis expletur. Vnam solam mulierem noui, quæ centesimo octogesimo quarto exacto, atque expleto partum edidit. hæc ibi. Quæ ita sunt doctrinæ huius opposita, vt nihil magis. Nam Galenus plerasque obseruauit gestasse fœtum inter nonagesimum, & ducentesimum. Hic autem vir vult 182. diem vltimum esse & perfectissimum terminum septimestris partus. Galenus ante centesimum octogesimum secundum diem, & horas quindecim, nullas edidisse fœtum nouit. Hic verò 163. nasci vitalem septimestrem voluit, Galen. partum dimidio 30 anno solari factum vult primum esse terminum septimestris: Hic verò vltimum. Nunc perlustremus alia Galeni verba; ac primum, quæ docent rationem computandi. Ea sic habent.

Atque idcirco quinque integros esse menses, qui inter primum & septimum medii intercedunt: deficientes autem duos primum, ac septimum, qui tamen non ita deficiant, vt amplior eis, quàm dimidia pars desit. conferamus hæc inuicem, cum iis quæ ille scribit. Primus terminus septimestris est dies 163. at si ita res habet, non sunt duo menses imperfecti, vt esse debere illos ex Hippocratica supputatione, Galenus docet: Quia de mense septimo vnus 40 duntaxat sumitur dies, dando scilicet, vt declarauimus, singulis mensibus dies 27. vt Galenus dicit. Qui tamen non ita deficiant, vt amplior eis, quàm dimidia pars desit. Rursus, quæ sequuntur verba, eius viri dogma subuertit. Atque ita omnium dierum numerus 182. dierum, & dimidii, & partis insuper cuiusdam diei vnius erit. sicut igitur, neque citius præscripto hoc termino: sic neneque tardius 204. diebus, nasci, qui ita conceptus fœtus est, potest. ergo non nascitur citius diebus 182. septimestris nullus erit editus à 162. vsque ad 182. præterea si septimestris est natus die quarto supra ducentesimum, certè non erit septimestris natus die 163. nam finis septimi est dies 190. vel etiam 189. distat igitur 204. natus à septimestri Cardani spatio dierum quindecim.

50 Postremò iis addo rationem Galeni, qua explanat sententiam Hippocratis de anni medietate. Voluit partum septimestrem complecti medietatem anni. Galenus inquit intelligendum esse annum solarem, constantem diebus 365. huius enim medietatem esse dies 182. & horas quindecim, si namque medietatem anni ex græcorum consuetudine fuerimus dimetiti, ante id spatium

ab Hippocrate propositum nascetur partus septimestris. Consuetudo græcorum fuit, vt demostratum mihi fuit in principio tractationis huius, sumere menses pro spatio dierum 29. & horarum 12. sex igitur menses hoc modo computati dies constituunt 177. sicque vitalis poterit esse fœtus continens menses sex exactos & plenos lunares, quod ille probat hac ratione.

Conceptio facta sit die decimasexta primi mensis, addamus his dies 147. cum dimidio, quinque mensium intermediorum: mox vero ait: adiiciantur iis alii sedecim dies vltimi mensis, resultabit summa dierum 179. & horæ 12. quod spatium anticipat anni medietatem solaris, & non adæquat anni lunaris medietatem. Nos verò vt anni lunaris consuetudine græcorum medietatem 10 adæquet, ita statuamus. Fiat conceptio decimanona primi mensis: atque ita in supputationem trahantur dies vndecim. Addantur postea pleni menses quinque, nempe dies 147. & horæ 12. ad medietatem anni lunaris non supersunt amplius, quam dies 18. horæ 12. ex iis resultant dies 177. qui complent anni medietatem, est enim totus hic annus dierum, 354. Hanc tamen computandi ratione dicit Galenus non fuisse ab Hippocrate propositam: quia neque minori tempore, quàm dimidio anno solari fieri septimestrem partum fœcũdum vult. Neque in minori, quàm dimidio mensis spatio, vel primi, vel septimi gestare vterum mulierem censet, si perfectus oriturus infans sit. præstat hic afferre 20 Galeni verba, ne aliqua contingat dubitatio. & in hunc modum habent:

Nam quantum etiam ad græcanicos menses attinet, in minori tempore, quàm dimidio anno oriri septimestris infans posset. Hoc enim ostendam, cum ante dimidiũ anni, hoc est ante 182. dies & quindecim horas, vel circiter nasci fœcundus partus vllo modo nequeat: in græcanicis mensibus ante dimidium anni posset. Animum enim aduerte. si sexdecim diebus primi mensis fœtum gestauerit mulier, & post quinque menses medios, sexdecim aliis peperit, vniversum tempus 179. dierum & dimidii erit. Sed, sicut dixi, neque in minori tempore, quam dimidio anno septimestrem partum fieri fœcundum vult: neque in minori, quam dimidii mensis spatio vel primi, vel septimi gestare vterum 30 mulierem censet, si perfectus oriturus infans sit. hæc Galenus. quæ quantum distent à sententia hominis huius, adeo manifestum est, vt nulla indigeat explanatione.

Cæterùm opinionem eiusdem circa interpretationes legis ab ipso Vlpiano I. C. latæ, non benè consistere, & non recipi à Iuris consultis, est, meo meo iudicio, apertissimum. Pluribus non est agendum, vt hanc opinionem arguam: rationes enim, quibus ille vtitur, in superioribus satis diligenter dissolutæ sunt.

CAP. XIX. 40

Iurisconsulti cuiusdam Maceratensis opinio de partu dierum 131.

DE partu cuiusdam mulieris postremis hisce diebus scripsit iurisconsultus quidam Maceratensis libro cui titulum fecit: Responsum ad defensam humani partus dierum 171. Hoc loco, huius opinio non fuit prætermittenda, tum quia ille mihi sæpè dixit, tum eius nomine amici significarunt communes, me rem gratissimam facturum, si quid de eiuscemodi responso sentirem, liberè, pro mea alioquin cõsuetudine, explicarem. Satisfacturus igitur vtrisque prius summam opinionis illius afferam, mox dicam, quæ mea sententia sit.

Hic igitur opinionem, quam superiori capite reprobauimus imitatus, arbi- 50 tratur computationem in vtero gerentibus fieri debere ex lunaribus mensibus, constantibus vigintinouẽ diebus cum dimidio: & hanc cõputandi rationem Hippoaratem fuisse insequutum libro de septimestri partu, non solum ex communi Medicorum consensu, sed etiam accommodatis rationibus ostendit. Primùm, quia consuetudo erat apud græcos, mensem, & annum lunarem intelligere

gere, neque debebat græcus author ab hac opinione discedere. Deinde ex iis temporibus, quibus viguit Hippocrates idem confirmat. fuit enim in humanis octogesimo Olympiadis anno primo, ideoque non potuit anni putationem à C. Cæsare institutam sequi. Postremò verba ipsius statim in principio libri de septimestri partu id apertissimum faciunt: nam quinque menses ait continere dies 147. cum dimidio, & duos menses habere dies 59. hæc quidem ille optima ratione cum Medicis affert. Quæ verò addit, postea sunt ab illorum decretis, & à ratione, aliena.

Addit enim diem 163. primum esse mensis septimi: idque declarat eadem 10 probatione, qua vsi sunt alii, ex verbis Hippocratis: Si namque 15. diebus primi mensis addiderimus dies 147. quinque subsequentes, resultabit summa dierum 162. qui dies vltimus est sexti: ideoque septimi primus meritò existimabitur dies 163. Estque in eadem cum illis hæresi, quando dicit diem 182. vltimum esse terminum, & perfectissimum septimestris partus. Sic ille interrogat. Si sex menses lunares pleni requiruntur ad septimestrem, finis mensis sexti est dies 177. erit igitur vitalis natus 178. cur Hippocrates hunc prætermisit? Amplius docuit dupliciter ex operatione luminarium secundum Hippocratem sex terminari posse menses: aut diebus 162. cum dimidio: aut 167. cum dimidio. Quia, si in dictis primis quindecim diebus eueniat, vt fiat coniunctio solis, ac 20 lunæ, & oppositio, quæ fieri potest dicto spatio, terminus erit 162. dies. Sed si non in primis quindecim diebus dicti effectus luminarium eueniant, sed in vltimis viginti diebus primi mensis: quod tunc accipiantur pro primo mēse integro dicti viginti dies, & iungantur diebus 147. cum dimidio, fiet numerus dierū 167. & horis 12. eritq; terminus sexti mensis. Quoniā verò dixerat Hippocrates: His igitur sic sese habētibus ad septimū mēsem subsunt non plures, quā viginti dies, ex quibus fortè videbitur pro septimo mense currere viginti dies. Respondet rē in alium habere modum. quod sequeretur in Hippocrate maxima absurditas, & contradictio. Nam frustra Hippocrates modum dedisset, vt pro primo mense viginti dies accipi possent: imo id fuisset ridiculum docere, quoniam si essent 30 necessarii pro septimo mense dies viginti, qui complent numerum dierum 182. & horarum 12. cum aliqua parte: nunquam daretur casus, vt primus mensis nō esset integer dierum 29. & horarum 12. sicut alii quinque medii: imò fieret numerus integer ex mensibus solaribus: nam dies triginta multiplicati per sex prodeunt in dies 180. qui sunt sex menses: & semper remanerent duo dies pro septimo: ad quid ergo Hippocrates docuisset prefatos quindecim dies numerari posse pro integro mense primo?

Respondet præterea authoritati Hippocratis alio modo, putans per errorem translationis (ita enim ille loquitur) numerasse dies 182. quia cum prius lo- 40 cutus fuisset de mensibus lunaribus, ne sequatur error, aut contradictio, aut mutatio voluntatis, de eisdem loqui debet, non de solaribus, vt facere videtur, cum 182. pro partu septimestri recenset. Imò neque hac satis contentus explanatione Hippocratem reprehendit, præponens illi hac in materia recentiores (putauerim ego suum intelligere Cardanum) nam ait, quod iuniores sunt longè perspicaciores senioribus, quodque quandoque bonus dormitat Homerus, suam opinionem illustrat exemplis, de quibus mentionem faciam loco suo, ac tandem concludens suam tractationem profitetur partum dierum 171 vitalem esse, atque in partus septimestres numerandum: quod ille tribus rationibus potissimum demonstrare conatur. Harum prima sumitur à mensibus. Nam cum ex omnium Medicorum consensu menses sint tres vnus consecu- 50 tionis, qui amplectitur vnam coniunctionem lunæ cum sole, completurque spatio dierum 29. & horarum 12. Alter est mensis peragrationis factus spatio dierum 27. & horarum octo. & hunc ille propriè appellat mensem naturalem. Tertius est mensis apparitionis minor quarundam horarum spatio. Hoc stante, sumendus est mensis in vtero gerentibus peragrationis: ex diebus 27. & horis 8. hinc menses exacti sex continent dies 164. & vsque ad diem 171. dies supersunt

septem: qui de mense septimo sumuntur. ideoq; puer illius mulieris natus diebus 171. septimestris nuncupandus est.

Secunda ratio sumitur à nouiluniis: tunc enim dici debet fœtus vitalis, cum septem nouilunia pertransierint. nam cũ fuerit inter sponsos matrimonium, vt dici solet, consummatum die quinta Iunii: & coniunctio solis, & lunæ fuerit vndecima eiusdem, ergo conceptio potuit fieri per sex dies nouilunii mensis Maii antecedentis, quæ durabat vsque ad dictum vndecimum diem. postea subsecuta sunt nouilunia sex, & totidem plenilunia sub die 11. & vigesima sexta Iunii. 9. vigesima quinta Iulii 8. vigesima tertia Augusti 7. vigesimaprima Septembris 6. & vigesima Octobris 5. & decimanona Nouembris. Partusque successit die 22. Nouembris: & sic sunt dicta sex plenilunia. In partu verò sufficere septem nouilunia scribit Cicero libro secundo de natura Deorum in hęc verba: De Luna dicta Lucina, eo quod partus in Lucem prodeat, loquens iuxta illud Terentii in Andriam. Iuno Lucina fer opem. Adhibetur autem ad partus quod ii maturescunt, aut septem nonnunquam, aut plerunque nouem Lunæ cursibus, qui, quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. Hæc Cicero. Tertia ratio. Partus vitalis est cum à sole septem Zodiaci signa decursa sunt, vt Cardanus inquit primo contradicentium tract. 3. contrad. 8. Erat enim sol cum facta conceptio fuit die scilicet quinta Iunii in 25. gradu geminorum. & postea discursu facto de Cancro, Leone, Virgine, Libra, Scorpione, rursus ad signum Sagittarii peruenit, quod est septimum à signo Geminorum. Erat enim in die natiuitatis in vndecimo gradu Sagittarii. & licet primum, & vltimum signa non integraliter sint discursa, id parum refert: quoniam sol habens orbem suum latissimum 15. graduum ante, & 15. postea, erat facta applicatio orbis solaris ad gradum 25. Sagittarii per aspectum coniunctionis inceptæ, & de opposito per diametralem irradiationem ad gradus 25. Geminorum. & videmus per experientiam, quod quando Luna incipit percuti à radiis solis, fiunt mutationes in istis inferioribus: quæ applicatio fit, & per coniunctionem prædictam, & per quemcunque aspectum, vt testatur Ioannes Hauinettus Astron. libro secundo differ. secunda in libro nuncupato amicus Medicorum. Addit postremò quædam ad confirmandum partus septimestres vitales existere: & ad docendam caussam propter quam cõtingat viuere septimestres: octimestres autem minimè: quæ omnia ex Astrologis petita sunt. Verùm quoniam cum de partu illorum mensium pertractabimus, refellemus opiniones Astrologorum. hic prætermittamus. Hactenus de I. Consulti huius opinione.

Cap. XX.

Impugnatio opinionis suprad ctæ.

VT igitur amico satisfaciam, breuiter dicam, quæ mihi non placent: non enim in inuestiganda veritate amicitiæ ratio haberi debet. Primum, in hoc certè maximè displicet, quod ex Hippocratis sententia contendat diem 162. exactos, plenosque complecti sex menses: in qua re dupliciter aberrat, tum quia sibi non benè conuenit, tum quia si conuenit, non benè concludit. Etenim si computatio Hippocratica constat ex lunaribus mensibus, & singulis habentibus dies vigintinouem, & horas duodecim; iam quidem sex menses pleni habebunt dies 177. & horas 12. vt computanti patet: quod cum ille antea admiserit, postea verò dixerit 162. dies sex habere menses exactos ex Hippocrate, fit quidem hunc ad pauca respicientem propriam ignorasse vocem. Mox verò, demus hoc illi, nunquam demonstrabit, diem 163. esse primum septimestrem ex Hippocrate, aut etiam Galeno, aut Auicenna, aut, vt verbo dicam, ex alio Medico, vno duntaxat excepto auctore, quem ille ad vnguem sequitur, cuius in hac materia nullam haberi debere considerationem, est, me iudicio longè certius, quàm quod debeat explicari. Secundo aberrat ex mala verborum Hippocratis intelligentia, quia hæc verba: Nam si de primo

primo mense dies quindecim, de quinq; verò centum quadraginta septem cum dimidiato die computaueris. &c. non significant septimestrem incipere post cētesimum, & sexagesimum secundum. Sed amplius desiderari dies viginti, iuxta experientiam Hippocratis, vt puer ad principium septimi mensis perueniat: vt, quæ sequuntur verba apertissimum faciunt. Comperies ad septimum mensem amplius quàm viginti dies desiderari, non igitur superiora de septimo mēse audiri debent. Tertio vrget, quod 162. dies non est principium septimi: sed finis sexti pleni ex sententia sui ducis, ac præceptoris: neque Hippocrates vel per somnium potest interpretari, ex eorum dierum computatione, septime-
10 strem incipere post 162. diem. Quartò manifestam prospicio contradictionem. Nam si mensis computationis vtero gerentium debet complecti dies 27. & horas octo: Menses pleni sex habebunt dies 164. quod ille etiam infra admittit in prima ratione pro defensione illius partus. at computatio sui magistri non excedit diem 162. Hippocratica verò est dierum 182. Quinto cum dicit aliquando principium esse duplex ex Hippocrate septimi, vel 163. diem, vel 167. cum dimidiato. turpissimo errore detinetur. quia ex illius calculo principium esse nequit, nisi dies 165. atque si vera est altera computatio, substituendo pro diebus quindecim, dies viginti, oportebit principium septimi esse diem 169. fiat enim sic putatio. Mensis constet diebus 27. & horis octo. sex
20 pleni habebunt dies 164. sume quindecim dies primi mensis. adde his 147. & horas 12. iam habebis dies 162. & horas 12. Adde his postea pro singulo mense horas octo. euadent dies 164. addito postea dies quinque, vt ex quindecim diebus perueniatur ad summam dierum viginti, resultabunt dies 169 ergo primus ex septimo non erit 167. sed 170. dies. Quam verò hoc abhorreat à putatione Hippocratis, ridiculus essem, si conarer demonstrare. Amplius absurdissima est explanatio, quam illa facit, dum 147. diebus cum dimidio, nō quindecim, sed viginti dies addendo, suum explere vult calculum: nam, vt prætermittam obscurissimum loquendi modum, cum ait, in vltimis viginti diebus primi mensis, quæ verba Oedipo indigent, certè Hippocrates, viginti ipsos dies
30 non in primo mense collocat, sed in septimo: & in sua putatione, in mense primo vult quindecim adesse dies, in septimo viginti: quinque verò intermedios menses exactos, complecti vult dies 147. & horas 12. nunquam.n. somniauit Hippocrates pro primo mense viginti dies accipi posse, vt illi imponit. Præterea non assequitur caussam, cur quindecim dies primi mensis accipiat: ea enim est vt sæpe iam dixi, & nunc ob hominis importunitatem repeto. Quia volebat ostendere non esse necessarium in putatione vtero gerentium oportere omnes exactos, & plenos esse menses, vt vulgo arbitrabantur, & scribit author libro de natura pueri: sed, nonnunquam nascitur puer plenis mensibus: vt plurimum tamen inchoatis duntaxat: quæ res locum aliquando in primo mense, vt pluri-
40 mum autem in vltimo, vel septimo, vel nono, vel decimo, vt quotidiana demōstrat experientia. Item, quis admitteret Hippocratem aberrasse, dum ait, partum septimestrem dies continere 182. Hactenus omnium consensu id receptū est adeò, vt maximè admirandum sit, hunc ipsum duntaxat, diuinum hominē erroris insimulasse. neque fuit temere id faciendum, præsertim ab illo, qui non profitetur medicinam. Sed esto arguat, vt voluerit, certè simul arguet iurisconsultos omnes, Vlpianum comprimis, mox reliquos, Verū nos eius iudicium, aut de corrupto contextu, aut de errore Hippocratis nihil faciemus.

Examinemus nunc rationes ipsas. sed in primis sciendum est, in conclusione me partim consentire, & partim dissentire ab hoc viro. Consentio quidem, partū
50 illius mulieris dierum, vt dixi, 168. vel 171. vel 174. vitalem esse. dissentio autem; esse septimestrem ob eas rationes, quas explicabo sequenti capite. In prima igitur ratione posita varietate mensium non admittimus computationem fieri debere ex mensibus illuminationis, aut peragrationis, sed solùm ex mensibus coniunctionis, siue coitus, quemadmodum demonstratum fuit ex communi omnium medicorum consensu, nec ipso etiam reclamante eius præceptore.

Ad secundam rationem dicimus, caussam ob quam vitalis sit fœtus, non esse, quod tot interueniant nouilunia: sed quod fœtus suam perfectionem adeptus, amplius ob magnitudinem in vtero contineri non poterat, desiderans tum maius alimentum, quàm à matre possit suppeditari, tum aeris refrigerationem: Verùm quia hæc fiunt in tempore, in quo mensurantur omnia, & in quo Luna, ac Sol suos perficiunt circuitus: hinc fit, quod statuamus tot interfuisse nouilunia. Luna certè, & Sol concurrunt tanquam caussæ vniuersales, non proximæ, & adæquatæ: quicquid dicant in hac materia Astrologi, quorum opinionem sequenti libro fortassis reprobabimus. Dico itaq; septimestrem partum & octo & nouemlunia ingredi posse: neque admittendum est, septem nouilunia septimestrem partum absoluere: licet vulgo ita credant. Autoritas Ciceronis nihil ad rem facit. Nam per septem Lunæ cursus intelligit ille menses Lunares ex coniunctione, siue coitu Lunæ cum Sole: Vel, si intelligit alios mēses, eius autoritas non est recipienda. Porrò quod attinet ad tertiam rationem, non est difficilis responsio; quandoquidem secundum sententiam Hippocratis vitalis partus primus est, qui medietatem anni solaris attingit, ante hanc medietatem, idest spatium dierum 182. non cognouit ille vitalem esse partum. post medietatem verò vsque ad 204. nouit Galenus: ac in spatio intermedio nouerunt ferè omnes. Ergo si volumus de proposito partu differere secundum ea principia, quæ experientia propria sciuit senex venerādus, hic dubio procul nō est inter vitales numerandus, cum ab anni medietate distet spatio dierum vndecim & horarum duodecim, vel etiam dierum quatuordecim parum plus, vel minus. An autem secundum rei naturam ita statuere debeamus, ita vt ex medicorum principiis partus ante medietatem anni vitalis esse aliqua ratione non possit, vniuersalior quæstio est, non particularis pertinens ad notitiam, quam de partu habuit Hippocrates, de qua nos sequendi capite differemus. Plura contra hanc opinionem dici possent; quæ quoniam virtute in superioribus comprehensa sunt, ratus hæc de aliorum opinionibus sufficere, relinquitur, vt nostram opinionem afferamus.

novem novilunia

Cap. XXI.

Partum sextimestrem esse aliquando vitalem.

EGo autem de partu sextimestri hæc dico. Primùm aliquando vitalem esse puerum sexto mense natum. Viuere autem posse eiusmodi partum, ita intelligendum est: vt quemadmodum effectus quidam naturales rarò aduenientes, suo tempore necessariam habent generationis caussam: sic puer sexto mense in lucem prodiens, licet rarò viuat, necessarias tamen vitæ caussas obtinet. Rarum esse dicimus hunc partum, quia pro maiori parte eduntur vitales decimestres, nonimestres, septimestresque: atque certè vt hi postremi sunt non modo rariores in relatione ad alios, sed etiam rarò viuunt, vt loco suo ex Hippocrate docebimus. sic sextimestres partus non ita frequentes vt nonimestres, ac decimestres, raroque viuunt. Hi aliquando abortiui sunt, vt cum edendi in lucem nono vel septimo mense, imperfecti adhuc existentes ob aliquempiam casum nasci festinant. At si summam perfectionem nacti sunt sexto mense, nihil impedimenti esse video quin sint vitales. Porrò sextus mensis latitudinem habet triplici potissimum differentia explicatam, principio, medio, ac fine: habebunt singulæ dies decem. in vltimis decē diebus sexti mensis nasci vitalē noui, & quater obseruaui adhuc in fine medietatis duos: in principio sexti nūquā. An autē id sit impossibile, disquirendū hoc loco non est; queādmodum etiā an quinto plenilunio nasci possit infans. Nihil enim scribere hic volo, quod mihi incognitum sit. licet sciam Hispanos medicos præstantissimos, Ferdinandum Menam & Franciscū Valesium vitales etiam quinquemestres admittere, de quibus quędam scribemus parū infra. Nunc rationibus autoritatib. & exēplis explicāda tractatio est tum necessaria, tum certè maximè difficilis. A rationibus exordior.

Prima ratio. Puer, qui post conformationem, duplo tempore sensibili mouetur motu, ac triplo in lucem editur, iusto tempore natus dicitur. At, qui sexto mense ferè exacto nascitur, duplo post formationem tempore moueri, & triplo in lucem edi potest. Ergo sexto mense natus, iusto tempore natus dicitur.

Maior propositio probatur Autoritate Hippocratis, Auicennæ, Galeni, & ex communi omnium medicorum consensu. Hippocrates quidem ita scribit libro περί τροφῆς

Ad figurationem, soles triginta quinque. Ad motum septuaginta, ad perfectionem, ducenti, & decem. Alii tradunt ad formam quadragintaquinque, ad motum septuaginta sex, ad exitum ducenti & decem. Alii sic. Ad discriminationem quadraginta, ad transitum octuaginta, ad elapsum ducenti quadraginta. Alii. ad formam quinquaginta, ad primum saltum centum, ad perfectionem trecenti. Hæc Hippocrates. Est autem hoc loco animaduertendum in hac dictione Hippocratis errorem adesse ex corrupto codice: quandoquidem in secunda sectione, vbi legitur, ad motum, septuagintasex, ad exitum, ducenti & decem. meo iudicio legi debet. admotum, nonaginta, ad exitum autem ducenti septuaginta. moueor, vt ita credam coniecturis multis. vna, quod non obseruatur regula, quam omnes medici admittunt, ex formatione ad motum, ex motu ad partum: quam regulam optimè obseruauit idem author in tertia, & quarta sectione. Deinde non est probabile eodem tempore nasci formatum die quadragesimo quinto, quo nascitur formatus die trigesimo quinto; at verò vtriusque idem natiuitatis terminus est ab authore propositus nempe dierum ducentorum ac decem. Præterea, quod citius in vtero formatur, citius etiam pro formationis proportione mouetur: ac differentia formationis est dierum decem, cur igitur differentia motus est inter vtrunque partum tam exigua? non videtur certè rationi consonum inter vnam, ac aliam dies duntaxat quinque intercedere: idcirco die nonagesimo motus apparere debet sensibilis: natiuitas verò fieri die 270. quem terminum esse noni mensis in 3. epid. constat sect. 3. tex. 31. de qua re quædam etiam diximus in tractatione de computationibus. Porrò in confirmationem huius regulæ ita scribit Auicenna. Et apud quosdam cum superuenerit formationi Embryonis duplum temporis eius, in quo formatur, mouetur. & cum superuenit motui duplum eius, in quo mouetur, ita, vt sit à prima inceptione conceptionis, vsque ad motum eius triplum temporis, tunc nascitur. Præterea author libro de Anatomia viuorum idem confirmans inquit: Tempus autem motus est illud, in quo apparet, vel sentitur motus, voluntarius ex anima sensibili duplum est ad tempus formationis: tempus autem partus triplum ad tempus motus. Eandem regulam omnes recipiunt Medici vnanimi consensu.

Hic notandum est, aliam ex dictis deduci posse regulam, qua conceptionis ferè primum inuenire satis probabili coniectura, diem valeamus: quæ maximam pro dirimendis controuersiis solitis in foro agitari inter coniuges, vtilitatem affert. Constet exempli gratia virum habuisse congressum à decimaquinta Ianuarii, usque ad 25. parturiat mulier à decimo vsque ad decimumquintum Septembris. eius fortasse vir partum arbitrabitur octimestrem, propterea que breui moriturum. At si viuet, suspicatus nouimestrem, suum non esse dicet. Iudiciosus Medicus pro eiuscemodi controuersia dirimenda. talē calculū adhibebit a 15. Ianuarii vsque ad 15. Septembris, dies adsunt 242. Diuidantur in partes tres, singulæ habebunt dies 80. & horas sexdecim. Horum prior pars formationi, & motui sensibili tribuitur, aliæ duæ referuntur ad exitum. Mouebitur quidem hic puer die quinta (si bene computo) aut parum supra aut infra mensis Aprilis, & horis 16. nam vsque ad eam, prima sectio octoginta, & horarum sexdecim, extenditur diem. Medietas horum erit dies 40. & horæ octo: hæc incidet in 24. Februarii: in qua formatus erit fœtus: alia medietas principiū sumet 16. Ianuarii, aut 15. atque terminabitur die quinta Aprilis, in qua sensibilis apparebit pueri motus, sicque decimam sextam, vel decimam

quintam diem Ianuarii statuemus extitisse primam conceptionis, erit igitur hic partus legitimus, vt qui ex nono mẽse lunari accipiat dies sex. nam finis octimestris est dies 136. sic qui videtur octimestris partus exactus ex mensibus à C. Cęsare institutis, nouimestris erit, ac perfectus. Idem faciet iudicium, si nascetur puer decimo Septembris, aut vndecimo, aut etiam aliis vsque ad decimumquintum eiusdem mensis. Sed hæc πάρεργον dicta sint. Minor propositio nullam habet difficultatem videtur mihi, si vera sunt, quæ supra posuimus principia de absolutione, & maturitate fœtus. quia, si ea non debet mensium numero stabiliri, sed optima omnium partium conformatione, & ex eo, quod ob magnitudinem totam impleat cauitatem vteri, alimentumque vberius postulet, & frigidi aeris inspirationem, possunt hæc certissimè contingere non solum 182. die, sed aliis etiam diebus paulo superioribus, vt puta à 168. vsque ad 177. qui sextum mensem terminat. Neque enim aliqua inueniri ratio potest contrarium persuadens. Verùm si quispiam voluerit hanc demonstrari, affero ego rationem in hoc genere, nisi meum me fallit iudicium, efficacissimam qualis ea sit, audi.

Sumo igitur mihi maris formationem, vt plurimum absolui citius, quàm fœminæ, vt plurimum quidem dixi, quia me non fugit aliquando viragines fœmellas citius efformari effœminatis pueris. Terminus masculi est longissimus dies trigesimus: fœminæ quadragesimus secundus. De qua re ita loquitur author libri de pueri natura. Et factus iam est puer. & ad hoc peruenit fæmella quidem in quadraginta, & duobus diebus, vt longissimè primam coagmentationem, & coarticulationem accipiens. Masculus verò, vt longissimè in triginta diebus: vt plurimum enim hoc tempore, aut paulo breuiore, aut paulo longiore articulatio ipsis contingit. & parum postea declarat id idipsum à purgatione, quæ post partum statim accidit puerperis. nam quæ fœmellas pepererunt, purgantur ex vtero diebus quadraginta duobus, vt plurimum, & aliquando satisfaciunt 25. ex masculi autem puerperio purgatio fit 30. diebus, & aliquando citra periculum purgatur mulier 20. diebus.

Galenus, Auicenna, & omnes Medici de eiuscemodi formatione idem statuerunt: declarãtesq; quot dierũ spatio eiuscemodi fieri possit anticipatio, dixere per diem vnum, aut plures. Verba Galeni sic habent.

Atque sic completur formatio vniuersalis fœtus in diebus triginta in quibusdam: in aliis in diebus triginta quinque: ac in nonnullis tempus formationis extenditur vsque ad quadraginta: tamen in quibusdam ista tempora anticipant, & in quibusdam postponuntur partitiones totalis temporis formationis, tum per vnum diem, tum per plures. hæc ille.

Statuamus modo anticipationem fieri per tres dies, vel duos, vel vnum: tunc necessario resultabit partus sex mensium. Formatus enim 27. die, motu sensibili mouebitur die, 54. nascetur postea die 162. rursus, formatio succedat die 56. nascetur die 168.

Deinde contingat computatio diebus 28. horis 20. motus fiet diebus 57. horis 16. nascetur diebus 173. conceptus & formatus 29. motum habebit die 58. natiuitas continget 174. Vides igitur secundum hanc regulam necessarium esse aliquando partum sextimestrem, & hunc existere vitalem. Dicit fortasse quispiam admittendos non esse eiuscemodi partus ob raritatem: sed si citra distinctionem loquamur, dubio procul aberrabimus. Quod raro fit, id quidem duplex est: quoddam sui euẽtus necessarias habet caussas: quoddam habet fortuitas. Illud sciri potest, hoc minime: ita sentiendum ex omnium Philosophorũ cõsensu. Partus igitur sextimestris licet rarò viuat, quia natura, vt plurimum reseruat illud ad septimum, vel nonum, vel decimum mensem: ideoque vt plurimum lethalis est. Aliquando tamen sexto mense ferè pleno absolutus, necessarias habens caussas tum perfectionis suæ, tum exitus, vitalis est atque dicitur.

Secunda ratio. Facultas concipiendi in vtero, & generandi aliquandi duobus,

bus, aut tribus anticipat annis. Ergo eadem facultas aliquando suas operationes diebus quindecim anticipare potest. Consequentia nō videtur habere aliquam difficultatem. Nunc antecedens declaro. Mulieres conceptioni non statuuntur idoneæ, nisi post annum duodecimum: Viri non habent semen fœcundum, nisi post annum decimum quartum, vel quod aliis placere scio, post vigesimum primum. ita ex communi consensu philosophi, & Medici decreuerunt. Hanc tamen regulam aliquando fefellisse constat. Nam puellam octauo anno concepisse, & nono peperisse scribit inter Medicos Ioannes Matthæus de Gradi, inter Theologos. D D. Gregorius, & Hieronymus. Puerum nouem annorum suam nutricem compressisse ille memorat, Hic vero idem contigisse puero annorum decem Epistola ad Vitalem scribit. Ex eodem præterea authore constat, Salomonem anno suæ ætatis decimo, aut vndecimo genuisse Roboam. Et Achaz eiusdem ætatis Ezechiam. Hæc contigisse dubitat nemo. Cur igitur non poterit puer ex fœcundo, & calido semine procreatus, in primipara adolescentula, ferè pleno sexto mense nasci vitalis? hic non adest monstrosa (vt ita dicam) raritas, qualem fortassis in superioribus casibus inueniri quispiam suspicabitur: Sed breuis quædam anticipatio dierum, quod summum est quindecim à partu medietatem anni attingente, vel decem, vel etiam pauciorum: cuius anticipationis caussæ adsunt necessariæ: vna seminum robur; alia vteri paruitas; tertia quod vterus nondum assueuit gestare pueros. Quarta alimenti defectus: qui in adolescentulis, ac ferè pueris necessario deest, cum non possint longiori tempore sufficere: Siquidem alimento indigent, primum vt nutriantur: Secundo vt augeantur: tertiò, vt fœtui subueniant, hoc autem grandiori existente, ac totam implente cauitatem vteri, fieri non potest, fœtui suppeditari sufficiens alimentum.

Haud absimilis ratio est sumpta à senibus. statutum est lege Papia à Tiberio Cæsare edita, ne sexagenarii vxorem ducerent, quod ad filiorum procreationem idonei minimè censerentur. Aristoteles in Politicis, conuenientem in vxore ducenda ætatem definiuit annorum triginta parum plus, aut minus, atque senes ipsos ineptos huic muneri iudicari, scribit. quoniam certe

Nam dulces natos, veneris nec præmia norunt.

Hacque ratione rectissimè Plautus in Mercatore.

Annos natus sexaginta qui erit, si quem sciuimus seu maritum, seu Hercle adeo cœlibem, scortarier, cum eo nos hac lege agamus.

Relatum tamen est à Plinio, Solino, Valerio Maximo, Numidiæ Regem Massinissam post annum suæ ætatis octuagesimum sextum, filium nomine Mathimatum procreasse. Catonem Censorinum octuagesimo exacto è filia Salomi clientis sui: qua de caussa aliorum etiam liberorum propago, Liciniani erant cognominati: Hi Saloniani, ex quibus Vticensis fuit. Nuper etiam Lucio Molussio Saturnino in vrbis prætura extincto notum est, Comelia Scipionum Gētis Volusium Saturninum, qui fuit Consul post annum sexagesimum secundum fuisse genitum. Et vsque ad octuagesimum quintum apud ignobiles vulgaris reperitur generatio. Scriptum præterea reliquit Æneas Pius Pontifex Maximus, Vladislaum Lituanum Regem Poloniæ anno nonagesimo gemellos procreasse, quorum alter patris nomine Vladislaus, alter verò Cassimirus fuit appellatus. Fuerunt ambo Reges, vnus Poloniæ, alter Vngariæ. Noui ego virum illustrissimum anno natum 78. quatuor genuisse filios, & vnam filiam natorum postremam. Si ergo senex frigido alioquin temperamento, & semine in relatione ad se ipsum iuuenem præditus, nonagesimo anno masculam procreabit prolem, quæ tum septimo, tum nono mense in lucem prodire poterit. cur idem iuuenis longè validior, fœcunda iunctus muliere, non poterit habere filium pleno duntaxat sexto lunari mense: Quomodo quæso videri potest hoc impossibile, si possibile iudicatur septimestrem nasci posse ex nonagenario? Exempli gratia nascatur ex sene puer die 182. & horis 15. Ex iuuene cur nasci non poterit die 168. vel aliis deinceps vsque ad 182. anticipatione facta dierum 14.

aut 10, à termino, quem nouit diuinus Hippocrates. Sanè, hic ego nihil rationi aut sensui repugnans inuenio.

Amplius facultas generatiua, quamuis fœtu in vtero existente maximè negotietur: nihilo minus ipso iam egresso adhuc permanet in infantis corpore vsque ad aliquot menses. Nam procreans dentes vsque ad annum vnum cum dimidio parum plus, aut minus commoratur, fiuntque dentes ex quibusdam excrementis glutinosis à capitis ossibus, & maxillarum deriuatis, vt ex sententia authoris libro de Carnibus dictum mihi fuit libro de Generatione hominis. Mox autem eadem facultas otiosa manet in corpore vsque ad annum septimũ, vt idem author scribit hisce verbis: Excidit autem vbi ad annos primi alimenti peruenerint, quibusdam etiam prius, sià morbido alimento nati fuerint. Plurimis autem cum septem annos impleuerint. & in eodem opere, Pueri (inquit) septem annis præteritis dentes explent. Porrò hæc facultas eadem est, quæ à principio generauit in vtero fœtum, effinxit, formauit, disposuit, auxit, ad summamque ducens pefectionem oriri fecit. Adeo tamen potens est aliquando, vt multis mensibus suam actionem anticipet: vt cum statim, atque nati sunt pueri, dentire illos facile; quemadmodum contigisse legimus illi, qui mensibus quatuordecim vtero gestatus, cum dentibus natus est. Hanc si quispiam negauerit Historiam, vt putà quæ longè à vulgari opinione dissentire videatur; hic sciat oportere hunc negare. quæ tanquam certissima recipiuntur ab omnibus. Nempe obseruatum fuisse non semel puerum cum dentibus natum, scribit de hac re Solinus, Plutarchus, Auicenna, & alii authores grauissimi. Refero hic verba Plinii libro 7. capite 16. quæ in hunc modum habent: Cæterum editis primores septimo mense gigni dentes, priusquam in supera eius parte, haud dubium est. Septimo eosdem decidere anno, aliosque suffici. Quosdam & cum dentibus nasci: sicuti Marcum Curium, qui ob id dentatus cognominatus est. Et C. Papirium Carbonem præclaros viros. Ego hactenus vidi quatuor cum dentibus natos. Vnus fuit in Castro Gresperii ditionis Camarinensis, qui præterea habebat membrum virile satis magnum, cum pilorum nigrorum multitudine, videbatur statura gigas. Alterum vidi medicinam faciens apud septempedanos: & duos in Cingulanis montibus. Si hæc vera sunt, cur hæc eadem facultas non poterit ita esse valida, vt breui tempore efformato corpore cogat illum foras prodire ex vtero, quinque, sex, aut decem, duodecimque diebus ante communiter statutum pariendi tempus? Quod quæso in natura magis mirandum, an quod in partu fiat duodecim dierum anticipatio, an facultatem generatiuam suo munere persungi septem mensibus ante statutum tempus? hoc certè videtur mihi magis ratum, & admirandum.

facit

Adhæc non minor videtur ratio de octauo mense natis, quam de iis, qui sexto. At verò, si credimus Hippocrati, si Polybo eius discipulo, si Galeno, & Sabino enarratoribus, nullus vnquam octauo mense natus vixit. Sed tamen docebimus sequenti libro viuere illos aliquando in Aegypto, in Græcia, in Hispania, in Italia, aliisque regionibus. Hac de caussa factum fuit, quod hoc mense natus, viuens si omnibus ad vitam necessariis partibus præditus fuerit, admittatur ad hæreditatem, ac testamentum irritum faciat, vt memini me legisse apud Alexandrum Imolensem in secunda Codicis, de posthumis hæredibus instituendis vel exhæredandis. §. quod certarum, numero tertio. & Baldum subtilissimum. I. C. consilio C XIII. tertii libri, & consilio 407. in fine secundi libri. Hac igitur eadem ductus ratione dico nullam esse in ipsa natura repugnantiam, sexto mense natum viuere.

Confirmatur hæc ratio, quia si de quo minus videtur inesse, & inest: ergò id inerit, de quo magis videtur, per regulam topicam à minori ad maius, sed minus certè probabile videtur quinquemestres partus editos aliquando fuisse vitales, & tamen id apud quosdam Hispaniæ populos contigisse clarissimorum constat virorum testimonio. Erunt igitur etiam aliquando sexti-

sextimestres vitæ superstites. Quod dixi de partu quinquemestri Ferdinandus Mena Catholici, & Potentissimi Philippi Hispaniarum Regis medicus libro de Partu septimestri hisce verbis confirmat. Hinc quoque haud absurdum videri debet, si quinquemestris partus editus sit vitalis apud Valentinos feruentem sanè plagam, sicut & apud Matrid. incolas nonnullos obseruatum sentio ex pudica matre, honestissimamque viuendi rationem nacta natum esse quinquemestrem vitalem. Nulla itaque ratione suadebor vnquam ad aliquem temporis numerum amplectendum actionis naturalis dimensorem, nisi quatenus in illo contigerit operationem esse absolutam, per ipsamque explicari deinceps, quantum temporis duratura sit plus & minus. hæc Ferdinandus. Cui assentit Franciscus Valesius eiusdem discipulus, sed præceptore, vt ego sentio, longè doctior, in commentariis epidemiorum, affirmans partum quinquemestrem aliquando vitalem nasci, rectè concludens naturam in suis actionibus non determinari ex necessitate numeris quibusdam determinatis, Hęc si vera sunt, nemo inficiari poterit partum sexti mensis pleni, aut ferè pleni, vitalem existere, quod in præsentiarum persuademus. Hæ sunt rationes, satis, nisi fallor, probabiles: quæ contra opinionem aliorum efficiunt partum sextimestrem aliquando fore pro vitali admittendum: atque licet demonstratiuæ non sint (neque enim subiecta materia eas recipit) pro natura tamen subiecti validæ censentur.

Porrò neque desunt authores præstantissimi, quorum fide proposita opinio confirmari possit. Auicenna libro tertio suæ medicinæ tract. 2. fen. 21. cap. primo in hunc modum scribit, agens de partu septimestri. Vt plurimum quidem moritur natus ante hoc spatium, additque caussam his verbis. Quoniam tolerat motus vehementes in debilitate creationis huiusmodi natus; namque licet in radice sit fortis: tamen est proximi spatii cum creatione. Notent hæc verba, vt plurimum, cuius oppositum est; vt raro, sensus igitur est: Nati ante septimum mensem, idest, in fine sexti mensis, maiori ex parte moriuntur. ergo minori ex parte viuunt, per regulam à sensu contrario. Hanc extitisse mentem Auicennæ. Alter eius locus confirmat in libro nono de animalibus, quo in loco dicit audiuisse ex fide digno, quendam natum mense decimoquarto, & vidisse alterum natum sexto. Sunt qui dicunt, Auicennam iis verbis locutum fuisse de Partu septimestri: nam cum dicit, Sexto mense natum, vult dicere, præterito sexto mense, sed proculdubio hoc non est interpretari contextus: sed corrumpere. multa enim absurdior excogitari potest explanatio, si diceremus partum septimi mēsis, esse octimestrem: hanc nouimestrem, & sic de reliquis. Absurditatem præterea huius explanationis hinc animaduertas, quod ibi loquitur de partu rarissimè contingente, ideoque ait, audiuisse quendam fuisse 15. mense natum. Huic ipsi tanquam rarum opponit natum sexto mēse, & non dicit sese ab aliis audiuisse, sed vidisse, vt maiorem fidem faceret. Notabis me in priori Auicennæ contextu fuisse imitatum lectionem antiquam. Hanc enim sequitur Nicolaus Florentinus, Iacobus de Partibus, Gentilis Fulginas, ac alii sapientissimi explanatores, præsertim Andreas Belunensis Arabicæ linguæ disertissimus.

Affero hic testimonium Nicolai grauissimi scriptoris, qui ita scribit: Et fortasse considerata benè varietate formationis fœtus, & ipsius motionis possibile est videre, quod non solum in vndecimo mense possibile est fœtum gigni, sed duodecimo, decimo tertio, & decimo quarto, vt scilicet dixit Auicenna: imò & in octauo mense, & quod adhuc plus est, in sexto mense. hæc ille.

Amplius demonstrare volo ex Autore libri de natura pueri, omnino septimestres partus inter naturales communesque partus admitti debere. animum aduerte. Negat hic author sextimestrem partum, quia septimestris duntaxat meminit: interim verò dicit, Masculum formatum esse, vt plurimum die trigesima; tunc assumo mihi regulam à generatione ad motum, à motu ad partum: nempe nasci puerum duplo tempore post motum. Præterea & hebdomadum decades, & mēses exactos cōcurrere ad huiusmodi opus, ex his cōficio

rationem ad hominem, meo iudicio, validissimam: sit puer formatus 30, mouebitur sexagesimo. Ergo nascetur 180. qui terminus sexti pleni ex consuetudine antiqua Græcorum computandi triginta dies pro mense, & sic quidem sexto mense pleno erit vitalis. scio non valere rationem, si menses lunares dierum 29. & horarum 12. accipiamus: de qua putandi ratione satis multa in superioribus. At ad hominem argumentum videtur mihi irrefragabile: cum ille author septimestrem admittat, computationemque fieri debere mensibus solaribus, ex actisq; profiteatur.

Cæterùm variis obseruationibus id verissimum esse demonstrare possumus. 10 Vxor Andreæ Scarpelli de villa Auenalis Cingulanæ diœcesis peperit filium die 169. qui adhuc viuit agens annos 18. gracilis tamen habitus, & non multum coloratus, satisque imbecillus. Audiui etiam à Bernardino Aloyso septempedano medico insigni, & multæ obseruationis sese vidisse in Castro Sācti Angeli mulierem peperisse filium die 175. hunc viuere, sed impotentem ad coitum: asseruit enim, illi tum admodum paruum esse genitale membrum habēti annos 24. & testes adeo paruos, & imbecillos, vt emittere semen, imò generare non possit. Eufrasia Virgo Deo dicata in æde Beatæ Rodogundæ, cum mater eius abortiisset puerum quinta nonas Iulii, profecta verò ad coniugem decimo Kalendas Augusti ipsam Eufrasiam peperit septimo idus Ianuarii sequentis anni: quare 170. die nata est: morbo perpetuo iacturam natalium attestante, ne quis ad 20 superfœtationem confugiat, In monte Sancto agri Piceni mea patria duos noui pueros: quorum alter natus fuit die 177. alius verò 174. sed quid prosequor singula? Hoc vnum profiteor si quis diligenter animaduertat consimiles partus vbique inuenturum. Verùm quia de partu sextimestri in genere disputauimus, posseque hunc aliquando vitalem esse demonstrauimus, tum rationibus, tum autoritatibus, tum exemplis: reliquum est, vt de eodem in specie pertractemus, quantum scilicet ad partum mulieris nobis propositum pertinet, omnesq; difficultates, si quæ sunt, dilucidemus. 30

Cap. XXI.

Quid sentiendum de Partu dierum 168. vel 174. nobis proposito.

Hæc, quæ generatim dicta sunt, manifestum faciunt, partum nobis ab illustrissimis viris propositum dierum 168. vel 174. tunc sextimestrem esse, tum eum quidem legitimum, ac vitalem. Nam licet aliqua discordia sit de primo conceptionis tempore (ponamus autem illud fuisse, cum primum fuit inter sponsos, consumatum, vt aiunt, matrimonium) à partu septimestri secundū computationem Hippocraticam, dierum scilicet 282. distat spatio dierum duntaxat duodecim, vel vndecim, & horarum quatuor, ad iuxta putationem no- 40 stram distat solum diebus nouem, putamus enim septimestris principium esse die 178. cum 177. sit finis sexti mensis: de qua re plenius disputabimus in tractatione de partu septimestri. ita sentiendum est de eiuscemodi calculo, si admittatur mariti sententia. Sed si sponsę testimonio sit standum, partum edidit illa die 174. post congressum cum sponso, ego sanè hoc perlibenter recipiens, vt qui sciam vix contineri posse sponsum, quin statim data occasione rem habeat, à partu septimestri ex Hippocratis putatione distat diebus octo, vel fortassis septem, & horis duodecim: ex nostra verò diebus quatuor, & fortassis tribus, & horis duodecim. Quis igitur monstrosum hunc audebit appellare partum? Quis arbitrabitur naturam in suorum operum absolutione anticipare non posse 50 diebus duodecim, vel decem, vel octo, vel quatuor, vel tribus? tandem quis natura hanc imposuit legem, vt nec citius, nec tardius possit diebus 182. & horis 15. fœtum vitalem emittere?

Hæc manifestam fidem faciunt recipiendum esse hunc partum. Quod si aliæ postea adduntur coniecturæ, reddetur adeo certum hoc ipsum nego-

tium

tium, vt nullus amplius dubitandi locus inueniri possit. Coniecturæ autem huiuscemodi sunt:

Prima. Natam fuisse hanc adolescentulam ex optimis, honestissimisque parentibus. cum enim sit natura comparatum, vt corpus, & anima congruant portione quadam harmonica, motusque corporis aliquando in animam, & anima in corpus magna facilitate, & simul vehementia penetrent.. & quamuis animæ filiorum non deducantur è corpore, aut anima parentum, sed à Deo O. M. ex nihilo creatæ in hoc terreno corpore infundantur, in quo etiam vt in ergastulo continentur, tamen nascitur corpus filiorum cum hac illaue procliuitate: qua
10 parentum corpora esse disposita contigerat, huic similitudo morum. nam

Similis esse patri sæpe solet filius.

& quidem recte, vt inquit Lyricus Poeta.

Fortes creantur fortibus, & bonis;
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: neque imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Referre possumus ho loco, quæ scribit Euripides apud Stobæum capite 88.

φεῦ φεῦ παλαιὸσ αἰνῶς ὡς καλῶν, ἐπεὶ
Ουτὶ ἀν γόνος χρηςὸς ἐκ κακȣ̃ πατρόσ.

20 Atque rursus.

Τοσόνδε παῖδα σοφρονȣ̃ντα ἐπίςαμαι,
χρηςοῖςθ' ὁμοιȣ̃ντ' εὐσεβεῖν ἠσκηκότα:
πῶσ οὖν ἀν ἐκ τοιοῦδε σώματοσ κακὸς
Γȣ̃νοιτ' ἀν: ȣ̓δεὶσ τȣ̃το μ' ἀν πεὶσειποτὲ.

Quod est.

Heu heu, vt illi dictitant recte, probum
Patre ab improbo non posse nasci filium.

Rursus.

Hunc ego puerum tanta modestia præditum noui,
30 *Et cum bonis conseruando, pietatem coluisse.*
Quo pacto igitur ex tali homine malus
Nascetur? nullus hoc mihi persuadebit vnquam.

Verùm quamuis à patre degenerare filios aliquando videamus, tamen videtur ferè verissimum, filias plerunque mores matrum repræsentare. Neque n. verisimile est, vt filia statim ab ineunte ætate honestissimis matris moribus imbuta honestatem in grandiori ætate non insequatur. & è contra ex inhonesta matre nasci filias honestas rarissimè videmus: atque hæc secunda coniectura est huiusce partus. Accepimus enim matrem sponsæ adeo honestam, religiosam, ac
40 piam, vt incredibile videatur filiam degenerasse. Dicebat enim Horatius:

Neque sic fidelem,
Sic lucro aduersam potuisse nasci
Matre pudenda.

Et Theognis apud Antonium Monachum Mellissæ tomo 2. cap. 29.

Ο'ὐπ γάρ ἐκ σκίλλης ῥύδα φύεται, ȣ̓θ' ὑάκινθος.
Οὐδὲ ποτ' ἐκ δȣ́λης τέκνον ἐλευθέριον.

Quod est.

Non. n. è squilla rosa nascitur, aut hyacinthus,
Sed neque ab ancilla filius ingenuus.

50 Iuuenalis id explicans satyra sexta inquit.

Scilicet expectas, vt tradat mater honestos,
Aut alios mores, quam non habet.

& sequitur.

Filiolam turpi vetulæ producere turpem.

Vtile porro.

& satyra 14. ait.

Sic natura iubet. Velocius, & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animum authoribus.

Hinc qui præcepta vxoris ducendæ tradunt, in primis admonent ex bonis parentibus natam, eligendam esse cõiugem, de qua re pulchra scribit Iolaus in Heraclidis, cum inquit:

Οὐκ ἔστι τόδε παισὶ κάλλιον γέρας
Ρατρὸς ἐσθλοῦ κ' ἀγαθοῦ πεφυκέναι.
Γαμεῖν δ' ἀπ' ἐσθλῶν, ὃς δὲ νικηθεὶς πόθῳ
Κακοῖς ἐκοινώνησεν, οὐκ ἐπαινέσω
Τέκνοις ὄνειδος οὕνεχ' ἡδονῆς λιπεῖν. 10

Quod est.

Non est hoc liberis pulchrior honor,
Quam patre bonos, & honestos natos
Vxores ducere à bonis. Qui verò victus desiderio
Malis communicat, non laudabo.
Liberis dedecus caussa voluptatis superari.

De qua re conqueritur Theognis Poeta inter Græcos facundissimus, ita scribens; 20

Κύνας μὲν καὶ ὄνους διζήμεθα, κύρνε ἵππους
Εὐγενέας, καί τις βούλεται ἐξ ἀγαθῶν.
Κτήσασθ. γῆμαι δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει
Ἐσθλὸς ἀνὴρ ἤν τις χρήματα πολλὰ φέρῃ.
Οὐδὲ γυνὴ κακοῦ ἀνδρὸς ἀναίνεται εἶναι ἄκοιτις
πλουσίου ἀλλ' ἀφνειὸν βούλεται ἀντ' ἀγαθοῦ.
Χρήματα γὰρ τιμῶσι καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημε
Καὶ κακὸς ἐξ ἀγαθοῦ πλοῦτος ἔμιξε γένος. id est

Canes quidem, & asinos, quærimus ò Cyrne & equos
Generosos; & hæc quisque vult ex bona progenie
Separare. Vxorem autem ducere malam ex malo genere non curat 30
Vir bonus, modo sibi pecunias multas afferat.
Neque mulier mali viri renuit esse vxor
Diuitis, sed locupletem præfert bono.
Pecuniæ enim coluntur, exq́; malo genere bonus vxorem ducit.
Et malum bonus sibi genus asciscit.

In summa meminit vir sapiens, atq; prudens spreta vulgi consuetudine, quod

Dos est magna,
Parentum virtus.

Tertia coniectura est, quod toto suæ virginitatis tempora morata est in monasterio Diuæ, si bene recordor, Claræ, in quo moniales multæ degunt vitam religiosam habentes, ex quarum consuetudine non potuit illa, nisi mores consequi admodum probos, & viuendi rationem honestissimam. Nam vt Euripides in Andromache: 40

Κακῶν γυναικῶν εἴσοδοι μ' ἀπώλεσαν,
Αἵ μοι λέγουσαι τοὺς δ' ἐχαύνωσαν λόγους.

Quod est:

Malarum fœminarum introitus me perdiderunt,
Quæ mihi loquentes hos blandè persuaserunt sermones.

Quoniam certè, vt refert Plutarchus libro de educatione liberorum. Ἂν χωλῷ παροικήσῃς, ὑποσκάζειν μαθήσῃ Si iuxta claudum habitaueris, disces & tu subclaudicare. Audi Menandri Comici præcipui versiculos. 50

Σοφοῖς ὁμιλῶν καὶ αὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός,
Κακοῖς ὁμιλῶν καὶ αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Idest.

Cum

Cum sapientibus conuersans, & ipse euades sapiens.
Cum malis conuersans, & ipse euades malus.

Quia igitur hæc mulier, anteaquam nuptui traderetur, semper cum bonis mulieribus, & moratæ vitæ conuersabatur, frustra, meo iudicio, suspicionem de impudicitia eius vir habet.

Adde quod statim monasterium egressa tradita fuit viro, nec in domo patris mansit, nisi diebus octo. Hæc fidem faciunt manifestissimam, perperam de honestate huius mulieris dubitari, quod partum sextimestrem ediderit.

10

Cap. XXIII.

Dubitationes, quæ his dictis accidunt.

CÆterum quia multa sunt, quæ in proposita materia difficultatem faciunt: ea breuiter proponamus, dilucidemusque. Audiamus itaque in primis Galenum in fragmento Commentarij ad librum Hippocratis de septimestri partu sic loquentem: Ante centesimum octogesimum secũdum diem & quindecim horas: vel post quartum supra ducentesimum, nullas, & parum infra ait: Quippe cum nulla citra hoc. rursus sic igitur neq; citius prescriptum hoc termino, sic neque tardius 204. diebus nasci, qui ita conceptus fœtus est, potest. ac parum postea subdit: sed sicuti dixi, neque in minori tempore, quam dimidio anno fieri septimestrem partum fœcundum vult. hæc Galenus. Ex quibus certo certius est, partum ex eius doctrina ante 182. diem no esse vitæ superstitem.

20

Accedit ijs Aristotelis iudicium, qui libris de animalium historia negat partum sextimestrem, affero eius verba libro septimo c. 4. quæ sic habent:

Fœtus, qui maturius, quam septimo mense prodeat, nullo pacto vitalis est. Qui septimo, vitalis quidem hic primum exit.

Notanda sunt hæc verba. Nullo pacto vitalis est: atque hæc, Primum vitalis est: quæ nostram funditus euertere opinionem videntur.

Præterea faciunt difficultatem Auicennæ verba de hac materia dilucidissime differentis. Nam lib. 3. fen. 21. tract. 2. c. 1. inquit:

30

Et scias inde, quod mensis septimus est primus mensis, in quo parit ipsam. ergo, si septimus primus est mensis vitalis, nullus omnino viuet sexto mense natus.

Item nostra opinio refragatur Astrologis, qui recipere nolũt partum sextimestrem; rationemque in planetas referunt.

Postremo quod attinet ad partum nobis propositum, videtur suspicionem facere non contemnendam, (vt quidam Iurisconsultus arbitratur) quod non conueniant inuicem de primo die concubitus ipsi sponsi. alium enim alius dicit. Hæ sunt in hac materia dubitationes.

40

Cap. XXIIII.

Explicatio propositarum dubitationum.

HArum dubitationum explicatio ex iis, quæ hactenus diximus, facile deprehendi potest. Nam, si hoc verum est, quod omni alioquin difficultate caret, artes ipsas fieri per additamentum, non est profecto mirum, si Hippocrates, & Galenus, aliique plures, horum authoritate ducti, putauerint vitalem non esse partum ante centesimum, & octogesimum secũdum diem, id enim scripserunt illi, vel quod longa experientia nouerũt, vel quod ab obstetricibus, quas fide arbitrabantur dignas, audierunt. Non propterea tantam his tribuere debemus, quin alio modo res habere possit; sic experientia meliori in dies indicante. Videtur mihi nullam certe controuersiam habere, potuisse quosdam cognoscere alios etiam esse terminos partus septimestris. Nam quemadmodum non vertitur vitio Hippocrati, qui primus nouit partum dierum 182. aliis incognitum, cur vitio verti debebit Curtio. I. C. qui vitalem partum nouit dierum 181. cur Ægidio Medico, vitalem profitenti natum diebus 180? cur aliis tandem princi-

50

pium ſeptimeſtris eſſe diem 178. experientia nouerunt, ratione ipſa minime reluctante?

Rurſus Hippocrates nunquam nouit octimeſtrem partum vitalem: at nouit Ariſtoteles, ſcriptiſque mandauit: & ego noui pariter, vt ſequenti libro demonſtrabo. An propterea aberrauit Hippocrates? non quidem, quia ſcripſit, quod ab obſtetricibus ſui temporis audierat, & ipſe perſpexerat. Nec errauit Ariſtoteles contra Hippocratem ſcribens, quia, vt ſæpe dixi, meliorem de partu hominis habuit notitiam. Galeni igitur verba intelligenda ſunt hoc modo. Nullæ mulieres partum emittunt vitalem ante 182. diem, quantum Hippocrates nouit: non itaque abſolute intelligi debet hæc ſententia, ſed vt dixi, ad hominem. Si quiſpiam vero diceret, noſtram opinionem eſſe contra Hippocratis ſententiam: Dicerem ideo id contingere, quia ille minime nouit partum ſextimeſtrem vitalem: non autem, quia repugnet eſſe vitalem principijs ab Hippocrate traditis, de quibus hactenus egimus. Sic itaque ſatisfacimus Hippocrati, Galeno, Ariſtoteli, ac alijs non admittentibus partum ſextimeſtrem.

Quod verò ad Aſtrologos pertinet, quanti hac in re faciamus illorum iudicium, ſequenti libro declarauimus. Cæterum quod ſponſi non conueniant de primo die conſummati matrimonij, nihil ad rem facit: quia ſiue concedamus diem ſponſæ, ſiue ſponſi, partus ſextimeſtris eſt, ac vitalis, vt dictum fuit in principio capitis vigeſimi primi. Atque hic primi libri finis eſto.

HORATII AVGENII, DE HOMINIS PARTV, LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quid actum ſuperiori libro, quid poſt hac agendum, & qui ſeptimeſtres dicuntur partus.



DEmoſtratum ſuperiore libro fuit, ſexto menſe natos fore aliquando vitæ ſuperſtites: nunc de aliis partubus agendum, principio facto a ſeptimeſtribus, qui quoniam magnas in ſe difficultates habent, diligenter tractandi ſunt. Partus igitur ſeptimeſtres vocantur, qui dimidiū anni Solaris attingunt, & aliquando ad primos ſextæ quadragenariæ dies perueniunt. Principium enim perfectionis medietas anni eſt, antequam nullum vitalem extitiſſe partum pleriq; commemorant. Summus perfectionis huiuſce terminus eſt, ſextus cum dimidio quadragenariæ ſextæ dies: vltra quem octimeſtris partus continetur: magna vero eſt mediorum latitudo. Si dierum numero explicanda eſt natura partus huius, dicendum, die centeſimo octuageſimo ſecundo, & horis quindecim primum terminum exiſtere: poſtremum ducenteſimum ſextum: à 182. & horis quindecim, ad 206. intermedij dies partum etiam ſeptimeſtrem continent. Annus quippe ſolaris, vt ſuperiori libro declarauimus, complectitur dies trecentos ſexaginta quinque, & diei quadrantem: his centum, & octuaginta duæ horæ quindecim eum efficere numerum comperies: ergo dies 182. & horæ quindecim medietatem anni terminant, atque aliam medietatem inchoāt. Sex quidem Solares, & Lunares pleni, & exacti ſunt menſes, attingente partu, principio ſeptimi, ſiue Lunaris, ſiue Solaris menſis: nempe dies duos cum horis quindecim in Solari, at dies quinque, & horas quindecim in Lunari. & licet dies paucos ſumant ſeptimi menſis, denominationem

nationem tamen facimus à parte totius, quia ita obseruatum est vitalem tunc primum septimestrem esse: & quo vlterius progreditur, eo magis vitalis fœtus est, ita vt qui proxime accedat ad ducentesimum sextum cum horis duodecim, hic censeatur inter septimestres absolutissimus, vtputa, qui complectatur exactos menses septem Lunares constantes ex diebus vigintinouem, & dimidio. Nam septies vigintinouem, ducentos tres: septem dimidiati dies, tres dies integros, & dimidiatum efficiunt. In mensibus vero solaribus dies 206. cum dimidiato, habent dies duntaxat 26. septimi: quod sane comperies hinc verissimum esse, si diebus 182. & horis quindecim, addideris dies viginti tres, & horas duo-
10 decim, erunt in totum dies supputati 206. cum aliqua horarum parte: qui ab exacto, & pleno Solari septimo deficiunt diebus tribus, horis 21. nam dies 210. complent exactum Solarem. Incipiunt igitur septimestres partus esse vitales à 182. & horis quindecim, terminantur ad ducentos sex, & horis duodecim. Intermedij dies omnes vitales magis ac minus, prout magis ac minus accesserint ad ducentos sex, vel recesserint. Quod de quadragenariis dicebamus, ita accipiendum est, quod quinta quadragenaria ex veterum monumentis partim vitalis est, partim non est vitalis, nam priores viginti, dies non perhibentur intra septimum vitalem, imo nec si addas vnum, aut alium diem, licet dies quinque & horæ quindecim, de septimo Lunari sumantur mense: at
20 qui sequuntur postea vsque ad ducentos, inter vitales numerantur. Ego vero censeo post 177 perfectionem habere septimestrem: id hactenus ter obseruaui: nec rationem contrarium persuadentem inuenio. Neque tota sexta quadragenaria lethalis statuenda est, quia sex primi dies cum dimidio septimũ ingrediuntur Lunarem. De his quædam scribemus parum infra. De hoc partu, sic scribit Hippocrates libro huic tractationi dicato: Enimuero septimestres, diebus centũ octuaginta duobus, & quota diei parte vtuntur in lucem. hæc ille. Nos per quotam diei partem intelligimus, horas quindecim, vt in superiori manifestum fecimus computatione. Plutarchus libro de Placitis Philosophorum quinto, capit. 18. idem asseruit ex Authoritate Polybi, cum ait: Polybus, centum, & octuagin-
30 ta duos dies dimidiatumque natales efficere: quod semestre tempus esse, quanto tempore Sol ab vno solstitio ad alterum perueniat. septimestres vero ideo dici, quandoquidem sexti mensis dies in septimo implent. Enimuero Mathematici octo omnis genituræ menses dissociabiles esse aiunt, septem vero fœderabiles. Hæc Plutarchus: Quæ eo potissimum consilio in medium afferre volui, vt studiosi lectores iudicarent, an liber de Partu septimestri Hippocrati ascriptus, magis debeat ad Polybum eius discipulum referri. Sed quædam de hoc argumento dicemus postea.

CAP. II.

40 *Hippocratis difficilium verborum explanatio.*

SEd quo dilucidor nostra hæc reddatur tractatio per obscuram enarremus dictionem Hippocratis, qua ille computandi rationem habet. Verba sic legenda sunt ex Theodor. Zuinzeri viri doctissimi traductione. Nam, si de primo mense dies quindecim, de quinque vero mensibus dies centum quadraginta septem cum dimidiato die, computaueris (duo siquidem menses diebus propemodum vnde sexaginta constant) comperies ad septimam mensem (anni dico dimidium, diei etiam particula quota particulę quotę accedente) amplius quam viginti dies desiderari. Hæc ille. Quod supra dixerat de primo perfectionis se-
50 ptimestris partus termino, id nunc demonstrare conatur, supputatione quadam satis mehercule difficili: quia solet Hippocrates in rebus exercere hominum ingenia difficilibus; vel etiam quia ab harum rerum contemplatione, tanquam à sacris quibusdam mysteriis alios arcere volebat. Summa explanationis in hũc modum habet. Statuamus decimaquinta Aprilis mulierem concepisse, quindecim dies, de toto mense, conceptus adsunt, qui pro vno mense in computa-

tione sufficient. Quinque menses continui subsequentes complectuntur dies centum, & quadraginta septem cum dimidio, sicque ex hac computatione resultant dies centum sexaginta duo & horæ quindecim, si debet fœtus edi in lucem maturus, septimestrisque amplius, desiderantur dies viginti, tunc enim habebimus medietatem anni, id est, spatium dierum centum octuaginta duorum, & horarũ quindecim, quod sufficere pro termino primo supra dixerat. Ex quo discursu colligendum est ad constitutionem septimestris partus non oportere omnes menses integros existere: sed plerunque aut duos, aut vnum deficere; quod fere mihi in aliis etiam partubus contingere videtur. Quoniam principium computationis fieri debet à primo conceptionis die; hic autem accidit, aut mensibus nondum apparere incipientibus, quod admodum rarum est, aut postquam mulier à purgatione liberata est menstruali: quæ res aduenire potest in principio, in medio, in fine mensis. Rursus vero dies partus aliquando vno, & aliquando alio contingit pro varietate maturationis, hinc, vt plurimum mulieres parturiunt in aliqua parte mensis, aut septimi, aut noni, aut alterius: quemadmodum etiam concipiunt aliquando vno, & aliquãdo alio die. Quamobrem intermedij menses integri sunt, in partu quidem septimestri quinque menses ex necessitate exacti, plenique sunt: in nouimestri autem menses septem exacti, alij duo mutili. Hoc volebat ille innuere, quando dicit: Nam, si de primo mense dies quindecim sumamus, id est, de primo ipsius cõceptionis principio. Postea vero, menses exactos addit, quinque, quorum computatio continet dies 147. horas duodecim in vltima porro parte, scribit terminum partus in mense non exacto, de quo scilicet capiat fœtus duntaxat dies 20. & horas tres. sic, vt vides in computatione primus & vltimus mensis exactus non est. Posset autem contingere in principio conceptus, adesse principium mensis, atque tunc in fine solum adesset mensis non exactus: in hunc modum sex statuentur integri, vnus deficiens: vel etiam omnes integri esse possent, quod quoniam rarissimum est, & quod ego sciam, à nemine hactenus obseruatum, propterea huius noluit Hippocrates hoc loci meminisse: qua ille vniuersalem regulam docet, quæ vt in plurimis contingit, ea vero est primum, & vltimũ omnium mensium non esse exactos, ac plenos. Porro proportio, quam hic docet, data est ratione exempli, quia, quod dicit in vltimo mense dies viginti sumi, & in primo quindecim potest contingere modo contrario: nempe, vt primi mensis à conceptu dies sint viginti, vltimi vero mensis, quindecim: aut etiam tuo confingas ingenio, proportionem, eadem seruabitur lex emittendi fœtum in partu legitimo. vt e. g. si statuas primi mensis dies decem, vltimi mensis dies viginti quinque, & horas quindecim, aut è contra, primi dies viginti quinque, postremi dies 10. & horas quindecim. Quod autem adscribat ille dies 147. cum dimidio, quinque mensibus, eo pertinet, vt ostendat, computationem fieri debere mensibus lunaribus, aut etiam, vt quidam dixerunt, Græcorum consuetudine, & fortassis etiam Hebræorum: hinc ille dicit 147. & horas duodecim, cõplecti quinque menses. dies enim viginti nouem, dimidiati, & quinquies multiplicati, eum efficiunt numerum. propterea addit, duos menses habere dies 59. sed habet dubitationem, cur ille locutus absolute non fuerit, sed dixerit, fere siue quodammodo, habere dies 59. nam Græce legitur ἐγγύτατα. An quia neque singuli menses vigintinouem dimidiatum; neque duo menses vnde sexaginta dies pleno calculo, & integra summa capiant. Luna quippe, non ita præcise curriculum suum complet, vt tot diebus nulla aut excurrente, aut deficiente: quamlibet exigua summa, Solem consequatur, sed ea summa adeo exigua est, vt hic venire in considerationem non debeat. Hanc si volueris cognoscere, ad calculum confugito. singuli menses constant diebus 29. horis duodecim, minutis primis 44. secundis vero 4. secundum quam calculationem duo menses continent dies 59. horam vnam, minutis primis 28. secundis autem 8. vnde annus Lunaris assurget dierum 354. horarum 8. minutis fere 49. Decet medicum hæc nouisse: quia naturæ operationes omnes determinatis fiunt periodis, ac numeris: non quidem

dem quod numerus, vt talis est, aliquam habeat agendi potestatem, (hac enim caret, vt infra docebo, pro natura quantitatis) vt quia ratio agendi naturæ, aut celerius, aut tardius pro varia dispositione passi certis numeris constare solet. Cæterum in quibusdã Græcis codicibus legitur οὕτως οὖν τούτων ἐχόντων, id est, cum hæc igitur ita se habeant, quæ superabundare videntur mihi, præsertim, quia in quibusdam codicibus desunt. Hæc verba: Anni dico dimidium, diei etiam particula quota, particulæ quotæ accedente perinde significant, atque si dixissent; Diei etiam particula quota ad partem diei dimidiam adiuncta, quandoquidem ad dimidium anni constituendum opus est non solum supra dies centum o-
10 ctuaginta duos, addere dimidiatum diem, sed etiam præterea octauam partem diei, quæ horas tres continet: ita vt sint horæ quindecim, supra centesimum octuagesimũ secundũ diem. Propter hanc caussam recte concludit textus amplius, quam 20. dies desiderari: quia horæ quindecim addendæ sunt. Cornarius negatiue legere videtur, quam lectionem in Codice Isigrinij obseruaui, παραγίνονται ἡμέραι οὐ πλεῖον ἢ εἴκοσιν. Galenus etiam eandem habet in fragmento. supersunt dies non plures quam viginti, vtraque admittenda est lectio, quia dies non supersunt aliqui supra vigesimum, licet horæ supersint quindecim. Hactenns circa obscuram dictionem Hippocratis versati sumus.

20

Cap. III.

Septimestres partus quam ob caussam censeantur vitales.

NVnc, quæ ab eodem authore dicuntur, quæue pro absolutione tractationis institutæ necessaria sunt, prosequamur: ac primo docendum loco sese nobis offert, quam ob caussam septimestres partus vitales censeantur. Putauerim existere vitales, quia vt partus alij, sic septimestres naturaliter nascuntur. Naturalem veto partum diximus libro superiore tunc potissimum fieri, cum fœtui ex natura alimentum deficit: & cum propter magnitudinem contineri amplius in
30 vtero non potest. Quia vero contingunt septimestribus vtraque, tum naturalem, tum etiam vitalem esse statuamus. Idem accidit fœtui, quod pullo in ouo existenti. Huic enim vbi deficit alimentum ex ouo, non habens sufficiens id, vnde viuat, fortiter mouetur in ouo, vberius alimentum quærens, & pelliculæ ipsum ambientes rumpuntur, ac vbi mater sensit pullum vehementer motum, putamen scalpens, ipsum excludit, quod viginti dierum spatio fieri solet: sic itaque vbi auctus fuerit puer, mater haud amplius sufficiens alimentum illi potest exhibere, vberius igitur quærens calcitrando pelliculas rumpit, quibus tegebatur, & à vinculis exolutus simul foras prodit: hæc antea docuit Hippocrates libro de natura pueri, omnes postea medici confirmarunt, præsertim Auicenna
40 libro tertio sectione vigesima prima, capite secundo. Aliam vero caussam, ac fortassis magis necessariam videtur mihi explanasse diligenter author libri de superfœtatione dum agens de caussis abortus, ita scribit: Mulier, quæ concipit quidem, perdit autem fœtus bimestres, exacte in eodem tempore, & neque prius, neq; posterius, atq; hoc iterum, atq; iterum perpessa fuerit, immo etiam si trimestres, aut quadrimestres, aut vetustiores perdiderit iuxta eundem modum: huic vteri (puro augescente & bimestre, aut trimestre, aut quantumcunque tempus transgrediente, si quando etiam alias augescit) in maiorem amplitudinem non porriguntur, ita vt non amplius sufficiant capiendo fœtui, sed propterea perditur eodem tempore: hæc ille, quod ad partum naturalẽ etiam referri debere, ne-
50 mo est, qui nesciat. Possumus exemplis accommodatis in iuniorem gratiam confirmare, quæ ex eodem Hippocrate sumpta sunt. Planta si in angusto quodam sinu radices egerit, augescens in dies magis, cum nequeat ob angustiam ibi contineri, terram fundit, propriumque frangit receptaculum. Audi rursus Hippocratem. spicarum velamina laxantur, priusquam fructus perfecte maturescat, cum propter magnitudinem intus contineri triticum non valeat. Idem

quotidie obseruamus in amygdalis, castaneis, malis punicis, ac id genus aliis. Humani fœtus (immo vniuscuiusque) eadem prorsus est ratio: nam vbi in angusto vtero ad suam magnitudinem perueniens adaugetur, cumque amplius ob angustiam in eo contineri non possit, rumpit membranas & receptacula, quibus continebatur.

Expedit hic dictionem Hippocratis afferre, & si quid obscurum adsit, interpretari. Cum ergo (inquit) grandiusculus, & robore multum inaugescens, ad hanc perfectionis initiationem pertingit (hoc vero perfectionis statu potius, quam aliis temporibus membranæ, in quibus iam inde ab initio educatus est, remittunt sese, & laxantur, haud aliter quam spicarum folliculi vi aliqua externa, 10 prius nonnunquam fatiscunt, & hiant, quam fructus perfectam maturitatem sit adeptus) validissimi inquam tum, robustissimiq; fœtus vim adferentes membranis: imo vero eas dirumpentes, necessario partum accelerant. Hippocratis in hunc modũ sermo habet. Putant nonnulli spicarum exemplo hic solum posterioris caussæ meminisse. Ego vtranque arbitror explicuisse: cum enim ait: τὰ μὲν ἰσχυρότατα robustissimos, & vegeto calore præditos pueros intellexit, qui alimentum ea de caussa deuorantes, illius penuria ruptis membranulis, ex ergastulo exire conguntur. Hac dictione: Ἁδρότατα crassissimos audiuit, & mole maiori augescentes, quam vteri capacitas ferre possit.

Porro, quomodo membranæ rumpantur declaratũ à nobis fuit in libro de 20 ijs, quæ parturientibus accidunt, qui liber hunc immediate sequitur. nunc etiam pro dilucidando contextu quædam addam. Quando mulieri partus appropinquat, tunc puero sese mouenti, ac manibus, pedibusque calcitranti, pelliculam quandam internã rumpi contingit: vna rupta, aliæ redduntur imbecilliores ac rumpuntur: primum quidem illi vicinæ, coadhærentesque: postea vero, quæ omnium postrema est: cum hæ ruptæ fuerint, fœtus à vinculis exoluitur, ac agitatus foras procedit: neque enim amplius robur habet pelliculis amissis, neque amplius vteri puerum continere possunt. Rumpitur igitur primum omnium ea membrana, quæ fœtui contigua ipsum ambiens vocatur ἄμνιον, aut propter magnam tenuitatem, aut ἀπὸ τῆς μαλακότητος, id est mollitie sic dicta, quod quibus- 30 dam videtur magis verosimile. Rumpitur secundo loco ἀλλαντοειδὴς, id est, farciminalis. Postremo χόριον, quam secundinam vocant. Sic septimestris partus nascitur secundum naturam, ac propterea viuit: hæc verba. Sunt tamen ex septimestribus nonnulli qui superstites manent: tum quod tempus, quo in vtero educati sunt, iustum ac legitimum sit: tum quod subsit etiam ratio, vt ipsi (de iis septimestribus hic mihi potissimum sermo est, qui superstites manent) omnium quorum perfectissimi participes sunt, participes & ipsi quoque sint. & quæ sequuntur. Difficilia videntur, propterea breuiter explananda. Difficultas in eo potissimum consistit, quæ nam sit ratio, & tempus in quibus septimo mense nati conueniant cum perfectissimis, & quorum ratione dicantur vi- 40 tales. Sunt qui dicunt, hisce verbis velle Hippocratem innuere rationem ac tempus à formatione ad motum, à motu ad partum, cuius meminimus libro superiori, & Hippocrates multis in locis egit, ac libro sexto Epidemiorum clarissime, dum ait: ὑποδύναι ἐν περιόδοις ὅτι ἐν ἑπτὰ κινέεται, ἐν τετραπλασίῃ τελειοῦνται, καὶ ὅτι ἐν ἐννέα κινεῖται, ἐν τετραπλασίῳ τελειοῦνται. Quod est, in circuitibus dolores fiunt ob id, quod qui in septuaginta diebus mouentur, imo ter tanto tempore perficiuntur, & qui in nonaginta mouentur in triplo temporis spatio perfectionem consequuntur, ita vt velint in hac proportione temporis conuenire septimestres cum aliis. Verum implicita multis difficultatibus explanatio videtur mihi. Primum, quia hæc ratio computandi nõ est vndique certa, ideo libro de alimento dicitur. Est, & non 50 est. Adde oportere ducentis ac decem diebus septimestres partus perfectos esse, non autem aliquando 182. die cum dimidio. nam septuaginta dies ter multiplicati efficiunt dies ducentos ac decem. Rursus vero, si idipsum quispiam admittere voluerit, quemadmodum author libri de Carnibus scribit, necessario sequitur, omnem septimestrem esse octimestrem: quia à ducentesimo sexto die

cum horis duodecim, incipit octauus mensis, vt constat facta ipsorum mensium computatione. Alia etiam se offert loci explanatio, nempe vt dicamus Hippocratem per rationem ac tempus intellexisse rationem, & numerum integrum ad hebdomadas. de qua alibi scripsit hisce verbis. τὸ παιδίον ἑπτὰ μηνῶν γενόμενον λόγῳ γένηται, καὶ ζῇ, καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον, καὶ ἀριθμὸν, ἀτρεκέα ἐς τὰς ἑβδομάδας ὀκταμήνον δὲ γενόμενον οὐδὲν βιᾷ πώποτ'. Quod est. Puer septimo mense natus ratione fit, & viuit. Rationemque habet & numerum integrum ad hebdomadas. octimestris vero generatus nulla ratione viuit. Dicunt idcirco nonnulli septimestrem partum viuere, quia nascitur septem mēsibus exactis, hocque significasse Hippocratem per rationem, &
10 numerum integrum: sed ego alio modo sum alibi hanc sententiam interpretatus: nunc sit satis docuisse computationes eiusmodi non debere fieri ex motu Solis, sed Lunæ sumendo viginti nouem dies, & horas duodecim, pro mense, non autem dies triginta, de qua re primo libro diximus: hinc factum est vitalem censeri partum editum 182. die, & horis quindecim: quod tempus exactum integrumque non est mensium septem, siue Lunarium, siue Solarium, vt supra demonstratum fuit. Prætermittamus aliorum opiniones, qui nodum, vt dici solet Prouerbio, in scirpo quærunt: doceamusque veritatem. Septimestres partus viuunt, quia omnia pro vita obtinent necessaria, quæ habere conspiciuntur perfectissimi: Quæ sunt hæc, inquies? duo scilicet illa in principio capitis explana-
20 ta, corporis magnitudinem, quam amplius vterus continere non possit, & accommodati nutrimenti defectus, cuius caussa cogitur extra prodire ad vberioris alimenti conquisitionem. Ergo septimo mense nati habent rationem naturalem nascendi, habentque tempus naturale: quia tunc nasci debet puer, cum amplius in vtero contineri nequit: estque hoc proprium in omnibus tempus. Equidem in omnibus dixi, quia nulla ratio est particularis septimi, aut noni, aut alterius mensis, sed quod vni conuenit secundum naturam, id ipsum conuenit alijs. Propterea recte concludit senex venerandus. vt ipsi omnium, quorum perfectissimi participes sunt, participes quoque sint. Quod si quispiam aliquid inesse proprij voluerit in septimestri partu, hic ad naturæ opus confugiat opor-
30 tet, quæ solet certis diebus, ordinatoque tempore perfungi suis muneribus: hocque fortassis putauit auctor huius libri, eodem scilicet modo habere in partu hominis, atque in iudicio naturæ. (quamuis certe par ratio non sit omnino in crisi, & partu.) Iudicat illa morbos septimo, non octauo, non alijs diebus, qui crisimi non sint. Magna dubio procul vis est septimi diei, mensis, ac anni. Septimo, vt dixi die, iudicium illa facit, & per septenarios mouet. Septimus mensis primus censetur antiquis vitalium in pueri partu. ætatum magna fit mutatio septimo quoque anno. de qua libro de carnibus ita locutus est Hippocrates. At vero hominis ætas septenario dierum numero consistit. plura de hac materia alibi diximus. Admoneo tamen vim non esse magnam in ipso numero, vt nume-
40 rus est, sed in natura, quæ moueat eo numero.

CAP. IIII.

Septimestres partus raro vitales nasci, & quam ob caussam id contingat.

ERgo, si quæ superiore capite diximus, vera sunt, non solum conspicua videtur caussa, ob quam viuat puer septimo mense natus, sed enarratio lucidissima euadit verborum Hippoc. Nam obtinuerunt illi quidem iustū, & legitimum tempus in vtero, anni scil. medietatem, ac eo editi sunt in lucē tempore, quo na-
50 tura bene operans mouere solet. Deinde tum sufficientē nacti sunt magnitudinem, qua nequit maior cōtineri in vtero, tum etiam q. alimentū desit idoneum. Aliam etiam caussam afferre vitæ in his verbis apparet. Adde q. de matris vtero ocius, ægrotaturi alioquin 8. mense eruperint. Quorū verborum hic sensus est. Puer octauo mense in vtero cōtentus multos labores patitur, ex natura quadam concomitante octauum mensem, experientia magis quam ratione cognita:

quorum laborum caussa editus aut ægrotat, aut moritur: qui vero nascitur septimo mense, eiuscemodi labores aufugit, quæ ratio quanti facienda sit, examinabitur in tractatione de octimestri partu. Interim vero sciendum est septimo mense natos raros admodum vitales nasci: quia maiorem illorum partem mori ostendit experientia, & ipsius Hippocratis dictio, libello de septimestri partu, sic habens: septimestris raro sunt vitales. Et sane horum fœtuum plurimi pereunt, quod cum parui sint, maiore, quam alij, transmutatione vtuntur: eoque ex vtero egressi dies quadraginta necessario laborant grauissime; qua etiam ratione permultos quoque decimestres perire contingit. hæc ille, quibus verbis eiuscemodi rationē proponere videtur mihi. Repentinę omnes mutationes in omnib. corporibus detestandæ sunt, at vero in debilibus maximum afferre solent periculum. At repentina mutatio fit in fœtu, dum scilicet in lucem prodit, ergo difficilis est, aut periculosa. Maior propositio ipsa constat experientia: si quispiam enim à frigida & sicca regione, in qua diu laborauerit, sese conferat in calidam humidamque sine medio, aut morietur statim, aut certe non mediocriter ægrotabit: de hac mutatione locutus est Hippocrates in Aphorismo, dum ait: Semel multum & repente, vel vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel alio quouis modo corpus mouere, periculosum: omne siquidem nimium naturæ inimicum. Paulatim vero quod fit tutum, cum alias, tum maxime vbi ad aliud facienda est mutatio, sic etiam Lucretius libro sexto, dum pestilentiam passim in Græcia vagantem describit, eleganter confirmat, dicens:

Nonne vides igitur cœli nouitate, & aquarum,
Tentari procul à patria, quicunque domoque
Adueniunt? ideo quia longe discrepat Aer.
Nam quid Britannis cœlum differre putamus.
Eo, quod in Ægypto est, qua mundi claudicat axis?
Quidue quod in ponto est differre à gadibus, atque
Vsque ad nigra virum percoctaque seda calore?

Statuamus itaque omnes repentinas mutationes morbos parere. at, si corpora fuerint imbecilla, non modo morbida fient, sed etiam morientur. moriuntur enim ex morbis illi, quorum vires fuerint imbecillæ, vt in prognostico dicebat Hippocrates. Minor propositio priori non minus constat. Nam fœtus septem mensium, aut plurimum assuetus morari in visceribus matris benignissimo tempore gaudens, in lucem emissus protinus contrarium aeris statum experitur: hinc fit omnes pueros in eo transitu plus, aut minus ægrotare, prout fuerit corporis habitudo aut mala, aut bona. Consideremus modo puerum septimo natum, & conferamus cum nouimestri; dubio procul imbecillior statuendus est ille. nam corpulentiam minorem habet, membraque nonnulla, vt aures, nō bene formata; aut nouimestris grandior est, proptereaque validior censeri debet; ægrotabit vterque in transitu: Sed septimestris multo magis decimestri: hinc ille, vt plurimum morietur, decimestris, vt plurimum viuet. Aliam etiam affert rationem in vltima parte contextus, quæ eandem cum superiori vim habet. est autem huiuscemodi. Aduenientibus grauissimis morbis, qui vires habent imbecilliores magis periclitantur, quam qui validiores habent; hæc enim dignitas quædam est, de cuius veritate neminem arbitror ambigere. At puero in lucem edito quadraginta dierum spatio necessario (inquit Hippocrates) grauissime laborat. ergo si liberari debet, vires validas esse oportet. At nouimestres, decimestresque validiores habent, septimo mense nati imbecilliores, ergo ab hisce incommodis euadent magis illi, quam septimestres. Aliam caussam interitus proponit idem author his verbis: Porro autem quam plurimi fœtus, hac ipsa, septimestri dico ætate, cum membranæ sese remittunt ac laxantur, succedunt in id, quod cedit, & locū dat, ac ibi sumunt alimentum, ægrotantes quadraginta primos dies, alij magis, alij minus. Dolores autem sufferunt, tum propter migrationem, quam fecerunt ex iis locis in quibus alti educati que fuerunt, tum propterea, quod migrando, secedendoque vmbili-

vmbilicum vulſere, & adhæc etiam propter matris interuentum. Nam & membranæ quæ diſtentæ fuerunt, & qui vulſus eſt vmbilicus, matri dolores cauſſantur, & fœtus priori amictu ſolutus grauior redditur. Hæc autem cum fiunt, mulierum pleræque febre corripiuntur, nonnullæ vna cum fœtibus pereunt. Vniuerſæ vero paucos dies eam febrem perferunt. Hæc ille. Quæ verba admodum difficilia vario modo ſolent interpretari. non afferam hic aliorum enarrationes, ſolum dicam, quid ſentiendum putem. Tertiam hic (vt dixi) affert rationem, ob quam ſeptimeſtris partus moriatur, quæ ratio fundatur in quodam caſu contingente ipſis ſeptimeſtribus, ex quo poſtea neceſſario ſequitur
10 mors, aut certe cum magna difficultate euadere illam poſſunt. caſus eſt, quod vbi fœtus ſeptimum attigerit menſem, iam principium (vt diximus) ſuæ perfectionis obtinens manibus pedibuſque calcitrans, rumpit duas priores membranas, tertiam vero duriorem, denſioremque rumpere non poteſt: hinc manet in vtero eadem clauſus membrana, donec vel moriatur, vel tranſactis quadraginta diebus in lucem proferatur. At hoc nequit, vt demonſtrabo, contingere. ergo neceſſe eſt fœtum interire. Oſtendamus diligenter ſingula. Rupto amnio, & allanthoide tunicis, de quibus ille dicit, cum membranæ ſeſe remittunt & laxantur, ſecedunt illi quidem in membrana chorio nuncupata: quæ reliquas ambiens & complectens prolabentem fœtum, quaſi gremio excipit: eiq;
20 quaſi lectulum ſternens, locum dat, & benigne, vt ita dicam, amplectitur. Hanc autem validam, craſſam, duplicem, ac propterea fortiſſimam, pueri priori motu defatigati, neque ſatis validi cum effringere non poſſint, vt in lucem venirent; fit, vt cogantur ibi permanere vſque ad aliud tempus partus. Contingunt ob hunc caſum multa. Vnum, defatigatio pueri in rumpendis membranis. Aliud, in locum minus commodum tranſmigratio. Tertio, vmbilici ex eo motu conuulſio. Quartum dolores in vtero. Quintum febris inſequens, vt plurimum, inflammationem: hæc ſigillatim ab Hippocrate in ipſo contextu proponuntur, quæ ſi vera ſunt, nunquam poterit ſeptimeſtris naſci vitalis. Defatigari puerum in vtero in ruptione membranarum ſatis conſtat: ex ea defatigatione redditum
30 fuiſſe imbecillum argumento eſt, quod fortiorem Chorion rumpere non potuerit. Recepti in hac membrana ægrotant pueri multis de cauſſis: vna eſt locorum commutatio: quia ex amnio tunica molli, ac tenui, in qua à conceptus principio vſque ad ſeptimum menſem concluſus ſuauiter fouebatur, & nutriebatur, excidit in Chorion omnium extimam, reliquis capaciorem, laxioremque tunicam, non adeo illi amica; immo fortaſſis etiam inimica, cum recipiat vrinam, & ſudorem, quorum illa ex alanthoide, hic ex amnio ruptis excidit, effluxitque. At certum eſt hæc fœtui ingrata eſſe, atque moleſta. Alia eſt ægritudinis cauſſa, vmbilici affectus. Nam per eiuſcemodi caſum vmbilicus vtrinque vellitur, ac trahitur, inſtarque chordæ arcus tenſus adeo manet, vt pericli-
40 tetur rumpi. Dixi vtrinque conuelli vmbilicum, nempe ratione principii à quo proficiſcitur, & termini, in quem deſinit. qua enim parte inſertus deſinit à propendente appenſoque fœtu, qui grauitate ſecum trahit vmbilicum vnde medius pendet, & per quem etiam ſumit alimentum: Ex alia parte renititur Chorion, vnde oritur pondus, conaturque ipſum retinere, ac ſurſum attollere. Siquidem vmbilicus à Chorio ſumit originem, & alanthoidem, & amnion tunicas peruadens, medium tandem infantem tranſuerberat. Eſt autem vmbilicus ſimplex, & veluti vnicus caudex ex chorij vaſis quatuor, duabus inquam venis, & duabus arteriis conſtans, in medio ſui habens vragum. illa in ipſo ſtatim chorij exitu in vnum truncum ita coaluerunt. legito quæ ſcribit Ae-
50 tius ſermone quarto, tetrab. quarto capit. primo. Neceſſaria igitur ægritudinis cauſſa eſt vmbilici tenſio, & conuulſio. Addito his poſtremo affectus matris. Hæc quidem ægrotat, primum quia dolorem patitur ex vtero male affecto: deinde quia ruptæ ſunt membranæ, ac fœtus ſua grauitate oneri eſt, cum in loco naturali non continetur. porro ægrotante matre fœtus non poteſt non ægrotare. Vt enim ex ipſa terra quæ ex terra gignuntur, ſic fœtus bona,

è mala adipiſcuntur ex matris diſpoſitione, vt memini legiſſe me apud Ariſtotelem libro ſeptimo Politicorum, capit. 16. immo pereunt fere ex matris morbo pueri, præſertim, ſi morbus fuerit acutus, & fœtus grandior. Quandoquidem nequeunt fieri accommodata remedia ſine illius detrimento. ſi inediam præcipias, nutrimentum tollis: multoque id facies certius, ſi vacuationes adhibeas, aut per venæ ſectionem, aut medicamento purgante, quorum tamen neutrum conuenit: non hoc, quia à quarto vſque ad ſeptimum, ſi materia turget, purgandæ ſunt vtero gerentes: non illa, quia à phlebotomia abſtinere omnino debemus, vbi fœtus multo indigeat alimento. Quid de caliditate febrili dicam? quæ admodum acris exiſtens à puero, cuius vita humido conſiſtit, & calido contemperatis, ab igneo calore conſeruari non poteſt. Eſt autem neceſſarium ſubſequentem febrem continuam non modo eſſe, ſed etiam acutam: nequit enim aut ephemera, aut hectica nuncupari, vt conſtare omnibus arbitror. At, ſi continua eſt, protinus etiam acuta ob loci communicationem cum omnibus præcipuis viſceribus ob prægrandes inquam, vt cum Galeno loquar, venas & arterias: quarum cõſortio ſynochi quædam fiunt ex vtero, vt ille aliquando diligentiſſime declarauit. Hoc innuere Hippocrates videtur mihi cum ait: Nonnullæ vna cum febribus pereunt. Atque concludens propoſitum inquit: Vniuerſę autem paucos dies eam febrem perferunt. quia cum perurens, & acuta ſit febris, diu perdurare nequit, quin ſtatim ſoluatur aut ad bonum, aut ad malum. Sed nequit profecto ad ſalutem iudicari, cum remedia à morbo indicata executioni mandari non poſſint, atque fœtus ob cauſſas prægreſſas iam ſit imbecillus; quam enim ipſo in caſu habere ſpem ſalutis poſſumus? an fœtum prodire ex vtero dicemus ſaluum? Sed qui poteſt prodire, ſi validior exiſtens Chorion frangere non potuit; an poterit imbecillior exiſtens? an tantis poſtea malis ſuperuenientibus? Sed ponamus in lucem edi poſſe, quo ſigno ducti arbitrabimur fore vitæ ſuperſtitem? an addita quadragenaria adhuc erit in ſeptimo menſe? ſtatuamus eiuſcemodi conatum factum fuiſſe 188. aut 190. addas dies quadraginta afflictionis, reſultabunt dies ducenti & viginti, aut ducenti & triginta, in quo ſpatio octimeſtris continetur, in quo non vult ille vitalem eſſe fœtum: aut vltra progrediatur, vt in lucem nono menſe prodeat, qui viuet tandiu laborans, atque etiam ægrotaturus, poſtquam ex vtero egreſſus eſt? nam vt frequenter admonuit fœtu edito in lucem poſt 40. dies ægrotaturus eſt, quos ſi euadet, ſaluus erit. At, quî ſuſpicabimur euaſurum tot laboribus conflictatum? Hactenus videor docuiſſe cur ſeptimo menſe nati ſint vitales, ac etiam quam ob cauſſam maiori ex parte moriantur.

Cap. V.

De quadragenariis quædam huic propoſito conferentia.

QVia fecimus quadragenariorum crebram mentionem, hic pro dictorum dilucidatione dicemus quædam. reliqua vero tractationis huius alibi ſunt explananda. Tres in vniuerſum ſunt quadragenariæ, in quibus periclitari fœtum ſolere ſcriptum ab Hippocrate fuit, & à reliquis poſtea Medicis confirmatum. Harum prima eſt ſtatim ab ipſa fœtus conceptione incipiens vſque ad quadrageſimum diem. fœtus ſi hos pertranſierint, vt plurimum vſque ad maturitatem portari ſolent, plures certe primis menſibus, quam aliis adueniunt abortus: At tranſacto die quadrageſimo rariores: quia inquit, embriones fiunt robuſtiores, & corpus habent ſuis particulis optime diſtinctum, quæ res in maſculis manifeſtiſſime apparent, fœminarum vero per id temporis carnes videntur ſolum habere proceſſus quoſdam non ita diſtinctos, vt in maribus contingere diximus. Hæc quadragenaria tempus vocatur formationis, de quo author libri de natura pueri ſic loquitur. Atque hæc mihi de hoc dicta ſint, & factus iam eſt puer: & ad hoc peruenit fæmella quidem in quadraginta duobus diebus, vt longiſſime primam coagmentationem, & articulationem accipiens, maſculus vero, vt longiſſime in triginta diebus, vt plurimum autem hoc tempore, aut paulo

paulo breuiori, aut paulo longiore articulatio ipsis contingit. hæc de prima quadragenaria. Altera huic succedit, in qua fœtus in vtero existens circa octauum mensem ægrotat. ita quidem scribit Hippocrates, quam vero contingat ob caussam non explicat. Ego autem non video aliquam necessariam huiusce rei caussam, licet Astrologi multa comminiscantur. Tertia quadragenaria quæ à nobis considerari debet, est post natiuitatem pueri: nam quadraginta dierum spatio afflictionem certe patiuntur illi, quos vbi effugerint, fiunt, multo robustiores, & sapientes, (vt loquar cum Hippocrate) conspiciuntur. Si quidem manifestius fulgores aspiciunt, somnum, quem minime antea exaudierunt, audiunt, tan-
10 quam hoc tempore incrementum habeant, & in aliis, & in prudentia, quæ in corpore procedit. Sane si quid natiui genuinique in corpore inest, id vel à primo die elucescit. Siquidem simul ac editi sunt in lucem pueri, vel ridere in somnis, vel plorare deprehenduntur. Quin sponte etiam sua excitati, vel ante dies quadraginta, & rident, & plorant, ij contra qui hebetiores sunt, quibusque nihil genuini inest, ne titillati quidem, aut prouocati vident ante illud tempus. Virtus enim, & facultas consopitur, & muco veluti obruta languet, tum mors fato contingit. Ex quib. colligat studiosus lector, quadragenarias habere vim quandam in hominis partu decretoriam, & quemadmodum dies sese habent in morbis acutis, sic in partu fere habere quadragenariæ videntur. Licet non obser-
20 uetur omnino eadem proportio. Prima quadragenaria, in qua fœtus nascitur vitalis, est quinta. hæc complectitur dies 200. incipitque à die 160. & extenditur in 200. Sexta quadragenaria sexto die similis videtur: nam vt hic tyranni naturam æmulatur, sic illa raro bene cedit, extenditurque vsque ad 240. At septima completur in diebus 280. Si hæc vera sunt, quæ putantur ab omnibus verissima, quadragenaria quinta sexti mensis finem, & septimum fere exactum complectitur. Sexta habet dies tres, & horas duodecim, de septimo mense, & dies quatuor de nono mense, & totum integrum octauum. Septima vero complectitur nonum, ac decimum. Sed quorsum hæc inquies? vt meum confirmem de sextimestri partu decretum, quem vitalem esse nonnunquam supe-
30 riori libro demonstraui. His videor omnia complexus, quæ de septimestri partu ab Hippocrate scribuntur: difficilesque illius dictiones explanasse: nunc, quia difficultates quædam proponi solent, dilucidandæ sunt.

CAP. VI.

Dubitationes contra superiorem sententiam.

EST primo loco satis controuersum, quod de primo termino perfectionis septimestrium dicebamus: nempe de 182. die, horis duodecim, & aliquota diei particula: nam author libri de Carnibus alium assignat terminum, cum ita scribit: Porro vero septimestris partus tres hebdomadarum decades consecutus
40 est. Singulæ autem (inquam) decades hebdomadarum dies capiunt septuaginta. Quo fit, vt tres hebdomadarum decades in summa consurgant ad dies ducentos, & decem. at vero ducenti & decem dies mensem septimum Lunarem progressi sunt, vt superiore calculo manifestum fecimus. Secundo sextam quadragenariam reprobauit Hippocrates: at qui eius principium continet finem septimi Lunaris, qui mensis extenditur vsque ad 206. & horas 12. Tertio in commentario libri de septimestri partu Galeno attributo, adsunt etiam quædam difficultates: & harum prima in hisce verbis consistit. Plerasque igitur (inquit) inter medium terminum centum, & nonaginta, & ducentorum dierum gestasse fœtum deprehendi: celerius, aut tardius paucas: ante centesimum
50 & octuagesimum secundum diem, & quindecim horas, vel post quartum supra ducentesimum, nullas, & parum postea. Vnam (ait) solam mulierem noui, quæ centesimo octuagesimo quarto die exacto partum edidit, & infra. Sicut igitur neque citius præscripto hoc termino: sic neque tardius ducentis, & quatuor diebus nasci, qui ita conceptus fœtus est, potest. hæc ille. In his verbis duo videntur difficilia: primum quod Hippocrates pro termino statuit 210.

diem, hic autem 204. Aliud si exacti menses intelligendi sunt dierum 29. horarum 12. computatio complectetur dies 206. & horas 12. at Galeno non est vitalis, qui nascitur post quartum, & ducentesimum. Audiamus eius verba. faciamus autem dies 29. primi mensis esse ex quo conceptus fœtus est. Quinque vero mensium subsequentium dies 147. & dimidium, septimi 29. & vtrique non integri menses, quam longissimum terminum habeant, si omnes coniungantur vniuersum tempus 205. dierum, & dimidii erit. Fœtum hunc non esse vitalem vult. Dubitationes in hunc modum habent.

CAP. VII.

Positarum dubitationum explicatio.

HArum vero explicatio sic habere videtur mihi: sunt qui dicũt, duplicem esse terminum partus septimestris: vnum in quo iam primũ suam perfectionem adeptus est, quod contingere significauit Hippocrates die 182. horis duodecim, & aliquota diei parte. Alterum in quo perfectionẽ habet exactissimam, quæ finitur, vt illi dicunt, 210. die. Illius meminisse in libro de septimestri partu statim in principio: Huius autem meminisse libro de Carnibus. Addunt computationem aliquando plenis exactisque fieri mensibus, & aliquando inchoatis: de plena computatione locutum fuisse libro de carnibus, de alia vero libr. de septimestri partu. Ego admitto perlibenter vtrunq;, tum quod dicunt de primo, ac vltimo perfectionis termino, tum etiã quod pertinet ad duplicem illã computationem. Ad certe admittere non possum ex eiuscemodi ratione distinguendi quæstionem fuisse dilucidatam. Nam si vera est computandi ratio, quam 1. libro docuimus in vtero gerentibus exerceri debere, adhuc res ipsa manet ambigua. Lunares menses in computatione, id est, dies vigintinouẽ complectentes cum dimidio, non Solares sumi debere docuimus constantes ex diebus triginta: ideoque septem exacti menses Lunares continent dies 206. & horas 12. minime vero dies ducentos ac decem, quos pro termino partus septimestris attulit author libri de carnibus. Putauerim ego eundem non fuisse libri de septimestri partu authorem, qui fuit libri de carnibus, quod etiam scio recentioribus quibusdam placuisse. Et vere multis argumentis ducor, vt ita credam, sed vt prætermittam alia, hoc potissimum nostro proposito conducens fidem facit manifestissimam: quia statim in principio libri de septimestri partu computationem efficit mensibus Lunaribus, vt iam docuimus: at vero libro de carnibus Solarem intelligere mensem certissimum est. ideo hac in re huius authoris opinionem non admittimus, receptissimam Hippocratis, & de qua nemo hactenus dubitauit libro de septimestri partu, sumentes. Multis quidem non indiget vt hanc receptissimam esse opinionem statuam, quia non Medici modo, sed etiam iurisperiti ex Hippocratis testimonio libentissime receperunt.

Certe si velit Author libri de carnibus nasci puerum semper exactis mensibus, vt eius per integras hebdomadas computatio indicat, præter quam quod Hippocrati, experientiæ etiam manifeste contradicit. Quotidie enim videmus in lucem prodire fœtum in primis diebus, in mediis, & vltimis mensis septimi noni, decimi; immo aut nunquam, aut per quam raro fuit obseruatum in ipso exacti mensis die natum fuisse purum. Quod pertinet ad ipsas quadragenarias, nihil illę secundum se totę pronunciare certi possunt, quoniam quinta incipiens die sexagesimo supra centesimum, atque finiens ducentesimo, vitalem fœtum ante 182. & horas 15. ex veterum obseruatione nunquam significauit, neque etiam post 206. & horas 12. In hunc modum neque sexta prorsus damnanda est, primum quia, vt explanabitur in tractationibus de octimestri partu, hic non est omnino lethalis. Deinde, quia sex dies cũ dimidio principij sextæ, & quatuor fiue tres cum horis 12. tum septimum finiunt, tum nouum exordiuntur mensem. Laudauit Hippocrates quintam, damnasse videtur sextam, pro maiori parte sumens quadragenarias, non pro tota latitudine. Cæterum, quæ à Galeno dicuntur, per-

tur, perinde accipienda non sunt, vt partus septimestris terminum definitum tradat, sed fuit scopus docere, quid ille nouerit, atque obseruauerit. Impossibile quidem est, maximam varietatẽ partus vnum hominem nouisse. Nouit ille solam mulierem 182. die exacto edidisse fœtum. Noui ego duas, quæ 190. die parturiunt.

Aliam Auximi quæst. 203. idcirco recte dicit nullas deprehendisse, quæ citius 182. ac tardius 204. pepererint. quibus fidem non abrogat experientiis aliorum, qui scilicet aliquando nouerint nasci vitalem fœtum 172. atque 178. vt etiam 205. & 206. die.

10

CAP. VIII.

Quid Aristoteles, Empedocles, Polybus, Plinius, Aulus Gellius de septimestri partu scribant.

HActenus de Hippocratis, & Galeni sententia. Nunc quid alij de eiuscemodi partu scripserint, perscrutemur, ab Aristotele exorsi, qui in hunc modum locutus est. Sed cum cætera animalia omnia singulari, ac simplici modo partum suum perficiant (vnum enim pariendi tempus statutum omnibus est) homini vni multiplex datus est. Nam & septimo mense, & octauo, & nono parere potest. & quod plurimum decimo, nonnullæ etiam vndecimum tangunt. Fœtus, qui maturius, quam septimo mense prodeat, nullo pacto vitalis est, qui septimo, vitalis quidem hic primum exit, sed magna ex parte infirmior: quamobrem cunabilis ex lana eum inuoluunt, & fasciis alligant: Meatus autem nonnulli infixi vt aurium, aut narium sæpenumero generantur, sed accrescenti articulantur infanti, & demum suam formam recipiunt: & plerique de his septimo quoque natis viuere, atque adolescere possunt. Hæc ille: In quibus colligimus ab Hippocrate partim dissentire, partim conuenire: colligimus etiam hunc authorem non habuisse plenam notitiam eorum, quæ recenter natis contingunt. Dissentit quidem, quod Hippocrates dicat ex septimestribus plurimos mori, Aristoteles vero, plerosque viuere, & adolescere scribat. Deinde Hippocrates profitetur septimestres habere omnia, quæ habent perfectissimi, Aristoteles putat nasci illos mãcos, & mutilos in quibusdam meatibus, qui genito iam puero postea generantur, atque perficiuntur. in eo autem inuicẽ conueniunt, quod non modo septimestrem admittant partum, sed etiam quod vitalem statuant. Admiror autem plurimum, cur dixerit Philosophus, ipsos septimestres, cum sint imbecilliores, cunabulis ex lana imponi, & fasciis alligari, quoniam omnes pueruli recenter editi in ipsis cunabulis ex lana collocantur, fasciisque muniuntur. Neque alium obseruauimus modum ab antiquis vsurpatum pro conseruatione fœtus. in hoc etiam postremo conueniunt ambo, quod docti experientia nouerunt septimo mense natos esse vitæ superstites. Sed Aristoteles non docet modum inuentionis huius. Hippocrates vero profitetur didicisse ab obstetricibus à matronis, & à parturientibus. Placet hic verba illius in medium afferre. Cæterum inexpertus quispiam (inquit) mirari poterit, quod septimestris puer nascatur, si quis autem hoc deprehendere vult, facile est obstetrices adire, quæ parientibus adsunt, & ex ipsis percontari, hæc ille. qui statim ad experientiã in hac materia confugiendum esse docuit, cum ait: cæterum inexpertus quispiam. Quod vero hic de obstetricibus dicit, non est de omnibus intelligendum, sed de illis, quæ medicæ erant, doctæque, vt docui libro de virginitate. Quoniam igitur parturientibus assistunt, cognitionemque habent necessariarum rerum, iudicium ferre possunt. Possunt etiam eædem parturientes nouisse, de quibus libro de septimestri partu ita scribit: Porro mulieribus de partubus fidem non adhibere piaculum est. Quicquid enim dicunt, & semper dicunt, & dicturę sunt semper, non quidem re vlla, aut ratione persuasæ, sed quod in suis ipsorum corporibus fieri deprehenderunt, id dicunt, si quę vero aliud quid velint dicere, per me licet. Verum censores matronæ penes quas huius rei censura est, quæq; in-

20 30 40 50

tegre hac de re, & sincere iudicant, semper testabuntur ac dicent, septimestres sese, octimestres, nonimestres, decimestres, ac deniq; etiam vndecimestres parere. Sed ex his octimestres haud superstites manere. Quin asserunt etiam illæ plurimos abortus prima quadragenaria fieri. Itemque alia, quæ cōtingere commemorata sunt in singulis cum quadragenariis, tum mensibus. hæc Hippocrates. satis de Aristotelis opinione diximus.

Plutarchus libro quinto de Placitis Philosophorum capite decimooctauo Empedoclis, atque Polybi opinionem refert hisce verbis. Empedocles cum primum genus hominum è terra natum est, tantum longitudine temporis diem fuisse propter solis segnitiem, quanta nunc fit decem mensium dies: procedente deinde tempore tantam fuisse, quanta nunc septem mensium, propterea septimestres, decimestresque natales. Quæ sententia nihil habet, aut probabilis, aut certi, propterea relinquenda citra examen. Mox vero Polybi opinionem recensens ait: Polybus, 180. dies dimidiatum natales facere: quod semestre tempus esse, quanto tempore sol ab vno solstitio ad alterum perueniat. septimestres autem ideo dici, quandoquidem sexti mensis dies in septimo implent. Duo sunt circa opinionem Polybi adnotanda: Alterum ipsum ab Hippocrate suo alioquin præceptore in numero dierum desciscere: nam ille septimestri terminum constituit dierum 180. Hippocrates vero 182. & horas quindecim varietatis causa esse potuit, quod Polybus nouerit experiētia, mulieres aliquas in lucem dedisse puerum die 180. Alterum vero notatione dignum est, quod circa tempus semestre non bene conueniant: nam Hippocrates, vt prædiximus, constituit 182. & horas quindecim, hic vero duntaxat octuaginta dies. Plinius libro septimo, capit. quinto, ex Aristotele omnia fere mutuatus inquit: Cæteris animantibus statum, & pariendi, & partus gerendi tempus est, homo toto anno, & incerto gignitur spatio. Alius septimo mense: alius octauo, & vsque ad initia decimi, vndecimique ante septimum mensem haud vnquam vitalis est. Septimo non nisi pridie, posteroue plenilunij die, aut interlunio concepti nascuntur. Postremo hæc Plinij verba limitationem merentur, quia obseruatum est nasci septimestrem, & concipi in omni statu Lunæ dum septimum attigerit mensem: neque enim agunt vniuersales caussæ, nisi in agente bene disposito, vt posthac disputabimus aduersum Astrologos.

Non est prætermittendus postremo loco Aulus Gellius, qui ita scribit: Multorū opinio est, eaque pro vero iam recepta est, postquam mulieris vterus iam conceperit semen, gigni hominem septimo rarentur, nunquam octauo, sæpe nono, sæpenumero decimo mense. Hic omnia, vt ex supradictis constat ab Hippocrate libro de septimestri partu mutuatus est. Velim notari hæc verba: Septimo rarentur. quibus septimestres maiori ex parte lethales esse significauit, vt supra ex Hippocratis doctrina demonstratum à nobis fuit.

CAP. IX.

Iurisperitorum sententia circa partum septimestrem.

SCripserunt etiam Iurisconsulti de septimestri partu. Paulus hisce verbis:

Septimo Mense nasci perfectum partum iam receptum est, propter authoritatem doctissimi viri Hippocratis. Et ideo credendum est, eum, qui ex iustis nuptiis septimo mense natus est, iustum filium esse. Accursius Glossematarius legem interpretatur his verbis: Septimo scilicet incepto, etiam non completo. Ergo in sex mensibus, & vno die potest nasci, vt in ff. de suis, & legitimis hæredibus, l. intestato. §. finali, & vsque ad decimum mensem finitum, & non vltra, vt in Authent. de restitut. & ea quæ pa. §. secundum vero. ver. mulier. col. 4. & d. l. intestato.

Vlpianus I.C. de suis, & legitimis hæredibus multo distinctius de partu septimestri pertractat his verbis.

Post decem menses mortis natus non admittitur ad legitimam hæreditatem.

tem. De eo vero qui octuagesimo secundo, & centesimo die natus est, Hippocrates scripsit. Et Diuus Pius Pōtificibus rescripsit, iusto tempore videri natum, nec videri in seruitute conceptum, cum mater ipsius ante centesimum, & octuagesimum secundum diem esset manumissa. Glossa interpretatur hæc verba, octuagesimosecundo die, dicitque sexto mense exacto, & septimum mensem ingresso spatio dierum duorum. Animaduertendum est hoc loco recte dixisse Accursiū, fœtum si de septimo mense vnicum duntaxat attigerit diem, vitalem nasci, quod etiam Ægidium Medicum scripsisse certissimum est. Immo communis est omnium obstetricum opinio, viuere puerum, si horas quasdam de septimo mense fuerit ingressus. Multoque distinctius ex sententia Hippocratis locutus est Vlpianus, vt qui meminerit dierum 182. Hæc obseruatio Galeni experientiam refellit, qui dixit, nullas partum edere, ante 182. diem. Accursius vnum detrahit diem. Vlpianus horas detrahit quindecim. Quid mirum? Scientiæ fiunt per additamentum, quod vnus non obseruauit, alter nouit. Hippocrates fidem accepit huiusce rei à mulieribus medicis, ab ipsisque parturientibus: vultque illis derogandam non esse fidem: quas tamen in gestationis tempore fuisse aliquando deceptas tum idem testatus est Hippocrates, tum nos ipsi partum postea docebimus. Colligo ex dictis 182. diem non esse sic præfinite intelligendum, vt non liceat etiam vitalem poficisci partum diebus aliquot anticipatis.

Quod scribit Accursius sex mensibus & vnico die nasci vitalem posse, dubitationem habet. quia si menses intelligit ex Lunæ coitu, qualem intellexisse Hippocratem in superioribus demonstratum est à nobis, vtique dies 181. continet plures vno, supra sextum: quia finis sexti mensis est dies centesimus septuagesimus septimus: adsunt igitur vsque ad octuagesimum secundum, dies quinque, non vnus. si vero Solares intelligat menses, qui natus est 180. die, nulla ratione dicetur ingressus septimum. Sed in sexto mense contentus, vtriusque legis sententiam apertissime subuertit, vt puta quæ de partu loquatur septimestri, non sextimestri. Adde his falso videri mihi citasse Vlpiani legem: quoniam in illa nō dicitur, vitalem esse fœtum, si vnum diem de septimo sumpserit, solum enim dierum 182. meminit: qui dies quinque habent ex septimo secundum computationem veriorem: aut dies duos ex computatione mensium solarium. Postremum, quod intelligat mensem inceptum, & non exactum, habere duplicem sensum potest: vnus, quod non sit vitalis natus exacto septimo, vel prope exactum mensem: hocq; satis constat, falsum esse ex iis, quæ supra diximus, in quibus cōmonefecimus tum experientia, tum verbis authoris libri de natura pueri, vitæ superstitem esse eiuscemodi partum. Docuimusque idem contingere, si medio spatio mensis puer nascatur in primo capite libri huius: immo Galenus in commentario id aperte admodum significauit. Alter sensus est, legem loqui de principio mensis, atque de primo termino perfectionis, quam explanationem perlibenter admittimus, vtputa congruam menti Hippocratis. Ergo nascuntur septimestres in principio septimi mensis, vt diebus 178. vsque ad 182. in medietate, vt dieb. 192. aut 194. & in fine mensis, vt 204. diebus, vel quod summum est 206. & horis duodecim.

Iacobus Cuiatius I. C. hac ætate præstantissimus, de hoc argumento ita scribit lib. 4. receptarum sententiarum Iulij Pauli. tit. 9.

Sed vt ad ἑπτάμηνον redeamus, quem maturum partum esse diximus, cum tamen ὀκτάμηνος sit immaturus, si quæratur differentiæ ratio, tribuendum id erit occultæ rationi, & virtuti septenarij numeri. Ac videnda hic omnino erit Epistola 39. Ambrosij ad Hontianum. Ad hæc si quæratur, an is sit maturus, qui ad initia septimi mensis natus est, dicam esse maturum ex leg. 3. §. vltimo. D. de suis & leg. hæred. vt puta si natus sit CLXXXII. die, & si enim exactius dinumeratis omnibus mensium diebus 182. dies accidere possit, vt sextum mensem non impleant, verbi gratia à Kal. Mart. vsque ad diem pridie Kalend. August. dinumeratione facta: tamen in hoc proposito ex sententia Græcorum Iuris Consulto-

rum, ita ineunda est computatio, vt singulis diebus triginta, duntaxat dies tribuantur. Qua ratione 182. dies septimum mensem attingunt. & ita Hippoc. quoque lib 2. Epide. 3. sect. 270. dies pro nouem mensibus putat: nosque hanc putandi rationem semper sequimur. At videtur huic nostræ sententiæ aduersari Paulus dum ait: Septimo pleno. pleno autem id est 210. diebus: qui numerus continet τρεῖς δεκάδας ἑβδομάδων, vt & Hippocrates libr. περὶ σαρκῶν ostendit. Non tamen ideo statim consequitur non nasci partum legitimum circa initia septimi mensis. Nam & 182. partum nasci Hippocrates scripsit περὶ ἑπταμήνου. qui numerus dierum effecit dimidiam anni partem rotundato numero. Hæc verba sunt Iacobi Cuiacij. 10

Multa vero hic sunt, quæ non vndique probantur mihi. ac illud in primis, quod causam quærens ob quam septimestris maturus, octimestris vero immaturus censeatur, id contingere putat ex occulta virtute numeri septenarij. Videtur enim in his ipsis ad numerum referre, quod ad aliquampiam agentem naturam, vt ad propriam caussam, pertinet. scio Philonem Hebræum libro de mundi opificio scripsisse, tantam septenario innatam esse numero diuinitatem, vt hic præter omnes, qui intra denarium sunt, eximiam quandam prærogatiuam habeat. ac eodem libro, septenarium, quasi σεβασμὸν & σεμνὸν, id est, sacrum, & venerandum appellat, ab eo scilicet, quæ ipsi inest cum sanctimonia & religione tum maiestate, tum diuinitate, fuisse appellatum. Nec me fugit, vt prætercam, quod 20 septimo die benedixit Deus, & alia multa, quæ ibi, & libro de vita Moysi, idem scribit, quod Hesiodus libro cui titulus est opera, & dies ita scribit:

Αἵδε γὰρ ἡμέραι εἰσὶ Διὸς πάρα μητιόεντος
Πρῶτον ἔνη τετράς τε καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.

Id est:

Ante dies alias consultus Iuppiter afflat.
Primum trigenam, tum quartam, has septima sacra comitatur.

Et Orpheus antiquissimus Poeta.

Ἑβδομάτῃ φίλησεν ἑκαεργὸς Ἀπόλλων. 30

Id est:

Ecce sagittifero pergrata est septima Phœbo.

Hæc & alia plura, quæ de numeri huius præstantia dici possent, nunquam persuadebunt vim habere ipsum agentem. Aut si persuadebunt Cuiacio, etiam conficient septimestres partus præstantiores, & frequentiores nouimestribus, & decimestribus existere, quod non modo falsum est, sed etiam absurdum. Qua parte, dicit consulendam Ambrosij Epistolam; ego maiorem diligentiam desiderassem. in ea enim nihil adest, quod suo faueat proposito.

Porro enumeratis omnium mensium diebus 182. dies accidere posse, vt sextum mensem, non impleant. verbi gratia à Kalend. Martias ad diem vsque 40 pridie Kalend. Augusti, non facit ad rem: quia anni medietas est Hippocrati dies 182. horæ duodecim, cum aliqua parte diei. non autem computatio omnium dierum, quæ in sex vulgaribus mensibus continetur. Opus enim est, quinque ad minus esse integros: possunt alij duo esse fracti: possunt etiam esse pleni, vt explanauimus. Quod Græci Iurisconsulti dies triginta singulis mensibus tribuerint non admiror: quia putationem sequuti sunt Hippocratis nō correctam, non emendatam, qualem sexto epidemiorum, libro de carnibus, & de nat. pueri, vt hæc non recipitur ab illo in libro de septimestri partu: qui si Hippocratis liber est, dicendum est, antiquam putationē emendasse. Si alterius, hunc voluisse corrigere Hippocratem. Idcirco quando dicit: Nosque hanc putandi rationem 50 semper sequimur. aberrat: quia bona non est putatio, nisi quæ fit ex diebus viginti nouem, horisque duodecim, pro mense. Aberrauitque Paulus Iurisconsultus, cum ait, 210. diem cōtinere plenos septem menses. Nam ex Galeno post diem 204. nunquam vitalis fœtus; ex nostra sententia, post diem 206. & horas 12. computante secundū Hippocratem non esse vitalē. nam ingressus est octauum,

uum, fuit autem caussa erroris antiqua putatio, & non emendata: de qua re primo libro multa. Ideoque licet author libri de carnibus dixerit, partum septimestrem complecti τρεῖς δεκάδας ἑβδομάδων. non est recipiẽdum de tertia decade hebdomadum exacta, si velimus illius veriorem sententiam admittere, quæ in supputatione consistit mensium ex diebus 29. & horis 12. Atque hæc circa Iurisconsultorum sententias, & de partu septimestri dicta sint.

Cap. X.

Quis sit octimestris partus, & cur non sit vitalis ex Astrologorum sententia.

PArtum octimestrem dico, qui in lucem editur post 206. diem, horas duodecim, extenditurque vsque ad 236. Nam à centesimo septuagesimo septimo horisque duodecim, vsque ad 206. septimus mensis extenditur. Quod autem pertinet ad quadragenarias, certissimum est, hũc fieri in sexta, quemadmodum supra declaratum fuit: sed non tota, quia principium illius vsq; ad sextum diem, & horis duodecim: & eiusdem finis à ducentesimo trigesimo sexto die, non includuntur in octauo mense. idcirco principium sub septimo, finis sub nono est. Igitur sexta quadragenaria secundum se tota mala non est. Constans est fere omnium opinio natos octauo mense vitales non esse. Ab his ego dissentio: an bene, aliorum sit iudicium. Fundamentum vero tractationis huius potissimum est perpendere, an validæ sint rationes contendentium octimestrem viuere non posse. Opiniones examinandæ sese offerunt tres. Prima Astronomorum. Secunda Mathematicorum. Tertia vero Hippocratis, & Medicorum, qui illius hactenus sunt doctrinam imitati. de singulis agamus principio facto ab Astrologis. Putant ij referri debere hoc ipsum ad dominium Planetarum septem: quorum singulos, singulis, quibus vterus geritur mensibus ordine quosque suo præesse, & præfici volunt. Deducunt illi hanc assertionem, ex quadam Hipothesi Aristotelica in primo Meteorologicorum scripta, qua asserit, oportuisse Mundum hunc inferiorem contiguum fuisse superioribus lationibus, vt inde vim acciperet, gubernareturque. Quia igitur cum sint Planetæ septem, illico à conceptu, toto primo vteri gestati mense, Saturnus dominium habet omnium supra fœtum, qui frigidus, & siccus existens vitæ solet esse inimicus, propterea primus mensis gestationis periculum non mediocre inferre solet. Huic succedit secundo loco Iuppiter, tertio Mars, quarto Sol, mox Venus, & Mercurius, postremo Luna septimo mense dominatur infima planetarum omnium. Dicunt Astronomi tunc temporis vitalem esse puerũ, quod omnium septem planetarum beneficium sit assecutus: inter quos licet Saturnus maleficus censeatur, tamen quia humiditatem contemperat magnam fœtus præpotenti siccitate, quam infert, propterea primo mense aliquã vtilitatem afferre. At vero transacto septimo mense, rursus Planetæ reuertuntur ad suum dominium. Saturnus octauo mense superior est ita, vt sua frigiditate, & siccitate, segnitie, malo influxu, principijs vitæ semper inimicus existens, puerum natum vel occidit, vel saltem ita male afficit, vt diu prorogare vitam sit impossibile. Hæc in summa de octimestri partu dicere videntur.

Cap. XI.

Impugnatio opinionis Astrologorum circa partum octimestrem.

EXpendamus diligenter, an horum consistere valeat opinio. Atque posito in primis illorum fundamento, Saturnum octauo mense dominari, interrogemus illos, an partus fieri potest omni die, mense, & hora: an autem certis duntaxat diebus, horis, mensibusque nascatur. Admittunt quidem nullum tempus esse in quo generatio, & partus fieri nõ possint, nam experientia constat omni hora, die, & mense puerum aliquando concipi, & nasci. Nascatur igitur septimo (quod exempli gratia dictum sit) Octobris puer octimestris: hunc dicent non viuere ob Thesim illorum, quod scilicet mense octauo dominetur Saturnus.

Nascatur alter octimestris Nouembri,& hunc dicent non viuere, idem de reliquis mensibus statuatur; hinc sequitur Saturnum dominari singulo quoq; mense: immo singulis hebdomadis, diebus, horis atque momentis. Adde quod vna, & eadem horula nascetur quispiam octimestris,& nouimestris, vnus viuet, alter morietur, quod mihi satis absurdum videtur, neq; video aliquam adesse probabilem causam, ob quam id ipsum contingat.

Secundo sequetur, nullum fœtum posse ad maturitatem peruenire: si enim Saturnus dominatur supra fœtum primo mense, eo morerentur omnes, quia semper Saturnus frigidus, & siccus est, vitæ nostræ inimicus, malamque, & perniciosam influentiam inspirat. Cur igitur fiet primo mense generatio? atque si fit, cur non moritur puer? cur idem Planeta sinit puerum transire incolumem statim à conceptionis principio, non sinet eundem viuere factum iam grandiorem, atque robustiorem? resistere non potest robustus, & magnus, resistet tantillus puer,& imbecillus? sane videtur rationi consonũ octimestrem posse multo magis resistere influentiæ Saturni, (& tamen volunt nunquam resistere) quam iam iam efformatum, & conceptum: quem omnes admittunt ipso in vtero augeri vsque ad septimum, & quotidie robustiorem fieri. quæ res videtur mihi maxime controuersa. nec eorum subterfugium aliquid valet, cum dicunt frigiditate,& siccitate contemperare humiditatẽ, & caliditatem. quia illæ qualitates satis bene contemperatæ sunt in semine, & sanguine, & quo maior illorum est abundantia, eo magis abundabit puer vitalibus principiis, vt docuimus libro de calido innato,& multo antea Philosophus libro de longitudine,& breuitate vitæ. Nunc vniuersalius agamus contra hanc opinionem, ostendamusq; mortis caussam in octimestri partu non esse solam influentiam Saturni, vt illi dicunt.

Illud ad cuius effectum caussę concurrunt plures, ab vna duntaxat caussa dependere non potest: sed opus est, vt ab omnibus pro effectionis illarum ratione, originem ducat. Sed omnis fœtus ad hoc quod vitam habeat longam, aut breuem; tandem vt generetur, concipiaturque, à pluribus caussis necessariis fit: itaque minime dependet in vtero ab vna duntaxat caussa. Maior huius discursus nullam difficultatem habet, ex communi, vt ego sentio, omnium authorum consensu: Nam certe eorum, quorum plures sunt caussæ, principia, atque elementa, cognosci non possunt, nisi cognoscantur principia, caussæ, & elementa; quemadmodum scribit Philosophus libro primo de Physico auditu. Minorem propositionem omnibus notissimam esse arbitror. Homo enim non modo gignitur à cœlo, Planetisque, sed etiam à particularibus,& proximis caussis: nempe ab vtroque semine tum maris, tum fœminæ: concurrit vterus, vt recipiens instrumentum, sanguis menstruus, vt materia,& alimentum. Ergo si fœtus sine horum concursu generari non potest, neque poterit etiam conseruari, nisi omnes caussæ simul concurrant. Viuet fœtus, si concurrant; non viuet, si nõ concurrant. Quomodo igitur, si vera sunt hæc, necessaria vitæ caussa solum in cœlum, ac Planetas referri poterit?

Amplius in gratiam Astrologorum statuamus nasci aliquẽ, cui longæuam vitam polliceantur Astra. ex hoc non poterit necessario cognosci natum sub tali aspectu longæuam habiturum esse vitam: quia cum aliæ caussæ vitam efficere possint diuturnam, opus est ex illatione omnium caussarum inferre effectum. Sit exempli gratia aspectus cœli bonus. teneatur mater aliquopiam pernicioso morbo, aut eius pater, aut vterque, vt si lue Venerea affecti fuerint, vel elephantiasi, calculo, podagra, aut alio eiusdem generis contagioso, hæreditarioq; morbo. Ex dubio procul horum semen mala qualitate præditum, ex quo nascetur puer morbosus, vitæque breuissimum terminum habebit: vt quotidie videmus contingere. hincque nihil certi ex caussa vniuersali quod pertineat ad effectum particularem consequemur. Alioquin quorsum oporteret concurrere ad effectum producendum caussas particulares, immediatasque? solum cœlum, magnum puerum, paruum, deformem pulchrum, sanum, morbosum; imò faceret

marem,

marem, ac fœminam, aliaque id genus fere sexcenta insequerentur, quæ omnem superant absurditatem. Ad rerum inferiorum productionem concurrit cœlum, cum suis Planetis: Sed vniuersali non particulari modo, motu scilicet ac lumine, ac fortassis etiam influentiis, quas tamen non admittere Peripateticos constans videtur multorum opinio. At facultatem particularium caussarum secundarumque, minime quidem tollunt vniuersales caussæ: quarum pollicitationes efficere possunt fallaces quotidie, maximeque variabiles. An dicent illi disponere ad hunc aut illum effectum cœlestia, at non inferre necessitatem aliquam? id vltro concedam, si tamen mihi concedant vice versa, ad producendos
10 eiuscemodi effectus plus posse immediatas caussas, quam remotas: ac sub eodem aspectu cœli, ac planetarũ generari homines morbosos ac sanos: ex eodem grano fieri triticum, ac lolium, aliasque res diuersas: quæ si vera sunt, concludere debemus ex vnico aspectu Saturni, aut aliorum syderum non esse metiendam hominum vitam.

Ex opinione præterea Astrologorum destruerentur Aristotelis libri, quibus ille docet ad vitam, & mortem, atque ad longitudinem, & breuitatem vitæ pertinentia: nam si aspectus duntaxat cœli satisfacit, quorsus alias debemus inuestigare caussas?

Ad hæc, si à cœli aspectu vitam necessario habemus, simul etiam habebi-
20 mus actiones alias, quæ vel ad ipsam consequuntur vitam, vel in vita fiunt. id verum esse patet, quia quod dat formam, dat etiam consequentia formam. Hoc autem affirmare non licet, quia sic funditus moralis rueret philosophia, docens hominum mores quo ad virtutes & vitia, publicam, priuatamque administrationem rerumpublicarum, & propriæ domus. Rursus boni & mali homines fierent non disciplinis, non voluntate illorum concurrente, sed necessitate quadam coacti; hincq; manifeste, & impie tolleretur è medio libertas nostræ volũtatis. Rerum nulla adesset contingentia, artes omnes, atque scientiæ pessum irent, frustra quæreremus vxores nobis ex optima sobole genitas, vt boni nascerentur filij, si id non sequitur, nisi necessitate cœli, & horum aspectuum caus-
30 sa. Amplius vane admodum conditæ essent leges, quibus mali plectuntur homines, si ad maleficia illos cogat necessitas à cœli influentijs communicata. Hęc sane absurdissima sequuntur Astrologorum sententiam, qui futurarum rerum sese diuinatores profitentur, atque tribuunt cœlo absolutam, & sufficientem omnium effectuum caussam citra particularium concursum. Hæc non accidunt aliis, qui non tribuunt cœlo omnem vim; sed suam exhibent cœlo suã caussis inferioribus, at ij certe nõ possunt ex vnius planetæ aspectu, vt Saturni, certo scire octimestrem partum vitæ superstitem non esse. Quia eiuscemodi influxus (vt ita dicam) potest euinci, aut mitigari à caussis secundis.

Postremo effectus, qui à plurib. caussis necessario fit, ab vna duntaxat caus-
40 sa fieri nõ potest: sed opus est omnes concurrere, vt prædiximus. statuamus modo caussarum facultatem diuersam esse, atque in productione vnius effectus non conspirare; vtque dilucidior sit sermo, ponamus hominis vitam pro effectu. Saturni aspectus minetur puero mortem: seminum vtriusque parentis optimam dispositionem vitam promittere cum reliquis circumstantijs pertinentibus ad cœli statum, ad anni tempus, ad optimam rationem victus, ad matris conditionem, aliaque eiusdem generis sexcenta, conferamus inuicem actionem cœli, cum actione inferiorum caussarum, fiat collatio inter illas, vtra caussarum magis possit, an prima vniuersalisque, an secundæ, & particulares. Si prima quidem, pronunciabitur mortalis; si præualuerint immediatæ caussæ, sa-
50 lubris fœtus debebit prænunciari: si æqualis fuerit vis, anceps fieri debebit iudicium. Hic etiam addamus, quod non solum cœlestia corpora necessitatẽ rebus ipsis non imponunt, sed neque etiam inclinationem: quia, quod quis hanc, aut illam habeat inclinationem: nascitur à cœlo, vt à caussa communi, & à caussis secundis, vt à proximis immediatisque. Sic ratiocinemur: Quod habet inclinationem à pluribus caussis necessariis, cognosci non potest, sine cognitione

omnium caussarum. Fœtus octimestris habet inclinationem ad mortem à pluribus caussis: plures igitur caussæ cognoscendæ sunt. Quis igitur ad solum cœlum confugiat? sed de Astrologorum opinione satis.

Cap. XII.

Mathematicorum opinio de partu octimestri.

MAthematici dixerunt octauo mense natum non esse vitalem, quoniam octo menses genituræ sociabiles non sunt, quemadmodum sunt septimestres. Quoniam vero multi horum opinionem explicarunt, sed nemo diligentius Plutarcho, illius affero hic verba libro quinto, de Placitis Philosophorum, cap. 18. quæ sic habent: Mathematici vero octo menses omnis ferunt esse genituræ dissociabiles: sociabiles septem. Dissociabilia signa sunt, si stellas, quas œcodespotas, id est, domicilij dominia vocant, nacta sunt maleficas. Nam si quis harum vitam, & viuendi institutum sortitus sit, infortunatos eos, temporariosque portendunt. signa dissociabilia vocantur octo: Veluti Aries cum Scorpione est disiunctus, Taurus cum Sagittario disiunctus, Gemini cum Capricorno, Cancer cum Aquario, Leo cum Piscibus, cum Ariete Virgo. Hinc septimestres, & decimestres esse vitales: octimestres propter mundi dissidentiam enecari. hæc ille. Horum præterea nonnulli dicunt fœtum vitalem esse septimo, & mortalem octauo mense natum. quia secreta quædam ad mortem, ac vitam adest sympathia cum septimo, & antipathia cum octauo: ij ergo omnem vim remittunt in facultatem numerorum secretam, quorum opinionem recipit Iacobus Cuiacius magnus Iuris Consultus in interpretationibus receptarum senten. Iul. Pauli libro quarto titulo nono ad S.C. Tertullianum. De quo supra nonnulla agentes de septimestri partu diximus.

Cap. XIII.

Impugnatio opinionis Mathematicorum.

IN primis quidem Mathematicorum opinio falsa deprehenditur perbreui hoc fundamento. Nempe quod numerus quantitatis est species, quodque nulla quantitas principium actiuum est, vt communis est omnium philosophorum assertio. Si hoc fundamentum admittendum est, numerus aut par, aut impar agere nihil poterit in generando, ac multo minus in conseruando fœtu. Nequit enim fieri à numero, quod hic viuat vel non viuat, sed ab aliqua natura sit, intus delitescente, ac suã actionem obeunte determinato tempore. Eodem modo habet res ipsa in fœtu, atque in diebus decretorijs: in quibus profiteor maiorem vim habere ipsam experientiam, ratione. Quandoquidem illa vniuscuiusq; operationis tempus explicat, nempe septimo die iudicari morbos peracutos, decimoquarto acutos, aut vigesimo diuturnos iudicari per septimanas. Quartam diem indicare septimam. Vndecimam indicare decimam quartam: decimam septimam indicem esse vigesimę, & sic de reliquis. at aliquam rationem, (quemadmodum ego sentio) quæ saltem satisfaciat intellectui, minime in mediũ afferre possumus. In hunc modum in partu neglecta prorsus ratione, solaq; experientia contenti omnem prætermittemus Mathematicorum computationem. Cæterum fallacem esse eiuscemodi computationem sic ostendo. Mathematici impares faciunt mares, ac proinde fœcundos: rursus pares numero fœminas, ex quibus debito iure coniugatis prolem reddi perfectam asserunt, ex duob. imparibus, at ex duob. paribus sterile coniugium proficiscitur: vt si quis duos mares, vel duas fœminas inuicem coniungat. hac de causa laudãt numerũ quinarium, septenariũ, & nonum: quod constare asseuerent illos ex numero impari, & pari. Par, vt puta duo, locum fœminæ continens, impar, tria, locum masculi in quinario; sic quatuor, & tria in septenario. Quatuor, & quinque in nono. Vituperant senarium, quia constat ex omnibus paribus, vt ex duobus ter multiplicatis: vel ex omnibus imparibus, vt ex tribus bis multiplicatis: eodem modo numerum

rum duodenum reiiciunt, quia ex omnibus paribus, nempe ex senario, vel quaternario, vel denario, aut ex omnibus imparibus, vt ex nouem, & tribus, ex septem & quinque. Hæc, si vera sunt, in diebus criticis opus esset ipsos reprobare diem decimumquartum, & diem vigesimum: atque inter partus, partum decimestrem; quem tamen illi admittunt, vt supra ex Plutarcho retulimus. Quod attinet ad dies, certum est 14. constare, aut ex solis paribus, vt 10. & quatuor. sex & octo. & ex numero binario septies multiplicato. aut ex solis imparibus, vt ex septenario bis multiplicato. Ex quinque & nouem. ex vndecim, ac tribus. Vigesimus porro habet vel omnes impares, vel pares. Impares si calculus fiat ex
10 quinario quater multiplicato, vel ex tribus, & decem & septem, vel ex septem & tredecim, vel ex nouem & vndecim. Pares vero constituunt vigesimum: vt ex decem bis multiplicato vel ex duodecim & octo: vel ex decimoquarto, & sexto. vel ex duobus & 18. vel 16. & 4. Iam vero ad partum sermonem conuertamus. Decimestris partus omnium perfectissimus est, vt docebo loco suo: at hic constat, vel ex solis paribus, vel ex solis imparibus: nequit autem constare ex pari, & impari. Duo quinquies multiplicati faciunt decē: sex & quatuor faciunt decem. octo & duo faciunt decem. Ex imparibus constant, septem & tria. quinque & quinque. Reddant rationem mihi, qui confidunt in numeris, cur partus decimestris absolutissimus non modo nuncupetur ab Hippocrate, sed etiam ipsa
20 experientia eiuscemodi esse deprehendatur, si oportet menses constare ex impari, & pari numero. Satis hæc videntur mihi reprobare Mathematicorum sententiam. Superest admonere, putare me Mathematicos aliud voluisse, cum dicebant septimestrem vitalem, quia ex pari, & impari numero consistebat, quam ipsorum verba significare videantur. Nisi fallor mysticus quidam hic sensus adest. Declaraui libro tertio, de hominis generatione conceptionem fieri non posse, si semina frigidiora in frigidiore vtero, si sicciora in sicciori, & sic de reliquis vniantur: sed frigidius quidem semen indiget vtero tanto calidiore, quanto ipsum abest ab optima temperatione, humidius vero sicciore, & sic deinceps de aliis. Quia certe nunquam concipiet mulier frigido temperamento prædita,
30 vterum habens frigidum, ex semine frigido. Concipiet quidem ex semine calido: vel, si semen fuerit frigidum, si in vtero calido temperamento prædito fuerit proiectum. Vides hic oportere contrarietatem adesse ad formationem fœtus: atque vbi contrarietas, ibi quidem omnia non sunt paria: sed constant ex pari & impari quæ contraria sunt. At par, & par: aut impar, & impar similia, non contraria censentur. Sed hoc aliquando subtilius explicabitur. De Mathematicorum opinione hæc satisfaciant. Nunc ad Hippocratem accedamus.

CAP. XIIII.

Octimestris partus cur non viuat ex sententia Hippocratis

40 Librum scripsit Hippocrates cui titulum indidit de partu octimestri, in quo pauca admodum tradidit ad eum partem duntaxat pertinentia: nam alia ad decimestrem, alia ad vndecimestrem, quædam ad situm fœtus in vtero, quædam ad modum parturiendi, ac rursus quædam ad alia eius generis, quæ non modo vnum, sed etiam alium respiciunt partum. Solum agit de octimestri partu in principio tractationis, in quo docere caussam vult, cur octauo mense natus non sit vitæ superstes. eius verba in medium nostra alioquin consuetudine primum afferemus, mox vero difficilem sententiam dilucidare conabimur: atque tertio loco examinabimus. ille igitur ita scribit:

50 De octimestri partu sic sentio. Impossibile est, vt duas consequenter succedentes afflictiones pueri ferre possint: & propterea octimestres non superstites manere. Contingit enim ipsos consequenter affligi tum ea, quæ in vtero fit afflictione: tum ea, quæ in partu accedit, & ob id nullus octimestris vitalis est. hæc ibi. libro de septimestri partu ita scribit. Porro mulieribus de partubus fidem derogare non oportet: dicunt enim omnia, & semper dicunt, &

ſemper proferunt: neque enim aut opere, aut ſermone perſuaſæ ſunt, ſed ex eo, quod cognouerunt in corporibus ſuis contigiſſe. licet autem & volentibus aliud dicere. Quæ vero iudicio præditæ ſunt, & victoriam de hac ſententia pronunciant, ſemper dicunt ac teſtantur naſci ſeptimeſtres, & octimeſtres, & nouimeſtres, & decimeſtres, & vndecimeſtres, & ex his octimeſtes non ſuperſtites manere. Hactenus Hippocrates.

Duobus modis conatur probare octimeſtrem partum non eſſe vitalem: vno modo ratione, alio experientia à mulierum relatione ſumpta. Ratio quidem habere ſic videtur mihi. Ille partus viuere non poteſt, qui duas ſucceſſiuas afflictiones patitur; octimeſtris partus duas patitur ſucceſſiuas afflictiones: ergo viuere non poteſt. Maiorem propoſitionem ſtatim affert in primis verbis cum ait: Impoſſibile eſſe, vt duas conſequenter ſuccedentes afflictiones ferre poſſint pueri. minorem quidem ſupponit: ſed illius probationem affert in medium cum dicit: Contingit enim ipſos conſequenter affligi, &c. propterea concludit poſtea. Et ob id nullus octimeſtris, vitalis eſt. Pro dilucidatione rationis huius ſciendum eſt, quoſdam fœtus ſuæ perfectionis principium, tum quo ad formationem omnium partium, tum quo ad magnitudinem, ac robur, fuiſſe conſecutos in principio ſeptimi menſis, vt ſuperiori tractatione demonſtratũ mihi fuit; hi quidem cum in anguſto contineantur vtero, tunc ſuæ magnitudini non proportionato, poſtulentque magis nutrimentum, quam à matre poſſit illis impartiri, exitum quærunt, aut ſeptimo inchoato, aut dimidiato, aut finiente: ſique prodeant illi in lucem, viuere quidem illi quandoque poſſunt, licet pro maiori parte ſint mortales, vt docuimus. At vero ſi poſt eiuſcemodi conatum adhuc in vtero contineantur, quod ſcilicet rumpere pedibus manibuſque non potuerint membranas: tunc octauo menſe imbecilliores facti ex eo motu, ſed non ad extremum, ita vt amplius non conentur foras prodire, ſi forte fortuna nouum impetum efficiant, rumpantque calcitrando membranas, tunc quidem vbi nati ſunt, adeo redduntur debiles, vt omnino viuere non poſſint. Duæ igitur afflictiones, de quibus meminit Hippocrates, quæ contingunt octauo menſe natis hæ ſunt. Vna quidem in ſeptimo, quando fœtus iam maturus calcitrando, ac ſeſe violenter mouendo multum laborauit, ſed incaſſum, cum rumpere non valuerit membranas. Secunda, quando in octauo menſe rurſus eandem pugnam iniuit, de qua reportando victoriam foras prodijt ex vtero. hæque duæ afflictiones ſunt ſucceſſiuæ: non quod ſemper durante ſeptimo duret ipſa afflictio, ſed quia exiguum tempus inter vnam, & aliam intercedit, ſecundaque ſequitur, nondum fœtu à labore primæ afflictionis inſtaurato. ideo non poteſt illas ferre. De Hippocratica ratione, atque enarratione hactenus. Cæterum quod attinet ad aliud Hippocratis fundamentum, non agam pluribus, quia nulla indiget explanatione, ſolum poſtulat credulitatem: vt ſcilicet fidem adhibeamus mulieribus teſtantibus fœtus octimeſtres viuere non poſſe.

Cap. XV.

Dubitationes contra ſententiam Hippocratis.

SEd circa vtrunque Hippocratis fundamentum non contemnendæ ſeſe offerunt dubitationes, quas ſingulatim afferam. Prima quidem harum eſt, quod neceſſaria non videatur mihi ratio Hippocratis, quæ potiſſimum innititur in hoc fundamento: octimeſtrem ſucceſſiuas pati afflictiones duas, vnam in ſeptimo, aliam in octauo dum foras prodit. Neque enim aliqua harum adeſt afflictionum neceſſitas. Septimo menſe licet puer bene formatus exiſtat, non propterea affectat exitum, ſed ille duntaxat, qui ob paruitatem vteri, ſuique magnitudinem nequit amplius contineri in vtero: quiue maiori indiget nutrimento, quam poſſit à matre ſubminiſtrari, aut etiam maiori aeris refrigeratione. At neceſſe non eſt, ſeptimeſtrem puerum tunc in vtero contineri admodum anguſto, & illi deficere alimentum: idcirco non oportet admittere ægrotare,

ægrotare, affligique puerum in septimo mense, vt foras prodeat. Vtique rationem Hippocratis admitterem, si in omni fœtu septimo mense, eiuscemodi contingeret afflictatio, at quia hæc, vt manifestissimum est, non contingit, nisi in primiparis, & in ijs, quæ alia ratione habeant paruum vterum, fit, vt putem, non esse admittendam eiuscemodi argumentationem: maxime quod certissimum est alimentum in septimo mense non deficere omnibus vtero gerentibus. Notandum est, Puerum in vtero perfectum dici duobus modis: vno quo ad formationem omnium partium, & hæ quidem multo ante septimum formatæ sunt, vt ex Hippocrate docuimus libro de hominis generatione, & quotidiana experien-
10 tia testatur, licet quædam particulæ minimæ possint deficere in septimo, vt ex Aristotele constat; Alio modo dicimus puerum perfectum in vtero: quia iam maturus est, vt foras prodeat. Prior perfectio non significat necessitatem partus: quam vtique significat posterior. in hoc autem consistit, vt amplius in vtero contineri non possit, vel ob vteri paruitatem, & fœtus magnitudinem, vel ob nutrimenti defectum, necessitatemque respirationis frigidioris aeris, vel etiam simul ob vtranque caussam; vt spicarum exemplo manifestum fecit Hippocrates: ex hac maturitate deducitur necessaria ratio ad partũ, cum amplius nequeat in visceribus contineri. Hæc si mense contingant septimo, fœlicibus auspiciis exit puer: si octauo, in eodem editur in lucem: si in alijs deinceps mensibus, fit in
20 illis partus.

Præterea facit difficultatem, quod dicat nasci octauo mense post afflictionem successiuam factam in septimo: sic enim insto. Post primam afflictationem septimo factam, aut fœtus imbecillitatem contraxit: aut non contraxit: Si debilis factus est, & ægrotauit, vt ex verbis Hippocratis omnes medici deducunt: fœtus non poterit in octauo in lucem prodire: quia, si validior existens rumpere membranas non valuit: neque etiam valebit easdem rumpere imbecillior factus. Sed si non ægrotauit, neque fuit redditus imbecillus, quæ caussa mortis afferri potuit in partu octimestri? non morbus septimo præcedẽs, non pueri mala formatio, non matris morbus, in summa nihil adest, quod perniciem afferat. Vi-
30 detur mihi magis consonum rationi, statuere validiorem esse fœtum octauo mense, quam septimo: tum quia grandior ac robustior: tum quia rumpit eo tempore membranas, quas septimo rumpere non potuit mense. Nemo vnquam inficiabitur validiorem esse fœtum, qui rumpere possit, quam qui non possit.

Amplius, si verba Hippocratis consideramus, coniecturam fortassis deducemus aliquam sententiæ melioris. Non dicit ibi Hippocrates omnibus septimestribus afflictationem contingere; sed ait: Contingit enim ipsos consequenter affligi: tum ea, quæ in vtero fit afflictione, tum ea, quæ in partu accedit. quæ verba non sunt intelligenda, de omni puero septimestri, sed duntaxat de eo, qui absolutus, & maturus ad partum incassum laborauit septimo festinans exi-
40 tum. Moueor vt ita credam, primum, quia multo frequentiores sunt partus nonimestres, decimestresque, quibus id in septimo contingere mali non potuit, quum tunc ad partum non erant maturi: deinde vero, quia dicit ille, contingit, non autem, Necesse est. at quod contingit, abesse potest, atque si potest abesse, id non contingit omnibus. Quamobrem sententia Hippocratis potissimum verificatur de iis, in quibus accidunt duæ successiuæ afflictiones; vna, quæ toto fere septimo accesserit inanis, altera quæ subsequuta fuerit mense octauo in partu, vt si exempli gratia sic diceret. Quidam fœtus septimo mense festinantes exitum manibus, pedibusque calcitrando, & caput vndique mouendo, cum non possint exire, adhuc magis laborant, conanturque rumpere membranas, du-
50 ratque eiuscemodi conatus toto septimo, & postea subsequitur in octauo, in quo tandem cum ingenti labore, à defatigatione corporis, nascuntur morbosi, atq; ob præcedentes labores ita imbecilli, vt superueniente postea mutatione aeris, alimenti, & vestimentorum, viuere non possint.

Bonam esse, atque doctrinæ Hippocrati consonam enarrationem nostram hinc etiam colligas licet, quod non est necessarium puerum octauo mense

ægrotare: quidam enim ægrotant, quidam non ægrotant: & certe qui ægrotant, & nono mense nascuntur, superstites manent, sed aliqua parte corporis, vt plurimum mutilati fiunt, aut claudi, aut cæci, aut quidpiam eiuscemodi patiuntur. at qui non ægrotant octauo, ij quidē sani nasci solent in nono mense: vt libro de septimestri partu docet. quæ si vera sunt, manifestum etiam faciunt non esse necessariam in omni fœtu successiuam illam in duobus mensibus afflictationem: imo, si vna fuit in septimo, & inanis; in octauo toto quiescens fœtus, parturiendus nono. fietque in interuallo robustior, & à morbo penitus conualescet.

Iam vero quod pertinet ad ipsam experiētiam à mulieribus petitam, quanti fieri debeat, idem author, aut quisquis scripsit librum de natura pueri, manifestum facit: vt qui in ijs, quæ ad partum ipsum pertinent, non vult mulieribus fidem adhiberi. Negat eo libro fœtum vndecimestrem, cuius fidem faciunt mulieres, præstat afferre in medium eius verba, quæ sic habent: 10

Quin etsi alimentum à matre prius defecerit, etiam si partus matri prius aduenit, & ante decimum mensem puer prodit. Cæterum quæ longius quam decem mensium tempus vterum gestare sibi visæ sunt, nam hoc iam sæpe audiui, illæ ipsæ hoc modo, quem dicam, deceptæ sunt. Hæc ille. quibus vides reprobatum fuisse ipsarum mulierum experimentum.

Deinde libro de septimestri partu mulierum hac de re iudiciū arguit: cum scribit. 20

Verum dies haud similiter dicunt, neque cognoscunt mulieres: decipiuntur enim ob id, quod non eadem ratione fiat, sed aliquando à septimo plures dies accedunt ad quadraginta, aliquando à nono. Sed esto, firmum sit harum iudicium, audiui ab obstetricibus meæ prouinciæ, atque à probatis matronis, periculosum esse partum octimestrem, quia aut, inquiunt, fœtus moritur, aut mater. idcirco nequit certo pronunciari, puerum octauo mense natum necessario moriturum. Dixi, quæ mihi difficultatem faciebant circa sententiam Hippocratis statim in principio libri de partu octimestri conscriptam. Nunc prosequor reliqua. 30

Cap. XVI.

Octimestrem partum nasci aliquando vitalem.

QVia puto puerum octauo mense natum aliquando vitæ superstitem esse posse, id nunc declarare in animo est, licet Paradoxum esse sciam. Primum vero agam authoritatibus illustrium authorum, mox vero conabor afferre, si quas inuenire validas potero, pro huiusce rei confirmatione, rationes. Aristoteles primus fortassis omnium veterum consensum de octimestri partu redarguere conatus est libro septimo, de anim. histor. capit. 6. dum inquit: Qui autem mense octauo nascuntur, viuere ac adolescere in terra Ægypti possunt, & quibusdam aliis in locis, vbi mulieres fertiliores sunt, multosque simul facile, & ferunt, & pariunt, etiam si monstrosi sint. Sed locis Græciæ multi intereunt, nec nisi perpauci seruantur: vnde fit, vt si quis seruetur, non octauo mense natus existimetur, sed mulierem sui conceptus initium latuisse, & in principio capitis eiusdem inquit: Cum semen conceperit vterus, statim se contrahit, donec ad septimum mensem ventum sit: octauo iam adaperitur, atque dehiscit, & partus, si viuit, descendit mense eodem. idem scribit 10. problemat. 40. & 4. de gener. auimal. cap. 4. absolute scribit octauo mense natos superuiuere posse. hæc Aristoteles, ex quibus colligo, primum in Ægypto viuere octimestres, secundo in aliis locis, tertio in Græcia, quarto vniuersaliter dixisse, octauo mense partum fieri vitalem. Perlustremus modo alios. Plinius egit bis de hoc argumento. in libro 7. cap. 5. cum ait: Vestilia C. Herdicij, ac postea Pomponij, atque Orficij clarissimorum Ciuium coniunx ex his quatuor partus enixa. Sempronium septimo mense genuit. Suillium Ruffum vndecimo. Carbonem septimo, vtrunque Consulem. Postea Censoriam Caij Principis coniugem, octauo. secundo scribit de eadem materia libro decimo, capit. 5. his verbis: Translatitium in Ægypto est, 40 50

pto eſt, & in octauo gigni; iam quidem, & in Italia tales partus eſſe vitales: contra priſcorum opiniones variant hæc pluribus modis. hæc Plinius. Ex quo deducimus generatim in Italia vitales octimeſtres eſſe ſpeciatim verò Romæ. Cæcilius Poeta ita ſcribit.

Inſolet ne mulier decimo menſe parere?
Pol nono, etiam ſeptimo, atque octauo.

Eam rem Cæcilium non inconſideratè dixiſſe, neque temere à Meandro, atque à multorum opinione deſciuiſſe M. Varronis antiqui authoris decretum facit, huiuſcemodi partum libro decimo de rebus diuinis admittendis. Diocles, & 10 Polybus Medici ex Empiricorum ſecta admodũ clari cognouerũt genitalem eſſe octauum menſem: etſi fœtum fieri aliquando languidiorem, quoniam multi ex infirmitate perierint; ferè tamen octimeſtres non pauci in viros euaſerunt. Auicenna grauis author libro 9. de animalibus ſexto menſe, & octauo vitalem edi fœtum, ſcribit. Nicolaus Florentinus idem ſeſe obſeruaſſe teſtatiſſimum facit. legito etiam Braſauolum libro 4. aphor. com. primo. Antonium Fracantianum libro de Alimento idem confirmantem ex Peripateticorum ſententia iis ego manus adhibeo, vt puta qui hactenus diligenti facta computatione bis in hanc vſque diem partum octimeſtrem vitalem obſeruauerim. Certe magna poſteris fides adhibenda eſt. Poſtremo idem confirmare mihi placet auctori- 20 tate eiuſdem Hippocratis libro de alimento, in quo ita ſcribit, ἔςι γὰρ καὶ ὐκ ἔςιν ὀκταμηνός γένεσις quod eſt. Eſt autem, & non eſt octimeſtris partus. Quod eſt. Octimeſtrem partum eſſe quidem aliquando vitalem: at pro maiori parte non eſſe vitalem. Quamuis Sabinus Medicus, qui in libros Hippocratis cõmẽtatus eſt aliam explanationẽ affera, dũ ait ἐςὶ μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν, ὐκ ἐςὶ γάρ: ὡς θνήκοντα μετὰ ταῦτα, καὶ ἐςὶν ὒν φαντασία μὲν παραυτίκα, ὐπ δυνάμει γὰρ ὐκ ἐςί. id eſt. Apparent quidẽ veluti animalia poſt abortum: ſed nequaquam ſunt: quippe quæ ſtatim vita excedunt. itaque eſſe quidem tantiſper imaginantur, ſed potentia non ſunt. hæc Sabinus. Ego tamen priorem explanationem magis probo. Poſſunt præterea, quæ diximus confirmari ex eo, quod cerui naſcuntur octauo menſe teſte Plinio 30 lib. 3. cap. 5. At verò ſunt omnium animalium viuaciſſimi. Adhæc ſi proportionem Hippocraticam conſideremus de formatione ad motũ, & de ipſo motu ad partum, certiſſimè cognoſcemus partum octaui menſis vitalem aliquando exiſtere. Eſt autem proportio: ad formationem dies 35. ad motum 70. ad perfectionem 210. Ad formationem 50. ad primum ſaltum 100. ad perfectionem 300. Alii dicunt ad formam 45. ad motum 90. ad exitum 270. Alii ad diſcretionem 40. ad tranſitum 80. ad elapſum 240. Non eſt, & eſt. &c. eandem proportionem admiſerunt Galenus, Auicenna, vt primo libro demonſtratum fuit

Formatio igitur fiat die 35.
Motus fit die 70.
40 Partus verò die 210.

En habemus partum octimeſtrem: nam 236. terminant ſeptimeſtrem, eſt enim principium illius dies 206. & horæ 12. ergo dies 210. quatuor dies habet, aut tres, & horas 12. de octauo menſe lunari facta computatione.

Ruſus:
Formatio fiat die 38.
Saltus ſiue motus erit die 76.
Partus erit die 228.
At hic partus octimeſtris eſt.
Ac tandem:
50 Fœtus ſit formatus diebus 39.
Erit eius motus ac ſaltus die 78.
Succedet partus die 234.

Atque hic etiam dies in partu includitur octimeſtri. Quamobrem ſi vera eſt eiuſdem authoris regula, ſtatuere oportet partum octimeſtrem naturalem eſſe, atque vitæ ſuperſtitem.

Alia etiam via id persuadeo; scilicet iis, quæ idem author de quadragenariis dicit. Nam ille quidem quintam admittit quadragenariam: reprobare videtur sextam. At qui in vtraque vitalis partus fit. in quinta vt diximus ingreditur sextus mensis ac septimus: in sexta septimus, octauus, nonus. Ergo si admiserimus quintam, sextimestrem vitalem existere confitebimur. Si verò sextam negabimns, septimum, & nonum simul mensem ad vitalem partum idoneum non esse statuemus. Quia à ducentesimo vsque ad sextum & horas 12. includitur septimi finis. à 236. vsque ad 240. principium extat noni. Ergo si vitalis nascitur puer in principio, & fine sextæ quadragenariæ, cur non nascetur in media? maior erit ratio extremorum, quàm medii? imò cur non maior ratio medii, quā extremorum? 10

Postremo si admittatur illorum opinio, qui mensibus solaribus computationes efficiunt ex plenis integrisque, atque propterea volunt septimo mense pleno natum vitalem esse, vt de Iu. Paulo Iuris Consulto supra dicebamus, quis dubitabit octauo mense natum esse vitæ superstitem? Pleni menses septem constituunt dies 210. in quibus adsunt dies tres, aut quatuor de octauo Lunari, vt computatione facta constat. Neque putandum est in eam opinionem temere antiquos illustresque authores peruenisse: sed contra ideo scripsisse pleno mēse parere mulierem, quia aliquando sic contigisse ab illis fuerit obseruatum. Cum Aristotele igitur concludo, nullum certum, determinatumq; homini solo datum esse pariendi tempus post absolutam omnium partium conformationem: atque octimestrem aliquando vitalem nasci. Quia si spectemus fœtus formationem, melior est dubio procul ipso septimestri, euasit enim maior, ac ideo etiam robustior. Si parentes ipsos, potest æque generari ex optimo semine parentum. Si fœcunditatem mulierum, sunt vbique fœcundissimæ. Si aeris temperiem, habet Italia, Græcia, Hispania, Ægyptus, aliæque subinde regiones quàm plures aeris temperiem ad hunc effectum producendum idoneam. Si cęlum contempleris, hoc nihil potest imprimere in particulari sine dispositione parientis. Si obseruationes clarissimorum Authorum consideres, iam quidem manifestum fecimus Aristotelem, Auicennam, Plinium, M. Varronem, Cæcilium, Dioclem, Polybum, Plutarchum, atque ex recentioribus Nicolaum Florentinum, Brasauolum, Ferdinandum Menam, Antonium Fracanzianum Vicentinum, Nicolaum Massam, Terellium, & alios plerosque docuisse octimestrem aliquando vitalem prodiisse. Atque si postremo rationis Hippocratis animaduertemus, illas non concludere cognòscemus, ac ex eiusdem doctrina longe potiores deduci posse rationes contrariam opinionem persuadentes. Quæ cum ita sint, fine imposito huic tractationi, ad nouimestrem partum mea progreditur oratio. 20 30

CAP. XVII. 40

De Partu nouimestri.

NVLLAM aliquando difficultatem habuit, quin partus secundum institutum naturæ nono mense fiat. Tria tamen circa hunc partum explanemus. Primum quodnam statuere noni mensis principium oporteat. Secundum an septimestris sit grandior robustiorque nouimestri. Tertiùmquid apud me de hoc partu experientia constet.

Principium nouimestris partus ab Auicenna hisce verbis proponitur. Et quando est illud quod est plus, est quadraginta quinque dierum, & mouetur in nonaginta diebus, & nascitur in ducentis septuaginta: & illud est nouem mēses. Ex quibus colligo duo, principium quidem esse in diebus 270. Alterum verò videri mihi Auicennam computasse solares, non autem lunares menses. Quod attinet ad primum ille computauit ex Hippocratica proportione, de qua proximè diximus, & copiosius libro primo, à formatione ad motum, à motu ad partum: nam ait. & quandoque illud quod est plus, est 45. dierum, quasi dixerit formationis tempus est 45. dierum. Addit illud, Plus. quia formatur 50

30,35.

30. 35. 40. 45. parum antea, & parum postea, longior formatio fit die 45. Hinc postea motus fit die 30. At numerus hic ter multiplicatus facit 270. Noluit ille fœtum nouimestrem formari antea non posse 45. die: ac propterea voluit nasci non posse ante 270. diem: sed, vt dixi vltimum terminum expressit. nam pone formatum esse die 40. mouebitur octuagesimo. nascetur diebus 240. Rursus formatus sit 42. mouebitur 84. nascetur die 252. atque hi termini sunt partus nouimestris, nempe. 240. & 252. ac alii deinceps vsque ad 265. principiumque primum perfectionis erit dies 237. finis verò dies 265. cum horis 12. Facit autem dubitationem, quod computationem ex solaribus mensibus ad-
10 mittere videtur, nam triginta nouies multiplicata faciunt numerum 270. sunt qui dicunt Auicennam locutum fuisse in hac re ex sententia Rasis: vel, iis verbis ex veriori computatione audiuisse fœtum decimestrem: qui ex solaris mensis ratione nonimestris est. Sed Auicenna prætermisso, maius mihi facit negotium Hippocrates, qui dum agit de partu decimestri sic ait: Qui enim in septem quadragenariis nascuntur decimestres appellati, ob id maximè educantur, quod fortissimi sunt, & plurimum à vulgarium puerorum tempore absunt: in quo affliguntur quadraginta ægrotantes diebus circa octauum menses. Ex hisce verbis colligitur voluisse illum partum decimestrem septem complecti quadragenarias: quę faciunt dies 280. vt in calce libri de octimestri partu decla-
20 rauit hisce verbis. Vt ducenti, & octuaginta dies sæpè vndecimum mensem apprehendere videantur, tot enim dies septem constituunt quadragenarias. referantur modo hæc ad nonum mensem. Huius principium est dies 237. finis verò 265. Ac rursus initium decimi 266. finis 295. Ergo partus decimestris habebit dies 14. octauæ quadragenariæ, aut 15. sed non est vitalis ex Hippocrate octaua quadragenaria, cum admittat potissimum quintam, & septimam. Igitur si decimestris natus est in septima quadragenaria, ducentesimus & octuagesimus dies continebit finem decimi mensis, quis igitur erit finis noni mensis? aut quod principium? finis quidem videbitur dies 251. principium erit dies 222. parum plus aut minus, in hunc modum statuentes confundemus principia su-
30 perius posita, in quibus iam conferimus ex veterum computatione principium noni mensis existere diem 237. finem verò 265. horas 12. Quis igitur in ancipiti materia non hæsitabit.

Referam hic primum quid de hac controuersia ad Paulum Tertium Pontificem Maximum alii scripserint. atq; ne videar illis aliquid imponere, eorundē verba transcribere non grauabor.

His (inquiunt) prætermissis, & aliis mensium generibus, quæ huc adscribi possent, dicimus menses hosce, qui de mora in vtero considerandi sunt esse tempus mutationis signorum ex parte perfectionis alicuius signi, quos perfectionales ob id vocauerunt, & hi quidem vsquequaque sunt inter se æquales: hoc au-
40 tem est dierum 28. horarum duarum, & minutorum quindecim, & hæc est opinio Ptolomei in cētiloquio Aphorismo 87. nec non in quadripartiti cap. 4. cuius etiam sententiæ astipulari videtur Hippocrates in libro de septimestri partu cum inquit: Nam qui septem quadragenariis eduntur, qui decimestres nominantur, propterea potissimum coalescunt, quoniam validissimi sunt, plurimumque absunt, à vulgarium puerorum temperie. & quæ sequuntur. Adduntque parū postea. Quibus ignoratis vulgus sæpè fallitur, vt falsò existimet partus quosdā esse octimestres, qui nonimestres sunt, quosdam verò septimestres, qui quidem octimestres sunt, & ideo lethales & quādoque etiam partum septimestrem completum, & perfectum aut abortiuum, aut adulterinum esse diiudicat. Si quis
50 autem septem superius adducta quadragenaria decimestris partus conumerauerit, comperiet menses ex his diebus confectos perfectionales esse, hoc est viginti & octo dierū; nō autē solares ex triginta, aut triginta & vno diebus. Hęc illi.

Multa porrò persuadent me, vt omnino credam, atque profitear, hanc opinionem esse falsam. Nam primum Hippocrati contradicit libro de septimestri partu, qui docens rationem computationis asseruit menses quinque dies conti-

nere septem & horas quindecim supra centesimum, & quadragesimum, at verò ex horum hominum computatione menses quinque cõplectuntur dies 141 cum quibusdam horulis, ac minutis parum plus, aut minus. Deinde in eodem contextu dicit, duos menses habere dies quinquaginta nouem, at verò habet duntaxat dies quinquaginta sex parum plus, addendo horas & minutas partes vt illi perperam dicunt, hoc videtur mihi manifestum opinionis huius argumẽtum falsitatis.

Accedit illos non benè fecisse calculum, nam si mensis à Medicis consideratus in partu est dierum 28. decimestris quidem non esset 280. dierum, vt voluit Hippocrates, sed 282. dierum cum dimidio. neque contineretur decimestris partus in septima quadragenaria, sed octauam ingressus esset, nempe duos dies & horas 12. rem sic habere patet ex calculo, nam supra 280. dies addere oportet horas 20. & minuta centum septuaginta: quæ faciunt summam dierum duorum, & horarum, (vt dixi) duodecim.

Amplius non est dubitandum Galenum fuisse Astrologiæ peritissimum, vt eius monumenta testantur, neque etiam dubitandum Hippocratis dictiones fuisse melius interpretatum, quam alii fecerint. propterea standum illius opinioni in iis quæ dubia sunt circa mentem Hippocratis. Afferamus quid dicat ille hac de re. Annum esse dicit circuitum dierum 355. horarum 12. & quibusdam minutis. Dies complecti horas æquinoctiales. 24. & mensem, dies 29. & horas 12. Videre non possum, quid in rem præsentem clarius dici potuerit: Quamobrem reliquum est, vt veram huius dictionis explanationem in medium afferam. Nouimestris partus principium exorditur à die 237. termiantur in diem 65. supra 200. & horas 12. in hoc duæ ingrediuntur quadragenariæ sexta, ac septima. sexta ferè dies complectitur quatuor. septimæ verò adsunt dies ferè 35. cum dimidio. Sic etiam docuimus supra, septimestrem duarum quadragenariarum esse participem: habet sextæ dies plus minus quinque, aut sex & horas 12. quintæ autem dies 23. quia eius initium est dies centesimus septuagesimus septimus. Hoc modo etiam dicimus partum decimestrem duplici participare quadragenaria. habet quidem septimæ dies ferè 16. Habet octauæ dies ferè 14. quando pleno decimo mulier parturiat. Verùm quod dixerit in septem quadragenariis contineri decimestrem, prætermissa interim octaua id factum fuisse profiteor, quia certe decimestres maiori ex parte medietatem non pertranseunt mensis: qui verò prorogant ortum supra ducentesimum, & octuagesimum, hi rari sunt, quorum pars etiam ad vndecimum mensem perueniunt. Iam supra dixi, & nunc repeto ex quadragenariorum facultatibus nos nihil habere certi; sed maximas habere vires experientiam. Hippocrates constituit terminum decimestris partus 280. diem, vt maiori ex parte aduenientem, non semper. Atque hæc de proposita disputatione sufficiat dixisse.

CAP. XVIII.

An fœtus septimestris sit maior, validiorque nouimestri.

PErquiramus hoc loco, an fœtus septimo mense natus sit validior fœtu nouimestri. Huic quæstioni occasionem dedit Hippocrates, qui libro de septimestri partu, videtur statuisse septimestrem validiorem existere. Eius verba in hunc modum habent.

Manifestant autem de morbis, & passionibus in octimestribus contingentibus, & nouimestres partus, qui graciles eduntur pro temporis multitudine corporis in magnitudinem educentes progressi quidem post afflictionem morbificam, neutiquam veluti septimestres carnosi, similiter & crassitudinem probè altam gerentes, vti qui tempore gestationis salubres vixerint; hęc ille.

Quæ verba manifestissimum facere videntur, septimestres nasci validiores nouimestribus: cuius demonstratio sic habet. Fœtus qui octauum mensem in vtero transegerunt, morbosi, quando nascuntur, longe sunt imbecilliores fœtubus, qui nõ fuerũt morbosi circa octauũ mẽsẽ. At qui nouimestres trãsegerũt octauum

octauum mensem morbosi. septimestres minimè. Igitur septimestres validiores. Assumptio videtur citra omnem difficultatem verissima: quia morbosus fœtus imbecillior est semper, non morbosa. minorem quidem ipso in contextu affert; supponens octauo mense perpetuo fœtum in vtero affligi, quod etiam alio contextu dixit hisce verbis. Alter quadragenarius est in quo circa octauum mensem fœtus in vtero ægrotant, de quibus totus hic sermo institutus est. Ad septimestris fœtus, cum non attigerit octauum mensem sanus nascitur, ideoque validior, & maiori etiam corpulentia præditus est, quia nullus præcessit morbus colliquans carnem, qualis in nouimestri ex afflictione octaui mensis accidit, vt
10 supra dicebamus.

Tria sunt, quæ contra hanc sententiam facere difficultatem videntur. Ratio. Aristotelis autoritas. Experimentum. Quod pertinet ad ipsam rationem, res cõtrouersa non est, fœtum tunc potissimum vires acquirere, sibique comparare validiores, cum diu optimo fruitur alimento: etenim alimentum conseruat, augetque vires. Iam verò non est probabile duorum mensium spatio, quo amplius excedit septimestres, nouimestris puer, & bono fruitur alimento imbecilliorem nasci nouimestrem: imo contrarium persuadet ratio validiorem, & maiorem in lucem prodiere puerum nono mense natum. Occurri fortassis posset huic rationi, quod nisi quid impediat, nouimestris validior est septimestri; vt impedimē-
20 to semper est afflictio, quàm fœtus in vtero octauo mense patitur, ex antipathia fortassis huius mensis ad fœtum. At hoc verè subterfugium esse dixerim: quia octauo mense non semper ægrotant pueri in vtero, vt supra docuimus de octimestri partu tractantes. propterea, si quæ mulieres edunt fœtum mutilum nono mense; dicunt, illum male habuisse in vtero, octauo: at si integer nascitur, tūc non ægrotasse, asseuerant. Demonstratum à nobis fuit octimestrem aliquando vitalem existere, atque non esse admittendam oculatam hanc contrarietatem, inter puerum, & octauum mensem. Nascetur igitur vt maior orpore, sic viribus validior nouimestris.

Aristoteles etiam huic opinioni contradicit, cum inquit: Fœtus qui septimo
30 vitalis quidem hic primus exit, sed magna ex parte infirmior. Quamobrem cunabilis ex lana eum inuoluunt, & fasciis alligant: meatus etiam nonnulli inscissi, vt aurium, & narium sæpè numero generantur, sed accrescenti etiam articulantur infanti, & demum suam formam recipiunt, & plerique de his quoque septimo nati viuere, & adolescere possunt. hæc Aristoteles, qui manifeste admodum scribit septimestres imbecilliores nasci magna ex parte, idque probat ex eo fundamento, quod meatus nonnullis horum inscissi sunt: quæ res licet vera omnino non sit in omni septimestri, vt supra docuimus, aliquando tamen contingit, ac certe citra controuersiam verissimum est nasci septimestres maiori ex parte imbecilliores nouimestribus, & decimestribus.

40 Postremo idem experientia cõfirmat, id ego millies obseruaui, obstetricesq; idem passim confitentur. Sit igitur hoc manifestum, partum nouimestrem validiorem edi partu septimestri. Porrò quod attinet ad Hippocratis verba non est putandum ita sentire illum, quemadmodum significare videtur eius dictio: ea propter explanari à nobis debet, ne quid relinquatur controuersum.

Multa quidem in eo loco Hippocrates declarat, quæ si diligenter considerantur, dubio procul omnem è medio dubitationem tollent: horum vnum est. Matronas testari, sese aliquando octauum mensem difficilius transegisse, quam nascuntur pueri aut claudi, aut cæci: at quando nascuntur perfecti, tunc circa octauum mensem nihil fuisse perpessas mali asseuerant: verba illius ex Lilaman-
50 tii traductione sic habent. Cæterum quot quot Matronæ multos pueros, & inter eos aliquem etiam claudum, aut cœcum, aut aliquo alio damno affectum peperere: ne illæ asserent sese in eiusmodi mutilorum puerorum gestatione octauum mensem transegisse difficilius, quàm in eorum gestatione, quos nulla sui parte imminutos, aut aliquo damno affectos edidere. ac postea addit, oportuisse pueros mutilos aliquo membro natos, octauo mense in vte-

ro ægrotasse, cum dicit: Quinimo fœtum mutilum, & aliqua sui parte imperfectum, adeo vehementer octauo mense ægrotauisse est verosimile, vt morbus haud aliter decubuerit in mutilam corporis partem, ac morbi grauissimi, & sæuissimi in adultis decumbere, & abscessum facere solent. En igitur satis apertum, fœtum ipsum in octauo mense nonnunquam morbo affici grauissimo: nonnunquam nihil affici, & nonnunquam pati quidem morbum, sed non ita grauem contingit, atque tunc sanus euadet, & incolumis, si transactis quadraginta diebus ab ingressu octaui, nascatur: eo enim temporis spatio instauratur à morbo præterito: & quando magis prorogabitur partus ab octauo, eo quidem magis erit perfectior fœtus: ea propter inquit: Quotquot vero octimestres non ita vehementer ægrotarint, sed affecti tamen pro more solito aliquo damno fuerint, illi tamen quadraginta dies vt plurimum in vtero propter vrgentes prædictas caussas in imbecillitate transigunt, sani tamen postea fiunt. qui verò fœtus diebus illis quadraginta in lucem prodierit, superstes esse nullo modo poterit, quo ad dolores, quos passus est in vtero, transmutationes, & graues affectus, post partum superueniunt. contra verò qui in vtero laborauerit, ac in nonum mensem delatus eo ipso prodierit in lucem, superstes erit, ac viuet. Viuet inquam non minus quàm is, qui septimo mense editus est. Hisce verbis distinctionem hanc proponit Hippocrates.

Si octauo mense fœtus multum ægrotauerit, nascaturque nono mense; hic fiet aut cæcus, aut claudus, aut aliqua parte mutilus. si ægrotauerit, sed non ita intensè, tunc aut in lucem editur intra quadragenariam: aut post quadragenariam. Si primum accidat, morietur puer: quia nascetur adhuc imbecillus ex præterito morbo, à quo nondum conualuit: fietque postea imbecillior multo propter labores, in ipso partu contingentes, ob transmutationes, quæ fiunt ab vtero extra vterum & ob mutationem aeris, & alimentorum. At si nascetur post quadragenariam, quia in nono mense nascetur, vtique tunc viuet, vt etiam viuunt septimestres partus: hoc tamen inest discriminis, quod hic nonimestris erit imbecillus, & gracili corpore præditus ob præteritum morbum, à quo licet spatio 40. dierum conualuerit, tamen nondum pristinas vires recuperauit. propterea subiungit Hippocrates. Horum tamen pauci admodum educantur, quod & eam corpulentiam, firmamque corporis compagem, quam qui perfecti sunt, habent, non habeant. & quod labores non ita multo ante exantlati in vtero, & perpessi, ipsos etiam tum molestent, vnde & graciles, & macilenti euadunt. Verum quia fœtus cum nascitur potest aut parum, aut multum de nono mense sumere: ideo pro varietate ipsius temporis contingit, fœtum aut magis, aut minus vitalem esse. propterea rectissimè concludit, salui potissimum euadũt si affecto nono mense, & proximè fini deducto nascuntur. Nam sic validiores robustioresque, & adhuc plurimum distantes ab his morbis, quos octimestres pertulerunt, nascuntur. Atque huius occasione comparationem facit partuum nouimestris, ac decimestris, afferens partum decimestrem esse perfectissimum, & absolutissimum omnium, quia longissimè distat ab afflictione, & morbis, quos perpeti aliquando solet octimestris. Atque posito vtrunque partum octauo mense morbosum fuisse, rectè dicit, validiorem & robustiorem esse natum septima quadragenaria exacta, plenaque dies 280. complectente, quàm natum nono mense: cuius rationem affert, quia longius distat à morbo octauo mense perpesso: & longius datum fuit illi conualescentiæ tempus: at nono mense natus non ita benè habet, quia proxime affectus fuit, ac licet conualuerit, adhuc tamen non egit firmas radices. De his quidem agit nouimestribus non de omnibus loco proposito in principio capitis huius: quem nunc expono ex Ioannis Lilamantii traductione, quæ sic habet: Porrò nouimestres graciles & macilenti editi, satis magnum indicium præbent morborum, & affectuum octimestribus contingentium. hæc verba intelliguntur in relatione ad decimestres, de quibus supra dixerat, & ad septimestres, de quibus ait: Nam quamuis temporis intercapedini corporis magnitudo respondet: tamẽ cũ ex morborum afflictio-

afflictione emergunt, haud ita carnosi tamen ac septimestres eduntur: qui crassitudinem habent succulentam, vt qui salubriter id temporis, quo vtero gestabantur, transegerint. Hæc si vera sunt, quis dubitat, quin hic loquatur Hippocrates de nonimestri partu, qui octauo mense in vtero male habuit? atque excipiendum ab hoc sermone partum nono mense factum, qui nihil affatu dignum octauo fuerit perpessum in vtero? illum admitto imbecilliorem septimestri. Hunc verò validiorem facio. ac sufficiant mihi hæc dixisse, circa explanationem huius sententiæ maximè difficilis. Cæterum hoc vnum obseruaui verissimum esse, quod secundum Medicorum, & Philosophorum sententiam, explanabo capite sequenti, partum decimestrem esse absolutiorem nouimestri, imò etiam frequentiorem: ex quinque masculis, qui nati sunt mihi Dei Maximi benignitate, noui duos Iulium, & Hilarium decimo mense incipiente natos. Tres verò nono desinente, ac ferè exacto: in aliis postea animaduerti nouimestri ẽ, quo magis accedit ad finem, eo perfectiorem nasci: quo longius abest, imperfectiorem, & vt plurimum morbosum aut etiam aliqua ex parte mancum, vt ex Hippocrate supra commonefeci, & certe nascuntur omnes aut mutili, aut morbosi, aut parum vitales, quibus contigerit matrem octauo mense febre, aut alio morbo diutius detineri, si in principio noni mensis partus fiat. Sed si vsque ad finem prorogatur, vtique poterit tum mater, tum fœtus instaurari: atq; hæc ipsa obseruatio verissima est, nunc quia de partu nouimestri satis multa dixi, accedo ad decimestrem.

CAP. XIX.

De Partu decimestri.

QVAMVIS hactenus multa videamur prosecuti, quæ ad partũ decimestrem pertinent, addenda tamen hoc loco diximus quædam ad totius tractationis absolutionem necessaria. Atque illud sanè primo loco dicendum est, ex omnibus nullum edi partu decimestri perfectiorem: non secundum Medicos modo, sed etiam alios authores Virgilius enim sic inquit:

Matri longa decem tulerint fastidia menses.

Et Plautus in Amphitrione in hunc modum scribit:

Hodie illa pariet filios geminos duos.
Alter Decumo post mense nascetur puer,
Quàm seminatus. Alter mense septumo.

Et capite septimo sapientiæ Salomon ait: Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conuenienti. hic enim cum longius absit ab octauo mense, & à vulgarium puerorum tempore succo alti in vtero matris optimo, grandiores, & validiores in publicum hoc vitæ nostræ theatrum prodeunt, quemadmodum Hippocrates ait libro de septimestri partu hisce verbis.

Qui enim in septem quadragenariis nascuntur decimestres appellati, ob id maximè educantur, quod robustissimi sunt, ac plurimum à vulgarium puerorũ absunt tempore, in quo quadraginta dies insalubres perpessi sunt circa mensem octauum. hæc Hippocrates:

Diximus septem quadragenarias complecti dies ducentos & octuaginta: huncque terminum continere dies quatuordecim, horas duodecim ex mense decimo: ac huius finem extendi vsque ad ducentesimum nonagesimum tertiũ: Atque hæc quidem latitudo est mensis decimi.

Si hæc vera sunt, videre nescio, quid conceperit animo Cardanus, cum enarrans propositum contextum profitetur ibi, non loqui Hippocratem de Partu verè decimestri: cũ etiã verba illa possint interpretari de Partu vndecimestri. Verba Cardani sic habẽt: Dicit Hippocrates Decimestres appellari, cũ decimestres nõ sint: innuẽs quod parũ referat, quod sint decimes. in hoc casu. & parũ infra addit: Resp. cum dixit. Et plurimũ à vulgariũ puerorum tempore absunt. idest à sex

ta quadragenaria, vel vt illam partem septimi, vel noni mensis comprehendat: nam octauum mensem excedit. hæc ille.

Videtur mihi quidem toto cœlo aberrare. Nam loqui de Partu decimestri computatio, quam idem Cardanus affert in principio commentarii manifestum facit: quia natus à die 266. vsque ad diem 280. non potest contineri in latitudine noni mensis. nam huius terminus est dies sexagesimus quintus horæ duodecim supra ducentissimum. Neque etiam continetur in partu vndecimestri: quia huius initium est dies 295. finis autem 324. & horæ duodecim.

At maximam difficultatem faciunt contra nostram sententiam Hippocratis 10 verba libro de octimestri partu, quæ sic habent.

Cæterum decimestres, & vndecimestres partus ex septem quadragenariis eodem modo fiunt, veluti ex dimidio anno septimestres. & parum infra addit: Vt ducenti & octuaginta dies sæpè vndecimum mensem apprehendere videantur: tot enim dies septem quadragenarias constituunt. Videbitur fortassis difficultas hæc inextricabilis, quia septimæ quadragenariæ principium est dies 240. finis est 280. in his quidem quomodocunque computes ingredi non potest mẽsis vndecimus: vt qui contineat octauam quadragenariam: nam initium habet die 295. & nonæ quadragenariæ capiet dies quatuor: hæc adeo vera sunt, & sensibus adeo conspicua, vt videatur mihi superuacaneum in hac demonstratione amplius immorati. Quid igitur ad Hippocratem? An arbitrabimur hunc aberrasse? præsertim in rebus manifestissimis? non ego quidem ita putauerim quamuis pro hominum consuetudine potuerit aberrare: Sed ex illius verbis admodum accommodata elicienda sententia est. Quid igitur animo concipiam, nunc expono. 20

Placet sumere mihi dilucidioris doctrinæ gratia partus tres, ac in his iuniorũ exercere ingenia. nempè septimestrem, nouimestrem, ac decimestrem. Partus itaq; septimestris est, non solum qui exactos habet menses septem lunares, sed etiam is, qui septimum ingressus duntaxat est, vtputà qui acceperit dies quinq; & horas duodecim, aut paulo plures, vt centesimum octuagesimum secundum diem ingressus fuerit, & horas quindecim. tot quidem dies complectitur medietas anni solaris: sunt hæc declarata in tractatione de Partu septimestri: ergo quẽadmodum sese habent partus septimestres, eodem modo sese habebũt decimestres, & vndecimestres. finis sexti mẽsis est dies 177. Nascitur vitalis die 182. horis 15. vocaturq; septimestris facta denominatione totius à parte, ita vt mensis inceptus pro absoluto, & integro habeatur: quod etiam non latuit Polybũ, Galeno referente libro de Historia Philosophica. 30

Hac eadem proportione seruata decimestres non solum dicuntur ii qui menses lunares decem exactos, plenosq;, vt loquitur Paulus. I. C. sunt consecuti, nempe dies 295. sed etiam, qui ad nouem menses, ex Hippocratis consuetudine computatos, dies 265. continentes, quinque tantum dies de decimo cum horis aliquot sunt consecuti, ad proportionem septimestris. Nascatur puer die à conceptione 230. decimestris erit, licet solum quinque dies decimi attigerit. & hic primus existit terminus perfectionis vltimus 295. medius, qui intercedunt dies vt in superioribus fuit explanatum. 40

Vndecimestris erit, qui nascetur die 324. & horis 12. erit quoque ex eodem genere ortus die cẽtesimoprimo, ac eadem ratione aliis deinceps. hoc igitur voluit Hippocrates in præsenti contextu cum dicit: Decimestres & vndecimestres fieri quemadmodum septimestres ex anni dimidio: Dicit porrò ex septem quadragenariis factos esse, quia decimestres participant septima quadragenaria diebus ferè quindecim cum anticipant. nam illius quadragenariæ finis est dies 280. decimi verò mensis exacti dies 295. Principium dies 266. Vndecimestris autem, qui re uera terminatur die 324. & horis duodecim transcendit septimam quadragenariam dierum quindecim interuallo (tot enim sunt à 280. ad 295. diẽ) nec ita solent pręcise incidere partus in eã diẽ 280. vt non 50

etiam contingat diebus aliquot postea, sit mulieres ipsas profiteri vndecim mē-
ses gestasse vterum & arbitrentur, & iactitent partum vndecimestrem edidisse:
idcirco mulierum iudicio, non re ipsa partus vndecimestris septima factus vide-
tur quadragenaria. Verùm ne quispiam putet imaginariam explanationem esse;
affero in confirmationem, quæ ille scribit in vltimis verbis libro de octimestri
partu: quæ græce sic habent.

Ἐκ τούτων οὖν ἁπάντων ἀναγκαῖόν ἐστι, τὰς πλείστας τῶν γυναικῶν περὶ διχόμηνον ἐν γαστρὶ λαβεῖν καὶ πρὸ ῥωπῆ-
ρας ὡς πολλάκις δοκεῖν ἐπιλαμβάνειν τοῦ ἑνδεκατόμηνος τὰς ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίας. Τοῦτο γάρ ἐστιν τεσσαρα-
κοντάδες, ὅτι γὰρ ἐν ἔξω τοῖς διχομένοις συλλαμβάνῃ ἡ γυνή, τοῦτο πᾶν ἀναγκαῖόν ἐστι τοῦ ἑνδεκάτου μηνὸς ἐπιλαμβά-
νειν, ἵνα ἐς πλείωσιν περιόδων καταστῇ.

Quod est.

Ex quibus omnibus colligimus natura quadam necessitate fieri, vt pleræque
mulieres circa plenilunium, aut etiam pòst vtero concipiant. Itaque persæpè vn-
decimum mensem attingere, & dies ducentos octuaginta, hoc autem est dierū
septem quadragenariis vterum gerere sibi videntur. Nam si mulier post medi-
um mensem concipiat, partus in vndecimum mensem dum scilicet absolutus
sit, & perfectus circuitus, necessitate quadam & lege naturæ differetur. Hæc
Hippocrates, ex quibus apparet mulieres iudicare spatium septem quadragena-
riarum vndecimum complecti menses. atq; hæc mihi difficilis huius loci expla-
natio videtur.

Reuertor, vnde digressi non sine vtilitate sumus. Partus decimestres nascun-
tur in septima quadragenaria, idest vt plurimum spatio dierum ducētorū octua-
ginta: quod spatium habet, vt dicebamus, dies quindecim quadragenariæ hu-
ius à 265. vsque ad 280. non ita tamen intelligenda sententia est, quin re ipsa
possit peruenire ad octauam, quandoquidem vndecimestres omnes, de quibus
agam sequenti capite, octaua quadragenaria, & aliquando etiam nona partici-
pant. Non conturbent autem nos verba Hippocratis in libro de carnibus, qui
terminum partui decimestri statuere videtur spatium dierum decem post nonū
sic enim ait:

Nouem verò mensium, & decem dierū partus fit, & viuit, & habet ad heb-
domadas numerum exactum. Nam author illius libri, vt alibi recordor expla-
nasse, computationem in vtero gerentibus lunaribus non facit mensibus, sed
duntaxat solaribus, propterea decimestrem partum admittit dierum ducentorū
octuaginta, vt etiam Hippocrates. Illi enim authori menses nouem solares con-
stituunt dies 270. quibus decem additis, fit numerus exactus 280. dierum septē
quadragenarias continens. verum quia satis multa de hoc partu diximus, nihilq;
superesse videtur mihi explanatione dignum, ad vndecimestrē partū aggredior.

Cap. XX.

Authores qui vndecimestrem partum admisere.

MAGNAM habere difficultatem videtur, an partus admitti debeat vndeci-
mestris: cum quidam affirment: quidam negent: nec certè desunt pro v-
traq; parte fautores: Hic igitur prius aliorū opiniones recensebimus; mox quid
pro veritate sentiendum sit, docebimus. Principium verò sumatur ab iis, qui vn-
decimestrem partum admisere. Aulus Gellius libro tertio noctium Atticarum
cap. 16. de hoc partu ex M. Varronis hominis doctissimi sententia ita scribit.

Nam mense nonnunquam octauo editum esse partum ex libro decimoquar-
to rerum diuinarum scriptum reliquit, quo in libro etiam vndecimo mense ali-
quando nasci posse hominem dicit, eiusque sententiæ tam de octauo, quam vn-
decimo mense Aristotelem laudat authorem. & parum postea historiam partus
vndecimi scitu dignam afferens, sic locutus est.

Præterea ego de partu humano, præterquam, quæ scripta legi in libris, hoc
quoque venisse vsu Romæ comperi. Fœminam bonis, atque honestis mori-
bus, non ambigua pudicitia in vndecimo mense post mariti mortem peperisse:
factūq; esse negotium propter rationem tēporis, quasi marito mortuo postea cō-

cepiſſet: Quoniam Decemviri in decimo menſe gigni hominem, non in vndecimo ſcripſiſſent. Sed Diuum Adrianum cauſſa cognita decreuiſſe in vndecimo quoque menſe partum edi poſſe: idque ipſum eius rei decretum nos legimus. in eo decreto Adrianus id ſtatuere ſe dicit, requiſitis veterum Medicorum & Philoſophorum ſententiis. Hodie quoque forte in Satyra Marci Varronis legimus, quæ inſcribitur teſtamentum, verba hæc.

Si quis mihi filius vnus, pluresue in decem menſibus gignuntur, ii, ſi erunt ὄνοι λύραι exhæredes ſunto. Quod, ſi quis vndecimo menſe κατὰ Ἀριστοτέλην natus eſto. Accio idem, quod Titio ius eſto apud me. Per hoc vetus Prouerbium Varro ſignificat, ſicuti vulgo dici ſolitum erat de rebus inter ſeſe nihil diſtantibus, idem Accii, quod Titii. ita pari eodéque iure eſſe in decimis menſibus natos, & in vndecimum. Hæc Gellius.

Porrò ex Poetis Latinis duo meminerunt decimeſtris, vnus duntaxat quod ſciam vndecimeſtris. Menander opinionum humanarum, vel peritiſſimus decimeſtris partus in Comędia Plotio verba facit hæc habens.

γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος.

Quod eſt,

Mulier decimeſtris parit.

Cecilius verò, cuius etiam verſus ſupra ad aliud retulimus inquit:

Inſolet ne mulier decimo menſe parere.
Pol nono etiam ſeptimo, atque octauo.

Plautus verò in Ciſtellaria Comędia vndecimeſtrẽ partũ ſignificauit his verbis.

Tum illa quam compreſſerat,
Decimo poſt menſe exacto, hic peperit filiam.

Volui ex induſtria hoſce tres Poetas conferre inter ſe, vt oſtenderem, non placere mihi opinionem Auli Gellii putantis de menſis decimi partu locutum fuiſſe Plautum in Ciſtellaria. Verba Gellii hæc ſunt. Eumque eſſe hominem gignẽdi ſummum finem decem menſes non inceptos, ſed exactos: idque Plautum veterem Poetam dicere videmus in Comędia Ciſtellaria his verbis:

Decimo poſt menſe exacto, hic peperit filiam.
Poſteaq; confirmat ex Menandro, & Cæcilio.

Sed certè Plautus non intelligit partum decimeſtrem: ſed vndecimeſtrem. Quia dicit: peperiſſe illam poſt exactum decimum: at hic menſis vndecimus eſt. Si dixiſſet decimo pleno, aut exacto peperiſſe, rectè vtique arbitraretur: at addens aduerbium illud Pòſt, dicenſque, poſt exactum decimum, non poteſt intelligere niſi vndecimum. Sed ad grauiores accedamus authores. Plinius de hoc partu libro ſeptimo capite quinto hoc modo locutus eſt.

Cæteris animalibus ſtatum, & pariendi, & partus gerendi tempus eſt. Homo toto anno, & incerto gignitur ſpatio: alius ſeptimo menſe: alius octauo. & vſq; ad initia decimi, vndecimique. hæc ille, in omnibus Ariſtotelem imitatus, qui libro ſeptimo de Hiſtoria animal. cap. 4. ita ſcribit:

Sed cum cætera animalia omnia ſingulari ac ſimplici modo partũ ſuum perficiant (vnum. n. pariendi tempus ſtatutum omnibus eſt) homini vni multiplex datum eſt: nam & ſeptimo menſe & octauo, & nono parere poteſt: & quod plurimum eſt decimo, nonnullæ etiam vndecimum tangunt.

At his longe vetuſtior Hippocrates libro de ſeptimeſtri, & octimeſtri partu, vndecimeſtrem manifeſtiſſimè videtur recepiſſe. afferamus hic eius verba.

Mulieribus (inquit) de partubus fidem derogare non oportet. Dicunt enim omnia, & ſemper dicunt, & ſemper proferunt; neque enim, aut opere, aut ſermone perſuaſæ ſunt: ſed ex eo quod cognouerunt in corporibus ſuis cõtigiſſe, licet autẽ & nolentibus aliquid dicere: quæ verò iudicio præditæ ſunt, & victoriam de hac ſententia pronunciãt, ſemper dicunt & teſtantur; ſeptimeſtres, & nonimeſtres, & decimeſtres, & vndecimeſtres, & ex his octimeſtres non manere ſuperſtites.

Rurſus libro de octimeſtri partu ait:

Ex ſeptem quadragenariis decimeſtres & vndecimeſtres partus fiunt eodem modo, veluti ex dimidio anno ſeptimeſtres.

Atque eiuſdem libri tractationem finiens, in vltimis verbis ita loquitur.

Nam, ſi mulier poſt medium menſem concipiet, partus in vndecimum mẽſem (dum ſcilicet abſolutus ſit, & perfectus circuitus) neceſſitate quadam, & naturæ lege deferretur. Hæc Hippocrates

Cap. XXI.

Qui fœtum vndecimeſtrem reprobare videntur.

10 PLVTARCHVS in vita Alcibiadis inquit hæc verba, quibus apertè admodum deteſtari partum videtur vndecimeſtrem.

Hæc cum multorum ſermonibus deferrentur ad Agidem, tradunt hominẽ non tam accuſatorum criminibus, qui ſuſpicionem de Alcibiade faciebant, quã tempore eſſe adductum, vt violatam vxoris pudicitiam crederet. Nam antea Rex ingenti terræmotu perculſus relicta in vrbe coniuge decem continuos abfuerat menſes, poſt hoc tempus natum Leontichidem, ſuum filium eſſe negauit. Ex quo aiunt illum, velut à regio ſanguine alienum ſucceſſione regni à poſterioribus fuiſſe excluſum.

Hippocrates libro de carnibus non recipit alium antiquiorem partum deci-20 meſtri, cum ait:

Nouem menſium, & decem dierum partus fit & viuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum.

At libro de natura pueri longè clarius.

Vberius itaque (ait) alimentum puer quærens calcitrando pelliculas diſrumpit, & à vinculo exolutus ſimul foras prodit: atque hæc, vt longiſſime in decem menſibus fiunt.

Ac rurſus eodem libro multò apertius partum ad vndecimum prorogari mẽſem non poſſe teſtatiſſimum facit. Verba illius hoc modo habent.

Quin etſi alimentum à matre prius puero defecerit, etiam ſic partus matri pri-30 us aduenit, & ante decimum menſem puer prodit. cæterum, quæ longius, quam decem menſium tempus, vterum geſtare ſibi viſæ ſunt (nam hoc iam ſæpè audiui) illæ ipſæ hoc modo, quem dicturus ſum, deceptæ ſunt. Quum vteri ſpiritum acceperint in ſe ipſos à ventre flatum exhibente, eleuantur, & intumeſcunt (contingit.n.hoc) videntur ſanè ſibi tunc mulieres concepiſſe. Prętereà ſi menſes non procedentes congregati fuerint in vtero, & diutius manſerint, ſemper profluunt in vteros, aliquando vna cum flatu à ventre: aliquando etiam incaleſcentes: & ſanè tunc quoque habere in vterum mulieres ſibi videntur, nimirum menſibus non prodeuntibus, & vteris eleuatis. Deinde aliquando menſes ſua ſponte erumpunt, aut aliis ſuprauenientibus à corpore in vteros, & priores pro-40 trudentibus, & flatus egreditur, & multis iam ſtatim poſt menſium purgationẽ vteri hiant, & ad pudendum vertuntur, & tunc viris permiſtæ ad ſe genituram concipiunt eadem die, aut omnino in paucis. Exiſtimant autem expertæ earum rerum, ac rationum, etiam illo tempore ſeſe habuiſſe in vtero, quando menſes non prodibant ipſis, & vteri erant eleuati, & tumentes. quod autem non diutius quàm decem menſibus contingat vterum geſtare, ego demonſtrabo.

Porrò, quæ ſit eiuſcemodi neceſſitas, declarat ſequenti orationis fine.

Alimentum, & augmentum quod à matre deſcendit non amplius ſufficiens eſt puero, vbi decem menſes præterierint, & puer auctus fuerit. Trahit enim, quod dulciſſimum eſt in ſanguine, ſimulque etiam lacte modice fruitur, cum 50 autẽ hæc ipſis rariora & pauciora ſint, & puer plenus ac maturus exiſtat, copioſius alimentum deſiderans, calcitrans, & pelliculas rumpens initium partus matri inducit, & hoc perpetiuntur magis mulieres primiparæ, deficit enim pueris alimentum, vt ad decimum vſque menſem ſufficere non poſſit.

Alia etiam ad hoc propoſita dicit, quæ non refero, quia ſumma rationis Hippocraticæ conſiſtit in alimenti defectu. Hæc explicant magnam adeſſe

contradictionem inter authorem libri de septimestri, & octimestri partu, & authorem libri de carnibus, & de natura pueri; quę contradictio adeo magna est, vt non possit dari locus concordiæ, nisi decipior.

Vlpianus I. C. non vult ad hæreditatem admittendum natum post decimum mensem ab obitu patris: cuius legis supra meminimus in tractatione de partu septimestri, & infra etiam, quod pertinet ad propositum, quædam dicemus plurimum vtilia.

Cap. XXII.

Partum vndecimestrem secundum Medicorum & Philosophorum sententiam fore admittendum. 10

CVM igitur res ipsa plena dissensionis videatur, ne muneri meo desim, declarare oportebit, vtra sit ex cõtrariis opinionibus verior. Putauerim itaque partum vndecimestrem recipiendum. atque ne id gratis pronunciasse videar, duplex adhibere volo in hac inquisitione instrumentum, rationem scilicet, atq; experientiam: quibus abditam veritatem inueniri posse certissimum est, mox autem clarissimorum authorum sententiis confirmabo. sed in primis examinare mihi placet rationem auctoris libro de natura pueri vt noscamus, quanti momenti sit. Partus vndecimestris admittendus non est, quia fœtus in vtero nutriri non potest sanguine suauissimo, nisi spatio decem mensium exactorum: deficiente alimento calcitrans, ruptisque membranis, & inuolucris, viam sibi parat ad exitum. hæc ratio non est necessaria pro tempore determinato: licet absolutè sit necessaria: etenim duæ sunt caussæ partus naturalis; vna est, quod in vtero non habeat accommodatum alimentum: alia, quod grandior factus non possit contineri amplius ob angustiam loci in cauitate vteri. prior caussa non accidit determinato tempore, nempe septimo duntaxat mense, aut nono, aut decimo: sed quemadmodum quidam fœtus nutriri in vtero non possunt vltra diem centesimum, & octuagesimum secundum, sic quidam ad nonum perueniunt, & quidam habent nutrimentum in decimo, cur non poterit prorogari partus vsque ad vndecimum? si eusarca sit mulier, vterus assuetus ferre eiuscemodi pondus, quam rationem imaginabimur, ob quam exactis & plenis decem mẽsibus nutriri valeat, statim verò deficiat illi alimentũ in vltimo die mẽsis decimi, ita vt extendi non possit partum vsque ad medietatem, si ita e. g. contingat, vndecimi mensis? si ergò ex 182. die prorogatur ad ducentesimum sexagesimum quintum: ita etiam à decimo vsque ad vndecimum prorogari poterit. atque hic ego notari velim hanc caussam minus esse necessariam vteri angustia in sanis mulieribus. Alimentum enim semper suppeditatur infanti ex purissimo sanguine, dum illa bona sanitate fruitur: quod nobis opus naturæ ostendit post editum in lucem puerum, cum ex eodem sanguine paret illi nutrimentum in mãmillis spatio duorum, ac etiam aliquando annorum trium. in morbosis mulieribus id vltrò concederem: nam cum iis ipsis desit pro vita nutrimentum, multo magis infanti deesse oportet. Exemplum autem de ouo, quo vbi vtitur Hippocrates non persuadet. Quia inclusus pullus, aliud non habens alimentum, quàm quod in ouo est sub putamine, necessarium est rupto putamine aliud extra quærere. Haud ita habet in vtero: quia per vmbilicum semper affluit sanguis ipsum nutriturus ex naturæ artificio, ac etiam ex attractione ipsius fœtus, ergo alimenti defectus minus necessaria caussa est, quàm angustia vteri. hæc enim omnino cogit puerum exitum parare sibi, cum in eo amplius cõtineri nequeat domicilio. Exemplum in superioribus ex Hippocrate dedimus, spicarum tritici, amygdalatum, malorum punicorum, & alborum in angusta rupe natorum, Hanc maximè cogere angustiam vtero gerentes propè partus horam constitutas facilè demonstrant, in quibus adeo magna in omnibus vasis ad verum pertinentibus apparet distentio, vt vnusquisque facilè iudicet, amplius in eo contineri fœtum non posse. Estque hoc adeo notum experientia, vt nihil noti-

20 30 40 50

notius meo iudicio possit inueniri. Des igitur mulierem sanam, aderit in hac nutrimentum, ad longius tempus: sit postea magnæ capacitatis vterus, qualis esse consueuit in mulieribus, quæ multos peperere filios: in mense decimo exacto non deficiet alimentum, nec omnino repleta erit cauitas vteri: atque hæc procul dubio ratio est, quæ cogit admittere vndecimestrem partũ. Huius demonstrationis summa sic instituatur. Ille partus secũdum naturam prorogari potest, cui non deest accommodatum alimentum & capacitas vteri nondum omnino plena est. Atqui exacto decimo mense, adest alimentum accommodatum fœtui, & capacitas vteri nondum omnino plena esse potest. Ergo mense decimo
10 exacto partus prorogari secundum naturam potest. Huic præterea addo experientiam: nam si derogare fidem in ijs, quę ad partum pertinent, mulieribus non debemus, cum illæ passim profiteantur vndecim mensibus portasse vterum, & obstetrices in hoc opere exercitatæ idem fateantur, merito hunc recipere debemus. Accedit ijs ratio sumpta à procreatione ad motum, & à motu ad partum, de qua superiori libro multa diximus, quæ prorsus ceruicosissimum etiam conuincere posset hominem. Sit enim formatio fœtus absoluta die quinquagesimo: mouebitur fœtus die centesimo: nascetur trecentesimo: at hoc spatio menses complectitur vndecim, vt vnusquisque noscere potest facta putatione mensium Græcanicorum, nempe constantium, vt sępe dixi, ex diebus 29. & horis 12.
20 Quod de procreatione diximus facta die 50. id quidem ipsum ab Hippocrate scriptum fuisse libro de alimento, eius dictio, quam superiori libro citauimus, manifestum facit. Postremo apud me plurimum valet authoritas Aristotelis, plurimum authoris libri de septimestri partu, ac inter alios ipsius etiam Auicennæ, qui non hunc modo partum, sed annuum, & mensium etiam quatuordecim concedit.

Cap. XXIII.

Quomodo satisfaciendum authoritatibus Hippocratis contrarium suadentibus; librum de sextimestri partu fuisse à Polybo scriptum.

30

NVnc superest, vt interpretemur authoritates, quæ contrarium persuadebant, facto principio ab Hippocrate. Itaque sciendum hunc primum extitisse authorem admittendi partum septimestrem, didicisseque vitalem esse ab obstetricibus, vt ipse inquit libro de carnibus his verbis:

Cęterum inexpertus quispiam mirari queat, quod septimestris puer nascatur: ego quidem igitur hoc ipsum vidi, & frequenter.

Partum postea docet modum, quo possit quispiam de hoc partu fieri certior, dum ait:

Si quis autem hoc deprehendere vult, facile est obstetrices adire, quæ pa-
40 rientibus adsunt, & ex ipsis percontari.

Quibus verbis dicit, nõ adfuisse ante sua tempora experientiam, quod viueret septimo mense natus. liceat mihi transferre, quæ dicit ad partum decimestrem. Hunc scilicet vltimum esse mensem gestationis in vtero, ex ijs scilicet, quæ ipse nouit, & obstetricum relatione obseruauit. At certe quidem impossibile fuit, hominẽ, quamuis exquisiti iudicij, omnes adiisse totius Gręciæ obstetrices, à quibus fieri potuisset certior, partum ad vndecimum etiam vsque mensem prorogari nonnunquam posse. Etenim fiunt partus vbique frequentissimi: nec omnes vnus obseruare potest: idcirco inquit Poeta:

Quod nescis tu fortassis nouit asellus.

50 Quodque latet iuuenem, certe non latebit hominem in senectute constitutum, in hunc modum artes fiunt per additamentum. Quæ res potissimum nunc demonstrabitur in hac, de qua agimus, partus materia. Nouit Hippocrates partum dari septimestrem, at non exacte nouit; vt qui putauerit nasci sex mensibus septem exactis & plenis solaribus putatione facta dierum triginta pro quolibet mense; sic dierum esse 210. asseruit. Indiguit hęc illius doctrina emen-

dationeduplici. vna fuit in recta putatione mensium; altera, quod non semper plenis nasceretur. Vtranque statim scribit autor libri de septimestri partu in eius libelli ingressu cum dicit.

Οἱ δὲ ἑπτάμηνοι γίνονται ἐκ τῶν ἑκατὸν ἡμέρων καὶ ὀγδοήκοντα καὶ δύο καὶ προσεόντος μορίου.

Quod est. Enimuero septimestres diebus centum octuaginta duobus, & quota diei parte eduntur in lucem. Quæ verba indicant non oportere plenos esse menses, sed sufficere inchoatos; nam 182. & horæ 12. duos solum dies habet Solaris mensis, & horas 12. Lunaris autem habet dies quinque & horas 12. hæc igitur emendatio est huius regulæ, septimestres nascuntur 210. diebus. Alteram emendationem de supputatione statim proponit in eodem libro, dum post predicta verba ait. 10

Ἦν γὰρ τοῦ πρώτου λογισάμενος πεντεκαίδεκα ἡμέρας, τῶν δὲ πέντε μηνῶν ρμ´ καὶ ζ´ καὶ ἥμισυ ἡμέρας ἐοῦ γὰρ ἑξήκοντα μιῆς δεούσης ἡμέρας ἐγγύτατα δύο μῆνες ἐκτελοῦνται, περιγίνονται ἡμέραι πλέον ἢ εἴκοσιν ἡμίσεος τοῦ ἐνιαυτοῦ καὶ τῆς ἡμέρης τοῦ μέρους τῷ μέρει ποσῷ γινομένῳ. quod est.

Nam si de primo mense dies quindecim (de quinque vero mensibus dies centum quadraginta septem cum dimidiato die computaueris, duo siquidem menses diebus propemodum vnde sex sexaginta constat, comperies ad septimum mensem anni dico dimidium diei etiam particula quota particulæ quotæ accedente, amplius quam viginti dies desiderari. hæc verba docent errasse in computando authorem libri de carnibus, cum solares computat. nam debent 20 esse Lunares dierũ scilicet vigintinouem, & horis duodecim pro singulo mense, vt primo huius tractationis libro manifestum fecimus. Author igitur libri de septimestri partu emendat, quæ scribuntur libro de carnibus. Emendat etiam in ijs, quæ ad partum vndecimestrem pertinent. Nam cum neget partum hunc author libri de carnibus; voluit ostendere, quicunque scripsit librum de septimestri partu, eum omnino admittendum eisdem rationibus vsus, quibus ille primus partum septimestrem admittendum fore duxit. Scribuntur hæc in libro de septimestri partu. Mulieribus in ijs quæ ad partum pertinent, fidem abrogare non oportet. ac parum postea. Quæ vero iudicio præditæ sunt, semper dicunt, & testantur septimestres, octimestres, & nouimestres, & decimestres, & 30 vndecimestres, & ex his octimestres non esse superstites. quasi quod velit dicere: Quemadmodum tu omnium primus partum amisisti septimestrem & ab obstetricibus, & propria experientia edoctus, sic ego partum admitto vndecimestrem, quod obstetrices, & parientes illum recipiãt: mox quia ratio ipsa persuadet, in ijs quæ conceperunt post medium mensem, vt in vltimis verbis libri de octimestri partu scriptum fuit. Quæri hoc loco solet, an idem sit horum librorum author: atque si idem, quomodo discordes possint inuicem opiniones componi. sunt, qui dicunt librum de septimestri partu fuisse conscriptum ab Euriphonte, aut Philistio, inter quos fortassis est Cardanus: cui ego an fidem adhibere debeam ignoro, cum nondum constet apud me, cur ita senserit. Non- 40 nulli putant non esse librum germanum Hippocratis, sed à Polybo eius discipulo scriptum: vtrunque coniecturis probant satis euidentibus. Hippocratis, inquiunt, dictio breuis est, & simul dilucida. at licet sit breuis eo in libro, non admodum tamen dilucida, sed plerunque adeo obscura, vt non possit fere assequi. Deinde addunt non idem hic sentire, quod libro de pueri natura. Præterea extat Galeni, siue Plutarchi liber, cui titulus est de Historia Philosophica, in quo dum Polybi, Magni Hippocratis discipuli, opinionem de partu septimestri recenset, eadem ferè verba scribuntur, quæ in principio habentur libri de partu septimestri. Postremo dicunt multos libros eius hominis fuisse olim Ptolemæo 50 Philadelpho Ægypti regi sub nomine Hippocratis venditos, vt Galenus etiam recenset. Ego in hac re haud plane habeo, quod dicam. Nam hæ rationes aliquid persuadere posse videntur. tamen receptissima est opinio, librum de octimestri, & septimestri partu fuisse ab Hippocrate scriptũ: Galenus etiam videtur ijs adhibere fidem, vt qui scripserit commentarium in librum de septimestri partu, cuius fragmentum adhuc extat. Hanc opinionem, si sequamur, opus est,

suspicari librum de carnibus & natura pueri non esse illius legitimum, sed à Polybo, vt Galenus aliquando dubitauit, conscriptum; in quo libro & diuersam computandi rationem, & de Partu vndecimestri omnino cõtrariam habet. Sane putauerim alterum horum sentiendum esse: vel quod quatuor hi libri fuerint ab Hippocrate scripti: sed libros de partu septimestri, & octimestri seniorem edidisse, & propterea in his duas illas opiniones retractasse, quas iunior, & nondum plane expertus alijs in voluminibus scripserat. Vel librum de natura pueri & de carnibus germanos existere Hippocratis libros, de septimestri autem, & octimestri titulum, hosque ipsos vel Polybum, vel alium quempiam ex
10 discipulis Hippocratis scripsisse pro emendatione opinionis sui præceptoris. Nam quemadmodum Aristoteles multa scribit contra Platonem, sic mirum esse non debet, si Polybus contra Hippocratem scripserit, certior redditus eorum, quorum præceptor habere exactam cognitionem non potuit. Veram autem huius viri opinionem extitisse colligent omnes, qui ab Aristotele confirmatam nouerint, ac ab aliis, qui postea de eodem argumento scripserunt.

Quamobrem, siue hoc, siue illud admittamus, pro explorato habere oportet, tum partus vndecimestres omnino recipiendos, tum putationem mensium in vtero gerentibus audiendam ex diebus viginti nouem, & horis duodecim, vt priori libro docuimus. hæc, quod attinet ad horum librorum censuram, satis.
20 Cæterum Historia à Plutarcho scripta in vita Alcibiadis non cogit, vt si iudices admittere noluerint vndecimestrem illum pro legitimo, debeant propterea reprobari omnes: quod optime demonstrauit contra Decemuirorum sententiam Decretum Adriani Imperatoris.

CAP. XXIIII.

Iurisconsultorum opinio de Partu vndecimestri.

PORRO quod attinet ad Iurisconsultos, partum vndecimestrem non recipit Iustinianus in Authentica de restitutionibus, & ea quæ parit. c. 2. §. fi. sed ipsius
30 opinionem nimis seueram esse, ac non recipiendam scripsit Andreas Alciatus, libro tertio paradoxorum capite septimo: de qua descripsit etiam doctissime Menochius libro secundo de arbit. iudic. centuria prima casu 69. nu. quinquagesimo. Hic obiter adnotare volo, male Alciatum arbitrari partum vndecimestrem primum omnium Aristotelem recepisse: nam, vt supra dictum à nobis fuit, longe ante Aristotelem Polybus, aut Hippocrates eum admiserunt. Sed & Vlpianus post decem menses mortis natum negat admitti ad legitimam hæreditatem, quem non in mense putauerit quispiam aberrasse, vt puta qui fortassis fuerit secutus opinionem authoris libri de carnibus, & de natura pueri: sed an aliud mente conceperit prudentissimus Iurisconsultus inquiramus.
40

CAP. XXV.

Cur Vlpianus vndecimestrem partum inter legitimos non receperit.

MIRUM certe iudicari debet, cur Vlpianus partum vndecimestrem inter legitimos non receperit. Nam si vnius Hippocratis doctissimi viri, vt Iurisconsultus ait, testimonio septimo Mense natus ad hæreditatem admittitur, cur etiam vndecimestris admittendus non est? cuius præsertim idem author me-
50 minit eo ipso libro, de quo de septimestri tractauit. Non enim in hac materia authorem libri de pueri natura, vel de carnibus imitatus est, quia ille non decernit putationem, nisi pleno mense, eoque solari: at hic Iurisconsultus hanc non recipit, cum statim dicat septimo mense natum, vt centesimo octuagesimo secundo die, pro legitimo haberi, quod tempus sextum mensem Lunarem complectitur exactum, septimique solum dies capit quinque. Et certe fuit in

hac ferenda lege Paulo Iuriſconſulto diligẽtior, qui cum recipiat ſeptimeſtrem partum ex Hippocrate, non tamen declarat, an pleno, an incipiente menſe ſit accipiendus: niſi fortaſſe dixeris ex Græcorum Iuriſconſultorum conſuetudine, vt Iacobus Cuiatius retulit, plenum ſeptimum intelligere, quod eſt dierum 210. ſed ſiue res hoc modo habeat, ſiue minus, Paulus Iuriſconſultus in ea lege non meminit huius termini: at Vlpianus longe diligentior ex Hippocratis verbis voluit agere de partu ſeptimeſtri, ac ſimul refellere eorum errorem, qui plenos intelligebant menſes. nam 210. dies ſunt intra limites octaui menſis: quem non vult diuinus Hippocrates fore ſuperſtitem. Cum igitur hic eodem libro de vtroque agat partu, vnum recipere, & alium reprobare non debebat. Non poſſum imaginari, non vidiſſe illum, quę ſcribuntur ibidem ab Hippocrate, & libro de octimeſtri, de eiuſcemodi partu: neque mihi illorum placet ſententia, qui dixerunt, ita ſcripſiſſe imitatione authoris libri de natura pueri: quandoquidem computatio, vt prædixi, ſtatim oſtendit ab eo longiſſime diſtare. Putauerim itaque nouiſſe, hunc partum inter legitimos numerandum eſſe: ſed tamen recipere noluiſſe, ne mulieres ipſas nimis licentioſas efficeret, vtque hac ipſa cautione maximam, atque, vt verbo dicam, inſatiabilem ipſarum libidinem coerceret; de qua re ſic Ouidius:

Prima tuæ menti veniat fiducia cunctas
Poſſe capi: Capies, tu modo tende plagas.
Vere prius volucres taceant, æſtate cicadæ,
Menalius lepori det ſua terga canis.
Fœmina, quam iuueni, blande tentata, repugnet,
Hæc quoque, quam poteris credere nolle, volet.

Et Propertius:

Hic genus infidum nuptarum, hic nulla puella eſt,
Nec fida Euadne, nec pia Penelope.

Ac rurſus eodem libro:

Obiicitur toties à te mihi noſtra libido,
Crede mihi vobis imperat iſta magis.
Vos vbi contempti rupiſtis frena pudoris,
Neſcitis captæ mentis habere modum.
Flamma per incenſas citius ſedetur ariſtas,
Fluminaque ad fontis ſint reditura caput.
Et placitum ſyrtes portum, & bona littora nautis
Præbeat hoſpitio ſæua medea ſuo.
Quam poſſit veſtros quiſquam deprehendere curſus,
Et rapidæ ſtimulos frangere nequitiæ.

Poſſent effrenatæ huiuſce libidinis, quæ mulierum propria eſt, exempla in medium afferri ſexcenta, ſed pro omnibus vna ſufficiat nobis Meſſalina Claudii Cæſaris vxor, Lyciſcæ proſtitutæ mulieris nomen mentita & titulum. Hæc ſæpe lupanar ſub noctem adiit, ſuam portentoſam libidinem ad ſatietatem expletura. Et quod omnium fœdiſſime fecit, cum famoſiſſimis Meretricii quæſtus ſcortis coitu certauit, & re fœdiſſima palmam ſibi quærens, quam cum pluries reportaſſet, tamen ſemel ex prouocatione nobiliſſimam è proſtitutis ancillam die ac nocte, quinto ac vigeſimo concubitu egregie ſuperauit, de qua ita canit Satyrographus:

Intrauit calidum veteri centone lupanar
Et cellam vacuam, atque ſuam: tunc nuda papillis
Conſtitit auratis titulum mentita lyciſcæ,
Oſtenditque ſuum, Generoſe Britanice, ventrem,
Excepit blande intrantes, atque æra popoſcit,
Mox lenone ſuas iam dimittente puellas
Triſtis abit. ſed quod potuit tamen vltima cellam

Clauſit,

Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vuluæ,
Et laxata viris, nondum satiata recessit.

Legem igitur eam tulisse Vlpianum censeo magis ad terrorem mulierum, quam quod in omnibus obseruari debere voluerit. Atque hæc mea sententia est circa hanc legem.

Cap. XXVI.

De Partu Annuo.

QVæ supra diximus vndecimestrem partum confirmant, at multo magis, quæ nunc sum dicturus. Nam post vndecimestrē ordine sequitur annuus partus: de quo licet ambigant multi, scriptores tamen probatissimi, ac in artis operibus exercitati, aliquando contigisse memoria prodiderunt. inter quos primo loco afferre placet Thimæum, quem Diuinus Plato maximi semper fecit. Hic Annuum partum adeo perfectum esse arbitratus est, vt omnes annuos esse dixerit, putare tamen mulieres & septimestres & nouimestres edidisse fœtus, computatione mensium facta à suppressione mensium: quibusdam enim non statim, licet vtero gerant, supprimuntur, sed fluunt vel vno, vel duobus, vel tribus etiam mensibus. Plutarchus, siue Galenus libro de Placitis philosophorum quinto, de huiusmodi opinione hoc modo scribit:

Thimæus duodecim mensibus partum gestari credidit, nouem tamen eos interdum existimari; interdum & septem, quia non statim semper à conceptione menses supprimuntur.

Citamus etiam pro confirmatione Homeri testimonium, qui ὀδυς. λ. de Neptuno loquens, qui Tironem Salmonei filiam, & Crethei vxorem ad Enipei fluuij ostia sopitam, compresserat, sic inquit:

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν,
Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἐτέλεσσε θεὸς φιλοτήσια ἔργα,
Ἔν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρὶ, ἔπος τ' ἔφατ', ἔκ τ' ὀνόμαζε,
Χαῖρε γύναι φιλότητι περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα· ἐπεὶ οὐκ ἀποφώλιοι εὐναὶ
Ἀθανάτων. Quod est:

Virgineum soluit cestum, placidumque petiuit
Coniugis infusus gremio per membra soporem,
At postquam munus numen perfecit amoris,
Et dedit amplexus, atque oscula dulcia fixit,
Hic prensare manu, & dictis compellat amicis.
Gaude hoc complexu, nam cum se voluerit annus,
Illustres natos paries. Haud irrita Diuum
Connubia.

Præstat hic recensere, quæ in huius Homericæ sententiæ confirmationem doctissime scripta legimus apud Aulum Gellium, libr. 3. noctium Atticarum. Eius verba sic habent:

Id cum ego ad complures grammaticos attulissem, partim quoque disputabant, Homeri quoque sicut Romuli annum fuisse, non duodecim mensium, sed decem. Alij conuenisse Neptuno maiestatique eius dicebant, vt longiori tempore fœtus ex eo grandesceret. Alij alia quædam nugalia. Sed Phauorinus mihi ait: περιπλομένου ἐνιαυτοῦ. non confecto esse anno, sed affecto. in qua re vsus est verbo non vulgaris significationis. Affecta enim (sicut Marcus Cicero, & veterum elegantissimi locuti sunt) ea proprie dicebantur, quæ non ad finem ipsum, sed proxime fini progressa, deductaue erant. hoc verbum ad hanc sentētiam in Ciceronis oratione fuit, quam dixit de prouinciis consularibus. Hippocrates autem in eo libro, quibus conceptum in vtero coagulum cōformatum, & tempus ipsius parturitionis nono, aut decimo mense definiisset: Neq; tamen id semper eadem esse fini dixisset, sed alias ocius fieri, alias serius; hisce ad postremum verbis vsus est:

Γίνεται ἐν τούτοις καὶ πλείω, καὶ ἐλάσσω, καὶ ὅλου κατὰ μέρος, καὶ εἴπομεν καὶ γὰρ πλείω πλειόνων, καὶ ἐλάσσω ἐλασσόνων. Quod est:

In hiſce vero,& plura fiunt,& ex toto,& per partes,dicimus etiam,& plura pluribus,& pauciora paucioribus. Quibus verbis ſignificat, quod aliquando ocius fieret: non multo tamen fieri ocius,neque quod ſerius multo ſerius. Hæc Gellius.

Quæ de induſtria afferre volui: primum quidem, vt oſtenderem antiquitus fuiſſe quæſitum an partus admitti deberet annuus; & à Phauorino iam ſtabilitum anno affecto naſci poſſe puerum,id eſt,iam ad finem properante: Deinde,quia tacitam quandam rationem ex Hippocrate affert, qua id poſſit contingere. ratio in his verbis continetur,&

Plura pluribus & pauciora paucioribus. 10

Nam libro de alimento agens de computatione dierum à generatione ad motum: & à motu ad partum,ita ſcribit:

Non eſt,& eſt, quibus ille verbis notiſſimum fecit,non eſſe ita definitum tempus generationis quin poſſit anticipare & poſtponere, modo tamen non ſit affatu digna anticipatio, & poſtpoſitio,atque vt optime interpretatur Gellius, quod aliquando ocius fit, non multo ocius fiat, quod ſerius, non multo ſerius. Perpulchra extat hac de re ſententia illius libro de natura pueri, vbi habet:

Et factus eſt iam puer,& ad hoc peruenit fœmella in quadraginta & duobus diebus,vt longiſſime primam coagmētationem, & coarticulationem accipiat. Maſculus vero,vt longiſſime in 30. diebus: vt plurimum enim hoc tempore,aut paulo breuiore,aut paulo longiore articulatio ipſis contingit. 20

Hæc verba,ſi aliud non admittant formationis, ſeu generationis tempus, non bene conueniunt cum ijs quæ ſcribit Hippocrates libro de alimēto, & cum experientia. terminus enim naturalis partus eſſet ſolus dies 180. parum plus aut minus: vel 232. parum plus, aut minus.atque ita partus intermedij nulli extarent contra experientiam,& quotidianum euentum: propterea longe rectior computatio Hippocratis libro de alimento, quam in confirmationem annui partus affert Gellius:& illi certe ſtandum iudico,non ijs,quæ libro de natura pueri ſcripta ſunt. Affert ibi Hippocrates quatuor formationum tempora.

Primum eſt dies	35.	Motus	70.	Partus	210.	30
Secundum eſt	45.	Motus	90.	Partus	270.	
Tertium	50.	Motus	100.	Partus	300.	
Quartum	40.	Motus	80.	Partus	240.	

Quibus poſtea addens, eſt & non eſt, limitat regulam, docens variare poſſe illam in eo quod magis, ac minus: quę verba Gellius attulit. Sed quorſum hęc, inquies? certe, vt oſtendam neceſſitatem aliquando ponendi partum annuum. ſumo mihi formationem factam die quinquageſima, erit partus die trecenteſima. ſtatuamus ipſam formationem tardare diebus aliquot, paucis tamen, vt puta quinque, tunc erit iuxta hanc regulam infallibilem.

Formatio 55. Motus 110. Partus 330. At dies 330. conſtituunt annuū ſpatium anno ſcilicet affecto Lunari, vt docuimus. 40

Rurſus poſtponat dies quatuor, & horis decem erit.

Formatio 54. 10. motus 108. 20. Partus 324. 12.

Atque hic etiam dies in annuo includitur termino. Vides igitur, ſi Hippocratem cum ratione ipſa ſequi voluerimus ducem, poſſe interdum admitti partum annuum. Igitur non immerito Lucius Papyrius prætor, vt legitur apud Plinium lib. 7. ca. 5. ſecundo hærede legem agente bonorum poſſeſſionem contra eam dixiſſe fertur, cum matrem partum tredecim menſium tuliſſe diceretur, de quo ſequenti capite. Volo hic afferre hiſtoriam in noſtra prouincia notiſſimam.

Lucretia Amici Scalini Camertis nepta apud Lautanæ Virginis ædem habitantis vix dum à tertiana notha, ac plurimum extenſa, conualeſcens, annum agens trigeſimum quartum, ac pituitoſo temperamento, prædita, quæ filios antea quatuor habuit, die octaua Ianuarij anno Domini 1554. rem cum Franciſco habuit marito: quo diſcedente, poſt menſem apparentibus ſignis in aliis geſtationibus vteri ab illa obſeruatis, patruo, ac matri dixit ſeſe vtero gerere. Nullum 50

lum illa motum percepit circa vterum, nisi sexto mense, perexiguum. de quare non parum, vt inassueta admirabatur. Ventreque ipso indies magis, magisque augescente longe maior admiratio mulierem cepit, quod simul pedes ædematosi fiebant, cutis floridus, & viuidus euanuerat calor è facie; Hinc illa sibi timens, multoque magis mater suspicata, ne graue aliquod inuaderet malũ, Medicum vocarunt D. Æneam Credentiatum in artis operibus exercitatissimum, ac doctissimum: qui omnia pro suo munere considerans, in eam opinionem venit, vt non vtero gerere illam sed malum habitum pati diceret: atque nisi manus porrigerentur adiutrices, breui laboraturam aqua inter cutem pronuntiabat.
10 Volebat ille & corroborare, & prouocare menses. At illa roborantia admittebat omnia, quæ vero ab vtero purgationes ducebant, omnino renuebat. Duos accersiri postea iussit medicos, D. Propertium Surnanensem, & Ioan. Baptistam è monte Vlmi, ambos ætate, experiẽtia, doctrina, & moribus clarissimos. Habita fuit inter ipsos pro more consultatio, in qua conclusum fuit Excellentissimum Credentiatum de morbi natura optime iudicasse. Nihilominus tamen persuadere nunquam potuerunt illi, non habere in vtero. Septimo mense adueniente motum percepit exiguum: at aliquanto maiorem præcedenti. octauo motus fere nullus. Nono ventre multum tumescente semel magno motu agitari in vtero percepit. Toto progressu temporis huius obediebat solum in victus ratione
20 medicis, at in vsu pharmacorũ erat inobediẽs. Vix enim multis precibus adduci potuit, vt bis in septimana scurpulos duos masticaret reubarbari cum passulis. in fine noni mensis rursus moueri nouit in vtero euidentius; ita vt læta admodum dixerit rem esse in tuto, nec amplius, an vtero gereret dubitandũ. Verum transacto mense decimo nec parturiente, signisque mali habitus crescentibus dubitare cœpit. Rursus vocantur ad consultationem Medici: inter quos quartus ego interfui; Multi vltro citroque, vt fieri solet, habiti sunt discursus. illi cõtendebant mulierem non gerere vtero, sed solam pati cachexiam: ego vero & gestare vterum, & malum habere habitum dicebam. Erant autem coniecturæ apud me præcipue tres, quæ in vtero habere mulierem, ostendebant. Vna, quod lac in
30 mamillis habebat licet paucũ & aquosum: altera erat motus in vtero perceptus à muliere iudiciosa, & quæ alios portauit filios. Tertia, quod septimo mense, & nono, quibus nasci solet homo, motus magis conspicuus apparuerit. Reluctabantur alij mihi validissime: dicentes motum fieri à flatuoso spiritu contento in vtero ob magnam imbecillitatem viscerum, huius etiam caussa ventrem intumescere. Lac in mamilla contineri ob retentos menses: vnoque tempore magis, quam alio flatum facere impetum in angusto loco existentem, & quęrentem sibi exitum. Ac tandem iam præteritos fuisse menses, quibus illam vtero gerentem oportuisset esse puerperam. Eram illis oppositus, & instabam. Primum quidem, quod flatuosus spiritus non debebat facere negotium magis vno, quam a-
40 lio mense: nam hæc motum percepit sexto, septimo, & nono bis: at flatus continuam inferre debuisset molestiam: secundo flatus dum mouetur, dolorem facit, in illa motus erat sine dolore. Tertio mulier erat maxime experta in discernendo motum à flatu, & à puero. Deinde lac generari in mamillis ob sanguinis confluxum: in cachexia id non contingere, cum sanguis admodum sit exiguus, nec aliqua adsit in corpore necessitas transmittẽdi sanguinem ad mamillas. Dicebam postremo ex Aristotele, nullum certum esse homini pariendi tempus. Tandem consultatio fuit plena dissensionis, & controuersiarum: sed vicit pars ea, quæ contendebat mulierem non gestare vterum, ac me reluctante conclusum, dandum illi pharmaeum expurgans pituitam, quam multis antea diebus
50 sese præparasse, asserebant. Ac ita factum fuit, nam quarta Decembris exhibito pharmaco, & optime purgante, quinta doloribus maximis aduenientibus puellam peperit: quæ in prima quadragenaria obiit.

Hæc historia manifestam mihi fidem fecit annui partus.

Cap. XXVII.

De partu aliorum mensium.

AN porro aliis deinceps mensibus, decimotertio scilicet, & decimo quarto contigerit aliquando nasci hominem, dubium cum apud me sit, nec aliquid habeam, quod certi afferre possim in medium, liberum esse volo legentis iudicium, vt credat vel non credat, quæ ab Aulo Gellio, Plinio, & Auicenna, Petroque Apponensi scripta sunt. Horum verba afferre in studiosorum gratiam placuit. sic igitur Gellius, lib. 3. noctium Atticarum ca. 16. scribit.

Sed quoniam de Homerico annuo partu, ac de vndecimo mense diximus, quæ cognoueramus, visum est non prætereundum, quod in Plinij secundi libro septimo naturalis historiæ legimus. id autem quia extra fidem videri potest, verba ipsius Plinij posuimus. Massarius author est, Lucium Papyrium prætorē, hærede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, cum mater partum se tredecim mensibus tulisse diceret; quoniam nullum certum tempus pariendi statutum ei videretur. hæc A. Gellius ex Plinio.

Auicenna libro nono de animalibus rarum etiam partum affert. Audiui (inquit) à fide digno, mulierem quatuordecim mensibus portasse, ac aliam post sex menses partum edidisse. Quasi quod dicere voluerit: quemadmodum sex exactis mensibus lunaribus statim nasci partus potest, sic non est inconueniens arbitrari. post decimum tertium posse mulierem partum emittere.

Petrus Apponensis in decima particula problematum, 41. problemate, & in conciliatore differentia. 49. de partu 14. mensium ex aliorum tamen relatione mentionem facit. Et certe non videbitur omnino mirum: nam si recipiunt Hispalenses quidam Medici, qui cubiculo inseruierunt iam, & adhuc inseruiunt Philippo Secundo Hispaniarum, & Indiarum Regi Potentissimo, vt Ferdinandus Mena, & Franciscus Valesius, quorum etiam supra meminimus, partum vitalem quinque mensium, qualem in Italia, & in aliis regionibus fœcundissimis, Ægypto, nunquam contigisse memoria proditum est, cur non admittemus aliquando partum mensium tredecim, & quatuordecim? Deinde, quod olim contigit in nostra prouincia, & cuius oculati fuimus testes, Bartholomæus Eustachius Santoseuerinus absolutissimus Medicus, Petrus Antonius Saccomannus Vlmensis, Aloysius Gratiosus Corinaltensis, & ego, fidem facit eiuscemodi partus minime reprobandos. Res in hunc modum habuit:

Do. Hieronymus Bisaccionus Patricius Æsinas vxorem duxit Ferrariæ, anno 1571. hanc ille post mensem compressit. tum decimo incipiente doloribus partus aduenientibus, & aqua plurimum fluente delusæ fuerunt obstetrices, ac matronæ: dolores illico cessarunt ventre adhuc tumido manente, atq; ipsa magnam grauitatē sentiente. Nullum remedium tentatū non fuit à Medicis Ferrariensibus, vt fœtum educerent siue viuum siue mortuum. Tandem cum incassum laborassent, & pondus vtero incumberet, moueretur que ad corporis motum, anno iam præterito, putarunt vnanimi consensu mulierem pati molam: pro qua educenda remedia nihil profecerunt. sic misera annis duobus eum gestauit vterum. Eius vir duxit ex voto coniugem ad sacram ædem D. Virginis Lauretanæ, ac in patriam reuersus vocat ad consultationem medicos: quo tempore leui febre, & continua tenebatur cum eisdem circa vterum symptomatis. Hæsitabamus omnes, alius aliam rem dicebat, imaginabaturque; ac post discursus multos in eam sententiam venimus, tumorem adesse in vtero præter naturam, vel scirrhosum, vel œdematosum, aut molam: dum ita ambigimus, ac ab omni genere medicamentorum abstinemus, solo victu accommodato contenti, mulieri fluor alui superuenit fœditissimus, erant excrementa flaua, ac vt plurimum alba, & liuida, & copiosa, singula quaque hora decies fere egerebat. En mirum dictu, nondum visum, nondum imaginatum, cum ipsis excrementis duæ effluunt costæ paruæ. Quæ indicabant nobis ob paruitatem esse costas pueri in vtero existentis. Rursus sequenti die duas alias emisit, & expirauit.

Exentera-

Exenterato cadauere inuentus est vterus putrefactus, qua parte rectum Intestinum tangit, hoc ipsum totum corruptum; inuentus est fœtus sine inuolucris, sine secundis, cuius caput non aderat, hoc putabamus ex putredine dissolutum: erãt integra reliqua costis quatuor exceptis, atque visceribus, quæ putredine tabuerãt. Quis hunc non admirabitur casum? scripsi de hoc ipso in libro Cingulanarum obseruationum, quæ probabilia viderentur. sceleton seruat adhuc Petrus Antonius Sacchimannus.

Cap. XXVIII.

10 *Dictorum Epilogus.*

HActenus itaque omnia videmur prosecuti, quæ ad partum tum in genere, tum sigillatim pertinebant, in quibus potissimum demõstratum mihi fuit, rectissime Aristotelem scripsisse, certum non esse homini nascendi tempus: cum cæteræ præfinitum habeant animantes. Nunc reliquum est, vt ea doceamus, quæ in ipso partu, & post partum contingunt, & puerperis, & pueris, siue secundum, siue præter naturam: quæ deinceps explicabuntur.

Enarratio τοῦ λιθοπαιδίου seu Embrij cuiusdam longa temporis mora in matris vtero in saxeam duritiem cõcreti, quod ex gestantis cadauere extractum est in vetusto Gallorum Senonum Oppido 16. Maij 1582. Imperante Henrico Tertio Galliæ & Poloniæ rege inuictissimo. 20

Adiecta quoque est succincta & leuis quædam exercitatio, eaque Problematica de istius indurationis causis naturalibus, vt postea penes lectorem sit huius iudicij summa.

MVlier Senonensis nomine Columba Chatry, quæ Ludouico Caritæ homuncioni (quadrato tamen & bene habito) ex vulgari plebe & sartori vestiario nupserat ab annis 48. fracta ætate & valetudine hic occubuit 16. Mensis Maij, annum ætatis agens 68.

Hæc ante annos viginti octo, quæ nunquam antea vterum gestarat, licet 30 iampridem nupsisset (nihil de sanitate prius admodum conquesta) certissima habuit inchoati hominis indicia. Nã qui statis periodis erumpere solebãt menses, illi statim substiterunt. Pica primis mensibus laborauit, tempestiuum Embryonis motum & frequentem persensit, tumore lumborũ, & abdominis paulatim subcrescente mammisque lacte turgentibus. Tandem autem decurso penè veræ gestationis curriculo, labores puerperij graues & alui tormina experiri incepit, vrina ad aliquot dies suppressa (medicis tunc varia & dubia de illa κυοφορία sentientibus) quæ postea currente veluti alueo & magna vi erupit, profuso illo Ichore non tam ex vesicæ meatu, vt credibile est, scaturiente, quam ex mulieris loculis, Amnio tunica disrupta, quæ sudorem fœtus & vrinã continet. 40 cum vna cum istis serosis recrementis (quas mulierculæ aquas vocant) aliquis coacti sanguinis trumbus emerserit. Inde autem & mammæ cõcidere visæ sunt, motus infantis aut ignauus aut nullus, labores mulieris tolerabiliores. Quibus omnibus attonitæ fuerunt obstetrices quæ antea certissimum puerperium expectassent. A ludibrio autem istius futuræ totum trienniũ lectulo illa decubuit, ad extremam vitæ calcem de valetudine conquesta, de tumore, de duritie, de torminibus alui (quam obuiis quibusque & Chirurgis & Medicis tractandam exhibebat) de inutili & graui illo pondere, quod pro vario gestantis motu modo in hanc, modo in illam partem procumbebat. Denique de languente, & deprauata appetentia, quam subinde acetariis & absorpto omphacio sollicitabat, 50 alioqui perpetuo ἄσιτος id est, sine cibo. Illamq; ferunt vicinæ inter suos sales sæpe dictasse (vt erat genio satis lepido) se fœtum vtero gerere, qui tandem parenti foret exitio & internecioni, quanquam cum serio loqueretur, maleficum acceptum potius accusaret. Postquam autem fato esset functa, eius vir officiosus in vxoris manes (quam tandiu & tantopere excruciatam viderat) accersiuit vnum atque alterum ex nostris Chirurgis ambos valentes arte & artis vsu, qui-

fœturæ

bus(licet de ſcirrhoſo tantum tumore cogitarent) diſſecto mulieris abdomine, & reiecto infra Peritonæo tunica, quæ inteſtina, viſcera, vterũ & veſicam contingit, vterus ſeſe offert aſpectu quidem rugoſus & verſicolor, vt criſta illa pendula, quæ Gallis indicis ex ſummo capite prolabitur, vel potius vt operimentum illud cutaneum, quod illorum collum ambit. Tactu autem durus teſtaceus & craſſus inſtar τῶν ὀστρακοδήρμων, id eſt, eorum quæ teſta teguntur. Tum nouaculam in portentoſam illam molem & gypſeam iniiciunt, qua ad aciem cultelli renitente, ſcalprum altius adigunt. Eorum autem alter inflicto caſu in Cranium vulnere & in aliquot coſtas tandem humerum dextrum impetit, à quo erumpens oſſis caput certiſſimam fecit fidem oſſium illic latitantium. Ex quo ſcalpellum alio transferunt, & magna vi, ſenſim tamen, & recta, vterum ſecant, diductiſque duriſſimis vulneris labris, infantem in orbem implicitum, & ex transuerſo in vtero poſitum introſpiciunt in penitiſſimo ſinu & altiſſimis latebris ſtabulantem, in ſuamq; veluti Chyſtin, quam Allanthoidem tunicam, quę in vtero totum fœtum ambit, fuiſſe puto, calloſiſſimam reconditum. Quo ſpectaculo inexpectato obſtupefacti Medicos conuocant, quos in re inaudita conſulant, adhibeantque in teſtimonium & iudicium rei huius, quæ pene fidem omnem ſuperet. Interea multis ad nouũ prodigium accurrentibus, & opus Chirurgorum interturbantibus, venit ipſis in mentem totam iſtam molem ex illo veluti antro & manibus & vncis Chirurgicis, qua valerent vi abſtrahere, vt arborem ex ſuo caudice, domumque comportare, vt priuatim & apud ſe accuratius corpuſculi anatomen ſectarentur, & cum peritis de portento nouo & inaudito cõſilia conferrent. In præcipiti autem & violenta illa laniena non licuit opus feſtinantibus introſpicere, quod ſubſtratum eſſet infantulo Chorion ſecundinas vocant, quæ vteri acetabula, qualia vmbilici vaſa. Quis eſſet Allanthoidis, cum vtero & cum fœtu nexus, cum vterus ipſe, pręcipue ad coxam dextram, ad nates, & ad partem ſpinæ dorſi cũ cute infantuli omnino coaluiſſet. Situs infantis erat pene ſphæricus, facie ad thoracem affixa, ſublatis ad nates genibus, vnde poſtea eæ patulæ retuſæ & reſimæ conſpectæ ſunt. Oſſa capitis tenuia quidem, ſed firma & inſtar cornu nitentia, cute capitis multis in locis piloſa, Caput in ſiniſtrum brachium ita procumbebat, vt à protuberãte humero auris & os Occipitis impellerentur, quod incauatum ea parte introceſſiſſe conſpiceretur. Cubitus ad ſummum humerum reflectebatur, porrecta ſola manu, quæ in pugnum adeo firmiter erat contracta & ſummi digiti ita palmæ hærebant, vt licet apparerent ſeriatim inter ſe diſtincti, reipſa tamen in vnum idemque vere lapideum corpus cõcreuiſſent. Dextrum autem brachium ad vmbilicum manum extendebat, quæ ad carpum inaduertẽter exciſa fuit, & in aluo matris relicta. Femur, genu, tibia ſiniſtra dextris incumbebant, quibus tamen erant ita implicita, vt talus ſiniſter pediſque planta in dextrum Pedion (eſt pars pedis ſuperior) implantarentur, quibus excauatum cederet, & pene indiſſolubili nexu colligaretur. Vtrumq; crus in ventrem & pectus reflectebatur, certiſſimamque fœminei ſexus notulam tegebat. Tibia vtraq; ad nates intorquebatur, pedibus & pedum digitis ita inter ſe compactis & lapidefactis, vt facto ex oculis & tactu iudicio, totum iſtud opus Phydiæ alicuius eſſe dixiſſes, qui vel ex Ebore, vel ex marmore maturæ ætatis Embrij abſolutiſſimam Iconem expreſſiſſet, maxime cum in ea duritie corpuſculi moles cum cõcidiſſet, imo cum cute nitida integram ſuam & συμμέτριαν & πολυσαρκίαν, id eſt, carnis molem retinuiſſet.

Partes autem internæ, viſcera nempe omnia, Cor & Cerebrum habebant naturaliter, eo dempto, quod vltra modum induruerant (minus tamen quam externę.) Ita vt hodie externum iſtud corpuſculum neque putredinem minetur neque teredinem.

Hæc de matris & fœtus adminiſtrata Anatome dicta ſunto. Iam de iſtius indurationis naturalibus cauſſis aliquid diſſeramus. Huius autẽ prodigioſi abortus, niſi ſenſus nobis faceret fidẽ, fruſtra quæreremus rationũ momenta. Sed cum viſus & tactus, certiſſimi inter ſenſus externos iudices, rem ipſam mille hominum

minum oculis ſpectandam exhibeant, manibuſque tractandam, (vt hodie quoque idem inter nos & ſpectare & palpare ſubinde licet) tria videntur ſupereſſe liberalioribus ingeniis diſcutienda.

Vnum qui factum ſit, vt corpuſculum iſtud quod conſtituta & naturali puerperij periodo, & inter tam graues cruciatus extinctum fuiſſe conſtat, tandiu in iſtis latibulis aſſeruatum non computruerit, aliorum abortuum more; quos vel de repente Matricidas eſſe videmus, vel paulatim & ex longis interuallis excuſſos fuiſſe à grauibus authoribus accepimus, vel facta ſibi per ventrem inferiorem via membratim excuſſos, Cum hic tres putredinis cauſſæ videantur concurriſſe, nempe corpuſculi tẽperies calida & humida, qualis eſt puerorum.

Loci natura, cum vterus intertextus ſit multis venis & arterijs, & viſceribus in quibus reſidet naturalis caloris fons proximus. Cum ille ſit in mulieribus veluti ſentina, in quam totum corpus ſuorum excrementorum ſarcinam deponat, cum denique ſit pudendis proximus quæ Galenus σηπεδονώδη, id eſt, putredini obnoxiam pronuntiat. Tertio Impedita perſpiratio cum in prægnantibus vteri os arctiſſime ad excuſſionem fœtus coarctetur. Sic enim vt fert inſigne illud Philoſophorum & Medicorum Axioma, Calida, & humida, calido & vdo loco concluſa & aere non perflata citiſſime ſitum contrahunt & putredinem.

Deinde naturali in viuentibus deperdito calore extraneum ſuccedere neceſſe eſt, cuius eſt vrere, putrefacere, corrumpere & tandem in cineres reſoluere, præcipue ſi ſubiectum nactus ſit calidum & humidum, quale eſt puerorum corpus, quod cum multo humore ſcateat, vere, vt loquitur Ariſt. εὔφθαρτον, id eſt, facile corruptibile 1. de Cœlo, dici poteſt.

Alterum quæſtionis caput poſitum eſt in inueſtiganda illa intemperie ſiue ſimplici, ſiue compoſita, quæ tantam duritiem peperit, & ab iiſdem fontibus emanat præcedentis dubitationis ſolutio, cum ea durities ſola, vel quæ eam attulit cauſſa (nihil enim eximie ſiccum putreſcit) corpuſculum iſtud à putredine vindicauerit.

Omne autem durum, inquit Galenus, fit vel plenitudine & renitentia, vel concretione, vel ſiccitate, hiſque vel ſolis vel inter ſe complicatis. Induruitne vero iſte fœtus repletione, cum nihil in fœtu, neque in eius inuolucris turgeret largiori humore vel naturali, vel excrementitio; Immo illa eſſent omnia exſiccata & exarefacta? Concretionem accuſabimus, quam etiam congelationem appellat Gal. qua metalla plurima in fodinarum penetralibus, ſaxea in lapidicinis, Meteora in media aeris regione videmus congelari & cõcreſcere? Sed quid externa exempla huius congelationis quærimus, cum domeſticum ſuppetat & nobis ſit pro foribus? Eſt enim in noſtra vicinia prope oppiduli Veronæi mœnia fons perennis ſcaturiginis, aſpectu iucundiſſimus, lympha limpidiſſima, colore quidem & odore ἄποιος, ſed ſapore non ita commendabili, incolis tamen non ingrato. Erumpit autem ex altiſſimis ſubterraneis cuniculis, labroque, vel potius cratere excipitur ita affabre in orbem circumducto, vt neſcias illamne περιφέρειαν, id eſt, circumferentiam natura dederit, an vero ars Euclydis exquiſitiſſimum iſtum circulum elaborauerit. Sic autem ad labri margines exundat aqua, vt ſtatim & breuiſſimo aquæductu decurrat in rotam quæ molam frumentariam circumagit, indeque cum glarea, quam currente alueo ſecum abradit, guttatim in ſubſtratum lutum & proximam vſnæam decidit, quæ omnia ſua frigiditate ita ſubigit, fermentat, & cogit, vt tandem in lapides induret, leues quidem illos & foraminulentos, quorumq; vnam aliquando partẽ videas iã putrefactã, alteram vero adhuc agnoſcas muſco herbaceo virentem & cœnoſam, quæ tantum lapideſcere incipiat. Cogũtur vero illi lapides tãto aggere, vt niſi ex interuallis molitor eos ferreo malleolo cõterat, & ſubſtrahat, impedimẽto ſint ipſi moletrinę, quo minus libere circũuoluatur. Iſta obiter dicta ſint de λιθώσει .i. Putrefícatione, quæ ex aquæ iſtius frigiditate & fortaſſe natiuo ſolo ꝓcreari videtur. Similis aũt aut potentioris congelationis quis poteſt eſſe locus in internis receſſibus noſtri corporis, qui multi ſanguinis & venoſi & arterioſi affluxu, vicinorũ viſcerũ be-

nigno tepore: & ea functione ad quam has partes natura finxit (cum in ipsas, vt in agrum fœcundum nostræ generationis prolifica semina committat) minus algere debeant. Sic Hippoc. frigidos, siccos, densosque vteros vt effœtos pronuntiat. Quod vero Gal. de Anatomia viuorum, Adipem frigiditate spermaticarum partium, & à cordis calore magis distantium concrescere scribit, certe vt ex imbecillo frigore vliginosa materia facile concrescit, ita quoque leuissimo calore illa liquatur: hîc vero de lapidosa duritie agitur. Restat igitur, argumento ab enumeratione partium petito, corpusculum occalluisse siccitate, ad quam non parum fecisse videbuntur dolores assidui quos gestans sustinuit. Item & vigiliæ & inedia quibus diu multumque vexata est, quę omnia ad caussas exiccantes referunt medici. Adiicere licebit illum vteri veluti κατακλυσμόν, id est, illam inundationem, quo pro puerperio multus Ichor è mulieris loculis effluxit, sicque & vterus & fœtus, eiusque inuolucra exaruerint, absorpta omnis putredinis materia, quam in humido & naturali & incrementitio positam esse Physici autumant. Sola ne vero siccitas tantam duritiem peperit, cum qualitas sit patiens, & ad agendum ignaua? Caussæ autem ad suos effectus analogæ esse debent & viribus pares. Ex quo fit, vt sit verisimile siccitatem solam non potuisse eousque indurare, sed alterutri qualitatum πρακτικωτέρων, id est, potentius agente, frigiditati nempe aut caliditati coniunctam. Frigiditati ne? vt siccitati congelatio accesserit mixtis his duabus inter se indurationis caussis? Si enim quæ putrent se ipsis fiunt calidiora & humidiora, consequi videtur (vt contrariorum contraria sunt consequentia) ea quæ non putrent, cum putrescere nata sint, id habere à frigido & sicco. Præterea, promptius quæque alterantur à similibus suæ intemperaturę caussis. At hîc cutis natura frigida & sicca potissimum saxeam eam duritiem induit (vt in ouo testa ex molli tunica occallescit) ex quo fit, vt sit verisimilius istam duritiem à frigido & sicco excitatam. At neque loci, in quo concreuit temporis, neque vlla humana ratio id patitur, vt dictum est, cum de concretione ageretur. Iam videamus an caliditate siccitati cõiuncta istud corpusculum indurucrit, cum à tot tantisque laboribus tandem veluti febre hectica colliquata fuerit illa & contabuerit? Cum præterea calidis & siccis medicamẽtis tum intro sumptis, tum foris admotis assidua illa tormina sedare, flatus discutere & molestissimum istud vteri onus, & quod subinde exitum minari videbatur, deturbare conabatur imperitissimum mulicrcularum vulgus?

A coniunctis hisce caussis, & salis glebæ & alumina, & Chrysocolla, & calchanti genera indurantur, quæ postea humore liquantur cum antea calido & sicco obduruerint.

Tertium huiusce disputationis caput positum est in harum intemperaturarum, siue simplicium, siue compositarum differentia, nempe sint ne illæ externæ tantum & aduentitiæ, an vero aliquod ab ipso corpusculo ἐνδιάθετον, id est, intus reconditum innatum & latens acceperint initium. Nam licet ea quæ de caussis proposita sunt, habeant quandam speciem adumbratæ veritatis, multum tamen absunt ab ordinatis naturæ legibus. Quid enim illas caussas accusamus cum omnes sint externæ, & huic corpusculo aduentitiæ, quæ sine internarum aptitudine nihil videntur posse agere? Non enim omnis caussa, quæ corpori aduenit, inquit Auicenna, in ipsum operatur, sed ad id requiritur, & agentis fortitudo & dispositio patientis.

Hic igitur præter communem consuetudinem (cum natura hominis corpus molle & tenerum finxerit, vt quod ad functiones animæ magis aptum esset quam si induruisset) latuisse dicemus aliqua huiusce indurationis seminaria, vt orta respondeant suis principiis, & insitam quandam vim peculiarem & abditam, quæ ab externis illis caussis excitata tandem in lucem emerserit, vt singulorum, & quæ fiunt internæ quædam affectrix caussa existit. Physici enim rerum omnium formas excepta illa principe quæ diuinioris est originis ex materia educi putant. Item & Spagyrici qui eas profitentur esse αὐτοφυεῖς, neque extrinsecus accedere, sed delitescere in ipsis seminibus, quæ vt sua arcana tegunt quibus-

quibusdam verborum inuolucris, suis matricibus consentanea esse oporteat.

Quod si dempta illa ratiocinatrice, formæ quæ dant esse rei (vt Logici dicunt) educuntur à primarum qualitatum temperamento, illa etiam erunt ab eadem scaturigine, quæ necessario primam illam temperaturam sequuntur, inter quæ non solum odores, sapores & colores reponunt Medici, sed etiam mollitiem & duritiem. Proinde præter externas caloris, frigoris & siccitatis caussas & aduentitias (quamuis varia sentiant & Philosophi & Chymistæ de lapidum & fossilium & efficientibus & materialibus caussis) alii succum, alii lixiuium, alii sal, alii a-
10 quam congelatiuam, non solum vt materiam indurationis, sed etiam vt quodammodo effectricem, & in ipsis indurantibus insitam fixamque delitescere proferunt. Sic Corallium, cui proprium est veluti quarto modo (vt scholæ loquuntur) aeri expositum lapidescere, ideoque λιθόδενδρον (est herba lapidosa) græcis appellari, (Cum mollis fuerit liquidis prius herba sub vndis) Non quidem solum ab ambientis frigore induratur, sed quod absconditam habeat in se suæ duritiei energiam, quæ à circumstante aere affecta illam produxerit. Præterea matre ab illis caussis colliquata, nihil fœtui decessit de pleno corporis habitu, quem alioqui absumi & concidere necesse fuisset, si easdem caussas fœtus sustinuisset humore tum fluente tùm implantato vi caloris extranei absumpto.
20 Molas quidem in suis sinubus sæpe concrescere, & gestantibus cosenescere, immo iis commori certum est, vt multa scirrosa, tophacea & lapidea in nobis generantur, aluntur, & augentur, cum excrementitia sint corpora, imperfecta & sola viuant anima vegetabili, vt etiam in externis rebus ligna lapidescere videmus, eorumque cortices & plantas ipsas. Sed quæ perfecta sunt animalia, cùm primordia suæ generationis habeant potentissima, eorum extincto innato calore, humiditatem putrescere oportet, vt interitus proxima est via ad putredinem, concurrentibus præcipuè aliis putrilaginis caussis, vt dictum est antea.

Quod autem recensent nonnulli ex aliorum fide, & hominis pedem & caput, immò & totum corpus visa fuisse indurata, id multum abest ab eo, de quo
30 hic agitur, cũ de induratione fœtus inspirantis vtero differatur, illa verò asseruata esse dicant conditura & concretione cadauerum in sale quodam terræ, vt inquiunt vegetatiuo, quo omnia ferunt dealbari, indurescere, & coalescere.

Istam pugnantium argumentorum litem, quæ vires eundo magis acquireret, dirimat æquus arbiter. Ego vero nouorum Academicorum more, desinam in Ἐποχὴν suspẽsamque sententiam, vt canant Cygni, sicut est in prouerbio, tacentibus graculis, exciteturque docta ingenia ad scrutanda summe opificis naturæque miracula, & ad eruendas eorum caussas ex Philosophorum thesauris, in eo præcipuè spectaculo, in quo à primo ortu, neque in instrumentalium figura, numero, situ, aut connexione natura peccauerit: Ideoque nihil hic sit monstrifi-
40 cum, cum nullam habeat istud corpus deformitatem notabilem, toti suæ speciei extraneam quam à prima origine sortitum sit. Plinio autem lib. 7. cap. 18. Natur. Hist. si meritum fuit quosdam concretis ossibus extitisse & sine medullis, quod portentum istud fuerit, fœtum extractum, imputrem in suo veluti ergastulo lapide factum, tot mensibus & annis à matre circum gestatum fuisse?

Simeonis Prouancherii Lingonensis & apud Senonas medici de huius indurationis caussis opinio.

50 DE partu anatomico eius mulieris, quæ in Senonum vrbe vixit annos octo & sexaginta, & cui extinctæ eruta est puella iustæ molis, quæ in vteri sinu octauum, & vigesimum annum impleuerat, gallicè scripsi. Eundem partum, qui latine & copiose loqueretur, ad exteros relegare decreueram, cui physicas, sedè renatas exercitationes meas adiungere operæ pretium videbatur. Inter moras Albosius Heduus, qui excudendam spectaculi effigiem curauerat, eius

hiſtoriam latinè exprimit: De qua ſcribenda iam pridem amicorum & maximè exterorum, ad quos vt nominis, ita eruditionis ſuæ fama peruenit, literis frequentibus vrgebatur. Hic oratione graui & veridica flagitantium votis reſpondet, vt mollis in obſequium, faciliſque rogantibus eſſet. hiſtoria de induratione fœtus in vtero, phyſica & problematica inquiſitio, acceſſit. Vtraq; mihi tantopere placuit, vt in ea vertenda gallicè meam operam requirere viſa ſit: nec eius autorem plenius commendabo, ne quia viuit, & eiuſdem vrbis ſumus incolæ, in fœdam adulationem me demitti in multorum opinionem irrepat. Et quia in dubia & ancipiti re ſic animus conſiſtit, neminem mirari oportet, ſi in apertum campum deſcendam, & vtraque lingua mearum exercitationum breuiter ac ſummatim epilogum adiiciam. Ergo rem ipſam aggredior. Vterus μή-τρα græcis, quem Deus ad concipiendum fœtum deſtinauit, craſſus & impactus carneum quid refert, cæterum neruoſus, & membranoſus eſt, vt geſtationis decurſu in amplitudinem poſſet extendi. Ac ſemen, quod hominis abſtractum Zeno appellare non dubitauit, in vteri ſinum effunditur idque, vnicum propagationis perpetuæ ſubſidium comprehenſione firma concipitur, ex quo primum omnium inuolucra genituræ procreantur, mox reliqua membris & articulis diſtincta, ſemine genitali opifice, nec non ſpiritu ſanguineque menſtruo adminiſtris inſtruuntur, vſque dum opus eſſet abſolutum. Cum igitur fœtus hic Senonenſis à conceptionis die, ad prima ſuæ ſpeciei lineamenta nouem menſium proceſſu iuſtam in vtero materno corporis organici molem addidiſſet, matri, quæ huic grandiori alendo ſupereſſe non poterat, initium partus induxit. fit enim cum diruptis calcitratu & motu valido pueri membranis, ipſe à vinculis exolutus foras prodit, & ita perfectus eſt, vt per os nutriri poſſit.

Diuulſis porro inuolucris Ichores prodeunt multi, & membranoſum quid cruore tinctum referente marito: tumque graues & iniqui dolores, qui confertorum ſpirituum vi accidunt, matrem excruciant. Fruſtra fiunt hæc omnia: hæret infans vtero, quem neque proprii motus, neque matris impetus poſſunt excludere: tandem alimenti penuria, ob quam ſibi moliebatur viam & exitum, breuiſſimam vitam cum morte commutauit. Ex ſignificatione huius noui partus, qui in lucem editus eſt menſe maio ſuperiori, potuit intelligi quod ſcriberem, hunc fœtum ante indurationem vixiſſe ac ſeruatum fuiſſe inſtar molæ. Non deerunt qui ex eo loco capient opinionem, me fœtui animalis vitam abnegare. Imo ratum habeo intelligentem animam membris affabrè concinnatis ſuæ ſpeciei conſentaneam affulſiſſe. Atqui hoc vnum cogitabam, vt indicarē fœtus tãquam molas poſſe vtero ad plures annos affigi, nam molæ vitium & materiæ abſurditatem ſequuntur, quarum onus ægrè natura ſuſtinet: fœtus verò ſunt opus benignioris naturæ, ad quos concipiendos vterus comparatur. Adde quod irriti conceptus ad putredinem, ſi vitæ expertes inanimatis, & animati vitalibus conferantur, quàm fœtus ſunt procliuiores: ſiquidem illi humida & lubrica conſtant materia quæ facilè putreſcit: fœtuum verò compacta vt plurimum dura & ſicca eſt ſubſtantia (vt qui ex neruis, venis, membranis, vinculis & oſſibus conſiſtunt) cuius ratio putredini reluctatur. Pars enim ſicca ægrius putredinem admittit. Poterat tamen hic fœtus Senonenſis ad putredinem progredi. Cur ergo ab extinctione natiui caloris illam effugit & occalluit? Refrigeratur vterus præter naturæ ſuæ modum fracti caloris imbecillitate per irritos labores partus, per eruptiones aquarum, per effuſa quædam cruenta, per concepti frigidi externam iniuriam. Frigus enim dehiſcente vtero & diductis cruribus in expectatione puerperii admittitur. Ex victoria frigoris humores, qui venis mediiſq; ſpatiis vterinæ molis & cõceptæ puellæ pertinacius impacti erãt, concretione coguntur: perinde ac gelatis accidit, ſic enim affecti κατεχόμενοι appellantur, qui eam formam retinent in qua deprehenduntur. Fit autem id malum ab humore frigidiore & congelante. Etenim frigore humida concreſcunt; quod Galen. in vi. Epidem. comm. 3. ſect. 14. & Hip. lib. de carn.

exſpon-

ex spontina scirrhorum generatione patefecit. Coeunt autem vsque adeò humores & in concretionem deducuntur, vt cum vtero fœtus scirrhosam planè callosamque duritiem contrahat. Nam & ex frigore duritiem fieri docuit Galenus 5. simpl. 5. cap. Humores autē qui demissi sunt in cōcretionē, crassi erant & glutinosi: alioqui nunquam fœtus, vterusque in callosam duritiem essent progressi. Erant & frigidi, nam scirrhus, vt Galeno 14. meth. c. 4. lib. 5. simp. c. 1. lib. 3. de loc. aff. c. 5. placuit, omnisque tumor scirrhosus ex humore crasso, viscido ac frigido nascitur, qui in parte frigida siue sit melancholicus, siue pituitosus, siue ex vtrisque mixtus, facile concrescit. Frigus enim humores cōgelat, vt diximus, & maximè frigidos. Itaque in hoc agendo potentissimum, simul atque fœtum cum vtero excepit, in vtroque efficiens indurationis caussa extitit, quæ quidem corpusculo & vterinæ moli ex materiæ & humoris ratione impendebat.

His igitur ad absolutam duritiem pergentibus, sensim humor per halitum resolutus est, non enim crassa, refrigerata, concretaque restitit, & in callum vteri perinde ac infantuli moles coaluit ante serosi recrementi vaporationem. Nulla verò humiditas post hanc coitionem per venas, quæ solæ fœtui alimentum conferebant, in media vteri spatia illapsa est, ac perinde facto seri & cruoris effluuio, quo ad puerperii tempus natura deposuit, in loco frigido, sicco, & saxeo proles madere desiit; Imò duri occursu induruit. Nam & humor qui circa articulos colligitur ex ossium natura, testante Hip. lib. 2. epid. ex Medicorum sententia, frigore concreta calore liquari: cui satisfactum fuerit, si respondeam alias indurationis caussa à frigore insolubilem vteri & genituræ concretionem reddidisse, idque scirrhosi tumoris modo, qui siccitate & frigore concretus nunquā emolliri potest. Igitur nihil aderat per ariditatem loci quod fœtum faceret obnoxiū putredini, exhausta erat omnis humiditas innata, nulli aduentitiæ per vteri crassitiem ac duritiem aditus patebat ad induratum fœtum, quo se ipso redderetur humidior. Nam quæ putrent, ait Hippo. se ipsis humidiora fiunt. Porrò confirmata in dies duritie proles illa perinde ac scirrhus vtero scirrhoso affixa, potuit integra forma in mortis maternæ tempus conseruari, citra insignem earum partium colliquationem, quæ natura sua laxiores absumi poterant, nisi concretio à frigore irrepsisset. Quod factum fuisse adeo mirum videri non debet, cum neque ossa indurata, neque calli, poriue qui generantur in nobis, procedente die minuantur. Hæc mea est compendiaria argumenti propositi disceptatio, candide lector, si quid rectius illa noueris, imperti: si non, hac vtere mecum.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM QVAE IN HISCE DVOBVS LIBRIS CONTINENTVR:

Cuius numerus prior versiculum, posterior folium demonstrat.

A

ABORTVS quo tempore, vt plurimum, ex Aristotele contingat. 52. 18.
Accursii glossa de partu septimestri, eiusque explicatio. 47. 62. & 21. 63.
Ægritudinis fœtus, & mortis quæ sint caussæ. 50. 57.
Anatomes fœtus petrificati. 22. 94.
Annus quid sit. 47. 6.
Annus quotuplex. ibid.
Annorum inuentio. 51. 6.
Anni solaris, & lunaris descriptio. 16. 7.
Annus magnus, & paruus quid sint. ibid. v. 1. 3. & 15.
Annus maximus cur dicatur mundanus. ibid. v. 13.
Annus magnus cur dicatur triendecida, & periterida. ibi. v. 26. & 35.
Annus methonicus quid sit. ibi. v. 44.
Anni magni quæ sit vtilitas in hoc opere. 45. 8.
Annus Hebræorum quis, 6. 9.
Annus Græcorum an idem cum anno Hebræorum. 9. 9.
Anni constitutio apud Græcos quæ fuerit. 22. 9.
Anni constitutio varia apud Romanos secundum varios Imperatores. 35. 9.
Añus in hoc tractatu quomodo sumendus. 14. 10.
Annuus partus an detur. 10. 89.
Annus Eudoxi, 37. cum seq. 7.
Annuum partum fieri demõstratur auctoritate Hippocratis & Thimari. 7. 90.
Anni partus historia. 54. 90.
Anticipationis in formatione fœtus caussæ multæ. 17. 43.
Aquam concrescere, & lapidescere. 47. 95.
Aristoteli de hominis partu magis quam Hippocrati credendum. 3. 20.
Astra an possint alicui longã aut breuem vitam polliceri. 43. 66.
Astra in hominis partu nihil ex cœli positione significare. ibi.
Auli Gellii sententia de partu sextimestri. 3. 62.
Astrologorum opinio de partu octimestri. 10. 65.
Astrologorum opinio reprobata de partu octimestri, ibid.
Aristotelis sententia de partu hominis exponitur. 28. 25.
Animalia bruta certum habẽt pariendi tempus. 20. cum seq. 25.

B

BISEXTILIS annus qui dicatur. 12. 10.
Bisextilis annus quã ob caussam inuentus à C. Cæsare, & Græcis 5. & 9. 11.

C

CARDANI errores multi in computatione mensis in partu hominis 4. 33.
Caussas proximas in producendo effectu plus posse vniuersalibus. 10. 67.
Centum & 82. dies esse principium septimestris partus non 163. ex Hippocrate ostenditur. 18. & 25. 33. & 22. 34.
Centum & 82. dies non cõplecti sex menses plenos ex Hippocrate ostenditur. 42 38.
Certitudinẽ de hominis partu pendere ex notitia computationis mensium, anni, & dierum. 17. 14.
Computationem in vtero gerentibus difficillimam, & vtilissimam in vtero gerẽtibus. 9. 14.
Computandi rationem in partu solum docuisse Hippocratem libro de septimestri partu. 20. 14.
Computatio Hippocratica an de mense Lunari intelligẽda. 53. 15.
Computatio an lunaribus, an solaribus mensibus facienda. 37. 16. & 2. 17.
Consensus Aristotelis, & Galeni de partu septimestri. 30. 61.
C. Cęsaris annus emendatus. 34. 11.
Cuiatii sententia de partu septimestri, & impugnatio. 45. 63.
C. Cæsarem non fuisse primũ inuentorem anni solaris. 53. 14.

D.

DECIMESTRIS partus an detur. 25. 79.
Decimestris partus quis sit 37. 80.
Decimestris partus principiũ. ibid. v. 52.
Decimestris partus omnium perfectissimus. 29. 79.
Dies quid significet. 43. 13.
Dies in computatione quomodo sumendus. 14. 16.
Durities à quibus caussis fiat. 29. 95.
Duritiei caussæ petrificati fętus quæ sint.
Dioclis opinio de diebus criticis, 10. 13.
Dies quomodo sumatur à Galeno. 45. 13.
Decimestres partus pro maiori parte non transeunt medietatem mensis. 33. 76.

E

EPILOGVS eorum quæ scripsit Hippocrates libro de partu octimestri. 30. 72
Empedoclis opinio de partu septimestri. 8. 62.

F

FOETVS quanto spatio tẽporis formetur in vtero. 4. 18.
Fœtus qui citius, & qui tardius formetur. 25. 31.
Formationis tempus, an anticipet, vel postponat multum. 17. cum seq. 42.

Fœtus

Fœtus in qua ægrotet quadragenaria, vt plurimum. 42. 58.
Fœtum vitalem nasci ex pari, & impari, quomodo sit intelligendum. 23.69.
Fœtus septimestris an maior, & validior nouimestri. 40. 76.
Fœtus quot modis in vtero dicatur perfectus. 20.98.
Fœtus ad instar molę in vtero ad plures annos contineri potest. ibi. v. 37.
Fœtus mortui petrificati gestationis per annos tres, & per abdomen instrumentis chirurgicis extracti Historia. 20.93.
Fœtus petrificatus cur nō putruerit præsentibus caussis putredinis. 6. 95.
Fętus petrificatus an ab externis tantum caussis, an etiā internum & latens vitium contraxerit. 40. 96.
Ferdinandi Menæ opinio de victus ratione reprobata. 29. 17.

G

GALENVM Hebræos vocasse Palęstinos. 48.8.
Galeni opinio de āno Hebræorum. 6. 9.
Galenum scripsisse librum de annuo tempore. 43. 6. 24.
Galeni sententia de mensibus 35.12.
Galenum caussam dierum decretoriorū retulisse ad superiora. 11.13.
Galenus quomodo sumat diem 55.13.
Gallina quot diebus incubat ouo. 16.&26. 24.

H

HORTENSII apud Ciceronem de magno, anno sententia. 27.8.
Hippocratis computatio de partu septimestri declaratur. 20. usq; ad 33. 14. & 15.
Hippocratis opinio de octimestri partu. 40.69.
Hippoc. opinio suspecta de partu octimestri. 44.70.
Hippoc. admittere partū vndecimestrem. 10.84.
Homini certum non est nascendi tempus. 20. 25.
Hippocraticæ sententię de septem quadragenariis nouimestris partus explanatio. 10.76.

I

INDITIA grauidæ mulieris quæ sint. 31.93.
Intercalatio quid sit. 20.10.
Intercalares dies qui. 28.10.
Intercalandi rationē quis primum docuerit. 1.11.
Intercalatio quot annis fiebat 16.11.
Intercalandi varii modi, eorūque caussæ. ibid.
Intercalandi necessitas quæ 43.11.
Iurisconsulti Maceratensis opinio de partu dierum. 40. 36.
Impugnatio opinionis huius 40.38.
Impugnatio opinionis Astronomorum de partu octimestri. 48.65.
Impugnatio opinionis mathematicorum de partu octimestri. 30.68.
Iurisconsultorum opinio de partu vndemestri. 27.87.

L

LIBRVM de carnibus non esse Hipp. legitimum. 35. 17. & 1. 87.
Libri de septimestri partu, & de natura pueri, an sint Hippocrati legitimi. ibi.
Lunaris mensis qui. 5.12.
Lunaris mensis quotuplex. 18 12.
Lunaris annus qui. 24. 7.

M

MASCVLVS vt plurimum quando formatus est in vtero 23. 42.
Matthæi Curtii opinio de partu sextimestri, & impugnatio. 5. 27. & 28.
Mensium cognitionis quæ vtilitas. 50.11.
Mensis quotuplex. 1. 12.
Mensis Lunaris quid. ibi. v. 5.
Mensis peragationis quid. ibi, v. 20.
Mensis coniunctionis. ibid. v. 26.
Mensis illuminationis. ibid. v. 44.
Mensis Medicinalis quid recentioribus. 8. 13.
Mensis Medicinalis quot habeat dies, 24.13.
Mensis solaris quid sit. ibid. v. 31.
Mensis ex 282. diebus cum dimidio constans in computatione vtero gerentium, seruandus. 10.76.
Medietatis anni solaris cur in partu meminerit Hippocrates. 4. & 26. 15.
Medietas anni quid sit, & an sit caussa vitæ. 53.30.
Medicinales sermones, vt plurimum veri, non semper. 13.28.
Mensibus plenis Hippocrates cur non computauerit septimestre. 11.34.
Mensis pars quando sumatur pro toto mense, & quando pro portione mensis. 50.34
Mensis septimus primus vitalis partus, ex Auicenna, 30. 49.
Mensibus quinque exactis, & plenis cur Hippocrates dies 147. cum dimidio adscribat. 38. 52.
Mulieres quædā steriles, quæ vtero tamen gerunt. 31. 23.

N

NEcessitatem partus quid significet. 12.71.
Nouimestrem partum naturalem, & vitalem omnium consensu. 40.74.
Nouimestris partus quod sit principium. 22.75.
Nouimestrem validiorem esse septimestri. 17. 77.
Nouimestrem partum nasci ante 270. diem: nēpe 240. & 252. v. 4. & 7. 75.
Nouimestris principium ex Augenio dies 237. finis 265. cum dimidio ibid.
Nouimestrem partum quomodo complecti septem quadragenarias dixerit Hippoc. 12.80.
Et aliorum opinio, & impugnatio. ibid.

O

OCtimestris partus cognitus vitalis Arist. 29.28.
Octimestris partus quis debeat nuncupari. 11. 65.
Octimestris in quota quadragenaria nascatur, ibi. v. 14.
Octimestris partus cum non sit vitalis ex Astrologorum sententia. 25.65.
Octimestris an moriatur ex influentia planetarum. 24. 66.
Octimestris cur non sit vitalis ex Hippocrate. 40. 69.
Octimestrem partum esse aliquando vitalem probatur rationibus, authoritati-

bus,exemplis 35.72.
Octimestrem Hippoc. vocauit vitalem & non vitalem. 22.73.
Operationes naturæ certis fieri periodis quomodo intelligendum. 55.52.
Ouum quot dierum spatio fit 40.25.

P

PARTVS nomen multiplicem habere significationem, 6.22.
Partus proprie quid sit. 33.22.
Partus quando incipiat ex veterum consensu. 24.22.
Partus est opus naturæ admirandum. 33.22.
Partus quomodo fiat admirabile. ibid.
Partus caussæ effectrices quę. 9.23.
Partus caussæ omnes. ibid.
Partus perfectus & vitalis qui ibid. v. 20.
Partus iusta magnitudo quæ, ibid. v. 25.
Partus fit cum vterus amplius continere non potest, ac puero alimētum deficit; 3.24.
Partus perfectus est, cum puer in vtero ex ore sumere nutrimentum postulat. ibid.
Partus vitalis quis debeat nūcupari. 40.24.
Partus naturalis, ac perfectus omnis protinus vitalis ex Augenio. ibid. v. 50.
Partus morbosi caussæ. 5.25.
Partus quando sint abortiui, & quādo vitales. 26. & 34.25.
Partus hominis cur certo tēpore non fiat. ib. v. 47.
Partus brutorum fit certo tēpore. ib. v. 38.
Parturiendi tēp9 Capræ, Vaccæ, Asinæ, Equæ, Canis, Feles, Elephanti. ibid. v. 39. cum seqq.
Partus sextimestris an sit vitalis. 32.26.
Partus dierum 171. an sit pro vitali admittendus. à vers. 54. fol. 26. & v. 6. f. 27. usque ad fin. lib. 1.
Partus mensium 13. & 14. an detur. 1.92.
vndecimestris 27. 87.

Q

QVadragenariæ in hominis partu quam vim habant. 17.59.
Quadragenariarū vis in partu nulla ex Augenii sententia. 46.60.
Quadragenaria quot dies cōplectatur. 21.59.
Quadragenarias quot habeat partus septimestris, & nouimestris, 22.20.

S

SEptimestris partus qui appellatur. 40.50.
Septimestris partus quot habeat decades hebdo. 27.20.
Septimestris partus ex Hippocrate quomodo fiat. 48.33.
Septimestrium quis perfectior, 4.51.
Septimestres quando incipiant esse perfecti. ibid. vers. 21.
Septimestres partus quot requirant plenos menses, & quot inchoatos. 17.52.
Septimestris partus cur censeatur vitalis ex mathematicis, ac aliis. 20.53.
Septimestres cur vitales ex Augenio. 18.55.
Septimestres cur raro viuant, & sint plerunque imperfectiores aliis. 4.56. cum seqq.
Septimestris partus ex Aristotele primus viuere potest ac adolescere. 30.61.
Septimestrem esse vitalem quomodo primum fuerit perspectum. 40.61.
Septimo mense mulieres rarenter pariunt 35.62.
Septimo mense natus cur dicatur Paulo I.C. legitimus. 40.62.
Septimestris cur sit vitalis ex Cuiacio I. C. 45.63.
Septimestris partus quomodo exitum quærat. 50.70.
Septimestris quando affligatur in vtero. ibidem, vers. 48.
Septimestris cur ab Hippocrate validior nouimestri dicatur. 43.76. & 77.
Sextimestris partus an sit vitalis ex Matthęo Curtio. 5.27.
Sextimestrem vitalē esse nemo ex antiquis, aut recentioribus obseruauit. 22.28.
Sextimestris vitalis cognitus Augenio. ibid.
Sextimestris quando fit abortiuus. 38.31.
Sextimestrem raro nasci vitalem, & quando id contingat. 48.40.
Sextimestrem interdum vitalem existere ostenditur rationib., & authoritatib. 1.41. usq; ad 46.


V

VLPIANI I.C. de partu septimestri. 53.62.
Vndecimestris partus an admittendus. 40.81.
Vndecimestrem partum admitti ab Hipp. 46.82.
Vndecimestrem non dari, ex Plutarcho, & ex authore libri de natura pueri. 10.83.
Vndecimestrem partum admittere omnes Medicos. 10.84.
Vedecimestrem partū an admittant I. C. 27.87.
Vlpianus cur vndecimestrem partum nou receperit. ibi. v. 45.


F I N I S.


Errata sic corrige: 1. numerus lineam, 2. folium denotat.


47.8 lege scientiarum, 15.10. spatium. 22.18. aliam. 10.24. tenellam. 23.26. calcitrare. 22.33. in putatione partus. 7.34. mox vero & lin. 31. hunc virum, & 43. 200. 11.35. dies 29. & horas 12.10. 40. nonem nouilunia. 17.44. illos facit, 28.36. secla 45.43 . Belunensis, 6. 61. qua die. 3. . 26. rarenter.











Augenij Anotationes in Galeni Meth: Med: p. 232. linea 24. p. 78. lin: 2.

Augenij Coment: in lib: Galeni ad Glauconē: ibidē.

Augenij lib. de Curandi ratione per sang: missionē. p. 232. l. 21.

plures alios v. p. 314.

Methodus Medendi p. 78. l. 2.

Aph: 19. lib. 2. In acutis morbis non sunt omnino certae praedictiones salutis aut mortis. / Rationes dat Augenius p. 673. supra infraq3 ad hanc notā &c

